
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — N
34

THOMISTICVS
ECCLESIASTES:


SOL REFVLGENS IN
Isabella Piccini. Religiosa Francescana in S. Croce di Venetia sculpsi.



THOMISTICVS
ECCLESIASTES,
Hoc est,
S. THOMÆ AQVINATIS
ECCLESIÆ DOCTORIS
SELECTIORVM SACRO-MORALIVM SENTENTIARVM
PROMPTVARIVM:

Quas


In ſacris eius codicibus ſparſim depromptas, ad communem vtilitatem alphabetica ſerie colligit, & ex diuina dumtaxat Scriptura eademque Angelica doctrina pro viribus explanat


F. IO: BENEDICTVS PERAZZO
Sac. Th. Mag. Ord. Præd. Conuentus SS. Io: & Pauli Venetiarum.

TOMVS TERTIVS
ET POSTREMVS.

à litera L vſque ad Z incluſiuè.


Accedit
Eiuſdem deuota Expoſitio
ſuper Antiphonam
SALVE REGINA.





VENETIJS, M.DCCI.
Typis Antonij Tiuani.
SVPERIORVM PERMISSV.





Reuerendissimo Patri

P. F. IVLIO MARIÆ BIANCHI

Pereximio Sac. Th. Magistro Ordinis Prædicatorum,
SS. D. N. Papæ familiari Prælato,

Sacrarum in Vrbe Congregationum

S. Officij Qualificatori, Reliquiarum, & Indulgentiarum,
Rituum, ac Indicis

Consultori solertissimo,

Præfatæ etiam Sacræ Indicis Congregationis

Secretario Dignissimo, Meritissimo.

Fr. Io: Benedictus Perazzo Venetus ejusdem Ordinis, & Conuentus
S. P. D.



THomistici sacro-moralis Operis complementum Tibi, Reuerendissime Pater, multiplici ex capite nuncupare, pleno consilio par censui, votis omnibus exoptaui; vt nimirum, qualisqualis fuerit hic labor meus, decoraretur ex fine: *Finis* quippe *coronat Opus*. Sanè,

cum

cum MARIÆ Deiparæ glorioſo præſertim Nomine Tomum poſtremum hunc illuſtrauerim, Tibi præ cæteris eiuſdem congruebat oblatio; qui nempe præclariſſimam MARIÆ nomenclaturam ex pietate aſſumpſiſti: nec abſonè & IVLII, cum Thomiſticus *in vtroque Cæſar*, ſcholaſticam ſimul & dogmaticam Theologiam (vt ſatis ſuperque clareſcit) profundiſſimè calleas. Scribere & vnà legere, dictare eodem tempore & audire, minimam Iulij Cæſaris ferunt commendationem. At longè majori profectò dignum, perpetuis pro S.R.E. & Ordine laboribus fractum Te quoque Roma nunc ſuſpicit atque admiratur. Et tuorum quidem ſtudiorum prægustarunt Hiſpaniæ primitias: vbi necdum in ſacris conſtitutus, Philoſophicæ ſcholæ à Generali Ordinis Magiſtro præfectus triennio es. Venetias exinde reuerſus, humana diuinaque literaturà tale ingenij tui ſpecimen exhibuiſti, vt ad Generalia Romę Comitia euocatus, vniuerſę Thomiſticę propugnator Theologię omnium cum

admi-

admiratione ibi adfueris: ex quo & Magisterij lauream, nondum trigesimo incepto, pro meritis assecutus es, & Neapoli in S. Thomæ Collegio Regens destinatus: cujus cathedram vbi adire cogitabas, suppressit pestilentia & subtraxit. Nec ideò ad paratum brauium, feruidum vel in minimo cursum hic retardauit euentus: vix namque Venetis attactis oris, Romam iterum accitus, ibi in Collegio S. Mariæ super Mineruam Baccalaurei Ordinarij impositum Tibi munus per annos octo ampliori semper adclamatioue sustinuisti. His cæterisque animi tui dotibus ac meritis permotus fel. rec. Alexander in primis Papa VII. Squillacensem Episcopatum, quemadmodum *Motu proprio* exhibuit; ita, propria Tui religiosa modestià declinasti. Aucto in dies cum sapientia merito, Clemens IX. Sac. Congreg. Indicis, Clemens X. Sacrorum Rituum, Reliquiarum itidem, & Indulgentiarum Consultorem præelegit. Innocentius demùm Papa XI. S. Officij Qualificatorem pronunciauit: Spala-

b ten-

tensem insuper, Corcyrensem, & Iusti-
nopolitanam sacras infulas in aliquale laborum præmium gratulabundus obtulit. Sed & has, Angelici tui imitator Præceptoris, generosa humilitate recusasti. Vnum porrò præfatæ Sac. Congregationis Indicis honorificum Secretarij onus lubens subijsti: vt videlicet cœptam pluribus abhinc annis operam tuam in piè ambitiosum S. Sedis famulatum cumulatiùs impenderes. Quo quidem in munere, vti & in præfatis singulis, quanti valuerit & valeat perdoctum ingenium tuum, prudens consilium, sensus sincerus, sacrarum eruditionum supellex, nulli non clarum. Siue enim in facultatibus interdictos legendi libros concedendis, siue in ferendis consilijs, siue ad hæc doctos piosque viros eisdem Congregationibus suggerendo, siue in cæteris quibusque præstandis, propriæ nunquam vtilitatis aut amoris tenax, communis semper S. R. E. honoris & profectus (intra vrbem & extra spretis oblo-
cutio-

cutionibus) zelator ſat Mundo innoteſcis acerrimus : cui nimirùm *amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas* jugiter fuit, cum vni Sanctæ Matri Eccleſiæ proficuus, haud perperam cenſeas, Te omnibus placiturum : ita vt illud Apoſtoli vſurpare veraciter poſſis 1. Cor. 10. *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis*. Vnde & præmiſerat : *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei* : videlicet (exponit S. Doctor) *Quantùm ad infirmos in fide, qui inde offenduntur*, ſi aliter nempe fiat. Et ſubdit : *Ecce optimus modus placendi omnibus : ſi omnium vtilitas, non priuatum commodum procuretur. Et multa quidem ſunt, quæ meritò placere faciunt hominibus : ſcilicet prudentia in conſilijs, munditia in factis, pietas in ſuffragijs, ſapientia in verbis &c.* Quæ ſingula in Te perſpicuè dignoſci, nemo ibit inficias. Quid mirum proinde, adeò Te fidelem miniſtrum, in Sacræ Indicis Congregationis Secretarium, & familiarem ſuum, ſpeciali diplo-

mate idem Pontifex Innocentius promouerit ? Quo nimirùm patefieret, quàm optimè meritus extes de ſupremo Petri ſolio Prælatus. Hinc, ſi vel ex cognomine laudes aucupari licet, Te cum Plinio appellare iuuat *gloriæ & immortalitatis Candidatum*. Quòd ſi (præter hactenus adducta) ſalutaribus & pœnitentiali in foro condiens animas hortamentis, *Sal terræ* extitiſti : iam in Vrbe *lucerna* præfulges, *ardens* exemplo, & doctrina *lucens*. Ita generis candore illuſtrem, Te clara virtutum opera reddunt circumquaque illuſtriorem : quibus & proprium in dies lumen adauges, & alijs affluenter communicas ; quippe qui *non ſoli Tibi laboraſti*, & laboras, *ſed omnibus exquirentibus veritatem*. Et huius quidem ad ſacra ſtudia conatus vel ab ipſo Religionis tyrocinio non obſcurum ſpecimen præbuiſti, vt & mihi feliciter noſſe datum eſt vbi tuæ ſimul honorem ſocietatis tenera adhuc ætate ſortitus ſum, & ad vtriuſque amplexum virtutis viuo Tui exem-

exemplo prouocatus. Ex quo per ſtadium literarium ſequi gliſcebat tunc animus: atqui tuus ad gloriæ brauium celerrimus curſus (rapidus ne dicam volatus) mei nequaquam admiſit lenti ſequelam inceſſus. Patere igitur, Reuerendiſſime Pater, vt qui ad virtutis triumphum imparem ſeſe agnouit, Tibi ſaltem pro ſuo modulo adplaudat triumphanti; ſitque in aliquale antiqui reuerentialis amoris teſtimonium quod ingenuè munus exhibeo: nec enim Tibi iniucundum fore putandum eſt, quòd ex eodem fonte, immò *Aquarum abyſſo*, vbi feruidam ſapientiæ ſitim reſtinxiſti, deriuatum. Vale; Conuentus & Ordinis decus noſtri: atque ad vlteriora (vt auſpicor) ex meritis prouehendus, diu eſto ſuperſtes & ſoſpes.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI GENERALIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

Nos Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus.

HArum serie nostrique authoritate Officij facultatem, quantum in Nobis est, concedimus Tibi R. A. P. Magistro Fr. *Io: Benedicto Perazzo* Prouinciæ Nostræ S. Dominici Venetiarum, vt possis typis mandare complementum Operis, cui titulus, *Thomisticus Ecclesiastes*, à te compositum, & de mandato nostro reuisum & approbatum à Reuerendis Adm. PP. Magistris Fr. Remigio Bianchi, & Fr. Thoma Ridolfi eiusdem Prouinciæ & Ordinis nostri, seruatis de iure seruandis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam die 2. Ianuarij 1694.

Fr. Antoninus Cloche Magister Ordinis.

Locus Sigilli.

Registrata fol. 3.

Fr. Bernardus Thomas Villagomes Præd. Gen. & Secretarius.

APPROBATIONES ORDINIS.

COmplementum *Thomistici Ecclesiastæ*, à Reuerendissimo Patre Ordinis Nostri Generali Magistro demandatum profectò mihi est, vt ad iucunditatis complementum excurrerem. Quippè qui in eo consuetam Authoris deprehendi diligentem operam, singularem admiratus syntaxim Angelicæ doctrinæ, nunquam non opportunè adductæ: quæ & Fidei cohæret orthodoxæ, & Christianæ valdè confert disciplinæ. Prodeat igitur è tenebris, & lucem aspiciat. Ita verè sentio. Venetijs in Conuentu Sanctorum Ioannis, & Pauli Idib: Septembris 1695.

Ego Frater Remigius Bianchi Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum.

THomistici Ecclesiastæ Tomum Tertium, & postremum, mihi de mandato Reuerendissimi Patris Magistri Gen. excurrenti, nec vel in minimo à se diuersus, Author eiusdem visus est: cum ingeniosæ, & industriæ instar apis, electos Thomistici viridarij delibauerit flores, vt dulcissimum sanæ doctrinæ mel Ecclesiæ proferret; vnde norint fideles faciliùs *reprobare malum, & eligere bonum*. Hinc nempe & in Christiana fide stabilimentum, & in optimis moribus certus promittitur lectori profectus. Eapropter, non minùs quàm priores, Tomum hunc reuera iudico prelo dignum. Dat. Venetijs die 14. Septembris 1695.

Ego Frater Thomas Rodulphius Sacræ Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum.

NOI REFORMATORI DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto per la fede di reuisione & approbatione del P. F. Antonio Leoni Inquisitore, nel Libro intitolato, *Thomisticus Ecclesiastes &c.* del Padre Maestro Gio: Benedetto Perazzo dell'Ordine de'Predicatori, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede cattolica: & parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi & buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato, osseruando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle publiche Librarie di Venetia, & di Padoua.

Data dal Magistrato nostro li 20. Febraro 1695.

Ferigo Marcello Proc. Ref.
Ascanio Giustiniani II. Cau. Ref.

Agostino Gadaldini Segretario.

¶ Siauuerta, che la data della sopradetta licenza, impressa nel primo Tomo sotto il dì 20. Settembre 1696. fù error dello Stampatore.

FACVL-

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI GENERALIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

Nos Fr. Antoninus Cloche Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Seruus.

CVm, vti nobis exponitur, R. A. P. Magister Fr. Ioannes Benedictus Perazzo Prouinciæ nostræ S. Dominici Venetiarum Opusculum, cui titulus, *Esposizione sopra la Salue Regina*, composuerit, illudque prælo subijcere desideret: Nos harum serie, nostrique officij auctoritate, quantum in nobis est, & & seruatis aliàs seruandis, paternè indulgemus, dummodo ab Adm. RR. PP. Magistris Fr. Thoma Ridolfi, & Fr. Raphaele Iacomazzi præfatæ Prouinciæ luce dignum iudicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam die 29. Ianuarij 1701.

Fr. Antoninus Cloche Magister Ordinis.

Locus Sigilli.

Registrata fol. 11.
Fr. Aloysius de Barutel Magister Prou. Terræ Sanctæ & Socius.

APPROBATIO ORDINIS.

EX mandato Reuerendissimi P. Mag. Generalis Ord. Præd. Nos infrascripti Patres diligenter legimus Opusculum R. A. P Mag. F. Jo: Benedicti Perazzo, cui titulus: Expositio super Antiphona *Salue Regina*: Cumque nihil occurrerit aut Sanctæ Fidei repugnans, aut bonis moribus minùs consentaneum, quinimmò singularem erga Deiparam pietatem vndique redolere deprehenderimus, publica dignum luce illud censuimus. Jn quorum fidem &c.

Dat. Venetijs in Conu. SS. Jo: & Pauli die 2. Martij 1701.

(Fr. Thomas Rodulphius Sacr. Theol. Magister M. p.
(Fr. Raphael Jacobatius Sacræ Theol. Magister M. p.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoua.


HAuendo veduto per la Fede di reuisione, & approbatione del P. Fr. Raimondo Asperti Inquisitore, nel Libro intitolato: l'Esposizione sopra la *Salue Regina*, ex doctrina vt plurimùm Angelici Præceptoris, Fr. Io: Benedicti Perazzo Ordinis Prædicatorum, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à D. Antonio Tiuan Stampatore, che possi esser stampato, osseruando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoua.

Dat. 20. Marzò 1701.

(Giouanni Lando Cau. Pr. Ref.
(Girolamo Venier Cau. Pr. Ref.
(Francesco Cornaro Pr. Ref.

Agostino Gadaldini Segretario.

SERIES



SERIES VOCABVLORVM hujus Tertij Tomi.

Obe-

Sabba-

S.

T.

V.

Vestis



S. THO.





ANGELICI DOCTORIS S. THOMÆ AQVINATIS

Selectiorum ſacro-moralium Sententiarum

EXPLANATIO

Per Fr. Io: Benedictum Perazzo Venetum S. Th. Mag. Ordinis Prædicatorum.

A Littera L. vſque ad Z. incluſiuè:

LATRIA: *Vide* Eccleſia *Tomo* II.
LAVS. *Vide* Gloria, Honor *Tomo* II.
LAVS Dei. *Vide* Beatus, Cantus Eccleſiaſticus *Tomo* I.

LEX.

I. Ad hoc omnis lex intendit, vt amicitiam conſtituat, vel hominum ad inuicem, vel hominis ad Deum. 1. 2. 99. 1. ad 2.

a *E legibus in hunc tertium tomum non abs re tractatum reſulimus. Nec enim congruebat, vbi de IVSTIS hominibus Tomum Secundum compleuimus, ibi de Lege ſermo adſereretur: quia ex Apoſtolo 1. ad Tim.* 1. Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis. *Lex autem* eſt A quædam regula, & menſura actuum, ſecundùm quam inducitur aliquis ád agendum, vel ab agendo retrahitur. Dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum. Regula autem, & menſura humanorum actuum eſt ratio, quæ eſt principium primum actuum humanorum. Rationis enim eſt ordinare ad finem, qui eſt primum principium in agendis ſecundùm Philoſophum. In vnoquoque autem genere, id quod eſt principium, eſt menſura, & regula illius generis. Sicut vnitas in genere numeri, & motus primus in genere motuum. Vnde relinquitur, quòd lex ſit aliquid pertinens ad rationem. *Et Philoſophus in* 10. *Ethic.* Lex *inquit* eſt B ſermo coactiuonem habens, ab aliqua prudentia & intellectu procedens *Et quidem* Omnis lex C proficiſcitur à ratione, & voluntate legiſlatoris. Lex quidem diuina, & naturalis à rationabili Dei voluntate: lex autem humana à voluntate hominis, ratione regulata. *Ex quibus* lex D de ſui ratione habet duo. Primò quidem, quòd eſt regula humanorum actuum. Secundò quòd habet vim coactiuam. *Ad hoc autem exigitur promulgatio.* Lex *enim* imponitur E alijs per modum regulæ, & menſuræ. Regula autem, & menſura imponitur per hoc, quòd applicatur his quæ regulantur, & menſurantur: vnde ad hoc, quòd lex virtutem obligandi obtineat (quod eſt proprium legis) oportet, quòd applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quòd in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione: vnde promulgatio ipſa neceſſaria eſt adhoc, quòd lex habeat ſuam virtutem. Et hinc poteſt colligi definitio legis: quæ nihil eſt aliud, quàm *quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ad bonum *inquam* commune: *vnde &* quodcumque F aliud præceptum de particulari opere non habet rationem legis, niſi ſecundùm ordinem ad bonum commune. (*Notent Eccleſiaſtici Superiores.*) *Idcircò Hebr. 9. dicitur*: Lecto enim omni mandáto legis à Moyſe vniuerſo populo &c. *nimirum* quia G neceſſarium fuit, vt legeretur: illa enim lectio fuit legis promulgatio. Oportebat enim legem promulgari. *Non tamen promulgationis egent communia legis naturæ præcepta, cum ſint naturaliter mentibus indita humanis.* Prima *inquit Author* præcepta H communia legis naturæ ſunt per ſe nota habenti rationem naturalem, & promulgatione non indigent: ſicut etiam & hoc, quod eſt credere in Deum, eſt primum & per ſe notum ei, qui habet fidem. *Accedentem enim ad Deum oportet credere quia eſt*, vt dicitur ad Hebr. ij. *Ad promulgationem verò legis conſequitur ſcriptura neceſſitas.* Leges autem I ſcribuntur ad vtriuſque iuris (*naturalis, & poſitiui*) declarationem, aliter tamen, & aliter; nam legis ſcriptura ius quidem naturale continet, ſed non inſtituit: non enim habet robur ex lege, ſed ex natura. Ius autem poſitiuum ſcriptura legis & continet, &

A 1. 2. 90. 1. c. & a. 2. 3. 4. c.
Lex vnde dicatur.
Ad rationem pertinet.
B Rom. 2. l. 3. ibi ipſi ſibi
C 1. 2. 97. 3. init. c.
D 1. 2. 96. 5. init. c. & ad 1. & 3. & q. 90. 3. ad 2. & 2. 2. 67. 1. c.
De ſui ratione duo habet.
Ad legis vim promulgatio requiritur.
E 1. 2. 90. 4. c. In 4. d. 3. 1. 5. q. 3. fi. c.
Legis definitio.
F 1. 2. 90. 2. fi. c. & a. 3. c & 91. 5. c. & 96. 1. & 4. 6. c. & alibi
G. Hebr. 9. l. 4. ibi.
Prima precepta communia legis naturæ promulgatione non egent.
H 1. 2. 100. 4. ad 1.
Exigitur & ſcriptura.
I 2. 2. 60. 5. c. & q. 57. 1. ad 2. & 1. 2. 95. 3. arg. 1. & in corp.

Vt in futurum caueatur.
L 1.2.90. 4. ad 3.
Lex ex Isidoro vnde dicta.
Quinam & quot legis actus.
M 1. 2. 92. 2. c.

instituit, dans ei authoritatis robur. *Adhibetur autem scriptura, vt caueatur in futurum*; nam promulgatio præsens L in futurum extenditur per firmitatem scripturæ, quæ quodammodò semper eam promulgat. Vnde *Isidorus* dicit *in 2. etymol.*, quòd lex a legendo uocata est, quia scripta est. *Porrò quatuor assignari consueuerunt legis actus. Etenim* præcepta legis M sunt de actibus humanis, in quibus lex dirigit: Sunt autem tres differentiæ humanorum actuum. Nam quidam actus sunt *boni ex genere*, qui sunt actus virtutum; & respectu horum ponitur legis actus *præcipere*, vel *imperare*: præcipit enim lex omnes actus virtutum, vt dicitur *in 5. Ethic.* Quidam verò sunt actus *mali ex genere*, sicut actus vitiosi: & respectu horum lex habet *prohibere*. Quidam verò ex genere suo sunt *actus indifferentes*: & respectu horum lex habet *permittere*: & possunt etiam indifferentes dici omnes illi actus, qui sunt, vel parum boni, vel parum mali. Id autem, per quod inducit lex ad hoc, quod sibi obediatur, est timor pœnæ: & quantum ad hoc, ponitur legis effectus, *punire: malos nimirum, & consequenter bonis retribuere*. Sicut enim N in scientijs speculatiuis inducuntur homines ad assentiendum conclusionibus per media syllogistica: ita etiam in quibuslibet legibus homines inducuntur ad obseruantiam præceptorũ per pœnas, & præmia. *Sanè* ad hoc O ordinatur vnaquæque lex, vt obediatur ei à subditis: vnde manifestum est quòd hoc sit proprium legis, inducere subiectos ad propriam ipsorum virtutem. Cum igitur virtus sit, quæ facit bonum habentem, sequitur, quòd proprius effectus legis sit, bonos facere eos, quibus datur, vt patet ex Philosopho *in 2. Ethic. Et quanquam*, largè P accipiendo præceptum, vniversaliter lex præceptum dicitur; *strictè tamen sumendo præceptum, à lege differt*: ad singulares enim Q actus dirigendos dantur singularia præcepta Præsidentium: sed lex est præceptum commune. *Ex quo* fit, R qui gubernat aliquam familiam, potest quidem facere aliqua præcepta, vel statuta: non tamen, quæ propriè habeant rationem legis.

N 1.2.99 6. in. c. & 3. cont. G. cap. 140. in. Op. 4. §. 1.
O 1. 2. 92. 1. c. Rom. 5. l. 6.
Proprius legis effectus eos bonos facere, quibus datur.
Num præceptũ distinguatur à lege.
P 1. 2. 92. 2. ad 1.
Q 1. 2. 96. 1. ad 2. & q. 90 2.
R 1. 2. 90. 3. ad 3.
Lex quadruplex.
Lex fomitis quid.
S Rom. 7. l. 4. ibi, & cap. 8. l. 1. ibi, lex enim, & Op. 4. §. 1.
T 1. 2. 91. 6. c.

b *Cæterùm quadruplex statuitur lex: videlicet æterna, naturalis, humana, & diuina (addit autem Apostolus* Rom. 7. *& legem fomitis*: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati &c. *de qua vide* S. *Verùm* ipsa T sensualitatis inclinatio, quæ fomes dicitur, in alijs quidem animalibus simpliciter habet rationem legis; illo tamen modo quo in talibus lex dici potest secundùm directam inclinationem legis. In hominibus autem secundùm hoc non habet rationem legis, sed magis est deuiatio a lege rationis. sed in quantùm per iustitiam diuinam homo destituitur originali iustitia & vigore rationis, ipse impetus sensualitatis, qui eum ducit, habet rationem legis, in quantùm est pœnalis, & ex lege diuina, consequens hominem destitutum propria dignitate. Sicut si miles ex militia destituatur, transibit in legem rusticorum, vel mercatorum. Sub Deo enim legislatore diuersæ creaturæ diuersas habent naturales inclinationes, itaut quod vni est quodammodo lex, alteri sit contra legem: vt, si dicam, quòd furibundum esse, est quodammodò lex. Canis: est autem contra legem Ouis, vel alterius mansueti animalis. Est ergo hominis lex, quam sortitur ex ordinatione diuina secundum propriam conditionem, vt secundùm rationem operetur. Quæ quidem lex fuit tam valida in primo statu, vt nihil vel præter rationem vel contra rationem posset subrepere homini: sed dum homo à Deo recessit, incurrit in hoc, quòd feratur secundùm impetum sensualitatis. Et unicuique etiam particulariter hoc contingit, quanto magis à ratione recesserit, ut sic quodammodo bestijs assimiletur, quæ sensualitatis impetu feruntur, *secundùm illud* Ps. 48. Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.) *Æterna igitur datur in primis lex: quia* Deus V per suam sapientiam conditor est vniuersarum rerum, ad quas comparatur sicut artifex ad artificiata. Est etiam gubernator omnium actuum, & motionum, quæ inueniuntur in singulis creaturis. Vnde sicut ratio diuinæ sapientiæ in quantùm per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideæ: ita ratio diuinæ sapientiæ mouentis omniã ad debitum finem obtinet rationem legis. Et secundùm hoc lex æterna nihil aliud est, quam ratio diuinæ sapientiæ, secundùm quod est directiua omnium actuum, & motionum. *Sanè* cum lex X æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quòd omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. Huiusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcunque aliæ leges preter æternam: vnde omnes leges, in quantùm participant de ratione recta, in tantùm deriuantur à lege æterna. Et propter hoc *Augustinus* dicit *in 1. de lib. arbit. quòd* in temporali lege nihil est iustum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi deriuauerunt. *Lex etiam natura, siue naturalis, est participatio quadam legis æterna*. Cum enim omnia Y quæ diuinæ prouidentiæ subduntur, à lege æterna regulentur, & mensurentur, manifestum est, quòd omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantùm scilicet ex impressione eius habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo diuinæ prouidentiæ subiacet, in quantùm & ipsa fit prouidentiæ particeps, sibi ipsi, & alijs prouidens: unde & in ipsa participatur ratio æterna, per quã habet naturalem inclinationẽ ad debitum actũ, & finem: & talis participatio legis æternæ in rationali creatura, lex naturalis dicitur. Vnde cum Ps. 4. dixisset: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, quasi quibusdam quærentibus, quæ sint iustitiæ opera, subiungit: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni respondens dicit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum, & malum (quod pertinet ad naturalem legem) nihil aliud sit, quàm impressio diuini luminis in nobis. *Et quidem* licèt Z lex æterna sit nobis ignota, secundùm quod est in mente diuina: innotescit tamen nobis aliqualiter, vel per rationem naturalem, quæ ab ea deriuatur ut propria eius imago, vel per aliqualem reuelationem supperadditam. *Et hinc est, quòd ad legem natura spectant omnes virtuosi actus. Veruntamen* de actibus A virtuosis dupliciter loqui possumus. Vno modo in quantùm sunt virtuosi: alio modo in quantùm sunt tales actus in proprijs speciebus cõsiderati. Si loquamur de actibus virtutum in quãtum sunt virtuosi: sic omnes actus uirtuosi pertinent ad legem naturæ; ad legem enim naturæ pertinet omne illud, ad quod homo inclinatur secundùm suã naturam. Inclinatur autem unumquodque naturaliter ad operationem sibi conuenientem secundùm suam formam, sicut ignis ad calefaciẽdum. Vnde cum anima rationalis sit propria forma hominis naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc, quòd agat secundùm rationem; & hoc est agere secũdum virtutem Vnde secũdùm hoc omnes actus virtutũ sunt de lege naturali: dictat enim hoc naturaliter unicuiq; propria ratio, ut virtuosè agat. Sed si loquamur de actibus virtuosis secũdùm se ipsos, prout scilicet in proprijs speciebus cõsiderantur, sic non omnes actus virtuosi sunt de lege naturæ. Multa enim secundùm virtutem fiunt, ad quę natura non primò inclinat, sed per rationis inquisitionem ea homines adinuenerunt, quasi utilia ad benè viuendum. *Sanè lex hæc natura à corde hominis deleri nullatenus potest: in quo tamen est cum distinctione procedendum. Nam* ad legem B naturalem pertinent primò quidem quædam præcepta communissima,

V 1.2. 93. 1. c. In. 4. d. 33. 1. 1. & 3. con. G. cap. 115.
Quid lex æterna.
X ibid. a. 3. c. & q. 91. 2. c.
Omnes leges inferiorum gubernantium ab æterna deriuantur.
Lex naturalis participatio quædam est legis æternæ.
Y 1. 2. 91. 2. c. 93. 5. c. 96. 2. ad 3. 97. 1. ad 1. in 4. d. 33. 1: 3. q. 1. ad 4.
Quid naturalis lex.
Z 1. 2. 19. 4. ad 3.
An omnes virtuosi actus ad legem naturæ spectent.
A 1. 2, 94. 3. c. In 4. d. 33. 1. 3. q. 1. ad. 4.
Num lex naturæ ab humano corde possit deleri.
B 1. 2. 94. 6. c. & 99. 2. ad 2.

sima, quæ sunt omnibus nota: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs. Quantùm ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in uniuersali: deletur tamen in particulari operabili, secundùm quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantùm verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, eo modo quo etiam in speculatiuis errores contingunt circa conclusiones necessarias, vel etiam propter prauas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam viria contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad *Rom.* 1. *& ideò nulla admittenda contra natura legem, ignorantiæ excusatio.* Lex enim naturæ C nihil aliud est (*ut præmisimus*) nisi lumen intellectus insitum nobis à Deo, per quod cognoscimus quid agendum, & quid vitandum. Hoc lumen, & hanc legem dedit Deus homini in creatione. Sed multi credunt excusari per ignorantiam, si hanc legem non obseruant, Ps. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quasi ignorent quid sit operandum. Sed ipse ibidem respondet: *Signatum est super nos lumen uultus tui, Domine:* lumen scilicet intellectus, per quod nota sunt nobis agenda. Nullus enim ignorat, quòd illud, quod nollet sibi fieri, non faciat alteri: & cætera talia. *Idcirò nulla ualet homini in hoc excusatio. Num verò legis naturæ præcepta dispensabilia sint: Vide V.* decalogus *Tomo* 2.

Contra legem naturæ nulla admittenda ignorantiæ excusatio.

C *Op.* 4. 5. 1. & 2. *inis.*

c *Tertiò statuitur humana lex, ex ipsa utique lege naturæ derivata. Nam* in rebus D humanis dicitur esse aliquid iustum ex eo quòd est rectum secundùm regulam rationis. Rationis autem prima regula est lex naturæ: vnde omnis lex, humanitus posita, in tantùm habet de ratione legis, in quantùm à lege naturæ derivatur. Si verò in aliquo à lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio. *Et quidem,* sicut E in ratione speculatiua ex principijs indemonstrabilibus naturaliter cognitis producuntur conclusiones diuersarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inuenta: Ita etiam ex præceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principijs communibus, & indemonstrabilibus, necesse est, quòd ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda. Et istæ particulares dispositiones adinuentæ secundùm rationem humanam, dicuntur leges humanæ, obseruatis alijs conditionibus, quæ pertinent ad rationem legis. Vnde *Tullius* dicit *in sua Rhet.* Initium iuris est à natura profectū: deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt: postea res à natura profectas, & à consuetudine probatas legum metus, & Religio sanxit. *Porrò humana utilitas legis ex eo patefit, quòd* homini F naturaliter inest quædam aptitudo ad virtutem (*ut visum est*) sed ipsa virtutis perfectio, necesse est, quòd homini adueniat per aliquam disciplinam. Ad hanc autem disciplinam non de facili inuenitur homo sibi sufficiens: quia perfectio virtutis præcipuè consistit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas præcipuè homines sunt proni, & maximè iuuenes, circa quos est efficacior disciplina: & ideo oportet, quòd huismodi disciplinam, per quam ad virtutem perueniatur, homines ab alio sortiantur. Et quidem quantùm ad illos iuuenes, qui sunt proni ad actus uirtutū ex bona dispositione naturæ, vel consuetudine, vel magis diuino munere, sufficit disciplina paterna, quæ est per monitiones. Sed quia inveniuntur quidam proterui, & ad vitia proni, qui verbis de facili moueri non possunt, necessarium fuit quòd per vim, & metum cohiberentur á malo: ut saltem sic malefacere desistentes, & alijs quietam vitam redderent, & ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quòd voluntariè facerent quæ priùs metu implebant: & sic fierent virtuosi. Huiusmodi autem disciplina cogens metu pœnæ, est disciplina legis. Vnde necessarium fuit ad pacem hominum & virtutem, quòd leges ponerentur: quia sicut Pilosophus dicit *in* 1. *Polit.* sicut homo, si sit perfectus uirtute, est optimum animalium: sic, si sit separatus à lege, & iustitia, est pessimum omnium: quia homo habet arma rationis ad explendas concupiscentias, & sæuitias, quæ non habent alia animalia. *Et quamuis videatur idem præstari posse per iudicum arbitrium:* melius *tamen* est G omnia ordinari lege. Et hoc propter tria. Primò quidem, quia facilius est inuenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, quàm multos qui requirerentur ad rectè iudicandum de singulis. *Secundò* quia illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant quid lege ferendum sit: sed iudicia de singularibus factis fiunt ex casibus subitò exortis. Faciliùs autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quàm solùm ex aliquo uno facto. *Tertiò* quia legislatores iudicant in uniuersali de futuris: sed homines iudicijs præsidentes iudicant de præsentibus, ad quæ afficiuntur amore vel odio, aut aliqua cupiditate: & sic eorum deprauatur iudicium. Quia ergo iustitia animata iudicis non invenitur in multis, & quia flexibilis est: ideo necessarium fuit, in quibuscunque est possibile, lege determinare quid iudicandum sit, & paucissima arbitrio hominum committere. *Non omnium autem est legem condere. Etenim* lex propriè H primò, & principaliter respicit ordinem ad bonum commune. Ordinare autem aliquid in bonum commune, est vel totius multitudinis, vel alicuius gerētis vicem totius multitudinis. Et ideò condere legem (eiusdem autem authoritatis est I legem interpretari, & legem condere) vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet: quia & in omnibus alijs ordinare in finem est eius, cuius est proprius ille finis. *Num verò omnes legi subiiciantur: sciendum quòd* dupliciter L aliquis homo potest esse legi subiectus. *Vno modo* sicut regulatum regulæ: & hoc modo omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas [*Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. *Vbi Author:* Potestates *inquit* sublimiores M hic dicuntur homines in potestatibus constituti, quibus secundùm iustitię ordinem subiici debemus. Non N videtur autem esse subditus potestati qui non subiicitur legi, quā fert potestas.) Quòd autem aliquis potestati non subdatur, potest contingere dupliciter. *Vno modo*, quia est simpliciter absolutus ab eius subiectione: unde illi, qui sunt de una ciuitate, vel regno, non subduntur legibus Principis alterius ciuitatis, vel regni, sicut nec eius domino. *Alio modo* secundùm quod regitur superiori lege: puta, si aliquis subiectus sit Proconsuli, regulari debet eius mandato; non tamen in his, quæ dispensantur ei ab Imperatore: quantùm enim ad illa non adstringitur mandato inferioris, cum superiori mandato dirigatur. Et secundùm hoc contingit, quòd aliquis simpliciter subiectus legi, secundùm aliqua legi non adstringitur, secundùm quod regitur superiori lege. *Alio* verò *modo* dicitur aliquis subiectus legi, sicut coactū cogenti: & hoc modo homines virtuosi, & iusti, non subduntur legi, sed soli mali. Quod enim est coactum, & violentum, est contrarium voluntati. Voluntas autem bonorum consonat legi, à qua malorum voluntas discordat. Et ideò secundū hoc boni non sunt sub lege, sed solùm mali (*de quo fusius vide V.* Iustus.]

d *Porrò nec ipse legislator, siue Princeps, à legis eximitur obseruantia.* Nam Princeps O dicitur

Lex humana ex lege deriuatur naturæ.

D. 1. 2. 95. 2. c.

E 1. 2. 91. 3. c.

Quid humana lex.

Illius utilitas.

F. 1. 2. 95. 1. c. In 3. d. 40. 1. 2. c.

Homo pronus ad delectationem, præsertim iuuenis.

Homo exlex pessimum animalium.

Melius ordinantur omnia lege, quàm iudicum arbitrio propter tria.

G 1. 2. l. c. ad 2. et 96. 1.

Cuius sit legem condere.

H 1. 2. 90. 3. c. & ad 2. & 97. 3. ad 3. 98. 3. ad 3. & 2. 2. 50. 1. ad 3. 57. 2. c. 60. 6. c. 64. 3 c. 67. 1. c.

Lex ad bonum commune ordinatur.

Eius est interpretari legem, cuius est condere.

I 2. 2. 60. 6. c. & q. 120. 1. ad 3.

Num omnes legi subiiciantur.

L 1. 2. 96. 5. c.

M. Rom. 13. l. 1. ibi.

N 1. 2. 96. 5. in sed contra.

Potestati non subiici dupliciter contingit.

Princeps ipse à lege quam tulit plenè non eximitur.

O Ibid. ad 3.

citur esse solutus à lege quantùm ad vim coactiuam legis; nullus enim propriè cogitur à se ipso: lex autem non habet vim coactiuam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur dicitur Princeps esse solutus à lege, quia nullus in illum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde super illud Ps. 50. *Tibi soli peccaui &c.* dicit glossa quòd *Rex non habet hominem, qui sua facta diiudicet*. Sed quantùm ad vim directiuam legis, Princeps subditur legi propria voluntate, secundùm quòd dicitur *extra de Constitut. cap.* Cum omnes, quòd *quisquis ius in alterum statuit, ipse eodem iure uti debet*. Et Sapientis dicit authoritas: *Patere legem, quam ipse tuleris*. Improperatur etiam his à Domino, *qui dicunt, & non faciunt: & qui alliis onera grauia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea mouere*, vt dicitur Matth. 23. Vnde quantùm ad Dei iudicium, Princeps non est solutus à lege quantùm ad vim directiuam eius: sed debet voluntarius, non coactus, legem implere. Est etiam Princeps supra legem, in quantùm (si expediens fuerit) potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco, & tempore. *Potest inquam Princeps legem mutare: tum quia* lex P est quoddam dictamen practicæ rationis in Principe: ratio *autem* practica Q est circa operabilia, quæ sunt singularia, & contingentia; non autem circa necessaria, sicut ratio speculatiua. Etideò leges humanæ non possunt illam infallibilitatem habere quam habent conclusiones demonstratiuæ scientiarum. *Tum quia* propter incertitudinem R humani iudicij contingit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia, ex quibus etiam diuersæ, & contrariæ leges procedunt. *Igitur cum lex, vel iniusta, vel inutilis, vel noxia dignoscitur, mutari potest, & debet. Nihilominus* nunquam S habet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. Quod quidem contingit vel ex hoc, quòd aliqua maxima, & euidentissima vtilitas ex nouo statuto prouenit: vel ex eo quòd est maxima necessitas: vel ex eo quòd lex consueta aut manifestam iniquitatē continet, aut eius obseruatio est plurimùm nociua. Vnde dicitur à Iurisperito, quòd in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas, vt rectè recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est. *Ex quo, qualis debeat esse positiua lex, innotescit. Id quod docet* Isidorus *l. 5. Etymol. cum ait*: Erit lex T honesta, iusta, possibilis secundùm naturam, secundùm consuetudinem Patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate scripta. *Sed*, si scriptura V legis contineat aliquid contra ius naturale, iniusta est, nec habet uim obligandi: ibi enim ius positiuum locum habet, ubi quantùm ad ius naturale nihil differt, vtrùm sic vel aliter fiat. Et ideò nec tales scripturæ, leges dicuntur, sed potiùs legis corruptiones. *Neque enim lex est quæ iusta non est*. Non videtur X esse lex (*ait Augustinus*) quæ iusta non fuerit: unde in quantùm habet de iustitia, in tantum habet de virtute legis. Profectò uoluntas Y Principis, licèt habeat vim legis in cogendo ex hoc ipso quod voluntas est: non tamen habeat rationem iustitiæ, nisi ex hoc quòd utitur ratione.

Verùm humana lex non omnia vetat vitia, nec omnia punit. Et ratio adducitur. Quia lex Z ponitur ut quædam regula, vel mensura humanorum actuum. Mensura autem debet esse homogenea mensurato, ut dicitur *in x Metaph.* diuersa enim diuersis mensurantur. Vnde oportet, quòd etiam leges imponantur hominibus secundùm eorum conditionem: quia vt *Isidorus* dicit: *lex debet esse possibilis, & secundùm naturam, & secundùm consuetudinem Patriæ*. Potestas autem, siue facultas operandi, ex interiori habitu, seu dispositione procedit: non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum uirtutis, & virtuoso: sicut etiam non est idem possibile puero, & viro perfecto; & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis: multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur. Et similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis. Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideò lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent: sed solùm grauiora, à quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere, & præcipuè quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conseruari non posset: sicut prohibentur lege humana homicidia, & furta, & huiusmodi: *non omnia, & quæcumque vitia. Sic pariter* nec A de omnibus actibus omnium virtutum lex humana præcipit, sed solùm de illis, qui ordinabiles sunt ad bonum commune vel immediatè, sicut aliqua directè propter bonum commune fiunt: vel mediatè, sicut cum aliqua ordinantur à legislatore pertinentia ad bonam disciplinam, per quam ciues informantur, ut commune bonum iustitiæ, & pacis conseruent. *Et quamuis lex & legislator omnis intendat homines ad virtutem inducere*: non tamen B subitò, sed gradatim. Et ideo lex humana non statim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ sunt iam virtuosorum, vt scilicet ab omnibus malis abstineant: alioquin imperfecti, huiusmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent, sicut dicitur Prov. 30. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*. Et Matth. 9. *Neque mittunt uinum nouum*, idest præcepta perfectæ vitæ, *in utres veteres*, idest in homines imperfectos: *alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur*; idest præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad peiora mala prorumpunt. *Et hinc docemur quòd* sapientis C legislatoris est minores transgressiones permittere, ut maiores caueantur. *Verùm* lex D humana dicitur aliqua permittere, non quasi ea approbans, sed quasi ea dirigere non potens. Multa autem diriguntur lege diuina, quæ dirigi non possunt lege humana: plura enim subduntur causæ superiori, quàm inferiori. *Cæterùm & in foro conscientia obligant humanæ leges: nam, & hæ deriuatiuè à Deo sunt, vt præ actum est*, *Rom.* 13. Non est enim potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. *Vbi Author*: Quicquid enim E communiter de Deo, & creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur. *Vnde* Prov. 8. *ex ore æternæ Sapientiæ dicitur*: Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. *Et quidem* leges F humanitus positæ, vel sunt iustæ, vel iniustæ. Si quidem iustæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna à qua deriuantur. Dicuntur autem leges iustæ, & ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune: & ex actore, quando scilicèt lex lata non excedit potestatem ferentis: & ex forma, quando scilicet secundùm æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est, & quod habet, est multitudinis: sicut & quælibet pars, id quod est, est totius; vnde & natura aliquod detrimentum infert parti, vt saluet totum. Est secundùm hoc leges, huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustæ sunt, & obligant in foro conscientiæ, & sunt leges legales. Iniustæ autem sunt leges dupliciter. *Vno modo* per contrarietatem ad bonum humanum è contrario prædictis. Vel ex fine: sicut cum aliquis præsidens leges

Tenetur & ipse, quoad vim directiuam, legi subiici.

Potest Princeps legem mutare, cum sit supra legem.

P 1.2.91.3. *init.* c. & 92. 1. c. & 97.1.c. Op.4.§ 2.

Q 1.2.91.3. ad 2.

Ratio mutabilitatis.

R *ibid.* a. 4. c. & 2.2.60.5. ad 2.

S 1.2.97. 2. c.

Quandonam mutanda.

T 1. 2. 95. 3. arg. 1. & c. q. 90. 2. c.

Qualis debeat esse positiua lex.

V 2.2.60.5. ad 1.

Lex non est, quę iusta non est.

X 1.2.95.2. *init.* c. 93. 3. ad 2. 96. 4 c.

Y Ver 23.5. ad 1.

Cur humana lex non omnia vetat vitia

Z 1. 2. 96. 2. c. & a. 3. ad 1. 98. 1. c. & 2. 2. 77. 1. ad 1. 78 1. ad 3. Quol. 2 a. 10. ad 1. & 2. lob. 11. l. 1.

Nec de omnibus præcipit actibus virtutum.

A 1. 2. 96. 3. c. & 100. 2. c. & locis cit.

B 1. 2. 96. 2. ad 2.

C 1. 2. 101. 3. ad 2.

Quædam licitè permittit humana lex, non tamen approbat.

D 1. 2. 93 3. ad 3. Ma. 13. 4. ad 6. Ps. 18. lit. e.

E Rom. 13. l. 1. ibi.

An obliget & in foro conscientiæ.

F 1. 2. 96. 4. c. & ad 1. & 2. 2. 60. 5. ad 2.

Ex multiplici capite lex iusta est.

Sicuti & iniusta.

leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad vtilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam. Vel etiam ex actore, sicut cum aliquis legem fert vltra sibi commissam potestatem. Vel etiam ex forma: putà, cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et huiusmodi magis sunt violentiæ, quàm leges; vnde non obligant in foro conscientiæ, nisi fortè propter scandalum, vel turbationem: propter quod etiam homo iuri suo debet cedere secundùm illud: *Quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo: & qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, vt dicitur Matth. 5. *Alio modo* leges possunt esse iniustæ per contrarietatem ad bonum diuinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud, quod sit contra legem diuinam: (*qualis fuit lex Regis Antiochi, de quo dicitur 1. Mach. 1.* Misit Rex libros per manus nunciorum in Ierusalem, & in omnes ciuitates Iuda, ut sequerentur leges gentium terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei &c.) Et tales leges nullo modo licet obseruare: quia sicut dicitur Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Non *tamen* omnia, G quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti: sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam: *non ad mortalem culpam*.

G 2.2. 186. 9. ad 2.

Consuetudo potest & uim legis obtinere, & legem abolere, & est legum interpretatrix.

H 1.2. 97. 3. c. & 2.2. 79. 2. ad 2. Quol. 2. a. 8. c.

§ *Sed & consuetudo ulteriùs uim obtinet legis*. Manifestum H est *enim*, quòd verbo humano potest & mutari lex, & etiam exponi, in quantùm manifestat interiorem motum, & conceptum rationis humanæ: unde etiam & per actus, maximè multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex & exponi & etiam aliquid causari, quod legis virtutem obtineat, in quantùm scilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficacissimè declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio prouenire. Et secundùm hoc consuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix. *Et quidem*, si sit I libera multitudo, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid obseruandum, quod consuetudo manifestat, quàm authoritas Principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantùm gerit personam multitudinis. Vnde, licèt singulæ personæ non possint condere legem, totus tamen populus condere legem potest. Si verò multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legē à superiori potestate positā remouendi, tamen ipsa cōsuetudo, in tali multitudine præualēs, obtinet vim legis in quantùm per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legē imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit. *Verùm*, si adhuc L manet ratio eadē propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem uincit. Nisi fortè propter hoc solum inutilis lex videatur, quia non est possibilis secundùm consuetudinem Patriæ, quæ est una de conditionibus legis. Difficile enim est consuetudinem multitudinis remouere. *Vnde concludit Augustinus*: Mos M populi Dei, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda: & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita & contemptores consuetudinum, *præsertim* Ecclesiasticarum, coercendi sunt. *Siquidem* maximam N habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda: quia & ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet. Vnde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati vel *Augustini* vel *Hieronymi*, vel cuiuscunque Doctoris. *Atqui* nulla O consuetudo vim legis obtinere potest contra legem diuinam, vel legem

I 1.2. l. c. ad 3.

Quandonam lex consuetudinem vincat.

L ibid. ad 2.

M ibid. in sed contra & 2. 2. 79. 2. ad 2.

N 2. 2. 10. 12. init. c. Quol. 2. a. 7. c.

Standum magis consuetudini Ecclesiæ, quàm authoritati SS. Doctorum.

Nulla consuetudo vim legis obtinet contra legem diuinam vel naturalem.

naturalem. Dicit enim *Isidorus in synonimis*: Vsus authoritati cedat: prauum usum lex, & ratio uincat. *Vnde & docemur, quòd* consuetudo P honesta habet vim præcepti; *non qua irrationabilis, & diuinæ legi contraria: qualis (meo iudicio) est potestas in mulieribus integra donudatio. Sed & in legibus locum habet dispensatio, quæ ad Rectores multitudinis spectat*. Dispensatio *verò* est Q communis iuris relaxatio, *secundùm iurisperitos*. Contingit autem R quandoque, quòd aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus non est conueniens huic personæ, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiā induceretur aliquod malum. Periculosum autē esset, ut hoc, iudicio cuiuslibet committeretur, nisi fortè propter euidens, & subitum periculum. Et ideò ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quę suę authoritati innititur, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licētiā tribuat, vt pręceptum legis non seruetur. (*Hinc & ipsū ius diuinum, quia supponit legem naturalem, urgente graui necessitate interpretatur dispensabile, & non obligans. Ita* discipuli Domini S qui esurientes, spicas sabbato vellebāt *Matth. 12.* excusabantur propter necessitatem famis. Sicut & David non fuit transgressor legis, quando propter famis necessitatem comedit panes propositionis, quos ei edere non licebat.) Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Quando *enim* cum aliquo T dispensatur, ut legem communem non seruet, non debet fieri in præiudicium boni communis, sed ea intentione, vt ad bonum commune proficiat: *aliàs qui dispensat, legis potius dissipator erit, quàm dispensator. Quòd si quæras: an ut lex obliget, exigatur præter promulgationem & subditorum acceptatio? Si canonistas consulas, affirmatiuè videtur respondere. Si Theologos, negant hi communiùs, acceptationem requiri, & præsertim in Pontificiis diplomatibus: Pontifex enim non accepit à populo potestatem, sed à Christo Domino. Vide apud utrosque. Nihilominus, occasione cuiusdam argumenti, quòd intentio legislatoris, ex 2. Ethic. est, ut inducat hominem ad virtutem: quilibet autem homo potest adhoc inducere. Respondet author*, quòd persona V priuata non potest inducere efficaciter ad virtutem, potest enim solùm mouere: sed si sua motio non recipiatur, non habet vim coactiuam, quam debet habere lex adhoc quòd efficaciter inducat ad virtutem. *Ex quo videtur deduci, quòd lex legitimè promulgata siue à populo acceptetur, siue non habet de sua natura uim coactiuam, consequenter obligatoriam. Postremò humana lex multiplicis capax est diuisionis*. Sunt *enim* multa X de ratione legis humanæ, secundùm quorum quodlibet, humana lex propriè, & per se diuidi potest. Est enim *Primò* de ratione legis humanæ, quòd sit deriuata à lege naturæ. Et secundùm hoc diuiditur ius positiuum in *ius gentium, & ius ciuile*, secundùm duos modos quibus aliquid deriuatur à lege naturæ. Nam ad ius gentium pertinent ea, quæ deriuantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis, ut iustæ emptiones, venditiones, & alia huiusmodi, sine quibus homines ad inuicem conuiuere non possunt, quod est de lege naturæ: quia homo est naturaliter animal sociale, ut probatur *in 1. Polit.* Quæ verò deriuantur à lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad ius ciuile, secundùm quod quælibet ciuitas aliquid sibi accomodè determinat.

Secundò est de ratione legis humanæ, quòd ordi-

ne-

O 1.2. 97. 3. ad 1. Gen. 16. ibi. vtere ea. & 2.2. 100. 2. c.

P 2. 2. 79. 2. ad 2.

In legibus locū habet & dispensatio.

Dispensatio quid.

Q 4. d. 44. 1. 3. q. 4. ad 1.

R 1. 2. 97. 4. c. & 100. 8. c. & 2. 2. 89. 10. in 4. d. 33. 1. 2. c.

Non dispensandum nisi ex causa iusta.

S 3. p. 44. 4. ad 3.

T 1.2. 97. 4. ad 1.

An, ut lex obliget, exigatur præter promulgationem acceptatio.

V 1. 2. 90. 3. ad 2.

X 1. 2. 95. 4. c.

Legis humanæ multiplex diuisio.

Ius gentium, & ius ciuile.

Sacerdotes, Principes, milites.

netur ad bonum commune ciuitatis. Et secundùm hoc lex humana diuidi potest secundùm diuersitatem eorum, qui specialiter dant operam ad bonum commune: sicut sacerdotes pro populo Deum orantes, Principes populum gubernantes, & milites pro salute populi pugnantes. Et ideò istis hominibus specialia quædam iura adaptantur.

Regnum quid.

Aristocratia.

Oligarchia.

Democratia.

Tyrannis.

Tertiò est de ratione legis humanæ, ut instituatur à gubernante communitatem ciuitatis. Et secundùm hoc distinguuntur leges humanæ secundùm diuersa regimina ciuitatum: quorum unum secundum Philosophum *in 3. Polit.* est *Regnum*, quando scilicet Ciuitas gubernatur ab uno: & secundùm hoc accipiuntur constitutiones Principum. Aliud vero regimen est *Aristocratia*, idest principatus Optimorum, vel Optimatum: & secundùm hoc sumuntur responsa prudentum, & etiam senatus consulta. Aliud regimen est *Oligarchia*, idest principatus paucorum diuitum, & potentum: & secundùm hoc sumitur ius Prætorium; quod etiam honorarium dicitur. Aliud autem regimen est populi, quod nominatur *Democratia*: & secundùm hoc sumuntur plebiscita. Aliud autem est *Tyrannicum*, quod est omninò corruptum; unde ex hoc non sumitur aliqua lex. Est etiam aliquod regimen ex istis commistum, quod est optimum: & secundùm hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerunt, ut *Isidorus* dicit.

Leges aliæ ex materia circa quam dantur.

Quartò de ratione legis humanæ est, quòd sit directiua humanorum actuum: & secundùm hoc, secundùm diuersa, de quibus leges feruntur, distinguuntur leges, quæ interdum ab actoribus nominantur: sicut distinguitur *lex Iulia de adulteriis*, & *lex Cornelia de sicariis*, & sic de aliis; non propter actores, sed propter res, de quibus sunt.

Præter leges præmissas necessaria est lex diuina propter quatuor.

Y 1.2. 91. 4. c. & 1. p. q. 1. 1. c. & 3. p. 60. 5. ad 3. in 3. d. 37. 1. 1. c. Ps. 18. lit. e.

g *Sed & præter humanam legem, & præfatas, statuenda est, seu plurimùm necessaria, lex diuina. Et hæc quidem propter quatuor.* Primò Y quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad vltimum finem: & quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ; ideò necessarium fuit vt supra legem naturalem, & humanam dirigeretur etiam ad suum finem, lege diuinitùs data. *Secundò*, quia propter incertitudinem humani iudicij, præcipuè de rebus contingentibus, & particularibus, contingit de actibus humanis diuersorum esse diuersa iudicia, ex quibus etiam diuersæ, & contrariæ leges procedunt. Vt ergo homo absque dubitatione scire possit, quid ei sit agendum, & quid vitandum, necessarium fuit, vt in actibus proprijs dirigeretur per legem diuinitus datam, de qua constat, quòd non potest errare. *Tertiò* quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utrisque actibus, homo rectus existat. Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quòd ad hoc superueniret lex diuina. *Quartò*, quia sicut *Augustinus* dicit in 1. de lib. arb. *lex humana non potest omnia, quæ malè fiunt, punire, vel prohibere: quia dum auferre uellet omnia mala, sequeretur, quòd etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis*: quod est necessarium ad conuersationem humanã. Vt ergo nullum malum improhibitum & impunitum remaneat, necessarium fuit superuenire legem diuinam, per quam omnia peccata prohibentur. Et istæ quatuor causæ tanguntur in *Ps.* 18. ubi dicitur: *lex Domini immaculata*; idest, nullam peccati turpitudinem permittens: *conuertens animas*, quia non solùm exteriores actus, sed etiam interiores dirigit: *testimonium Domini fidele*, propter certitudinem veritatis, & rectitudinis: *sapientiam* *præstans paruulis*, in quantùm ordinat hominem ad supernaturalem finem, & diuinum. *Neque superfluere diuina credatur lex ex eo quòd per naturalem legem participatur (ut vidimus) lex æterna.* Nã participatur Z lex æterna secundùm proportionem capacitatis humanæ naturæ: sed oportet, ut altiori modo dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem. Et ideò superadditur lex diuinitus data, per quam lex æterna participatur altiori modo. *Sanè sicut gratia* A præsupponit naturam: ita oportet, quòd lex divina præsupponat legem naturalem. *Vnde &* lex B scripta data est in auxilium legis naturæ, quæ erat obtenebrata per peccatum. Sicut autem intentio C principalis legis humanæ est, ut faciat amicitiam hominum ad inuicem: ita intentio diuinæ legis est, vt constituat principaliter amicitiam hominis ad Deum. *Vnde Apostolus 1. ad Tim. 1.* Finis præcepti est charitas &c. *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: Ad hoc D omnis lex intendit, ut amicitiam constituat, vel hominum ad inuicem vel hominis ad Deum. *Et quidem* legis E humanæ finis est temporalis tranquillitas ciuitatis: finis autem legis diuinæ est perducere hominem ad finem felicitatis æternæ. *Et alibi*: Lex F humana ordinatur ad communitatem ciuilem, quæ est hominum ad inuicem (*& hinc est, quòd quia* ex Tullio *Populus* G *est coetus multitudinis, iuris consensu, & utilitatis communione sociatus*: ad rationem populi pertinet, ut communicatio hominum ad inuicem iustis præceptis legis ordinetur) sed communitas, ad quam ordinat lex diuina, est hominum ad Deum, vel in præsenti, vel in futura uita. *Quamuis autem diuina lex ea hominibus tradat, quæ naturalis ratio dictat; conuenienter tamen fuerunt hæc scripto tradenda propter quatuor.* Primò H quia per contrariam consuetudinem, qua multi in peccata præcipitabantur, iam apud multos ratio naturalis, in qua scripta erant, obtenebrata erat. *Secundò*, quia etsi in aliquibus vigebat ratio, tamen amor boni in eis deficiebat; unde per quandam coactionem legis obligatoriæ, ad bonum inducendi erant. *Tertiò*, ut ad opera virtutis non solùm natura inclinaret, sed etiam reuerentia diuini imperii. *Quartò* ut magis memoria tenerentur, & frequentiùs in cogitatione uersarentur.

h *At verò diuina lex sine gratia non seruatur. Vnde & Psaltes Ps. 118. dicebat*: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, *scilicet*, per donum I gratiæ, & charitatis. *Verumtamen sciendum, quòd* implere L mandata legis contingit dupliciter. *Vno modo* quantùm ad substantiam operum, prout scilicèt homo operatur iusta & fortia, & alia uirtutis opera. Et hoc modo homo in statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere: alioquin homo non potuisset in statu illo non peccare, cum nihil aliud sit peccare, quàm transgredi diuina mãdata. Sed in statu naturæ corruptę non potest homo implere omnia mandata diuina sine gratia sanante. *Alio modo* possunt impleri mandata legis non solùm quantùm ad substantiã operis, sed etiam quantùm ad modum agendi, ut scilicèt ex charitate fiant: & sic neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest homo implere absque gratia legis mandata. Vnde *Augustinus in lib. de correptione, & gratia*, cum dixisset, quòd sine gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, subdit: *Non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit, sciant: uerùm etiam, ut præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt.* Indigent Insuper in utroque statu auxilio Dei mouentis ad mandata implenda. *Et alibi, ad illud 1. Tim. 1.* Finis præcepti est charitas &c. *docemur, quòd* ad hoc M data sunt præcepta legis, ut homines in dilectione Dei, & proximi instituantur. Est ergo intentio legislatoris non tantùm ut hæc opera fiant, sed ut ex charitate fiant. *Nec obest, quòd*

Nec superfluit præter æternam, quæ pernaturalem legem participatur.

Z 1.2. l. c. ad 1.

Lex diuina legẽ præsupponit naturalem.

A 1.2. 99. 2. ad 1.

B Vir. 2. 7. ad 1. & 1. 2. 98. 6. c. & 3. con. G. capi. 117. n. 5.

Data est in auxilium legis naturæ.

C 1.2. 99. 2. & 3. c. & 3. con. G. cap. 114, & 1. Tim. 1. l. 2. ibi, finis.

Finis diuinæ legis est charitas, hoc est amicitia hominis ad Deum: sicut humanæ est amicitia hominum ad inuicem.

D 1.2. l. c. a. 1. ad 2.

E 1.2. 98. 1. c.

F 1.2. 100. 2. & 5. c. In 3. d. 37. 1. 2. q. 3. c. Ps. 18. lit. e.

Populi definitio.

G 1.2. 105. 2. init. c.

H 3. d. 37. 1. 1. c.

Lex diuina, cum dictet rationi cõsona, cur scripta sit.

An diuinæ legis præcepta possint sine gratia seruari.

I 1.2.98. 1. ad 3.

L 1.2.109. 4. c. Ver. 24. 14. In 2. d. 28. 1. 3. c.

Dupliciter possunt diuina mãdata impleri.

M In 2. l. c. & d. 41. exp. tex.

Error Pelagianorum.

N Rom. 2. l. 3. ibi, & 1. 2. 109. 4. ad 1.

quòd Rom. 2. *dicat Apostolus*: Gentes quæ legem non habēt, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. *Etenim, quia* quod N dicit, *naturaliter*, videtur patrocinari Pelagianis, qui dicebant, quòd homo per sua naturalia poterat omnia præcepta legis seruare: exponendum est, *naturaliter*, idest per naturam gratia reformatam. Loquitur enim de Gentibus ad fidem conuersis, quæ auxilio gratiæ Christi cœperant moralia legis seruare. Vel potest dici, *naturaliter*, idest per legem naturalem ostendentem eis, quid sit agendũ: quod est lumen rationis naturalis, in qua est imago Dei. Et tamen non excluditur, quin necessaria sit gratia ad mouendum affectum: sicut etiam per legem est cognitio peccati; & tamen ulteriùs requiritur gratia ad mouendum affectum. *Cæterum* quicumque [*Iac.* 2.] totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Quicumque seruauerit*, idest O seruare in animo suo proposuerit, *offendat autem in uno*, idest in præcepto charitatis, quod est vinculum omnium præceptorum (immò & finis uniuscuiusque ut visum est.) Vel *in uno* idest in quolibet præcepto. Vel *in uno*, idest in vna virtute: quia uirtutes connexæ sunt: & qui peccat contra charitatem, peccat contra omnes virtutes, sicut qui offendit aliquem, ex consequenti omnes amicos eius: *factus est omnium reus*, omnium scilicet præceptorum, quia illa sibi inutilia reddit. Vel *omnium* peccatorum: quia pro uno, ac si pro omnibus, peribit, *Eccle.* 9. Qui in uno peccauerit, multa bona perdet. Qui verò ex amore legem Dei seruat, non est sub lege, quasi à lege coactus, *Rom.* 6. Non enim sub lege estis, sed sub gratia: (*de quo fusè* V. Iustus.) Dicitur *enim* aliquis P esse sub lege dupliciter. *Vno modo* quasi legis obseruantiæ voluntariè subiectus. *Alio modo* quasi à lege coactus: & sic dicitur esse sub lege qui non voluntariè ex amore, sed timore cogitur legem obseruare. *Quidam verè sunt qui diuina apices legis diligenter seruant, at grauiora non curant, more Pharisæorum, qui* in paruis Q diligentes erant ad seruandam legem: sed in magnis contempserunt: *quod hypocritarum proprium est, Matth.* 23. Væ vobis, scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis: *cum tamen utrumque faciendum sit*: hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Cuius occasione, ad legis doctorum quorundam confusionem maiorem, super illud Deut.* 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius: *docemur, quòd hæc uerba de cognitione legis interpretantes Pharisæi*, malè R intelligebant: quia etiam illi qui non habent scientiam legis, & opera legis faciunt, magis permanent in lege, quam habentes legis scientiam, & non seruantes eam. *Et ideò subditur ibi*: nec eos opere perficit, *iuxta illud Iac.* 5. Estote factores verbi. *Ex quo Aug. illud gemebundus protulit*: Surgunt indocti, & Cælum rapiunt: & nos in doctrinis nostris sine corde ecce ubi volutamur in carne, & sanguine. *Custodiam igitur, & obseruantiam magis exigit Dominus legis suæ. Vnde Ps.* 118. *dicebat Regius propheta*: Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. *Nec sine mercedis fructu, Eccli.* 2. Quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? *&* Prou. 7. Fili serua mandata mea, & viues: & legem meam quasi pupillam oculi tui: liga eam in digitis tuis: scribe illam in tabulis cordis tui. *Et Deut.* 6. Ligabis ea quasi signum in manu tua, erunt que, & mouebuntur inter oculos tuos: *quod quidem non eo sensu intelligendum, quo* Pharisæi S malè interpretabantur, scribentes in membranis Decalogum Moysi, & ligabant in fronte quasi coronam, ut ante oculos moueretur: cum tamen intentio Domini mandantis fuerit, ut signaretur *in manu*, idest in operatione, & essent *ante oculos*, idest in meditatione. *Vnde Ps.* 118. *cit.* In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Lex tua meditatio

Exponitur illud: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

O *Iac.* 2. §. 4.

Dupliciter quis dicitur esse sub lege.

P *Rom.* 6. *l.* 3. *ibi.*

Q *Io.* 19. *l.* 5. *lit. d.*

Diuinæ legis præcepta diligēter custodienda & quo sensu.

R *Io.* 7. *l.* 5. *lit. f. fi.*

Nec sine copiosa mercede.

S 1. 2. 102. 6. *ad* 7.

mea est. Meditabor in iustificationibus tuis. *Et iterum*: Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi: *quod enim diligimus, assiduè meditamur*: Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. *Profectò ex diuinorum custodia mandatorum qualis eueniat seruantibus prouentus, docet idem Psaltes* Ps. 18. *cum ait*: In custodiendis illis retributio multa. Vbi nota, quòd non T dicit *pro custodia*, sed *in custodiendis illis*, quia ipsa custodia eorum est magna retributio, scilicet gloria cordis, & munditia 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Qui & eod. Ps.* 118. *dicebat*: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. *Quod & satis manifestat* 2. Mach. 2. *pius ille diuinæ Zelator legis* Mathathias, *cum filiis suis iam iam moriturus expressit*: Nunc ergo, ò filii, æmulatores estote legis, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. *Abraham* nonne in tentatione inuentus est fidelis: & reputatum est ei ad iustitiam? *Ioseph* in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum: & factus est Dominus Ægypti. *Phinees* pater noster zelando Zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. *Iesus*, dum impleuit uerbum, factus est dux in Israel: *cum iis, qua sequuntur. Et Author, ad hæc coherenter, docet, quòd* communis V status Populi semper sub lege in prosperitate fuit, quando legem obseruabant: & statim declinantes à præceptis legis diuinæ, in multas aduersitates incidebant, *iuxta illud Ps.* 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. *Et Eccli.* 41. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini Altissimi: Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: Et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. *Et Ier.* 32. Non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia, quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt. *Quid exinde?* & euenerunt eis omnia mala hęc. *Quod quidem experientia satis notum: nam propter peccata veniunt aduersa.* Nihil autem est X peccare, *ut præmisimus*, quàm transgredi diuina mandata. *Sed & ipsa diuina lex suos in extremo die iudicabit transgressores, Io.* 12. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. *Quasi dicat*: Hoc ipsum Y quod locutus sum eis, & tamen contempserunt, iudicabit eos. *Quò facit illud* Deut. 31. *Vbi dicitur, quòd* postquàm scripsit Moyses verba legis, præcepit Leuitis dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.

i *Custodienda verò, seruandaque est diuina lex multiplici ex capite. Et Primò quidem, quia immaculata*, Ps. xi. Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. *Cui consonat illud Psal.* 17. Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata (*igne scilicet* Z *Spiritus Sancti*) *& Prou.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei: Non est in eis prauum quid, neque peruersum. *Demum Ps.* 18. Lex Domini immaculata, *& ulteriùs* conuertens animas. *Quibus in verbis* de lege A Domini duo dicit: & quòd est *immaculata*, & quòd est *conuertens*: ad differentiam legis humanæ, in qua quædam illicita permittuntur, sicut visuræ, & prostibula: non enim potest omnia corrigere. Sed *lex Domini* non est talis, sed *immaculata*; idest omnia mala excludens. Item lex humana non extendit se, nisi ad ea, ad quæ se habet iudicium humanum, scilicet tantùm ad exteriora, 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor.* Et ideò lex humana retrahit ab exterioribus: sed diuina lex conuertit cor ad Deum; & ideò dicit *conuertens*, non tantùm exteriores actus, sed & *animas*.

T *Ps.* 18. *lit. g.*

Ipsa eorum custodia, retributio magna.

V 1. 2. 99. 6. *ad* 3.

Væ non seruantibus.

X 1. 2. 109. 4. *c.*

Ipsa diuina lex suos iudicabit transgressores.

Y *Io.* 12. *l.* 8. *lit.* 1.

Multiplici ex capite lex diuina seruanda.

Z *Ps.* XI. *lit. d.*

Quia imaculata, ad differentiam humanę legis.

A *Ps.* 18. *lit. e.*

Secundò

Mentem illuminat.

Secundò *seruanda est, quia mentem illuminat*, *Prou. 6.* Mandatum lucerna est, & lex lux, *coherenter ad illud Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Et iterùm*: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Cui respondet illud Ps. 18. cit.* Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis (scilicet populis B Deut. 4. *Hæc est vera sapientia, & intellectus coram populis.* Vel paruulis, idest humilibus, Matth. xi. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.*) *Additque ad rem nostram*: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. *Lucidum* dicitur C quia in se est manifestum, & euidens, sicut hæc: *Non occides, Non mæchaberis, Non furtum facies*, & similia, quæ habent in se claritatem (*quam vtique, supra docuimus, ad legem requiri*:) *illuminans oculos*, scilicèt, rationis qui tenebrescunt per cupiditatem exteriorum, & concupiscentias interiorum passionum. *At scito, quòd præceptum Domini non qualitercumque illuminat, sed tantummodò impletum. Quò facit illud illuminati à Domino cæcinati dicentis Io. 9.* Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Syloe, & laua. Et abij, & laui, & video. *Quasi diceret*: Ex quo D mandatum audiui, desiderio visionis ductus, executus sum mandatum: *& video.* Neque mirum, quia *Prou. 6.* (*vt præmissum fuit*) *Mandatum*, scilicet impletum, *lucerna est, & lex lux.* Et rectè post obedientiam illuminatur: quia, vt dicitur Act. 5. *Dabit spiritum sanctum obedientibus sibi.* Tertiò *custodienda lex diuina est, quia honesta vtilis, & delectabilis. Hinc ad illud Rom. 3.* Credita sunt illis eloquia Dei, *docemur, quòd* eloquia Dei E sunt honesta, Ps. 18. *Eloquia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Sunt vtilia ad non peccandum, Ps. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Sunt etiam delectabilia, Ps. eod. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! Ex quo* Quartò *custodienda est diuina lex, quia dulcis*, Ps. 18. *Dulciora super mel, & fauum.* Dicitur F autem, *mel, & fauum*, quantùm ad delectationes corporales. Mel extrahitur à cera: sed fauus est mel, & cera. Delectationes corporales quandoque sunt manifestæ; & sic est mel: quandoque sunt absconditæ, & dulciores; & sic est fauus, Prou. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Vel præferuntur *fauo* propter vetus testamentum, in quo est mel in fauo, scilicet veritas in figura: *mel* propter nouum, vbi est veritas manifesta. *His adsonant verba Ezechielis capite 3.* Viscera tua complebuntur volumine isto (*diuinæ scilicet legis*) quod ego do tibi. Et comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce. *Consimile habetur* Apoc. x. *Vbi Ioannes*: Accepi *inquit* librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce.

Præceptum Domini illuminat, cum impletur.

Lex Domini honesta.

Vtilis, & delectabilis.

Dulcis.

Bonis tamen e iustis.

Non ità iniquis quibus aspera, & ad mortem: non ad vitam, sicut bonis.

B Ibid. ibi.

C Ibid. ibi.

D Io. 9. l. 2. lit. c.

E Rom 3. l. 1. ibi.

F Ps. 18. lit. g. ibi.

G Rom. 7. l. 2. ibi.

I *Et talis quidem bonis, & iustis lex Domini est: at peruersis & iniquis non ita.* Pœna *enim* est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis. *Et Psaltes Ps.* 118. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. *Bona si quidem bonis lex Domini est: mala malis videtur & aspera, Mich. 2.* Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui rectè graditur? *Hinc bonis ad vitam, malis ad mortem extat, Bar. 4.* Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum. Omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. *Quo sensu, & Apostolus Rom. 7.* Inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. *Quod erat ad vitam*: primò G quidem secundùm intentionem dantis legem: Secundò quantùm ad ipsam mandati honestatem, & deuotionem obedientis, *Ezech.* 20. Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo, viuet in eis: *inuentum est esse ad mortem*, occasionaliter scilicèt propter peccatum. *Quicumque enim peccato obnoxii sunt, quorum induit ibi personam Apostolus, diuinam legem sibi ad mortem experiuntur*, *Iob* 20. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecùs. *Postremò ad eruditionem nostram, ex Authore notandum, quòd* in populo H Iudæorum tria fuerunt hominum genera, sicut & in quolibet alio populo: scilicet duri, idest peccatores, & rebelles, proficientes, & perfecti. Quantùm igitur ad duros, lex fuit data in flagellum & quantùm ad præcepta moralia, ad quorum obseruantiam cogebantur per pœnæ comminationem, vt patet *Leu.* 20. & quantùm ad cæremonialia, quæ ideò sunt multiplicata, ne liceret eis, dijs alienis alium cultum superaddere, Ezech. 20. *In manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.* Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in Pædagogum, secundùm illud ad Gal. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*: & hoc quantùm ad cæremonialia, quibus continebantur in diuino cultu: & quantùm ad moralia, quibus ad iustitiam promouebantur. Perfectis autem fuit, quantùm ad cæremonialia quidem in signum, secundùm illud Ezech. 20. *Sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos*: quantùm ad moralia verò, in solatium, *secundùm illud Rom. 7.* Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. *Et his quidem (vt superiùs dicebamus)* lex non est posita, 1. *Tim.* 1. Idest I iustus exteriori lege non cogitur: *sed posita est iniustis*, qui indigent exteriùs cogi. Et iste est supremus gradus dignitatis in hominibus, vt scilicet non ab alijs, sed à se ipsis inducantur ad bonum, [*de quibus dicitur Rom. 2.* Ipsi sunt sibi lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis] Secundus verò gradus est eorum, qui inducuntur ab alio, sed sine coactione. Tertius autem est eorum, qui coactione indigent ad hoc, quòd fiant boni. Quartus est eorum, qui neq; coactione ad bonũ dirigi possunt, *de quibus dicitur Ier.* 2. Frustrà percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. *Et alibi docemur, quòd* ad iustitiam L obseruandam, quæ lege diuina statuitur, dupliciter homo inclinatur. Vno modo ab interiori: alio modo ab exteriori. Ab interiori quidem, dum homo voluntarius est ad obseruandum ea, quæ præcipit lex diuina: quod quidem fit per amorem hominis ad Deum, & proximum. Qui enim diligit aliquem, sponte, & delectabiliter ei reddit quod debet, & etiam liberaliter superaddit. Vnde tota legis impletio ex dilectione dependet secundùm illud Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Sed quia aliqui interiùs non sunt sic dispositi, vt ex se ipsis sponte faciant quod lex iubet: ab exteriori trahendi sunt ad iustitiam legis implendam. Quod quidem fit, dum timore pœnarum, non liberaliter sed seruiliter implent; vnde Propheta: *Cum feceris iudicia tua in terra*, scilicet puniendo malos, *iustitiam discent habitatores Orbis*, Is. 26. *Radix autem, vnde per pœnas retrahuntur mali, ea est: quia* cohibentur M aliqui à peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quòd timent amittere aliqua, quæ plus amant, quàm illa, quæ peccando adipiscuntur: aliàs timor non compesceret peccatum; & ideò per subtractionem omnium, quæ homo maximè diligit, est vindicta de peccatis sumenda. Homo autem maximè diligit vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, & bona exteriora, putà diuitias, patriam, & gloriam. Et ideò (vt Aug. refert 21. *de Ciu. Dei*) octo genera pœnarum in legibus esse scribit *Tullius*: scilicet mortem, per quam tollitur vita: verbera, & talionem, vt scilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolumitatem: seruitutem, & vincula, per quæ perdit libertatem: exilium, per quod perdit Patriam damnum

Tria hominum genera in ordine ad legem.

H Rom. 5. l. 6.

Item generà quatuor.

I Rom. 2. l. 3. ibi ipsi sibi Gal. 5. l. 5., & 1. Tim. 1. l. 3. & 3. con. G. c. 128. num. 5.

L. 3. con. G. loco cit. Op. 4. §. 1., & 1. 2. 95. 1. ad 1. ad Gal. 3. l. 7.

Vera legis impletio ex charitate liberaliter, non ex timore seruiliter.

Vnde fit quòd per pœnas mali à peccando cohibeantur.

M 2. 2. 108. 3. c. & 1. 2. 105. 2. arg. 10.

damnum, per quod perdit diuitias: ignominiam, per quam perdit gloriam. *Qua quidem in humana lege experimur. Et ò deplorandam hominum cæcitatem! Ne salutem, uitam, libertatem, gloriamque temporalem & caducam amittant, à peccando humanarum ui legum ut plurimùm abstinent: ne spiritualem salutem, vitam, libertatem, gloriamque sempiternam deperdant, à culpa, diuina lege inhibente, ut in pluribus, cauere non curant. DISCE, non metu pœna, sed uirtutis amore bene operari. Vide* Decalogus, Ius, Iustitia, Iustus *Tomo 2.*

LEX VETVS & NOVA

II. Vetus lex per modum timoris cogebat adhoc, ad quod noua lex ex amore inducit, qui omnia leuia facit. 3. d. 40. 1. 4. q. 3. fi. corp.

m *Tametsi noua lex in veteri contineatur* (non *quidem* in actu N sicut locatum in loco; sed virtute, ut effectus in causa, vel complementum in completo: sicut genus continet species potestate, & sicut tota arbor continetur in semine: noua enim lex comparatur ad veterem, sicut perfectum ad imperfectum. Vnde Chrysostomus exponens illud Marc. 4. *Vltrò terra fructificat: primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*, sic dicit: *Primò herbam fructificat in lege natura, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum frumentum in Euangelio*. Et sic lex noua est in veteri, sicut fructus in spica) *quamuis inquam contineatur in veteri: potest tamen aliquo sensu diuina lex in veterem, & nouam distingui. Pro quo sciendum, quòd* duæ O leges distingui possunt dupliciter. *Vno modo* quasi omninò diuersæ, vtpotè ordinatæ ad diuersos fines: sicut lex ciuitatis, quæ esset ordinata ad hoc, quòd populus dominaretur, esset specie differens ab illa lege, quæ esset ad hoc ordinata, quòd Optimates ciuitatis dominarentur. *Alio modo* duæ leges distingui possunt, secundùm quod vna propinquiùs ordinat ad finem, alia verò remotiùs: putà in vna, & eadem ciuitate dicitur alia lex, quæ imponitur viris perfectis, qui statim possunt exequi ea, quæ pertinent ad bonum commune: & alia lex datur de disciplina puerorum, qui sunt instruendi, qualiter postmodum opera virorum exequantur. Secundùm primum ergo modum lex noua non est alia à veteri lege: quia utriusque est unus finis, scilicet, ut homines subdantur Deo. Est autem vnus Deus & noui, & veteris testamenti, secundùm illud Rom. 3 *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*. Alio modo lex noua est alia à veteri: quia lex vetus est quasi *pædagogus* puerorũ, vt Apostolus dicit *ad Gal. 3.* Lex autem noua est lex perfectionis, quia est lex charitatis: *de qua Apostolus dicit* ad Col. 3. *quòd est* vinculũ perfectionis. *Dicitur autem vetus lex* pædagogus: *quia* quandiù P heres non potest consequi beneficiũ hereditatis vel per defectũ ætatis, vel alicuius debitæ perfectionis, conseruatur, & custoditur ab aliquo instructore: qui quidem instructor, *pædagogus* dicitur à *pædos*, quod est puer, & *goge*, quod est ductio. Iudæis autem promissa erat benedictio futuri seminis de hereditate obtinenda: sed nondum aduenerat tempus ipsius hereditatis consequendæ. Et ideò necessarium erat, quòd conseruarentur, & custodirentur vsque ad tempus futuri seminis, & cohiberentur ab illicitis: quod factum est per legẽ. Et ideò dicit Apostolus ad Gal. 3. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo*. Quasi dicat: Ex quo sub lege custodiebamur, *lex fuit noster pædagogus*, idest dirigens, & conseruans *in Christo*; idest, in viam Christi. Et hoc ideò, *vt ex fide*, scilicet Christi, *iustificemur*. Et quamuis lex pedagogus noster esset; non tamen ad perfectam hereditatem ducebat: quia vt dicitur ad Hæbreos 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Sed hoc officium cessauit, postquam venit fides. Et hoc est, quod subdit Apostolus: *At vbi venit fides*, scilicet Christi, iam non sum us sub pædagogo.

n *Caterum lex vetus bona fuit & sancta, Rom. 7.* Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. *Et iterùm:* Consentio legi, quoniam bona est. *Et ratio adducitur: quia* doctrina Q ostenditur esse vera ex hoc quòd consonat rationi: lex autem vetus rationi consonabat, quia concupiscentiam reprimebat, quæ rationi aduersatur, vt patet in illo mandato: *Non concupisces rem proximi tui*, quod ponitur *Ex 20.* Ipsa etiã omnia peccata prohibebat, quæ sunt contra rationem. Vnde manifestum est, quòd bona erat. Sed notandum est, quòd bonũ diuersos gradus habet, vt *Dionysius* dicit *4. cap. de diu. Nom.* Est enim aliquod bonum perfectũ, & aliquod bonum imperfectum. Perfecta quidem bonitas est in his, quæ ad finem ordinantur, quando aliquid est tale, quod per se est sufficiens inducere ad finem: imperfectum autem bonum est, quod operatur aliquid ad hoc, quòd perueniatur ad finem: non tamen sufficit ad hoc, quòd ad finem perducat. Sicut medicina perfectè bona est, quæ hominem sanat: imperfecta autem est, quæ hominem adiuuat, sed tamen sanare non potest. Finis autem diuinæ legis, est perducere hominem ad finem fœlicitatis æternæ: quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritus sancti, per quam *diffunditur charitas in cordibus nostris*, quæ legem adimplet: *gratia* enim *Dei, vita æterna*, vt dicitur *Rom. 6.* Hanc autem gratiam lex vetus conferre non potuit: reseruabatur enim hoc Christo: quia *lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, vt dicitur *Io. 1.* & inde est quòd lex vetus bona quidem erat, sed imperfecta, *secundum illud Hebr. 7.* Nihil ad perfectum adduxit lex. *Et quamuis legatur Deut. 32.* Dei perfecta sunt opera; *lex autem vetus, lex Dei est: dicendum tamen, quòd* nihil R prohibet, aliquid non esse perfectum simpliciter, quod tamen est perfectum secundùm tempus. Sicut dicitur aliquis puer perfectus non simpliciter, sed secundùm temporis conditionem: ita etiam præcepta, quæ pueris dantur, sunt quidem perfecta secundùm conditionem eorum, quibus dantur, etsi non sunt perfecta simpliciter. Et talia fuerunt præcepta legis. *Quò respexit & Apostolus* Hebr. 9. *cum ait:* Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum: quæ parabola est temporis instantis &c. & iustitiis carnis vsque ad tempus correctionis impositis, *Quasi diceret:* Hoc S verum est, quòd fuissent inutiliter instituta (*cæremonialia præcepta*) si semper deberent durare. Sed sicut puero primò oportet dare pædagogum; quando autem iam peruenit ad ætatem perfectam, tunc datur ei modus se habendi secundùm iudicium Rectoris Reipublicæ: Ita in veteri lege ea quæ spectant ad imperfectionem, instituta fuerunt: sed quando venit tempus perfectum, tunc debuerunt institui illa, quæ ducunt ad perfectionem. Et ideò dicit: *vsque ad tempus correctionis impositis*; idest in quo corrigerentur, non quidem sicut mala, sed sicut imperfecta. *Idcircò ad illud Ps. 18.* Lex Domini immaculata conuertens animas, *docemur, quòd* diuina T lex conuertit cor ad Deum, & non tantum exteriores actus, sed & animas. Sed lex vetus hoc faciebat imperfectè: lex noua perfectè. Quia lex vetus cohibebat per pœnas temporales, quæ coer-

B cent

Margin notes:

N. 1. 2. 107. 3. c. Gal. 1. l. 2. ibi Euangelium.

Noua lex qualiter in veteri contineatur.

Diuina lex alia vetus, alia noua.

O 1. 2. 107. a. 1. 2. 3. c. 9. 91. 5. ad Gal. loc. cit.

Quo sensu altera ab altera distinguatur, vt dici possint duę leges.

Lex vetus cur pedagogus dicatur.

Pedagogus quis, & vnde dictus.

P Gal. 3. l. 8. fi.

Q. 1. 2. 98. 1. c. Rom. 7. l. 2. & 3. ad Gal. 3. l. 7. & 8. & & 2. Cor. 3. l. 2.

Lex vetus bona sed imperfecta.

R 1. 2. l. c. a. 2. ad 1.

S Hebr. 9. l. 2. fi. & 1. 2. l. c. ad 1. & 2.

V 1.2. 98. 2. ad 4.

Per fidem Christi mediatoris iustificabantur, sicut & nos, veteres Patres.

cent manum: sed lex noua cohibet per pœnas æternas, quæ coercent cor. Et quamuis V lex vetus non sufficeret ad saluandum homines: tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod saluari poterant; scilicèt fides Mediatoris, per quam iustificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos iustificamur. *Et hæc est perfectio, ad quam adducit noua lex, scilicet gratia Christi Mediatoris, Io.1.* Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. *Nempe* horum X duorum tantum unum excellit aliud, quantum figuratum excellit figuram, & veritas ipsam umbram, Hebr.x. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c.* Item excellit quantùm ad modum operandi: quia *lex data est per Moysen* proponentem, non per facientem, quia solus *Dominus* est *legifer noster*: sed *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, sicut per Dominum, & authorem veritatis, & gratiæ: *quem etiam solum testamentum loquitur vetus.* Totum enim Y vetus testamentum ad Christum transmittit, nec aliud loquitur nisi Christum: vnde *Matth.* 17. Cùm Petrus, & Iacobus, & Ioannes primò vidissent cum Iesu Moysen, & Eliam, statim sequitur: *Leuantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.*

X Io. 1. l. 10. lit. c.

Y Apoc. 4. com. 2. ibi, tanquam tubæ Gal.3. l. 8. Hebr.1. l. 1. & cap.9. l.1. & 1.2. 98. 3. c.96. 6. c.102. 4. c.

Solum Christum loquitur testamentum vetus.

Cur lex vetus solis data Iudæis.

o *Quòd autem lex vetus solis Iudæis lata sit. Eccli.* 24. Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum, & hereditatem domui Iacob, & Israel promissiones: *non ex eo est, quia ipsi soli in cultu vnius Dei permanserunt, cæteri verò Populi ad Idololatriam declinarent, indigni proindè eam accipere: nam & Iudæus Populus vel post ipsam datam legem idolis immolauit. Sed ratio ea est, quæ cum præfata exclusione adducitur Deut.9.* Scito quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis Populus: *sed [sicut ibi præmittitur]* ut compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. *Verùm quæ* Z promissio eis sit facta, ostendit Apostolus ad Gal. 3. dicens: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit*, & seminibus, *quasi in multis; sed quasi in uno: & semini tuo, qui est Christus.* Deus igitur & legem, & alia beneficia specialia illi populo exhibuit propter promissionem, eorum Patribus factam, ut ex eis Christus nasceretur. Decebat enim, ut ille populus, ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctificatione polleret, secundùm illud Leu. xi. *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum.* Nec etiam fuit propter meritum ipsius Abrahæ, quòd talis promissio ei fieret, ut scilicèt Christus ex eius semine nasceretur: sed ex gratuita Dei electione, & vocatione; unde dicitur Is.41. *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, ut sequeretur se?* Si autem rursus quæratur: Quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, *& non alium?* Conuenit responsio *Augustini super Ioannem*: Quare hunc trahat, & istum non trahat, noli velle diiudicare, nisi vis errare. *Quorsum autem data sit, manifestat idem Apostolus ad Gal.3. cit.* Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, &c. *Vbi docemur, quòd* lex vetus A data est propter quatuor, secundùm quatuor ex peccato consecuta, quæ enumerat *Beda*: scilicet propter malitiam, infirmitatem, concupiscentiam, & ignorantiam. Est ergo lex *primò* data ad reprimendam malitiam, dum scilicet prohibendo peccatum, & puniendo, retrahebantur homines à peccato. Et hoc tangit dicens: *Propter transgressiones posita est*; idest ad transgressiones cohibendas. *Secundò* lex data est ad infirmitatem manifestandam. Homines enim de duobus præsumebant: primò quidem de scientia, secundò de potentia. Et ideò Deus reliquit homines absque doctrina legis, tempore legis naturæ, in quo, dum in errores inciderunt, conuicta est eorum superbia de defectu scientiæ. Sed adhuc restabat præsumptio de potentia; dicebant enim: *Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat*, ut dicitur in Glossa super illud Ex.24. *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus: & erimus obedientes.* Et ideò data est lex, quæ cognitionem peccati faceret: *per legem enim cognitio peccati*, Rom.3. Quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitandum peccata: ut sic homo sub lege constitutus, & vires suas experiretur, & infirmitatem suam recognosceret, inueniens, se sine gratia peccatum vitare non posse; & sic auidiùs quæreret gratiam. *Tertiò* data est lex ad domandam concupiscentiam populi lasciuientis: vt diuersis cæremonijs fatigati, neque ad idololatriam, neque ad lasciuias declinarent. Vnde Petrus dixit: *Hoc est iugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*, Act. cap. 15. *Quartò* ad instruendum ignorantiam data est lex in figuram futuræ gratiæ, secundùm illud Hebr. x. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c.* Deinde subdit Apostolus: *Donec veniret semen, cui promiserat*, scilicèt Christus, de quo promiserat Deus per eum benedicendas omnes Gentes, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et dicit, *donec veniret*: quia *omnes Prophetæ & lex usque ad Ioannem*, ut dicitur Matth. xi. *Vbi veteris inuenitur legis cessatio: adueniente enim veritate, cessant umbræ. De quo inferiùs. Et hinc deducitur, conuenienter tempore Moysi legem veterem à Deo promulgatam. De qua ibidem Apostolus signanter subiicit*: Ordinata per Angelos in manu Mediatoris. *Ordinata*: quia B ordinabilitèr data est, scilicèt inter tempus legis naturalis, quando homines conuicti sunt, quòd se iuuare non poterant, & tempus gratiæ: nam antequam gratiam acciperent, conuincendi erant de lege: Dominus autem legis dicitur Christus; & ideò dicit *in manu Mediatoris*; idest in potestate Christi, 1.Tim.2. *Vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Iste Mediator significatus est per Moysen, in cuius manu est lex data, *Deut.* 33. In dextera eius ignea lex; *& cap.* 5. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos. *At verò lex vetus continebat præcepta tum moralia, cum cæremonialia, tum iudicialia: de quibus vide C. Cum autem legitur Bar.4.* Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum: *ex quo videtur vetus lex non cessatura: Dicendum, quòd* lex vetus D dicitur esse *in æternum*, secundum moralia quidem simplicitèr, & absolutè: secundùm cæremonialia verò, quantùm ad veritatem per ea figuratam. *Quo sensu legitur Ex.12.* Custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo: [*Et priùs* cultu sempiterno,] *Præmiserat autem*: In eadem ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti; *ut nimirùm redemptionis humanæ figuratam veritatem præmonstraret.*

Z 1.2.98. 4. c. & ad 1. & 4. 5. c. & ad 2. in 3. d 25.2 2. q.2. ad 3.

Quorsum data.

A Gal.3. l.7. ibi, & 1.2. 85. 3. & q.98. 6. c. in 4. d 1. 1.2. q. 4. c.

Conuenienter tempore Moysi.

B Gal.3. l.c. ibi. & 1.2. 98. 6. c.

C 1.2. 99.

Quo sensu dicatur æterna.

D 1. 2. 103. 3. ad 1. & 4. con G. cap.57. ad Hebr.8. l.2. ibi, melioris.

Cur data per sensibilia cũ temporalium promissione.

E Gal.4. l.1. ibi, & 1.2. 99. 6. c.

p *Nec incongruè per sensibilia cum temporalium promissione vetus lex data est, unde Apostolus ad Gal.4.* Cum essemus paruuli, sub elementis Mundi eramus seruientes, *Quod exponitur*: idest E sub lege, quæ temporalia promittebat, & comminabatur pœnas temporales, Is.1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Vel lex vetus dicitur *Elementum*: quia sicut pueris, qui sunt instituendi ad scientiam, priùs proponuntur elementa illius scientiæ, per quæ manuducuntur ad illam scientiam: Ità lex vetus proposita est Iudæis, per quam manuducerentur ad fidem, & iustitiam,

tiam, *ad Gal.* 3. Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. *Verùm* illa F quæ promiſſa ſunt in veteri teſtamento temporalitèr, intelligenda ſunt ſpiritualitèr, *Rom.* 15. Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Et quidem* æterna G bona, quæ in Cœleſti Eccleſia palàm, & copiosè exhibentur, in noua lege manifeſtè promittuntur. In veteri autem lege non promittebantur, niſi ſub quibuſdam figuris: & hoc propter tres cauſas præcipuè. *Primò*, ut ex his, quæ cognoſcebant, aſſuefierent etiam à Deo maiora ſperare. *Secundò*, ut non ſolùm cognitio, ſed affectus à temporalibus ad æterna manuduceretur. *Tertiò*, quia bona æterna non ſtatim eis poterant exhiberi, nondum ſoluto pretio. *Quomodò autem dicatur Lex occidere, iuxta illud* 2. *Cor.* 3. Litera (*veteris ſcilicèt legis*) occidit: Spiritus autem viuificat: *docemur, quòd* occidere H legis litera dicitur & quantùm ad moralia, & quantùm ad cæremonialia, ſed differenter. Quia quantùm ad cæremonialia, per ſe loquendo; tempore enim gratiæ reuelatæ cœperunt eſſe mortifera: ſed quantum ad moralia, non niſi accidentalitèr; in quantùm ex ipſa lege peccatum prohibente, & auxilium gratiæ (*ut viſum eſt*) non ferente, infirmus periculum mortis ſumebat. *Sumebat, inquàm, quia* occaſio I iſta non erat data, ſed ſumpta ab hominibus. Vnde & Apoſtolus Rom. 7. *Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Ex hac etiam ratione dicitur Rom. 5. *Lex ſubintrauit, ut abundaret delictum*, ità quòd ly *ut* teneatur conſecutiuè, non cauſalitèr: in quantùm ſcilicèt homines accipientes occaſionem à lege, abundantiùs peccauerunt: tum quia grauius fuit peccatum poſt legis prohibitionem: tum etiam quia concupiſcentia creuit: magis enim concupiſcimus quod nobis prohibetur, *iuxta illud*:

F *Hebr.* 4. *l.* 1. *ibi*, & nobis *Rom.* 9. *l.* 1. *ibi*, & promiſſa, *& cap.* 10. *l.* 1. *ibi*, viuet in ea, *&* 1. 2. 114. 10. *ad* 1. *In* 3. *d.* 40. 1. 4. *q.* 1. *c. & ad* 1.

G *In* 3. *loco cit. in corp.*

Æterna bona, quæ in noua lege manifeſtè promittuntur, in veteri ſub figuris tantùm promittebantur, & quare.

Quomodò dicatur litera occidere.

H 3. *d.* 40. 1. 3. *c. & d.* 37. 1. 1. *ad* 4. *&* 1. 2. 98. 1. *ad* 2. *&* 99. 2. *ad* 3. *Ver.* 28. 2. *ad* 12. *Rom.* 7. *l.* 2. *&* 2. *Cor.* 3. *l.* 2.

I 1. 2. 98. 1. *ad* 2. *& locis cit.*

Nitimur in vetitum.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negatum.

Et hinc deducitur, legalia omnia, adueniente Chriſto, cuius erant figuratiua, ceſſare debuiſſe. Cuius affertur ratio: quia omnia L præcepta cæremonialia veteris legis ad cultum Dei ſunt ordinata. Exterior autem cultus proportionari debet interiori cultui, qui conſiſtit in fide, ſpe, & charitate. Vnde ſecundùm diuerſitatem interioris cultus debet diuerſificari cultus exterior. Poteſt autem triplex ſtatus diſtingui interioris cultus. *Vnus* quidem, ſecundùm quem habetur fides, & ſpes de bonis cæleſtibus, & de his, per quæ in Cœleſtia introducimur; de utriſque quidem, ſicut de quibuſdam futuris: & talis fuit ſtatus fidei & ſpei in veteri lege. *Alius* autem eſt ſtatus interioris cultus, in quo habetur fides & ſpes de cæleſtibus bonis, ſicut de quibuſdam futuris; ſed de his, per quæ introducimur in cæleſtia, ſicut de præſentibus, vel præteritis: & iſte eſt ſtatus nouæ legis. *Tertius* autem ſtatus eſt, in quo utraque habentur ut præſentia, & nihil creditur ut abſens, neque ſperatur ut futurum: & iſte eſt ſtatus beatorum. In illo ergo ſtatu beatorum nihil erit figurale ad diuinum cultum pertinens, ſed ſolùm *gratiarum actio, & vox laudis, Iſ.* 51. & ideò dicitur *Apoc.* 21. de Ciuitate beatorum: *Templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens Templum illius eſt, & Agnus.* Pari igitur ratione cæremoniæ primi ſtatus, per quas figurabatur & ſecundus, & tertius, veniente ſecundo ſtatu ceſſare debuerunt, & aliæ cæremoniæ induci, quæ convenirent ſtatui cultus diuini pro tempore illo, in quo bona cæleſtia ſunt futura: beneficia autem Dei, per quæ ad cæleſtia introducimur, ſunt præſentia. *Quoniam verò* myſterium M redemptionis humani generis completum fuit in paſſione Chriſti; unde & tunc Dominus dixit: *Conſummatum eſt*, ut habetur *Ioan.* 19. Ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi iam veritate eorum *conſummata*. In cuius ſignum in paſſione Chriſti velum Templi (*in quo cæremonialia exercebantur*) legitur *eſſe ſciſſum* Matth. 27. & ideò ante paſſionem Chriſti, Chriſto prædicante, & miracula faciente, currebant ſimul Lex, & Euangelium, quia iam myſterium Chriſti inchoatum erat, ſed nondum conſummatum; & per hoc mandauit Chriſtus Dominus ante paſſionem leproſo, ut legales cæremonias obſeruaret; *ut habetur* Matth. 8. *Verumtamen* quæſtio N hæc (*de tempore ſcilicet determinato ceſſationis*) videtur habere difficultatem ex quibuſdam contrarietatibus, quæ ſuper hoc inueniuntur, tam in Canone, quàm in dictis Sanctorum. Quandoque enim inueniuntur obſeruata legalia tempore gratiæ: quandoque autem prohibita; & de hoc etiam Petrus à Paulo redargutus videtur *ad Gal.* 2. *& ideo dicendum, quòd* circa hoc O diuerſimodè ſenſiſſe videntur Hieronymus, & Auguſtinus. *Hieronymus* enim diſtinxit duo tempora. Vnum tempus ante paſſionem Chriſti, in quo legalia non erant mortua, quaſi non habentia vim obligatoriam aut expiatiuam pro ſuo modo: nec etiam mortifera, quia non peccabant ea obſeruantes. Statim autem poſt paſſionem Chriſti inceperunt eſſe non ſolùm mortua, ideſt non habentia virtutem, & obligationem; ſed etiam mortifera, ita ſcilicet, quòd peccabant mortaliter quicumque ea obſeruabant: unde dicebat, quòd Apoſtoli nunquam legalia obſeruauerunt poſt paſſionem ſecundùm veritatem, ſed ſolùm quadam pia ſimulatione, ne ſcilicet ſcandalizarent Iudæos, & eorum conuerſionem impedirent: quæ quidem ſimulatio ſic intelligenda eſt; non quidem, ita quòd illos actus ſecundùm rei veritatem non facerent, ſed quia non faciebant tanquam legis cæremonias obſeruantes: ſicut, ſi quis pelliculam virilis membri abſcinderet propter ſanitatem, non cauſa legalis circumciſionis obſervandæ. Sed quia indecens videtur, quòd Apoſtoli ea occultarent propter ſcandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ, & doctrinæ, & quòd ſimulatione uterentur in his, quæ pertinent ad ſalutem fidelium: *Ideò* conuenientiùs *Auguſtinus* diſtinxit tria tempora. Vnum quidem ante Chriſti paſſionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua. Aliud autem poſt tempus Euangelij diuulgati, in quo legalia ſunt mortua, & mortifera. Tertium autem eſt tempus medium, ſcilicet à paſſione Chriſti uſque ad diuulgationem Euangelij, in quo legalia quidem erant mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea obſeruare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui conuerſi erant ad Chriſtum ex Iudæis, poterant illa legalia licitè obſeruare, dummodò non ſic ponerent ſpem in eis, quòd ea reputarent ſibi neceſſaria ad ſalutem, quaſi ſine legalibus fides Chriſti iuſtificare non poſſet. His autem, qui conuertebantur ex gentilitate ad Chriſtum, non inerat cauſa, ut ea obſeruarent; & ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre Iudæa genitus erat: Titum autem, qui ex Gentilibus natus erat, circumcidere noluit. Ideò autem noluit Spiritus Sanctus, ut ſtatim inhiberetur his, qui ex Iudæis conuertebantur, obſeruatio legalium; ſicut inhibebatur his, qui ex Gentilibus conuertebantur, gentilitatis ritus: ut quædam differentia inter hos ritus oſtenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tanquam omninò illicitus, & à Deo ſemper prohibitus: ritus autem legis ceſſabat tanquam impletus per Chriſti paſſionem, utpotè à Deo in figuram Chriſti inſtitu-

Legalia adueniente Chriſto ceſſare debuerunt.

L 1. 2. 103. 3. *c. &* 2. 2. 86. 4. *ad* 1. *In* 4. *d.* 1. 2. 5. *q.* 1. *&* 2. *& d.* 2. 2. 1. *q.* 4.

Quandonam ceſſaverint.

M 1. 2. *loc. cit. ad* 2.

Ante Chriſti paſſionem eo prædicante, currebant ſimul Lex, & Euangelium.

N 4. *d.* 1. 2. 5. *q.* 3. *in c.*

Quæſtio de tẽpore determinato ceſſationis legalium.

O 1. 2. 103. 4. *ad* 1. *In* 4. *l. c. & d.* 2. 1. 4. *q.* 3. *Rom.* 14. *l.* 1. *ibi*, olus, *Gal* 2. *l.* 1. *&* 3. *& cap.* 5. *l.* 1. *init. Col.* 2. *l.* 4. *Hebr.* 7. *l.* 2. *ibi* accipientes, *& cap.* 8. *l.* 2. *ibi*, melioris.

Opinio Hieronymi.

Opin. Auguſtini.

P Gal. 2. l. 1. & 3. & 1. 2. 10. 4. ad 2. & locis cit.

Q 4. Con. G. cap. 57.

Error Iudæorum circa Sacramenta legalia.

stitutus. (*An verò; & qualiter circa legalia Petrus peccauerit, à Paulo* ad Gal. 2. *redarguatur: vide V.* Correptio fraterna *circa finem. & P*) *Per hæc autem, quæ præmissa sunt,* euitatur Q Iudæorum opinio, qui credunt, Sacramenta legalia propter hoc, quòd à Deo sunt instituta, in perpetuum esse seruanda, cum Deus non pœniteat, neque mutetur. Fit autem absque mutatione disponentis, vel pœnitentia, quòd diuersa disponat secundùm congruentiam temporum diuersorum; sicut Paterfamilias alia præcepta tradit filio paruulo, & alia iam adulto. Sic & Deus congruenter alia Sacramenta, & præcepta ante incarnationem tradidit ad significandum futura; alia post incarnationem ad exhibendum præsentia, & rememorandum præterita. Magis autem irrationabilis est *Nazaræorum*, & *Helonitarum* error, qui Sacramenta legalia simul cum Euangelio dicebant esse seruanda: quia huiusmodi error, quasi contraria implicat. Dum enim seruant Euangelica Sacramenta, profitentur, incarnationem, & alia Christi mysteria iam esse perfecta; dum autem etiam Sacramenta legalia seruant, profitentur ea esse futura.

Nazaræorum, & Heloniterum error.

Vetus lex per Tabernaculū noua per Templum signantur.

R 1. 2. 102. 4. ad 2. & 4.

9. *Et hinc est, quid* per Tabernaculum R quod est mutabile, significatur status veteris legis; per Templum autem à Salomone constructum, quod erat fixum, & stans, significatur status nouæ legis. Vnde & ad constructionem Tabernaculi soli Iudæi sunt operati: ad ædificationem verò Templi cooperati sunt etiam Gentiles, scilicet Tyrij, & Sidonij. *De Christo enim dicitur Matth.* 12, Ecce plusquam Salomon hic: *qui Luc.* 2. *fuit* lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam Israel. *Sicut autem vetus lex, Lex Moysi dicitur, quia* per Moysen data est: *ita lex noua, lex Christi nuncupatur, quia* per Christum facta est, *ut dicitur* Ioan. 1. *Quæ quidem tota in dilectione consistit. Vnde & illud ad Gal.* 5. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi; *exponitur*: idest S charitatem. Dicitur autem Charitas specialiter lex Christi triplici ratione. *Primò* quia per hoc distinguitur lex noua à lege veteri; nam illa timoris est, hæc verò amoris. *Secundò* quia per charitatem specialiter Christus legem suam promulgauit. *Ioan.* 13. Mandatum nouum do vobis, ut diligatis, &c. *Tertiò*, quia ipsam impleuit Christus, & exemplum eam implendi nobis reliquit; nam ipse ex charitate peccata nostra tulit. *Is.* 53. Verè languores nostros ipse tulit; *& primæ Pet.* 2. Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, &c. *Ex quo lex noua, cum lex amoris sit, potiùs in corde insita est, quàm scripta.* Id enim, quod T est potissimum in lege noui testamenti, & in quo tota eius virtus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi; & ideo principaliter lex noua est ipsa gratia Spiritus Sancti, quæ datur Christi fidelibus. Et hoc manifestè apparet per Apostolum, qui ad Rom. 3. dicit. *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Ipsam enim fidei gratiam, legem appellat. Vnde & Augustinus dicit in libro de Spir. & lit. quòd *sicut lex factorum scripta fuit in tabulis lapideis: ita lex fidei scripta est in cordibus fidelium.* Habet tamen lex noua quædam sicut dispositiua ad gratiam Spiritus Sancti, & ad usum huius gratiæ pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege noua, de quibus oportuit instrui fideles Christi & verbis, & scriptis; tam circa credenda, quàm circa agenda. Et ideò principaliter lex noua est lex indita: secundariò autem est lex scripta. *Professò legem* nouam V & veterem unus Deus dedit: sed aliter, & aliter. Nam legem veterem dedit scriptam in

Noua lex tota in dilectione consistit.

S Ad Gal. 6. lib 1. in Op. 4 §. de 1. prae. in. lec. 2. §. 6. ibi, incipiētes, & 1. 2. 99. 2. C.

Potiùs exinde in cordibus indita, quam scripta.

T 1. 2. 106. 1. c & 107. 1. ad 2. & 1. & 108. 1. c.

Lex gratiæ.

V 1. 2. 106. 2. ad 3.

tabulis lapideis; legem autem nouam dedit scriptam *in tabulis cordis carnalibus*, ut Apostolus dicit 2. Cor. 3. *Quod quidem promiserat. Ier.* 31. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; *& cap.* 36. Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. *Et hinc etiam dicitur Testamentum nouum, unde & illud Ps.* 24. Requirentibus testamentum eius, & testimonia eius, *exponitur:* ut testamentum X accipiatur pro nouo testamento, in quo omnes promissiones sunt impletæ: *testimonia* verò sit vetus testamentum, quod est testimonium noui, *Act.* x. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. *Huc etiam respexit idem Psaltes, cum præcinuit Ps.* 39. Immisit in os meum canticum nouum, *idest* nouum Y testamentum, quia nouus Rex, noua lex, noua gaudia. Homines veteris testamenti cantabant vetera cantica: *Oculum pro oculo, animam pro anima*; sed homines nouæ legis cantant canticum *nouum*, quod nouus homo Christus attulit, Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.* Nouus ergo populus noua cantat, scilicet de Incarnatione Domini, de Natiuitate, de Resurrectione, de Ascensione, & huiusmodi. Nouum tamen hoc canticum nemo nisi innouatus cantare præsumat. *Et hoc est quod aiebat Christus, sanguinis sui Sacramentum instituens* Luc. 22. *& apud Apostolum* 1. *Cor.* 11. Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine. *Quocirca* considerandum est Z quòd testamentum dupliciter sumitur in Scripturis. *Vno modo* communiter pro quolibet pacto, quod quidem testibus confirmatur; & sic Deus dupliciter pactum iniit cum humano genere. Vno modo promittendo bona temporalia, & à malis temporalibus liberando; & hoc vocatur *vetus Testamentum*, vel pactum. Alio modo promittendo bona spiritualia, & à malis oppositis liberando; & hoc vocatur testamentum nouum. Vnde dicitur Ierem. 31. *Feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, &c.* Est autem considerandum, quòd apud antiquos erat consuetudo, ut alicuius victimæ sanguinem funderent ad confirmationem pacti. Legitur enim Gen. 31. quòd postquam inierunt fœdus Laban & Iacob, *immolatis victimis in monte vocauit fratres suos.* Vnde *& Ex.* 24. legitur, quòd Moyses *sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Sicut ergo vetus testamentum, seu pactum, confirmatum est sanguine figurali taurorum; ita nouum testamentum, seu pactum, confirmatum est in Sanguine Christi, qui per passionem est effusus. *Alio modo*, testamentum accipitur magis strictè pro dispositione hereditatis percipiendæ, quod necesse est secundùm legem certo numero testium confirmare. Non autem testamentum sic acceptum confirmatur, nisi per mortem, quia ut Apostolus dicit ad Hebr. 9. *Testamentum in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est.* Deus autem primò quidem dispositionem fecerat de æterna hereditate percipienda, sed sub figura temporalium bonorum, quod pertinet ad vetus testamentum: sed postmodum fecit nouum testamentum expressè promittens hereditatem æternam, quod quidem confirmatum est per sanguinem mortis Christi, & ideò Dominus de hoc dicit: *Hic Calix nouum Testamentum est in meo sanguine*; quasi dicat: Per id, quod in hoc calice continetur, commemoratur nouum testamentum, per Christi sanguinem confirmatum. *Vnde & idem Apostolus ad Hebræos* 9.

X Ps. 24. lit. h. fin.

Dicitur nouū Testamentum, & quare.

Y Ps. 39. lit. 4. & Ps. 32. lit. 6.

Z 1. Cor. 11. l. 6. ibi. & c. 12. l. 4. & Ps. cit. ibi.

Testamentum dupliciter sumitur, & primò pro pacto.

Duplex Dei pactum cum hominibus.

Secundò sumitur testamentum pro dispositione hereditatis percipiendæ.

breos 9. Ideò noui testamenti Mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis. *Vbi docemur, quòd* nouum A Testamentum confirmatur per mortem Christi intercedentem, quia ad hoc, quòd testamentum valeat, oportet, quòd mors testatoris interueniat. Ideò nouum testamentum non haberet robur, nisi intervenisset mors Christi. Vnde dixit ille Ioan. 11. *Expedit ut unus moriatur homo pro populo.* Mors autem testatoris ad duo necessaria est. Primò, ut testamentum habeat firmitatem; quia, cum sit expressiuum ultimæ voluntatis, potest semper mutari ante mortem. Vnde dicit ibidem Apostolus; *testamentum in mortuis confirmatum est*; & illo modo confirmatum est nouum testamentum per mortem Christi, Matth. 26. *Hic est sanguis meus noui testamenti*, scilicet confirmator, & dedicator. Secundò necessaria est mors testatoris ad hoc, ut testamentum valeat, & habeat efficaciam. Vnde dicit: *alioquin nondum valet*, quia nullus potest petere aliquid, nec etiam heres hereditatem ex vi testamenti, nisi post mortem testatoris. Ideò Christus voluit mortem suam pro nobis interponere: *videlicet*, ut repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis, *idest* æternæ gloriæ, quæ est hereditas nostra 1. *Pet.* 1. Regenerauit nos &c. in hereditatem incorruptibilem &c. *& hoc est, quod ait Apostolus ad Hebr. c. x. seq.* Habentes itaque fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam &c. *In sanguine Christi*: quia B hic est sanguis noui testamenti, idest nouæ promissionis cœlestium. Sed quomodo habeamus fiduciam introeundi, ostendit: quia Christus per suum sanguinem *initiauit*, idest inchoauit *nouam viam*, Mich. 2. *Ascendit pandens iter ante eos.* Hæc est ergo via eundi in Cœlum; & est *noua*, quia ante Christum nullus inuenit eam, quia *nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo &c.* ut dicitur Ioan. 3. *Ex quibus omnibus noui testamenti congrua satis nomenclatura elucescit. Et hac quidem de causa (ut redeamus ad primum) signantèr dicitur Ioan.* 13. Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos: *ut noua nimirum lex, per suum sanguinem, & mortem confirmanda, atque roboranda, lex amoris ostenderetur, & charitatis.* In finem dilexit eos, *idest* circa C mortem, maiora eis signa dilectionis ostendit: *per mortem siquidem suam æternæ nobis vitæ confirmauit repromissionem.*

A Hebr. 9. l. 4. ibi.

Mors testatoris ad duo necessaria.

B Hebr. x. l. 2. ibi Eph. 3. l. 3. ibi, fiduciam; & 3. par. 22. 5. fi. c. & 1. 2. 102. 4. ad 4. & art. 5. ad 6.

Via noua in Cœlum per sanguinem Christi.

C Io. 13. l. 1. lit. a fi.

Lex noua. Lex regalis.

F *Et hæc est lex illa regalis Christianorum, ad quos idcircò dicitur* 1. *Pet.* 2. Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, Populus acquisitionis. *Et clariùs Iac.* 2. Si tamen legem perficitis regalem: *idest* si adimpletis D legem Euangelij, quæ dicitur regalis ab effectu, quia reges facit, Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes* (idest E regnantes spiritualiter.) Item à generalitate, quia omnes ligat, & nullum eximit; sicut strata publica dicitur via regia. Vel ab Authore, quia Rex Christus eam ore suo promulgauit, *Matth.* 22. Item ab excellentia: *legem regalem*, idest ex Glossa excellentem inter alias, *& addit* secundùm scripturas; *idest* sicut scripturæ monent. Sed & lex dicitur libertatis; & hoc dupliciter. *Vno modo* F quia non arctat nos ad facienda, vel vitanda aliqua, nisi quæ de se sunt vel necessaria, vel repugnantia saluti, quæ cadunt sub præcepto vel prohibitione legis. *Secundò* quia huiusmodi præcepta vel prohibitiones facit nos liberè implere, in quantùm ex interiori instinctu gratiæ ea implemus. Et propter hæc duo, lex noua dicitur lex perfectæ libertatis, Iac. 2. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis &c.* idest G per legem Euangelij, sub qua subijciendum spontaneè, liberè, non coactè. *Vel sic loquimini, & sic facite*; idest ita benignè, & charitatiuè vos habeatis verbo, & facto, *sicut per legem libertatis*, idest charitatis, quæ facit se, & sua liberè proximo exponere. Dicitur autem charitas *lex libertatis*, quia nos Deo ligat, non cogendo timore pœnarum, sed alliciendo desiderio præmiorum. *Hinc super illud Ioan.* 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, *dicebat Augustinus*: Noli cogitare te inuitum trahi: trahitur animus & amore. *Cum verò noua lex, lex sit regalis, lex libertatis, & lex amoris, per consequens dulcis est, & suauis. Idcircò Ioan.* 8. contra adulteræ accusatores dicitur, quòd *Iesus inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Videlicet*, quia H lex vetus in tabulis lapideis scripta erat, ut habetur Ex. 24. (& 2. Cor. 3. *Non in tabulis lapideis*;) *&c.* sicut I lex vetus, ut excludat duritiem, per quod signatur eius duritia: quia *irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur*, ut dicitur *Hebr.* x. Terra autem mollis est. Vt ergo signaret Dominus dulcedinem, & mollitiem nouæ legis per eum traditæ, in terra scribebat. *Vnde & de ipso præcinuit Isaias cap.* 7. Butyrum, & mel comedet: *quo suauitatem, & dulcedinem legis eius innueret*, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum: *quod in gradu perfecto de lege Christi verum habet. Quò facit illud Cant.* 1. Meliora sunt ubera tua vino. *Vbi Author.* Per ubera Christi L dulcedo Euangelij intelligitur, quia veluti lacte nutritur infantia credentium. Vinum autem austeritatem legis (*veteris*) significat, sed vbera Christi *meliora sunt vino*, quia dulcedo Euangelij melior est austeritate legis. In lege enim nulla reseruatur pœnitentia, quia præcipit, vt qui occidit, occidatur. Euangelium autem *dicit*: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Ex quo Petrus signantèr ad Christum dicebat Ioan.* 6 Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, Quasi dicat: In veteri lege Moyses M habuit verba Dei, similitèr & Prophetæ; sed rarò *verba vitæ æternæ*. Tu verò promittis vitam æternam. Quid ergo aliud quærimus? *Et quamuis vtraque lex, iugum dicatur: vetus tamen graue, & importabile iugum fuit, Act.* 15. Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? *Noua autem, suaue iugum, onusque leue est, Matth.* xi. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. *Et licèt* qui piè volunt vivere in Christo Iesu (2 *Tim.* 3.) persecutionem patientur: *nihilominus* aduersitates N illæ non sunt graues, quia condiuntur condimento amoris; quando enim aliquis amat aliquem, non grauat eum quicquid patitur pro illo, quia omnia grauia, & impossibilia (*vel importabilia*) leuia facit amor. Vnde si quis benè amat Christum, nihil est ei graue; & ideò lex noua non onerat. *Quæ quidem* tota O consistit in duobus: in mansuetudine scilicet, & humilitate. (*Quod & innuunt animalia ea duo, Christum legislatorem ipso in ortu fouentia: in boue enim mansuetudo, in asino humilitas designatur.*) Per mansuetudinem homo ordinatur ad proximum: per humilitatem ordinatur ad se, & ad Deum, *Ex quibus, grauior deducitur vetus fuisse, quam noua lex. Pro quo tamen sciendum, quòd circa* opera P Virtutis, de quibus præcepta legis dantur, duplex difficultas attendi potest. *Vna* quidem ex parte exteriorum operum, quæ ex se ipsis quasi-

D Iac. 2. §. 4. ibi.

E Apoc. 5. com. 2. §. 3. ibi.

Lex libertatis.

F 1. 2. 108. 1. ad 2. Quol. 4. a. 13. c.

G Iac. 2. §. 6.

Lex suauis, & dulcis.

H Io. 8. l. 1. lit. d

I 2. Cor. 3. lec. 1. ibi.

L Cant. 1. com. 1. ibi.

M Io 6. lect. 8. lit. K.

Iugum suaue, & onus leue.

N Mat. 11. fi. & 1. 2. 107. 4. ad 2.

O Matth. xi. c. fi. ibi, mitis, & 1. 2. 108. 3. in corp.

Vtra grauior: vetus, an noua.

P 1. 2. 107. 4. in c. in 3. d. 40. 1. 4. q. 3. c. ad Han. in cod. 3. ad fi. Quol. 4. a. 13. in c. ad Hebr. 8. l. 2.

quandam difficultatem habent, & grauitatem. Et quantùm ad hoc, lex vetus est multò grauior, quàm noua; quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus cæremoniis, quàm lex noua, quæ præter præcepta legis naturæ paucissima superaddidit in doctrina Christi, & Apostolorum: (superaddidit enim consilia Q quamuis ad ea non cogat; & quædam etiam prohibet, quæ lex vetus permittebat, infirmitati deferens, sicut præter alia libellum repudij: ita quòd semel R repudiata Vxor non poterat amplius reconciliari, ut habetur Deuter. 24. In lege autem noua solam causam fornicationis Dominus excipit, cæteras verò omnes molestias iubet fortiter sustineri. Illud tamen habebat locum in repudio legali: istud verò in diuortio Euangelico. Lex enim erat seueritatis, sed Euangelium pietatis) Lex noua inquam paucissima superaddidit: licet aliqua sint postmodum superaddita ex institutione Sanctorum Patrum, in quibus etiam Augustinus dicit esse moderationem attendendam (benè nota) ne conuersatio fidelium onerosa reddatur. Dicit enim ad inquisitiones Ianuarij, de quibusdam, quòd ipsam religionem nostram quam in manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, seruilibus premunt oneribus; adeò ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus, subiiciuntur. (Hæc Augustinus.) Alia autem difficultas est circa opera virtutum in interioribus actibus, puta, quòd aliquis opus virtutis exerceat, promptè, & delectabiliter; & circa hoc difficile est virtus: hoc enim non habenti virtutem est valde difficile, sed per virtutem redditur facile. Et quantùm ad hoc, præcepta nouæ legis sunt grauiora præceptis veteris legis, quia in noua lege prohibentur interiores motus animi, qui expressè in veteri lege non prohibebantur in omnibus, etsi in aliquibus prohiberentur: in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur. Hoc autem est difficillimum non habenti virtutem; sicut etiam Philosophus dicit in 5. Ethic. quòd operari ea, quæ iustus operatur, facile est; sed operari ea eo modo, quo iustus operatur, scilicet delectabiliter, & promptè, est difficile non habenti iustitiam. Et sic etiam dicitur 1. Io. 5. quòd mandata eius grauia non sunt: quod exponens Augustinus dicit, quòd non sunt grauia amanti, sed non amanti sunt grauia. Vel grauia non sunt, idest S difficilia; & ideò libenter ex glossa custodienda sunt; quæ enim natura sunt dura, & aspera, amor Dei, & spes præmij facit leuia. Et hoc est, quod aiebat initio Author: Vetus lex T per modum timoris cogebat ad hoc, ad quod noua lex, ex amore inducit, qui omnia leuia facit. At verò carnali V populo, & ceruicoso maiora onera imponenda fuerunt ad eius duritiam edomandam, cum tamen modum eius non excederent: sicut etiam infirmis diæta arctior, & pueris disciplina strictior imponitur.

Q in 3. d. 40. loc. cit.

R 1. Cor. 7. lec. 3.

Valde notanda Augustini verba.

Grauia, & difficilia, leuia facit amor.

S 1. Io. 5. §. 1. ibi.

T in 3. d. 40. 1. 4 q. 3. fin. c.

V Ibid. ad 3.

Ex his omnibus præmissis multiplex emicat inter veterem legem, & nouam differentia. Vna X secundùm causam efficientem; quia lex per Moysen data est; sed gratia (hoc est lex gratiæ) & veritas per Iesum Christum facta est; Ioan. 1. Secunda penes causam finalem; & quoad finem proximum, quia finis legis iustitia imperfecta in declinatione mali, quod contrariatur præceptis, est; finis verò Euangelij perfecta iustitia in operatione boni perfecti, quod continetur in præceptis, & consilijs. Et quoad finem ultimum: quia Euangelium apertè promittit, & confert bona æterna: Lex verò non nisi sub figura temporalium promittebat æterna, eo quòd nondum poterant æterna dari. Tertia penes causam materialem: quia lex continebat præcepta multa carnalia, & cæremonialia, & Sacramenta inefficacia: sed Euangelium præcepta spiritualia, & Sacramenta efficacia. Quarta penes causam formalem; quia lex data est per modum timoris sub comminatione pœnarum; vnde eam dedit Deus de Cœlo terribiliter tonando: sed Euangelium per modum benignitatis, & sub promissione præmiorum; unde ipsum Dominus dedit de terra inter discipulos sedendo, & dulciter loquendo. Hinc Apostolus ad Hebr. 12. Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum &c. Sed accessistis ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem Cœlestem &c. Vbi Author: Sciendum, inquit, quòd Y Lex tanquam pædagogus noster fuit in Christo: paruuli autem terroribus ducendi sunt, Prou. 19. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Et ideo hic dicit Apostolus, quòd in datione legis facta sunt quædam terribilia. In quo (post multa) designatur differentia noui, & veteris testamenti: quia vetus testamentum datum fuit in terrore; ut corda Iudæorum, quæ prona erant ad idololatriam, terrerentur. Nouum autem datum est in amore, Rom. 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Dicit autem l. c. Apostolus: & tubæ sonum, idest clangorem: sonitus verò tubæ Z significat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem indicebatur homini quasi bellum contra se ipsum. Ideircò Apoc. 8. dicitur: Et primus Angelus tuba cecinit; siquidem in veteri A Testamento erat clangor tubæ, quia incutit timorem: in nouo est cantus tubæ, quia inuitat ad amorem. Tuba ergo cecinit, idest consolando Ecclesiam prædicauit; hic enim primus Angelus (Angelus quippè nuncium sonat) fuit ordo Apostolorum, qui prius prædicauit in Iudæa contra sæuitiam Iudæorum, quorum prædicatio fidelibus fuit cantus, idest dulcis, & suauis: sed Iudæis clangor tubæ terribilis. Ea propter & Dominus Ioan. 13. dicebat: Mandatum nouum do vobis, ut diligatis &c. Specialiter autem mandatum B istud dicitur nouum propter tria. Primò propter effectum innouationis, quem efficit, Coloss. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum &c. Hæc autem nouitas est per charitatem, ad quam hortatur Christus. Secundò propter causam, quæ hoc efficit, quia est à nouo spiritu; est enim duplex spiritus, scilicet vetus, & nouus. Vetus quidem est spiritus seruitutis, nouus autem spiritus amoris. Ille generat seruos; hic filios adoptionis, Rom. 8. cit. Non enim accepistis spiritum seruitutis &c. & hic spiritus inflammat ad charitatem, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut dicitur Rom. 5. Tertiò per effectum, quem constituit, scilicet nouum testamentum. Nam breuis differentia noui, & veteris testamenti ex Augustino est timor, & amor. Vnde hoc mandatum erat in lege veteri; non tanquam proprium eius, sed ut præparatiuum nouæ legis. Qua de causa in veteri testamento dicebatur passim Dominus Deus exercituum, & Deus vltionum, tanquam seuerus Iudex; in nouo autem dicitur Pater; Rom. 8. In quo clamamus Abba Pater; Pater inquam misericordiarum, & Deus totius, non qualiscumque, consolationis 2. ad Cor. 1. Quò facit illud Luc. 1. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi; timore tamen filiali, non serulli; non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ex quo supra veterem noua emicat legis præstantia. In cuius signum

X Ad Anibal. in 3. d. 40. 1. 4. c. in alio ib. ar. 4. q. 1. & 2. & 1. 2. 107. 1. ad 2. & art. 2. in c. Op. 4. §. 1. Mat. 9. lit. c. ibi, lugere lo. 4. lect. 2. l. m. Rom. 8. lec. 3. ibi, non enim. Gal. 1. lec. 2. init. Eph. 2. lec. 5. Hebr. 2. lec. 4. & 6. 2. lec. 1. & 6. 9. l. 3.

Multiplex inter nouam, & veterem legē differentia.

Lex vetus, lex timoris: noua, lex amoris.

Y Hebr. 12. l. 4. ibi.

Z Ibid. ibi.

A Apoc. 8. ch. 2. ibi.

Nouæ mandatum legis cur nouum dicatur.

B Io. 13. lec. 7. lit. c. Matth. 4. lit. b. ibi, pœnitentiam Hebr. 8. lec. 2. cap. 12 lec. 4. sub initio in 3. d. 40. 1. 4. q. 3. fin. c.

Spiritus duplex seruitutis, & amoris.

Lex vetus per Angelos: noua immediatè à Domino data est.

*gnum lex vetus per Angelos, & Ministros: noua verò per ipsum Dominum legislatorem data est. Act.*7. Accepistis legem in dispositione Angelorum; *& ad Gal.*3. Lex posita est, ordinata per Angelosm manu Mediatoris. *Ad Hebr.* autem *cap.* 1. Multifariam multisquè modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio &c. *Nec obest quòd dicatur Ex.* 33. Locutus est Dominus Moysi facie ad faciem. *Etenim* secundùm opinionem C populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subiectam creaturam, idest per Angelum, & nubem, ei loqueretur, & appareret. *Itaque* Lex D data est à Deo per Angelos. Et præter rationem generalem, quam *Dionysius* assignat *in* 4. *c. Cœl. Hier.* quod diuina debent deferri ad homines mediantibus Angelis, specialis ratio est, quare legem veterem per Angelos dari oportuit. Lex enim vetus imperfecta erat, sed disponebat ad salutem perfectam generis humani, quæ futura erat per Christum. Sic autem videtur in omnibus potestatibus, & artibus ordinatis, quòd ille, qui est superior, principalem, & perfectum actum operatur per seipsum: ea verò, quæ disponunt ad perfectionem ultimam, operatur per suos ministros. Sicut Nauifactor compaginat nauem per seipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes; & ideò conueniens fuit, ut lex perfecta noui testamenti daretur immediatè per ipsum Deum, hominem factum; lex autem vetus per ministros Dei, scilicet per Angelos daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus *ad Hebr.* 1. *cit.* probat eminentiam novæ legis ad veterem, quia in nouo testamento, *locutus est nobis Deus in filio suo:* in veteri autem testamento est sermo factus per *Angelos*.

C 1.2. 98.3. ad. 2.

D ib. in c. & ad 3. Hebr. 1. lec. 1.

Et congruenter.

Lex vetus futurorum umbra bonorũ; noua, imago.

E Heb. 10. lec. 1. ibi, & 1.2. 101.2. in c. & 107. 2. in c.

t *Alia differentia inter veterem, & nouam legem est, quòd ea fuit umbra futurorum: hæc imago, Hebr.* 10. Vmbram habens lex futurorum, bonorum, non ipsam imaginem rerum &c. *Quasi diceret Apostolus.* Ad illa E futura bona (*Cœlestis videlicet Patria*) se habet lex vetus, sicut umbra ad corpus; sed noua lex sicut imago. Vmbra autem, & imago, quantùm ad hoc conueniunt, quòd utraque repræsentat; sed umbra in communi, & quantùm ad naturam speciei: imago verò in particulari, & quantum ad naturam indiuidui, & in speciali. Sic etiam noua lex, quantùm ad bona futura, repræsentat expressiùs quàm vetus. *Primò*, quia in verbis noui testamenti fit expressa mentio de bonis futuris, & promissio: non autem in veteri, sed tantùm de carnalibus. *Secundò*, quia virtus noui testamenti consistit in charitate, quæ *est plenitudo legis*, Rom. 13. & ista charitas, licèt sit imperfecta ratione fidei, cui inhæret, tamen est similis charitati Patriæ: & ideò dicitur imago, quia habet similitudinem expressam bonorum futurorum: sed lex vetus illam repræsentat per quædam carnalia, & valdè à remotis, & ideò dicitur umbra. Hæc est ergo conditio veteris testamenti, quòd *habet umbram futurorum bonorum, non rerum imaginem*. Et ad Coloss. 2. *Quæ sunt umbra futurorum, Corpus autem Christi.* Quando *enim* quis F videt umbram, sperat, quòd corpus sequatur. Legalia autem sunt umbra præcedens Christum, & eum figurabant venturum. Ex quo lex noua G exhibet quod lex vetus promittebat, *secundùm illud* 2. *Cor.* 1. Quotquot promissiones Dei sunt, in illo est: *in illo est*, idest in Christo. Et iterùm, quantùm ad hoc, complet etiam quod vetus lex figurabat. Vnde *ad Coloss.*2. *cit.* dicitur de cæremonialibus, quòd erant *umbra futurorum, corpus autem Christi*; idest, veritas rei pertinet ad Christum. Vnde lex noua dicitur lex veritatis: lex autem vetus, umbræ, vel figuræ. *Idcircò idem Paulus de veteri testamento, huic umbræ alludens, ait ad Hebr.* 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; *deneuo autem subdit:* nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. *Olim* scilicet H tempore expectationis, & tenebrarum: *diebus istis*, idest tempore gratiæ. *Et ad illud Hebr.* 3. Hodie si vocem eius audieritis &c. *inquit Author:* Tempus I est hodie, scilicet tempus diei. Tempus enim legis veteris dicebatur *nox*, quia erat tempus umbræ: sed tempus noui testamenti, quia repellit umbram noctis legis, dicitur *dies* (dicitur etiam illud tempus *dies* propter ortum Solis iustitiæ. Hunc diem non sequitur nox, sed clarior dies, quando scilicet Solem iustitiæ videbimus reuelata facie in rota sua, quando scilicet ipsum videbimus per essentiam) *Rom.* 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit: *Quæ verba, præter alias expositiones, ita intelliguntur,* ut comparetur L nocti tempus præcedens Christi incarnationem, quia nondum erat manifestata, sed sub quadam caligine 2. Pet. 1. *Habetis propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat &c.* Tempus autem ab incarnatione Christi comparetur diei propter præsentiam spiritualis Solis in Mundo, de quo dicitur Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Vnde & ipse Dominus dicit Io: 9. *Me oportet operari, donec dies est. Vlteriùs vetus lex, lex erat seruitutis, noua verò libertatis. Vnde &* quia M Consilium in optione ponitur eius, cui datur, ideò conuenienter in lege noua, quæ est lex libertatis, supra præcepta sunt addita consilia: non autem in veteri lege, quæ erat lex seruitutis. *Et ita cohærenter docemur, quòd* quædam sunt N opera, quæ non habent necessariam contrarietatem, vel conuenientiam ad fidem per dilectionem operantem: & talia opera non sunt in noua lege præcepta, vel prohibita ex ipsa prima legis institutione, sed relicta sunt à Legislatore, scilicet Christo, unicuique secundùm quod aliquis alicuius curam gerere debet; & sic unicuique liberum est circa talia determinare, quid sibi expediat facere, vel vitare, & cuicumque præsidenti circa talia ordinare suis subditis, quid sit in talibus faciendum, vel vitandum. Vnde etiam quantùm ad hoc dicitur lex Euangelij, lex libertatis: nam lex vetus multa determinabat, & pauca relinquebat hominum libertati determinanda. *Postremò lex vetus, lex mortis erat; noua verò, vitæ. Rom.* 7. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis &c. *idest* à seruitute O legis Moysi, quæ dicitur lex mortis, vel quia corporaliter occidebat absque misericordia, Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur*: vel potiùs dicitur lex mortis, quia spiritualiter occidebat per occasionem (*ut præmissum est*) secundùm illud 2. Cor. 3. *Litera occidit.* Ita scilicet *soluti sumus, ut seruiamus in nouitate spiritus*, in spiritu renouati per gratiam Christi: *cuius lex, lex vita est.* Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis; *dicebat Apostolus* ad Rom. 8. *Et quidem* Lex spiritus P potest dici proprius effectus Spiritus Sancti, scilicet fides per dilectionem operans, quæ quidem & docet interiùs de agendis 1. Io: 2. *Vnctio docet vos de omnibus*: & inclinat affectum ad agendum, secundùm illud 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos*: & hæc quidem *lex spiritus* dicitur lex noua, quæ vel est ipse Spiritus Sanctus, vel eam in cordibus nostris Spiritus Sanctus facit, *Ier.* 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum; &*

F Coloss. 2. lec. 4. ibi.

G 1.2. 107.2. in corp. & ad Coloss. loc. cit.

Et lex veritatis.

H Hebr. 1. l. 1. ibi.

Lex vetus nox: noua, dies.

I Hebr. 3. l. 2. ibi.

L Rom. 13. l. 3. ibi. Io: 9. lec. 1. lit. d. ibi, dies.

M 1. 2. 108. 4. in c.

Vetus, lex seruitutis: noua, libertatis.

N ibid. art. 1. ß. c. & art. 2. c. Quol. 4. a. 13. c.

Lex vetus lex mortis: noua, vitæ.

O Rom. 7. l. 1. ibi.

P Rom. 8. l. 1. ibi.

in cor-

in corde eorum scribam eam: & addit, *vitæ:* quia sicut spiritus naturalis facit vitam naturæ; sic Spiritus diuinus facit spiritum gratiæ, Io. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Addit etiam, *In Christo Iesu:* quia scilicet iste spiritus non datur, nisi his, qui sunt in Christo Iesu. Sicut enim spiritus naturalis non peruenit ad membrum, quod non habet connexionem ad caput: Ita Spiritus Sanctus non peruenit ad hominem, qui non est capiti Christo iunctus. Hæc inquam lex, ex eo, quòd est *In Christo Iesu*, liberauit me, Io. 8. *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis*, & hoc à *lege peccati*, idest à lege fomitis, quæ inclinat ad peccatum: vel *à lege peccati*, idest à consensu, & operatione peccati, quod hominem tenet ligatum per modum legis: per Spiritum Sanctum enim remittitur peccatum, Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* consequenter *& mortis*, non solùm spiritualis, sed etiam corporalis: (*nam per peccatum mors, Rom. 5. vt superiùs expositum est:*) & hoc ideò, quia est *spiritus vitæ*.

Lex noua cur non data ab initio Mundi. Q 1. 2. 106. 3. c.

U *Cæterum ex præfatis* triplex ratio Q assignari potest, quare lex noua non debuit dari à principio Mundi. Quarum *Prima* est; quia lex noua (sicut dictum est) principaliter est gratia Spiritus Sancti, quæ abundanter dari non debuit antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum. Vnde dicitur Io. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* & hanc rationem manifestè assignat Apostolus *ad Rom. 8. cit.* Vbi postquam præmiserat de lege Spiritus vitæ, subiungit: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Secunda* ratio potest assignari ex perfectione legis nouæ. Non enim aliquid ad perfectum adducitur statim à principio, sed quodam temporali successionis ordine; sicut aliquis priùs fit puer, & postmodum vir: & hanc rationem assignat Apostolus ad Gal. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Tertia ratio sumitur ex hoc, quòd lex noua est lex gratiæ, & ideò primò oportuit, quòd homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret, se gratia indigere &c (*vt & superiùs dictum est.*) & hanc rationem assignat Apostolus ad Rom. 5. dicens; *Lex subintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* (*Et ideò 1. Cor. 15. dicitur:* Non priùs quod spirituale est, *qualis noua lex*, sed quod animale, deinde quod spirituale.) Gratia autem & veritas *Io. 1.* per Iesum Christum facta est; *Idcircò quia* salus R hominis non poterat esse nisi per Christum, secundum illud Act. 4. *Non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri:* ideò lex perfectè omnes ad salutem inducens dari non potuit nisi post Christi aduentum: antea verò dari oportuit populo, ex quo Christus erat nasciturus, legem præparatoriam ad Christi susceptionem. *Ex quo, cum lex Christi sit perfectè omnes ad salutem inducens; nullam aliam meliorem ei successuram legem, firmiter asseueramus.* Succedit *enim* status S nouæ legis statui veteris legis, tanquam perfectior imperfectiori. Nullus autem status præsentis vitæ potest esse perfectior, quàm status nouæ legis: nihil enim potest esse propinquius fini vltimo, quam quod immediatè in finem vltimum introducit. Hoc autem facit noua lex. Vnde Apostolus ad Hebr. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi: quam initiauit nobis viam nouam, accedamus &c.* Vnde non potest esse aliquis perfectior status præsentis vitæ, quàm status nouæ legis: quia tantò est vnumquodque perfectius, quantò est vltimo fini propinquius. *Quòd mirificè facit parabola de grano sinapis Matth. 13.* quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit maius est omnibus oleribus &c. *Vbi* per granum T sinapis *ex Hieron.* doctrina Euangelica intelligitur, quæ primò minima apparuit, quia *verbum Crucis pereuntibus stultitia est; iis autem, qui salui fiunt, Dei virtus est*, ut dicitur 1. ad Cor. 1. *Cum autem creuerit*, idest pullulauerit, *maius est omnibus oleribus:* quia doctrina Euangelica magis fructificauit, quàm doctrina Legis: doctrina enim Legis non fructificauit, nisi inter Iudæos: *sed hæc in omnibus gentibus, & nationibus, Ps. 66.* In omnibus gentibus Salutare tuum; *& Ps. 95.* Dicite in gentibus, *& Ecclesia in nationibus*, quia Dominus regnauit à ligno.) Maior est ergo in soliditate, in generalitate, & in vtilitate. In soliditate, *& fit arbor*, quia aliæ doctrinæ sunt olera mollia, nihil firmum habentia, quia rationi humanæ subiecta. Sed hæc est arbor firma, Psal. 118. *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Item præest in generalitate, quia hæc multos ramos habet; *ita ut volucres Cœli veniant, & habitent in ramis eius.* Exhibet enim homini quę sunt necessaria ad vitam, vtique spiritualem. Item præest in vtilitate: *quia volucres habitant in ramis eius*, idest omnes, qui habent animum in Cœlis, ad Phil. 3. *Nostra conuersatio in Cœlis est.* Qui enim habitant in terra, non sunt volucres, 2. *ad Cor. 4.* Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt. *Et huc solummodo verus Christianæ legis cultor suspicere debet, tanquam in suum vltimum, perfectumque finem. Ex qua noua Christi lex florebit, durabitque vsq; ad finem Mundi.* Non enim V est expectandum, quòd sit aliquis status futurus, in quo perfectiùs gratia Spiritus Sancti habeatur, quàm hactenus habita fuerit, & maximè ab Apostolis, qui *primitias spiritus* acceperunt, idest & tempore priùs *ex glossa*, & cæteris abundantiùs, *& à Virgine Deipara, quæ fuit gratia plena;* unde *& ab Ecclesia* Mater gratiæ *nuncupatur. Idcircò Matth. 24. dictum est à Domino:* Cœlum, & Terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. *Et quidem* Verba X Moysi, & aliorum præterceunt: verba enim Moysi sunt signa præsentis Ecclesiæ; sed verba Christi prænunciant statum vitæ æternæ (*Io. 6.* Verba vitæ æternæ habes:) unde verba Moysi transeunt; idest quod promisit Moyses, transit: quod Christus, non: quia promisit futuram gloriam, quæ non transit. *Quod & ipse confirmans magis Matth. 28. fin.* Ecce ego *inquit* vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Vbi Author:* Non sic Y dicit, ut quasi post non sit nobiscum, nisi *vsque ad consummationem sæculi:* sed quia tunc erimus per consummationem in gloria, Apoc. 21. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt; & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Quasi dicat: Generatio fidelium fortior est, quàm Mundus: non enim peribit Mundus, *donec omnia fiant;* idest donec Ecclesia fidelium consummetur, & compleatur numerus electorum à Deo in vitam æternam: Cui est honor, & potestas per infinita secula seculorum. Amen. *Quæ plura de vtraque lege desiderantur, vide fusè, & profundè apud Authorem Z.* Disce *ita diligere legem Christi, vt tota die meditatio sua sit.*

Lex noua, Lex gratiæ.

R 1. 2. 91. 5. ad 2.

Nulla melior lex ei successura.

S 1. 2. 106. 4. c.

T Matth. 13. lit. c. ibi.

Per granum sinapis in Euangelio doctrina fidei intelligitur.

Legis Christianæ cultor animo in Cęlis e''o.

Lex Christi usque ad finē Mundi florebit.

V 1. 2. 106. 4. fin. c.

X Matth. 24. lit. c. ibi. Ier. 31. §. 11. ibi, si defecerint.

Y Matth. 28. fin.

Z 1. 2. q. 98. In 3. d. 40. & in 4. d. 1. & 2. & in Epist. ad Rom. ad Gal. ad Hebræos.

Vide

Vide Decalogus, Ecclesia, Fides infusa, Gratia Dei, Iudæi *Tom. 2.*

LIBERALITAS.

III. Liberalitas non attenditur in quantitate dati, sed in affectu dantis. 2. 2. 117. 2. ad 1.

A 2. 2. 117. 1. c.

X Liberalitatem inter virtutes connumerari, nemo sit, qui ambigat. Nam bene A vti ex Augustino his, quibus male uti possumus, pertinet ad virtutem. Possumus autem benè, & malè uti non solùm his, quæ intra nos sunt, putà potentijs, & passionibus animæ, sed etiam his, quæ extra nos sunt, scilicet rebus huius Mundi, concessis nobis ad sustentationem vitæ: & ideò, cum benè uti rebus pertineat ad liberalitatem, consequens est, quòd liberalitas sit virtus. *Verumtamen* ad liberalem B non pertinet, sic diuitias mittere, ut non sibi remaneat, unde sustentetur, & unde virtutis opera exequatur, quibus ad felicitatem peruenitur. Vnde Philosophus dicit *in 4. Ethic. quòd* liberalis non negliget propria volens per hoc quibusdam sufficere. *Et Ambrosius dicit in lib. de Offic. quòd* Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari. *Ex quo infertur, liberalitatis materiam esse pecuniam, & actum eius, benè illa uti. Ex Philosopho enim in 4. Ethic.* ad liberalem C pertinet emissiuum esse; unde & alio nomine liberalitas *largitas* nominatur, quia quod largum est, non est retentiuum, sed emissiuum. Et ad hoc idem pertinere videtur etiam nomen liberalitatis: cum enim quis aliquid à se emittit, quodammodo illud à sua custodia, & dominio *liberat*, & animum suum ab eius affectu *liberum* esse ostendit. Ea verò, quæ emittenda sunt ab uno homine in alium, sunt bona possessa, quæ nomine pecuniæ significantur; & ideò propriam materia liberalitatis est pecunia. *Pecunia inquam nomine, bona omnia possessa significantur. Nam, ut Augustinus dicit in lib. de discipl. Christ.:* Totum D quicquid homines in terra habent, & omnia, quorum sunt Domini, *pecunia* vocatur: quia antiqui quæ habebant, *in pecoribus* habebant. *Et Phil dicit in 4. Ethic. quòd* pecunias omnia dicimus quorum dignitas numismate mensuratur. *Et hac quidem benè uti, actus liberalitatis est. Siquidem* species E actus sumitur ex obiecto. Obiectum autem, siuè materia liberalitatis, est pecunia, & quicquid pecunia mensurari potest: & quia quælibet virtus conuenienter se habet ad suum obiectum, consequens est, ut cum liberalitas sit virtus, actus eius sit proportionatus pecuniæ. Pecunia autem cadit sub ratione bonorum utilium, quia omnia exteriora bona ad usum hominis sunt ordinata; & ideò actus proprius liberalitatis est pecunia, vel diuitijs uti: *unde utilitas deriuatur. Ceterum* immediata F materia liberalitatis sunt interiores passiones, sed pecunia exterior est obiectum ipsarum passionum, *quas virtus moderatur liberalitatis.* Ad liberalitatem *enim* pertinet G moderari interiorem passionem, ut scilicet aliquis non superexcedat concupiscendo, & amando diuitias: ex hoc enim efficitur homo facilè emissiuus diuitiarum. Liberalitas autem H quæ moderatur amorem pecuniarum, per consequens etiam moderatur timorem amissionis earum. *Porrò* duplex est I usus pecuniæ. Vnus ad se ipsum, qui videtur ad sumptus, vel expensas pertinere: Alius autem, quo quis utitur ad alios, qui pertinet ad dationes: & ideò ad liberalitatem pertinet, ut neque propter immoderatum amorem pecuniæ aliquis impediatur à conuenientibus expensis, neque à conuenientibus dationibus. Vnde circa dationes, & sumptus liberalitas consistit secundùm *Philos. in 4. Ethicor. Quia verò, ut ait* Seneca *in 5. de benefic.* Non est liberalis aliquis ex hoc, quod sibi donat, *consequenter ad liberalem maximè pertinet alijs dare. Et quidem (sicut præmissum est)* Proprium est L liberalis uti pecunia. Vsus autem pecuniæ est in emissione ipsius: (nam acquisitio pecuniæ magis assimilatur generationi, quàm vsui: custodia verò pecuniæ, in quantùm ordinatur ad facultatem vtendi, assimilatur habitui.) Emissio autem alicuius rei, quantò fit ad aliquid distantius, tantò à maiori virtute procedit, sicut patet in his, quæ proijciuntur; & ideò ex maiori virtute procedit, quòd aliquis emittat pecuniam, dando eam alijs, quàm expendendo eam circa se ipsum. Proprium est autem virtutis, ut præcisè tendat in id, quod perfectius est: nam virtus est perfectio quædam, vt dicitur *in 7. Physic.* Et ideò liberalis maximè laudatur ex datione.

Liberalitas virtus.

B Ibid. ad 2. & 1.

Eius materia, quid.

C Ibid. a. 2. c. & q. 31. ad 2. & 32. 1 ad 4. & 118. 3. c. & 157. 1. c. & a. 131 fin. c.

Cur & largitas vocetur.

Liberalitas vnde dicatur.

D 2. 2. 117. 2. ad 2. Ma. 13. 1. c.

Pecuniæ etymon.

Quis liberalitatis actus.

E 2. 2. 1. c. a. 3. c.

Materia immediata, quid.

F Ibid. a. 2. ad 1. & a. 3. ad 3. & 1 2. 60. 5. c.

G 2. 2. 31. 1. ad 2.

H 2. 2. 123. 4. ad 2.

Duplex pecuniæ vsus.

I 2. 2. 117. 4. ad 3.

Liberalitas est circa dationes, & sumptus.

L Ibid. a. 4. & 119. 1. ad 1. & 3. & q. 31. 1. ad 2. Et 1. Tom. 6. l. 4. ibi, tribuere.

Propriũ magis est liberalis, dare, & perfectius.

y *Ex quo, liberalitati directè opponitur auaritia: hæc enim* importat M quendam defectum circa emissiones pecuniarum, & quandam superfluitatem circa acquisitionem, & retentionem earum in superfluo amore pecuniæ, *ex opposito ad liberalitatem. Et licet liberalitas videatur cum iustitia, & magnificentia conuenire, sicut conuenit cum beneficentia:* (beneficentia *enim* est N actus amicitiæ, & per consequens charitatis: nam in actu dilectionis includitur beneuolentia, per quam vult aliquis bonum amico. Voluntas autem est effectiua eorum, quæ vult, si facultas adsit; & ideò ex consequenti, benefacere amico ex actu dilectionis consequitur. Si autem bonum, quod quis facit alteri, accipiatur sub aliqua speciali ratione boni: sic beneficentia accipiet specialem rationem, & pertinebit ad aliquam specialem virtutem: *& sic beneficentia inuoluitur liberalitati:*) *Nihilominus ab eis differre, certum est. Nam* virtutes illæ O quæ sunt circa res exteriores, habent aliquam difficultatem ex ipso genere rei, circa quam est virtus, & aliam difficultatem ex magnitudine ipsius rei; & ideò oportet circa pecuniam, & usum eius esse duas virtutes: scilicet liberalitatem, quæ respicit communiter vsum pecuniæ; & magnificentiam, quæ respicit magnum pecuniæ usum. *Et alibi.* Ad liberalitatem P pertinet benè vti diuitijs, in quantùm huiusmodi, eo quòd diuitiæ sunt propria materia liberalitatis. Ad iustitiam autem pertinet vti diuitijs secundùm rationem debiti, prout scilicet res exterior debetur alteri. Ad magnificentiam autem pertinet vti diuitijs secundùm quandam specialem rationem; idest secundùm quod assumuntur in alicuius magni operis expletionem. Vnde & magnificentia quodammodò se habet ex additione ad liberalitatem. *Verùm* actus Q liberalitatis oportet, quòd fundetur super actum iustitiæ. Non enim esset liberalis datio, si non de proprio daret, ut dicitur *in 2. Polit.* Vnde liberalitas sine iustitia esse non potest, quæ secernit suum à non suo: iustitia autem potest esse sine liberalitate. Vnde iustitia simpliciter est maior liberalitate, tanquam communior, & fundamentum ipsius. Liberalitas autem est secundùm quid maior, cum sit quidam ornatus iustitiæ, & supplementum eius. *Et hinc est; quòd* liberalitas R non est species iustitiæ, quia iustitia exhibet alteri quod est eius; sed liberalitas exhibet id, quod suum est: habet tamen quandam conuenientiam cum iustitia in duobus. Primò quidem, quia principaliter est ad alterum, sicut & iustitia: (Iustitia *tamen* obseruatur S ad omnes, liberalitas autem ad omnes se extendere non potest.) C Secundò

Liberalitati secũdùm defectum opponitur auaritia.

M Ma. 13. 1. fin. c. & 2. 2. 118. 3. c. & 119. 1. c.

N 2. 2. 31. 1. & 4. c.

Beneficentia quid.

O 2. 2. 134. 3. ad 1. & 2.

An, & quomodo liberalitas à iustitia, & magnificẽtia distinguatur.

P 2. 2. 117. 3. ad 1.

Q 1. 2. 66. 4. ad 1. & 2. 2. 58. 12. ad 1. Virt. 5. 1. ad 12.

An iustitiæ liberalitas præferatur.

Non est species, sed pars iustitiæ: cum qua in duobus conuenit.

R 2. 2. 117. 5. c.

S 2. 2. 58. 12. ad 1. & 118. 3. ad 2. Virt. 5. 1. ad 12.

Secundò quia eſt circa res exteriores, ſicut & iuſtitia, licèt ſecundùm rationem; & ideo liberalitas à quibuſdam ponitur pars iuſtitiæ, ſicut virtus adnexa ei, vt principali. *Et licèt* liberalitas T non attendat debitum legale, quod attendit iuſtitia: attendit tamen debitum quoddam morale, quod attenditur ex quadam ipſius decentia, non ex hoc, quòd ſit quis alteri obligatus.

T 2. 2. 117. 5. ad 1. & loc. cit.

z *Enimverò Andronicus* magnificentiæ V addit *Andragathiam*, quaſi virilem bonitatem, quæ apud nos *ſtrenuitas* poteſt dici. Ad magnificentiam autem pertinet non ſolùm quòd homo conſiſtat in executione magnorum operum, quod pertinet ad conſtantiam, ſed etiam cum quadam virili prudentia & ſolicitudine ea exequatur, quod pertinet ad *Andragathiam*, ſiuè ſtrenuitatem. Vnde dicit, quòd *Andragathia* eſt viri virtus adinuentiua communicabilium operum. *Verum tamen* hanc X diffinitionem non ponit *Macrobius* propter hoc quòd videtur eſſe idem liberalitati: niſi quod in tantùm differat, quòd liberalitas reſpicit bonum ſingulare, ſed *andragathia* bonum commune. Vnde magis accedit ad magnificentiam, quia ea, quæ indigent magnis ſumptibus, maximè ſunt quæ ad communitatem pertinent. *Et quamuis primò, & per ſe liberalitas cæteris non præferatur virtutibus; tamen ex conſequenti antefertur.* Ex hoc enim Y quòd homo non eſt amatiuus pecuniæ, ſequitur, quòd de facili vtatur ea & ad ſe ipſum, & ad vtilitatem aliorum, & ad honorem Dei; & ſecundùm hoc liberalitas habet quandam excellentiam ex hoc, quòd vtilis eſt ad multa. *Quoniam verò* liberalitas Z reſpicit ſumptus per comparationem ad amorem & concupiſcentiam pecuniarum, quæ ſunt paſſiones concupiſcibilis, quibus non impeditur liberalis à dationibus, & ſumptibus faciendis; ideò eſt in concupiſcibili. Seu magnificentia reſpicit ſumptus per comparationem ad ſpem, attingendo ad aliquid arduum; non ſimpliciter ſicut magnanimitas, ſed in determinata materia, ſcilicet in ſumptibus; unde magnificentia videtur eſſe in iraſcibili, ſicut & magnanimitas. *Quòd verò alibi doceat expreſsè Author, quòd* quædam A virtutes morales ſunt circa operationes, ut puta circa dationes, & ſumptus; vt iuſtitia, & liberalitas, & magnificentia; quæ etiam non ſunt in parte ſenſitiua, ſed in voluntate: *non contrariatur id præfatæ doctrinæ. Nam, ex præmiſſis, reſpectu materiæ mediatæ proprius actus liberalitatis eſt, benè vti pecuniis; & ſic liberalitas eſt in voluntate ſubiectiuè; quia* vti B propriè eſt actus voluntatis: *reſpectu verò materiæ immediatæ* (quæ ſunt C interiores paſſiones) *ſcilicet reprimendo amorem inordinatum, & cupiditatem pecuniæ, in quantùm impediunt bonum uſum eius; ſic liberalitas eſt in concupiſcibili.*

V 2. 2. 128. 1. ad 6. fin. Andragathia, ſiue ſtrenuitas, quid.

X 3. d. 33. 3. 3. q. 4. fin. c. Quo ſenſu liberalitas cæteris præferatur virtutibus.

Y 2. 2. 117. 6. fin. c. & 1. 2. 66. 4. ad 1. Ex hoc, quòd homo non eſt amatiuus pecuniæ, ad omnia bona diſponitur.

Z 2. 2. 134. 4. ad 1. & 1. 2. 60. 5 c. In quo liberalitas, & magnificentia ſubiectentur.

A 1. p. 21. 1. ad 1. & 1. con. G. c. 93. inis. Vir. 1. 5. fin. c.

B 1. 2. 16. 1. fin. c.

C 2. 2. 117. 2. ad 1.

a *Ex præfatis omnibus deducitur*: Primò *non eſſe liberalem, qui ſibi, vt aliis det, neceſſaria ſubtrahit.* Debet *enim* homo D ſemper magis ſibi prouidere in ſpiritualibus bonis, in quibus vnuſquiſque ſibi præcipuè ſubuenire poteſt; & tamen etiam in rebus temporalibus non pertinet ad liberalem, vt ſic aliis intendat, quòd omninò ſe, & ſuos deſpiciat. Secundò *liberalem non eſſe qui promptè, & delectabiliter non dat.* Hilarem enim datorem diligit Deus, *ut dicitur 2. ad Cor. 9. & 1. ad Tim. 6.* Diuitibus præcipe facilè tribuere, *ideſt* ſine E grauitate cordis interiùs, & ſine tarditate, Prou. 3. *Ne dicas amico tuo*: Vade, & reuertere: cras dabo tibi: *cum ſtatim poſſis dare. Hinc* ſi homo F det aliquod donum magnum, & tamen cum quadam concupiſcentia retinendi, datio non eſt liberalis. Tertiò *non eſſe liberalem, qui largè erogat non de ſuo, ſed de alieno.* Non enim G eſſet liberalis datio (*vt præmiſſum eſt*) ſi quis non de proprio daret: quandoquidem liberalitas H exhibet id, quod ſuum eſt. Quartò *deducitur, non argui in aliquo liberalitatem*, ex eo, quòd multa impendat: *quemadmodum nec diuitiis carentem liberalem non eſſe. Sicut enim* nihil I prohibet aliquos multa in bonos uſus expendere, & habitum liberalitatis non habere; ſicut & aliarum virtutum opera faciunt homines antequam habitum virtutis habeant, licèt non eodem modo, quo virtuoſi: ſimiliter etiam nihil prohibet, aliquos virtuoſos, licèt ſint pauperes, eſſe liberales. Vnde Philoſ. dicit *in 4. Ethic.* ſecundùm ſubſtantiam, ideſt facultatem diuitiarum, liberalitas dicitur: non enim conſiſtit in multitudine datorum, ſed in dantis habitu. *Hinc Gregorius*: Affectum *inquit* debemus potiùs penſare, quàm cenſum. *Ex quo Vidua illa, tametſi paupercula*, duo æra minuta *erogando, plus in gazophylacium, quàm cæteros diuites, miſiſſe dicta eſt Luc. 21.* Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus, quàm omnes, miſit. *Et hoc eſt, quod aiebat initio Author*: Liberalitas L non attenditur in quantitate dati, ſed in affectu dantis. *Liberalis quippè reuera eſt, qui ex animo ſecundùm liberalitatis virtutem operatur. Quales deſcribit Apoſtolus Macedones 2. Cor. 8.* Quia *nimirùm* ſecundùm virtutem (teſtimonium illis reddo) & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in Sanctos. *Vbi, quod priùs dixerat*, exponit M commendando ipſorum liberalitatem quantùm ad tria: ſcilicet quantùm ad quantitatem dati, quantùm ad voluntatem dandi, & quantùm ad ordinem dationis. Quantùm ad quantitatem dati, quia dederunt *ſupra virtutem.* Eſt autem virtus interior animi, & virtus exterior, ſcilicet facultas rerum temporalium. Virtus interior eſt promptitudo animi ad dandum; & ideò dicit: *Teſtimonium illis reddo*, quòd *fuerunt voluntarii*, ſcilicet ad dandum, *ſecundùm virtutem* animi interiorem, & *ſupra virtutem*, exteriorem ſcilicet diuitiarum, Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundantèr tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Commendat autem eam, quantum ad voluntatem dandi, cum dicit: *quia* voluntarij fuerunt, Ex. 25. *Ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas* [primitias.] In hoc autem *fuerunt voluntarii*, quia rogauerunt nos *cum multa exhortatione obſecrantes &c.* ideſt rogantes. *q. d.* non ſolùm rogauerunt, ſed etiam per rationes nos induxerunt, ut habeant *gratiam, & communicationem miniſterii &c.* Ideſt vt liceret eis dare ſua pauperibus ſanctis, qui erant in Ieruſalem, non reputantes ſe facere gratiam nobis, ſed quòd eis gratia fiat, Hebr. 13. *Beneficentia, & communionis nolite obliuiſci &c.* Commendat etiam eorum liberalitatem, quantùm ad ordinem dandi, quia non ſolùm ſua dederunt, ſed primò ſe ipſos: *ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis &c.* quia talis debet eſſe ordo in dando, vt primùm homo ſit acceptus Deo. Niſi enim homo ſit Deo gratus, non ſunt accepta munera eius, Gen. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel*, ſcilicet primò, *& ad munera eius* conſequenter.

D Ibid. a. 1. ad 1. & 2.

Quis verè ſit liberalis.

E 1. Tim. 6. l. 4. ibi.

F 2. 2. 31. 1. ad 2.

G 1. 2. 66. 4. ad 1.

H 2. 2. 117. 5. c.

I Ibid. a. 1. ad 3.

L Ibid. a. 2. ad 1. Liberalitas attenditur nō in quantitate dati, ſed in affectu dantis.

Macedones ex Apoſtolo verè liberales.

M 2. Cor. 8. l. 1. ibi. Liberalitas ex tribus cōmendatur.

b *Sed & hæc eadem liberalitatis virtus ſatis exprimitur exemplo Domini in ea parabola Matth. 25.* Homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. *Quibus in verbis* dantis N liberalitas in duobus tangitur: ſcilicet in eo, quòd præuenit eos, quibus dedit: item in eo quòd abundanter dedit. In eo quòd præuenit, quia qui expectat dare, diminuit de liberalitate ſua. Non ſic autem Dominus, Pſal. 20. *Domine*

Exemplo Domini commēdabilior.

N Matth. 25. lit. b. ibi, & 1. Tim. 6. l. 4 ibi, tribuere.

præue-

præuenisti eum in benedictionibus &c. Vnde vocauit seruos suos, non illi ipsum, Io. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Item tangitur liberalitas, quia de suo [& quidem abundanter, Iac. 1. Qui dat omnibus affluenter; de quo infra:] tradidit illis bona sua, non aliena. Aliqui enim benè sunt liberales de alieno, sed non de suo. Iste autem de suo; unde de isto potest intelligi quod dicitur in Psal. 67. Ascendisti in altum &c. dedisti dona hominibus. Hinc illud Matth. 8. Ego veniam, & curabo eum, exponit Author: idest O non loquar. Vbi nota, quòd nullus auderet tantum petere, quantum Dominus dare dicit. Vnde Augustinus: Erubescat, inquit, humana P pigritia: plus paratus est Deus dare, quàm nos accipere. Et ita facilis est Q ad largiendum, ut desiderium etiam antequàm proferat quis verba, exaudiat, secundùm illud Ps. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Et quis dignè valeat Dei liberalitatem, vt par est, commendare? Nullus profectò, linguis quippe hominum, & Angelorum ineffabilem. Nam ea etiam R quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largiùs dispensat, quàm exigat proportio rei. Minus enim est, quod sufficeret ad conseruandum ordinem iustitiæ, quàm quod diuina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit. Et alibi: Tanta est S Dei liberalitas, ut non solùm sua, sed etiam se ipsum largiatur; nec solùm seruientibus sibi, sed etiam hostibus suis bona sua communicat. Ipse enim solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, Matth. 5. Ipse propter liberalitatem fecit quæcumque fecit: creaturas rationales, ut eis daret: alias, ut eas daret. Ex quo concludit Author, quòd Solus Deus T est maximè liberalis, quia non agit propter suam vtilitatem, sed solùm propter suam bonitatem. Sanè quando V non intenditur vtilitas aliqua in ipso dante, hæc datio dicitur liberalis, & propriè dicitur donatio. Constat autem, quòd illa datio, in qua intenditur utilitas dantis, non competit Deo. Vnde ipse singulariter dicitur liberalis, quia in omnibus alijs dantibus intenditur aliqua vtilitas in dante, vel boni temporalis, vel spiritualis: & ideò nulla datio est purè liberalis, ut dicit Auicenna, nisi Dei, & operatio ipsius. Vnde Augustinus: Deus inquit vtitur X nobis ad bonitatem suam, & vtilitatem nostram. Eapropter dicitur Ps. 103. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Et 1. Tim. 6. Qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. Et Iac. 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Qui dat, idest Y paratus est dare omnibus sine personarum acceptione, piè ex glossa petentibus: affluenter, idest non parcè, unde & dicitur effundere: ille autem, qui effundit, totum dat, & nihil sibi retinet; Effundam spiritum meum super omnem carnem, Ioel. 2. & non improperat, quia dat liberaliter, vnde ostendit ibi optimas conditiones à parte dantis: dat enim liberaliter, non vendit, sicut multi. Dat generaliter, non vni, sed omnibus. Dat abundanter, non parcè, vnde affluenter dat. Dat curialiter, quia non improperat. Et quidem, sicut liberalitas Z signum est nobilitatis; sic rapacitas signum est rusticitatis. Vnde aliqui, qui reputantur nobiles, rusticissimi sunt, eo quòd bonis suis spoliant pauperes: sicut ostendit Magister Alanus quibusdam militibus; qui audito, quòd tantus Clericus esset, quòd ad omnia interrogata responderet: accedentes ad eum de communi consilio, quæsierunt ab illo, quæ esset maxima curialitas. Qui respondit eis, quòd curialissimum esset dare. Qui responsionem

O Matth. 8. lit. B. ibi. lo. 11. L. 6. lit. c. fin. ibi, ut credat.
P Luc. 1. §. 4. fin.
Dei extollitur liberalitas.
Q Io. 11. l. 6. lit. c. ibi, audisti me.
R 1. p. 21. 4. fin. c.
S Op. de er. Pr. l. 1. c. 3. & fect Op. 58. c. 5.
T 1. p. 44. 4. ad 1.
Solus Deus maximè liberalis.
V 1. d. 18. 1. 3. c. & dist. 45. 1. 2. c. Ver. 23. 4. fin. c. & 1. con. G. cap. 93. n. 6.
X In 1. d. 45. l. c. fin. corp.
Y Iac. 1. §. 4. ibi, & 1. Tim. 6. lec. 4. ibi, abundè.
Z Op. de er. Pr. l. 1. c. 5. circ. fin.
Liberalitas signum nobilitatis.

eius acceptauerunt. Tunc ipse dixit eis: vt habito consilio de responsione ad inuicem, sibi dicerent, quæ esset maxima rusticitas. Et cum habito consilio de responsione, conuenire non possent; ipse increpauit eos, dicens, quòd posuerat eos in via, per quam possent inuenire responsionem: sicut enim dare curialissimum; ita auferre, quod est ei contrarium, rusticissimum est; & subdidit: Vos ergo, qui non cessatis auferre pauperibus, rusticissimi estis.

C Quoniam verò nullum vitium est alicui virtuti oppositum, cui aliud vitium non opponatur respectu virtutis, per defectum scilicet. & superabundantiam: sicuti secundùm defectum liberalitati opponitur auaritia, ita secundùm superabundantiam ei prodigalitas contrariatur. Differunt autem A auaritia, & prodigalitas, secundùm superabundantiam, & defectum diuersimodè. Nam in affectione diuitiarum auarus superabundat, plus debito eas diligens: prodigus autem deficit, minùs debito earum solicitudinem gerens Circa exteriora verò, ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando; deficere autem in retinendo, & acquirendo. Ad auaritiam autem pertinet è contrario deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiendo, & retinendo; unde patet, quòd prodigalitas auaritiæ opponitur. Et vitium certè prodigalitatis est, non quòd quis facilè alijs sua tribuit (hoc enim immò Apostolus imponit 1. Tim. 6. Diuitibus hujus seculi præcipe facilè tribuere, communicare &c.) sed quia non tribuit secundùm quod B oportet: quod non faciunt prodigi. Quia ut Philosophus dicit in 4 Ethic. Dationes eorum non sunt bona, neque boni gratia, neque secundùm quod oportet; sed quandoque dant multa illis, quos oporteret pauperes esse, scilicet histrionibus, & adulatoribus: bonis autem nihil dant. Dant autem faciliter illis, non istis, ad peccandum. Prodigus enim est C quicumque effundit, quæ habet, propter quæcumque peccata, vt de filio prodigo notum est Luc. 15. Et quidem vt frequentiùs D prodigi ad intemperantias declinant: tum quia ex quo superfluè expendunt in alijs, etiam in rebus voluptuosis expendere non verentur, ad quas magis inclinat concupiscentia carnis: tum etiam, quia non delectantur in bonis virtutum, quærunt sibi corporales delectationes. Et inde est, vt Philosophus dicit in 4. Ethic. quòd multi prodigorum fiunt intemperati. Quamuis autem virtutem prodigalitas corrumpat, consequenter & vitium reuera sit: nihilominus prodigalitas E secundùm se considerata minus peccatum est, quàm auaritia. Et hoc triplici ratione. Primò quidem, quia auaritia magis differt à virtute opposita: magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo superabundat prodigus, quàm accipere, vel retinere, in quo superabundat auarus. Secundò quia prodigus est multis vtilis, quibus dat: auarus autem nulli, sed nec sibi ipsi. Tertiò quia prodigus est facilè sanabilis & per hoc, quòd declinat ad ætatem senectutis, quæ est contraria prodigalitati; & per hoc, quòd peruenit ad egestatem de facili, dum multa inutiliter consumit; & sic pauper factus, non potest in dando superabundare: & etiam quia de facili perducitur ad virtutem propter similitudinem, quam habet ad ipsam: sed auarus non de facili sanatur ratione supradicta. Enimverò tam prodigus, quàm auarus, & in se ipsos peccant, & in proximos. Nam prodigus F peccat in se ipsum, dum bona sua consumit, unde viuere deberet. Peccat etiam in alterum, consumendo bona, ex quibus deberet alijs prouidere: (& præcipuè hoc apparet in Clericis, qui sunt dispensatores bonorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodige ex-

Liberalitati secundùm superabundantiam prodigalitas contrariatur.
A 2. 2. 119. 1. 2 3. c. & 107. 2. c & 118. 3. ad 3. Ma. 13. 2. ad 2.
Auaritia, & prodigalitas diuersimodè differunt.
Quis verè prodigus.
B 2. 2. 119. 2. ad 2.
Prodigi ut plurimùm homines ad peccandum, & luxuriandum.
C 2. 2. 117. 1. ad 3.
D 2. 2. 119. 1. ad 3.
Prodigalitas minus peccatum, quàm Auaritia.
E Ibid. a. 3. c. & 118. 5. ad 3. Ma. 13. 2. ad 10.
F 2. 2. 119. 3. ad 1.
Prodigalitas maximè in clericis damnatur.

gè expendendo.) Similiter etiam auarus peccat in alios, in quantùm deficit in dationibus. Peccat & in seipsum, in quantùm deficit in sumptibus; vnde dicitur Eccle. 6. *Viro cui dedit Deus diuitias &c. nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.* Sed tamen in hoc superabundat prodigus, quia sic sibi, & quibusdam alijs nocet, quòd tamen aliquibus prodest. Auarus autem nec alijs, nec sibi prodest, quia non audet vti etiam ad suam vtilitatem bonis suis. *Quemadmodum autem* liberalitas G non attenditur (*vt visum est*) in quantitate dati, sed in affectu dantis: *ita etiam* superexcessus H prodigalitatis non attenditur principaliter secundùm quantitatem dati, sed magis in quantùm excedit id, quod fieri oportet. Vnde quandoque liberalis maiora dat, quàm prodigus, si necessarium sit. Et sic illi, qui intentione sequendi Christum omnia sua dant, & ab animo suo omnium temporalium solicitudinem remouent, non sunt prodigi, sed perfectè liberales. *Ex quo coherenter docemur, quòd* liberalitas I & magnificentia commendantur circa diuitias, in quantùm aliquis non tantùm appretiatur diuitias, quòd velit eas retinere, prætermittendo id, quod fieri oportet. Ille autem minimè diuitias appretiatur, qui penitùs eas contemnit, & abijcit propter perfectionis amorem: (Idem enim facit L in paupere contemptus, quod facit in diuite abundantia: vnde *de Macedonibus* dicit Apostolus 2. Cor. 8. *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.*) Et ideò Christus Dominus in hoc ipso, quòd omnes diuitias contempsit, ostendit in se summum gradum liberalitatis, & magnificentiæ: licèt etiam liberalitatis actum exercuerit, secundùm quod sibi conueniens erat, faciendo pauperibus erogari quæ sibi dabantur. *DISCE, & absque diuitiis virtutem posse liberalitatis haberi.* *Vide* Auaritia, Eleemosyna, Eucharistia *Tom* 2. Oratio.

Prodigus aliquibus prodest: auarus nec alijs, nec sibi.

G 2. 2. 117. 2. ad 1.
H 2. 2. 119. 2. ad 3.

Vnde prodigalitas attendenda.

Qui omnia dant propter Christũ, prodigi non sunt, sed liberales.

I 3. p. 7. 2. ad 3. & 2. Cor. 8. l. 1. ibi, altissima, & 2. 2. 134. 3. ad 4. & 137. 1. ad 2.
L 2. Cor. 8. loc. cit.

Etiam in pauperibus liberalitas, & magnificẽtia locum habent.

LIBERTAS | **LIB. ARBITRIVM.** — *Vide* Conformatio ad diuinam Voluntatem *Tom.* I. Diabolus, Electio, Gratia Dei, Ignorantia *Tomo* II. Voluntas.

LIBIDO. *Vide* Luxuria.

LICITVM. *Vide* Abstinentia à licitis *Tomo* I. Damnatus.

LIMBVS. *Vide* Christi descensus ad Inferos.

L I N G V A.

I V. Lingua est immediatum organum ad interiorem conceptum cordis explicandum, vnde quàm citò verbum est in corde, est in lingua. Et ideò oportet diligenter custodiri. *Ps.* 38. *lit. a. ibi*, in lingua.

d QVanta virtutis, *sinè in bonum, siuè in malum, humana lingua sit, ostendit Apostolus Iacobus cap. 3. vbi comparat illam freno equi, & nauis gubernaculo his verbis*: Si frena equis in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. Ecce & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. *Medicum quidem membrum est*: scilicet M in quantitate, sed magnum in virtute: *& magna*, idest mentes hominum magnas, *exaltat*, idest exaltari facit in magnis præmijs, si custodiatur; vel etiam in magnis pœnis, si non custodiatur. *Quò facit illud Eccli.* 28. Ori tuo facito ostia, & seras, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: & attende, ne fortè labaris in lingua. *Facilè autem labitur qui fragilis est: & nos* in nulla N parte ita fragiles sumus, sicut in lingua. *Siquidem* est O membrum labile, & lubricum, vnde non ita citò fatigatur, sicut aliud membrum. *Et propter fragilitatem hanc, & labilitatem præfatus Apostolus deprompsit*: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *Quasi dicat*: Rarus P est. Vult ostendere *ex glossa* ineuitabilem verbi offensionem, Eccli. 19. *Quis est, qui non deliquerit in lingua sua?* Potest *enim* seruari Q à delicto graui, sicut doli, detractionis &c. sed non à leui semper: immò omnes offendunt, vel superfluè, vel ociosè loquendo. *Et quidem ob lubricitatem præfatam potest lingua difficulter domari*: Omnis enim natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. *Iac.* 3. *cit. Et quamuis quod præmissum est, pati oppositionem possit, cum multa belluæ, & animalia videantur indomita: nihilominus* potest R dici, quòd loquitur pro statu primæ innocentiæ. *Vel omnis natura bestiarum*, idest aliqua de omni, scilicet de bestijs, volucribus, serpentibus &c. Nam *ex glossa* narrat *Plinius* humanissimã aspidem in Ægypto à Patrefamilias domitam, quotidie de camera sua egressam, à mensa eius annonam accipere solitam. Narrat etiam *Marcellinus*, Tigridem mansuetam factam, ab India Athanasio Principi missam. *Linguam autem nullus hominum domare potest*, idest regere, quin labatur aliquo modo. *Ideirco diligenter custodienda lingua est, & cautè, Ps.* 38. Dixi: Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam &c. *Etenim* debet S homo diligenter se custodire ab omnibus peccatis, & præcipuè à peccato linguæ, quia faciliter prolabitur: lingua enim est mobilis, & de facili prorumpit in malum. *Corrumpunt autem mores bonos colloquia mala*, ut dicitur 1. Cor. 15. *Porrò difficillima est linguæ custodia.* Difficultatem T custodiendi ostendit nobis natura, quæ linguam inclusit, sicut solent includi crudelia animalia, & indomita, ne noceant. Propter hanc difficultatem (*Domini enim est gubernare linguam.* Prou. 16.) rogabat Dauid Dominum de eius custodia, Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*: non enim sufficit ad hoc virtus, vel discretio humana, Eccli. 22. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Vtilis est valdè custodia linguæ: si enim lingua modo debito regatur, de fructu eius potest homo ditari, Prou. 12. *De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis.* Pretiosi fructus linguæ, quam Spiritus Sanctus regit (qui in specie linguæ apparere voluit) sunt modestia in loquendo, Oratio, Dei laudatio, gratiarum actio, peccatorum confessio, proximi eruditio, & consolatio. Linguæ vtilitatem ostendit Salomon Prou. 10. *Vena vitæ, os iusti.* Sermo, instrumentum est sapientiæ. Sapientia est in corde, quasi in quiete; in sermone est quasi in vehiculo: per sermonem enim, quasi transfertur ab uno in alterum. Sed etiam gratiæ est quasi vehiculum, quia sermone datur audienti gratia, Eph. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad ædificationem fidei, vt det gratiam*

Magna linguæ virtus, siuè in bonũ, siuè in malũ.

M Iac. 3. §. 2. ibi.

Homo in nulla parte fragilior, quã in lingua.

N Op. 4. de 2. prac. §. 1.
O Iac. 3. §. 5. ibi, inquietum.
P Iac. 3. §. 2. ibi.
Q Ibid. §. 4. fin.

Difficulter lingua domatur.

R Ibid. ibi.

Plinius, & Marcellinus. Bestiæ domitæ.

Lingua diligenter custodienda.

S Ps. 38. lit. a ibi.

T Op. de er. Pr. l. 5. c. 19.

Custodia à solo Deo.

Huius custodiæ vtilitas.

Bonæ linguæ fructus, & illius commendatio.

stam audientibus. Vnde & verba Christi dicuntur verba gratiæ, Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*. Lingua, quantùm ad usum loquelæ, rationis organum est: nec inuenitur, quantùm ad vsum illum naturaliter, nisi in habente rationem; ideò à ratione regi debet, & ad eius imperium in actum suum exire. Cum ad iumentum non pertineat loquela, iustè posset Deus illi auferre loquelam, qui vt iumentum factus est, & ratione linguam suam non regit. Creaturæ irrationales, vt aues, lingua sua Deum laudando honorant; vnde multùm potest offendi Deus, videns se sola lingua humana inhonorari, à qua maximè debuit honorari. Lingua deputata est diuino officio; eà enim homo Deum & laudat, & orat; & quia illâ Deus oratur, & laudatur, à peccato seruanda est, quia Eccli. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*; & cum electa sit à Spiritu Sancto (*per quem fit instrumentum Sapientiæ, & gratiæ, vnde & in linguis igneis apparuit*) non debet seruire spiritui maligno.

Cauendū, ne lingua offendatur Deus.

e Cæterùm tria sunt V quæ multùm valere possunt ad linguæ custodiam. Primum est, quòd ante portam oris barræ ponantur. Secundum, quòd hæc porta rarò aperiatur, & aperta citò claudatur. Tertium vt in eà clauis habeatur. Quasi barræ ante portam oris sunt proposita declinandi illas personas cum quibus per linguam peccare solemus; vel loca illa, in quibus habemus occasionem peccandi per linguam: vel propositum tacendi illis horis, in quibus lingua facilè labitur, vt post sumptionem cibi, & potus. Hinc *Hugo* de S. Vict. *Lingua, quæ omni tempore prona ad peccandum labitur, periculosiùs cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur. Propterea enim diues, qui inter epulas loquacitati seruiuit, post in Inferno positus, vehementiùs in lingua ardebat*. Raro aperienda est porta oris, & citò claudenda, Iac. 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum*. (*Locutum fuisse, aiebat ille, me aliquando pœnituit: tacuisse nunquam. Idcircò in veteri lege vetabantur in cibum sumere* charadrion X quæ est auis garrula, & significat loquaces. *Et quidem* natura Y tripliciter docet nos, vt plus audiamus, quàm loquamur. *Primò*, quia natura dedit homini duplex instrumentum audiendi, & tantùm unum loquendi, vt hoc ipso ostendatur, quòd in duplo homo debet audire, quàm loqui. *Secundò*, quia natura dedit pluribus animalibus auditum; loquelam non dedit, nisi homini animali rationali, vt ex hoc ostenderetur, quòd locutio debet esse rationalis, Coloss. 4. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*. *Tertiò*, quia natura dedit instrumenta audiendi semper aperta, sed instrumentum loquendi clausit sub duobus claustris, vel muris. Homo enim semper habet aures apertas, sed linguam clausam sub labijs, & dentibus: est enim lingua quasi mala monacha, & ideo reclusit illam Deus sub pluribus claustris, Mich. 7. *Custodi claustra oris tui*.) Sic multiloquium frequenter habet peccatum, Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*: sic b eniloquium valet ad vitandum peccatum, Eccli. 19. *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam*. Clauis tandem valet ad linguæ custodiam, quæ est firmum propositum non loquendi sine deliberatione. *Hieronymus*: Prius veniat sermo ad limam, quàm ad linguam. *Et Eccle.* 5. Ne temerè quid loquaris. *Et Eccli.* 4. Noli citatus esse in lingua tua. *Et cap.* 21. Verba prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum. *Et hoc*, quia Z dum ratio verba non ponderat, consequens est, vt homo ad verba superflua dilabatur; *nec infrequenter damnosa*, Prou. 26. Os lubricum operatur ruinas. *Quæ igitur ore promenda sunt, oportet mente præmeditari; est enim prolatum irreuocabile verbum; quo sensu dicebat Dauid Psal. 34.* Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam. *Lingua meditabitur*, idest A meditata loquetur, Qui est iustus, loquitur ex præmeditatione: sic & sapiens. *Sanè verba inconsideratè proferre, est* pueriliter B loqui, idest sine præmeditatione. Loquuntur paruuli quidquid eis in os venerit: è contrario autem vir non loquitur sine præmeditatione; vnde de viro iusto dicitur Psal. 36. *Lingua eius loquetur iudicium*: idest examinatam sententiam. Debemus ergo examinare verba nostra, vt possint transire per illud districtum iudicium, in quo debent examinari; nam *omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*, vt dicitur Matth. 12. Item quia verbum prolatum de proximo, est testimonium pro eo, uel contra eum; ideò quasi testimonium cum deliberatione proferendum est. *Seneca*: Loquens de proximo tuo, scito, te pro eo, vel contra eum testimonium proferre.

X Ibid cap. 21. & l. 1. c. 13.
Tria ad linguæ custodiā necessaria.
Plus audiendum, quàm loquendum.
X 3. 2. 102. 6 ad r.
Y Serm. ex ep. Dom. 3. post oct. Pasch.
Z Ma. 14. 4. fin. c.
Ex præmeditatione loquendum.
A Ps. 34. fin.
B Op. de er. Pr. l. 5. c. 48. in.

f *Cum ergo sine præmeditatione proferenda verba non sint*; attendere *quisque* debet C quis loquitur, & cui, & de quo. Item quid dicendum est, & vbi, & quando, & quomodo. Volens loqui, attendere debet personam loquentis. Aliquis enim sermo decet senem, qui non decet iuvenem: & aliquis sermo decet sapientem, qui non decet simplicem: & iustum, qui non decet peccatorem, Prou. 26. *Indecens est in ore stultorum parabola*. Stultum intellige non solùm illum, cui deest scientia, sed & illum, cui deest bona vita. Attendere debet, volens loqui, ad personam, cui locuturus est; an scil. est sapienti, vel insipienti, beneuolo, vel derisori, extraneo, vel familiari, Prou. 23. *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui*. Attendere etiam debet, de quo loquatur: de Deo, vel de alijs. Cum reuerentia, & timore de Deo debet loqui. *Vitiosum est* (inquit Seneca) *de re sæua delicatum proferre sermonem*. Attendere etiam debet, quid dicendum sit, Eph. 4. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus, ad ædificationem &c.* Attendere etiam debet, vbi dicendum sit: aliquid enim in loco sacro (*nocent minus pit in Ecclesiis confabulatores*) non est dicendum, quod alibi dici posset: *In Oratorio* (ait Augustinus) *nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est*. Attendere etiam debet, quando sit dicendum, Eccle. 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*: Eccli. 20. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus*. Et iterum: *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo*. Attendere etiam debet quomodo sit dicendum. In locutione reprehensibilis est nimius clamor, Is. 42. *Non clamabit*. Seneca: *Vox sit sine clamore*. Et notandum, quòd ad condimentum sermonis facit, quod sit purus, opportunus, dulcis, & vtilis. Purus debet esse à falsitate, & à noxietate proximi, & contumelia Dei, Prou. 15. *Purus sermo pulcherrimus*. De secundo ibidem: *Sermo opportunus est optimus*. De 3. Eccli. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat*. Magis enim proficiunt qui habent dulcedinem linguæ, quàm qui habent sapientiam magnam; (ex opposito *Sermo durus suscitat furorem*, Prou. 15.) De 4. Seneca: *Sermones vtiles magis, quàm facetos, & affabiles ama: rectos potiùs, quàm obsecundantes. Nec perperam dicebat Sapiens Prou.* 10. Qui moderatur labia sua, prudentissimus est: *hoc est*, non solùm D prudens, vel prudentior, sed prudentissimus.

C Ibid. cap. 20. Circumstantię locutionis considerādæ.
Qualesermonis condimētum.
D Ibid. cap. 19.

dentissimus: quia in sermone perpenditur, an aliquis sit sapiens, *Eccli*.4. In lingua sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati. *Nam vt plurimùm* Stultus verba multiplicat, *Eccle*. 10. *& est communis parœmia*: Loquere, vt te videam. *Non igitur facilè soluenda lingua est, sicut stulti* [*idest peccatores*] *faciunt: de quibus idcircò dicitur Ps*.36. Gladium euaginauerunt peccatores. *Vbi* per gladium E intelligitur omnis aperta facti persecutio, Luc. 22. *Si percutimus in gladio*! sed & persecutio verbi dicitur gladius, Psal. 56. *Lingua eorum, gladius acutus*: & hic gladius est gladius diaboli, qui per linguam homines multos interficit. Hic autem gladius est in vagina, quandiu est in corde; sed quando profertur ore, est iam sicut euaginatus. Cauendum est ergo primùm, vt non habeamus eum: secundò, etsi haberetur, ut non euaginemus, quia si tenetur in vagina, primò contrahit rubiginem, tandem tamen consumitur, & tepescit odium, & voluntas iniuriandi. *Sanè plures gladio linguæ, quàm materiali gladio interimuntur, Eccli*. 28. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. *Quin & sagitta, cuius & figuram habet, mala lingua est, Ier*.9. Sagitta vulnerans lingua eorum: dolum locuta est. *Sagitta*, quæ scilicet F à longe percutit, & vsque ad intima penetrat, *Prou*. 26. Verba susurronis, quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris. *Et cap*.25. Iaculum, & gladius & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. *Et ita quidem noxia lingua est, vt expresserit Sapiens Eccli*.28. Vtilis potiùs Infernus, quàm illa. *Vnde & cap*.9. Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus. *Atqui radices non mittet: quia* Vir linguosus non dirigetur in terra, *vt dicitur Psal*.139.

Lingua mala, gladius Diaboli.
E Ps.36. *lit. I. ibi.*
Et sagitta.
F Ier. 9. §.2. *ibi.*

g *Lingua autem generale hocce damnum tangitur Iac*. 3. *cum dicitur* inquietum malum; plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum, & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. *Inquietum malum* dicitur G quia citò transit de malo ad malum, vt à conuitijs ad scurrilia: ab illis ad detractiones &c. Vel quia citò transit de uno in alium, multos offendendo, vel exemplo corrumpendo: *plena veneno mortifero*, quia more veneni serpit, de uno in alium transeundo. Et dicit *mortifero*, idest ferente mortem, non corporis tantùm, sed animæ, vt patet in detractore, qui uno ictu tres interficit, scilicet se loquentem, & libenter audientem, & eum, de quo loquitur, impatienter sustinentem; & verè *plena veneno*, quia ex ipsa procedit benedictio, & maledictio, vnde *in ipsa benedicimus Deum, & Patrem*, idest totam Trinitatem, & *in ipsa maledicimus* apertè conuitiando, vel occultè detrahendo, *homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt*, rationales *ex glossa*, vt ipse est: & *priùs præmiserat*: Ecce quantus ignis, quàm magnam syluam incendit. Et lingua ignis est &c. *Quantus ignis*, idest H quàm paruus ignis *quàm magnam syluam incendit*, idest valdè magnam, Eccli. 11. *A scintilla vna augetur ignis & ab vno doloso augetur sanguis*. Sic lingua incontinens magnam materiam operum perire facit: *Et lingua ignis est*, idest inflammata sicut ignis; & dicitur *ignis* propter sui mobilitatem, siuè velocitatem, quia vtrumque maximè mobile est: vel propter ardorem loquendi, & alios inflammandi, Eccli. 20. *Apertio oris illius inflammatio est*. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. *Maculat totum corpus*, idest totam congeriem bonorum operum, quasi quorundam membrorum, & hoc quoad opera iam facta. Sic accipitur corpus Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Et *inflammat rotam natiuitatis nostra*, idest cursum vitæ huius instabilem, vnde tota fortunæ dicitur; & hoc quoad opera fienda. Inflammatur *ex glossa* hæc rota natiuitatis nostræ igne linguæ, cum vitium natiuæ perturbationis ineptis, & noxijs sermonibus accumulatur. *Inflammata*, scilicet lingua, *à gehenna*, idest *ex eadem glossa* à suggestione diaboli, qui primo inuidendo malum suggerit, deinde per linguam aperit, & postea per cætera membra ad effectum perducit. *Quid plura*? Nocet I lingua ei, qui loquitur, euacuando mentem eius bonis. Nocet audienti. Nocet ijs, de quibus loquitur, etiam valdè remotis. Immò lingua eius, qui est in terra nocet (*affectiuè*) ei, qui est in Cœlo, dum eum blasphemat, *Psal*. 72. Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. *Sicut autem mala valdè noxia: ita bona vtilissima, & temporaliter, & spiritualiter est*, 1.Pet.3. ex *Ps*. 33. Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum; *Prou*.13. *&* 21. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. *Cui adsonat illud Prou*.18. *&* 12. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia. *Et iterum*: Mors, & vita in manu linguæ. *Iac*.3. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio, *non solùm aliis, sed & loquenti. Cui & nos moraliter allusimus, canentes* L.

Malæ linguæ damna.
G Iac.3. §.5. *ibi.*
Lingua, cur ignis.
H Iac.3. §.3. *ibi.*
Damnosa pluribus.
I Op. de cr. Pr. l.5. *c*.19. *circ. fin. & Iac*. 3. *l. c. ibi.*
Sicut mala lingua valde noxia; ita valde vtilis bona.

Nobilius lingua membra inter cætera nullum:
Nil meliusuè bona, deteriusuè mala.

L Cent.3. *Dist*. 32.

h *Tres porrò linguæ sunt, Mundo præ cæteris non parùm damnosæ, scilicet iniusta, iniqua, & coinquinata: de quibus Eccli*. 51. Liberasti me à lingua coinquinata, à Rege iniquo, & à lingua iniusta. *Quæ verba Author exponens*: Possunt *inquit* istæ M tres linguæ significare tres linguas, quæ conueniunt ad destructionem Mundi. Prima est diaboli ab Eua quærentis. Secunda Euæ dubitatiuè respondentis. Tertia Adæ imprudenter excusantis. Diabolus primò quæsiuit. Secundò falsum conclusit. Tertiò mendacium subiunxit. Primum ibi: *Cur præcepit vobis Deus &c.* Secundum ibi: *Nequaquam moriemini*. Tertium ibi: *Eritis sicut Dii*. Eua, quod pro certo sciebat, dubitatiuè posuit, ibi: *ne fortè moriamur*. Adam, peccatum, quod admisit, imprudenter excusauit, ibi: *Mulier, quam dedisti mihi &c.* Istæ linguæ modis istis mortem in Mundum vocauerunt, Sap. 1. *Deus mortem non fecit: impii autem*, idest Diabolus, Adam, & Eua, *manibus & verbis accersierunt illam*. Vel hæ sunt tres linguæ, quæ vsque hodie Mundum confundunt. Lingua *coinquinata* est lingua coinquinatoris, vel lenonis: *iniqua* periuri, vel blasphematoris: *iniusta* detractoris. De 1. Eccli. 28. *Lingua tertia gentes fortes dissoluit, mulieres viratas eiecit &c.* De 2. Prou. 17. *Malus obedit linguæ iniquæ*. De 3. Eccli. 28. *Sepi aurem tuam spinis: linguam nequam noli audire*; & Sap. 1. *A detractione parcite linguæ*. Nota vlteriùs linguam N malam multiplicem: scilicet tertiam detractorum, Eccli. 28. *Lingua tertia multos commouit, & dispersit &c.* Falsam adulatorum, Eccli. 20. *Qui edunt panem illius, falsæ linguæ sunt*. Magniloquam superborum, Psal. 11. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam*. Vipeream hæreticorum, Iob. 20. *Occidet eum lingua viperæ*. Blasphemam maledictorum, Iob. 15. *Imitaris linguam blasphemantium: condemnabit te os tuum*. Dolosam hypocritarum, Psal. 119. *Quid*

Linguæ tres ruina Mundi.
M Serm. ex ep. in fest. s. Agnetis, & Dom. 3. *&* 4. *post Oct. Pasch. ex ep.*
Triplex lingua: coinquinata, iniqua, & iniusta.
Iterū lingua mala multiplex.
N Iac.3. §.5. *fin.*

detur

detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Coinquinatam luxurioſorum, Eccli. 51. *Liberaſti me à lingua coinquinata.* Iniquam aduocatorum, Prou. 17. Malus obedit linguæ iniquæ &c. Ponit *præterea* Scriptura O multas linguas, per quas ſignificantur diuerſa peccata, quæ committuntur per linguam. Prima eſt lingua doloſa, quæ eſt in duplicibus, & proditoribus, Pſal. 119. *Libera me à lingua doloſa*, Ier. 9. *Lingua eorum dolum locuta eſt. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.* Secunda eſt lingua magniloqua, quæ eſt in ſuperbis, & arrogantibus, Pſal. 11. *Diſperdat Dominus linguam magniloquam.* Tertia eſt lingua ſerpentina, & venenoſa, quæ eſt in inuidis, & detractoribus, Pſal. 139. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis &c.* Quarta eſt lingua mendax, quæ eſt in peierantibus, mentientibus, & falſis teſtibus, Prou. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus: oculos ſublimes, linguam mendacem &c. proferentem mendacia, teſtem fallacem &c.* Quinta eſt lingua blanda, quæ eſt in mulieribus, Prou. 6. *Vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda linguæ extraneæ.* Sexta eſt lingua tertia, quæ eſt in lenis, & lenonibus, Eccli. 28. *Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis.* Dicitur autem *tertia lingua*, quia prima lingua in opere luxuriæ eſt hominis diligentis mulierem: Secunda mulieris dilectæ: Tertia eſt lingua nuncij, vel nunciæ portantis verba (*vel literas* dilecti ad dilectam, & dilectæ ad dilectum (*At Epiſtola, quam lena defert, refert ſigillum, ſiuè ſignum in facie manifeſtius: dum iuſto Dei iudicio ſæpè ſæpius vulneratur, ſiuè turpiter ſignatur in ore: quò videtur alluſiſſe Sapiens Eccli. 42. dum inquit*: Super mulierem nequam bonum eſt ſignum.) Septima eſt lingua iniqua, quæ eſt in adulatoribus, Prou. 17. *Malus obedit linguæ iniquæ.* Lingua iniqua eſt, quando facit malum, adulatoribus prouocantibus. Octaua eſt lingua gladioſa, quæ eſt in iracundis, & furioſis, qui conuitijs, & opprobrijs occidunt multos, Pſal. 56. *Filij hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Nona eſt lingua fallax, quæ eſt in malis mercatoribus, & deceptoribus, qui fallunt ſimplicem, merces ſuas mendacijs præcommendando, vel falſis ponderibus, numeris, & menſuris decipiendo (*& ò quantus iſtorum vbique numerus!*) Prou. 26. *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas*, ſcilicet corporis, & animæ, Prou. 21. *Qui congregat theſauros lingua mendacij*, ſcilicet in operatione; *vanus, & excors eſt*, ideſt ſine corde, & diſcretione, *& impingetur ad laqueos mortis*, ſcilicet velit, nolit. Decima eſt lingua blaſphema, quæ eſt in eis, qui Deum, & Sanctos eius blaſphemant, Iſ. 1. *Blaſphemauerunt Sanctum Iſrael.* Vndecima eſt lingua acharis, ideſt ſine gratia, quæ eſt in hiſtrionibus, & deriſoribus, & in eis, qui verba ocioſa libenter loquuntur (*ab oppoſito* Lingua eucharis in bono homine abundat, *Eccli. 6.*) Eccli. 20. *Homo acharis, quaſi fabula vana, in ore indiſciplinatorum aſſidua erit.*

O Serm. ex ep. Dom. 4. poſt Oct. Paſch.

Exponitur triplex lingua in luxuriæ opere.

i *Enimverò ad illud Pſalm. 35.* Verba oris eius iniquitas, & dolus, *docemur, quòd* homo P committit peccatum ore dupliciter: vel per apertam malitiam, cum apertè mentitur; & hoc eſt, quod dicit: *Verba oris eius iniquitas*, Iob. 6. *Non inuenietis in lingua mea iniquitatem.* Vel per occultam fraudulentiam; & hoc eſt dolus, *Lingua eorum dolum locuta eſt*, Ier. 9. *Immò verò ad illud Pſal. 9.* Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor, & dolor: *inſtruimur, quòd* peccatum Q oris committitur tripliciter: aliquando maledicendo Deum, vel proximum, quod eſt in blaſphemiam prorumpere; & hoc eſt *maledictione os plenum*, Iſ. 1. cit. *Blaſphemauerunt Sanctum Iſrael.* Aliquando in iniurias prorumpendo; & hoc eſt *os plenum amaritudine*, amaris *ex gloſſa* verbis, & minis, Eph. 4. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis.* Aliquando decipiendo; & hoc eſt *os plenum dolo*, Pſ. 5. *Linguis ſuis doloſè agebant.* Sequitur, *ſub lingua eius*, ideſt in interiora cordis, *labor* latet, ideſt *ex gloſſa* iniquitas: cogitat enim perficere iniquitatem, in quo laborat, Ier. 9. *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* Vel *labor*, quia alijs cogitat inferre laborem, & dolorem: vnde dicit, & *dolor*, ideſt pernicies ex labore ſequens. *Ex quibus omnibus concludit Apoſtolus Iacobus cap. 3. cit. quòd mala lingua ſit* vniuerſitas iniquitatis, *videlicet* quia *ex gloſſa* fere R per ipſam omnia facinora aut concinnantur, vt latrocinia, & ſtupra: aut patrantur, vt periuria, & falſa teſtimonia: aut defenduntur, vt cum quilibet impius excuſat malum, quod commiſit: aut ſimulat bonum, quod non fecit. *At vide quid dicatur* Sap. 1. Benignus eſt Spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs ſuis, quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor. *Timeant maledici. Ex quo illud animaduertendum, quòd quicquid boni, vel mali exit ab ore, radicem, & fontem habet in corde, Matth. 12.* Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. *Ergo* dum aliquid S homo ex malitia profert, ſignum eſt, quòd magis ſit intùs, quod proferre non audet: ideò dicit, *ex abundantia cordis*, ideſt ex abundantia malitiæ interiùs *os loquitur.* Et hoc eſt in bono, & in malo. In bono, Ier. 20. *Factus eſt in corde meo, quaſi ignis exæſtuans.* Item in malo: quia aliqui ex malitia concipiunt aliquid, quod non poſſunt retinere (*non ſecus ac ſtomachus noxiis repletus cibis, hoc cogitur euomere*) Iob. 32. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei.* Sequitur: *Bonus homo de bono theſauro &c.* Vbi quod dixerat, *ex abundantia cordis &c.* expónit in particulari. Verbum, quod egreditur de cogitatione, eſt ſicut donum, quod egreditur de theſauro; vnde ſi cogitatio eſt bona, verbum eſt bonum; & è contrario. Bonus theſaurus eſt ſciéntia veritatis, & timor Domini, Iſ. 33. *Diuitiæ ſalutis, Sapientia, & Scientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.* Item malus theſaurus eſt mala cogitatio: & de hoc non procedit, niſi malum, Prou. 10. *Nil proderunt theſauri impietatis. Hinc Matth. 15.* Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. *Idcircò Phariſæos arguens, dicebat ibidem Dominus:* Quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? *Matth. 26.* Loquela tua manifeſtum te facit. *Vbi Author*: Sic T & cuilibet poteſt dici: quia cum homo eſt carnalis, citò prorumpit in verba carnalia; cum ſpiritualis, in ſpiritualia. *Et hoc eſt, quod peccatori dicitur Pſal. 51.* Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua. *Siquidem* impropriè V dicitur, quod lingua cogitet: & ideò poteſt dupliciter intelligi. *Lingua tua*, ideſt cor tuum, quod in lingua manifeſtatur, Eccli. 21. *In ore fatuorum cor eorum*, quia eſt unum cum lingua; ideſt paratum habet cor ad locutionem. Vel *lingua cogitauit iniuſtitiam*, in quantùm excogitata loquitur tota die. *Ea propter dicebat Apoſtolus 2. Cor. 6.* Os noſtrum patet ad vos; cor noſtrum dilatatum eſt. *Etenim* ſignum X latitudinis eſt cor latum; quia os immediatè adhæret cordi: undè quæ per os ex-

Multipliciter ore peccatur. P Pſ. 35. lit. a. fin.

Q Pſ. 9. lit. f. ibi, & Pſ. 5. lit. f. Pſal. 13. lit. c. ad Rom. 3. h. 2.

Cur mala lingua dicatur *vniuerſitas iniquitatis.* R Iac. 3. § 3. ibi.

Quicquid exit ab ore, radicem habet in corde.

S Matth. 12. lit. b. ibi. & cap. 15. lit. a. ibi, de ore. Exponitur illud: *Ex abundantia cordis os loquitur.*

T Matth. 26. lit. g. ibi.

Carnalis carnalia, ſpiritualis ſpiritualia promit. V Pſ. 51. lit. a. ibi.

X 2. Cor. 6. lect. 3. imp.

os exprimimus, sunt expressa signa conceptionum cordis. Et hoc est, quod dicit: *Os nostrum patet ad vos.* Os enim clausum est aliquando; tunc scilicet, quando ea, quæ sunt in corde, non patent exteriùs: sed apertum, & patens est, quando ea, quæ in corde sunt, manifestantur, Iob.3. *Post hæc aperuit Iob os suum &c. Vnde Augustinus:* Interest Y quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens; *& ita concludit (quod ab initio promptserat) Author:* Lingua Z est immediatum organum ad interiorem conceptum cordis explicandum. Vnde quàm citò verbum est in corde, est in lingua: & ideò *(ad nostram deducit eruditionem)* oportet diligenter custodiri. DIZ SCE, ne in lingua delinquas, cor emundare.

Non nisi rea mens ream linguã facit. Y 2.2. 98. 1. ad 3. fin.

Lingua immediatum organũ ad cordis conceptũ explicandum. Z Ps.38. lit.a. ibi custodiam.

Hinc, quod in corde, citò in lingua est.

V. Lingua dicitur *vniuersitas iniquitatis*, quia per linguam peccat homo contra Deum, blasphemando, & periurando: contra proximum, detrahendo, & conuitiando: contra se ipsum, iactando; & sic euacuat omnia bona. *Iac.* 3. §. 3. *ibi*, vniuersitas.

I HActenus de generalibus linguæ vitiis dictum est. *Præsenti Numero de specialibus oris peccatis ordine alphabetico disserendum.* Quorum I. *est* Adulatio. *Nam* si quis A in omnibus velit ad delectationem alteri loqui, excedit modum in delectando; & ideò peccat per excessum. Et siquidem hoc faciat sola intentione delectandi, vocatur *placidus* secundùm Philosophum: si autem faciat hoc intentione alicuius lucri consequendi, vocatur blanditor, siuè adulator. *Est autem adulatio peccatum mortale tripliciter.* Vno modo B ratione materiæ, puta, cum aliquis laudat alicuius peccatum. Alio modo ratione intentionis, puta cum quis alicui adulatur ad hoc, quòd fraudulenter ei noceat vel corporaliter, vel spiritualiter. Tertio modo per occasionem, sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Aliàs erit veniale peccatum. *Vide fusè suo loco de hoc vitio* Tom. 1.

Adulatio.

A 2. 2. 115. 1.c.

B Ibid. a 2.c. & à 1. ad 1. Matth. 7. 1. ad 11.

II. *est* Blasphemia; *de qua item satis eodem* Tom. 1. *in quam immò nunquam satis declamatum est, ob detestabilem blasphemiarum frequentiam, & blasphemantium. Illud hic solummodò adijcimus, quòd à peccato non excusat ex primo passionis impetu blasphemia prolata. & si excusat, excusat à tanto, sed non à toto. Quia prolatio illa, vt aliqui putant, subitus motus non est; docemur enim à simili, quòd* non potest C dici subitus motus infidelitatis, qui & in verba prorumpit: *quod benè notandum. Vnde & alibi inquit Author:* Si sit D subitò, ita quòd non percipit se blasphemare, non peccat mortaliter: sed credo (*nota*) quòd quantumcumque subitò, si tamen percipit, quòd dicit verba blasphemiæ, peccat mortaliter. *Quòd autem vt plurimùm percipiat blasphemans se blasphemare, ex eo conijcitur, quòd ad iræ leuamen quoddam, & refrigerium, ea verba profert.*

Blasphemia.

C Matth.7.7. ad 13.

An subitò prolata, à peccato mortali excuset.

D Col.3.lib.2. & 2.2.13.2. ad 3.

III. *est* Calumnia. *Propriè autem calumniator dicitur,* qui E iniustè agit contra eum, qui accusatur, crimina falsa ei imponendo. *Verumtamen* non omnis F qui falsum crimen alicui imponit, calumniatur: sed solum qui ex malitia in falsam accusationem prorumpit. Contingit enim quandoque ex animi leuitate ad accusationem procedere: quia scilicet aliquis nimis faciliter credit quod audiuit: & hoc est temeritatis: (Eccle.5. *Ne temerè quid loquaris,* præsertim in iudicio) Aliquando autem ex iusto errore mouetur aliquis ad accusandum: quæ omnia secundùm prudentiam Iudicis debent discerni, vt non prorumpat cum calumniatum fuisse, qui ex leuitate animi, vel ex iusto errore in falsam accusationem prorumpit. *Porrò licet calumniato se defendere,* non autem G licet ei falsitatem dicere, neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacij habent (*quod nunquam licet*) & hoc esset, calumniosè se defendere. *Vetatur autem calumnia, Luc.* 3. Nominem concutiatis, neque calumniam faciatis. *Et Zach.*7. Viduam, & pupillum, & aduenam; & pauperem nolite calumniari. *Grauem siquidem læsionem calumnia infert, vnde dicitur:* Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius, *Eccle.*7. *Cur autem Dominus, ab Iudæis iniustè accusatus, & calumniatus coram Principe sacerdotum taceret, Matth.* 26. Iesus autem tacebat: *triplex potest ratio adduci.* Primò H vt doceret nos cautelam. Sciebat enim, quòd quicquid ipse diceret, totum ad calumniam referrent: & in tali casu coram insidiatoribus est tacendum, Psalm.38. *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersùm me.* Alia ratio est: quia tunc non erat tempus docendi, sed patientiam habendi; & ita completum est quod dicitur Is.53. *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Tertia ratio est, vt doceret nos constantiam; quando quis de aliquo accusatur iniustè, Is.51 *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis.* Opprobrium hominum, *quod & huc spectare deprehenditur.* Est enim I opprobrium, quando quis imponit crimen alicui, quod est contra eius honorem. Aliquando autem imponitur crimen alicui, vt confundatur, & abijciatur: aliquando verò, vt perdat vitam, & ideò Psalm.34. dicitur: *exprobrauerunt animam meam.* Sicut autem honor L importat testimonium quoddam de excellentia alicuius, & præcipuè, quæ est secundùm virtutem: ita etiam opprobrium, cuius timor est verecundia, importat testimonium de defectu alicuius, & præcipuè secundùm aliquam culpam; & ideò quantò testimonium alicuius ei utatur maioris ponderis, tantò ab eo aliquis magis verecundatur. *Et hoc est, de quo dolebat David Psalm.41.* Exprobrauerunt mihi qui tribulant me, inimici mei dum dicunt mihi per singulos dies: vbi est Deus tuus? Hic *scribit Author,* agit M de causa tristitiæ, quam patitur (*Quare tristis es anima mea? Psalm.eod.*) ex verbis iniuriosis; vnde dicit: *exprobrauerunt mihi,* scilicet iniuriosis verbis. Et hoc improperium est grauissimum, quia tanto quis grauius fert improperium, quantò fit sibi de re, de qua gloriatus conficit: maximè autem gloriabatur de Deo; & ideò hoc opprobrium est sibi grauissimum, quia *inimici mei dicunt mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? Hinc illud Psalm.* 38. Opprobrium insipienti dedisti me, *ad eruditionem nostram* potest dupliciter N intelligi, Vno modo, vt opprobrium sit pœna sibi inflicta à Deo: quia sicut præmium præmium virtuosi est honor: ita pœna peccati est opprobrium. Alio modo, quòd Deus causauerit patientiam, non opprobrium, sed causam opprobrij, ex hoc scilicet, quòd iam incipit contemnere terrena, quod stulti, & insipientes reputant opprobrium propter patientiam, quam ostendit, cum dicit: *Obmutui, & non aperui os meum.*

Calumnia.
E 2. 2. 6. 8. 3. c.
Quis propriè calumniator.
F Ibid. ad 3.

Licet calumniato se defendere; non tamẽ calumniosè.
G 2. 2. 6. 9. 2. fin. c.

Cur Christus calumniatus coram iudice taceret.
H Matth. 26. lit.g. ibi.

Opprobrium quid.
I Ps 35. lit.e. ibi, exprobrauerunt.

L 2. 2. 144. 3. c.

Verecundia quid.

M Psalm. 41. fin.

N Psalm. 38. lit g. ibi.
Honor, virtutis præmiũ: Opprobrium pœna peccati.

Si-

Signum enim patientiæ est, quòd homo, cum verba opprobrij inferuntur ei, non reddit malum pro malo, sicut Christus, 1. *Pet.* 2. Qui cum malediceretur, non maledicebat. *Et Dauid pariter Rex, maledictus à Semei, cum à filiis Saruiæ ad vindictam incitaretur, respondit*: Dimittite eum, vt maledicat: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac: *vt habetur* 2. Reg. 16. *Vt hinc doceamur Saluatoris exemplum imitari: quod ibi præmittit idem Apostolus*: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Ceterùm calumnia sæpè sæpiùs in caput recidit calumniatoris. Vnde & illi, qui falsò Danielem accusarunt, ex quo in lacum leonum missus est, sospite*, iubente rege in lacum leonum missi sunt ipsi, & filij, & vxores eorum, & omnia ossa eorum comminuerunt, *vt legitur* Dan. 6. *Non secus & duo seniores illi calumniosè innocentem Susannam de adulterio accusantes, interfecti sunt*: & saluatus est sanguis innoxius in die illa, *vt habetur* Dan. 13. *Ex his collige, quàm graue peccatum calumnia sit*.

Contentio, quid. O 2. 2. 38. 1. & 132. 5. c. Rom. 1. lec. 8. ibi, contentione, & cap. 13. ibi, in contentione, & 1. Cor. 11. l. 3. fin.

n IV. *est* Contentio. *Etenim* sicut discordia O contrarietatem quandam importat in voluntate: ita contentio contrarietatem quandam importat in locutione. Diffinit autem *Ambrosius* contentionem, dicens: *Contentio* est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. *Sanè, vt docemur Prou.* 20. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. *Et Apostolus monet Timotheum* 2. *Tim.* 2. Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. *Vbi docemur, quòd* contentio P importat concertationem in verbis. Potest tamen secundùm duo intelligi, quia cum acrimonia loquens deprauatur dupliciter. Vno modo, si per hoc acceditur ad fauorem falsitatis, vt quando quis cum confidentia clamoris impugnat veritatem. Alio modo propter inordinationem, vt quando vtitur acrimonia, vel vltra modum debitum, vel contra qualitatem personæ: sed si moderatè, & cum circumstantijs debitis, & pro veritate (*vel tuenda, vel vt magis elucescat*) fiat, non est peccatum. Tamen in Sacra Scriptura accipitur secundùm quod importat inordinationem, 1. Cor. 11. *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos non habemus talem consuetudinem, neque Ecclesia Dei*: & dicit, *verbis*, quia aliqui disceptant solùm verbis improperij. Et hoc propriè est contendere. Si hoc fit non verbis tantùm, sed veris rationibus, hoc est disputare, non contendere. Deinde cum dicit: *ad nihil vtile est*, ostendit rationem documenti: nam moderata disputatio, quando cum ratione fit, est vtilis ad instructionem: sed quando cum verbis tantùm, tunc est litigiosa; ideò dicit: *nisi ad subuersionem*. Et hoc dupliciter. Vno modo, dum quod est certum, vertit in dubium. Alio modo, quia audientes scandalizantur, *Prou.* 14. Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. *Et de hoc quidem querebatur Iob cap.* 6. Quare detraxistis sermonibus veritatis? Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Præbete autem, & videte, an mentiar. Respondete obsecro absque contentione; & loquentes id, quod iustum est, iudicate: & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. *Præbete autem*: hoc Q est enim primum impedimentum veritatis inueniendæ per disputationem, cum aliquis ea, quæ ab aduersario dicuntur, audire non vult. Secundum impedimentum est, cum ad audita clamosè, & contumeliosè respondet; & ad hoc remouendum dicit: *Respondete obsecro absque contentione*. Tertium impedimentum est, cum aliquis in disputatione non intendit ad veritatem, sed ad victoriam, & gloriam, vt accidit in disputationibus litigiosis, & sophisticis (*quales vt in pluribus moderna*:) & quantùm ad hoc dicit: *& loquentes id, quod iustum est, iudicate*, vt scilicet concedatis ea, quæ vobis videntur vera, & negetis ea, quæ videntur falsa. Et si hoc feceritis, *non inuenietis in lingua mea iniquitatem*, scilicet aliquid contra iustitiam, quæ debetur proximo: *nec in faucibus meis stultitia personabit*; idest aliquid contra sapientiam, qua rectè sentitur de Deo: intendebat enim circa diuina, & circa humana, & defendere, & probare veritatem. *Ex quo autem vitiosè contenditur ad victoriam, & gloriam, vt præ dictum est, benè deducitur, quòd contentio inanis gloriæ, sicut & discordia filia sit*. Discordia *verò* est R filia inanis gloriæ, eo quòd discordantium vterque in sensu proprio stat, & unus alteri non acquiescit. Proprium autem superbiæ est & inanis gloriæ, propriam excellentiam quærere. Sicut autem discordantes aliqui sunt ex hoc, quòd stant corde in proprijs: ita contendentes sunt aliqui, ex hoc quòd vnusquisque verbo id, quod sibi videtur, defendit; & ideò eadem ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, sicut & discordia. *Nihilominus & inuidiæ filia in alio sensu contentio, sicut & discordia, dici potest. Quamuis enim* contentio quantùm ad id S in quo sistit ille, qui contendit, habeat conuenientiam cum superbia & inani gloria, in quantùm scilicet in proprio sensu statur: tamen contentio, sicut & discordia, habet affinitatem cum inuidia, quantùm ad recessum eius, à quo aliquis discordat, vel cum quo contendit. *Hinc Apostolus* 1. *Cor.* 3. Cum sit inter nos zelus, & contentio, nonne carnales estis? *Vbi, inquit Author*: considerandum est T quòd rectè coniungit zelum, & contentionem, quia zelus, idest inuidia, est contentionis materia. Inuidus enim tristatur de bono alterius, quod ille nititur promouere: & ex hoc sequitur contentio (*sicut è conuerso Charitas, per quam quis diligit bonum alterius, est materia pacis*.) Vnde dicitur *Iac.* 3. Vbi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. *Et ò vtinam ita non esset! Plerumque enim ex inuidia [nedicam, ex odio] vel ad solam gloriam, ex victoria captandam, ad disceptandum, & disputandum cum aliquo conuenitur: non vt veritas elucescat magis, sed vt confusio propugnatorem deiiciat. In hoc autem contentio à rixa, siue à iurgio distinguitur, quòd* sicut V contentio importat quandam contradictionem verborum, ita etiam rixa importat quandam contradictionem in factis, *id est* contradictionem X vsque ad facta peruenientem, dum vnus alterum lædere molitur. Dupliciter autem unus alium lædere intendit. *Vno modo* quasi intendens absolutè malum ipsius: & talis læsio pertinet ad odium, cuius intentio est ad lædendum inimicum vel in manifesto, vel in occulto. *Alio modo* aliquis intendit alium lædere, eo sciente, & repugnante, quod importatur nomine rixæ: & hoc propriè pertinet ad iram, quæ est appetitus vindictæ. Non enim sufficit irato, quòd latenter noceat ei, contra quem irascitur, sed vult, quòd ipse sentiat, & quòd contra voluntatem suam aliquid patiatur in vindictam eius, quod fecit: & ideò rixa propriè oritur ex ira, *& filia eius* dicitur. Litigium *verò* propriè Y in verbis consistit, cum scilicet vnus verbis alterius contradicit. In qua quidem contradictione duo possunt attendi. Quandoque enim contingit contradictio propter personam dicentis, cui contradicens consentire recusat propter defectum amoris ani-

Marginalia:

P 2. Tim. 2. l. 2. ibi, & 2. 2. loc. cit.

An peccatum.

Aliud disputare, aliud cōtendere.

Q Iob. 6. lec. 2. ibi.

Triplex impedimentum inueniēdę per disputationē veritatis.

Contentio, sicut & discordia, inanis gloriæ filia. R 2. 2. 38. 2. c. & 37. 2. c. & 132. 5. c. Ma. 9. 3. c.

Et inuidiæ.

S 2. 2. 38. 2. ad 1. & 37. 2. ad 2.

T 1. Cor. 3. l. 1. ibi. Lec 3. §. ibi, contentio. Quæ est contentionis materia, sicut charitas pacis.

In quo contentio distinguatur à iurgio, siue rixa:

V 2. 2. 41. 1. c. Rom. 13. l. 3. ibi, in contentione, ad Gal. 5. l. 5. ibi, rixæ. X 2. 2. l. c. a. 2. c.

Quid rixa, & cuius vitij filia.

Y 2. 2. 116. 1. c.

Litigium quid, & cui virtuti oppositum.

ris animos vnientis: & hoc videtur ad discordiam pertinere, charitati contrariam. Quandoquè verò contradictio oritur ratione personæ, quam aliquis contristare non veretur: & sic fit litigium, quod amicitiæ, vel affabilitati opponitur, ad quam pertinet delectabiliter alijs conuiuere. Vnde Philosophus dicit *in 4. Ethic.* quòd illi, qui ad omnia contrariantur (*non paucorum sanè vitium in humano conuictu intolerandum*) causa eius, quod est contristare, neque quoscumque curantes, dyscoli, & litigiosi vocantur. *Nec tamen idem contentio est, atque litigium. Nam* contentio Z magis propriè pertinet ad contradictionem discordiæ: litigium autem ad contradictionem, quæ fit intentione contristandi.

Non idem, quod contentio.
Z Ibid. ad 1.

o. V. *est* Contumelia. *Hæc autem* importat A dehonorationem alicuius: quod quidem contingit dupliciter. Cum enim honor aliquam excellentiam consequatur: *Vno modo* aliquis alium dehonorat, cum priuat eum excellentia, propter quam habebat honorem; quod quidem fit per peccata factorum: *Alio modo*, cum aliquis id, quod est contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius, & aliorum; & hoc propriè pertinet ad contumeliam: quod quidem fit per aliqua signa; sed quia *omnia signa* ex Augustino *verbis comparata paucissima sunt; verba enim inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur*: ideò contumelia propriè loquendo in verbis consistit. Tamen quia etiam per facta aliqua significatur aliquid, quæ in hoc, quod significant, habent vim verborum significantium: inde est, quòd contumelia extensio nomine etiam in factis dicitur. Vnde *Rom.* 1. super illud, *contumeliosos, superbos*, dicit *Glossa*: Contumeliosi sunt qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt. *Quo sensu dicitur 2. Mach.* 1. Afflige Domine opprimentes nos, & contumeliam *facientes* in superbia. *Oritur autem contumelia ex ira; vnde & eius filia recensetur. Nam* cum unum B peccatum possit ex diuersis oriri: ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere consueuit propter propinquitatem ad finem ipsius. Contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui est vindicta; nulla enim vindicta est irato magis in promptu, quàm inferre contumeliam alteri: & ideò contumelia maximè oritur ex ira. *Nihilominus &* superbia C disponit ad contumeliam, in quantùm illi, qui se superiores æstimant, faciliùs alios contemnunt, & iniurias eis irrogant: faciliùs enim irascuntur, vt pote reputantes indignum quicquid contra eorum voluntatem agitur. *Et bene dicitur Prou.* 11. Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. *Nec rationem contumeliæ deperdit, quamuis solus soli eam inferat*. Maior *enim* est D contumelia, si aliquis alicui defectum suum dicat coram multis: & tamen, si sibi soli dicatur, potest esse contumelia, inquantùm ipse, qui loquitur, iniustè contra reuerentiam audientis agit. *Ex quo à detractione differt* E dupliciter contumelia. *Vno modo*, quantùm ad modum proponendi verba, quia scilicet contumeliosus manifestè contra aliquem loquitur: detractor autem occultè. *Alio modo* quantùm ad finem intentum, siuè quantùm ad nocumentum illatum; quia scilicet contumeliosus derogat honori: detractor famæ.

Contumelia quid.
A 2.2.72.1 c. Rom. 1. l. 8. ibi, cõtumeliosos.

Ira filia.
B 2.2. l. c. a. 4. c. & q. 73. 3. ad 3. & 158. 7. c.

C 2. 2. 72. 4. ad 1.

Contumelia est, etiamsi solus soli eam inferat.
D Ibid. a. 1. ad 1.

E 2.2. 73. 1. fi. c. & a. 2. & a. 4. ad 1. Roman. 1. lec. 8. ibi, contumeliosos.

p *Et quamuis contumelia idem sonare videatur, quod conuitium, aut improperium: strictò tamen modo hæc accepta, ab ea differunt. Etenim* conuitium F & improperium consistunt in verbis, sicut & contumelia: quia per omnia hæc repræsentatur aliquis defectus alicuius in detrimentum honoris ipsius. Huiusmodi autem defectus est triplex: scilicet defectus culpæ, qui repræsentatur per verba contumeliosa: & defectus generaliter culpæ, & penæ, qui repræsentatur per conuitium, quia vitium consueuit dici non solùm animæ, sed etiam corporis. Vnde si quis alicui iniuriosè dicit, eum esse cæcum, conuitium quidem dicit, sed non contumeliam. Si quis autem dicat alteri, quòd sit fur: non solùm conuitium, sed etiam contumeliam infert. Quandoque verò repræsentat aliquis alicui defectum minorationis, siuè indigentiæ, qui etiam derogat honori consequenti quamcumque excellentiam; & hoc fit per verbum improperij, quod propriè est, quando aliquis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit ei necessitatem patienti; vnde dicitur *Eccli.* 20. Exigua dabit, & multa improperabit: (*ad differentiam Dei, qui Iac.* 1. dat omnibus affluenter, & non improperat. *Hinc* exprobratio est G quando ingeritur alicui improperium in facie.) Quandoque tamen vnum istorum pro alio ponitur. *Sanè* cum conuitium H seu contumelia de sui ratione importet quandam dehonorationem; si intentio proferentis ad hoc feratur, vt per verba, quæ profert, honorem alterius auferat: hoc propriè, & per se est dicere conuitium, vel contumeliam; & hoc est peccatum mortale non minùs quàm furtum, vel rapina: non enim homo minus amat suum honorem, quàm rem possessam. Si verò aliquis verbum conuitij, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, sed fortè propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi: non dicit conuitium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter, in quantùm scilicet dicit id, quod potest esse conuitium, vel contumelia. Vnde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato. In quo tamen necessaria est discretio (*notent Prælati & cæteri:*) vt moderatè homo talibus verbis vtatur, quia posset esse ita graue conuitium, quod per incautelam prolatum auferret honorem eius, contra quem proferretur: & tunc posset homo peccare mortaliter, etiamsi non intenderet dehonorationem alterius: sicut etiam si aliquis incautè alium ex ludo percutiens grauiter lædat, culpa non caret. *Et quidem* grauius I peccatum est contumelia, quàm detractio, inquantùm habet maiorem contemptum proximi; sicut rapina est grauius peccatum, quàm furtum. *Nam* qui L verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quàm paruipendere. Vnde dicebat *Iob cap.* 19. Stulti quoque despiciebant me: *scilicet* corde M præsentem: *& cum ab eis recessissem, detrahebant mihi*, scilicet ore pronunciantes quæ in præsentia dicere verebantur.

Differt à detractione dupliciter.
An à conuitio, & improperio.
F 2. 2. 72. 1. ad 3.

Conuitium quid.

Improperium quid.

Quid exprobratio.
G Ps. 43. lit. h. ibi, exprobrãtis.

H 2.2. 72. 2. c. & 158. 5. ad 3.

Contumelia quale peccatum.

I 2. 2. 73. 3. ad 2.

Grauius quàm detractio.
L Ibid. artic. 1. c.

M Iob 19. l. 1. ibi.

q *Porrò illatas nobis contumelias & iustè sine culpa repellere possumus, & patienter cum merito tolerare*. Sicut *enim* patientia N necessaria est in his, quæ contra nos fiunt: ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda. Sic enim *Augustinus in lib. de Serm. Domini in monte* exponit illud Matth. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*; vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit: non tamen tenetur semper facere actu, quia nec ipse Dominus hoc fecit; sed cum suscepisset alapam, dixit: *Quid me cædis?* vt habetur *Io.* 18. & ideò etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque autem oportet,

Num repellenda contumelia sit, an toleranda.
N 2.2.72. 3. c. & 73. 4. ad 1. & fusè Matth. 5. lit. i. ibi. si quis te percusserit.

tet, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cæteto talia non attentet, secundùm illud Prou. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Vnde *Gregorius*: Hi, quorum vita in exemplo imitationis est polita, debent [si possunt] detrahentium sibi verba compescere: ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant. *Quòd si ad illatas contumelias quis taceat* [*vt de Christo Domino alio in loco legimus Matth.* 26. Iesus autem tacebat] si O hoc animo taceret, vt tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertineret ad vindictam: sed si aliquis taceat volens dare locum iræ (*vincens in bono malum*, vt dicitur Rom. 12.) hoc est laudabile. Vnde dicitur *Eccli.* 8. Non litiges cum homine linguato, & non struas in igne illius ligna. *Quod verum habet, si & iuxta opportunitatem rei, loci, & personarum, quis taceat: vt de eodem Christo Domino dictum est. Cuius exemplo, virtute patientia Apostoli muniti*, digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, *vt dicitur Act.* 5. *Si quis tandem proximo suo contumeliam ingesserit, omni proculdubio debet honoris læsio compensari. Quamquam enim* actio P contumeliam inferentis, non potest fieri, vt non fuerit: potest tamen fieri, vt eius effectus, scilicet diminutio dignitatis personæ, in opinione hominum reparetur per exhibitionem reuerentiæ. *Ab hoc sanè vitio Sapientis ore monemur abstinere* Eccli. 31. Verba improperij non dicas proximo, & non premas illum in repetendo. *Contumelias namque irrogare, stultorum est, non prudentum, & sensatorum, Prou.* 10. Qui profert contumeliam, insipiens est: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est; *& cap.* 20. Omnes stulti miscentur contumelijs.

O 2. 2. 72. 3. ad 3. Matt. 26. lit. g. ibi. tacebat, & fusè Op. 19. cap. 16.

P 2. 2. 62. 2. ad 3.

r VI. Derisio *est, siuè irrisio, aut illusio; quæ quidem à cæteris linguæ peccatis ex fine distinguitur. Nam* peccata Q verborum præcipuè pensanda sunt secundùm intentionem proferentis; & ideò secundùm diuersa, quæ quis intendit contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur. Sicut autem aliquis conuitiando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam: ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille, qui irridetur, erubescat: & quia hic finis est distinctus ab alijs, ideò etiam peccatum derisionis distinguitur ab alijs oris peccatis. *Hoc autem habet amplius derisio, quòd & verbo lædit, & facto. Psalm.* 43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. *Vbi docemur, quòd derisio præter verba* fit R & facto, & nutu; vnde dicit: *commotionem capitis in populis*, Matth. 27. *Mouentes capita sua*, ex Psalm. 21. *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput* (*vbi notatur* multiplex S illusio: quia verbis, *locuti sunt labiis*, & factis, *& mouerunt caput.*) Nutu etiam fit illusio, quæ dicitur subsannatio, & verbo derisio, vnde dicit, *subsannationem, & derisum &c.* Subsannatio est, quando rugato naso deridet aliquis. Derisio, quando cum ludo, vel lætitia loquitur quæ ad vituperium pertinent. *Vnde Ier.* 20. Factus sum in derisum tota die: omnes subsannant me. *Et alibi*: Irrisio

Quis derisionis finis. Q 2. 2. 75. 1. c.

Derisio, verbo, & facto læsiua.

R Ps. 43. lit. g. ibi.

S Ps. 21. lit. c. ibi.

Subsannatio, & derisio quid.

T fit bucca secundùm *Hieron.* sed subsannatio rugato naso, atque contracto, ex quadam scilicet leui indignatione. Ex quo subsannatio V & irrisio conueniunt in fine, sed differunt in modo: quia irrisio fit ore, idest verbo, & cachinnis; subsannatio autem naso rugato. Talis autem differentia non diuersificat speciem (*sicut etiam cum fit irrisio linguam extrahendo, manus indice demonstrando, vel pollice inter indicem & medium immisso illudendo, & modis huiusmodi.*) Vtrumque tamen differt à contumelia, sicut erubescentia à dehonoratione: est enim erubescentia ex *Damasceno* timor dehonorationis. *Idcirco Psalm.* 43 *cit. postquam dixisset*: Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro; *subiicit consequenter Psaltes*: Tota die verecundia mea contra me est; *idest* contra id X quod debetur mihi, scilicet honor, qui debetur virtuosis. Verecundia *secundùm Philosophum* est timor de turpi. Est autem turpitudo duplex. Prima secundùm veritatem: & hæc est turpitudo peccati. Et verecundia de tali non cadit in virtuosos, quia non habent in se conscientiam peccati, de quo verecundari possint: sed cadit in malos, Rom. 6. *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis?* Alia turpitudo est secundùm æstimationem, scilicet quòd patiatur quis exteriùs abiecta, vel opprobria: & hæc est in perfectis viris. Et de hac dicit: *Tota die verecundia mea contra me est.*

T Ps. 2. lit. & Ps. 34 lit. l. V 2. 2. 75. 1. ad 1. In quo differentur.

Verecundia quid. Turpitudo duplex.

X Ps. 43. lit. h. ibi.

s *Neque paruifaciendum derisionis, siuè illusionis peccatum: potest enim ratione circumstantia adeò in malitia excrescere, vt ipsi æquetur, immò præponderet contumelia. Pro quo sciendum, quòd* irrisio Y non fit, nisi de aliquo malo, vel defectu: malum autem, si sit magnum, non pro ludo accipitur, sed seriosè. Vnde si in ludum, vel risum vertatur, ex quo irrisionis, vel illusionis nomen sumitur, hoc est, quia accipitur vt paruum. Potest autem aliquod malum accipi vt paruum dupliciter: Vno modo secundùm se, alio modo ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundùm se paruum malum est, est veniale, & leue peccatum secundùm suum genus. Cum autem accipitur quasi paruum ratione personæ (sicut defectus puerorum, & stultorum parùm ponderare solemus) sic aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino paruipendere, & eum tam vilem æstimare, vt de eius malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum: & sic derisio est peccatum mortale, & grauius quàm contumelia, quæ similiter est in manifesto, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè; illusor autem in ludum: & ita videtur esse maior contemptus, & dehonoratio. Et secundùm hoc illusio est graue peccatum, & tantò grauius, quantò maior reuerentia debetur personæ, quæ illuditur. Vnde grauissimum est irridere Deum, & quæ Dei sunt, secundùm illud Is. 37. *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem tuam?* Et postea subditur: *Ad Sanctum Israel.* (*Hinc maximi fuit opprobrii illusio, qua Principes Sacerdotum cum Scribis, & Pharisæis Christo Domino illuserunt Matth.* 27. Aliquis *enim* non Z facit vim, si à minimis contemnatur, sed derisionem maiorum tolerare non potest.) Deinde secundum locum tenet irrisio parentum. Vnde dicitur Prou. 30. *Oculum, qui subsannat Patrem, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* [*Hac de causa legimus* Gen. 9. *non sine Dei nutu maledictum Cham suamque posteritatem à Patre*;

Y 2. 2. 75. 2. c. & ad 3.

Quandonam veniale peccatum derisio: quando mortale.

Grauius quisque, quàm contumelia.

Deum, & quæ Dei sút, irridere grauissimum.

Z Matth. 27. lit. b. ibi, illudentes.

Deinde irrisio parentum.

Cham ex hoc maledictus cum posteritate sua.

Cum vidisset Cham, Pater Chanaan, verenda Patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras &c. Noë autem, cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis.

A Gen. 9. ibi.

Vbi notat Author, quòd meritò A maledictus est à Patre: prætermisso enim, quòd proprium Patrem derisit, stupendum est, quòd Patrem tantæ ætatis, tantæque sanctitatis, quem ita familiarem Deo probauerat, & in quo solo Deus omnia seruauerat, & restaurauerat, sic potuit deridere.

Cur dictum est: Maledictus Chanaan, & non Cham Pater, qui Noe deriserat.

Sed quare Noë huic primùm maledixit, Maledictus Chanaan, & non potiùs Patri eius Cham, qui eum deriserat? & dicendum, quòd hoc fecit, quia in spiritu vidit, gentem Chananæorum ex hoc Chanaam generandam, esse singulariter à Deo maledicendam, & exterminandam, & subiugandam per Iudæos, qui fuerunt de genere Sem: & etiam ante per Assyrios, qui de Sem sunt orti, & tandem per Romanos, qui de Iaphet fuerunt. Potest etiam secundò dici, quòd plus fuit hoc, quàm maledicere Patrem solum; quia perinde est, ac si diceret: Tu, & tua generatio estis maledicti a Deo. Fuit enim decens, quòd sicut malum filium se fecerat, sic filios malos, & maledictos haberet. *Discant hinc filii, parentibus, senibus præsertim, non illudere, ne sibi, posterisque maledicat Deus.*)

Graue etiam, iustos deridere.

Deinde iustorum derisio grauis est: quia honor est virtutis præmium. Et contra hoc dicitur Iob. 12. *Deridetur iusti simplicitas*; quæ quidem derisio valdè nociua est, quia per hoc homines à bene agendo impediuntur.

Quare ab impiis iusti derideantur.

Quare autem ab impiis vt plurimùm iusti derideantur, ea ratio est: quia derideri B deficientis est: deridere autem superabundantis. Qui autem in virtutibus superabundant, eos, qui in virtutibus deficiunt, non irrident, sed magis compatiuntur; & iuuant, si possunt: sed illi, qui in temporalibus abundant, maximè solent irridere eos, qui in temporalibus deficiunt. (*Vnde cecinit ille*:

B Iob. 12. lib. 1. ibi.

Iuuenalis.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit:)

Diuitiæ fraudibus & dolis acquiruntur plerumque.

& præcipuè, quando studium non adhibent ad temporalia conquirenda. Studium autem iustorum non est ad temporalia conquirenda, sed ad rectitudinem sectandam; vnde à fraudibus, & dolis abstinent, quibus plerunque diuitiæ acquiruntur, & ex hoc simplices reputantur. Ergo vt plurimùm deridentur iusti: causa autem irrisionis est simplicitas: *& ideò dicit*: Deridetur iusti simplicitas. *Ex quo, cohærenter ad hæc, infrà cap. 19. quoniam Iob* vir erat simplex, & rectus (*vt dicitur Iob. 1.*) *à stultis, hoc est peccatoribus, despiciebatur*: Stulti quoque despiciebant me: *videlicet, quòd* stultorum C proprium est, vt eos despiciant, quos in miserijs vident, quia sola bona terrena honoranda putant. *Et à quoties non sine graui culpa (qualem fortassè non considerant) derident homines, & illudunt, vel religiosis, vel senibus, vel pauperibus, ad mala exinde quæcumque occasionem præstantes: irritant enim animos ad blasphemias, & conuitia, vt experientia docet, emenda, ad rixas passim, & litigia suscitanda. Quod innuitur Prou. 22.* Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ. *Sanè illudentes pueri (& pueri ex textu patet) Sancto Prophetæ Eliseo*: Ascende calue, ascende calue, *quadraginta duo ex eis à duobus vrsis lacerati leguntur* 4. Reg. 2. *quamuis ætas ea puerilis (vt ex Authore docuimus) non plena reputetur malitia, qualis in viris: sed ad irrisorum exemplum iusto Dei iudicio id eis euênit, quibus* maledixit in nomine Domini.

C Iob. 19. l. 1. ibi.

Pueri Eliseo illudentes ab vrsis lacerati.

I VII. *est* Detractio: *pestis videlicet illa, totius infesta Vniuersi, quæ communiter diffiniri solet, quòd sit* denigratio alienæ famæ per occulta verba. *Cuius veritas ex eo manifesta fit, quòd* sicut facto D aliquis nocet alteri dupliciter, manifestè quidem, sicut in rapina, vel quacumque violentia illata; occultè autem, sicut in furto, & dolosa percussione: Ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit. Vno modo in manifesto; & hoc fit per contumeliam: alio modo occultè; & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem, quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum paruipendere: vnde ex hoc ipso dehonoratur; & ideò contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur. Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quàm paruipendere: vnde non directè infert detrimentum honori, sed famæ, in quantùm huiusmodi verba occultè proferens, quantùm in ipso est, eos qui audiunt facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur. Hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, vt eius verbis credatur. *Quæ in allata definitione* verba occulta *dicuntur*, non E simpliciter, sed per comparationem ad eum, de quo dicuntur, quia eo absente, & ignorante dicuntur. Sed contumeliosus in faciem contra hominem loquitur: *Quoniam verò* ira F quærit in manifesto vindictam inferre, vt dicitur in 2. *Rhet.* ideò detractio, quæ est in occulto, non est filia iræ, sicut contumelia; sed magis inuidiæ, quæ nititur qualitercumque minuere gloriam proximi. Nec tamen sequitur propter hoc, quòd detractio sit grauior, quàm contumelia, quia ex minori vitio potest oriri maius peccatum, sicut ex ira nascitur homicidium, & blasphemia. *Detrahitur autem proximo, vel directè, vel indirectè.* Directè quidem G quadrupliciter. Vno modo, quando quis falsum imponit. Secundò, quando peccatum adauget suis verbis. Tertiò, quando occultum reuelat. Quartò, quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo. *Vbi inter cætera, verè detractor dicitur*, qui peccatum *reipsa commissum, sed* occultum reuelat. *Quandocumque enim peccatum est occultum, quamuis peccans apud Deum notus sit, non ita hominibus, apud quos ius non amisit ad famam suam. Vndè quotiescumque sine causa detegitur & publicatur aliis, illius denigratur iniustè fama. Ex quo* sicut H peccaret qui absque necessitate ingereret alicui diuitiarum dispendium: ita, & multò ampliùs, peccat aliquis, si absque necessitate proximo ingerat dispendium famæ, absque necessitate eius peccatum publicando. *Vnde & ad famæ læsionem compensandam obligatur. Falsum ergo est, quod vt in pluribus homines, fœminæ præsertim, sibi suadent, posse quicquid verum est, licèt occultum, sine culpa de proximis enarrari. Vnde & cohærenter instruimur, quòd* triplex I est detractio: quarum vna est mala, quando detrahit homo homini de peccato, etiamsi peccata sint occulta: quia si sunt occulta, non sunt publicanda per modum detractionis. Alia est peior, quando detrahit de falso. Pessima, quando detrahit non homini, sed virtuti: videlicet, si dicas, castitatem malam esse. *Quo sensu dicebat David Psal. 37.* Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. *Quod exprimitur Is. 5.* Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. *Verùm nedum lingua & verbo, sed & nutu, nictu, subrisu, variisque capitis, manus, pedisue motu non rarò detrahitur, si qua occurrit aspectui mulier,*

Detractio quid.

D 2. 2. 73. 1. c. & 74. & 75. 1. c. Rom. 1. l. 8. ibi, Detractores.

Differentia inter ipsam, & contumeliam.

E 2. 2. 73. 1. ad 2.

F Ibid. a. 3. ad 3.

Detractio inuidiæ filia, non iræ.

Quadrupliciter directè detrahitur, indirectè tripliciter.

G Ibid. a. 1. ad 3.

Verè detractor est, qui peccatum occultum proximi, licèt reuera commissum, reuelat.

H De virt. 3. 2. c.

Detractio triplex.

I Ps. 37. lit. l. & Iob 6. lec. 2. ibi, detraxistis.

lier, religioſus, aut alter quiſpiam; vnde dicebat Pſaltes Pſalm. 34. Oderunt me gratis. & annuunt oculis: *hoc eſt*, annuebant L ſibi inuicem oculis, concitantes ſe ad malum. *Et poſt nillus ad verba detractoria deueniunt.* Dilatauerunt ſuper me os ſuum, *videlicet* quaſi M audacter, & gaudenter loquuntur malum de alio, *ſcilicet de honeſta illa fœmina, de Sacerdote, & ſic de cæteris. Eiuſmodi porrò malignus detractor ſatis deſcribitur Prou.* 6. Vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. *At vide quod ſequitur:* Huic extemplò veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit vltrà medicinam. *Contumaci enim detractori omne ſubtrahitur remedium ad mortem, & quidem æternam, euitandam, ni reſipiſcat: de quo fuſiùs infrà. Sanè, quimodolibet detrahatur, graue peccatum eſt detractio.* Ordinatur *enim* ſecundùm ſuam N rationem ad denigrandum famam alicuius. Vnde ille per ſe loquendo detrahit, qui adhoc de aliquo obloquitur, eo abſente, vt eius famam denigret. Auferre autem alicui famam, valdè graue eſt, quia inter res ſpirituales videtur fama eſſe pretioſior, per cuius defectum impeditur homo à multis benè agendis. Propter quod dicitur Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni.* Et ideò detractio per ſe loquendo eſt peccatum mortale. Contingit tamen quandoque, quòd aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, ſed aliquid aliud: hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolùm materialiter, & quaſi per accidens. Et ſi quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel neceſſarium, debitis circumſtantijs obſeruatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio: (reuelare *enim* peccatum O occultum alicuius propter eius emendationem denunciando *Superiori*, vel propter bonum iuſtitiæ publicæ accuſando, non eſt detrahere.) Si autem proferat ex animi leuitate, vel propter cauſam aliquam non neceſſariam, non eſt peccatum mortale: niſi fortè verbum, quod dicitur, ſit adeò graue, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præcipuè in his, quæ pertinent ad honeſtatem vitæ (*vt & de contumelia diximus*) quia hoc ex ipſo genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad reſtitutionem famæ, ſicut ad reſtitutionem cuiuſlibet rei ſubtractæ. *Vnde* qui famam P non reſtituunt, ſaluari non poſſunt. *Non enim minùs æſtimanda proximi fama eſt, quàm cætera exteriora bona:* inter Q quæ *immò* fama præeminet diuitijs, eo quòd propinquior eſt ſpiritualibus bonis. *Vnde dicitur Prou.* 22. Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. *Et hoc quidem facere debemus exemplo Domini Iob. 42. vbi dicitur, quòd* addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob, duplicia. *Hoc enim* erat R congruum perſonæ ipſius Iob, cuius apud aliquos opinio erat læſa per multiplices aduerſitates, quæ ſuperuenerant ei; & ideò, vt ei famam reſtitueret, ad ſtatum maioris proſperitatis eum reduxit.

L Pſal. 34. lit. e.

M Ibid.

Graue peccatum.

N 2.2.73.2.c. Op.4 de 8. præcep. §. 1.

Quandonam poſſit eſſe veniale.

O 2.2. l.c. ad 1.

Denunciare Superiori peccatum occultum alterius propter emendationem, vel accuſare propter bonum publicum, nõ eſt detrahere.

Tenetur detractor ad famæ reſtitutionem.

P Op.4. de 8. præc. §. 1.

Q 2.2.73 3.c. de Virt. 3. 2. c.

R Iob. 42. lec. 1. ibi.

u *Monemur idcircò à detractione abſtinere Sap.* 1. Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ. *Et Iac.* 4. Nolite detrahere alterutrum fratres mei: *id eſt* vnus S alteri malum imponendo, vel augmentando, vel bonum annihilando, vel diminuendo. *Vnde nec perperam Apoſtolus Petrus in ſua* 1. *c.* 2. Deponentes *inquit* omnes detractiones &c. *Omnes* dicit T quia multis modis committitur detractio; aut bonum, quod ineſt, ineſſe negando, aut offuſcando, aut diminuendo: aut malum, quod non eſt, ineſſe dicendo, aut intentionem in bono opere peruertendo, aut conſentiendo aliquibus, qui alijs detrahunt, quibus apertè detrahere non audet: & talis non minùs peccat, quàm detrahens; immò aliquando grauiùs, *Prou.* 4. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te. *Quo ſenſu dicitur Pſalm.* 14. Habitabit Domine in tabernaculo tuo *inter cæteros*, qui opprobrium non accepit aduerſùs proximos ſuos. *Opprobrium enim accipit contra proximum*, qui V audit verba detractoria contra eum, & ex eis deteſtatur illum, de quo dicuntur, vel etiam ipſe dicit alijs, Eccli. 19. *Audiſti verbum aduerſùs proximum tuum? commoriatur in te.* Si non eſt auditor (*inquit Hieronymus*) non eſt detractor; & *Bernardus:* Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. *Pro quo ſciendum ex illo ad Rom.* 1. Digni ſunt morte non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, *quòd* ſi aliquis X detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire; vnde fit particeps peccati eius. Et ſi quidem inducit eum ad detrahendum; vel ſaltem placeat ei detractio propter odium eius, cui detrahitur, non minùs peccat, quàm detrahens, & quandoque magis (*vt præ actum eſt.*) Si verò non placet ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam, omittat repellere detrahentem: peccat quidem, ſed multo minùs, quàm detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale, vel propter hoc, quòd alicui ex officio incumbit (*aut ratione maioritatis, & authoritatis apud alios*) detrahentem corrigere; vel propter aliquod periculum, quod audiens nouit conſequens, vel propter radicem, qua timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale: *de quo vide* Y. *Porrò malitioſa magis ea videtur eſſe detractio, qua bona proximi ſubticentur: & ſi quid vel minimi mali deprehenditur cum addictione manifeſtatur; vel ſi nihil mali dignoſcitur, bonum ipſum exponitur in malum.* Qui Z malitioſè (*inquit Author*) contra aliquem agunt, tacent ſi quid boni in facto eius vident: & mala, ſi qua videntur, manifeſtant, etiam bonum in malum conuertentes; ſecundùm illud Eccli. 11. *Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponet maculam.* Quod quidem Phariſæi faciebant (*occaſione illuminationis cæci nati, Io.* 9.) illa n id, quod videbatur bonum, ſcilicet cæci illuminationem, ſubticentes, quod contra Chriſtum eſſe poterat, manifeſtant, ſcilicet ſolutionem ſabbati. Vnde *dicebant quidam de Phariſæis*, ſcilicet malitioſi, & praui: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit:* cum tamen Chriſtus ſabbatum ſeruaret. *Et ita bonum in malum conuertebant, & manifeſta ſubticebant bona. Sed & quidam ſunt, qui ſub zeli apparentis pallio occulta proximi peccata ex liuore detegunt.* Æmulator A quando vult detrahere, dicit, quod conſcientia illum mouet, vel amicitia proximi, dicendo: *Ego diligo eum;* vel reuerentia Prælati, dicendo Prælato: *Ego dico hoc propter reuerentiam, uel honorem ueſtrum, ne ullum malum poſſit ſub regimine ueſtro fieri, uel uos latere.* Et tunc illa non dicit, niſi vt poſſit ſolùm detrahere, ſeu voluntate detrahendi. Et ſic nec eſt conſcientia ſui, nec amicitia proximi, nec reuerentia Prælati: *ſed liuor, & odium in fratres, ut experientia docemur. In hoc autem maligne detractionis actu delectatur oblocutor non minùs, quàm delicato cibo comeſtor. Hine de huiuſmodi*

A quacumque detractione cauendum.

S Iac. 4. §. 5. ibi.

T 1. Pet. 2. §. 1. ibi Serm. ex Eu. Dom. 2. Quad.

Detractorem audiens qualiter peccet.

V Pſ. 14. lit. e. ibi.

X 2.2.73. 4. c. Op. 4. de 8. præcep. §. 1.

Y 2. 2. 19. 3. in 3. d. 34. 2. 1. Rom. 8. l. 3. ibi, in timore.

Malitioſa magis, & peſſima detractio quæ.

Z Io. 9. l. 2. lit. f. & h. fin.

A Dan. 7. §. Sentētiæ moraleſ ſi.

Sub zeli apparentis pallio detrahunt ex liuore plures.

Detractor maximè in actu detractionis delectatur.

iuſmodi

Huiusmodi detractoribus dicitur Apoc. 16. Commanducauerunt linguas suas præ dolore. *Linguas suas*, hoc est B verba linguarum suarum. Quilibet enim detractor delectatur detrahendo iustis, sicut quis delectatur, cum cibum sapidum auidè comedit: ille enim linguam suam manducat, qui in verbo detractorio linguæ suæ delectatur; sicut si aliquem cibum suauem comedat. Benè autem dicitur, *commanducauerunt*: quia quantò plures sunt *commanducantes*, tantò plùs gaudent, dum non tantùm de suo verbo detractorio, sed etiam de sermone alterius lætantur. (*Nec perperam adhibetur hoc verbum*, commanducauerunt: *in conuiuiis enim, & comessationibus consueuit detractio triumphare.*) Hæc autem detractio fit ex inuidia (*vt & superiùs tactum est*) vnde sequitur; *præ dolore*, idest præ inuidia, quam habent contra iustos. *Quo sensu dixisse videtur Apostolus ad Gal. 5.* Quòd si inuicem mordetis, & comeditis: videte, ne ab inuicem consumamini. *Mordetis*, idest C si in parte famam proximo detrahendo auferatis (qui enim mordet, non totum accipit, sed partem:) *& comeditis*, idest totam famam aufertis, & totaliter detrahendo confunditis (nam qui comedit, totum absorbet) *videte* damnum, quod imminet vobis, scilicet quòd *ab inuicem* consumemini. *Vnde Prou. 23.* Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. *Hoc pariter sensu ad detractores suos dicebat Iob cap. 19.* Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini? saturamini, *inquam*: quod D propriè ad detractores pertinet, qui carnibus humanis vesci dicuntur, in quantùm iniquitatibus aliorum delectantur: caro enim est infirmior pars animalis. *Profectò à detractore* homines E peccatum alicuius audientes scandalizantur, & contemnunt non solùm quandoque peccantem, sed & multos alios innocentes. Vnde in Epistola ad plebem Hipponensem *Augustinus*: Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instanter satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.

B Apoc. 16. com. 1. & 2. ibi.
C Ad Gal. 5. l. 3. fin.
D Iob. 19. l. 1. fin.
E Virt. 3. 2. c.

Detractores describuntur, & detractionis damna recensentur.

X *Describuntur autem detractores, simulque detractionis damna recensentur ab Apostolo Rom. 13. ex Psalm. 13. cum ait*: Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est. *Sepulchrum patens est guttur eorum*: Sepulchrum enim F patens est paratum ad recipiendum mortuum, & secundùm hoc guttur hominis dicitur esse *sepulchrum patens*, quando est paratum ad dicendum mortifera (vel paratum G ad mortificandum per detractionem) per quem modum dicitur Ier. 5. *Pharetra eius quasi sepulchrum patens*. Secundò tangit fraudem, cum dicit: *linguis suis dolosè agebant*; aliud scilicet habendo in corde, aliud in ore, Ier. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum: dolum locuta est*. (*Et alibi*: Dolum H ponit, quem quis habet in lingua, exteriùs blandè loquendo; & dolum in corde, cum ait: *venenum aspidum sub labiis eorum*. Occultatum autem venenum, mortificatiuum est.) Vel cum dicit: *venenum aspidum &c.* ponit verborum noxietatem: quia scilicet talia verba eueniunt, quæ insanabiliter proximos occidunt, vel spiritualiter, vel corporaliter, Deuter. 32. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile* (*& verè insanabile: nam proximi fama semel per detractores apud plurimos denigrata, nunquam plenè redintegratur.*) Designat etiam abundantiam horum peccatorum, cum dicit: *Quorum os maledictione plenum est*: quia scilicet in talibus semper abundat maledictio; maledicunt enim de aliis detrahendo, contra id, quod dicitur: *Benedicite, & nolite maledicere*, ad Rom. 12. *Et amaritudine*: in quantùm scilicet non verentur in faciem proximi dicere iniuriosa verba, quibus ad iracundiam prouocantur, (*Vel loquitur de amaritudine inuidiæ, ex qua ad detrahendum mouentur*) contra id, quod dicitur: *Omnis amaritudo tollatur à vobis*, ad Eph. 4. *Quò facit illud Iob. 20.* Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ: *nimirùm* per quam I intelligitur quodcumque nocumentum proueniens ex lingua hominis, quasi venenum ex lingua viperæ. *Id quod apertè innuitur Eccle. 10.* Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit; & *Psalm. 139.* Acuerunt linguas suas, sicut serpentis. *Vnde & detractoris lingua dicitur Iac. 3.* plena veneno mortifero, *videlicet* ferente mortem L non corporis tantùm, sed animæ. *Et hac sanè de causa, quòd detractor homicida est, & nouacula lingua eius vocatur, & gladius. Nouacula quidem, Psalm. 51.* Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum. *Nouacula dicitur: quia nouacula acuta*, idest M rasorium, efficaciter, & citò incidit, quia nullus pilus resistit ei. Vel quia, sicut nouacula radit pilos, ita mali dolum acuunt contra iustos: sed hoc verè faciunt, sicut nouacula, quæ pilos superfluos radit, quia nonnisi superflua, idest temporalia, possunt peccatores Sanctis auferre: spiritualia verò nunquam. Sed sicut inexperti barbitonsores incidunt carnem, ita mali faciunt, qui suis machinationibus carnem iustorum, idest famam eorum, iniquè lingua student incidere. *Gladius verò pluries dicitur lingua detrahens, Ierem. 18.* Venite, percutiamus eum lingua; *Psalm. 56.* Lingua eorum gladius acutus; *Psalm. 58.* Gladius in labiis eorum; *Psalm. 63.* Exacuerunt vt gladium linguas suas; *& tandem Psalm. 36.* Gladium euaginauerunt peccatores, vt trucident rectos corde. *Vbi* occisio N designatur per gladium, vel corporaliter, vel spiritualiter: & hic gladius est gladius diaboli, qui per linguam hominis multos interficit: *vt patet* in detractore O qui vno ictu tres interficit, scilicet se loquentem, & libenter audientem, & eum, de quo loquitur, impatienter sustinentem.

Detractio, venenum.
H Ibidem ibi.
Fama semel denigrata nunquam plenè redintegratur.
I Iob. 20. l. 2. ibi.
Lingua detractoris nouacula.
L Iac. 3. §. 5. ibi.
M Ps. 51 lit. A. fin.
Et gladius.
N Ps. 36. lit. I. & 2. 2. 73. 3. ad 2.
Vno ictu detractor tres interficit.
O Iac. 3. §. 5. ibi, mortifero.
F Rom 3. l. 2. ibi, Ps. 5. lit. f. Ps. 9. lit. f. Ps. 13. lit. c. & d.
G Ps. 13. lit. c.

Y *At verò, si tanti causa damni tum spiritualis, tum corporalis ac temporalis proximis suis detractores sunt, nec ipsi condignæ punitionis euadunt expertes: mox enim in præcit. Psalm. 36. ad verba præfata subiicitur*: Gladius eorum intret in corda ipsorum. *Malum enim, quod aliis detractor inferre procurat*, reuertetur P in caput suum. Tu eximis gladium contra alium, & fortè non percutis eum, quia fortè ei nocere non potes: tamen ex ipso spiritualiter tu es percussus, *propter peccatum scilicet detractionis ex odio vel inuidia commissum, præter temporalia damna, quæ sæpè sæpiùs detractores incurrunt, quæ bona non putant. Exempla non desunt. Vnde dicitur Prou. 1.* Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas. *Et hoc est, quod dicitur Psalm. 11.* Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa. *Disperdat*, quasi Q bis perdat, scilicet in anima, & corpore. Vel *disperdat*, quasi de malitia puniendo; vt ipsi in ea incidant iusto Dei iudicio; vt de Aman dicitur *Esth. 7.* Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo. *Quò facit illud Psalm. 93.* Reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus, Deus noster: *bis perdendo, vt dictum est, spiritualiter scilicet, & corporaliter. Sanè Deo & hominibus exosi detractores sunt*, Prou.

Malû, quod aliis detractor facit, reuertitur in caput suum.
P Ps. 36. loc. cit.
Hic, Deo & hominibus detractores exosi.
Q Psalm. 11. lit. c.

Prou. 24. Abominatio hominum, detractor: *quem videlicet omnes, vt pestilentem, deuitant, atque omnino abhorrent. Et Apostolus* Rom. 1. *inter peccatores præcipuos specialiter* detractores *recenset*. Et R ne putentur, *inquit Author*, istorum peccata esse leuia, quia solo ore committuntur, subdit: *Deo odibiles*: impugnant enim id maxime, quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem, *Io.* 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. *Cum autem Christianæ charitatis, & pacis inimici sint, consequenter à beata Patria, quæ pacis visio dicta est, iusto Dei iudicio excluduntur. Certum enim est, quòd* maledici *inter cæteros* Regnum Dei non possidebunt, *vt dicitur* 1. *Cor.* 6. *Cui cohæret illud Apoc.* 22. Foris canes. *Canes*, idest S detractores, qui mordent occulte proximum detrahendo: *foris*, idest ab introitu supernæ Ciuitatis excludentur, & in Infernum per consequens mittentur. *Dicuntur autem* Canes, *quorum proprium est oblatrare* (vnde *& Cynici, & canini, quidam Philosophi dicti sunt, quòd mores hominum nimis acriter morderent*) *quo pacto & de iustis detractores obloquuntur*, *ex quo* canini T dentes detractorum *ab Authore nuncupantur. Verùm cuncta hæc, & alia, quæ sibimetipsi detractor aggerat damna, compendio perstringit Author, cum ait*: Qui V occultè detrahit, hic hominibus abominabilis, Prou. 1. suprà cit. *Abominatio hominum detractor*. Deo odibilis, Rom. 2. *Detractores Deo odibiles*. Confusione dignus, Psalm. 108. *Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua*. Ad pœnam obligatus, Prou. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat*. Perditioni proximus, Prou. 24. *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum*. A visione Patriæ alienus, Num. 14. *Nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam*, scilicet terram promissionis; *quæ nimirum beatam Patriam designat*.

R *Rom.* 1. *l.* 8. *ibi, &* 2.2. 73. 2. *in* sed contra.

A beata Patria exclusi.

S *Apoc.* 22. *com.* 1. *&* 2. *ibi.*

Detractores cur canes.

T *Op.* 19. *cap.* 14.

V *Iac.* 4. *fin. c.*

Damna plura, quæ & ipsi incurrunt.

2 *Cæterùm reprimendi sunt detractores, & compescendi. Vnde & Io. Epist.* 3. Diotrephes non recipit nos: propter hoc, si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos. *Commonebo eius opera, quæ facit*, idest X in omnium notitiam manifestam, *ex glossa*, arguendo deducam: *verbis malignis*, malo igne, scilicet inuidiæ accensus: *garriens* falsis rationibus ad similitudinem auis, quæ est animal irrationale, & garrulosum (*quales detractores omnes*) *in nos*, idest contra nos. *Quo loci iterùm* ex glossa *docemur, quòd* sicut Y linguas detrahentium nostro vitio non debemus excitare, ne pereant; ita per suam nequitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt meritum nobis crescat: aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum, qui bona audire poterant, corda corrumpant. Et hoc patet multorum exemplo Sanctorum, vt *Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Bernardi*, & multorum aliorum, qui apologeticos fecerunt, & Epistolas, quibus se excusarent ab his, quæ eis imponebantur. Cum verò (*subdit Gregorius*) linguæ detrahentium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia sustinendæ, nec obtrectationis sermo timendus est: ne dum vituperatio peruersorum metuitur, recti operis via deseratur. *Potissimùm autem reprimendi qui communitatibus detrahunt*, Religiosorum *præsertim. Et quidem* interiùs Z considerantibus apparet, huiusmodi detrahentium linguas esse efficaciter reprimendas propter tria. *Primò*, quia eorum detractio non ad vnam personam, aut ad plures determinatas fertur, se ad totum Religiosorum Collegium.

Reprimendi detractores, & compescendi.

X *Io. Ep.* 3. §. 3. *ibi.*

Y *Op.* 19. *c.* 14. *&* 20.

Et aliquando æquanimiter tolerandi.

Coercendi qui communitatibus detrahunt, Religiosorum præsertim, propter tria.

Z *ibid. cap.* 20.

Vnde eorum temeritati est viriliter resistendum, ne oues Christi passim luporum morsibus lacerentur. *Secundò*, quia eorum vitam denigrare nituntur, quibus non solùm conscientia necessaria est propter se ipsos, sed etiam fama, vt in proximis per prædicationem proficere possint. De istis enim detractoribus super illud ad Gal. 4. *Eiice ancillam &c.* dicit glossa: *Omnes, qui in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt, adhuc ad Ismael pertinent. Ipsi sunt, qui contendunt spiritualibus proficientibus, & detrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas dolosas*: & ideò talibus detractoribus resistendum est. *Tertiò*, quia non in hoc sistunt, vt infament; sed ad hoc tendunt, vt totaliter extirpent: quod manifestè apparet ex hoc, quòd Prælatos inducunt, vt eos faciant ab omnibus euitari, vt in necessarijs eis non prouideatur, & in eorum consortium nullus admitti permittatur. *Adde, vt illorum priuilegiis derogetur; vt eorum publica spiritualia exercitia impediantur, & huiusmodi. Igitur his pro viribus obsistendum. Quæ quidem resistentia & in priuatis colloquiis à quibusque detractores audientibus adhibenda, ne illorum verbis adhærere videantur & delectari. Verumtamen* non semper A aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate; & maximè, si sciat, verum esse quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quòd peccat fratri detrahendo: vel saltem ostendere, quòd ei detractio displiceat per tristitiam faciei; quia, vt dicitur Prouerb. 25. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem*: quia B ad literam detrahens cessat, cum audiens contristatur. *Quod tamen vt plurimùm, sicut par esset, mundana praxis non seruat. Quinimmò* si quis C audit malum de aliquo, despicit, & mouet caput, nec loquitur ore, sed nutu: & facit peius, quàm si decies loqueretur, ingerendo aliis suspicionem. *Vel plerumque apertè complaudit, dictum exaggerat, aut quidpiam adiicit. Quod si non fecerit, humano indignus conuictu reputatur. Et hoc maximè deplorandum, quòd totus Mundus detractorum plenus est. Vnde super illud Prou.* 24. Cum detractoribus non commiscearis, *ait glossa*: Hoc specialiter vitio periclitatur penè totum genus humanum. *Quod euenit*; tum quia D *stultorum infinitus est numerus*, Eccle. 1. & pauci sunt, qui ambulent per viam salutis: tum etiam, quia pauci, vel nulli sunt, qui non aliquando ex animi leuitate aliquid dicant, vnde in aliquo vel leuiter alterius fama minoretur: quia vt dicitur *Iac.* 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *Et hoc præsertim consueuit fieri à subditis respectu Superiorum: nec enim eorum gubernio vnquam contenti sunt, sed passim murmurant, & obloquuntur. Idcircò Apostolus* 1. *Cor.* 10. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt. *Neque murmurauerítis*, scilicet E contra me, vel minores contra maiores, *Custodite vos à murmuratione*, Sap. 1. *sicut quidam eorum murmurauerunt*, scilicet contra Moysen, *Num.* 16. & ideò (*quod peius est*) *perierunt ab exterminatore*, ab Angelo scilicet, qui extra terminos terræ eos percussit: *vt nouerís, qualis maneat subditos obmurmurantes pœna*. Easpropter hortabatur idem Apostolus *Philippenses cap.* 2. Omnia autem facite sine murmurationibus, *non de omnibus, & singulis conquerentes, quæ prouidet Prælatus, & præcipit*: sine F peccato enim nullus esse potest (*tam Præsul, quàm subditus*) sed bene sine querela (*qualis esse debet subditus, Prælato ex charitate compatiens*) vnde ad hoc monet; *Luc.* 1. Incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela.

Quod & in priuatis colloquiis in detractores præstandum, & quomodo.

A 2.2.73.4. *ad* 2.

B *Ps.* 14. *lit. c. fin.*

Oppositum ab aliquibus modò fit.

C *Den.* 7. §. Sententiæ morales.

Totus Mundus detractorum plenus.

D 2.2.73.2. *ad* 2.

Subditi vt in pluribus de Superiorum gubernio obmurmurant.

E 1. *Cor.* 10. *lec.* 2. *ibi.*

F *Phil.* 2. *l.* 4 *sub init.*

querela. *Et quidem prohibetur virtualiter murmuratio in 8. Decalogi præcepto:* Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, *Exod. 20. siquidem inter cæteros* peccant G contra hoc præceptum murmuratores: & hoc maximè abundat in subditis.

G Op. 4. de 8. prac. §.1. fin.

a *Eiusmodi verò murmuratores homines, & detractores, tanquam pestiferi, & inficientes, à nostro arcendi consortio sunt, Prou.* 4. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te; *idque, vt eorum, nostrumque euicemus exitium, Prou.*24. Cum detractoribus non commisceatis, quoniam repentè consurget perditio eorum: & ruinam vtriusque quis nouit? *Arcendi, inquam, & euitandi; tametsi difficulter, quia vbique locorum adsunt: Quorum aggrauatur detractio ex multis, vt habetur Psalm.* 49. *Vbi in detractorem ita declamatur:* Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersùs fratrem tuum loquebaris, & aduersùs filium matris tuæ ponebas scandalum. *Et primò quidem* aggrauatur H dupliciter, scilicet ex circumstantijs, & ex conditione personarum. Ponit autem conditiones aggrauantes, scilicet frequentiam, & dolositatem. Frequentiam: quia si aliquando quis committat aliquod peccatum, quoquo modo tolerabile est: vel si ex lapsu linguæ aliquid inordinatum dicat, faciliùs portatur: sed si quis os suum implet maledictionibus, tunc ex malitia propria procedit: nam *ex abundantia cordis os loquitur*, Matth. 12. & hoc est, quod dicit: *Os tuum abundauit malitia*. Aggrauatur etiam peccatum linguæ ex dolositate, siue fraude, Ier. 9. *Lingua eorum dolum locuta est*; & ideò dicit: *& lingua tua concinnabat dolos*; idest componebat, & quasi vt docens ordinabat dolos, vt verba eius essent placentia, Prou. 12. *Qui testis est repentinus, concinnat linguam mendacii*. Deinde cum dicit: *Sedens, aduersùs fratrem tuum loquebaris*, ostendit quomodo peccatum linguæ aggrauatur ex conditione personarum. Et primò ex conditione personæ loquentis. Secundò ex conditione eius, contra quem loquitur. Tertiò ex conditione audientium. Dicit ergo: *sedens*. Contingit enim aliquando, quòd aliquis dicit amarum verbum commotus, & prouocatus; & hoc vtcumque tolerabile est. Sed quando aliquis quieto corde, non prouocatus, dicit mala, hoc iniquum, & detestabile est; & ideò dicit, *sedens*, scilicet quietus, Psalm. 68. *Aduersùm me loquebantur qui sedebant in porta*. (*O quot maledicos sedentarios, & quietè ociantes in pharmacothecis, hydrothecis, & tonstrinis videmus, & audimus nocte, dieque oblatrantes, & innocentibus detrahentes!*) Ex persona eius, contra quem loquitur, aggrauatur peccatum: quia si loqueretur contra iniquum, secus esset; sed dicit *aduersùs fratrem tuum*, Ier. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat*. Deinde cum dicit: *& aduersùs filium matris tuæ ponebas scandalum*; ostendit quomodo aggrauatur ex parte eorum, qui ex hoc scandalizantur, scilicet audientium; & ideò dicit: *ponebas scandalum*, scilicet aliorum, contra fratrem tuum. Et quod dicit, *filium matris tuæ*, ostendit quòd paruuli lactentes dicuntur *filii matris*: & pusilli scandalizantur de verbis malis, quæ dicit. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt* Matth. 18. *expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris*, idest I dignus est pœna æterna. *Cui consonat id, quod Psaltes in cit. Psalmo prosequitur*. Hæc fecisti, & tacui, *dissimulando*. Existimasti inique, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam; *idest* condamnabo L te. *Adde, aliquorum ex his maximè aggrauari peccatum ex circumstantia loci: neque enim vel in ipso verentur Templo, vbi Deus orandus, proximis detrahere, & religiosis viris, honestisque fœminis oblatrare. Cum tamen ex Augustino* in Oratorio nihil agendum sit, nisi ad quod factum est. *Ita primi fideles describuntur Act.* 2. perdurantes vnanimiter in Templo, collaudantes Deum; *non hominibus, vt hodie, detrahentes. Neque ab hoc vitio eximuntur mulieres, quæ & in Ecclesiis, & domi, & è fenestris cum conuicinis incessanter obloquuntur confabulantes; quippè quæ verbosæ magis & garrulæ sunt, quàm viri, Prou.* 7. Mulier garrula, & vaga. *Vnde Apostolus* 1. *Tim.* 3. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes &c. *At horum omnium radix in mulieribus, & viris ociositas est*, 1. *Tim.* 5. Ociosæ discunt circumire domos, non solùm ociosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet: *nam Eccli.* 33. Multam malitiam docuit ociositas. *Decemur autem, quòd* cor M mulieris non est firmum, sicut viri, & propter hoc ad diuersa mouetur. Si ergo non adstringatur ad operandum, oportet ferri ad diuersa; & ideo est periculum, quòd mulieres sint ociosæ; vnde antiqui occupabant eas. Ideò sequitur, *& verbosæ*: ex quo enim non occupantur, multùm vacant nugis. *Et curiosæ*, quia ex quo non occupantur in suis, intromittunt se de alienis; & ideò dicit: *loquentes, quæ non oportet*: quia (*nota*) omnium facta diiudicant, *Eccli.* 9. Colloquium illius quasi ignis exardescit. *Sed & idem de viris asserendum: quia enim ociantur, obloquuntur: de quibus Apostolus* 2. *Thess.* 3. Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. *Siquidem* anima N hominis semper oportet, quòd circa aliquid occupetur; & ideò necesse est, quòd ociosi inquietudinem patiantur circa illicita, 1. Thess. 4. *Operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum* (non alienum, detrahendo) *negotium agatis*. Vnde subdit: *sed curiosè agentes*, scilicet de negocijs aliorum. *Modus tandem detractores non timendi; & oblocutiones declinandi, bona est, & exemplaris operatio, vti suggerit nobis Apostolus Petrus in sua* 1. *cap.* 2. *cum ait*, Vt in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. *Vt in eo, quod detractant* (*vel detrectant*) scilicet O frequenter, vel detrahendo tractant *de vobis, tanquam de malefactoribus*, idest ac si essetis malefactores, reputantes vos tales: *ex bonis operibus*; idest propter bona opera quæ facitis, *vos considerantes*, diligentiùs scilicet intuentes, *glorificent Deum* omnis boni authorem, *Matth.* 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. *Et iterum ibidem idem Apostolus*: vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. *Vt benefacientes*, scilicet P benè conuersantes, & malis benè vtentes, *obmutescere faciatis*, subtrahendo illis materiam loquendi, & detrahendi, *imprudentium hominum ignorantiam*, quia ignorantes bonitatem vestram, priùs detrahebant vobis. *Vide* Correptio fraterna, Dilectio inimicorum.

b VIII. *est* Iactantia. *Quæ quidem* propriè Q importare videtur, quòd homo verbis se extollat: illa enim, quæ vult homo longè iactare, in altum eleuat. Tunc autem propriè aliquis se extollit, quando de se supra se aliquid dicit. Quod quidem contingit dupliciter. Quandoque enim aliquis loquitur de se, non quidem supra id, quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinan-

Detractores euitandi.

Quorum aggrauatur detractio ex multis.

H Psalm. 49. lit. K.

I Matth. 18. lit. A. ibi.

L Psalm. 49. lit. K. ibi.

Nec mulieres à detrahendo excluduntur, quòd verbosæ, & curiosæ.

Ocium detractionũ radix in ipsis, & in viris.

M 1. Tim. 5. l. 2. ibi.

N 2. Thess. 3. l. 2. ibi.

Modus detractiones declinandi, & detractores non timendi, quis.

O 1. Pet. 2. §. 4. ibi.

P Ibid. §. 5. ibi.

Iactantia quid importet.

Q 2. 2. 112. 1. c. In 3. d. 38. 1. 2. ad 6.

Dupliciter quis iactat se verbis.

opinantur. Quod Apostolus refugiens dicit 2. ad Cor. 12. *Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me*. Alio modo aliquis per verba se extollit, loquens de se supra id, quod in se est secundùm rei veritatem. Et quia magis est aliquid iudicandum secundùm quod in se est, quàm secundùm quod est in opinione aliorum, inde est, quòd magis propriè dicitur iactantia, quando aliquis effert se supra id, quod in ipso est, quàm quando effert se supra id, quod est in opinione aliorum: quamuis vtroque modo iactantia dici possit. Et ideò iactantia propriè dicta opponitur veritati per modum excessus. *Vnde & species quædam mendacii ponitur*: quòd R transcendit scilicet veritatem in maius: sicut mendacium, quod deficit à veritate in minus, pertinet ad ironiam (*nam Philosophus in* 4. *Ethic.* secundùm quod mendacium S opponitur virtuti, diuisit mendacium in superfluum, quod est iactantia: & diminutum, quod est ironia. Iactator enim est, qui maiora de se fingit, quàm sint: ironia autem, quæ minora.) *Verùm* iactantia T ponitur esse species superbiæ, quantùm ad interiorem affectum, quo aliquis excellentiam appetit vltra suam mensuram; sed quantùm ad actum exteriorem, quo aliquis manifestat excellentiam suam verbis, pertinet ad inanem gloriam. *Etenim* excellentiam V quam superbia appetit, inanis gloria manifestare intendit, & ex ipsa manifestatione quandam excellentiam quærit. *An verò omnis iactantia sit mortale peccatum: dicendum, quòd* dupliciter X iactantia considerari potest. *Vno modo* secundùm se, prout est mendacium quoddam; & sic quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Mortale quidem, quando aliquis iactanter de se profert quod est contra gloriam Dei: sicut ex persona Regis Tyri dicitur Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum*. Vel etiam contra charitatem proximi, sicut cum aliquis iactando se ipsum prorumpit in contumelias aliorum: sicut habetur *Luc.* 18. de Pharisæo, qui dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus*. Quandoque verò est peccatum veniale: quando scilicet aliquis de se talia iactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum. *Alio modo* potest considerari secundùm suam causam, scilicet superbiam, vel appetitum lucri aut inanis gloriæ. Et sic, si procedat ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, etiam iactantia erit peccatum mortale; alioquin erit peccatum veniale. Sed quandoque aliquis prorumpit in iactantiam propter appetitum lucri: & hoc videtur iam pertinere ad proximi deceptionem, & damnum; & ideò talis iactantia magis est peccatum mortale. Vnde & Philosophus dicit in 4. *Ethic.* quòd *turpior est qui se iactat causa lucri, quàm qui se iactat causa gloriæ, vel honoris*. Non tamen semper est peccatum mortale: quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificatur. *Aduersùs huiusmodi iactatores superbos dirigitur illud* 1. *Reg.* 2. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. *Sed & contra illos, ea est imprecatio Psalm.* 11. Disperdat Dominus *nedum* (*vt vidimus*) vniuersa labia dolosa, sed & linguam magniloquam: *magniloquam nimirùm* de se Z apud eos, qui eos magnos reputant, Psalm. 72. *Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra*. Illud autem, quod est maius in alio, consueuimus reuereri; & quod minus, non reputare. Vt ergo appareant magni, & Deo æquales, contemnunt Deum, idest diuinos honores, Sic de antichristo dicitur 2. Thess. 2. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*. Vnde sequitur: *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt*. Hæc est enim prima species superbiæ, quando quis æstimat se habere à semetipso. Secunda species superbiæ est, quando aliquis vult in aliquo gloriari præ cæteris. Vnde dicunt: *Quis noster Dominus est?* Cui *respondet illud Iob.* 21. Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? *Nempè* Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat, *vt dicitur eiusdem Iob cap.* 11. *Ecce quò peruenit aliquorum perniciosa iactantia, quæ hactenùs descripta est, non leue inter cætera linguæ vitia peccatum.*

Opponitur iactantia veritati per excessum.

R 2. 2. 110. 2. *init. c. In* 3. *loc. cit.*

Species quædam mendacij.

S 3. *d.* 38. 1. 2. *ad* 6. & 2. 2. *l. c. a.* 2. *c.* & 113. 1. *c.*

Num ad superbiam pertineat, an ad inanem gloriam.

T *Ma.* 9. 3. *ad* 3. & q. 8. 4. *ad* 3. & 2. 2. 112. 1. *ad* 2. & 132. 5. *ad* 1. & 162. 4. *ad* 2. *In* 2. *d.* 42. 2. 4. *ad* 3.

V *Ma.* 9. 3. *ad* 3.

X 2. 2. 112. 2. *c.*

Quale peccatum.

Iactantia damnatur.

Z *Psalm.* 11. *lit. c. ibi.*

Duplex superbiæ species.

c IX. *est* Maledictio. *Circa quam illud notandum, quòd* maledicere A est malum dicere: quod quidem tripliciter contingit, sicut & benedicere, *scilicet enunciando, imperando, & optando*. Et secundùm quemlibet horum modorum potest benè, & malè fieri. Si enim id, quod est materialiter malum, dicatur malum quolibet istorum modorum sub ratione boni, non est illicitum, quia hoc est magis benedicere, quàm maledicere: vnumquodque enim magis iudicatur secundùm suam formam, quàm secundùm suam materiam. Si verò aliquis dicat malum sub ratione mali, formaliter maledicit: vnde est omninò illicitum. Vtrumque autem horum contingit in hoc, quòd aliquis *enunciando* malum profert. Quandoque enim aliquis enunciat malum alicuius ad notificandum necessariam veritatem: & sic dicit malum sub ratione veri necessarij, quod est bonum: vnde est licitum. Et hoc modo Iob 3. dicitur, quòd *Iob maledixit diei suo*, enuncians malitiam præsentis vitæ, sicut Apostolus dicit Eph. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Quandoque autem aliquis enunciat malum alterius sub ratione mali, scilicet intentione detrahendi; & hoc est illicitum: dicitur enim 1. Cor. 6. *Neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt*. Similiter etiam in eo, quòd quis dicit malum *imperando*. Contingit enim quandoque, quòd aliquis dicit id, quod est materialiter malum sub ratione boni, putà cum ex imperio alicuius prouenit alicui malum pœnæ propter iustitiam: quod quidem est licitum. Et hoc modo transgressores legis maledicuntur; idest pœnæ secundùm iustitiam deputantur: Quandoque verò aliquis *imperando* dicit malum alterius iniustè, putà propter odium, & vindictam: & talis maledictio est illicita, Exod. 21. *Qui maledixerit Patri suo, vel Matri, morte moriatur*. Et id etiam est circa id, quod aliquis dicit, malum *optando*. Si enim hoc optet sub ratione boni, putà vt per aduersitatem alicuius perueniat ad spiritualem profectum, hoc licitum est, Iob. 5. *Vidi stultum firma radice: & maledixi pulchritudini eius statim*. Si verò hoc homo faciat propter odium, vel vindictam, est omnino illicitum, vt illud: *Maledixit Philisthæus Dauid in diis suis*, 1. Reg. 17. *Ex quo Prophetæ, aliique Sancti viri absque omni culpa maledixisse populis credendi sunt. Nam* Prophetæ B contra populum aliquem interpellant tripliciter. Vno modo conformando voluntatem suam voluntati diuinæ eis reuelatæ, sicut & in Psalm. 57. dicitur: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*. Alio modo interpellando contra regnum peccati, vt scilicet non homines, sed peccata destruantur. Tertio modo, vt interpellatio, vel oratio sit interpretanda per modum denunciationis, secundùm illud Ierem. 17. *Confundantur qui me persequuntur*; idest confundentur. *Hinc super illud Matth.* 11. Væ

Maledicere tripliciter cõtingit: & quãdonam licitum, vel illicitum.

A Rom. 12. *l.* 3. *ibi*, maledicere, & *ibi*, reddentes *Iob.* 3. *l.* 1. *ibi*, maledixit. 2. 2. 76. 1. & 4. c.

Enunciando.

Imperando

Optando.

B Rom. 11 *l.* 1. *ibi*, interpellat 2. 2. 83. 8. *ad* 1. & 2. *Virt.* 2. 8. *ad* 10. & 15. *Op.* 19. *c.* 162. *Ps.* 5. *lit. g. Ps.* 9. *lit. m. Ps.* 27. *lit. d. Ps.* 39. *lit. g.*

Tripliciter Prophetæ cõtra populum interpellare dicuntur.

Quid formaliter, quid materialiter maledicere. C Matth. 11. lit. c. ibi.

tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, *ad hæc cohærenter docemur, quòd* est maledicere C formaliter, & maledicere materialiter. Formaliter nullus debet maledicere: sed materialiter potest. Vnde notandum, quòd quædam coniuncta sunt secundùm tactum, quæ tamen possunt separari per intellectum, vt in pomo est odor, & sapor, quæ non possunt separari secundùm tactum, licèt secundùm intellectum separentur. Similiter, velle istum non puniri, & velle ordinem iustitiæ, non possunt simul esse, nisi secundùm intellectum. Vnde si maledico illi, quia delector in eius malo, malum est. Si autem non pro malo eius, sed pro ordine iustitiæ, sic est bonum. Verbum autem Domini non erat verbum delectantis, sed opus iustitiæ nunciantis.

An liceat maledicere diabolum. D 2. 2. 76. 1 ad 4.

d *Quòd si quæras, an liceat (vt sæpissimè contingit) maledicere Diabolum. Respondet Author, quòd* in diabolo D est considerare naturam, & culpam. Natura quidem eius bona est, & à Deo; nec eam maledicere licet: culpa autem eius est maledicenda, secundùm illud Iob 3. *Maledicant ei qui maledicunt diei.* Cum autem peccator maledicit Diabolum propter culpam, se ipsum simili ratione iudicat maledictione dignum, & secundùm hoc dicitur *Ecclesiastici* 21. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. *Id quod pariter contingit, cum quis ex malitia peccat, & diaboli suggestioni id attribueni, maledicit illum. Creaturas verò cæteras irrationales, qualiter liceat, vel non liceat maledicere: docemur, quòd* benedictio E vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid bene, vel malè contingere, scilicet rationali creaturæ. Creaturis autem irrationalibus bonum, vel malum dicitur contingere in ordine ad creaturam rationalem, propter quam sunt.

Quid de cæteris irrationalibus creaturis. E Ibid. à 2. c. & art. 4. ad 1.

Creaturę irrationales multipliciter ad rationalē ordinantur.

Ordinantur autem ad eam multipliciter. *Vno* quidem *modo* per modum subuentionis, in quantùm scilicet ex creaturis irrationalibus subuenitur humanæ necessitati: & hoc modo Dominus homini dixit Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, vt scilicet per eius sterilitatem homo puniretur. Et ita etiam intelligitur quod habetur Deuter. 28. *Benedicta horrea tua*; & infra: *maledictum horreum tuum*. Sic etiam Dauid maledixit montes Gelboe secundùm *Gregorii* expositionem. *Alio modo* creatura irrationalis ordinatur ad rationalem per modum significationis: & sic Dominus maledixit ficulneam in significationem Iudææ. *Tertio modo* ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci: & sic maledixit Iob diei natiuitatis suæ propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates: (*maledixit* inquam *diei suo*, non F secundùm naturam, qua à Deo creatus est, sed secundùm illam Scripturæ consuetudinem, qua tempus dicitur bonum, vel malum, scilicet secundùm ea, quæ in tempore aguntur, secundùm illud Apostoli Eph. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Maledixit igitur diei suo, in quantùm mala sibi in ipsa die accidisse commemorat.) Et propter hoc etiam potest intelligi Dauid maledixisse montibus Gelboe, vt legitur 2. Reg. 1. propter cædem populi, quæ in eis contigerat. Maledicere autem rebus irrationalibus, in quantùm sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ: maledicere verò eis secundùm se consideratis, est ociosum, & vanum, & per consequens illicitum. *Ex quibus deducitur, quòd* maledictio G per quam pronunciatur malum contra aliquem vel imperando, vel optando, secundùm suum genus est peccatum mortale; & tantò grauius, quantò personam, cui maledicimus, magis

F Iob. 3. lit. f. ibi.

Maledicere rebus irrationalibus, vt sunt creaturæ Dei, blasphemia est: vt verò in se sūt, ociosum, & vanum. G 2. 2. 76. 3. c.

amare, & reuereri tenemur. Vnde dicitur Leu. 20. *Qui maledixerit Patri suo, aut Matri, morte moriatur*: (notent dyscoli filij.) Contingit tamen verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba, dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua (*vt sæpe sæpius accidit in matribus respectu paruulorum*) talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur.

Maledictio secundùm se mortale peccatum: aliunde tamen aliquando veniale.

e *Nec tamen detractione grauius peccatum est maledictio. Nam* ad contumeliosum H & susurronem, & detractorem, & etiam derisorem pertinet dicere malum culpæ; sed ad maledicentem (prout nunc loquimur) pertinet dicere malum pœnæ; non autem malum culpæ, nisi fortè sub ratione pœnæ. Non tamen est idem modus dicendi: nam ad prædicta quatuor vitia pertinet dicere malum culpæ solùm enunciando: per maledictionem verò dicitur malum pœnæ vel causando per modum imperij, vel optando. Ipsa autem enunciatio culpæ peccatum est, in quantùm aliquod nocumentum ex hoc proximo infertur. Grauius autem est, nocumentum inferre, quàm nocumentum desiderare, cæteris paribus. Vnde detractio secundùm communem rationem grauius peccatum est, quàm maledictio, simplex desiderium exprimens. Maledictio verò, quæ fit per modum imperij, cum habeat rationem causæ, potest esse detractione grauior, si maius nocumentum inferat, quàm sit denigratio famæ: vel leuior, si minus. Et hæc quidem accipienda sunt secundùm ea, quæ per se pertinent ad rationem horum vitiorum. Possunt autem & alia per accidens considerari, quæ prædicta vitia vel augent, vel minuunt. *Porrò frequentia maledictionum, in mulieribus præsertim* (Non est inimica super iram mulieris, *Ecclesiastici* 25.) *malitiam indicat, & habitum prauum, ex illo Psalm.* 13. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est. *Etenim* si quis I ex lapsu linguæ aliquid inordinatum dicat, faciliùs portatur: sed si quis os suum implet maledictionibus, tunc ex malitia propria procedit, secundùm illud *Matth.* 12. Ex abundantia cordis os loquitur. *Nihilominùs & nostro tempore verum habet quod ait Osee cap.* 4. Maledictum, & mendacium inundauerunt: *cum vbique locorum, & omnes cuiuscumque ætatis, & sexus, audiantur passim contra proximum suum in maledictiones, & imprecationes erumpere, ex opposito ad illud, Iob.* 31. Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quòd inuenisset eum malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius. *Et ad illud Apostoli Rom.* 12. Benedicite, & nolite maledicere; *& iterum*: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Quibus vtique maledictionibus vnusquisque sibi maledictionem acquirit, diuinamque arcet benedictionem, secundùm illud Psalm.* 108. Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo; *illa videlicet benedictio, de qua dicitur Matth.* 25. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum. *Nam ex Apostolo* 1. *Cor.* 6. Maledici Regnum Dei non possidebunt. *Vide* Benedicere, Dilectio inimicorum *Tomo I. & II.*

Num detractione grauius. H 2. 2. 76. 4. c.

Frequentia maledictionū damnatur.

I Psalm. 49. lit. K.

Maledicendo maledictionē nobis accimus.

f X. *est* Mendacium. *Quod quidem* mendacium L nominatur ex eo, quòd contra mentem dicitur, *Ex quo diffinitur* ab Augustino, *quòd sit* falsa M significatio vocis cum intentione fallendi. Vnde ad completam rationem mendacij exi-

Mendacium quid sit, & vnde dicatur. L 2. 2. 110. 1. c. M ad Henn. 3. d. 38. 1. 1. in sed contra, & in corp. In alio ib. Quol. 6. a. 17. & 2. 2 lit. e.

exigitur falsitas ex parte rei; & hoc est in mendacio quasi materiale: & ex parte intentionis loquentis, scilicet intentio fallendi, & hoc est formale: ideò in diffinitione eius tangitur vtrumque. Mentiri autem dicit solùm comparationem ad loquentem: & ideò ad mentiri sufficit falsitas ex parte intentionis loquentis, vel quòd aliter significet sermo, quàm sit in intentione. Ex quo non oportet, quòd quicumque mentitur, mendacium dicat: *sicut, qui verum loquitur, quod falsum esse credit, mentitur quidem, sed mendacium non dicit. Verùm quia ex Augustino*: Voces N præcipuum locum tenent inter alia signa; ideò cum dicitur, quòd mendacium est falsa vocis significatio, nomine vocis intelligitur omne signum. Vnde ille, qui aliquid falsum nutibus significare intenderet, non esset à mendacio immunis. *Et quidem*, cum eadem O intentio fallendi sit in eo qui mentitur verbo, & in eo, qui mentitur facto: vterque æqualiter peccat: verbum enim, & factum, assumuntur, vt instrumenta fallendi. *Et hinc sequitur, quòd* mendacium P directè, & formaliter opponitur virtuti veritatis. *Nam* veritati Q contrarium est falsum. Et quia diabolus est veritati contrarius, *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur* (*Io.8.*) *quia mendax est, & pater eius*, idest R mendacii: non enim omnis, qui mentitur, pater est sui mendacij. Vt enim *Augustinus* dicit: si ab alio mendacium accepisti, & dixisti: tu quidem mentitus es, sed pater mendacij non es. Diabolus verò, quia non aliunde accepit mendacium, quo tanquam veneno hominem occideret, pater mendacij est; sicut Deus, pater est veritatis. Diabolus enim primò mendacium invenit, cum scilicet mulieri mentitus est: *Nequaquam moriemini*, Gen.3. Quod qualiter verum fuerit, rei euentus postmodum comprobauit. *Quoad mendacii verò diuisionem*, Augustinus *in libro contra mendacium* diuidit S mendacium in octo partes. Quorum primum est in doctrina religionis. Secundum est, quod nulli prodest, & obest alicui. Tertium est, quod prodest ita vni, vt alteri obsit. Quartum est, quod fit sola mentiendi, fallendique libidine. Quintum est, quod fit placendi cupiditate. Sextum est, quod nulli obest, & prodest alicui ad conseruandam pecuniam. Septimum est, quod nulli obest, & prodest alicui ad vitandam mortem. Octauum est, quod nulli obest, & prodest alicui ad vitandum immunditiam corporalem. *Verumtamen ad maiorem horum notitiam, & vt clariùs procedatur, sciendum, quòd* mendacium T tripliciter diuidi potest. *Vno modo* secundùm ipsam mendacij rationem, quæ est propria, & per se mendacij diuisio. Et secundùm hoc, mendacium in duo diuiditur, scilicet in mendacium, quod transcendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam: & in mendacium, quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad ironiam, vt patet per Philosophum *in 4. Ethic.* Hæc autem diuisio: ideò per se est ipsius mendacij, quia mendacium, in quantum huiusmodi, opponitur veritati, vt dictum est. Veritas autem æqualitas quædam est, cui per se opponitur maius, & minus. *Alio modo* potest diuidi mendacium, in quantùm habet rationem culpæ secundùm ea, quæ aggrauant, vel diminuunt culpam mendacij ex parte finis intenti. Aggrauat autem culpam mendacij, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur *mendacium perniciosum*. Diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum vel delectabile; & sic est *mendacium iocosum*: vel vtile; & sic est *mendacium officiosum*, quo intenditur iuuamentum alterius, vel remotio nocumenti. Et secundùm hoc diuiditur mendacium in tria prædicta. *Tertio modo* diuiditur mendacium vniuersaliùs secundùm ordinem ad finem, siuè ex hoc addatur, vel diminuatur ad culpam mendacij, siuè non. Et secundùm hoc, diuisio est octo membrorum, quæ dicta est. In qua quidem tria prima membra continentur sub mendacio pernicioso: quod quidem fit, vel contra Deum; & ad hoc pertinet *primum mendacium*, quod est in doctrina religionis: vel est contra hominem, siuè sola intentione nocendi alicui; & sic est mendacium *secundum*, quod scilicet nulli prodest, & obest alicui: siuè etiam intendatur in nocumento vnius vtilitas alterius; & hoc est *tertium* mendacium, quod vni prodest, & alteri obest. (Inter quæ tria primum est grauissimum, quia semper peccata contra Deum sunt grauiora. Secundum autem est grauius tertio, quod diminuitur ex intentione vtilitatis alterius.) Post hæc autem tria, quæ superaddunt ad grauitatem culpæ mendacij, ponitur *quartum*, quod habet propriam quantitatem sine additione, vel diminutione: & hoc est mendacium, quod fit ex sola mentiendi libidine, quod procedit ex habitu. Vnde & Philosophus dicit *in 4. Ethic.* quòd mendax, eo quòd talis est secundùm habitum, ipso mendacio gaudet. Quatuor verò subsequentes modi diminuunt de culpa mendacij. Nam *quintum* est mendacium iocosum, quod fit placendi cupiditate. Alia verò tria continentur sub mendacio officioso, in quo intenditur quod est alteri vtile, vel quantùm ad res exteriores; & sic est *sextum* mendacium, quod prodest alicui ad pecuniam conseruandam: vel est vtile corpori; & hoc est *septimum* mendacium, in quo impeditur mors hominis: vel etiam vtile est ad honestatem virtutis; & hoc est *octauum* mendacium, in quo impeditur illicita pollutio corporalis. Patet autem, quòd quantò bonum intentum est melius, tantò magis minuitur culpa mendacij: & ideò si quis diligenter consideret, secundùm ordinem prædictæ enumerationis est ordo grauitatis culpæ in istis mendacijs. Nam bonum vtile præfertur delectabili, & vita corporalis præfertur pecuniæ: honestas autem ipsi corporali vitæ.

g *Ex his deducitur, quòd omne, & quodcumque mendacium secundùm se malum est, & semper illicitum.* Quod enim est V secundùm se malum in genere, nullo modo potest esse bonum, & licitum: quia ad hoc, quòd aliquid sit bonum, requiritur, quòd omnia rectè concurrant. Bonum enim ex integra causa, malum verò est ex singularibus defectibus, vt *Dionysius* dicit 4. *cap. de diu. Nom.* Mendacium autem est malum ex genere: est enim actus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quòd aliquis voce significet id, quod non habet in mente. Vnde Philosophus dicit *in 4. Ethic.* quòd mendacium est per se prauum, & fugiendum: verum autem est bonum, & delectabile. Et ideò omne mendacium est peccatum. *Hinc* Ecclesiastici 7. *monemur*: Noli velle mentiri omne mendacium, *nullo videlicet excluso, quia omne mendacium culpabile. Neque putandum est, quòd* obstetrices X Hebræorum remuneratæ sint pro mendacio, sed pro timore Dei, & beneuolentia, ex qua processit mendacium. Vnde signanter dicitur: *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos*, vt habetur Exod.1. *Ad id etiam, quod obiicitur de Iacob Gen. 27. Esau se tunc simulante; dicendum, quòd* sibi primogenitura Y Dei electione debebatur: & ad illum intellectum, cum dixit se esse Esau primogeni-

Mentiri differt à mendacio.

Etiam nutu potest committi mendacium.

N 2. 2. 110. 1. ad 2. & 111. 1. c. & ad 4. In 3. l. c. ad 2. & ad Hann. ibid.

O Quol. 6. a. 17. c.

P 2.2. 110. 1. fin. c. In 3. d. 38. 1. 1. c.

Contrariatur directè virtuti veritatis.

Q Io. 8. lec. 6. lit. f.

Diabolus cur pater dicatur mendacij.

R Ibid. lit. g. & Op. 4. de 8. prae. §. 2. Op. de er. Pr. l. 1. c. 7.

Octo mendacij partes ex Augustino.

S 2.2. 110. 2. arg. 2.

T Ibid. in corp. In 3. d. 38. 1. 2. ad Hann. ibid. a. 1. Op. 4. loc. cit. Ps. 5. lit. e. ibi, médaciú.

Mendacij secundùm sui rationem prima diuisio, & propria.

Alia mendacij secundùm rationé culpæ diuisio.

Tertia mendacij diuisio vniuersaliùs secundùm ordinem ad finem per octo membra præmissa.

V 2.2. 110. 3. c. & 69 a 1. & 2 & 70. 4. c. & 111. 1. c. & 124 5. ad 2. In 3. d. 38. 1. 3. c. & ad 6. In 4. d. 16. 4. 1. q. 3. Quol 8. a. 14. & Ps. 5. lit. e.

Omne, & quodcumque mendacium de se malum, & semper illicitum.

X 2. 2. 110. 3. ad 2. In 3. l. c. a. 4. ad 3.

Obstetricum Hebræorum mendacium non remuneratum.

Y Hann. 3. d. 38. 1. 2. ad 1. & 2. In alio ib. a 3. ad 1. & 5. & 2.2. l. c. ad 3. & 6. & q. 111. 1. ad 1. Ver. 23. 3. ad 2. Quol. 8. a. 14.

Iacob mendax non fuit.

genitum, Spiritus Sanctus eius verba ordinabat, cuius instinctu, & intellectu loquebatur. Vnde quia hoc significare intendebat, ad quod Spiritus Sanctus ordinabat verba, ideò à mendacio excusatur. Et eadem ratio est de verbis omnium illorum, in quibus mendacium concedere nefarium videtur. Quod verò Christus Dominus apud duos discipulos Luc. 23. *finxit se longiùs ire*: dicendum, quòd non est simile de verbo, & de facto. Nam verba sunt instituta ad significandum verum; vnde qui ad falsum eis vtitur, abutitur faciendo quod non debet: sed facta non sunt instituta ad significandum. Vel dicendum, quòd per simulationem facti non intendebat falsum significare Christus (vel quicumque vir Sanctus) sed verum occultare, quod bene licet aliquando. Vel dicendum, quòd illa simulatio in figura fiebat: quia figurabat, quòd ipsi adhuc longe erant à veritate. Sicut autem verba figuratiua veritatem habent pro sensu in quo dantur, non pro sensu quem faciunt, vt si quis dicat, *pratum ridet*: ita & facta figuratiua. *Igitur nunquam licitum est mendacium neque ad propria, neque ad aliena vitanda etiam grauia nocumenta.* Nam mendacium Z non solùm habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione. Non licet autem aliqua illicita ordinatione vti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum; sicut non licet furari ad hoc, quòd homo eleemosynam faciat: (nisi fortè in casu necessitatis, in quo omnia sunt communia.) Et ideò non est licitum mendacium dicere ad hoc, quòd aliquis alium quocumque periculo liberet. (*Nocent qui praestito etiam iuramento, falsum nec rarò in iudicio asserunt in fauorem, vt aiunt, iudicandorum.*) Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, vt *Augustinus* dicit in libro contra mendacium. *Hinc ad illud Io. 13.* Vos vocatis me, Magister, & Domine; & bene dicitis: sum etenim: *docemur, quòd* aliquid A redditur commendabile, si id, quod dicitur, conueniat rei, de qua dicitur, quod fit per veritatem: quia si sit falsum, non conuenit ei. Adeò enim vitanda sunt mendacia, vt etiam si cedere videantur ad laudem Dei, non sint dicenda. Quantùm ad hoc ergo dixit Dominus: *bene dicitis*; & hoc ideò, quia verum est, quod dicitis, quia competit mihi: *sum etenim*; scilicet Magister, & Dominus.

Neque Christus apud duos discipulos, *fingens se longiùs ire*.

Non licet mendacium neq; ad propria, neque ad aliena nocumenta etiā grauia euitāda.

Z 2. 2. 110. 3. ad 4. & 111.1.ad 4. & 113.1.ad 3. in 3. d. 38. exp. tex. ad Hann. ibid. Ma.15.1. ad 5.

Etsi ad laudem Dei cedere videatur, mendacium non est dicendum.

A Io.13.lec.3. lit.b. ibi.

h *Quia verò* peccatum B mendacij principaliter consistit in intentione fallendi: ille, qui dicit falsum, quod putat esse verum, non mentitur. Magis autem reus est mendacij ille, qui dicit verum, quod putat esse falsum, vt patet per *Augustinum* in libro contra mendacium. *Et ratio adducitur: quia*, si quis C falsum enunciet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formaliter, quia falsitas est praeter intentionem dicentis; vnde non habet perfectam rationem mendacij: id enim, quod praeter intentionem dicentis est, per accidens est. Si verò aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi; licet sit verum id, quod dicitur, in quantùm tamen huiusmodi actus est voluntarius, & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem; vnde ad speciem mendacij pertingit. *Ex quo poenitens*, si dicat D peccatum, quod non fecit, tamen credit se fecisse, non mentitur: & ideò non peccat, si eo modo dicat, sicut est in corde suo. *Inter tria verò superiùs enumerata mendacia (perniciosum scilicet, iocosum, & officiosum) perniciosum solummodo secundùm se mortalis culpae reum hominem facit.* Peccatum *enim* mortale E dicitur, quod hominem vita spirituali priuat. Spiritualis autem vita per charitatem est: vnde illa peccata ex sui genere mortalia sunt, quae contra dilectionem Dei, vel proximi vergunt. Et ideò duplex genus mendacij peccatum mortale ponendum est. Primum, quod est contra Deum, sicut cum quis in doctrina religionis mentitur. Secundum est, quod in detrimentum iustitiae ad proximum vergit, siuè sit tale mendacium, quod ad peruersionem iudicij ordinatur; sicut cum quis in loco iudicij falsum dicit: siuè sit in nocumentum alicuius, quod sine mortali peccato esse non potest (*nisi damnum leuissimum foret.*) Alia verò mendacia, quia inordinationem quandam habent, non tamen à dilectione Dei, & proximi auertunt, peccata sunt, sed sunt venialia. *Verùm & haec duo mendacia, iocosum scilicet, & officiosum, licèt secundùm se mortalia non sint, quia per se charitati non contrariantur: per accidens tamen* possunt F contrariari charitati ratione scandali, vel cuiuscunque damni consequentis; & sic vtrumque erit peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publicè mentiri. *Ex quo falsum est, quòd* perfectis G viris omne mendacium est peccatum mortale. Circumstantia enim personae non transfert in aliam speciem, nisi fortè ratione alicuius adnexi, putà si sit contra votum ipsius: quod non potest dici de mendacio officioso, vel iocoso. Et ideò mendacium officiosum, vel iocosum non est peccatum mortale in viris perfectis, nisi fortè per accidens ratione scandali, *vt praemissum est. Inter iocosum verò, & officiosum mendacium hoc interesse videtur, quòd* quamuis H mendacium officiosum habeat plus de ratione mendacij, quàm iocosum, in quantùm habet plus de affectione: tamen officiosum habet minus de malo ratione vtilitatis adiunctae; & ideò est minus peccatum. *Aduertant autem in Ecclesia docentes, quòd* mortale est I mentiri in his, quae sunt fidei: quod pertinet ad Praelatos, Magistros, & Praedicatores. Et hoc est grauius omnibus alijs speciebus mendacij, 2. Pet. 2. *In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Et aliqui aliquando talia dicunt, vt videantur scire, *cum renera ignorent veritates, siuè in theologicis, siuè in scripturalibus, siuè in moralibus; vnde corda simplicium facilè corrumpuntur, vel nimiùm conscientiae relaxantur.*

B Quol. 6. a. 17. c. In 3. d. 38. 1. 1. ad 4. & 2. 2. 110. 1. c.

C 2.2. loc. cit.

An mendax dicendus qui falsum dicit, putans esse verum; sicut qui verum dicit, credens esse falsum.

D 4 d. 21.2.3. ad 4.

Mendacium tantummodo perniciosum secundùm se mortale peccatum.

E 3.d.38.1.4. c.ad Hann. ibid. a. 2. & 3. & 2. 2. 110. 4. Psal. 5. lit. c. Op. 4. de 8. praecept. §. 2.

Non omne mendacium, etiam in perfectis viris, est peccatū mortale.

F 2. 2. 110. 4. fin. c. & loc. cit.

G 2. 2. loc. cit. ad 5. In 3. l. c. ad 4.

Mendacium officiosū minus peccatū, quàm iocosū: & cur.

H 3. d. 38. 1. 5. ad 3.

I Op. 4. de 8. praec. §. 2.

i *Enimverò, non secus, ac virus lethiferum, cauendum mendacium est, Psalm. 13.* Venenum aspidum sub labijs eorum. *Et adeò quidem* mortiferum L est, quòd adhuc existens in ore, hominem occidit, Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Hoc venenum habuit in ore serpens, qui Euam Matrem nostram decepit, cum ait: *Nequaquam moriemini*, Gen. 3. & occasio dicitur simile, quòd serpens venenum corporale habeat in ore. Mendacium multùm displicet Deo in quocumque homine: vnde enumeratur lingua mendax inter ea, quae specialiter odit Deus, vt dicitur *Prou. 6.* Mendacium est immunditia, membrorum magis nobile maculans, scilicet os: vnde Saluator falsum testimonium enumerat inter ea, quae coinquinant hominem, *Matth. 15.* Debet ergo homo abominari mendacium: quod si non facit, & si ei placet, ipse Deo abominabilis efficitur (*Deus enim prima veritas est*) Prouerb. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Mendacium opprobrium hominum facit (*Mentiri, seruile est*, aiebat Plutarchus:) vnde dicitur Ecclesiastici 20. *Opprobrium nequam in homine mendacium*; & subdit: *Potior fur, quàm*

Mendacium venenū, ideò maximè cauendum.

L Op. de cor. Pr. l. 1. c. 7. & Op. 4. l. c.

Caetera illius damna.

Mendax peior, quàm fur.

quàm assiduitas viri mendacis. Proximo etiam plus nocet. Furtum enim nocet proximo in re contemptibili, scilicet terrena, quæ est bonum minimum: mendacium verò nocet personæ ipsius, non ex parte corporis, sed in nobiliori parte eius, scilicet anima, nobilem partem ipsius, scilicet oculum intellectus, obtenebrando, faciendo eum errare. Mendacium hominem qui debuit esse filius Dei, filium facit diaboli: quod non est paruum opprobrium. *Io.* 8. dicit Saluator de diabolo: *Mendax est, & pater eius*, scilicet mendacij. *Et in eodem capite dicit de Iudæis*: Vos ex patre diabolo estis. *Sed & mendacium cauendum* propter societatis M dissolutionem; homines enim simul viuunt: quod esse non posset, si simul verum non dicerent, Eph. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra*. Item cauendum propter famæ amissionem: qui enim assuescit mendacijs, non creditur sibi, etiamsi verum dicat, Ecclesiastici 34. *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?* Item propter animæ perditionem; vnde dicitur Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; & Prou. 19. *Qui loquitur mendacia peribit*: [*& hic videlicet, & in futuro seculo*.] *Cuius horrendum habemus exemplum Act.* 5. *de Anania. Quia enim Petro mentitus erat, ad increpationem Apostoli*: Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo: *statim audiens* Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. *Id quod & vxori eius euenit: nam confestim* cecidit ante pedes eius, & expirauit. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc. *Cur igitur & modò mendaces factum hocce non terreat?*

Filius Diaboli.

M Op. 4. loc. c.

Horrendum mendacis Ananiæ exemplum.

I *Non terret vtique: nam* maledictum *immò* & mendacium inundauerunt, *vt dicitur* Oseæ 4. *Omnis enim status, ætatis, & sexus homines mendaces sunt*, Psalm 115. Omnis homo mendax. *Mendaces inquam artifices, & venditores, de quibus Psalm.* 61. Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant. *Mendaces mercatores, de quibus Is.* 59. Corruit in platea veritas. *Mendaces hypocritæ, ad quos Dominus Matth.* 23. A foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. *Sed & mulier hoc facilè vitio irretitur, & irretit, de qua dicitur Prouerb.* 7. Præparata ad capiendas animas. *Vnde & post pauca subditur*: Irretiuit eum (*iuuenem*) multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum; *vera nimirùm falsis immiscens ad decipiendum. Experientia satis nota. Sanè aliqui ad mendacia cuomenda adeò assueti sunt, quòd si quando verum dicunt*, loquuntur N veritatem à casu, non ex proposito. *Contra quod dicitur Psalm.* 14. *quòd* habitabit in tabernaculo Domini qui loquitur veritatem in corde suo; *& additur*: qui non egit dolum in lingua sua. *Vbi alia litera habet*: qui non est facilis in lingua sua, *quales sunt mendacijs assueti, ita ut in arte fallendi Magistri sint, de quibus Ier.* 9. Veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, *scilicet* per O consuetudinem. *Et ita, vno prolato, vt primum firment, agglomerant intra momentum mendacia mille. Ex his non vnicum nouimus. Hinc mendacijs assuetus faciliter in periurium prolabitur*: Qui *enim* citò P non se retrahit à malo, de malo citò in peius vadit. Vnde negationi periurium addidit Petrus, periurio blasphemiam. *At hosce vel sua ipsorum verba manifestant, & damnant, absque eo quòd eorum sermoni adhibeatur respon-*

Omnes homines mendaces.

N Ps. 14. lit. b. ibi, veritatem.

Aliqui verum à casu dicunt, non ex proposito, mendacijs assueti.

O Ier. 9. lit. a. ibi.

Mendax ex habitu faciliter periurus.

P Matth. 26. circ. fin. cap.

Ex proprio se ore condem-

sum, Iob. 15. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi. *Quasi dicat*: Non indigent Q verba tua alio respondente, sed ipsa se interimunt, *simulque animam mendacia proferentis, Sap.* 1. *supracit.* Os, quod mentitur, occidit animam. *Vide* Iudex, Iudicium, Iuramentum.

nant mendaces.

Q Iob. 15. l. 1. ibi.

XI. *est* Periurium, *cui adijcitur frequens absque necessitate iniurandum, denique Nominis in vanum assumptio: de quibus satis dictum est Verbo* Iuramentum.

Periurium.

m XII. *est* Scurrilitas, *ad quam reducuntur vaniloquium, stultiloquium, & turpiloquium. Sicut autem* quantum R ad inordinatum verbum ponitur multiloquium: *ita* quantùm ad inordinatum actum, ponitur scurrilitas (*quæ gule à* Gregorio, *luxuriæ verò ab Isidoro ponitur filia*:) & est iocularitas quædam, proueniens ex defectu rationis: quæ sicut non potest cohibere verba, ita non potest cohibere exteriores gestus. Vnde super illud Eph. 5. *aut stultiloquium, aut scurrilitas*, dicit *Glossa*: Quæ a stultis curialitas dicitur, idest iocularitas, quæ risum mouere solet. Quamuis possit vtrumque horum referri ad verba, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquium: vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurrilitatem. *Et quidem* scurrilitas S procedit ex actu guiæ: non autem ex actu luxuriæ, sed ex eius voluntate. *Ex quo* Isidorus *quatuor ponit in præfato sensu filias luxuriæ: scilicet turpiloquia, scurrilia, ludrica, stultiloquia. Hæc enim* sunt T quidam inordinati actus exteriores, & præcipue ad locutionem pertinentes, in quâ est aliquid inordinatum quadrupliciter. *Vno modo* propter materiam; & sic ponuntur turpiloquia. Quia enim *ex abundantia cordis os loquitur*, vt dicitur *Matth.* 12. luxuriosi, quorum cor est turpibus concupiscentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. *Secundò* ex parte causæ; quia enim luxuria inconsiderationem, & præcipitationem causat, consequens est, quòd faciat prorumpere in verba leuitèr, & inconsideratè dicta, quæ dicuntur scurrilia. (*Vnde & de Moyse legitur ad Hebr.* 11. *quòd* magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. *Vbi Author*: quæ scilicet semper V est cum peccato, *saltem veniali, cum animus vltrà rationis limites iucundatur.*) *Tertiò* quantùm ad finem. Quia enim luxuriosus delectationem quærit, verba sua ad delectationem ordinat; & sic prorumpit in verba ludrica. *Quartò* quantùm ad sententiam verborum, quam peruertit luxuria propter cæcitatem mentis, quam causat; & sic prorumpit in stultiloquia, vtpotè cum suis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuscumque alijs rebus. *De quibus & Apostolus Eph.* 5. Nec nominetur in vobis turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet. *Vbi Apostolus* tria vitia X excludit: scilicet *turpitudinem*, quæ præter *turpia verba* est in tactibus turpibus, & amplexibus, & osculis libidinosis: item *stultiloquium*, idest verba prouocantia ad malum: & *scurrilitatem*, idest verbum iocularorium, per quod aliqui volunt inde placere alijs: (*iocus nihilominus verbi honestus aliquando licitus est: de quo infrà Verbo* Ludus.) *Quocirca* Seneca *monet*: Sermones Y vtiles magis, quam facetos, & affabiles, ama: rectos potius, quàm obsecundantes. Non erit tibi scurrilis, sed grata vrbanitas. *His additur vaniloquium, secundùm illud Psalm.* 11. Vana locuti sunt &c. *Vbi Author*: Vanum Z est *inquit* quod non habet

Scurrilitas quid, & cuius filia.

R 2. 2. 148. 6. c. Ma. 14. 4. c. Eph. 5. l. 2. ibi scurrilitas.

Multiloquium.

S 2 2. l. c. ad 3.

Quatuor luxuriæ filiæ ex Isidoro.

T 2. 2. 153. 5. ad 4.

Locutio inordinata quadruplicitèr.

Turpiloquia.

Scurrilia.

V Hebr. 11. l. 5. ibi.

Ludrica.

Stultiloquia.

X Eph. 5. l. 2. ibi.

Y Op. de tr. Pr. l. 5. c. 20. fin.

Vaniloquiũ.

Z Ps. 11. lit. b.

ut. Ps. 38. lit. d. & 1. Tim. 1. l. 3. ibi, vaniloquium. *Ma. 9. 1. c. Op. 4. de 2. precep. §. 1.*

bet subsistentiam. Verba ergo, quibus nihil veritatis subest, sunt vana, 1. Tim. 1. *Finis praecepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: à qua quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium.* Item vanum est quod intellectu non tenetur: & ita verba superflua, vana sunt, Prouerb. 14. *Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Item vanum est quod non est stabile: & sic verba de temporalibus vana sunt, *Io.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. *Praefata autem omnia simul euitanda monet vno verbo Apostolus ad Eph. 4. cum ait*: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. *Vbi docemur, quòd* sermo A oris praetendit, & annunciat quae sunt in anima: quia *voces sunt earum, quae sunt in anima, passionum notae.* Ille est bonus sermo, qui indicat bonam dispositionem interiorem: malus verò, qui malam. Tripliciter autem homo ordinatur interiùs, scilicet ad se, vt scilicet omnia sint rationi subiecta: ad Deum, vt ratio sit ei subdita; ad proximum, quando diligit eum, vt se ipsum. Est ergo quandoque sermo malus, qui indicat hominem inordinatum contra Deum, sicut periuria, blasphemiae, & huiusmodi. Item est sermo malus, quando indicat hominem inordinatum contra proximum, sicut iniuriae, doli, & fallaciae. Item est sermo malus, quando indicat hominem inordinatum in se; & hic est sermo talis eius, qui aliud loquitur, aliud intendit: & similiter sermo inutilis & vanus, (*quales sunt, de quibus hic loquimur,*) & ideò dicit: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*, scilicet nullus: *omnis non* enim aequipollet huic signo *nullus*.

A Eph. 4. l. 9. ibi.

Tripliciter homo interiùs ordinatur.

Sermo tripliciter hinc malus.

n *Hinc ad Colossenses 3. idem Apostolus*: Deponite *inquit* omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. *Quibus in verbis notandum valde est, quòd post blasphemiam nominat immediatè turpem sermonem, hoc est turpiloquium, quasi post blasphemiae grauitatem inter oris peccata grauius turpiloquium sit. Quod certè, in Italiae praesertim partibus, intolerandum redditur, dum turpia verba, immò turpissima, priuatim, & publicè per omnium horrendè insonant ora, non sine pusillorum in primis, & puellarum, aliorumque piorum hominum scandalo, quo ad omnia turpia patranda, & via simul paratur, & schola aperitur. Hi professiò nullam interiùs pietatem, honestatem nullam se profiteri demonstrant. Quos describit Apostolus Petrus in sua 2. cap. 2. dum inquit.* Hi verò, velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & perniciem in his, quae ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt &c. *Irrationabilia pecora* quoad B corruptionem motum: (scurrilitas *enim, & huiusmodi* prouenit C ex defectu rationis) *peribunt in corruptione sua*, idest pro corruptione in suo sensu. *Oculos habentes plenos adulterii*, idest in oculis cordis, *& incessabilis delicti*, idest luxuriae (*ex qua turpiloquium*) quae nunquam dicit, *sufficit: pellicientes animas instabiles*, idest decipientes, & scandali gladio perimentes. *Tales sunt sicut sus* (*concludit ibidem Apostolus*) *in volutabro luti*, idest in luto, in quo se reuoluit. *Nec perperam dicitur sus homo turpiloquus: nam* qui D ori suo ab inquinatione non parcit, ab homine quasi degenerauit, & in porcum transijt. Porcus non plus parcit ab inquinatione oris, quàm pedis: vbi enim ponit pedem, ponit & os. *Quod tamen ex abundantia cordis loquitur, vbi carnalia desideria indicantur*: luxuriosi *quippè* (*vt superiùs praemissum est*) quorum cor E est turpibus concupiscentijs plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. *Quam bellè de his dictum est Rom.*

Turpiloquiū damnatur specialiter.

Contra turpiloquos declamatio.

B 2. Pet. 2. §. 4. ibi.

C Ma. 14. 4. s. c. & 2. 2. 153. 5. ad 4.

Turpiloquus, sus.

D Op. de er. Tr. l. 5. c. 19.

E 2. 2. 153. 5. ad 4.

Os eius, sepulchrū foetens.

3. *ex Psalm. 13.* Sepulchrum patens est guttur eorum! *Sepulchrum* enim *patens* exhalat F foetorem. Eorum ergo guttur est sepulchrum patens, ex quorum ore procedit turpiloquij foetor, *Apoc. 9.* Et de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. *Vnde Matth. 23.* Similes estis sepulchris dealbatis, quae à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. *Et licèt turpiloquium de sua natura venialis culpae reatum non videatur excedere: docemur nihilominus, quòd* haec G omnia (*scilicet scurrilitas, stultiloquium, turpiloquium, & huiusmodi*) sunt mortalia, in quantùm ad mortalia peccata, *vt saepè contingit*, ordinantur: quia aliquid, etiamsi bonum sit ex genere, in quantùm ad mortale ordinatur, est mortale. *Quamuis autem non omnes hac ordinent ad mortale, ex habitu tamen malo, ad mortale vel in se, vel in aliis, non rarò ordinantur. Vide* Blasphemia, Ludus.

F Rom. 3. l. 2. ibi.

G Eph. 5. l. 2. fin.

o XIII. *tandem est* Susurratio. *Et licèt hac largè sumpta à detractione minimè videatur differre: strictè tamen accepta, verè ab illa distinguitur. Et quidem* susurro H & detractor in materia conueniunt, & etiam in forma, siuè in modo loquendi; quia vterque malum occultè de proximo dicit: (propter quam similitudinem interdum vnum pro alio ponitur.) Differunt autem in fine: quia detractor intendit denigrare famam proximi; vnde illa mala de proximo praecipuè profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui eius fama. Susurro autem intendit amicitiam separare, vt patet per illud, quod dicitur *Prouerb. 26.* Susurrone subtracto, iurgia conquiescent. *Adde, quòd* susurro I in hoc etiam differt à detractore: quia non intendit simpliciter malum dicere; sed quicquid sit illud quod possit animum vnius perturbare contra alium, etiamsi sit simpliciter bonum, tamen apparens malum, in quantùm displicet ei, cui dicitur, *Prouerb. 26. cit.* Verba susurronis, quasi simplicia: & ipsa perueniunt ad intima ventris. *Ex quo grauitas susurrationis prae detractione elucescit.* Nam species L & grauitas peccati magis attenditur ex fine, quàm ex materiali obiecto: & ideò ratione finis susurratio est grauior, quamuis detractor quandoque peiora dicat. *Professiò* peccatum M in proximum tantò grauius est, quantò per ipsum maius nocumentum proximo infertur: nocumentum autem tantò maius est, quantò maius est bonum, quod tollitur. Inter caetera verò exteriora bona praeeminet amicus, quia sine amicis nullus viuere potest, vt patet per Philosophum *in 8. Ethic.* Vnde dicitur Eccli. 6. *Amico fideli nulla est comparatio.* Fama autem ipsa, quae per detractionem tollitur, ad hoc maximè necessaria est, vt homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideò susurratio est maius peccatum, quàm detractio; & etiam, quàm contumelia: quia amicus est melior, quàm honor; & amari, quàm honorari, vt *in 8. Ethic.* Philosophus dicit. *Et hac quidem de causa, dicitur susurro bilinguis*: Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes, *Eccli. 28.* Cum enim N amicitia sit inter duos, nititur susurro ex vtraque parte amicitiam rumpere, & ideò duabus linguis vtitur ad duos, vni dicens malum de alio. *Clarum de susurratione exemplum habetur Io. 3. vbi legimus, quòd* facta est quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis de Purificatione, & venerunt ad Ioannem; & dixerunt ei: Rabbi; Qui erat trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat: & omnes veniunt ad eum. *Quo loci, inquit Author*: Si attendatur O diligenter, conati sunt commouere Ioannem

Susurratio.

H 2. 2. 74. 1. c. & in sed contra, & q. 75. 1. c. Rom. 1. l. 8. ibid, susurrones.

Differentia inter susurronem, & detractorem ex fine est.

I 2. 2. 74. 1. ad 1.

L 2. 2. 74. 2. ad 1.

Susurratio grauius peccatum, quàm detractio.

M Ibid. in corp.

Cur susurro bilinguis dicatur.

N 2. 2. 74. 1. ad 3.

De susurratione clarum in Euangelio exemplum.

O Id. 3. lec. 4. lit. d.

contra

contra Christum. Similes isti sunt bilinguibus, & susurronibus. Proponunt autem quatuor, quæ commotionem in animo Ioannis contra Christum causarent. Primò enim commemorant humilitatem status Christi præteriti. Secundò beneficium à Ioanne impensum. Tertiò officium assumptum à Christo. Quartò decrementum, quod prouenit Ioanni ex Christi officio. Primò humilitatem status Christi commemorant, cum dicunt: *Qui erat tecum*, quasi vnus de discipulis: non autem tu cum illo, sicut cum Magistro. Nam si alicui maiori honor exhibeatur, non est tanta causa inuidiæ: sed tunc quis inuidet, quando minori se magis honor exhibetur, Eccle. 10. *Vidi seruos in equis: & principes ambulantes super terram, quasi seruos*: quia plùs turbatur dominus aliquis de rebellione serui, & subditi, quam alicuius alterius. Secundò commemorantes beneficium impensum à Ioanne, non dicunt: *quem tu baptizasti* (quia in hoc confessi fuissent magnificentiam Christi, quæ in baptismo demonstrata est, & descensum Spiritus Sancti super eum in specie columbæ, & vocem Patris sibi factam:) sed dicunt: *cui tu testimonium perhibuisti*; idest, quem tu clarum, & circumspectum fecisti, talia tibi rependere audet; quod multùm concitat exacerbationem, Psalm. 40. *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*. Sed quia quærentes propriam gloriam, & intendentes lucrum proprium in suo officio, dolent, si alius officium illud assumat: ideò *Tertiò* isti addunt, quòd Christus Ioannis officium sibi assumpsit, cum dicunt: *Ecce hic baptizat*; idest officium tuum exercet: quod multùm concitat ad turbationem. Nam communiter videmus, homines eiusdem artis insidiose, & inuide se habere ad inuicem: figulus enim figulo inuidet; non autem fabro. Sic etiam doctores, proprium honorem quærentes, dolent, si alius veritatem docet: (contra quos dicit *Gregorius*: Mens pij Pastoris optat, vt veritatem, quam solus docere non sufficit, alij doceant. Sic & Moyses Num. 11. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet?*) Sed non solùm sufficiebat istis concitare Ioannem: sed quod magis mouet, referunt; scilicet detrimentum, quod Ioanni ex assumpto officio à Christo prouenire videbatur. Quod *Quartò* exponunt, cum dicunt: *Et omnes veniunt ad eum*; qui scilicet ad te venire solebant. Quod est: te dimisso, & contempto, omnes ad baptismum eius currunt. Tali inuidia mouebantur Pharisæi contra Christum; vnde & dicebant *Io.* 12. Ecce Mundus totus post eum abijt. *Vide, quæ maligna in susurronibus adinuenta, vt amicitiam tollant! Erudiantur hinc homines, ne tam facilè huiusmodi susurronibus aurem inclinent, multòque minus fidem adhibeant: sed Ioannem imitentur, qui ex his non fuit motus contra Christum: non enim erat arundo vento agitata*, vt dicitur *Matth.* 11. Et hoc patet ex responsione Ioannis, quæ sequitur in determinatione quæstionis sibi delatæ. *Idcircò de susurrone dicitur Ecclesiastici* 5. Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia: *ceu qui Deo, & hominibus inuisus; vnde & cap.* 21. *dicitur*: Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur; & qui cum eo manserit, odiosus erit. *Sed & hunc Deus nedum exosum habet, sed specialiter detestatur, Prouerb.* 6. Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius; cum scilicet, qui seminat inter fratres discordias: *quod est proprius, vt vidimus, susurronis finis. Nec abs re quidem: cum enim præcipuum Dei mandatum, immò* plenitudo legis sit dilectio, *Rom.* 13. *& Io.* 15. Hoc est præceptum

Nec auris susurroni adhibenda, & multò minùs fides, exemplo Ioannis.

Susurro, Deo & hominibus inuisus.

Quem Deus specialiter detestatur.

meum, vt diligatis inuicem: *quomodo non detestetur, hoc est, execretur, abominetur Deus susurrantes, qui præfatum amorem tollere, & soluere amicitiam charitatis ex electione contendunt? Et ò felicissima Collegia, beatissima claustra, immò fortunatos deliciarum hortos, si lethifer hic serpens arceretur, si susurrones abessent! Neque enim desunt inibi, illud à Diabolo edoctis*: Diuide, & impera. *Cum tamen ex motiuo charitatis illud satiùs vsurpare oporteret*: Coniunge, & repara.

Collegiorum excidium, susurratio.

Hæc sunt vitia, quæ in Dei, hominumque iniuriam ex mala consueuerunt lingua prodire. Idcircò nec perperam dicitur Iac. 3. Vniuersitas iniquitatis: *nimirùm, quia [vt aiebat initio Author]* Per linguam P peccat homo contra Deum, blasphemando & periurando: contra proximum, detrahendo & conuitiando: contra seipsum, iactando; & sic euacuat omnia bona. *DISCE lingua vel Deo benedicere, vel hominibus benefacere*.

P *Iac.* 3. §. 3. *ibi*, Vniuersitas. *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 19. *post med.*

LITIGIVM. *Vide* Adulatio, Aduocatus *Tom.* 1. Lingua.

LONGANIMITAS. *Vide* Fortitudo *Tom.* 2.

L V D V S.

VI. Ludus secundùm se non est malus: sed secundùm quod ordinatur diuerso fine, vel vestitur diuersis circumstantijs, potest esse actus virtutis, & vitij. *Is.* 3. *circa fin.*

P LVdi, *siuè* ea Q quæ ludo fieri dicuntur, sunt quæ præter intentionem alicuius vtilitatis, fiunt ad solam delectationem. *Quocirca sciendum, quòd* sicut homo R indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare propter hoc, quòd habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam est ex parte animæ, cuius etiam est virtus finita, ad determinatas operationes proportionata. Et ideò, quando vltra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat; & ex hoc fatigatur, præsertim quia in operationibus animæ, simul etiam laborat corpus: in quantùm scilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sicut autem fatigatio corporalis soluitur per corporis quietem: ita etiam oportet, quòd fatigatio animalis soluatur per quietem animæ. Quies autem animæ, est delectatio: & ideò remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissa intensione ad insistendum studio rationis. Sicut in Collationibus Patrum legitur, quòd *B. Ioannes Euangelista*, cum quidam scandalizarentur, quòd eum cum discipulis suis ludentem inuenerant, dicitur mandasse vni eorum, qui arcum gerebat, vt sagittam emitteret. Quod cum pluries fecisset, quæsiuit, vtrùm hoc continuè facere posset. Qui respondit, quòd si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Vnde Beatus Ioannes subintulit, quòd similiter animus hominis frangeretur, si nunquam à sua intensione relaxaretur. Huiusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur, nisi delectatio animalis, vocantur ludrica, vel iocosa. Et ideò necesse est, talibus interdum vti, quasi ad quandam animæ quietem. Et hoc est, quod Philosophus dicit *in 4. Ethic.* quòd in huius vitæ con-

Q *In* 4. *d.* 6. *exp. tex.* & 2. 2. 153. 5. *ad* 4. & 168. 2. *c.* & 1. 2. 1. 6. *ad* 1. R 2. 2. 168. 2. *c.* & 72. 2. *ad* 1. & 1. 2. 60. 5. *c. In* 2. *d.* 40. 1. 5. *fi. c.* & *ad* 8. & *d.* 44. 2. 1. *ad* 3. *In* 3. *d.* 33. 2. 1. *q.* 1. *c.* & *d.* 34. 1. 2. *c. In* 4. *d.* 16. 4. 2. *q.* 1. *c. Virt.* 1. 12. *ad* 26. & *q.* 5. 1. *ad* 5. & 3. *con G c* 25. *numer.* 6. *Is.* 3. *circ. fin.*

Quid ludus.

Sicut corporis, ita & animæ necessaria interdù quies: quæ habetur per delectationem.

Ex quo & circa ludos potest esse aliqua virtus.

tæ conuersatione quædam requies cum ludo habetur: & ideò oportet interdum aliquibus talibus vti. Et ita circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus *Eutrapeliam* nominat. Et dicitur aliquis *Eutrapelus* à bona conuersione, quia scilicet benè conuertit aliqua dicta, vel facta in solatium. Et in quantùm per hanc virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur. *Nec obest, quòd exigat virtus, vt ad aliquem finem ordinetur, quod non videtur ludus habere: quanquam enim* ipsæ S operationes ludi secundùm suam speciem non ordinantur ad aliquem finem: delectatio tamen, quæ in talibus actibus habetur, ordinatur ad aliquam animæ recreationem, & quietem. Et secundùm hoc, si fiat moderatè, licet vti ludo. *Vnde Tullius dicit in 1. de Offic.* Ludo, & ioco vti quidem licet; sed sicut somno, & quietibus cæteris tunc, cum grauibus, serijsque rebus satisfecerimus.

Quæ Eutrapelia dicitur. Vnde hęc dicatur

Continetur sub modestia.

S 2.2.168.2. ad 3. & 1. 2. 1.6. ad 1.

q Ludorum *autem* triplex T est differentia. Quidam enim ludi sunt, qui ex se ipsis turpitudinem habent: & tales ludi ab omnibus vitandi sunt; sicut ludi, qui in theatris agebantur, ad luxuriam prouocantes (*quemadmodum & gladiatorij, qui Romæ exercebantur, quòd inhumani, & huiusmodi: de quibus Tom.1. Verbo* Curiositas.) Alij ludi sunt, qui ex gaudio deuotionis procedunt, vt legitur 2. Reg. 6. *Dauid, & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris &c.* & tales ludi non sunt vitandi, sed laudandi, & æmulandi. Quidam autem ludi sunt, nullam turpitudinem habentes, quos Philosophus liberales vocat: & hi sunt materia virtutis. Et ideò seruatis debitis circumstantijs possunt laudabiliter fieri ad quietem propriam, & alijs delectabiliter conuiuendum. *In his nihilominus* tria V videntur esse præcipuè cauenda. Quorum primum, & principale est, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nociuis. Aliud autem attendendum est: ne totaliter grauitas animæ resoluatur. Tertiò attendendum est (*sicut & in omnibus humanis actibus*) vt ludus congruat personæ, tempori, & loco, & secundùm alias circumstantias debitè ordinetur. *Quibus seruatis*, ludus X erit actus virtutis: & poterit esse meritorius, si gratia informetur. *Neque oppositum suadet; quòd Sara filia Raguelis dixerit Tob. 3.* Nunquam cum ludentibus miscui me. *Quod enim dixit, intelligitur*, & pertinet Y ad ludum superfluum. Quod patet ex eo, quod sequitur; *Neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui*. Sicut & illud Ierem. 15. *Non sedi in concilio ludentium*. Ieremias enim ibi loquitur secundùm congruentiam temporis, cuius status magis luctum requirebat. Vnde subdit: *Solus sedebam, quoniam comminatione repleisti me. Nam & ad ludum honestum exigitur, vt vidimus, circumstantia temporis, Eccle. 3.* Omnia tempus habent. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. *Et hinc est, quòd quia* ociosum Z est *secundùm Gregorium* quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione iustæ necessitatis: non omne verbum iocosum est ociosum, si ad recreationem referatur: quia etiam in iocis contingit esse virtutem. *Et alibi.* Potest A contingere, vt aliquid, quod aliàs est peccatum veniale, ex tali causa factum desineret esse peccatum: sicut dicere aliquod verbum iocosum, quod non esset ociosum, si diceretur causa piæ vtilitatis. Verumtamen *à Sacra doctrina ioca quæcumque, siuè iocosa verba, penitùs ex Ambrosio ablegenda*. Licèt enim, *inquit*, honesta

T 4. d. 16.4.2. q. 1.c.
Triplex ludorum genus.

V 2.2.168.2.c. If. 3. circ fi. & in 4. l.c.
Tria, ad ludos honestos necessaria.

Circumstantiæ in ludo obseruandæ.
X If.3.ci.c.fi. In 2. d. 40. 1. 5. fin. c.
Ludus, actus virtutis & meritorius, seruatis seruandis.
Y 2. 2. 168. 4. ad 2.

Z 2. d. 40. 1. 5. ad 8.
Non omne iocosum verbum est ociosum.
A 4. d. 9. 1. 4. q. 2. ad 3.
Ioca in sacra doctrina nullo pacto admittenda.

B Interdum ioca, ac suauia sint: tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula, quoniam in Scripturis sanctis non reperimus ea quemadmodum vsurpare possimus. Nam iocosa, vt dictum est, debent congruere negocijs, & personis. Vnde *Tullius* dicit *in 1. Rhet.* quòd quando Auditores sunt defatigati, non est inutile, ab aliqua re noua, aut ridicula Oratorem incipere: si tamen rei dignitas non adimit iocandi facultatem.

B 2.2.168.2. ad 1.

r *Verùm, cum vitia virtutibus opponantur per excessum, & per defectum; sicut vitium deprehenditur excessus in ludo, ita & defectus nimius*. Est enim C contra rationem, vt aliquis se alijs onerosum exhibeat, putà dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit. Vnde *Seneca* dicit; *Sic te geras sapienter, quòd nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat quasi vilem*. Illi autem, qui in ludo deficiunt, nec ipsi dicunt aliquod ridiculum, & dicentibus molesti sunt: quia scilicet moderatos aliorum ludos non recipiunt. Et ideò tales vitiosi sunt, & dicuntur duri, & agrestes, vt Philosophus dicit *in 4. Ethic.* Sed quia ludus est vtilis propter quietem, & delectationem: delectatio autem, & quies non propter se quæruntur in humana vita, sed propter operationem, vt dicitur *in 10. Ethic.* ideò defectus ludi minùs est vitiosus, quàm ludi superexcessus. Vnde Philosophus dicit *in 9. Ethic.* quòd pauci amici propter delectationem sunt habendi: quia parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento; sicut parum de sale sufficit in cibo: *At homines quidam nisi delectationibus obruantur, viuere nesciunt*. *Cæterùm* in ludo D duo est considerare. Vno quidem modo delectationem; & sic inordinatè lusiuus opponitur Eutrapeliæ. Alio modo in ludo consideratur quædam remissio, siuè quies, quæ opponitur labori; & ideò, sicut non posse sustinere laboriosa, pertinet ad mollitiem: ita etiam nimis appetere remissionem ludi, vel quamcumque aliam quietem. *Excessus verò, siuè* superfluum E in ludo accipitur, quod excedit regulam rationis: quod quidem potest esse dupliciter. Vno modo ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludum: quod quidem iocandi genus secundùm *Tullium* dicitur esse illiberale; petulans, flagitiosum, obscœnum; quando scilicet vtitur aliquis causa ludi turpibus verbis, & factis: vel etiam his, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se sunt peccata mortalia. Et sic excessus in ludo est peccatum mortale. Alio autem modo potest esse excessus in ludo secundùm defectum debitarum circumstantiarum, putà cum aliqui vtuntur ludo vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter conuenientiam negocij, seu personæ. Et hoc quidem quandoque potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectationem præponit aliquis dilectioni Dei: ita quòd contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ talibus ludis vti non refugiat. Quandoque autem est peccatum veniale, putà si aliquis non tantùm afficitur ad ludum, quòd propter hoc velit aliquid contra Deum committere. *Ex quo peccat ob ludorum qualitatem, qui positiuo iure vetitis vtitur; vt sunt alearum, taxillorum, & huiusmodi ludi. Non omnes tamen æqualiter peccant: nam Clerici magis quàm Laici propter scandalum; & Religiosi, ac Episcopi plùs quàm Clerici, propter perfectionis statum, quem profitentur: quamuis circumstantiis consideratis, & fine, in his etiam leue peccatum esse possit, seclusoprasertim scandalo. De quo, sicut & de restitutionis obligatione eorum, quæ quis indebitè ludendo lucratur*, vide F. & *apud Summistas*.

Sicut excessus in ludo vitiosus, ita & defectus nimius.
C Ibid. a. 4.c.

Abhorrentes ab honesto ludo opportunè, vitiosi sunt, durique, & agrestes dicuntur.
Defectus ludi minùs vitiosus, quàm excessus: & quare.
D 2.2.138. 1. ad 3.

Defectus hic ad mollitiem pertinet.

E 2.2.168.3.c.

Duplex in ludo excessus, & quidonam mortale peccatum.

F 2.2. 32. 7. ad 2. In 4. d. 15.2.4. q. 2. & 3.c. & ad 2.

s At ò

Moralitas.

§ *At ò quàm rari sunt, qui solius causa animi recreandi ludis incumbunt! quàm rarò in hominibus virtutis actus est ludus!* Sap. 15. Æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere. *Vel enim ludis vetitis ludimus, vel sola lucri cupiditate ad expoliandum collusores: cum tamen ludus ad solam concedat delectationem, animique leuamen, nulla intenta vtilitate, virtutis honestas. Mitte tum fraude ludentes, & dolo. Profectò, quia* vincere G est delectabile naturaliter, inquantùm per hoc fit æstimatio propriæ excellentiæ: propter hoc omnes ludi, in quibus est concertatio, & in quibus potest esse victoria, sunt maximè delectabiles, & vniuersaliter omnes concertationes, secundùm quòd habent spem victoriæ. *Nec valet ad excusandum à culpa superfluum ludum, quòd multa, si seriò fierent, grauia essent peccata, quæ ioco facta, vel nulla, vel leuia sunt. Non valet inquam: quia* aliqua H sunt peccata propter solam intentionem, quia scilicet in iniuriam alicuius fiunt: quam quidem intentionem excludit ludus, cuius intentio ad delectationem fertur, non ad iniuriam alicuius. Et in talibus ludus excusat à peccato, vel peccatum diminuit. Quædam verò sunt, quæ secundùm suam speciem sunt peccata, sicut homicidium, fornicatio, & similia: & talia non excusantur per ludum; quinimmò ex his ludus redditur flagitiosus, & obscœnus: *vt præmissum est. Porrò* superfluitas I in ludo pertinet ad ineptam lætitiam, quam *Gregorius* dicit esse filiam gulæ. *Vnde dicitur* Exod. 32. Sedit populus manducare, & bibere: & surrexerunt ludere. *Quod & modò vt plurimùm à mundanis hominibus fit. Quinam autem virtutis actus possunt post comessationem, & crapulam ab hominibus exerceri? Tantum abest, quòd tunc Eutrapeliæ virtus exerceatur, vt immò præter ludi superfluitatem, vel ex sola lucrandi cupidine damnandam, & turpiloquia, & rixæ, & contumeliæ, & blasphemiæ suboriantur; nec infrequenter homicidia: exinde toti innexiæ familiæ (fortè etiam fame laboranti) irreparabile excidium. Quotidianæ extant experimenta. Et hoc quidem vitio hominum plurimos inuolutos ostendunt verba* 10. *Apoc.* 14. Et exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta. *Quod exponens Author:* Stadium *inquit* est L spatium continens 125. passus, scilicet octauam partem milliarij: & dicitur à *stando*. Quia Hercules, cum cucurrisset vno halitu 125. passus, tunc respirauit, & stetit. Propter hoc Græci hac mensura metiebantur loca, in quibus ludebant. Stadium ergo (*secundùm glossam*) signat homines per viam vitiorum currentes, & ludis mundanæ vanitatis insistentes. Qui M quærunt tantùm coronam, & gloriam in præsenti: sicut illi, qui Romæ benè currunt in stadio, statim recipiunt suam coronam corruptibilem, vt dicit Apostolus 1. *Cor.* 9. Horum tria genera sunt. Quidam sunt minùs exercitati in ludis; & hi significantur per sex. Alij magis exercitati; & hi per centum. Alij sunt plenè, & perfectè exercitati; & hi per mille significantur. Et omnibus secundùm diuersitatem statuum suorum reddetur pœna in inferno; idest à minoribus vsque ad maiores, omnes inuoluendo. Malum est ergo se immiscere ludis, quia qui fuerit socius ludorum, erit & socius suppliciorum. *Ideò dicit Psaltes Psalm.* 25. Non sedi cum concilio vanitatis. *Quasi dicat: Negare non possum*, quin N in aliquo fuerim cum eis, quia non potest fieri, quin homo aliquando delectetur in terrenis; sed dicit: *Non sedi*; hoc est, *non diù permansi in terrenorum delectatione: quæ facit superfluus ludus; sed opportunè ad animi recreationem, & leuamen quandoque delectatus sum: quod imperat honestus ludus, & moderatus. Ex quibus liquet, quàm verè ab Authore dictum initio sit:* Ludus O secundùm se non est malus, sed secundùm quod ordinatur diuerso fine, & vestitur diuersis circumstantijs, potest esse actus virtutis, & vitij. *DISCE, lude vti: non ad vitium sed ad virtutem. Vide* Tomo 1. *Verbo* Curiositas.

Ludi, cur delectabiles.

G 1. 2. 32. 6. ad 3.

Quæ secundùm suam speciem sunt peccata, non excusantur facta per ludum, sed immò ludus indè redditur flagitiosus, & obscœnus.

H 2.2. 168. 3. ad 1.

Excessus, & superfluitas ludi spectat ad ineptam, lætitiam filiam gulæ.

I Ibid. ad 2.

Moralitas.

Hominum plurimi hoc vitio obnoxij.

Stadium quid, & vnde dicatur.

L Apoc. 14. com. 1. circ. fin. cap. & 1. Cor. 9. lec. 5. ibi, in stadio.

M Ibid. com. 2. fin. cap.

Socius ludorum, socius erit & suppliciorum.

N Ps. 25. lit. c. ibi.

O Ibid. 3. circ. fin.

LVXVRIA.

VII. *Et factus est sanguis tanquam mortui*. Hoc dicit, quià sicut à morte nullus regreditur, nisi miraculosè: ita & à peccato luxuriæ, Rom. 8. *Prudentia carnis mors est*. Vnde vix poterit aliquis exire: & tamen de facili potest quilibet cadere. *Apoc.* 16. *com.* 2. *ibi*. §. 7.

1 B*ifariam hoc nomen luxuria apud omnes accipitur*. Luxuria *enim* principaliter P quidem est in voluptatibus venereis, quæ maximè, & præcipuè animum hominis resoluunt: Secundariò autem dicitur in quibuscumque alijs ad excessum pertinentibus. Vnde ad *Gal.* 5. dicit *glossa*, quod luxuria est quælibet superfluitas. *Hinc super illud* 1. *ad Tim.* 5. Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, *docemur, quòd* luxuria Q quandoque sumitur pro superfluitate actus venerei; quandoque verò sumitur pro omni superfluitate rerum corporalium: & sic sumitur hic. Quasi dicat: Cum habuerint superabundantiam in Christo, idest per suffragium Christi, *tunc nubere volunt. Et in hoc secundo sensu luxuria deriuari videtur à luxu: ex quo tamen & Veneris libido vt plurimùm. In primo autem sensu* luxuriosus R aliquis dicitur *secundùm Isidorum*, quasi solutus in voluptates (*& veluti luxatus*, *Sap.* 5. Lassati sumus in via iniquitatis:), maximè autem voluptates venereæ animum hominis soluunt; & ideò circa voluptates venereas maximè luxuria consideratur. *Et hac quidem de causa luxuriæ peccata, dicuntur peccata carnalia* 1. *Cor.* 6. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. *Etenim* quædam S peccata non consummantur in carnali delectatione, sed in sola spirituali: ideo spiritualia vitia dicuntur, sicut superbia, auaritia, acedia, &c. Fornicatio autem completur maximè in carnali delectatione; & secundùm hoc potest intelligi quod hic dicitur: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*; quia scilicet complet præter sui corporis delectationem. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*; quia scilicet eius peccatum in carne consummatur. Et quia etiam peccatum gulæ consummatur in delectatione corporis, sub luxuria continetur: (*inquantùm scilicet* superfluus T vsus vini incentiuum voluptati venereæ præbet) secundùm illud Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Sed melius potest dici, quòd Apostolus non dicit, *qui fornicatur, corpore suo peccat (quod congruit primæ expositioni)* sed *peccat in corpus suum*, idest contra corpus suum, corrumpendo,

Luxuria bifariam sumitur.

P 2.2. 153. 1. ad 1.

Q 1. Tim. 5. lec. 2. ibi.

R 2. 2. 153. 1. c.

Eius etymon.

Circà quæ fit.

Cur peccata luxuriæ dicantur peccata carnalia.

S 1. Cor. 6. l. 3. ibi, & 2. 2. 154. 3. ad 2. & 1. 2. 72. 2. ad 4.

Quid sit peccare ex Apostolo *in corpus suum*.

T 2. 2. 153. 1. ad 2. Ad Eph. 5. lec. 7. ibi, vino.

pendo, & inquinando illud præter vsum rationis, Apoc. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; non quia V macula huius peccati sit in corpore, immo est in anima, sicut & gratia, cui opponitur: sed quia completur hoc peccatum in corporis delectatione, & in quadam corporis resolutione, quod in nullo alio peccato contingit. Nam in peccato gulæ non fit aliqua resolutio corporalis. *Ex hinc deducitur, quòd* luxuria X est quoddam vitium temperantiæ oppositum, prout moderatur concupiscentias delectabilium tactus circa venerea: sicut gula opponitur temperantiæ, in quantùm est moderatiua concupiscentiarum circa delectabilia tactus in cibis, & potibus. (*In tribus quippe, ceù penitùs necessariis, maximam apposuit natura delectationem; videlicet in venereis ad conseruationem speciei per generationem; in cibo, & potu ad conseruationem indiuidui per nutritionem; in præsidentia ad conseruationem Communitatis, per aliorum directionem: A quibus si delectationem tollas, non tam facilè homo propagationi intenderet, cibos caperet, regimen tot obnoxium incommodis promptus assumeret.*) Vnde luxuria quidem principaliter importat inordinationem quandam circa concupiscentias delectationum in venereis secundùm superabundantiam: *at verò secundùm defectum* virginitas, Y seu perpetua continentia, non opponitur luxuriæ, sicut extremum sed sicut medium, eo quòd medium in virtutibus non accipitur secundùm quantitatem, sed secundùm rationem rectam, vt de magnanimo Philosophus dicit *in 4. Ethic.* Extremum autem secundùm diminutionem esset, si quis præter rationem rectam à carnali commistione abstineret, vt patet in eo, qui debitum vxori reddere contemnit; vel qui abstinet propter aliquam reuerentiam dæmonum, sicut Necromantici, & Virgines Vestales.

V *Ma. 4. 8. ad 17.*

X *Ma. 15. 1. init. c.*

Luxuria temperantiæ opponitur.

In tribus apposuit maximam natura delectationē.

Quid propriè importet.

Y *Ibid. ad 9.*

11 *Porrò omnes luxuriæ actus inordinati sunt. Duplex tamen in eis potest inordinatio considerari,* Luxuria *enim* quandoque Z quidem importat solam inordinationem interioris concupiscentiæ, sicut patet in eo, qui ex immoderata concupiscentia accedit ad vxorem suam: tunc enim ipse actus non est inordinatus secundùm se, sed solum secundum quod procedit ex inordinata concupiscentia. Quandoque vero cum inordinatione concupiscentiæ est etiam inordinatio ipsius actus exterioris secundùm se ipsum, sicut contingit in omni vsu genitalium membrorum præter matrimonialem actum. Et quòd omnis talis actus sit inordinatus secundùm se ipsum, apparet ex hoc, quòd omnis actus humanus dicitur esse inordinatus, qui non est proportionatus debito fini: sicut comestio est inordinata, si non proportionetur corporis salubritati, ad quam ordinatur, sicut ad finem. Finis autem vsus genitalium membrorum, est generatio, & educatio prolis: & ideò omnis vsus prædictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis, & debitæ eius educationi, est secundùm se inordinatus. Quicumque autem actus prædictorum membrorum est præter commistionem maris, & fœminæ, manifestum est, quòd non est accommodus generationi prolis. Omnis verò commistio maris, & fœminæ præter legem matrimonij est improportionata debitæ prolis educationi: est enim lex matrimonij instituta ad excludendum vagos concubitus, qui contrariantur certitudini prolis. Si enim posset quilibet indifferenter ad quamlibet accedere, quæ non esset sibi determinata, tolleretur certitudo prolis, & per consequens solicitudo Patris circa educationem filiorum. *At de hoc iterùm sermo redibit. Ex quo secunda inordinatione spectata omnis luxuriæ actus præter coniugalem est mortale peccatum.* Videmus enim A quod peccatum mortale est non solùm homicidium, per quod vita hominis tollitur; sed etiam furtum, per quod subtrahuntur exteriora bona, quæ ad vitam hominis sustentandam ordinantur. Vnde dicitur Eccli. 34. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Propinquius autem ordinatur ad vitam hominis semen humanum, in quo est homo in potentia, quàm quæcumque res exteriores. Vnde & Philosophus in sua *Polit.* dicit, in semine hominis esse quiddam diuinum, in quantùm scilicet est homo in potentia: & ideò inordinatio circa emissionem seminis est circa vitam hominis in potentia propinqua. Vnde manifestum est, quòd omnis talis actus luxuriæ est peccatum mortale ex suo genere. Et quia appetitus interior accipit bonitatem, vel malitiam ex eo, quod appetitur: inde est, quòd etiam appetitus huiusmodi actus inordinati est peccatum mortale, si sit completus, scilicet cum ratione deliberata; alioquin est peccatum veniale. *Quòd si mortalia peccata sunt interiores huiusmodi actus, sicuti turpia desideria, & cogitationes, morosæque libidinosæ delectationes*: (delectatio autem dicitur B morosa, non ex mora temporis, sed ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur; nec tamen eam repellit, tenens, & voluens libenter, quæ statim (*nota*) vt attigerunt animum, respui debuerunt, vt *Augustinus* dicit 12. de Trin.) *quantò magis cæteri exteriores actus, quales sunt tactus, amplexus, oscula libidinosa? Libidinosa inquam: quia* aliquid dicitur C esse peccatum mortale dupliciter. *Vno modo* secundum speciem suam; & hoc modo osculum, amplexus, vel tactus secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale. Possunt enim hæc absque libidine fieri (si tamen periculum absit) vel propter consuetudinem Patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. *Alio modo* dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa; sicut ille, qui dat eleemosynam, vt aliquem inducat ad hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Consensus autem in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, & non solùm consensus in actum. Et ideò cum fornicatio sit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ species, consequens est, quod consensus in delectationem talis peccati, sit peccatum mortale, & non solùm consensus in actum. Et ideò, cum oscula, & amplexus huiusmodi propter delectationem huiusmodi fiant, consequens est, quòd sint peccata mortalia: & sic solum dicuntur libidinosa. (*Aduertant idcircò adolescentes, qui puellas ad honestum etiam finem coniugii deperennt, ne quæcumque sibi licitos faciant actus innocens; quemadmodum & sponsi sponsas inuisentes: neque enim, vt falsò putant, quicquid libet eis licet; & multò minus matrimoniales actus ante matrimonium Sacramento firmatum.*) *Et quamuis* secundum se D non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ est radix huiusmodi impedimenti. *Cæterùm & amplexus conceditur honestus, & osculum sanctum, Rom. 16. & 2. Cor. 13.* Salutate inuicem in osculo sancto. *Vbi notandum est, quòd* osculum E est signum pacis: nam per os, in quo datur osculum, homo respirat. Et ideò quando homines dant sibi mutua oscula, signum est, quòd vniunt spiritum suum ad pacem. Est autem pax simulata: & hæc est eorum, *qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum*, vt dicitur in Psalm. 27. Quæ quidem fit per

An omnes luxuriæ actus sint inordinati.

Z *Ma. l. c. in corp. & 2. 2. 153. a. 2. & 3. & 1 Cor. 6. l. 3. In 4. d. 33. 1. 3. q. 2. & alibi.*

Duplex in eis inordinatio.

Cur omnis actus luxuriæ inordinatus, sit (præter coniugalem) peccatum mortale.

A *Ma. l. c. a. 2. c. & 2. 2. l. c.*

Nec solùm exterior sed & interior.

B *1. 2. 74. 6. ad 3. & 88. 5. ad 2. In 2. d. 24. 3. 4. c. & ad 2. Ver. 15. 4. c.*

An oscula, tactus, & amplexus peccata mortalia.

C *2. 2. 154. 4. c. & 1. 2. 74. 8. Ver. l. c. Ma. 15. 2. ad 18. Eph. 5. l. 2. fin.*

Aduertant hoc Sponsi.

D *2. 2. l. c. ad 2.*

Triplex osculum & pax.

E *2. Cor. 13. l. 3. ibi, Rom. 16. l. 1. & 1. ad Thess. fi. cap. 5.*

per osculi fraudulentiam (*quale fuit proditoris Iudæ ad Christum*) Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Est & pax mala, & turpis, quando scilicet conueniunt ad malum faciendum, Sap. 14. *In magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Et hæc fit per osculum libidinosum. Vnde dicitur Prou. 7. de mala muliere, quòd *apprehensum deosculatur iuuenem &c.* Est & pax sancta, quam facit Deus, Philip. vltim. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c.* Et hæc fit per osculum sanctum, quia vnit spiritum ad sanctitatem; de quo dicitur hic: *Salutate inuicem in osculo sancto.* Et ex hoc inoleuit consuetudo, quòd fideles, & sancti viri in signum charitatis, & vnionis, se inuicem osculantur. *Hoc autem* osculum F sanctum est, quod in signum Sanctæ Trinitatis datur, Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui*: (idest G Vtinam oscularetur me Deus Pater osculo oris sui: ita quòd Deus Pater sit osculans, Filius sit os, & Spiritus Sanctus sit osculum. Dicitur autem Filius os Patris, in quantum est Verbum eius, & manifestatiuum ipsius. Spiritus Sanctus autem dicitur osculum, quia sicut in osculo procedit corporalis spiritus ab osculante per os: sic Spiritus Sanctus procedit etiam à Patre, procedendo à Filio, cum Filius hoc habeat à Patre, quòd spiret Spiritum Sanctum.) Exinde autem mos in Ecclesia inoleuit, vt fideles inter Missarum solemnia inuicem dent oscula pacis. *Neque ex eo (vt reuertamur ad primum) quòd semen ex Philosopho* de gener. animalium *dicitur superfluum alimenti, potest sine peccato, sicut sudor, vrina, & cætera excrementa emitti. Nam* semen H est superfluum (ex eodem Philosopho) quo indigetur. Dicitur enim superfluum ex eo, quòd residuum est operationis virtutis nutritiuæ; tamen indigetur eo ad opus virtutis generatiuæ: sed aliæ superfluitates humani corporis sunt, quibus non indigetur; & ideò non refert qualitercumque emittantur, salua decentia conuictus humani. Sed non est simile in seminis emissione, quæ taliter debet fieri, vt conueniat fini, ad quem eo indigetur.

F Rom. 16. l. c.

G Cant. 1. com. 2. ibi.

H 2.2. 153. 3. ad 1. Ma. 15. 1. ad 4. & 3. com. G. c. 122.

X *Nec mirum, mortale peccatum luxuria sit: etenim* per peccatum I luxuriæ homo maximè videtur à Deo discedere. Accedit autem homo ad Deum per spirituales actus, qui maximè impediuntur per delectationem veneream; vnde & Iob cap. 31. (*præmisso de peccato luxuriæ vitando*) subdit: *quam enim partem haberet in me Deus desuper?* Quasi dicat, In tantum, in me Deus partem habet, in quantum ad superiora mea mens rapitur; Si verò per luxuriam mens mea ad carnalem delectationem deijciatur, nullam partem desuper in me Deus habebit. *Cui videlicet luxuriosus veneream præponit delectationem, in quo mortalis culpa consistit.* Vellet enim lasciuus L frui delectatione absque offensa Dei: sed, duobus propositis, magis vult peccando incurrere offensam Dei, quàm delectatione priuetur. Vnde dicitur *Ezech.* 23. Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas. *Et licèt luxuriosus, ut ex Apostolo prætactum est, uideatur solummodo in corpus suum peccare: nihilominùs & in proximum grauissimè peccat.* Inter M peccata *enim*, quæ sunt in proximum, tantò aliqua sunt alijs grauiora, quantò maiori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi est ipsa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidij: & peccatum luxuriæ, quia est inordinatio quædam circa actum generationis humanæ. Vnde inter omnia peccata, quæ sunt in proximum, grauius est homicidium secundùm genus suum: & secundum locum tenet adulterium, fornicatio, & huiusmodi peccata carnalia. *Idcircò & gula præponitur in grauitate. Etenim* quamuis N fornicatio ex magnitudine incitamenti diminuatur; tamen ex materia, circa quam est grauitatem habet maiorem, quàm inordinata comestio; cum sit circa ea, quæ pertinent ad fouendum fœdus societatis humanæ. *Sed & specialem Deo iniuriam irrogat, & Christo Domino, qui nostram assumpsit carnem ad redimendum, quam inquinat luxuriosus. Vnde Apostolus 1. Cor. 6.* Empti estis pretio magno, *quasi præmonendo; & postea subdit*: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro: *non inquinetis, carnaliter peccando. Igitur* ex eo O quòd aliquis inordinatè suo corpore vtitur per luxuriam, iniuriam facit Deo, qui est principalis Dominus corporis nostri: (& quòd diuinum Verbum nostri corporis ex illibata Virgine nascendo formam sumpserit, *vt canit Ecclesia.*) *Vnde & Augustinus dicit in libro de 10. chordis*: Dominus, qui gubernat seruos suos ad vtilitatem illorum, non suam, hoc præcipit, ne per illecebras, & illicitas voluptates corruat Templum eius, quod esse cœpisti, *vt eodem loco ipse præmittit Apostolus*: Nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti? *Et paulò ante*: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.

Per luxuriam homo maximè à Deo elongatur.

I Iob 31. l. 1. sub initio.

Cui propriam præponit delectationem.

L 1.2. 78. 1. ad 2. & 2.2. 46. 2. ad 2.

Luxuria post homicidium primum tenet locum inter peccata in proximum, etiam supra gulam.

M Ma. 2. 10. c.

N 4. d. 33. 1. 3. q. 2. ad 4. Ma. 15. 2. ad 6.

Speciale Deo irrogat iniuriam & Christo Domino.

O 2.2. 153. 3. ad 2. & 1. Cor. 5. l. 3. ibi.

Y *Quoniam verò ex luxuria plurima suborinntur vitia: nedum graue peccatum secundùm genus suum luxuria est, sed & vitium statuitur capitale.* Quia enim delectatio P est una de conditionibus felicitatis, inde est, quòd vitia, quæ habent delectationem pro obiecto, sunt capitalia, vtpotè habentia finem maximè appetibilem, ad quem alia nata sunt ordinari. Delectatio autem venereorum, quæ est finis luxuriæ, est maxima inter delectationes corporales: & ideò luxuria debet poni vitium capitale. Et octo sunt filiæ eius. Videlicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, & desperatio futuri, vt patet per *Gregorium* 31. Mor. Manifestum est enim, quòd quando intentio animæ vehementer applicatur ad actum inferioris potentiæ, superiores potentiæ debilitantur, & deordinantur in suo actu. Et ideò quando in actu luxuriæ propter vehementiam delectationis tota intentio animæ attrahitur ad inferiores vires, idest ad concupiscibilem, & ad sensum tactus, necesse est, quòd superiores, scilicet ratio, & voluntas, defectum patiantur. Sunt autem quatuor actus rationis, secundùm quod dirigit humanos actus. Quorum: Primus est intellectus quidam, quo aliquis rectè existimat de fine, qui est sicut principium in operatiuis, vt Philosophus dicit in 2. Phys. Et in quantum hic impeditur, ponitur filia luxuriæ *cæcitas mentis*: secundùm illud Dan. 13. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Secundus actus est consilium de agendis: quod per concupiscentiam tollitur. Dicit enim *Terentius* in Eunucho: *Quæ res, in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes*: & loquitur in amore libidinoso: Et quantùm ad hoc ponitur *inconsideratio.* Tertius actus est iudicium de agendis: & hoc etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Dan. 13. *Euerterunt sensum suum, vt non recordarentur iudiciorum iustorum*: Et quantùm ad hoc ponitur *præcipitatio*: dum scilicet homo inclinatur ad consensum præcipitanter, non expectato iudicio rationis. Quartus actus est præceptum

Vitium capitale.

P Ma. 15. 4. c. & 2.2. l. c. a. 4. & 5. & 9. 15. 3. & 46. 3. & 53. 6. c.

Delectatio venerea, maxima inter delectationes corporales.

Octo luxuriæ filiæ.

Quatuor rationis actus.

Cæcitas mentis.

Inconsideratio.

Præcipitatio

de agendo: quod etiam impeditur per luxuriam, in quantùm homo non persistit in eo, quod diiudicauit, sicut idem *Terentius* dicit in Eunucho: *Hac verba* (quæ scilicet dicis, te recessurum ab amica) *una falsa lacrymula restinguet*. Et quantùm ad hoc ponitur *inconstantia*. Ex parte verò inordinationis affectus, duo sunt consideranda. Quorum vnum est appetitus delectationis, in quam fertur voluntas, vt in finem. Et quantùm ad hoc ponitur *amor sui* dum scilicet inordinatè sibi appetit delectationem; & per oppositum, *odium Dei*: in quantùm scilicet prohibet delectationem concupitam. Aliud verò est appetitus eorum, per quæ consequitur quis hunc finem. Et quantùm ad hoc ponitur *affectus præsentis sæculi*; idest omnium eorum, per quæ ad finem intentum peruenit, quæ ad seculum istud pertinent; & per oppositum ponitur *desperatio futuri sæculi*: quia dum nimis affectat carnales delectationes, magis despicit spirituales. *Siquidem* ad hoc Q quòd bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, vel non videantur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est instans amori delectationum corporalium, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ. Nam ex affectu harum delectationum contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea, quasi quædam bona ardua. *Vnde Apostolus ad Eph.* 5. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. *Propter hac*, scilicet R propter peccata carnalia, *venit ira Dei in filios diffidentia*, quia sic peccantes diffidunt de vita æterna: quia si sic faciens speraret vitam æternam, magis esset præsumptio, quàm spes, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis. *Vnde suprà cap.* 4. *dicitur de his*: Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis: (*Vt hinc discamus, plurimos hominum non ex fragilitate semper, aut impetu passionis, sed ex electione in luxuriis permanere. Vnde dicit Apostolus*: semetipsos tradiderunt. Quasi dicat: Non S passionibus, vel infirmitate peccauerunt, sed semetipsos tradiderunt: *quod est ex malitia peccare.*) *& sic maior eorum pars intemperati sunt, non incontinentes; inter quos magnum intercedit discrimen. Nam* in eo T qui est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito. In eo autem, qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio citò transit; habitus autem est qualitas difficilè mobilis; inde est, quòd incontinens statim pœnitet, transeunte passione: quod non accidit de intemperato; quinimmò gaudet, se peccasse, eo quòd operatio peccati est sibi facta connaturalis secundùm habitum. *Ex quo* libido V voluntatis, quæ auget peccatum, maior est in intemperato, quàm in incontinente; sed libido concupiscentiæ appetitus sensitiui quandoque maior est in incontinente: quia incontinens non peccat, nisi ex graui concupiscentia: sed intemperatus etiam ex leui concupiscentia peccat, & quandoque eam præuenit (*& è quoties*) & ideò Philosophus dicit *in* 7. *Ethic.* quòd magis intemperatum vituperamus: quia non concupiscens, vel quietè (idest remissè) concupiscens prosequitur delectationes: quid enim faceret, si adesset concupiscentia iuuenilis? *Quod adiicit ad quosdam increpandos senes in malis concupiscentiis inueteratos, non secùs, ac illos Susannæ pudicitiæ insidiatores; quorum vni dicebat Daniel cap.* 13. Inueterate dierum malorum. *En radix, quare propter peccata carnalia, non Dei misericordia speranda, vt quidam sibi stultè adblandiuntur, sed potiùs* venit ira Dei, *vt dicis Apostolus. En ratio, quare luxuriosus rarò ad bonam frugem reducitur*: grauissimè *enim* & X periculosè peccat qui peccat ex malitia, & non potest de facili reuocari, sicut reuocatur ille, qui peccat ex infirmitate: in quo ad minùs manet bonum propositum. *Idem pariter, quod ad Ephesios expressit, confirmat Apostolus ad Coloss.* 3. *cum ait*: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem &c. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. *Propter qua venit ira Dei*, idest Y vindicta Dei: quia propter peccata carnalia venit vindicta Dei *super filios incredulitatis*, siue diffidentiæ, idest peccatores, qui diffidunt de Deo, quia luxuria est filia desperationis: multi enim ex desperatione spiritualium dant se carnalibus. Vel *diffidentia*, quia quantum est de se, non est confidendum, vt corrigantur: & ideò venit ira Dei. *Sed & quidam ex luxuria* inordinati Z actus ad locutionem pertinentes oriuntur, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludrica, & stultiloquia, *vt superiùs Verbo* Lingua *ostensum est*.

Inconstantia.

Amor sui.

Odium Dei.

Affectus præsentis sæculi.

Desperatio futuri.

Q 2.2.20.4.c.

R Eph. 5. l. 3.

Luxuriosi, cur *filii diffidentia* dicantur?

S Eph. 4. l. 6. ibi.

Plurimi non ex fragilitate, sed ex electione impudicitijs se tradũt, & ideò venit in eos ira Dei.

T 2.2.156.3.c. & 1.2.78.4.c. In 2. d. 43. 1. 4. Ver. 24. 10. Ma. 3. 13. & 2. Tim. 3. l. 1. fin.

Differentia inter intemperatum, & incontinentem.

V 2.2. l. c. ad 3.

Duplex libido: voluntatis, & concupiscentiæ.

Qui peccat ex malitia, periculosè, & grauissimè peccat.

X Ma. 3. 13. fin. c.

Y Col. 3. l. 1. ibi. & Eph. 5. l. 3.

Z 2.2.153.5. ad 4.

2 *Ex his omnibus deducitur ab hoc emergendi vitio difficultas. Nam* concupiscentia A delectabilis maximè assimilatur puero, eo quòd appetitus delectabilis est nobis connaturalis, & præcipuè delectabilium secundùm tactum, quæ ordinatur ad conseruationem naturæ: & inde est, quòd si nutriatur horum delectabilium concupiscentia per hoc, quòd ei consentiatur, maximè augebitur, sicut puer, qui suæ voluntati relinquitur. *Hunc facit quod habetur* Iob. 40. *vbi describitur diabolus sub his verbis*: Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum: nerui testiculorum eius perplexi sunt. *Et loquitur sub figura* Behemot, *hoc est Elephanti. Quo loci Auctor*: Hæc *inquit* ad diabolum B literaliter referri non possunt, quasi ipsi ad modum animalium corporaliter coeant, quasi ipso coitu delectati. Etsi enim (*vt Augustinus* dicit in 15. de Ciu. Dei) quidam incubi sæpè dicuntur extitisse mulieribus improbi, & earum appetisse, ac peregisse concubitum: non tamen hoc agunt, quasi coitu delectati, sed delectantur in hoc, quòd omnes homines ad peccata talia inducunt, ad quæ maximè sunt proni. Quæ quidem eorum delectatio metaphoricè in verbis præmissis exprimitur, quod propter concupiscentiam carnis, secundùm hoc vitium maximè possunt homines superare. Et ideò dicit: *Fortitudo eius in lumbis eius*, vt hoc referatur ad viros: *& virtus illius in vmbilico ventris eius*, vt hoc referatur ad mulieres: *Stringit caudam suam, sicut cedrum*: quia quos in hoc peccatum deijcit, dulcedine voluptatis finaliter ligatos tenet. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt*: quia si aliquis in hoc vitium deiectus euadere nititur, diuersis occasionibus (*nota*) iteratò irretitur. *Hoc enim vitium* irretit C hominem ita, vt vix possit reuerti ad Deum per pœnitentiam, *Prouerb.* 7. Considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam &c. & ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas &c. *irretiuit eum* (post pauca) multis sermonibus & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam &c. & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur: *propter difficultatem nimirùm ad viam rectam regrediendi. Vnde formidabile illud Spiritus Sancti extat effatum* Ose. 5. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur

Difficultas à luxuriæ vitio emergendi.

A 2. 2. 151. 2. ad 2.

Sub figura coeuntis elephanti describitur diabolus ad luxuria inducens.

B Iob 40. l. 2. ibi.

Dæmones incubi.

In vitium luxuriæ deiectos homines tenet diabolus ligatos, itaut emergere non possint, & ad Deum verè conuerti.

C Apoc. 16. com. 2. §. 7.

Formidabilis hac de re sententia Os. 5.

tantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum. *Ex quo Ecclesia non sine causa Deum specialiter orat*: A spiritu fornicationis libera nos Domine. *Cuius nempe solius est à cœno luxuriæ hominem liberare. Hinc Apostolus huius non ignarus difficultatis* 2. ad Cor. 12. *dolens premebat*: Timeo, ne iterum cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. *Non egerunt pœnitentiam*, scilicet D plene (*hoc est imperfectè, quia fictè*) post primam Epistolam: *super immunditia &c.* scilicet de peccatis carnalibus. *Luxuriis enim implexi, eo quòd à Deo penitùs alienati, plerunque iusto Dei iudicio impœnitentes decedunt, quamuis fictè pœnitere videantur. Vnde ad Rom. 1. dicitur*: Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. *Non probauerunt*, idest E noluerunt, Deum habere in notitia. *Et heu! hoc sæpè fit vsque ad mortem, Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Iumenta impudica, & insipientia sunt homines stultis, carnales, Deum præ oculis non habentes. Huiusmodi *in stercore suo* putrescere, est in luxuria, & alijs peccatis vitam finire, Psalm. 9. *Non est Deus in conspectu eius*; idest F in intentione, vel cogitatione, Iob 21. *Dixerunt Deo: Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus*. Effectus autem est, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*, idest sordent omni tempore vitæ suæ, *Ier.* 2. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas: *putrida videlicet scorta, de quibus Prouerb.* 23. *dicitur*: Fouea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. *Ea propter de his signanter legitur Apoc.* 22. Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc. *Noceat adhuc*, idest G nocebit, malum alijs inferendo (ita vt intelligatur Angelus hoc dixisse prophetando, non optando:) *& qui in sordibus est, sordescat adhuc*, hoc est, sordescet, se ipsum magis ac magis per luxuriam polluendo; *ita ut in luxuriis, & impudicitiis vltimum agant diem.*

D 2. Cor. 12. fin. cap.

E Op. 58. c. 2. sub initio.

F Ps. 9. lit. q. ibi.

Qui in sordibus luxuriæ est, vsque ad finem vitæ sordescet.

G Apoc. 22. com. 1. & 2. ibi.

a *Hæc autem omnia contrectant, & palpant indies luxuriosi; nec tamen proprium nosse præcipitium valent: quia nimirum eorum mens inde obtenebrata manet, & obcæcata. Vnde & luxuria, quæ spiritus dicitur fornicationis, cæcum dæmonium ab Authore nuncupatur.* Carnalium H voluptatum delectatio est dæmonium cæcum Matth. 12. *Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus.* Et hæc est carnalis concupiscentia, quæ excæcat oculos mentis. *Augustinus*: Ascendebant nebulæ de limosa concupiscentia carnis: & obnubilabant, & offuscabant cor meum, vt non discerneretur sinceritas dilectionis à caligine libidinis. *Cæcitas quippè mentis filia luxuriæ est; & hoc, quia ex glossa* specialiter I in fornicationis peccato seruit anima corpori, in tantùm vt nihil aliud in ipso momento cogitare homini liceat. *Et alibi*: Per peccatum L carnale, per luxuriam præcipuè, mens humana deprimitur, vt ad superna ferri non possit: quin etiam in actu matrimoniali Spiritus Sanctus corda prophetarum non tangit, vt dicit *Hieronymus*: & secundùm Philosophum *in 7. Ethic.* impossibile est, hominem aliquid intelligere in ipsa delectatione venereorum. *Siquidem* in actu M illo homo efficitur totus caro, *spiritu penitùs deiecto. Enimuerò* nihil N ita impedit spiritualem contemplationem sicut immunditia carnis. *Quinimmò* luxuria O propter vehementiam delectationis, & concupiscentiæ totaliter opprimit rationem, ne prodeat in actum: *eo quòd* ratio P in ipso actu absorbetur. *Vnde Ose. 4. dicitur*: Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor; & *Augustinus in primo Solilogu.* Nihil *inquit* esse Q sentio, quod magis ex arce deijciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. *Nec ideò, quòd mens absorbeatur, excusanda culpa est. Nam* in ipso *quidem* actu R luxuriæ ratio deliberare non potest, sed tamen potuit ante deliberare, cum consensit in actum; & ideò imputatur ei ad peccatum. *Ex quo coitus iteratus penitus mentis impotem hominem facit: dicemur enim, quòd* frequentia S talis actus [*coeundi*] omninò mentem eneruat: *sed & corpus ad maximam reducit debilitatem. Nec obstat, quòd semen, quod emittitur, fit de superfluo alimenti: nam* si per coitum T emitteretur solum illud seminis, quod residuum est ab opere nutritiuæ, & augmentatiuæ, nunquam sequeretur debilitatio: sed ex immoderato coitu aliquando emittitur etiam id, quod necessarium erat ad membrorum nutrimentum, adeò quod propter immoderantiam coitus (vt in 15. *de animal.* dicitur) loco seminis aliquis sanguinem emittit; & ideò oportet, quòd debilitas naturæ sequatur. Nec mirum, cum etiam ex superflua egestione, vel vrina debilitetur corpus, sicut ex moderata alleviatur. *Hinc* Hippocrates V dicit, quòd equus quidam propter nimium coitum inuentus est sine cerebro. *Non secus & homines libidinosi (de quibus Ier. 5. dicitur*: Equi amatores, & emissarij facti sunt) *si non cerebrum, iudicium penitùs amittunt, & quemadmodum illi* iubarum X decore ad coitum concitantur: *ita & isti cincinnata cæsariei ornamento. Ac iubis excisis, equorum libido exstinguitur: non ita hominum, qui modò ex maiori immò libidine caput abradunt. In hoc pariter equis deteriores, quòd ex libidine nec ab incestu abstinent: quòd horrent equi. Tradit enim Philosophus in 9. de Hist. animalium, quòd* quidam Y equus, quia deceptus fuit, vt matri commisceretur, se ipsum præcipitauit, quasi præ horrore: eo quòd etiam animalibus inest naturalis reuerentia ad parentes. *Id quod & de camelo ibidem refert.*

Luxuria dæmonium cæcum, quòd ex ea obtenebratur mens, & excæcatur.

H Serm. ex Euang. Dom. 2. Quad.

I 1.2. 72. 2. ad 4.

Impotem etiam facit ad spiritualia, & superna.

L 4. d. 9. 1. 3. q. 5. c. & d. 26. 1. 3. ad 2. & 1. 2. 34. 1. ad 1. & 2.2. 153. 2. ad 2. Ma. 4. 6. ad 18. Iob 31. l. 1. ibi, partem.

M 4. d. 31. 1. 3. ad 4. & d. 32. 1. 1. & d. 33. 3. 1. 1 Cor. 6. l. 3. ibi in corpus, & l. c. citatis.

Impeditur ratio, ne in actum prodeat absorpta.

N Matth. 5. lit. b. ibi Mundo corde.

O 2.2. 55. 8. ad 1. & q 15. 3. & 46. 3. c. & 53. 6. c. & 151. 3. ad 2. & 180. 2. ad 3.

P 2. d 20 1. 2. ad 1. & l. c.

Q 2.2. 151. 3. ad 2.

Nec ideò culpa excusanda.

Coitus frequentia menti & corpori valdè noxia.

R Ma 15. 2. ad 10.

S 4. d. 33. exp tex.

T 2 d. 30 d. 2. 2. ad 3. In 3. d. 3. 5. 1. c. Pot. 3. 12. ad 9.

V De Pot. 3. 12. arg. 9.

Equus ob nimium coitum sine cerebro inuentus.

X Iob 39. l 1. ibi, hinnitum.

Equi, & Cameli ab incestu abstinent.

b *Igitur, quoniam* bestiæ Z carent ratione, secundùm hoc homo in coitu bestialis efficitur, quia delectationem coitus, & feruorem concupiscentiæ ratione moderari non potest, *Psalm.* 31. Nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. *Et ex hoc quidem peccatum luxuria, impuritas dicitur, & immunditia. Cum enim mulier, & vir naturaliter ad propagationem iungantur, non videretur actus esse immunditia, sicut neque comestio, aliaque naturales actiones. At exindè impuritas, & immunditia vocatur, quia potior hominis pars, & superior, qualis est ratio, à sensualitate absorbetur, animusque ad inferiora deiicitur; vnde fit homo impurus. Nam* impuritas A vniuscuiusque rei consistit in hoc, quòd vilioribus immiscetur: non enim dicitur argentum esse impurum ex commistione auri, per quam melius redditur, sed ex permistione plumbi, vel stanni. *Vnde & verba illa Apostoli ad Romanos* 1. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam *exponit Author*: in immunditiam B quæ ad carnalia peccata pertinet; quia scilicet homo per huiusmodi peccata maximè conuertitur, & trahitur ad id, quod est infra ipsum: vnumquodque enim dicitur impurum esse, siue immundum, ex commistione vilioris. (*Sanè* turpitudo C il-

Y 2.2. 154. 9. ad 3. In 4. d. 40. 1. 3. ad 3.

Z 1. p. 98. 2. ad 3. & 1. 2. 73. 5. ad 3. Rom. 1. l. 7. ibi, in desideria & c 13. l. 3. ibi, Impudicitiis. Apoc 16. com 2. § 7.

Peccatum luxuriæ cur impuritas dicatur & immunditia.

A 2.2 72. c. & 81. 8 c. & 4. con. G. cap 91. n. 4. & Ps. 50. lit. d.

Impuritas rei in quo consistat.

B Rom. 1. l 7. ibi.

C 4. d. 31. 2. 1. ad 4. & d. 26. 1. 3. ad 3.

la,

la, quæ semper est in actu matrimonij, & erubescentiam facit, turpitudo est pœnæ, & non culpæ: quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit.) *Et ibidem instruimur*, *quòd* homo D medium locum obtinet inter Deum, & animalia bruta, & cum vtroque extremorum communicat. Cum Deo quidem secundùm intellectualitatem: cum animalibus verò brutis secundùm sensualitatem. Sicut igitur homo id, quod est Dei, mutauit vsque ad bestias: ita Deus id, quod est diuinum in homine secundùm rationem, subdit ei, quod est brutale in ipso, scilicet delidério sensualitatis. *Ex quo fit* sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, *vt dicitur Psalm. 31. cit. Idcircò luxuriis dediti signantur per sues*, 2. *Pet*. 2. Sus lota in volutabro luti. *Vbi Author*: Per suem *inquit* significantur E luxuriosi, qui se in luto luxuriæ immergunt, & inuoluunt, & reuoluunt. Vnde dicit: *sus lota in volutabro luti*, idest in luto, in quo se reuoluit. Sus autem *ex glossa*, dum in luto lauatur, sordidior redditur: *de quo nescit exire, sicut è luxuriis libidinosus, quibus quodam veluti tenacissimo visco detinetur. Hinc dæmones illi* Matth. 8. *petierunt à Domino*, vt mitteret eos in porcos: *in luxuriosis enim & immundis hominibus suum habet diabolus domicilium*. Quare F in gregem porcorum? Quia est animal valdè immundum; vnde ad designandam immunditiam permisit intrare in porcos. *Hinc ad illud eiusdem Matthæi cap*. 7. Ne mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, *docemur, quòd* per porcos G qui conculcant pedibus, significantur immundi. Si ergo aliquid spirituale dicatur, & illud contemnitur, porcis datur, *quod in luxuriosis verum habet; hi namque spiritualia detrectant audire*. 2. *Cor*. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: (*de quo infra*.) *Vlteriùs &* per animalia H cornini generis hi significantur, qui sunt voluptatibus denigrati (Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum*.) quia coruus semel emissus ab arca, non est reuersus: (*semel enim propter venereas voluptates ab Ecclesia alienati, non tam facilè ad illam, hoc est ad eius sacramenta, reuertuntur*.) Vpupa etiam, quæ nidificat in stercoribus, & fœtenti pascitur fimo, & gemitum in cantu simulat, significat tristitiam seculi, quæ in hominibus immundis mortem operatur. Per bubonem pariter, qui in nocte victum quærit, de die autem latet, significantur luxuriosi, qui occultari quærunt in nocturnis operibus, quæ agunt, *Vnde Iob* 24. *dicitur*: Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus. *Et subiicit*: & sic in tenebris, quasi in luce ambulant. *Quapropter hortabatur Apostolus ad Rom*. 13. Abijciamus ergo opera tenebrarum. *Et ad Ephes*. 5. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: (*Nam, vt dicitur Eccli*. 13. Quæ communicatio sancto homini ad carnem?) idest operibus I carnalibus ducentibus ad tenebras perpetuas. Quæ quidem sunt *infructuosa*, quia non habent, nisi momentaneam delectationem citissimè transeuntem. Rom. 6. *Quem ergò fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Item tenebrosa loca quærunt propter turpitudinem, quia communicant in eis cum brutis. *Ideircò* concupiscentia L dicitur esse latens, & insidiosa: quia vt plurimùm delectabilia, quæ concupiscuntur, habent turpitudinem quandam, & mollitiem, in quibus homo vult latere. *Per quod indicatur satis, naturalis hæc de culpa propter turpitudinem erubescentia. Est enim erubescentia de turpi. Vnde Apostolus ad Eph*. 5. *cit*. Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. *Hoc autem* est M de vitijs carnalibus, in quibus est turpitudo magna: quia minimum est ibi de bonis rationis, cum huiusmodi actus communes sint nobis, & brutis. *Quòd si turpia, magis etiam homini exprobrabilia sunt*: quia N per ea homo deducitur ad id, quod est bestiale in homine, *vt præmissum est. Vnde docemur, quòd* intemperantia O est maximè exprobrabilis propter duo. *Primò* quidem, quia maximè repugnat excellentiæ hominis: est enim circa delectationes communes nobis, & brutis. *Secundò*, quia maximè repugnat eius claritati, vel pulchritudini, in quantùm scilicet in delectationibus, circa quas est intemperantia, minùs apparet de lumine rationis, ex qua est tota claritas, & pulchritudo virtutis. Vnde & huiusmodi delectationes dicuntur seruiles. Inter P vitia *autem* intemperantiæ præcipuè sunt exprobrabilia peccata venerea: tum propter inobedientiam genitalium membrorum (motus *enim* genitalium Q membrorum non subijcitur imperio rationis. Quod *quidem ex Augustino* est R ex pœna peccati: vt scilicet anima suæ inobedientiæ ad Deum in illo præcipuè membro pœnam inobedientiæ patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducitur. *Vide fusiùs ibi*.) Tum etiam propter hoc quòd ratio ab huiusmodi absorbetur. *Vnde & vitia* S carnalia *secundùm Gregorium*, etsi sint minoris culpæ, sunt tamen maioris infamiæ. *Hinc Regius Psaltes Psalm*. 15. Vsque ad noctem increpuerunt me renes mei; *idest* vsque T ad mortem reprehensibilem me ostenderunt *renes mei*, quia in renibus incentiuum luxuriæ sedem habet. *Et hoc propter perpetratum adulterium*.

C. *Quam quidem in culpam, quòd tam facilè, vno videlicet intuitu, Dauid adeò pius, & iustus inciderit, innuit satis, quàm lubricum sit hoc peccatum. Id quod clariùs innotescet ex verbis Iob cap*. 31. *dicentis*: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. *Quibus in verbis* incipit V Iob innocentiam suam ostendere per immunitatem à peccato luxuriæ, quod plures inuoluit. Quod quidem peccatum in lubrico positum est, & nisi aliquis principia vitet, vix à posterioribus potest pedem retrahere. *Primum* autem in hoc peccato est aspectus oculorum, quo mulier pulchra aspicitur, & præcipuè virgo. *Secundum* autem est cogitatio. *Tertium* delectatio. *Quartum* consensus. *Quintum* opus. Voluit igitur Iob principia huius peccati excludere, vt eo non inuolueretur. Vnde dicit: *Pepigi fœdus*, idest in corde meo firmaui, sicut pacta firmantur, *cum oculis meis*, ex quorum scilicet aspectu peruenitur in concupiscentiam mulierum: & ita ab inspiciendis mulieribus abstinere: *vt ne cogitarem quidem de virgine*; idest vt nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem: videbat enim esse difficile, si in primum incideret, scilicet cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem, & consensum: *vt infeliciter contigit Regi præfato*. Ex quo *enim* cor X a concupiscentia mulieris vincitur, consequens est, vt mulierem concupitam, quibuscunque dolis habere conetur. *Vnde subdit ibidem*: Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum &c. *Et alibi*: Via Y nostra *inquit* est lubrica per luxuriam, Thren. 4. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum*. Sicut enim in via lubrica, statim cum ponitur pes, ex hinc lubricat illinc: ita aspectus lubricat in cogitationem, cogitatio in affectionem, affectio in delectationem, delectatio in consensum, consensus in operationem, operatio in consue-

tu-

D Rom. 1. l.c.

Luxuriosi Sues.

E 2. Pet. 2. fin. cap.

Diabolus libenter eos inhabitat.

F Matth. 8. lit. d. ibi.

G Matth. 7. lit. a. ibi.

Luxuriosi, Corui, Vpupæ, Bubones.

H 1. 2. 102. 6. ad 1.

Opera carnalia infructuosa, & tenebrosa.

I Ad Eph. 5. l. 4. ibi. Rom. 6. l. 4. & cap. 13. l. 3. ad Gal. 6. l. 2.

L 1. 2. 48. 3. ad 2. Ver. 25. 6. ad 3. & 2. 2. 156. 4. c.

Concupiscétia latens & insidiosa.

M Ad Eph. 5. l. 5. init.

Vitia carnalia magis homini exprobrabilia, & quare.

N Rom. 1. l. 8. ibi, ignominiæ, & l. 7. ibi, in desideria.

O 2. 2. 142. 4. c.

Delectationes intemperantiæ seruiles.

P 2. 2. 151. 4. ad 3. & 156. 4. c. & 1. 2. 73. 5. ad 3.

Q 151. 4. c.

Motus membrorum genitalium non subijcitur imperio rationis.

R 1. 2. 17. 9. ad 3.

S 2. 2. 142. 4. ad 1.

T Ps. 15. lit. f. ibi.

Luxuria lubricum peccatum.

V Iob 31. l. 1. ibi.

In quo qui principiú non vitat, difficilè postea se retrahit.

Actuum luxuriæ connexio.

X Ibid. ibi.

Y 2. Pet. 1. circ. fin. cap.

Luxuriosi post pœnitentiam facilè recidiui.

tudinem. *Quod postremum Dauidi non accidit, quia statim pœnituit. Quòd si quis non fecerit, sed pluries culpam renouauerit: etiamsi post multa pœniteat, facilè redibit ad vomitum recidiuus. Hinc 2. Pet. 2. dicitur:* Pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes &c. *Eos, qui paululum effugiunt*, idest Z eos qui paruulo tempore à peccato abstinuerunt, & cito recidiuant: *libertatem illis promittentes*; idest pro peccato impunitatem, vel peccati immunitatem, dicentes: Deus non est tam crudelis, vt puniat æternaliter pro peccato momentaneo. *At væ recidiuis!* Si enim refugientes coinquinationes Mundi in cognitione Domini nostri, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. *Facta sunt eis*, scilicet A recidiuantibus, *posteriora*, scilicet peccata, *deteriora prioribus*, scilicet peccatis; vel status posterior post recidiuationem deterior est statu priori ante conuersionem. Talis enim magis offendit Deum, quàm ante pœnitentiam: frangit enim pactum, quod pepigit cum Deo in pœnitentia. Sicut periculosior est infirmitas recidiuantis, quàm prius ægrotantis. *Neque ex eo, quòd pluries, pluriesque luxuriæ actus repetantur, putet quis concupiscentiam diminui. Ex hoc enim* secundum quandam B similitudinem peccata intemperantiæ puerilia dicuntur: quia sicut puer (*vt prædictum est*) si suæ voluntati dimittatur, crescit in propria voluntate; vnde Ecclesiastici 30. dicitur: *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps*. Ita & concupiscentia, si ei satisfiat, maius robur accipit. *Et Chrysostomus:* Modum C nescit, nec intra terminos suis coniugij capit libido; sed quantò magis exercetur, eò magis accenditur. *Expropter dicitur luxuria* delictum incessabile, 2. Pet. 2. Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, *idest* luxuriæ D quæ nunquam dicit: *sufficit*. (*Hinc* ex septem E febribus, quibus peccatores laborant, febris continua *secundùm Authorem* est luxuria, Ose. 4. Fornicati sunt, & non cessauerunt: *quia, vt dicit Hieronymus:* Quando vires deficiunt, desideria inardescunt: *vt patet de senioribus in Susannam exardescentibus*, Dan. 13. *& quotidiana experientia satis superque manifestat, inextinguibile sub niuibus incendium vt frequentiùs latitante*. (*Vnde Apostolus ad Tit.* 2. Senes vt sobrij sint, & pudici: *scilicet* quantùm F ad venerea. Aliter tamen mouetur ad hæc senex, aliter iuuenis. Iuuenis enim incitatur ex instinctu passionis, sed senex ex electione, propter duo. Nullus enim vult esse sine delectationibus, & tantò plus appetit eas, quantò maiores molestias sentit. Senex autem patitur multa incommoda, & defectus naturæ: & ideò quando non habet spirituales delectationes, quærit corporales. Secunda ratio est, quia iuuenis quandoque frænatur per pudorem: senes autem secundùm Philosophum sunt inuerecundi, quia sunt antiqui, & multa experti: iuuenes autem vani, & verecundabiles naturaliter; & ideò refrænantur, sed non senes.) *Ad quod coharenter dicebat Dominus Io. 4.* Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterùm. *Qui bibit ex aqua hac*, scilicet G corporalis, vel carnalis concupiscentiæ, licèt ad horam satietur appetitus, tamen *sitiet iterùm*: quia insatiabilis est delectationis, *veneræ præsertim*, appetitus, Prouerb. 23. Quando euigilabo, & rursus vina reperiam? *Et hoc, quia luxuria maximè inhæsionis peccatum est. Hinc* diabolus H dicitur maximè gaudere de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo homo potest eripi. *Et ideò dicebat* Augustinus *in libro de Agone Christiano*: Inter I omnia Christianorum certamina, duriora sunt prælia castitatis, vbi est quotidiana pugna, & rara victoria: & in libro *de sum. bono* dicit *Isidorus*, quòd magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud: quia scilicet difficilius est vincere vehementiam huiusmodi passionis. *Vnde & Apostolus ad Coloss. 3. dicebat:* Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem &c. in quibus ambulastis aliquando. *Ambulastis* scilicet L de malo in peius. Qui enim tam lubrica graditur via, & casum frequenter subeat, necesse est; postremò & occasum, corporalem videlicet hic, & spiritualem æternum, nisi Deus sua reuocet potentia, & eripiat. *Quod expressit initio Author, cum ait:* Sicut M à morte nullus regreditur, nisi miraculose: ita & a peccato luxuriæ. Vnde vix poterit aliquis exire.

Væ recidiuantibus.

Z 2. Pet. 2. §. 5. ibi.

A Ibid. §. 6. ibi.

Quò magis luxuriæ satisfit, eò augetur magis.

B 2. 2. 142. 2. c. & 151. 3. ad 2. & 186. 4. c. Op. 58. c. 12. circ. fin.

Luxuria, delictum incessabile.

C Cat. Aur. Mat. 19. ibi, si licet.

D 2. Pet. 2. §. 4. ibi.

E Serm. ex Euang. Dom. 21. post Pent.

Senes impudici ex electione, iuuenes ex passione.

F Tit. 2. l. 1. ibi.

G Io. 4. l. 2. lit. c. ibi, & 1. 2. 73. 5. c. & ad 2.

Maximè adhærentia peccatorum luxuria.

H 1. 2. l. c. ad 2.

d *Ergo* in fugiendo N istud peccatum oportet multùm laborare, cum sit intrinsecum: difficiliùs enim vincitur inimicus familiaris, *Matth.* 10. Inimici hominis domestici eius. *Et alibi:* Tentatio O carnis est valde grauis, quia inimicus noster, scilicet caro, coniunctus est nobis: & sicut dicit *Boetius:* Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus: & ideò contra eam vigilandum est. *Sanè solo Dei auxilio carnalis tentatio debellatur. Quod innuit Propheta Regius Psalm. 15. cum ait:* Increpuerunt me renes mei: prouidebam Dominum in conspectu meo semper. *Quasi diceret:* Quia P in renibus incentiuum luxuriæ sedem habet: quando *increpuerunt me renes mei*, tunc *prouidebam Dominum in conspectu meo*; & hoc ideò, *quoniam à dextris est mihi ne commouear*: non enim potest quis esse continens, nisi Deus det, *vt dicitur Sap. 8. Vnde & Apostolus 2. Corinth. 12.* Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. *Et mox subiicit*: propter quod ter Dominum rogaui (*à quo solo poterat adiuuari*) vt discederet à me, *scilicet* stimulus Q concupiscentiæ, a qua multùm infestabatur. *Propter quod ter Dominum rogaui*: sentiens enim stimulum sibi grauem esse, ad singularis medici confugit auxilium, vt eum remoueat. *Ter* autem expressè, & deinde rogauit. Et fortè pluries hoc petijt, sed expressè, & instanter *ter* petijt. Vel *ter*, idest multoties: ternarius enim est numerus perfectus: *subditque ad eruditionem nostram Author:* Timeat peccator, si Apostolus, & vas electionis, securus non erat. *Et hinc est, quòd* illæ R quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam quo ad Deum non perdunt: sed quia valdè est difficile, quòd in tali decertatione aliquis placentiæ motus non insurgat; ideo Ecclesia, quæ de interioribus iudicare non potest, cum exteriùs aliqua corrupta sit, eam inter virgines non velat. *Et alibi:* Cum G propter delectationem nimiam ratio in actu illo suffocetur, difficillimum est tali delectationi dissentire in statu illo: & ideo præsumptio videtur esse, quod consentierit. *Expropter, quamuis Deus ad talem resistentiam, & dissensum, plenum robur præstare potuerit, violenter nihilominus a Tyrannis sanctas virgines opprimi, non legimus permisisse. Quòd si carnis tentatio ex natura sua difficilè vincitur, quantò difficiliùs, si foueatur? Vnde docemur, quòd ea* T circa quæ plurimùm peccatur, sunt quædam concupiscentiæ incitamenta, quæ hominum curiositas adinuenit, sicut curiosè præparati cibi, [*quibus via ad libidinem sternitur*] & mulieres ornatæ, *contra illud Apostoli Rom. 13.* Carnis

I 2. 2. 154. 3. ad 1.

Idcircò de illo diabolus magis gaudet, quàm de cæteris.

L Coloss. 3. l. 1. fin.

Luxuriosè viuens, de malo semper ambulat in peius, sine spe salutis, nisi miraculosè conuertatur.

M Apoc. 16. com. 2. §. 7.

N Op. 4 de 10. præc. §. 1.

O Op. 7. Pet. 6.

Caro, fortis inimicus, quia familiaris.

Solo Dei auxilio carnalis tentatio vincitur.

P Psalm. 15. lit. f.

Q 2. Cor. 12. l. 3. ibi.

Difficillimũ in actum luxuriæ non cõsentire.

R 4. d. 38. 1. 5. ad 4.

S 4. d. 33. 3. 1. ad 7. fin.

Caro difficiliùs vincitur, si foueatur.

T 2. 2. 142. 2. ad 2.

V Rom. 13. fin. cap. Eph. 5. l. 9. ibi, carnem.

nis curam ne feceritis in desiderijs: *quia* quilibet V tenetur, *quidem*, vt carnis curam gerat ad sustentandam naturam, secundùm illud Eph. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam*: sed addit, *in desiderijs*, vt scilicet inordinata carnis desideria, idest concupiscentias non sequamur, *hunc ad finem eam fouendo, vel superfluè enutriendo. Profectò* quanto caro X magis fouetur per ciborum affluentiam, & deliciarum mollitiem, tantò huiusmodi concupiscentia magis crescit. *Et quidem* multùm Y inimicatur castitati superfluus cibus, & potus, vinum forte, salsæ acutæ, & alia corpus inflammantia, Ier. 5. *Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur*, Eph. 6. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Item ei inimicatur ocium, Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & ocium ipsius, & filiarum eius.* Ouidius: *Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter:*

X Op. 18. c. 9.

Y Op. de er. Pr. l. 5. c. 52.

Multa sunt, quæ carnem fouent, & cōtinentiæ obsunt.

In promptu causa est: desidiosus erat.

Ociosus erat Dauid, cum in peccatum adulterij cecidit. Inimicatur etiam somnus intemperatus. Cato.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Inimicatur etiam (*& super omnia quidem*) Impudica societas: quæ lædit dupliciter, scilicet exemplo, & suggestione. *Cui adde obscœnos, & amatorios libellos, atque cantiones lasciuas: hac enim de causa (quia scilicet legentium puellarum præsertim mores corrumpunt) docemur, quòd* non est Z sine peccato componere cantiones vanas, etiam secundùm Philosophos: quin & Poetæ, fingentes carmina amatoria, debent expelli ex Ciuitatibus. *Sicut & apud Gentiles, ad fidelium vtiquè confusionem, ob librum* de arte amandi *concinnatum relegatus est Publius Ouidius Naso. Vnde & legimus Act. 19.* Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. *His verò fomentis excitata libido, difficillimè, immò nullo modo reprimi potest, nisi Deus specialissimum prǣbeat auxilium. At de his fusè Tom. 1. V.* Cælibatus.

Poetæ lasciui damnantur: qui & ab Vrbibus expellendi.

Z Op. 4. de 10. præc. §. 1.

c *Ex quibus euenit, vt luxuria vniuersalius sit hominum vitium*, quod A plures inuoluit. *Et alibi*: Dæmones, *inquit Author*, delectantur B in hoc, quòd omnes homines (*non tantùm plures*) ad peccata talia inducunt: *& paucissimi resistunt, & abstinent. Nec mirum*: nam post peccatum C propter corruptionem nullus cauadit concupiscentiam præter Christum, & Virginem gloriosam: & quandocumque concupiscentia adest, adest vel cum veniali, vel cum mortali, quando scilicet dominatur, *Iac. 1.* Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. *Hinc Apoc. 3. signanter dicitur*: Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua. *Pauca nomina*, idest D paucos bonos, qui digni sunt nomine, quia Deo accepti. Ideò diues ille *Luc. 16.* non nominatur, quia Deo non acceptus, nec nomine dignus. *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me*, Exod. 33. *Qui non inquinauerunt vestimenta sua*, scilicet corpora (*Isa. 10.* Vestimentum, *idest corpus, quod est veluti animæ indumentum*, mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis:) *Apoc. 14.* Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. *Profectò* communia E totius generis humani vitia, sunt vitia carnis. *Et quamuis doceamur, quòd* peccatum hominum F est auaritia, peccatum

A Iob. 31. l. 1. sub init.

Luxuria vniuersalius hominum peccatū, & pauci continentes.

B Iob 40. l. 2. ibi, nerui.

C Op. 4 loc. cit. paulo ante.

D Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi. 1. Cor. 6. l. 3. ibi, in corpus.

E Mat. 4. lit. a. ibi accedens, & 2. 2. 142. 2. ad 2. & 150. 3. ad 1.

F Mat. 21. lit.

mulierum est luxuria: *hoc dicitur, quia* fœmina G secundum corpus habet quandam debilem complexionem; vnde fit, vt in pluribus, quòd etiam debiliter inhæreat quibuscumque inhæret: etsi rarò in aliquibus aliter accidat, secundùm illud Prouerb. vlt. *Mulierem fortem quis inueniet?* Et propter hoc dicit Philosophus *in 7. Ethicorum* quod mulieres non dicimus neque continentes, neque incontinentes: quia non ducuntur, quasi habentes solidam rationem, sed ducuntur, quasi de facili sequentes passiones. *Cæterùm, tam in viris, quàm in mulieribus indifferenter luxuriæ pestis dominatur. Nam* quia H in muliere plus est de humore, ideò sunt magis ducibiles à concupiscentijs: sed in viro plus est de calore, qui concupiscentiam excitat. *Et quidem vir, & mulier in concupiscentiis correlatiua sunt.* Nec enim solo tactu, & affectu (*aiebat Augustinus*) sed & aspectu quoque appetitur, & appetit, concupiscentia fœminarum. *Et quòd ita in hoc correlatiuè se habeant, audi quid dicatur Prouerb. 7.* Considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas &c. *Et post pauca.* Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. *Quid exinde?* Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens &c. *Enimuerò rarus est, qui vel desiderio vel aspectu, vel tactu, vel actu turpi, expers talis concupiscentiæ sit, cuiuscunque ætatis, status, vel sexus existat. Idcircò rogandus enixè Deus, vt sua nos pietate, & potentia præseruet.*

b. ibi, publicāni Op. 20. l. 4. c. 6.

G 2. 2. 156. 1. ad 1. & 2.

In muliere ad concupiscendum plus est de humore: in viro plus de calore.

H 4. d. 35. 1. 4. ad 5.

f *Sanè mirum est, quomodo tam vir, quàm mulier, qui de seipsis ab initio superbè senserunt, adeò faciliter in vile hocce vitium declinent, & in cœnoso luxuriæ luto voluantur tam frequenter, & reuoluantur. Mirum inquam, in viro præsertim, eò vel maximè, quòd* debili fœminæ I sensualitas comparatur: ratio verò viro, per quem sensualitas regi debet. Propter hanc L vilitatem Salomon *Prouerb. 11.* comparat pulchram, & fatuam mulierem circulo aureo in naribus suis, qui omni spurcitiæ exponitur, dicens: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua.* Et Eccl. 9. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Et Ioel. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo*, scilicet homines *ex Gregorio* in fœtore luxuriæ suæ. Dicunt Magistri, aliquos esse dæmones, qui memores antiquæ suæ nobilitatis, non dignantur de peccato luxuriæ tentare. Signum huius est, quòd Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentauit eum de hoc peccato. *Sed & duplex graue damnum exinde homo incurrit: quod innuitur* Iob. 31. *iis verbis*: Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam? *Vbi duplex ex luxuriæ peccato damnum recenset.* Vnum quidem M corporale, dum scilicet homo propter peccatum luxuriæ incurrit periculum personæ, & rerum: (*qua de re inflictionis, & paupertati quotidiana habemus exempla*:) vnde dicit: *Numquid non perditio est iniquo?* quasi dicat: Iniquus, qui hoc peccato inuoluitur, in perditionem vadit. Aliud verò damnum est impedimentum à bonis operibus, vnde subdit: *& alienatio operantibus iniustitiam.* Quia enim vehemens delectatio magis animum ad se trahit; inde est, quòd homines luxuriæ dediti à bonis operibus discedunt, & etiam à bonis prædicationibus. *Siquidem vitium hoc* facit N contemnere prædicationem, & omnem admonitionem, *Eccli. 21.* Verbum sapiens quodcumque audierit scius laudabit. Audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum. *Dicant vel ipsi libidi-*

I 1. Cor. 11. l. 1. fin.

L Op. de er. Pr. l. 5. c. 51. Iob 31. l. 1. ibi, de excelsis.

Ex vilitate luxuriæ abhorrere ab ea deberent homines.

Duplex ex illa damnum, scilicet in persona, & rebus, & alienatio à bonis operibus.

M Iob. 31. l. 1. ibi.

N Apoc. 16. com. 2. §. 7.

Luxuriosi ægrè audiunt verbum Dei, & admonitiones.

libidinosi, & luxuriis inuoluti, an verum sit: quia nimirum impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, *vt dicitur Prouerb.* 18. *Quinimmò* peccator, *luxuriosus præsertim*, adijciet ad peccandum, *Eccli.* 3. *Idcircò, vt Sanctum Iobum attentiorem redderet Dominus ad verba sua, signanter ei dixit Iob.* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi. *Siquidem* volebat N eum Dominus esse promptum ad considerandum, quæ ei dicebantur, remotis quibuslibet impedimentis. Vnde signanter de præcinctione lumborum facit mentionem: quia per lumbos voluptas carnalis intelligitur (Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti:*) quæ præcipuè impedit spiritualem auditum, secundùm illud *Isa.* 28. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, *carnalium videlicet voluptatum*, auulsos ab vberibus.

N. *Iob.* 38. *l.* 1. *ibi.*

Luxuriosus seruus carnis, & diaboli.

g *Verùm qui carnalibus hisce voluptatibus implexus est, quibusdam veluti catenis & carnis, & diaboli redditur seruus. Carnis quidem, quia* nihil O vilius *ex Hieronymo*, quàm vinci à carne: qui ab ea vincitur, vilium membrorum seruus efficitur. *Profectò* non est P verè nobilis qui seruit diabolo, & vitijs. Non est verè nobilis, in quo corpus seruilis conditionis dominatur. Quomodo enim nobilis est qui serui sui seruus est? Non est verè nobilis qui seruus est membrorum erubescibilium, quæ generationi sunt deputata; & ideò subiectus est eis, vt obediat, cum ei imperant mortem suam. Potiùs eligendum esset seruum esse vnius leprosi, quàm esse in seruitute tali: (*qua non rarò & plus quàm leprosi.*) *Vnde dicitur* 2. *Pet.* 2. Libertatem promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis, *idest* fomitis Q sustinendo, ipsum regnare in suo corpore, & ad omne peccatum trahere: vel *corruptionis*, idest diaboli, qui est author. *Et quòd* sint serui, probat per ius commune. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est*, idest ei subiectus, Io. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*: & loquitur ad similitudinem seruitutis acquisitiuè, qua olim capti ab hostibus, eorum serui efficiebantur. Similiter capti à diabolo, & à peccato, serui sunt & diaboli, & peccati. *Et hoc est, quod dicit Apostolus ad Rom.* 1. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: *videlicet*, vt eorum R ratio subderetur desiderijs cordis, scilicet sensualis affectus Quod quidem est contra naturalem ordinem hominis, secundùm quem ratio appetitui sensibili dominatur, Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Inducit ergo homines *in desideria cordis eorum*, sicut in manus dominorum crudelium, *tanquam captiuos, Is.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium. *Sed &* idolorum seruitus *dici luxuria potest cum ex cultu, quem mulieribus, velut numinibus adhibent viri: tum ex eo quòd libido vsque ad idololatriam, & infidelitatem miserabiliter hominem deducit, quemadmodum Salomoni, licèt sapientissimo, infeliciter contigit, de quo* 3. *Reg.* 11. Cumque iam esset senex (*quod valdè notandum, vt sciamus, nullam ætatem luxuriæ inquinamenta euitare*) deprauatum est cor eius *per mulieres*, vt sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut Dauid Pater eius; sed colebat Salomon Astarthem deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. *Vnde dicitur Eccli.* 19. Vinum, & Mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos; & *Ose.* 4. Spiritus fornicationis decepit eos. *Ad hoc quoque roborandum dicitur Sap.* 14. Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum, corruptio vitæ est. *Et ecce, nedum carnis, sed & diaboli factus homo manifestè cultor, & seruus. Quem proinde securus inuadit ille, eique liberè dominatur, vt rei suæ. Ex quo nec perperam* dicuntur S huiusmodi peccata esse amica diabolo; non quia sunt alijs grauiora, sed quia sunt apud homines frequentiora: *vt in pluribus enim luxuriis dediti sunt. Vnde & facilè super his tyrannicum adipiscitur dominatum, duraque tenet seruitute captiuos.*

O *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 51.
P *Eod Op. l.* 1. *c.* 5. *sub init.*
Q 2. *Pet.* 2. §. 5. *ibi.*
R *Rom.* 1. *l.* 7. *ibi.*

Luxuria, & ad idololatriam deducit.

S 2. 2. 150. 3. *ad* 1.

Luxuriosi carnales delectationes, falsò veras delicias putant.

h *Et nihilominùs mente homines capti, in hoc miserrimo statu degentes, inter veras se commorari delicias falsè putant*, voluptatem existimantes diei, delicias coinquinationis, & maculæ, *vt dicitur* 2. *Pet.* 2. *Voluptatem diei*, quia T cum vacent *ex glossa* delicijs impurissimis, & execrandissimis, has optimas, & quasi lucidas delicias iudicant: ecce iudicij peruersitas, Is. 5. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Et dicit, *coinquinationis*, quoad inquinamentum corporis: & *maculæ*, quoad inquinamentum animæ; maculant enim peccata carnalia corpus, & animam: peccata verò spiritualia animam solam. *Vel delicias coinquinationis*, quoad peccatum luxuriæ, qua simul plures inquinantur, scilicet agens, & patiens. Quod notatur in hoc, quod dicit, *coinquinationis* (*simultatem enim significat.*) *Et ò qualis, & quanta coinquinatio! norunt plurimi, & experiuntur, ita vt eorum corpora reapse fœtida referant sepulchra, Matth.* 23. Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. *Quàm appositè, impudicis præsertim fœminis verba hæc adaptantur! Neque vana Iudæorum, & Saracenorum spe* (qui V fingunt, se habituros post resurrectionem vxores, & fluuios mellis, & lactis) *stultè sibi adblandiantur, in futura vita venereis se deliciis fruituros, impij errore Cherinthi decepti*, qui X mille annos post resurrectionem in terreno Regno fabulatur futuros, in quibus homines carnales ventris, ac libidinis voluptates habebunt: contra quem dicitur *Matth.* 22. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo. *Vnde & immaculatam cœlibum vitam deridens, & admirantur. Quod ait Apostolus Petrus in sua* 1. *cap.* 4. In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes, *idest* vituperantes Y vitam vestram. *At vide quod sequitur:* Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos: *seuerè enim istiusmodi homines iudicabuntur à Deo, seueriùsque punientur, Coloss.* 3. *& Eph.* 5. Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei. *Et ad rem nostram subdit:* Nemo vos seducat inanibus verbis; *nimirum, quia* vt homines Z possent liberè frui concupiscentijs, cogitauerunt inuenire rationes, quòd fornicatio [*nec modò hac peste caremus*] & huiusmodi venerea non essent peccata. Et ideò dicit: *Nemo vos seducat inanibus verbis*, quia sine ratione sunt talia verba, quæ dicunt, quòd huiusmodi non sint peccata, nec excludant à Regno Dei: nisi enim peccata carnalia essent peccata, non punirentur à Deo, quia cum Deus sit iustus, non infligit pœnam sine culpa. Quòd autem à Deo puniantur, probat, cum dicit: *propter hæc enim venit ira Dei*, scilicet propter peccata carnalia, vt patuit in diluuio, *Gen.* 6. & 7. Item in Sodomitis *Gen.* 19. Item tribus Beniamin ferè tota consumpta fuit propter hæc, *Iudic.* 20. *Patuit* inquam luxuriosorum pœna in vtroque diluuio, aquæ scilicet, & ignis. *Et quidem* prima

T 2. *Pet.* 2. §. 4. *ibi. Apoc.* 16. *com.* 2. §. 7.

Iudæorum, & Saracenorum error.

V 1. *Cor.* 15. *l.* 7. *fin.*

Et Cherinthi.

X *Op.* 5. §. 5.

Libidinosi seuerè iudicabuntur, & puniuntur à Deo.

Y 1. *Pet.* 4. §. 1. *ibi.*

Quamuis contrarium sibi confingant, vt liberiùs peccent.

Z *Eph.* 5. *l.* 3. *ibi*, & *Col.* 3. *l.* 1.

A Mat.24. lit.c.ibi, Noe.
Propter carnalia peccata diluuium aquæ.
B Gen.8. ibi; pes eius.

A consummatio fuit ad amputanda peccata carnalia: ideo contra ardorem huius concupiscentiæ debuit esse consummatio per aquam. *Et alibi*. Per respectum S ad peccata illius temporis, quæ in se habebant quasi in summo scibilem fœditatem, & vniuersalitatem; ideò ad purgandam tantam, & vniuersalem fœditatem, conuenienter emissum est vniuersale diluuium aquarum. *Nec sine mysterio dicitur* Gen.6. Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. *Quia nimirum caro fuit peccati materia in carnalibus concupiscentiis consummati*. *Aliud ignis (non tamen vniuersale) diluuium fuit in Pentapoli, de quo dicitur Gen.* 19. Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem, & subuertit Ciuitates, & vniuersos habitatores Vrbium: *& hoc, in exemplum diuinæ vltionis contra carnales homines luxuriis immersos* 2.Pet.2. Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. *Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum*. Plus C nominat illas Ciuitates, quam tres reliquas, quæ fuerunt Adama, Seboim, & Segor: & hoc, quia erant hæ principaliores, & famosiores, & magis peccatrices, *in cinerem redigens* combustione ignis, & sulphuris: (*Hinc* Augustinus *in lib. de Ciuit. Dei*: Fructus, *inquit*, illius terræ adhuc pulcherrimi exterius, & nihil habent interius, nisi cinerem, & fumum reddunt fœtidum, si carpantur:) *euersione damnauit*: quia illa regio in alienam naturam versa est, scilicet in lacum salis, qui dicitur *Mare mortuum*, quia nec pisces, nec aues in eo viuunt, sicut in aquis aliis: *exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens*: per hoc significans; quòd maximè puniendi essent qui illos imitarentur *in nefario carnali crimine*. *Et alibi*: Pentapolis D erat, sicut Paradisus Domini (Gen.13.) sed postea propter peccatum suum facta est abominabilis: & *Mare mortuum* appellata. *Nec perperam* luxuria E maris nomine designatur propter fœtorem; propter feruorem; propter amaritudinem. *De primo Ioel* 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. *De secundo Ose.*7. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente, *idest* à diabolo. *De tertio Ecclesiastæ* 7. Inueni amariorem morte mulierem &c. *At hoc mare deferuet tandem*, & mare mortuum *remanet, fœtidumque, in memoriam videlicet perpetuæ mortis, ad quam postremò luxuria perducit*.

Et aliud ignis.

C 2.Pet.2. §.2. ibi.

Fructus terræ Sodomorum quales.

D Apoc.13. com.1. §.1. ibi, de mari, quod...

Luxuria *maris* nominè cur exprimatur.

E Apoc.16. com.2. §.7.

j. *Et hoc est, quod ait Apostolus* 1.Cor.15. Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, *idest* carni F & sanguini operam dantes, homines scilicet dediti vitiis, & voluptatibus: & sic accipitur hic *caro*, idest homo carnaliter viuens; *& dicit signanter*, non possunt: *quia hi, sese in vitiis immorantes, nisi plenè recedant (quod difficillimum est) non possunt salutem consequi sempiternam*. *Sed & ad literam manifestiùs Hebr.* 13. Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. *Quibus verbis* elidit G errorem aliquorum dicentium; quòd Deus peccata carnalia non punit, neque curat. Vnde dicit: *iudicabit*; idest condemnabit. *Quin & alio sensu hoc exprimere videtur Apostolus ad innuendum videlicet, quòd omnes quidem peccatores iudicat Deus, & condemnat: at specialiùs hos ac seueriùs. Quod apertè traditur* 2.Pet.2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicii reseruare cruciandos: magis autem eos (*nota*) qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant: *hoc est, semper magis progrediendo in concupiscentias* H immundas perficiendas,

Luxuriis dediti saluari nò possunt, quia difficillimè ab eis recedunt.

F 1.Cor.15. l.7. fin.

G Hebr.13. l.1. ibi.

Seueriùs punientur.

H 2.Pet.2. §. 3. ibi.

contra illud Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere*. Qui enim *ex glossa* more animalium brutorum luxuriantur, pro reatu fœdæ corruptionis maiora patientur in iudicio, quàm generales iniqui. *Illud hinc ex aliquorum cordibus eradicandum, putantium, per sola misericordiæ opera, voluptuosos, carnalesque homines posse saluari*. Quidam (*inquit Author*) propter sola I opera misericordiæ se impunè peccare arbitrantur, propter illud, quod dicitur Luc.11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Nec intelligunt, quòd hæc omnia sine charitate non prosunt, secundùm illud, quod dicitur 1.Corinth.13. *Si habuero omnem fidem, & distribuero in cibum pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et ideò Apostolus dicit, quòd peccata contraria charitati à Regno Dei excludunt, in quod sola charitas introducit, cum ait: *Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri, neque molles &c. regnum Dei possidebunt*: vt dicitur 1.Cor.6. *Nec valet, quòd super illud* 1.Tim.4. Pietas ad omnia vtilis est, *dicat Ambrosius*: Omnis summa L disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est: quam aliquis sequens, si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit, sed non peribit. *Et alibi*. Quorundam M fuit opinio, sicut *Augustinus* dicit 20.de Ciuit. Dei (*& adhuc fortasse, vt liberè luxurientur, apud aliquos viget*:) quòd exercentes pietatis opera, quantumcumque faciant peccata mortalia, finaliter non pereunt æternaliter. *Dicendum enim, & præcipuè ad authoritatem Ambrosii, quòd* per opera N pietatis, ille *qui lubricum carnis patitur*, liberatur à perditione æterna, in quantùm per huiusmodi opera disponitur ad hoc, quòd gratiam consequatur, per quam pœniteat: & in quantùm per huiusmodi opera satisfacit de lubrico carnis commisso. Non autem ita, quòd si in lubrico carnis perseueret impœnitens vsque ad mortem, per pietatis opera liberetur. *Vel dic, sano etiam sensu, quòd peccator, sensualis præsertim*, per eleemosynam O potest liberari. Eleemosynam enim debet homo incipere à se, *iuxta illud Eccli.*30. Miserere animæ tuæ placens Deo, *per pœnitentiam ei reconciliatus*; *vnde signanter subditur*: & contine. *Alioquin nil proderunt opera pietatis*.

Falsa damnatur opinio putantium, per misericordiæ opera posse libidinosos homines saluari.

I 1.Cor.6. l.2. ibi.

L 2.2.154.2. arg.5.

M 1.Tim.4. l.2. ibi pietas.

N 2.2. loc.cit. ad 5. Mat.25. lit.c ibi. esuriri *ad Tim. l.c.*

O Mat. loc.cit.

l. *Vno verbo. Quicumque damnantur, & plurimi quidem, fœdo luxuriæ vitio vt in pluribus damnantur. Quò facit illud Apoc.*17. Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ; & inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius. *Damnationem*, idest P caussam damnationis, *meretricis*, idest vanitatis mundanæ, *magnæ* propter multitudinem, & magnitudinem fornicantium. (*Vnde & paulò post dicitur* Babylon magna mater fornicationum, *tam spiritualium in separatione à Deo animæ sponsæ, quàm corporalium in peccato luxuriæ; quod in magna hominum multitudine regnat*:) *quæ sedet* vt Domina *super aquas multas*, idest super populos multos, quos attrahit ad se cupiditate, & luxuria. Vnde dicitur Iob 40. *Virtus eius in lumbis eius*; quando viros, quorum seminarium in lumbis est, decipit: *& virtus illius in vmbilico ventris eius*, quando decipit mulieres, quarum semen est in vmbilico. Et ideò *Ezech.*16. ad Ierusalem, quasi ad meretricem dicitur: *In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus*; idest hoc tempore seculi tuam luxuriam non refrænasti. *Cum qua fornicati sunt reges terræ*, idest Maiores seculi (*& ad horum exemplum minores*:) *& inebriati sunt qui inhabi-*

Quicumque damnātur, luxuria vt in pluribus damnantur.

P Apoc.17. com.2. §.1. & Iob 40. l.2.

Semen in viris ex lumbis: in mulieribus ex vmbilico.

habitant terram; idest qui terrena plùs quàm cœlestia curant, *de vino prostitutionis eius*, idest carnali delectatione, quæ multos ita inebriat, vt sicut ebrij nihil timent, nec sentiunt: ita ipsi nec pœnas timeant, nec flagella comminationis sentiant. *Quod autem in hoc vitio postremum parat excidium, praua est habituatio in illo, & luxuriandi consuetudo. Quam profectò signant ea verba præfata*: quæ sedet super aquas multas. *Et quidem sessio hæc in peccato sessionem arguit, & dominium diaboli in peccantibus ex consuetudine*, *Apoc.* 2. Scio, vbi habitas, vbi sedes est Satanæ. *Quasi diceret*: Tu habitas Q inter eos, in quibus diabolus sedet, tanquam dominans in eis. (*Non ita Christus: qui similis ideò dicitur* hinnulo ceruorum *Cant.* 2. Fertur *enim* hinnulus R hanc habere naturam, vt feruente sole, vmbrosa, & opaca loca requirat, in quibus ab æstu protegatur: sic & Christus in eorum mentibus requiescit, qui rore Spiritus Sancti ab æstibus carnalium voluptatum temperantur.) *Quò alluditur & Ier.* 13. Si potest Æthiops mutare pellem, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. *Vbi glossa*. Consuetudo S peccandi *inquit* quodammodo in naturam transit. Vnde *Augustinus*: Vocabas me, Domine, & suspirabam, ligatus non ferro alieno, sed mea propria voluntate. Velle enim meum tenebat inimicus, & inde catenam fecerat, & constrinxerat me: quippè ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini (*nota*) facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Hinc Soph.* 1. Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè. *Adeò namque libido excæcat, quòd tollunt ex glossa* Domini prouidentiam, putantes, quòd nec bonis bona, nec malis mala possit reddere, Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*; iustus scilicet Iudex, qui iudicat peccata. *Vnde sequitur*: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. *Sed & ad eundem textum in Psal.* 13. *docemur, quòd* in corporibus T sequitur corruptio per exhalationem naturalis caloris expulsi à calore extraneo. Calor autem naturalis animæ est amor Dei: quando ergo subintrat extraneus amor concupiscentiæ, recedit Deus. Et ideò, cum dixit: *Non est Deus*; statim subdit: *Corrupti sunt &c.* Vnde Ier. 5. *Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non est ipse*; scilicet peccatorum damnator, iustorum remunerator: *neque veniet super nos malum. Propter hanc verò peccati consuetudinem, maior etiam debetur pœna, quàm si quis aliquando grauiùs peccaret*. Pœna V maior quandoque infligitur pro peccato magis consueto, *quàm pro grauiori aliquando commisso*: nam pœnæ sunt medicinæ quædam ad arcendum homines à peccato; vnde vbi est maior pronitas ad peccandum, debet seuerior pœna adhiberi. *Igitur* non solùm X propter grauitatem culpæ, sed etiam propter alias causas grauis pœna infligitur, scilicet propter peccati consuetudinem, propter multam concupiscentiam, vel delectationem in peccato, & propter facilitatem peccatum committendi, & iacendi in ipso: huiusmodi enim peccata sunt magis punienda ad aliorum terrorem, 2. *Pet.* 2. Ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. *Hoc autem apertissimè in luxuriosis hominibus experimur. Ex quo non mirum, si contra falsam peccantium opinionem grauissimè à Deo puniantur*.

m *Porrò valida contra hocce adeò lubricum tenaxque vitium remedia adhibenda sunt, ne inquinemur. Et* Primò *quidem nulla pugnando victoria speranda est, sed fugiendo dumtaxat. Quod monet Apostolus* 1. Cor. 6. *cum ait*. Fugite fornicationem. *Quo loco ex Authore notandum, quòd* cætera Y vitia vincuntur resistendo: quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minus in eis inuenit, vnde delectetur, sed magis anxietur. At vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia quantò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur: sed vincitur fugiendo, idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones, vt dicitur *Zach.* 2. Fugite de terra Aquilonis. *Secundò vt primus concupiscentiæ motus reprimatur: alioquin in consequentes actus facilè quis prolabitur. Quocirca sciendum est, quòd* quando Z motus illicitus est in sensualitate, tripliciter se potest ad ipsum habere ratio. Vno modo, sicut resistens; & tunc nullum est peccatum, sed est meritum coronæ. Aliquando autem se habet vt imperans, puta cum ex proposito motum concupiscentiæ illicitæ excitat; & tunc, si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet, vt neque prohibens, neque imperans, seu consentiens; & tunc est peccatum veniale. *Sed & alibi docemur, quòd* primus A motus sensualitatis, qui est ex dispositione corporali, non est peccatum; & hunc appellant aliqui primò primum. Secundus autem motus, qui excitatur ex aliqua apprehensione, est peccatum. Primum enim ratio nullo modo vitare potest. Secundum autem vitare potest quantum ad singulos, non autem quantùm ad omnes: quia, dum auertit cogitationem suam ab vno, incurrit in aliud; ex quo potest insurgere motus illicitus. *Et hoc sensu dicebat Apostolus Rom.* 7. Non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. *Suscitatur autem concupiscentiæ motus, vel ab extrinseco, sicut per aspectum mulieris (plerumque enim* inspectio B mulieris ordinatur ad concupiscendum) *vnde Iob cap.* 31 *dicebat*: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. *Vel talis concupiscentiæ motus est ab intrinseco.* Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus &c. Iac. 1. *Tentatur* tentatione C interiori *à concupiscentia sua*, idest à fomite originaliter, *abstractus* à bono, vel à bono incommutabili, & *illectus* ad malum, vel ad bonum commutabile: peccatum enim est, spreto incommutabili bono, bono commutabili adhærere. Et quamuis occasio tentationis immittatur à diabolo; tamen vis tentationis sine concupiscentia non completur. Sicut flatu ligna, nisi ignis præsens fuerit, non accendentur: (*vnde dicitur Iob* 41. Halitus eius prunas ardere facit: *per quod* designatur D quòd diabolus sua occulta, vel manifesta suggestione peruersæ cupiditatis ignem in homine accendit.) *Deinde concupiscentia, cum conceperit* per consensum operis, aut morosæ delectationis (quod est occulta formatio maligni fœtus. Conceptio verò huius est ex diabolo, tanquam patre agente, & semen immittente: ex concupiscentia autem tanquam matre consentiente, vel suscipiente, Ezech. 16. *Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus*; & Io. 8. *Vos ex patre diabolo estis*:) *parit peccatum*, idest *ex glossa* producit ad actum. Manifestus est hic partus, de quo in Psalm. 7. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*. Peccatum *verò cum consummatum fuerit*; idest per actum in consuetudinem prauæ vitæ perductum, sicut officium mortui consummatur exhibitione sepulturæ, *generat*

Q *Apoc.* 2. *com.* 1. *ibi.*
R *Cant.* 2. *com.* 1. *ibi.*

Damnatio præsertim ex peccati consuetudine, quæ quodammodo transit in naturam.
S *Op.* 58. *c.* 12. *circ. fin. & Ps.* 48. *lit. f fin.*

Ex qua & in infidelitatem incurrunt homines.

T *Ps.* 13. *lit. a. ibi.*

V 2. 2. 39. 2. *ad* 1.

Peccato ex consuetudine maior debetur pœna.

X 1. 2. 105. 2. *ad* 9.

Remedia cōtra luxuriam.

Y 1. *Cor.* 6. *l.* 3. *ibi, &* 2. 2. 35. 1. *ad* 4. *&* 1. 2. 35. 6.

Non resistendo vincitur, sed fugiendo.

Z *Ma.* 7. 6. *ad* 6. *& in corp. Ver.* 25. 4. *c. &* 6. 2. 74. *a.* 3. *&* 4.

A *Ma. l. c. ad* 8. *Ver. l. c. ad* 1. *Rom.* 7. *l.* 3.

Primus reprimendæ concupiscentiæ motus, & prima mala cogitatio.

B 2. 2. 167. 2. *fin. c.*

C *Iac.* 1. §. 8. *&* 9. *ibi. &* 1. 2. 72. 7. *fin. c.*

D *Iob* 41. *l.* 2. *ibi.*

Consuetudo peccandi generat mortē.

mortem; reatus scilicet, & damnationis æternæ, Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Et licet peccatum, & consensus possint dici generare mortem; tamen de peccato consuetudinis hoc dicitur propriè; quia quando peccatum iam tractum est in consuetudinem, nulla apparent signa vitæ (*nota*) & est parua spes de reditu. Sed in alijs habet homo plura signa vitæ, quando peccatum est in cogitatione: pauciora verò quando in opere. *Vide, quò deduxit vel vna in materia luxuriæ neglecta cogitatio!* Malæ *siquidem* cogitationes E plerumque ad malum faciendum inducunt, Mich. 2. *Væ qui cogitatis inutile*; & statim subditur: *& operamini malum in cubilibus vestris*. Inter cæteras autem cogitationes malas magis ad peccatum inclinant cogitationes de delectationibus carnis. Cuius ratio duplex assignari potest, Vna quidem, quia cum ipsa delectatio sit homini connaturalis, & à iuuentute connutrita, facilè in ipsam appetitus fertur, cum eam cogitatio proponit. Vnde Philosophus dicit *in 2. Ethic.* quòd delectationem iudicare non possumus de facili, quin accipiamus eam. Secunda ratio est, quia vt idem dicit *in 3. Ethic.* Delectabilia in particulari sunt magis voluntaria, quàm in vniuersali. Manifestum est autem, quòd per curam cogitationis ad particularia quæque descendimus. Vnde per cogitationem diutinam maximè libido prouocatur. *Igitur* ad vitandum F intemperantiam maximum remedium est, vt non immoretur homo circa singularium considerationem: *siquidem, vel vna minima cogitatio, nisi reprimatur, plenum luxuriæ incendium parere potest*, Eccli. 11. A scintilla vna augetur ignis, *carnalis nimirum concupiscentiæ*. Tertiò *caro nostra domanda est, ad Gal. 5.* Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. *Vbi notandum, quòd* non G dicit; vitia, & concupiscentias vitant, quia bonus medicus tunc benè curat, quando adhibet remedia contra causam morbi. Caro autem est radix vitiorum; si ergo volumus vitare vitia, oportet domare carnem, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c.* Caro verò domatur per vigilias, ieiunia, & labores, Eccli. 33. *Seruo maleuolo tortura, & compedes.* Vnde sequitur; *crucifixerunt*; idest Christo crucifixo se conformauerunt, affligendo carnem suam, Roman. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*: quia verò non crucifigunt carnem destruendo naturam, sed quantùm ad ea, quæ contrariantur legi, ideò dicit *cum vitiis*, idest cum peccatis, & *concupiscentiis*, idest passionibus, quibus anima inclinatur ad peccandum: non enim benè crucifigit carnem qui etiam passionibus locum non aufert. (*Discant spirituales aliquot fœminæ, parùm ieiunia prodesse, si à passionibus non ieiunent.*) *Ex quo ablegandæ communiter sunt alimenta, & pocula, calorem nimium inferentia. Vt enim superius præmissum est*, multùm H inimicatur castitati superfluus cibus, & potus, vinum forte, & salsæ acutæ, & alia corpus inflammantia, Prouerb. 20. *Luxuriosa res, vinum*. Vincitur *tandem* familiaris hic I inimicus quatuor modis, *Primò* occasiones exteriores fugiendo, vt putà malam societatem, & omnia inducentia vel occasionaliter ad hoc peccatum, Eccli. 9. *Virginem ne concupiscas, ne fortè scandalizeris in decore illius. Noli circumspicere in vicis Ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam? Propter speciem mulieris multi perierunt* (& corporaliter scilicet, & spiritualiter:) *& ex hoc concupiscentia quasi ignis*

E *Op. 38. c. 19.*

F *2. 2. 142. 3. c. Op. 18. l. c.*

Maximum contra luxuriam remedium.

G *Ad Gal. 5. l. 7. ibi.*

Caro etiam domanda.

H *Op. de er. Pr. l. 5. c. 52.*

Quatuor modis luxuria vincitur.

I *Op. 4. de 10. prec. §. 1. & Op. 18. c. 9.*

exardescit. Et ideò præceptum fuit Loth: *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas*, vt dicitur Gen. 19. *Secundò* cogitationibus aditum non præbendo: quia occasio sunt excitandæ concupiscentiæ; quod faciendum est per carnis afflictionem. *Tertiò*, orationibus insistendo: quia *nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, vt dicitur Psal. 126. Et Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem, & ieiunium.* Si enim duo pugnarent, & velles vnum iuuare, alterum verò non: oporteret primo auxilium dare, secundo verò subtrahere. Inter spiritum autem, & carnem est prælium continuum: vnde oportet, si vis, quòd spiritus vincat, quòd des ei auxilium; & hoc fit per orationem: carni verò subtrahas; & hoc fit per ieiunium, nam caro per ieiunium debilitatur. *Quartò*, licitis occupationibus insistendo, Eccli. 33. *Multam malitiam docuit otiositas*. Et Hieronymus: *Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inueniat occupatum.* Inter omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. Vnde *idem Hieronymus ad Paulinam*: Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis. *Discant hinc, si qui fortè propter otium libidini insisterent Clerici, quid sibi, ut à luxuriis arceantur, faciendum sit.*

Cæterùm luxuriæ species (*prout habetur in Decretis* 36. Quæst. 1. cap. *Lex præteritorum*, & ex Magistro in 4. d. 41.) *sex communiter assignantur*: *scilicet* fornicatio simplex, incestus, adulterium, stuprum, raptus, & vitium contra naturam, *vt docemur* L. *Quibus additur* sacrilegium, *uel ratione personæ Deo sacratæ, ut est uiolatio habentis uotum continentiæ*: quod M reducitur ad stuprum, vel magis ad adulterium, in quantùm est Deo desponsata (sicut illud, quod committitur cum ea, quæ est coniuncta cognatione spirituali, reducitur ad incestum;) vel ratione loci; cum per quamcumque seminis emissionem, excepto in casu necessitatis coniugali actu, Ecclesia polluitur. *De quibus singillatim Num. sequentibus*. *DISCE*, nisi luxuriæ principiis obstes, serò medicinam parari. *Vide* Adulterium, Cælibatus *Tom. 1.* Matrimonium, Tentatio.

Quæ luxuriæ species, & quot.

L *2. 2. 154. 1. c. In 4. d. 41. 1. 4. q. 2. Ma. 15. 3. c. Apoc. 16. com. 2. §. 7.*

M *In 4. l. c. ad 7. & 2. 2. l. c. ad 3. & a. 10. ad 2.*

VIII. Ibi est determinata luxuriæ species, vbi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. 2. 2. 154. 11. *initio corp.*

n HActenus de luxuria in communi; nunc de luxuriæ partibus, siue speciebus in particulari. Quarum

I. *est Fornicatio simplex, quæ dupliciter accipi consueuit; metaphoricè videlicet, & propriè, siuè spiritualiter, & corporaliter, sicut de adulterio* Tomo 1. *dictum est. Metaphorica, siuè spiritualis fornicatio sumitur pro quocumque mortali peccato.* Si enim N mens hominis delectetur in spirituali coniunctione ad id, cui debet coniungi, scilicet ad Deum, & abstineat se, ne delectabiliter alijs coniungatur contra debitum diuini ordinis, dicetur castitas spiritualis, secundùm illud 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo.* Si autem delectabiliter contra debitum diuini ordinis coniungitur mens quibuscumque alijs rebus, dicetur fornicatio

Fornicatio dupliciter sumitur.

N *2. 2. 151. 2. c.*

Fornicatio spiritualis, siuè metaphorica, quid.

tio spiritualis, *secundùm illud Ier. 3.* Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: *& Psal. 72.* Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. *Specialiter tamen per spiritualem fornicationem peccatum intelligitur infidelitatis, ea quidem ratione: quia* prima O coniunctio animæ ad Deum est per fidem, & ideò per eam anima quasi desponsatur Deo, vt patet Ose. 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Vnde in Sacra Scriptura specialiter per fornicationem idololatria, & infidelitas designantur: sed alia peccata magis remota significatione dicuntur spirituales fornicationes.

O 4. d. 39. 1. 6. ad 2. & d. 35. 1. 1. ad 3.

Quid corporalis.

P 2. 2. 154. 1. & 2. c. In 4. d. 41. 1. 4. q. 1. c. Ma. 15. 3. c.

Q 2. 2. l. c. a. 1. c. In 4. l. c. a. 4. q. 2. c. Ma. l. c. Apoc. 16. com. 2. § 7.

Repartitio specierum luxuriæ.

Corporalis autem, & propriè sumpta fornicatio P est carnalis concubitus soluti cum soluta: *per quod ab aliis luxuriæ speciebus distinguitur. Nam* peccatum Q luxuriæ consistit in hoc, quòd aliquis non secundùm rectam rationem delectatione venerea vtitur. Quod quidem contingit dupliciter. *Vno modo* secundùm materiam, in qua huiusmodi delectationem quærit. *Alio modo*, secundùm quod, materia debita existente, non obseruantur aliæ debitæ conditiones: & quia circumstantia in quantùm huiusmodi non dat speciem actui morali, sed eius species sumitur ab obiecto, quod est materia actus: ideò oportuit species luxuriæ assignari ex parte materiæ, vel obiecti: quæ quidem potest non conuenire rationi rectæ dupliciter. *Vno modo*; quia habet repugnantiam ad finem venerei actus; & sic in quantùm impeditur generatio prolis, est *vitium contra naturam*: quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest. In quantùm autem impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ, est *fornicatio simplex*, quæ est soluti cum soluta. *Alio modo*, materia in qua exercetur actus venereus, potest esse non conueniens rationi rectæ per comparationem ad alios homines: & hoc dupliciter. *Primò* quidem ex parte ipsius feminæ, cui aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non seruatur: & sic est *incestus*, qui consistit in abusu mulierum consanguinitate vel affinitate iunctarum. *Secundò* ex parte eius, in cuius potestate est femina: quæ si est in potestate viri, est *adulterium*: si autem est in potestate patris, est *stuprum*, si non inferatur violentia: *raptus* autem, si inferatur. Diuersificantur autem istæ species magis ex parte feminæ, quàm viri: quia in actu venereo femina se habet, sicut patiens, & per modum materiæ; vir autem per modum agentis. Prædictæ autem species secundùm differentiam materiæ assignantur. *Hinc est quòd quamuis fornicatio possit generaliter sumi pro omni illicito carnali concubitu cum mulieribus (Vnde Apostolus 1.* Corinth. *5. incestum illum fornicationem vocat, cum ait:* Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat;) fornicatio *tamen* propriè R est cum meretricibus; *quæ scilicet iuxta fornices, idest arcus triumphales, se publicè prostituebant. Et alibi:* Dicitur S Fornicatio à fornice, idest arcu triumphali, iuxta quem erant lupanaria, *idest postibula, quòd in eis lupæ, hoc est meretrices prostant. Quibus ex eo* lupæ *adaptatur nomen, quòd sicut rabida fames in lupa, ita in meretrice luxuria, aut quæstus incessabilis est appetitus. Luxuria inquam, aut quæstus, quæ nimirum à merendo meretrix dicta est: nam mercede suam exercet malitiam quæ copiam corporis sui facit. Vnde &* prosedæ *vocantur, quia propalam sedent, venale exhibentes ad quæstum corpus suum:* (*si tamen* superfluè T ad fraudem, vel dolum extorsissent, tenentur restituere.) *Dignoscuntur autem infames huiusmodi fœminæ ex impudentia, quam muliebri oppositam honestati, exterius etiam prætendunt, omni prorsus ablegato pudore: qualis describitur Eccli. 26.* Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. *Cui adsonat illud Is. 3.* Eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, *iuxta illud Prouerb. 6.* Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius. *Harum porrò vilitas fœminarum vel ex ipso satis dignoscitur opere, quod exercent. Hinc ad illud Apoc. 2.* Permittis mulierem Iezabel seducere seruos meos, fornicari &c. *docemur, quòd* Iezabel V interpretatur *fluxus sanguinis*, vel *sterquilinium*, vel *nix*: & significat stultas mulieres, quarum pulchritudo tota est luxus exteriùs, quæ peccato luxuriæ fluunt; & sicut nix super sterquilinium citò euanescit, & apparet turpitudo sterquilinij: sic pulchritudo stultæ mulieris citò transit; & tunc apparet turpitudo eius. Vnde Prouerb. 30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Propter hoc dicit Philosophus: *Vtinam inspiciendo mulieres, aut lynceos oculos haberemus, aut nullos.* Et benè sterquilinium intelligitur stulta mulier, quia fœtet sicut sterquilinium, & sicut sterquilinium ab omnibus, qui volunt, calcatur, Eccli. 9. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via, conculcabitur ab hominibus prætereuntibus.* (*& Augustinus*: Hoc facit X meretrix in Mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in Palatio.) Item mulier sanguinea non de facili curatur: neque à peccato luxuriæ mulier de facili corrigitur, *sed persistit in vitio ad mortem vsque.*

Fornicatio propriè quid.

R Rom. 1. l. 8. ibi, fornicatione.

Vnde dicatur.

S Eph. 5. l. 2. ibi, fornicatio in 4. d. 41. 1. 4. q. 1 initio, corp. Ma. 15. 3. c.

Impudicæ mulieres, cur & vnde *lupæ* dicantur & *meretrices*.

Cur & prosedæ.

T 2. 2. 62. 5. ad 2.

Vnde agnoscantur.

Earum vilitas consideratur.

V Apoc. 2. com. 2. §. vlt. ibi.

X Op. 20. l. 4 c. 14.

O *Verùm circa fornicationem necessariò sciendum, quòd olim apud Gentiles illicita non putabatur fornicatio simplex. Vnde Apostolus 1. Cor. 5. supra ait.* Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; *quia nimirùm* apud Y Gentiles simplex fornicatio non reputabatur peccatum. Erat tamen quædam fornicationis species, quæ & apud Gentiles illicita habebatur: sicut dicitur Gen. 49. *Effusus es sicut aqua: non crescas, quia ascendisti cubile patris tui &c.* Hoc autem erat horridum etiam apud Gentiles, vt potè contrarium naturali rationi existens. *Et quidem fornicatio simplex* non reputabatur Z illicita propter corruptionem rationis. *Neque obstat, quòd Apostoli ex Iudæis, & ex Gentilibus conuersis quosdam cibos, & cum eis fornicationem vetuerint, Act. 15.* Vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. *Cum autem esus quorumcumque ciborum secundùm se illicitus non sit, neque fornicatio videtur illicita. Non obstat, inquam: quia* Apostoli A volentes, in primitiua Ecclesia conuersos ex gentibus simul in vnum conuenire cum his, qui ex Iudæis erant conuersi, impedimenta huius vnionis excluserunt, ex vtraque parte amputantes id, quod alijs onerosum esse posset. Et ideò Gentilibus interdixerunt quæ Iudæis erant molesta; non sub hac consideratione, an essent peccata, vel non, sed solùm quia scandalum faciebant. Gentiles enim existimabant omnem cibum secundùm se licitum esse ad edendum, quod verum erat: sed Iudæi hoc abhorrebant propter pristinam legis consuetudinem. Et ideò Apostoli Gentilibus interdixerunt pro tempore illo cibos maximè abominabiles Iudæis. E contrario verò Gentiles falsò existimabant, fornicationem simplicem non esse peccatum: quam Iudæi verè sicut peccatum abominabantur, instructi per legem. Et ideò hoc etiam Apostoli prohibuerunt, tanquam peccatum, & cum hoc dissidium generans. *Et rectè dicit*: instructi per legem. *Nam Deut. 23. apertè legimus (contra quosdam hac de re cum Genti-*

Simplex fornicatio apud gentiles non illicita putabatur.

Y 1. Cor. 5. l. 1. ibi In 4. d. 33. 1. 3. q. 1. ad 1.

Z 2. 2. 154. 2. ad 1. In 4. l. c.

Propter corruptionem rationis.

Exponitur illud Act. 15. *Vt abstineatis vos à fornicatione &c.*

A Ma. 15. 1. ad 1. & 2. 2. l. c. & 1. 2. 103. 4. ad 3. In 4. d. 1. 2. 5. q. 4. c. & d. 33. 1. 3. q. 1. ad 1. & 1. Cor. 5. sub init.

Mortale peccatum esse vel simplicem fornicationem, ex Scripturis probatur.

tili-

tilibus forsè sentientes:) Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. *Vbi glossa*: Ad eas *inquit* prohibet B accedere, quarum est venalis (*non vt quidam malè legunt*, venalis) turpitudo: *quod meretricum proprium est. Sed & hoc innuitur Ose.4.* Fornicati sunt, & non cessauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo, *supple, mandata eius de non fornicando; & subdit*: Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. *Item Tob.4.* Attende tibi ab omni (*nota*) fornicatione, *quasi dicat, etiam à simplici. Expressiùs verò idem in noua lege notatur. Nam 1. ad Thess. 4.* Hæc est voluntas Dei, vt abstineatis à fornicatione. *1. Cor. 6. & Eph.5.* Omnis fornicator &c. non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei. *Et paulò ante præmiserat*: Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis. *Hebr.13.* Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. *2.Cor.12. & Apoc.9.* Non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à fornicatione sua &c. *Et alibi pluries. Ex quibus manifestè deducitur, & simplicem fornicationem mortalis culpæ reatum inducere, Vnde & in Decalogo intelligitur vetita, cum dicitur*: Non mœchaberis, *idest* non illicitè C commisceberis mulieri: mœchia enim propriè est illicita commistio maris, & fœminæ. Quicumque *autem* dicit D non esse peccatum id, quod est contra præceptum Dei, hæreticus iudicatur: sicut hæreticus iudicaretur quicumque diceret, quòd fornicatio simplex non sit peccatum mortale; est enim contra hoc præceptum: *Non mœchaberis*, vt Sancti exponunt.

B 2.2. 154. 2. inis c.

Prohibetur in Decalogo cũ dicitur; *Non mœchaberis.*

C Mat 5. lit. h. ibi In 3. d. 37. exp. tex.

Mœchia quid

D Quol. 3. a. 12. c. In 3. d. 37. 1. 2. q. 1. ad 2. Ma. 14. 2. ad 14. & q. 15. 2. ad 2. & 3.

P *Nec mala (vt aiunt) fornicatio est, quia prohibita, sed quia per se mala, eo quòd legi naturæ contrariatur.* Illa enim actio E dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conueniens fini debito; siuè quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, siuè quia de se est improportionata fini illi. Finis autem, quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda & educanda: & vt hoc bonum quæreretur, posuit delectationem in coitu. Quicumque ergo concubitu vtitur propter delectationem, quæ in ipso est, non referendo ad finem à natura intentum, contra naturam facit: & similiter etiam, nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem conuenienter ordinari possit. Et ideò F cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit, non est dubium, quòd fornicatio simplex de sui ratione est peccatum mortale, etiamsi lex scripta non esset. *Nihilominus quidam sunt luxuriis implexi, adhuc fortasse Gentilium errorem sectantes, qui dicunt*: Sit G aliqua mulier à viro soluta, quæ sub nullius potestate, vel patris, vel alicuius alterius existat; si quis ad eam accedat ea volente, non facit illi iniuriam, quia sibi placet, & sui corporis habet potestatem: & alteri non facit iniuriam, quia sub nullius potestate esse ponitur. Non videtur igitur esse peccatum, *At firmiter oppositum tenendum est, quod hac ratione roboratur. Nam* peccatum H mortale est omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus. Videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & feminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam feminam vnam, vel plures, sicut patet in omnibus auibus. Secus autem in animalibus, in quibus sola femina sufficit ad educationem fetus, in quibus est vagus concubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus. Manifestum est autem, quòd ad educationem hominis non solùm requiritur cura matris, à qua nutritur, sed multò magis cura patris, à quo est instruendus, & defendendus, & in bonis, tam interioribus, quàm exterioribus, promouendus. Et ideò contra naturam hominis est, quòd vtatur vago concubitu: sed oportet, quòd sit maris ad determinatam feminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diù, vel etiam per totam vitam. Et inde est, quòd naturaliter est maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hæc autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Hæc autem determinatio certæ feminæ matrimonium vocatur; & ideò dicitur esse de iure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis; bona autem communia cadunt sub determinatione legis: consequens est, quòd ista coniunctio maris ad feminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur: (de quo Vide V. *Matrimonium.*) Vnde cum fornicatio sit concubitus vagus, vtpotè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ: & ideò est peccatum mortale. Nec obstat; si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter prouideat proli de educatione: quia id, quod cadit sub legis determinatione, iudicatur secundùm id, quod communiter accidit; & non secundùm id, quod in aliquo casu potest accidere. *Ex quo fornicationem simplicem & esse mortale peccatum, & per se malam, non malam quia prohibitam, euidenter clarescit. Nequa præfata contrariatur doctrina, quòd Osee à Domino præceptum sit cap. 1.* Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. *Etenim* (*præterquam* quidam I dicunt, quòd hoc non acciderit secundùm veritatem rei, sed secundùm visionem prophetiæ:) *dicendum, quòd* sicut Deus L nihil operatur contra naturam, quia hoc est natura vniuscuiusque rei, quod in ea Deus operatur, vt habetur *in glossa ad Rom. 11.* operatur tamen aliquid contra solitum cursum naturæ: ita etiam nihil Deus potest præcipere contra virtutem, quia in hoc principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quòd Dei voluntati conformetur, & eius sequatur imperium, quamuis sit contra consuetum virtutis modum. Secundùm hoc ergo præceptum Abrahæ factum, quòd filium innocentem occideret, non fuit contra iustitiam, quia Deus est author mortis, & vitæ. Similiter nec fuit contra iustitiam, quòd mandauit Iudæis, vt res Ægyptiorum acciperent: quia eius sunt omnia, & cui voluerit, dat illa. Similiter etiam (*ad rem nostram*) non fuit contra castitatem præceptum Osee factum, vt mulierem adulteram, siuè *fornicariam*, acciperet: quia ipse Deus est humanæ generationis ordinator; & ille est debitus modus mulieribus vtendi, quem Deus instituit. Vnde patet, quòd prædicti nec obediendo Deo, nec obedire volendo peccauerunt. *Et quidem* fornicatio M dicitur esse peccatum, in quantùm est contra rationem rectam: ratio autem hominis recta est, secundùm, quod regulatur voluntate diuina, quæ est prima, & summa regula. Et ideò, quod homo facit ex voluntate Dei, eius præcepto obediens, non est contra rationem rectam, quamuis videatur esse contra communem ordinem rationis: sicut etiam non est contra naturam quod miraculosè fit virtute diuina, quamuis sit contra communem cursum naturæ. *Sanè* potest N Deus *ex Bernardo* dispensare in præceptis secundæ tabulæ, per quæ homo immediatè ordinatur ad proximum: bonum enim proximi est quoddam bonum

Fornicatio per se mala, non mala quia prohibita.

E 4. d. 33. 1. 3. q. 1. c. & 1. 2. 91. 2.

F In 4. d. c. a. 3. q. 2. p. c.

G 3. Con G. c. 122. inis.

Roboratur magis.

H 2. 2. 154. 2. c. & 1. 2. 103. 4. ad 3. & 3 con G. l. c. ad Hann. in 4. d. 33. 1. 2. & in alio q. 1. 3. & d. 41. 1. 4. Ma. 15. 1. c. & 1. Cor. 1. l. 1. & cap. 6. l. 3. & cap 7. l. 1. Eph. 5. l. 2. & 3. & 1. Thess. 4. l 1. Hebr. 13. l. 1. Ap. 9. com. 1. fin.

Matrimoniũ de iure naturali.

I Pet. 1. 6. ad 4. Ma. 3. 1. ad 17.

Exponitur illud Ose. 1. *Sume tibi vxorem fornicationum.*

L 2. 2. 104. 4. ad 2 & 154. 1. ad 2. & 1. 2. 94. 5. ad 2. & q. 100 8. ad 3. In 3. d. 37. 1. 4. ad 3. Pot. & Ma. locis cit. & Ma. 15. 1. ad 8.

M 2. 2. 154. 2. ad 2.

Deus in præceptis secũdæ Tabulæ dispensare potest, non ita in præceptis primæ.

N Ma. 3. 1. ad 17.

num particulare. Non autem potest dispensare in præceptis primæ tabulæ, per quæ homo ordinatur in Deum, quià se ipso ahos non potest auertere: *non enim potest negare se ipsum* vt dicitur 2. ad Tim. 2. *Ex quo* concubitus O ille Oseę non fuit fornicarius, qui aliàs fornicarius fuisset. Vnde dicitur *Vxor fornicationum, & filii fornicationum*: non quia tunc esset fornicatio, sed quia aliàs fornicatio fuisset. *Adeò autem intrinsecè mala fornicatio est, vt neque ad propria vitæ conseruationem vllo modo licita reddatur; sicut in tali casu licitum redditur homicidium ad propriam scilicet mortem euitandam: quia videlicet* actus P fornicationis vel adulterij non ordinatur ad conseruationem propriæ vitæ ex necessitate; sicut actus, ex quo quandoque sequitur homicidium. *Εapropter, quia* cibus Q directè ordinatur ad conseruationem personæ, & ideò abstinentia cibi directè potest vergere in periculum personæ; ex hac ratione recipit votum abstinentiæ dispensationem: sed coitus non ordinatur directè ad conseruationem personæ, sed ad conseruationem speciei: vnde nec directè abstinentia coitus per continentiam vergit in periculum personæ. Sed si per accidens ex ea aliquod periculum personale accidat, potest aliter subueniri, scilicet per abstinentiam, vel alia corporalia remedia.

O Ma. 15. 1. ad 8.

P 2. 2. 64. 7. ad 4.

Neq; ad propriæ conseruationem vitæ fornicatio vnquam licita.

Q 2.2.88. 11. ad 3.

Et alibi coherenter docemur, quòd quia bonum R continentiæ est multò dignius, quàm salus corporalis: ideò periculum corporalis mortis non est sufficiens ratio, vt in voto continentiæ dispensetur. Vnde etiam non peccat quis, si in tali casu existens, quòd continentia videretur vergere in periculum personæ, continentiam voveat, præcipuè cum possit illi periculo per alia remedia obuiari. Sicut non peccat qui propter aliquod opus virtutis se mortis periculo exponit. *Quemadmodum heroicè legitur egisse Beatus Casimirus Princeps Polonus*: graui enim pressus infirmitate mori potiùs, quàm castitatis iacturam ex medicorum consilio subire, constanter decreuit. *Radicalis autem ratio, quare ad vitam tuendam liceat alium occidere, fornicari verò non liceat [etiam dato, quòd nullum præter coitum posset in casu remedium adhiberi] ea est: quia, qui alium occidit* cum moderamine inculpatæ tutelæ, *homicida formaliter non est, sed materialiter duntaxat: formaliter enim facit, & intendit actum per se bonum, scilicet defensionem sui ipsius, ad quam per accidens sequitur alterius homicidium: qui autem fornicatur, actum facit per se malum, qualis est ab intrinsece fornicatio, licèt intentio bona sit.* Non *enim* bonitas S voluntatis intendentis sufficit ad bonitatem actus: quia actus potest esse de se malus (*vt in casu nostro*) qui nullo modo benè fieri potest. *Vnde Apostolus Rom. 3.* Non sunt facienda mala, vt veniant bona. *Etenim* sicut T non est verum syllogizandum ex falsis: ita non est perueniendum ad bonum finem per mala. *Sanè* ad hoc V quòd sit voluntas bona, requiritur, quod sit boni sub ratione boni, idest quòd velit bonum, & propter bonum.

R 4. d. 38. 1. 4. q. 1. ad 3. & 2.2.88. 11. s.

Cur ad hoc liceat homicidium, & non fornicatio.

S 2. d. 40. 1. 2. c.

T Rom. 3. l. 1. fi. In 2. d. 38. 15. fin. c.

V 1. 2. 19. 7. ad 3. fin.

q *Quantæ verè sit grauitatis culpa fornicatio, docemur, quòd* grauitas X alicuius peccati potest attendi dupliciter. *Vno modo* secundùm se: *Alio modo* secundùm accidens. Secundùm se quidem attenditur grauitas peccati ex ratione suæ speciei, quæ consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur. Fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri: & ideò est grauius peccatum secundùm speciem suam peccatis, quæ sunt contra bona exteriora; sicut est furtum, & alia huiusmodi. Minus est autem peccatis, quæ sunt directè contra Deum, & peccato, quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium, *vt & Numero præcedenti visum est. Quòd si quæras, vter magis peccet in fornicando, mulier, an vir? Respondet Author, quòd* simpliciter Y loquendo cæteris paribus vir in simplici fornicatione plùs peccat, quàm mulier. quia habet plus de rationis bono, quod præualet quibuslibet motibus corporalium passionum; sed quantùm ad læsionem matrimonij, quam adulterium fornicationi addit, plùs peccat mulier, quàm vir. *Verùm licèt simplex fornicatio non sit grauissimum peccatum; tamen graue admodum redditur (cum maxima sit adhæsionis) propter habituationem prauam, & permanentiam in illo, quod propriè dicitur concubinatus: difficulter enim separatur concubinarius à concubina, vt experientia notum est. Et ex hoc capite iram prouocat Dei, seueriùsque, quàm grauiora etiam peccata, talis fornicatio punitur: neque enim tunc dicitur homo (vt quidam falsò putant) ex fragilitate, aut ex passione peccare (sicut peccat aliquis, vna, vel altera se occasione exhibente, non quæsita) sed ex malitia, & ex electione: eligunt siquidem ex proposito concubinatum; vel in eo perseuerant: quod quidem veniæ motiuum tollit. Sed nec ex eo se putent excusari, quòd antiqui Patres concubinas habuisse leguntur. Quocirca sciendum, quòd* cum habere Z concubinam, non matrimonio iunctam, sit contra legem naturæ, nullo tempore secundùm se licitum fuit, nec etiam ex dispensatione. Concubitus enim cum ea, quæ non est matrimonio iuncta, non est conueniens actus ad bonum prolis, quod est principalis finis matrimonij: & ideò est contra prima præcepta legis naturæ, quæ dispensationem non recipiunt. Vnde vbicumque legitur in veteri testamento, aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit à peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio iunctas: & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione vxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secundùm quod enim matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, vxor viro coniungitur insolubili coniunctione, vel saltem diuturna: & contra hoc non est aliqua dispensatio. Sed quantùm ad secundum finem, qui est dispensatio familiæ, & communicatio operum, vxor coniungitur, vt socia. Sed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur: in hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonij finis; & ex hac parte habebant aliquid simile concubinæ, ratione cuius concubinæ nominantur. *Et alibi.* Quidam A dicunt, quòd non erant verè vxores: sed quia vxorio affectu, & intentione prolis eis coniungebantur, quandoque vxores dicuntur. Alij dicunt quòd verè vxores erant, sed dicuntur concubinæ, quia ancillæ manebant, & filij non earum, sed dominarum suarum nomine nascebantur: & hoc verius videtur. *Cæterùm* habere B plures vxores, non est contra legis naturæ prima præcepta, sicut habere concubinam, vt ex dictis patet: (*de quo Verbo* Matrimonium.) *Sed neque ancillis, quasi rebus suis, vti ad concubitum dominì possunt: nam li*cèt C ancilla sit res domini, quantùm ad ministerium; non tamen quantùm ad concubitum: vnde accedendo ad concubitum, accedit ad non suam. *Igitur concubinatus vetitus omninò est, & illicitus, multòque grauior culpa est, cum sit instar coniugii perpetuus. Mirum sanè! quomodo vir vxori non valet vt plurimùm sine adulterio conuiuere: & impudica concubina ad mortem vsque sine vlla nausea conuiuit, Eccli. 23.* Homini fornicario omnis panis dulcis: non fatigabitur transgrediens vsque ad finem. *Frequentissima extant exempla. Permittuntur nihilominus meretri-*

Quantæ sit grauitatis culpa.

X 2.2. 154. 3. c. Ma. 1. 1. ad 1. & q. 2. 10. c. & q. 15. 2. ad 6.

Num magis peccet fornicādo mulier, quàm vir.

Y 4. d. 35. 1. 4. ad 5. & 6.

Grauior redditur fornicatio ex malo habitu, & permanentia in cōcubinatu. Non enim tunc ex fragilitate peccatur, sed ex malitia.

Z 4. d. 33. 1. 3. q. 3. c. & ad 2. ad Hann. ibid. a 2. Ma. 15. 1. ad 2.

Concubinatus nunquam licitus fuit.

Quo sensu antiqui Patres concubinas habuisse legantur.

A In 4. loc. s. exp. tex.

B In 4. l. c. a. 3. q. 3. ad 1.

C Ad Hann. 4. d. 33. 1. 2 ad 3. In alio ibid. a. 3. q. 1. ad 4. Ma. 15. 1. ad 2.

Nescit homo vxori sine adulterio cōuiuere, & cōcubinæ vsque ad mortem sine nausea conuiuit.

D 1. 2. 101. 3. ad 2.

Cur meretrices permittitur.

E 2. 2. 10. 11. c.

F Op.20. l.4. cap. 14.

retrices in Ciuitatibus: quia sapientis D legislatoris est minores transgressiones permittere, vt maiores caueantur. Et alibi: In regimine E humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, sicut dicit in libro de Ordine Augustinus: Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus. Et quidem minus F malum est, mulieribus carnaliter commisceri, quàm in vilia declinare flagitia. Vnde dicit idem Augustinus: Hoc facit meretrix in Mundo, quod sentina in mari, vel cloaca in Palatio. Tolle cloacam, & replebis fœtore palatium: & similiter de sentina. Tolle meretrices de Mundo, & replebis ipsum sodomia. Propter quam causam idem Augustinus in 13. de Ciuit. Dei dicit, quòd terrena Ciuitas vsum scortorum licitam turpitudinem fecit.

Concubinatus iram Dei excitat ad vindictam.

r *At verò humana hæc tolerantia, & permissio, diutini effusam concubinatus apud Deum non minuit, sed auget: diuinamque irritat iustitiam,* Ier. 5. Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emissarij facti sunt &c. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non vlciscetur anima mea? *Eapropter Apostolus fornicarium illum* 1. Cor. 5. *adeò grauiter damnauit, vt decreuerit tradere eum Satanæ, videlicet* corporaliter G vexandum; vnde subdit, *in interitum carnis &c.* idest ad vexationem carnis, & afflictionem, in qua peccauit, *secundùm illud Sap.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. *Et hæc fecit edoctus, quæ fornicariis à Deo inflicta flagella sunt, vt ipse memorat ad eosdem Cor.* 1. *cap.* 10. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: *scilicet* cum mulieribus H Madianitis, vt habetur Num. 25. Et ideò (*nota vim illationis*) *ceciderunt vna die viginti tria millia*: immò 24. millia; sed maior numerus non excludit minorem. *Quod quidem ex præcepto Domini factum est: legitur enim ibi, quòd* iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. (*Vbi notandum, quòd qui fornicati sunt, præcipuè fuerunt Principes populi, & Maiores, ad quorum exemplum, sine dubio & minores:*) *eodemque loco subditur*: Et ecce vnus de filiis Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & tota turba filiorum Israel. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, surrexit de medio multitudinis; & arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus: (*Sap.* 11. Per quæ peccat quis &c.) *Moxque subiicitur*: Cessauitque plaga à filijs Israel. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos &c. *Subdit autem loc. citato Apostolus*: Hæc autem scripta sunt ad correctionem nostram. *Quasi dicat*: Ista I contigerunt illis, non tantùm propter sua peccata, sed ad correctionem nostram, *vt saltem pœnarum metu, eorum emendaremur exemplo. Quemadmodum & exemplo Esau, hic, & in futuro seculo puniti: de quo idem Apostolus ad Hebr.* 12. Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi: ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua &c. *Ne qua radix amaritudinis*, scilicet L mala cogitatio noxiæ delectationis, quæ *sursum germinat*, quando per consensum ad opus venitur; *& per illam inquinentur multi*: quia non solùm ille, in quo est; sed & alij malo eius exemplo, 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*: (*quod de Corinthio illo fornicario scribit Apostolus.*) Deinde cum dicit, *ne quis fornicator*, monet vitare peccata carnalia, quæ perficiuntur in delectatione carnali, & mentem, & carnem inquinant. *Contemplantes* hoc non solùm quilibet in semetipso, sed *ne quis fornicator*, ita quòd quilibet in proximo suo hoc contempletur, *aut profanus*, quasi procul à fano: & tales sunt gulosi, qui de ventre suo Deum faciunt. *Sicut Esau*. Quod dixerat, ostendit in exemplo Esau, qui propter gulam vendidit primogenita. Esau autem non solùm fuit gulosus, sed etiam luxuriosus, quia contra voluntatem parentum duxit vxores alienigenas. Et pœnam consecutam ostendit, subdens: *Scitote enim, quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est*. Sicut enim dicitur Gen. 27. postquam Isaac benedixerat Iacob, venit Esau, & petijt benedictionem; quod tamen non obtinuit, licèt Pater fecisset ignorans, quia in illo stupore, quem habuit, factus in extasi, edoctus est à Spiritu Sancto, quòd non retractaret quod fecerat. Vnde dixit: *Benedixi ei, & erit benedictus*. Et sic Esau consilio Spiritus Sancti reprobatus fuit. *Sequitur*: Non enim inuenit pœnitentiæ locum: (*timeant fornicarii, & horreant*) quamquam cum lacrymis inquisisset eam. *Quò alludunt verba eius Gen.* 27. Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi pater mi. *Et iterum*: Cumque eiulatu magno fleret &c. *Igitur concludit Author*: Pœnituit Esau, non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat. Vnde non dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis: & ideò pœnitentia eius non fuit accepta, quia non erat vera. *Non secùs & pluribus contingit concubinariis, quòd scilicet non inueniant pœnitentiæ locum*, quamquam cum lachrymis inquirant eam: *et quòd et si pœnitere videantur, illorum pœnitentia vera non est: dolent enim amittere, & diuitias, non primitiua æternæ hereditatis, propter vnam carnis escam, & veneream delectationem, diabolo vendidisse. Vnde & in puncto mortis à Deo Patre nostro benedictionem implorantes*: Benedic etiam & mihi Pater mi; *minimè exaudiuntur, sed reprobantur. Vtinam falsum dicerem!*

Esau fornicator punitus.

H 1. Cor. 10. l.2. ibi.

Vltio Dei in fornicatores cum Madianitis.

G 1. Cor. 5. l.1.

I Ibid. fi. lect.

L Hebr. 12. l.3. ibi.

Vt plurimùm concubinarij impœnitentes moriuntur, quia non verè pœnitent, vt Esau.

s *Ad hæc, quid in die iudicii, insatiabilis fornicator, quid erit, quando* reuelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ? *Ezech.* 23. *Quid, impudens fornicaria, tunc dices*, quando ebrietate, & dolore repleberis, calice mœroris, & tristitiæ, & vbera tua lacerabis, *ad horrendas iusti diuini iudicis increpationes*: quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas: *quod est æterna damnatio, quæ concubinariis iustè à Deo parata est. Vnde & benè aduertit in figura Author, quòd* tempore M diluuij solos coniuges saluauit Deus: in Arca enim saluati sunt Noe, & vxor eius, & tres filij eius, & eorum vxores. Si qui erant concubinarij, si quæ meretrices, omnes diluuio perierunt. *Id quod expressè tangitur in Epistola Iudæ, cum dicitur*: Sicut Sodoma, & Gomorrha exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter & hi carnem quidem maculant &c. *Similiter & hi*, sicut N Sodomitæ *ex glossa* sunt damnandi: qui *carnem quidem maculant*, propriam scilicet, vel aliorum; fornicatio enim corpus maculat: *hi* inquam damnandi sunt pœna æterna, Hebr. vlt. *Fornicatores, & adul-*

t Concubinariis æterna imminet damnatio.

M Op. de er. Pr. l.5. c.27. init.

N Ep. Iudæ §.3. ibi. Eph. 5. l.3. Col.3. l.1. Hebr.13. l.1.

& adulteros iudicabit Deus, idest condemnabit. Et nota, quòd eodem modo puniendos dicit, non quòd vitium contra naturam & fornicatio aequalis sint grauitatis, sed quia vtrique in peccato habitualiter perseuerant. Sanè, vt in pluribus homines propter fornicationem habituatam damnantur: quod innuit Io. in Apoc. c. 9. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione &c. Qui autem pœnitentiam de peccato non agit, vt contingit de concubinariis, certò certiùs aeternùm damnatur. Omnes hi O peribunt morte aeterna. Sed quaeritur, quare ponit fornicationem in singulari numero, cum alia vitia ponat in plurali? Ad notandum videlicet, quòd plures pereunt per fornicationem, quàm per caetera praedicta: plus enim importat numerus singularis, quàm pluralis. Atqui & praeter aeterna, quae sibi imminent, supplicia: quae & hic fornicatores detrimenta non sentiunt? Quò facit illud Apoc. 9. cit. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Vbi per os P intelligitur gula, per caudam accipitur luxuria. In his duobus multùm consistit potestas diaboli, & ministrorum eius: nam per haec duo vitia multi corrumpuntur, de quibus dicitur Prouerb. 30. Sanguisuga, idest diaboli sanguinem sugentis, duae sunt filiae, quae semper clamant: affer, affer, scilicet gula, & luxuria. Et benè dicuntur caudae similes serpentibus, quia luxuria in principio habet voluptatem, sed postea pœnitudinem; propter detrimenta nimirùm plura, quae eam consequuntur. At homo nihilominus excaecatior, ad vomitum redit. Detrimenta haec tangit & Spiritus Sanctus aliis Scripturae locis, Eccli. 19. Qui se iungit fornicarijs, erit nequam: putredo, & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum maius. Prouerb. 29. Qui nutrit scorta, perdet substantiam. Vnde monemur Prouerb. 31. Ne dederis mulieribus substantiam tuam. Perdet inquam substantiam, vt patet de prodigo filio Luc. 15. Qui dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè: substantiam scilicet corporalem, & temporalem, quia inexplebilis meretricum cupido, Prouerb. 23. Fouea profunda est meretrix, in quam pariter praecipites ruunt homines sine vlla euadendi spe. Tollit vno verbo praeter temporalia, salutem mentis, & corporis, euirans, & eneruans hominem: quod ad literam fecit Dalila Samsoni, de quo legitur Iudic. 16. At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit. Sed & in clandestinis fornicationibus in iustam saepe contingit fornicariae pœnam impraegnatio. Ex quo filiae Loth in primo cum patre concubitu conceperunt: ad reuelandum videlicet earum Q incestum, & in exemplum occultè fornicantium, quae in sui reuelationem pœnalem saepè iusto Dei iudicio impraegnantur; sicut Bethsabee cum Dauid contigit: in primo enim concubitu, cum priùs videretur esse sterilis, impraegnata fuit. Caueant foeminae, viduae praesertim & puellae, ne tam facilè ad peccandum inducantur. Nihil tamen praefatis nocumentis obstantibus, seruiunt viri tot obnoxia imperfectionibus impudicae mulieri, quin & veluti Numen colunt, & adorant, ita vt de fornicario verum habeat quod de Amon Rege Israel legitur 4. Reg. 21. Seruiuit immunditijs, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas: & dereliquit Dominum. Profœdissimo quippè scorto homo à Deo penitus alienatur, Ier. 2. Me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, qualis est meretrix, Fouea profunda, & puteus angustus, vt dicitur Prouerb. 23. Ex quo etiam inhonorabiles redduntur tam mulier, quàm vir. Fornicatio etiam priuat R honore, & specialiter mulieres. De hac enim dicitur Eccli. 9. Omnis mulier, quae est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. Et de viro dicitur Prouerb. 6. Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Dicit etiam Gregorius, quòd peccata carnalia sunt maioris infamiae, licèt minoris culpae, quàm spiritualia. Vnde & Eccli. 41. Erubescite à Patre, & à Matre de fornicatione. Quid plura? in fornicationis detestationem, quae talem ac tantam maculam inurit, Sacerdotis fornicarii & ipsam audire missam vetamur, ita quòd si audiam S eius Missam, pecco mortaliter: quod quidem institutum est in pœnam sacerdotis fornicarij. Attendendum tamen est, quòd hoc non intelligitur de quolibet sacerdote fornicario, sed de fornicarijs publicis, qui propriè dicuntur publici, quando iudicio, & sententia Ecclesiae publici vocantur. Vnde quicumque à tali fornicario publico audit Missam, peccat mortaliter. Et tamen eousque deuenit libidinis ardor humana, vt fœdum modò indecorumque veluti censeatur (quemadmodum apud Assyrios olim) non fornicari, Iudith 12. Fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat virum, agendo, vt immunis ab eo transeat. Et qui hoc tempore non fornicantur, non mœchantur, non luxuriantur, in derisum quodammodo sunt, & reputantur insensati.

O Apoc. 9. com. 2. circ. fin. cap.

Plures & hic grauia sentiunt detrimenta.

P Ibidem paulò ante.

In clandestinis fornicationibus saepè contingit in iustam pœnam impraegnatio.

Q Gen. 19. dub. 3.

R Op. 4. de 6. praec. fin.

In fornicationis detestationem, missam sacerdotis publici fornicarij vetamur audire sub mortali.

S Quol. 11. a. 8. c. & 3. p. 82. 9.

t Verùm Qui in sordibus est, sordescat adhuc, Apoc. 22. Qui autem Dei gratia ab hoc vitio immunes sunt, à singulis ne cadant incitamentis se custodiant, occasiones ad hoc fugiendo (neque enim sufficiens nobis ad resistendum virtus, nisi Deus dederit) monitum Apostoli secuti 1. Cor. 6. Fugite fornicationem; hoc est, occasiones ad eam incurrendam; vt enim habetur ex glossa: Cum alijs T vitijs potest expectari conflictus, sed hanc fugite, ne approximet, quia non aliter hoc malum potest vinci, vt & numero praecedenti tactum est. Ad quod plurimùm facit, in mulieres oculum non figere; nam species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium Eccli. 36. multòque magis cum eis non conuersari. Quoad primum Eccli. 9. Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius. Auerte faciem tuam à muliere compta: propter speciem mulieris multi perierunt. Et cap. 41. Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam eius, vt passim impudenter contingit. Hinc S. Iob cap. 31. vt cautiùs procederet: Pepigi inquit fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine: ratione adductus, quae affertur Thren. 3. Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meae. Vt enim praetactum est, videbat V esse difficile, si in primum incideret, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem, & consensum. Ita Rex Dauid ex solo Bethsabee aspectu illectus, quia prauam mox cogitationem non resecuit, in adulterium prolapsus est. Et eadem sanè de causa nec mulier in virum praecipuè alienum, oculos figat: quod innuitur Ier. 9. iis verbis. Audite mulieres verbum Domini, & docete filias vestras lamentum, & vnaquaeque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras nostras &c. Oculi enim quaedam corporis, immò & cordis nostri fenestrae sunt. Vitijs nostris (aiebat Quintilianus Declam. 1.) per oculos via fit. Quibus consonat illud Ezech. 23. de Ooliba: Cumque vidisset viros depictos &c. insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum &c. Quoad conuersa-

Fornicatio fugienda, alijs vitijs resistendum.

T Op. 18. c. 9. & 1. Cor. 6. l. 3. & 1. 2. 35. 6. & 2. 2. 35. 1. ad 4.

Occasiones vitandae.

Mulier non aspicienda, oculum figēdo. Multo minus cum ea familiariter conuersandum.

V Iob 31. l. 1. ibi.

satiemom verò, *Eccl.* 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula sunt manus illius: *ad ligandum videlicet animum, & captiuandum. Idcircò aiebat Bernardus*: Cum muliere X semper esse, & fœminam non cognoscere, maius est, quàm mortuum suscitare, *Prouerb.6.* Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.

X Pet.6 9.arg. 16.

Exponitur illud, *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.*

Eo quippè sensu dicitur Eccli. 42. Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens: *Melior est iniquitas viri*, id-est Y vir iniquus ad commorandum, quàm *mulier benefaciens*, faciliùs enim homo præcipitaretur in peccatum ex familiari conuersatione cum bona muliere, quàm cum malo viro. Et hoc patet per hoc, quod præmittitur: *In medio mulierum noli commorari*: & per illud, quòd sequitur: *& mulier confundens in opprobrium. Eapropter Apostolus* primæ ad Tim. 5. *monebat eum*: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores, *scilicet* ex amore Z charitatis, & hoc (*addit Apostolus*) *in omni castitate*: quia amor spiritualis ad mulieres, nisi cautus sit, degenerat in carnalem.

Y Ma. 3. 13. *ad* 2. & 1. *Tim.* 5. *l.* 2. *ibi*, deuita.

Amor etiam spiritualis ad mulieres sæpè degenerat in carnalem.

Z 1. *Tim.* 5. *ibi.*

(*Quò facit illud ad Gal.* 3. Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? *Et illud Eccli.* 13. Quæ communicatio sancto homini ad canem? *Noteant Confessarii, vt abstineant etiam à spiritualis frequenti colloquio cum filiabus spiritualibus.*) Vnde Papa scribens eis, dicit: *Dilectis in Christo*; sed viris simpliciter dicit: *Dilecti filii*. Et eodem capite: *Adolescentiores autem viduas deuita*, quantùm A ad consortium, & familiaritatem. *Hinc Apostolus Iacobus cap.* 1. *postquàm dixerat*: Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum (non B diuites, sed *in tribulatione earum*, vel corporali, vel spirituali; non in prosperitate, sicut multi faciunt, qui sunt socij mensæ:) *immediatè subiicit*: & immaculatum se custodire ab hoc sæculo, *scilicet* maculato: *cum mulieribus enim familiariter tractantes, difficillimè à maculis se præseruant, Ep. Iud.* Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam; *idest* conuersationem C carnalibus desiderijs immundam: *qualis, si non est, paulatim redditur ex aspectu, & auditu cum mulieribus conuersatio. Et quidem adeò est periculo obnoxius cum mulieribus vel honestissimis tractatus, vt etiam in scribendo maxima adhibenda cautela sit. Hinc Ioannes Apostolus nobili illi Babylonicæ matronæ, quæ* Electa *vocabatur, dum scriberet in secunda Epistola*: Senior *inquit* Electæ Dominæ, & natis eius &c. *Vbi Author*: Non D ait: *Ioannes, & Apostolus*, vel quid huiusmodi, sed *senior*: scripturus enim mulieri, ponit illud, quod magis caret suspicione, & plus habet securitatis, & credulitatis. *Et hæc (præter alias) ratio est, quare non permittitur mulier publicè in Ecclesia docere*: ne *scilicet* animi E hominum alliciantur ad libidinem: *dicitur enim Eccli.* 9. Colloquium illius (*mulieris*) quasi ignis exardescit.

A Ibid. l. 2. *ibi* deuita.

B Iac. 1. *fin. cap.*

C Ep. Iud. circ. fin.

Cautè etiam ad eas scribendum.

D 2. *Io.* 1. *sub init.*

E 2.2.177. 2. *f.c.* & 1. *Tim.* 2. *l.* 3.

Incestus quid, & vnde dicatur.

F 4 d.41.1.4. q.1.c. & 2. 2. 154. 9. *ad* 1.

II. *Luxuriæ species est* Incestus: *qui est* F consanguineorum, vel affinium abusus, ab *incendio* nomen habens, vel à priuatione castitatis, quasi antonomasticè, quia castitatem violat in illis, qui maximo fœdere coniunguntur. *Vnde Leu.* 18. *dicitur*: Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filiæ illius non sumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius sunt: & talis coitus *incestus* est. *Verùm ibi* G necesse est inueniri determinatam speciem luxuriæ, vbi inuenitur aliquid repugnans vsui debito venereorum. In vsu autem consanguineorum, vel affinium inuenitur aliquid incongruum commistioni venereæ triplici ratione. *Primò* quidem, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens alijs consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt, in tantùm, quòd apud antiquos, vt *Max Valer.* refert, non erat fas filium simul cum Patre balneari, ne se inuicem nudos conspicerent. Manifestum est autem, quòd in actibus venereis maximè consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria: vnde & de his homines verecundantur; & ideò incongruum est, quòd commistio venerea fiat talium personarum ad inuicem. Et hæc causa videtur exprimi *Leu.* 18. vbi dicitur: *Mater tua est: non reuelabis turpitudinem eius*; & idem postea dicitur in alijs. *Secunda ratio* est, quia personas sanguine coniunctas necesse est ad inuicem conuersari simul. Vnde si homines non arcerentur à commistione venerea, nimia opportunitas, daretur hominibus venereæ commistionis: & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Et ideò in veteri lege illæ personæ specialiter videntur prohibitæ esse, quas necesse est simul commorari. *Tertia ratio est*: quia per hoc impeditur multiplicatio amicorum. Dum enim homo vxorem extraneam accipit, iunguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei vxoris, ac si essent consanguinei sui. *Vnde Augustinus* dicit 15. de Ciuit. Dei: *Habita est ratio rectissima charitatis, vt homines, quibus esset vtilis atque honesta concordia, diuersarum vicissitudinum vinculis necterentur; nec vnus in vno multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos.*

G 2.2. *l.c. corp.* & *ad* 1. *Ma.* 15. 3. *In* 4. *l.c. Gen.* 12. *circ. fin.*

Triplex ratio deformitatis incestus.

Quarta Aristotelis ratio.

Addit autem Aristoteles *Quartam rationem* in 2. Polit. quia cùm naturaliter homo consanguineum diligat, si adderetur amor, qui est ex commistione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum: quod castitati repugnat. *Et idem reputatur inconueniens, affinitate spectata. Nam* persona H affinis coniungitur alicui propter personam consanguinitate coniunctam: & ideo, quia vnum est propter alterum eiusdem rationis, inconuenientiam facit consanguinitatis & affinitas. *Quoad antiquos verò, aurea extat sententia Augustini* 15. de Ciu. Dei cap. 16. *cum ait*: Commistio I sororum, & fratrum, quantò fuit antiquior compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior, religione prohibente.

Eadem inconuenientia de affinitate, ac de consanguinitate.

H 2. 2. *l. c. ad* 2.

I 2. 2. 154. 9. *ad* 3.

Ex quibus grauitas vitii huius apparet, à quo vel ipsa abhorrere naturaliter bruta leguntur, vt de Camelo, & equo Numero præcedenti *visum est. Et ad hanc quoque rem, docemur, quòd* Deus L incellum Loth cum filiabus permisit induci in signum, quòd post recessum ab infimis ad ardua, & a carnalibus ad spiritualia, de facili quis labitur in vitia prioribus conformia, & propinqua: nam incestatio filiarum flagitiis sodomiticis est vicina. Horret etiam hoc (*paulò ante*) naturalis sensus honestatis, pudoratæ erubescentiæ, & paternæ reuerentiæ. In hoc etiam opere confunditur ordo, & distinctio naturalis combinationum, & correlationum, vtpote ordo, & distinctio principij ad principiatum, superioris ad inferiorem, coæqualis ad disparem, matris ad prolem. & lineæ descendentium ad lineam stantium, & ascendentium. *Ex quo* 1. Cor. 5. *Corinthius ille, qui nouercam carnaliter cognouerat, traditus est satanæ corporaliter vexandus, vt superiùs dictum est. Ruben etiam, quia* dormiuit cum Bala concu-

Grauitas incestus.

L Gen. 19. *ibi*, pater noster.

Flagitiis contra naturam propinquus.

concubina Patris sui (*vt habetur* Gen.35.) *primogenita in pœnam amisit*, 1. Par.5. Ipse quippè fuit primogenitus Israel, sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph &c. *Et Amnon filius Dauid, quòd oppresserat sororem suam Thamar, iusto Dei iudicio à fratre Absalom interfectus est, vt legitur* 2. Reg.13. *Iusto inquam Dei iudicio: nam & Dominus ad exprimendam culpa huius grauitatem, praeceperat Leu.* 20. Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam Patris sui, morte moriantur ambo. Si quis dormierit cum nuru sua, vterque moriatur. Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. *Ideircò &* Deut.27. *maledicitur incestuosus*: Maledictus qui dormit cum vxore patris sui. Maledictus qui dormit cum sorore sua. Maledictus qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus: Amen. *Num verò Loth inebriatus, culpabilem cum filiabus admiserit incestum*: Dicendum M quòd in ebrietate duo attenduntur: scilicet defectus consequens, & actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur vsus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat inuoluntarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis, videtur esse distinguendum: quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato; tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus: in quantum scilicet aliquis, dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarij. Vnde *Augustinus* dicit *contra Faustum*, quòd Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit. *Ceterùm* quamuis Loth N credatur immunis à peccato mortali fuisse; filiæ tamen eius non omninò excusantur à peccato mortali, sed ex pietate intentionis minùs peccauerunt. Fuit enim leuis æstimatio, super quam se fundauerunt (*dicentes scilicet*: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos &c.) & præterea si eis pro certo constitisset, totum humanum genus perijsse, debuissent diuinum consilium, & patris expetere in tam horribili facto &c. *Cui & præscientes, patrem nullo pacto consensurum, ex proposito inebriarunt. Vide fusiùs de vtroque Authorem* O.

Talem indicit pœnæ pro eo inflictæ.

An culpabilis Loth cum filiabus incestus.

M 2. 2. 150. 4.

N. 4. *d.* 33. *exp. tex.*

Sicut ille immunis creditur, non ita filiæ.

O Gen. 19. *eo loco.*

Adulterium quid, & vnde dicatur.

P In 4.*d.*41.

X. III. *Species est* Adulterium, *quod ex Magistro* est P alieni tori violatio. Vnde adulterium dicitur quasi *ad alterius torum* accessio. *Et quàm graue peccatum sit, conijce vel ex pœna grauitate Regi Dauid inflicta, vt habetur* 2.Reg. 12. *Verùm de Adulterio fusè differtum est* Tom.1. *quò lectorem remittimus.*

Stuprum communiter aliquando sumitur pro omni illicito cóncubitu.

IV. *Species est* Stuprum: *quod tamen generaliter sumi etiam consueuit pro omni illicito carnali concubitu. Vnde dicitur Num.*5. Vir, cuius vxor errauerit, maritumque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro &c. *Et Ambrosius in lib. de Patriarch.* Nemo, *inquit*, sibi blandiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est. *Quod Authorexponens*: Ibi *ait* aliter Q accipit *Ambrosius* stuprum, prout scilicet communiter accipit ut pro omni peccato luxuriæ; vnde stuprum ibi nominat concubitum viri coniugati cum quacunque alia muliere præter vxorem: quod patet ex hoc, quod subdit: *Nec viro licet quod mulieri non licet*. Et hoc modo etiam accipitur *Num.* 5. *cit.* Strictè autem acceptum stuprum (*quod & nomine impudicitia* 2. *Cor.* 12. *Apostolus vocat*, super fornicatione, & impudicitia, *scilicet*, quæ R fit in corruptione virginum, *quarum proprius est pudor*:) est illicita puellæ virginis defloratio, sub cura parentum existentis: quod sanè quandam addit deformitatem specialem, vnde fit distincta luxuriæ species à cæteris. *Et ratio adducitur*: *quia* in virgine S sub custodia patris existente quædam deformitas specialis occurrit, si corrumpatur. Tum ex parte puellæ, quæ ex hoc, quòd violatur nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret. Tum etiam ex parte Patris, qui de eius custodia solicitudinem gerit, secundùm illud *Eccli.*42. Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis &c. *Ex quo & ad iniustitiam peccatum stupri pertinet*. Habet enim T duplicem iniuriam adnexam. Vnam quidem ex parte virginis, quam etsi non vi quis corrumpat, tamen eam seducit (*& ô quoties infeliciter seducuntur!*) & sic tenetur ei satisfacere. Vnde dicitur Ex.22. *Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt*. Aliam verò iniuriam facit patri puellæ; vnde & ei secundùm legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deut.22. *Si inuenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: dabit, qui dormiuit cum ea, patri puella* 50. *siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliauit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ*. Et hoc ideò, ne videatur ludibrium fecisse, vt *Augustinus* dicit. *Quantùm verò abominetur Deus virginum deflorationem, ex pœna inflictione deprehenditur. Legitur enim* Deut.22. *quòd* si quis virginem in vxorem ducat, quæ talis non sit: si verum est quod obijcit (*vir*) & non est in puella inuenta virginitas: eijcient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in Ciuitate, & concubuerit cum ea: educes vtrumque ad portam Ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit cum esset in Ciuitate: vir, quia humiliauit vxorem proximi sui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens, concubuerit cum ea: ipse morietur solus; puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius: ita & puella perpessa est. Sola erat in agro: clamauit, & nullus adfuit, qui liberaret eam. *Enimuerò, quia virgines sponsa Christi sunt (cuius & sponsa Ecclesia virgo est) quem sola* sequuntur quocumque ierit, *Apoc.* 14. idest V sequuntur eum itinere virginali, per quod ambulauit Christus: in alijs enim possunt eum sequi coniugati, præter excellentiam virginalem, in qua solæ virgines eum sequuntur; *qualem, & quantam sibi irrogari in suarum virginum defloratione iniuriam, putandum est? sed longè magis earum violentes oppressores detestatur, de quibus* Num. seqq. *Quòd si quæras, an Sodomitis exhibendo ad abutendum filias suas, peccauerit Loth*, Gen.19. Habeo duas filias, quæ necdum

Q 2. 2. 154. 6. *ad* 2.

Strictè sumptum quid.

R 2. *Cor.* 12. *fi. cap.*

S 2.2.*l.c.corp. In* 4.*d.*41. 1.4. *q.* 1. & 2. *c. Ma.*15. 1.*c.*

Strupri deformitas duplex.

Stuprum & ad iniustitiã pertinet.

T 2.2.*l.c.ad* 3.

Stupri pœnæ.

V Apoc. 14. *Com.*1.*Oz.ibi.*

An Loth peccauerit exhibẽdo sodomitis filias suas &c. *Gen.* 19.

necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, ficut vobis placuerit &c. *Respondet Author, quòd* Loth X non præelegit culpam pœnæ, fed oftendit, ordinem effe feruandum in fuga culparum: quia tolerabilius eft, fi quis committit minorem culpam, quàm maiorem. *Quod deducitur ex eo, quod fubiecit*: dummodo viris iftis nihil mali faciatis, quia ingreffi funt fub vmbra culminis mei. *At fufiùs de hoc vide* Y.

X *Ma. 1. 5. ad 14.*

Y *Gen. 19.*

y V. *fpecies eft* Raptus: Qui *quidem* fupra Z ftuprum addit fpecialem deformitatem, fcillicet violentiam, & eductionem de domo patris, *vel cuftodum puellæ. Sciendum nihilominùs, quòd* raptus A quandoque in idem concurrit cum ftupro: quandoque autem inuenitur raptus fine ftupro: quandoque verò ftuprum fine raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam. Quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipfi virgini, quàm Patri: quandoque autem infertur Patri, fed non virgini; putà cum ipfa confentit, vt per violentiam de domo patris abftrahatur. Differt etiam violentia, & raptus alio modo: quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, & violenter corrumpitur: quandoque autem, etfi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, fed de voluntate virginis, fiuè corrumpatur fornicario concubitu, fiuè matrimoniali. Qualitercumque enim violentia adfit, faluatur ratio raptus. Inuenitur autem raptus fine ftupro, putà fi aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Vnde *Symmachus Papa dicit 36. q. 2. c.* Raptores: *Raptores viduarum vel virginum ob immanitatem facinoris tanti, deteftamur.* Stuprum verò fine raptu inuenitur, quando aliquis abfque violentiæ illatione virginem illicitè deflorat. *Quia verò raptus poteft contingere & refpectu puellarum non defponfatarum, & refpectu defponfatarum: ideò aliter de primis, aliter de fecundis iudicium faciendum.* Illæ enim B quæ funt alijs defponfatæ, reftituendæ funt fuis fponfis, qui in eis ex ipfa defponfatione ius habent. Illæ autem, quæ non funt alijs defponfatæ, primò reftituendæ funt patris poteftati: & tunc de voluntate parentum licitè poffunt *raptores* eas in vxores accipere. Si autem aliter fiat, illicitè matrimonium contrahitur. Tenetur enim quicumque rem rapit, ad reftitutionem. Nec tamen raptus dirimit matrimonium iam contractum, etfi impediat contrahendum. (*Vide Verbo* Matrimonium, *& apud Summiftas.*) *Et quia* fponfus C ex ipfa defponfatione habet aliquod ius in fua fponfa, ideò quamuis peccet violentiam inferendo, excufatur tamen à crimine raptus. Vnde *Gelafius Papa* 36. quæftione 1. c. *Lex illa, dicit*: Lex illa præteritorum principum ibi raptum dicit effe commiffum, vbi puella, de cuius nuptijs nihil actum fuerat, videbatur abducta. *Vtraque autem violentia illata eft in defloratione Dinæ Gen. 34. de qua legitur, quòd* egreffa eft Dina filia Liæ, vt videret mulieres illius regionis. Quam cum vidiffet Sichem filius Hemor Heuæi, Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. *Vide, ex fœminea curiofitate, quale & quantum detrimentum!* Difcite virgines *aiebat Ambrofius* non circumcurfare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico mifcere fermones. *Quid vltra? ad vlcifcendam adeò grauem iniuriam,* arreptis duo filij Iacob, Simeon, & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingreffi funt vrbem confidenter: interfectifque omnibus mafculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de Domo Sichem fororem fuam. Quibus egreffis, irruerunt fuper occifos cæteri filij Iacob: & depopulati funt vrbem in vltionem ftupri. *Et quidem, ad homines à tanto flagitio abfterrendos, quot, & quales ærumnas Hifpaniarum Regnis olim attulerit vel vnius virginis ftuprum, fat is fuperque nota funt hiftoria. Num verò in hoc, Simeon & Leui peccauerint, nec ne, præfertim quia dolosè processerunt, fua vtrumque probabilitate non caret: de quo vide fusè Authorem* D. *Quicquid verò fit hac de veritate fentiendum, iufta de caufa voluit Deus, vel permifit tantam confequi cladem, ad eorum exemplum, qui aut violentiam virginibus inferunt, aut dolosè fictis de connubio promiffis, paffim impiè, & impudenter corrumpunt. Scelus autem horrendum magis, fi violentia raptus, vel folùm attentando, virginibus Chrifto facris inferretur.* Spiritualis *enim* raptus E etiam fecundùm leges ciuiles grauiùs punitur, quàm alius raptus. Vnde *Iuftinianus Imperator* dicit in *Cod. l. 9. tit. 23.* Si quis non dicam rapere, fed attentare tantummodò matrimonij coniungendi caufa facratiffimas virgines aufus fuerit, capitali pœna feriatur. *In quo tangitur alia fpecies luxuriæ. Eft igitur*

Z *4. d. 41. 1. 4. q. 2. ad 6.*

Raptus quid, & quotupliciter dicatur.

A *2. 2. 154. 7. c. In 4. l. c. a. 4. q. 1. & 2. c. Ma. 15. 3. c.*

Quid cum raptoribus agendum.

B *2. 2. l. c. ad 3.*

C *Ibid. ad 4.*

Sponfus rapiens fponfam, criminis raptus (quamuis peccet) reus non eft.

Violentia Dinæ illata quanti fuerit detrimenti.

An Simeon, & Leui in fecuto inde excidio peccauerint.

D *Gen. 34.*

E *2. 2. 154. 10. ad 2. fi. & 9. 99. 4.*

Spiritualis raptus etiam fecundùm leges ciuiles grauiùs punitur.

z VI. *Luxuriæ fpecies* Sacrilegium. *Quod quidem ex eo eft, quia* actus F vnius virtutis, vel vitij ordinatus ad finem alterius, affumit fpeciem illius: ficut furtum, quod propter adulterium committitur, tranfit in fpeciem adulterij. Manifeftum eft autem, quòd obferuatio caftitatis, fecundùm quod ordinatur ad cultum Dei, fit actus religionis, vt patet in illis, qui vouent, & feruant virginitatem. Vnde manifeftum eft, quòd etiam luxuria, fecundùm quod violat aliquid ad diuinum cultum pertinens (fiuè ratione perfonæ, fiuè ratione loci) pertinet ad fpeciem facrilegij. Et fecundùm hoc facrilegium poteft poni fpecies luxuriæ. *Nec obftat, quòd inter luxuriæ fpecies* in Decret. 36. q. 2. & à Magiftro in 4. d. 41. *Sacrilegium non recenfetur. Soluitur namque ex allata doctrina obiectio.* Ibi enim G enumerantur illa, quæ funt fpecies luxuriæ fecundùm fe ipfa. Sacrilegium autem eft fpecies luxuriæ non fecundùm fe, fed fecundùm quod ordinatur ad alterius vitij finem: & poteft concurrere cum diuerfis luxuriæ fpeciebus. Si enim aliquis abutatur perfona coniuncta fibi fecundùm fpiritualem cognationem, committit facrilegium ad modum inceftus: fi autem abutatur virgine Deo facrata, in quantùm eft fponfa Chrifti, eft facrilegium per modum adulterij: in quantùm verò eft fub fpiritualis patris cura conftituta, erit quoddam fpirituale ftuprum: & fi violentia inferatur, erit fpiritualis raptus. *Verumtamen illud fciendum, quòd* omne H peccatum, quod facra perfona committit, materialiter quidem, & quafi per accidens eft facrilegium. Formaliter autem, & propriè illud folum peccatum facræ perfonæ facrilegium eft, quod agitur directè contra eius fanctitatem: putà fi virgo Deo dicata fornicetur; & eadem ratio eft in alijs: *quales funt clerici in facris conftituti, & multò magis religiofi omnes, propter folemne caftitatis votum, quo Deo fe vtrique obftrinxerunt. Memorentur fingoli, quales fint, & quo fine facerdotio infigniti. Vide* Summiftas.

F *2. 2. l. c. corp.*

Sacrilegium quomodo poffit effe fpecies luxuriæ.

Vt fpecies luxuriæ, quotuplex.

G *2. 2. l. c. ad 2. In 4. d. 41. 1. 4 q. 2. ad 7.*

Spiritualis inceftus, adulterium, ftuprum, & raptus, quid.

H *2. 2. 99. 3. ad 3.*

Non omne peccatũ, quod facra perfona committit, facrilegium eft.

VII. *Species eft* Vitium contra naturam. *Specialior enim deformitas in actu venereo (ʒ malis in hoc nefario fcelere) nonam luxuriæ fpeciem conftituit.* Quod quidem I poteft effe dupliciter. Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ: quod eft commune in omni vitio luxuriæ. Alio modo, quia etiam fuper hoc repugnat ipfi ordi-

Vitium contra naturam quid, & quotupliciter cõtingat.

I *2. 2. 154. 11. c. & 142. 4. ad 3. In 3. d. 37.*

ap. tex. In 4. d.1.2.1.q.3. & 4.41.1.4.q.2.c. Ma.15.1.ad 7. & 4.3.c.Rem. 1. l. 8. & 2. Cor.12.fi.cap. ad Gal.5. l.5. Eph. 5. l. 2. Col.3. l.1. & alibi.

Vnde dicatur vitium contra naturam. Mollities. Bestialitas. Sodomia.

ordini naturali venerei actus, qui conuenit humanæ speciei: quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem potest pluribus modis contingere. Vno quidem modo, si absque omni concubitu causa delectationis venereæ pollutio procuretur: quod pertinet ad peccatum *immunditia*, quam quidam *mollitiem* vocant. Alio modo, si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei: quod vocatur *bestialitas*. Tertiò, si fiat per concubitum ad non debitum sexum, putà masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, vt Apostolus dicit *ad Romanos* 1. quod dicitur *Sodomiticum uitium*. Quartò, si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstrosos, & bestiales concumbendi modos: *quos insatiabilis humanæ libidinis appetitus ad explendam luxuriam multipliciter adinuenit: nec puduit (quod deterius est) quempiam, impudenter etiam ad aliorum perniciem describere. Porrò quàm detestabile, Deoque, & hominibus abominandum hoc uitium sit, ex generali coniice pœna sodomitis inflicta* Gen. 19. *Vbi ad illud*; Noli respicere post tergum tuum, *instruimur, hoc factum* in detestationem L sceleratæ gentis, & terræ, & vt doceremur talia flagitia in tantùm esse detestanda, & fugienda, quòd etiam vsque ad primum conspectum visus, vel memoriæ non venirent. *Idcircò Apostolus uocat peccata hæc passiones ignominiæ, ad Rom.* 1. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. *In passiones ignominiæ*; idest M peccata contra naturam. Quæ dicuntur passiones, secundùm quod propriè passio dicitur ex eo quòd aliquid trahitur extra ordinem suæ naturæ: putà cum aqua calefit, aut cum homo infirmatur. Vnde quia per huiusmodi peccata homo recedit ab ordine naturali, conuenienter dicuntur passiones, Roman. 7. *Passiones peccatorum.* Dicuntur autem *passiones ignominiæ*, quia non sunt *nomine* digna, secundùm illud Eph. 5. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*. Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id, quod est bestiale in homine; multo magis peccatum contra naturam, per quod homo etiam à natura bestiali decidit, Ose. 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Sequitur: *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam &c.* 1. ad Cor. 11. *Nec ipsa natura docet uos*. Et Is. 24. *Mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum*: idest ius naturale. Est autem considerandum, quòd dupliciter est aliquid contra naturam hominis. Vno modo contra naturam differentiæ constitutiuæ hominis, quæ est rationale; & sic omne peccatum dicitur esse contra naturam hominis, in quantùm est contra rationem rectam. Alio modo dicitur esse aliquid contra naturam hominis ratione generis, quod est animal. Manifestum est autem, quòd secundùm naturæ intentionem commistio sexuum in animalibus ordinatur ad actum generationis: vnde omnis commistionis modus, ex quo generatio sequi non potest, est contra naturam hominis, in quantùm est animal; & secundùm hoc dicitur in glossa: *Naturalis usus est, ut uir, & mulier in uno concubitu coeant: contra naturam verò, ut masculus masculum polluat, & mulier mulierem.* Et eadem ratio est de omni actu coitus, ex quo generatio sequi non potest. Hoc *autem* vitium

Quàm detestabile vitium sit sodomia.

L Gen.19.ibi.

Cur hæc peccata ab Apostolo *passiones ignominiæ* dicantur.

M Rom.1.l 8. ibi. Op.20.l.4. c.14.

Peccatū contra naturam maximè exprobrabile, per quod homo etiam à bestiali decidit natura.

Dupliciter aliquid cōtra naturam hominis dicitur.

Omne peccatum contra naturam hominis est, vt est rationalis.

Vitium contra naturam dicitur contra naturam hominis, vt animal est.

N sodomiticum *ipse Philosophus in* 7. *Ethic.* dicit accidere propter vitiosam naturam, & peruersam consuetudinem: *quæ neque per ignis purgationem potuit è Mundo semper immundo extirpari. Hinc ad illud, quod post præfata prosequitur Apostolus Rom.* 1. *cit.* Et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes: & sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum &c. *notat Author, quòd* satis O rationabiliter Apostolus, vitia contra naturam, quæ sunt grauissima inter peccata carnalia, ponit idololatriæ pœnam: quia simul cum idololatria incepisse videntur, scilicet tempore Abrahæ, quando creditur idololatria incepisse; vnde & tunc primò leguntur in sodomitis punita esse: simulque etiam idololatria crescente huiusmodi vitia creuerunt. Vnde dicitur 2. *Mach.* 4. *quòd* Iason ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephoborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non vitium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuersationis propter impij, & non sacerdotis Iasonis nefarium, & inauditum scelus. (Vtinam & modò ad nefarium hocce scelus addiscendum & gymnasia non instituantur, & ephebia ad exercitium non adeantur!) *Hinc vides, quàm finitima vitia sint infidelitas, & sodomia: qui enim huic sceleri addicti sunt, verè* non probauerunt Deum habere in notitia. *Quod si quæras, cur tam immane delictum expressè in Decalogo non prohibeatur? Respondet Author, quòd* quia Legislator P hominibus legem dabat: ideò in primis legis mandatis non debebat nisi peccata humana prohibere. Peccatum autem contra naturam, non est humanum, sed bestiale, secundùm Philosophum in 7. Ethic. *Immò plus quàm bestiale, vt videbamus; idcircò expressè Decalogo insertum non est, sed virtualiter includitur in mœchia. Prohibitum nihilominus postea apertè fuit, & graui quidem adiecta pœna, Leu.* 20. Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, vterque operatus est nefas: morte moriantur. *Et in noua lege* Roman. 1. & 1. Cor. 6. & 1. Tim. 1. *& alibi. Quod satis manifestè probat generalis Pentapolis conflagratio.*

a *Cæterùm, crimen adhuc detestabilius est* bestialitas, *quæ capitali quoque pœna punitur, Leu.* 20. Qui cùm iumento, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento (*vti equo succubuisse Semiramis traditur*) simul interficietur cum eo. *Vnde & secundùm* Q Philosophum *in* 7. *Ethic.* bestialitas ponitur extra numerum aliarum humanarum malitiarum, quia humanum modum transcendit. *Ex quo specialiter maledicitur qui tam execrando vitio laborat, Deut.* 27. Maledictus qui dormit cum omni iumento &c. *Sed &* mollities, *siuè immunditia, suam habet deformitatem. Et est* cum semen R extra vas naturale effunditur: sicut fecit Her filius Iudæ; *& idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret, vt dicitur* Genes. 38. *At notandum, quod hic dicit Author, de Onam enarrari Gen.* 38. *citato, non de Her primogenito Iuda. Sed fortè idem facit de utroque iudicium: quia & de Her ibi legitur, quòd* dedit Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est: *creditur enim à Domino ob eandem fortasse causam, qua postea Onam, occisus*. (Vel *fuit Her nequam*, secundùm quosdam S abutens vasculo vxoris, vel alio genere nequitiæ.) *Et hinc etiam nocturna damnatur pollutio, si data in ni-*

N Op.20.l.cit.

Grauissimum inter peccata carnalia.

O Rom.1.l.8. ibi, & 3.p.70. 2. ad 1. In 4. d.1.2.1.q.3.c. & 2. Mach.4. ibi.

Incepit, & creuit cum idololatria tēpore Abrahæ.

P In 3. d. 37. exp. tex.

Cur in decalogo expressè non prohibeatur.

Crimen adhuc detestabilius bestialitas.

Q 4.d.13.2.2. ad 1. & 2. 2. 154. 11. ad 2.

Quæ extra numerum est humanarum malitiarū, eo quòd humanum modum transcendit.

Mollities à domino grauiter punita.

R Apoc. 16. com.2. §.7. & 2.2.l.c.corp.

S Gen.38.ibi.

in vigilande causa fit. De quo vide T. *& suprà* D.xxi. lit. t. *Ex præfatis autem omnibus distincta satis apparent deformitates in peccato luxuriæ; vnde & diuersa præmissa species emergunt. Quod aiebat initio Author*: Ibi est V determinata luxuriæ species, vbi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. *Ordo autem prædictarum in grauitate specierum hic est.* Quia *enim* in vitijs X quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id, quod est secundùm naturam determinatum circa vsum venereum: inde est, quòd in tali materia hoc peccatum est grauissimum. Post quod est incestus, qui est contra naturalem reuerentiam, quam personis coniunctis debemus. Per alias autem luxuriæ species præteritur solum id, quod est secundùm rationem rectam determinatum, ex præsuppositione tamen naturalium principiorum. Magis autem repugnat rationi, quòd aliquis venereis vtatur, non solùm contra id, quod conuenit proli generandæ, sed etiam cum iniuria alterius: & ideò fornicatio simplex, quæ committitur sine iniuria alterius personæ, est minima inter species luxuriæ. Maior autem iniuria est, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsum generationis, quàm ad solam custodiam: & ideò adulterium est grauius, quàm stuprum. Et vtrumque aggrauatur per violentiam: propter quod raptus virginis est grauius, quàm stuprum; & raptus vxoris, quàm adulterium. Et hæc omnia etiam aggrauantur secundùm rationem sacrilegij, *vt visum est. Quoad vitium verò contra naturam, qualem habeant inter se species illius maiorem, vel minorem culpæ reatum: dicendum, quòd* quia grauitas Y in peccato magis attenditur ex abusu alicuius rei, quàm ex omissione debiti vsus; ideò inter vitia, quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ (*siue mollitiei*) quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Grauissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non seruatur debita species. Vnde super illud Gen. 37. *Accusauit fratres suos crimine pessimo*, dicit glossa, quòd *cum pecoribus miscebantur*. Post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non seruetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo, quòd non seruatur debitus modus concumbendi. Magis autem, si non sit debitum vas, quàm si sit inordinatio secundùm aliqua alia, pertinentia ad modum concubitus.

DISCE, ita hic in carne degere, vt præter carnem viuas. Vide Adulterium, Cælibatus *Tomo* 1. Matrimonium, Tentatio.

T 2.2.154.5.c.3. p. 80. 7. In 4. d.9. 1. 4. q. 2. Ver. 28. 3. ad 6.

V 2.2.154.11. init. c. & a.6. & 9. c.

Ordo grauitatis culpæ in speciebus luxuriæ.

X 2.2.154.12. c. In 4. d.41. 1. 4. q. 3 fi. c. Ma. 1. 1. ad 1. & q. 2. 10. c. & q. 14. 2. ad 6.

Qualis ordo inter peccata contra naturam.

Y 2.2. loc. cit. ad 4.



M

MARIA DEIPARA.

I. Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima Authori gratiæ, ita quòd eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet: & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes deriuaret. 3. *part.* 27. 5. *ad* 1. *fin.*

a A *Nomine MARIÆ Deiparæ literam M feliciter auspicamur. Cuius præ cæteris creaturis excellentia uel ex ipso nomine præsignatur: quod sibi non sine mysterio fuisse impositum, credendum est, ad significandam uidelicet plenitudinem gratiæ, quæ in ea refulsit. Vnde & Angelus* Luc. 1. *dixit ei*: Aue gratia plena. *Quia ergò* plena est A gratia, propter hoc conuenienter vocatur MARIA, quæ interpretatur *illuminata* in se, Is. 58. *Implebit splendoribus animam tuam*, & *illuminatrix* in alios, quantùm ad totum Mundum; & ideò assimilatur Soli, & Lunæ, Cant. 6. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol*. Et quia Mater Domini, ideò Domina est; vnde conuenit ei hoc nomen *MARIA*, quod Syra lingua interpretatur *Domina*. Syra *inquam* lingua: nam hebraicè (*ex Caninio cap. 6.*) dicitur *MIRIA*: & Migdal Syriæ oppidum, syriacè est Magdal (*unde Magdalena*) quæ enim hebraicè initio habent i, ea syriacè cum a pronunciantur. *Maria inquam* Domina *interpretatur, hominum uidelicet, & Angelorum: ex quo enim in sacratissimo illius utero Deus homo factus est, super choros etiam Angelicos exaltari promeruit; unde & ab Angelo ex tunc reuerenter tanquam* Domina *salutata est*. Quòd B Angelus (*inquit Author*) faceret homini reuerentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquàm salutauit B. Virginem, reuerenter dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Conuenit *ulteriùs* ei C nomen *MARIA*, quæ interpretatur *Stella maris*: quia sicut per stellam maris nauigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. *Et quidem* Regali ex progenie (*ut canit Ecclesia*) Maria exorta refulget. *Quod uel ex eo deducitur*, quòd Ioseph, *cui desponsata erat*, esset de domo, & familia Dauid, *ut dicitur Luc.* 2. Consuetum *namque* fuit D apud Iudæos accipere vxorem de Tribu sua,

A *Op.* 8. *post med.* & *Mat.* 1. *lit.d. ibi*, Maria.

Mariæ etymon.

B *Op. eodem sub init.*

C *Op.* 8. *circa fin.*

Maria ex stirpe Regia.

D *Mat.* 1. *lit.d. ibi*, virum 3. *p.* 28. 1. *ad* 2. & 31. 3. *ad* 2. & 3. *Io.* 1. *lec.* 16. *lit. b.*

sua, Num. 36. *Nubant quibus volunt: tantùm vt sua tribus hominibus.* Vnde Ioseph Mariam, tanquam sibi propinquissimam, duxit vxorem. Et ideò, quia erant de eodem genere, per hoc, quòd ostenditur Ioseph à Dauid descendisse, ostenditur etiam, Mariam & Christum de semine Dauid fuisse. Quòd autem Ioseph & Maria fuerint de eadem tribu, patet ex hoc, quod habetur *Luc.* 2. quia cum debuisset fieri descriptio, ascendit ipse Ioseph & Maria in Ciuitatem Dauid, quæ est Bethleem. Vnde per hoc, quòd eam duxit, & reduxit secum, patet quòd de eadem erant familia. *Sed & Regiæ stirpi adiicitur Sacerdotalis: siquidem* nutu E superno contigit *ex Gregorio Nazianzeno*, quòd regium genus sacerdotali stirpi iungeretur: vt Christus, qui Rex est, & Sacerdos, ab vtrisque nasceretur secundùm carnem. Vnde & Aaron, qui fuit primus sacerdos, secundùm legem duxit ex tribu Iuda coniugem Elisabeth filiam Aminadab. Sic ergo potuit fieri, vt patet Elisabeth aliquam vxorem habuerit de stirpe Dauid, ratione cuius B. V. Maria, quæ fuit de stirpe Dauid, esset Elisabeth cognata (*quam Lucas cap.* 1. *dicit* de filiabus Aaron.) Vel potiùs è conuersò, quòd Pater B. Mariæ de stirpe Dauid existens, vxorem habuerit de stirpe Aaron. *Et quamuis* omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, *vt dicitur* Psalm. 44. *hoc est*, in interiori F iustitia; *vnde & præmittitur*: Concupiscet Rex decorem tuum: & hic decor est pulchritudo iustitiæ, *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ &c. *Nihilominus, quia Christus Dominus filius eius dicitur in eodem Psalm.* Speciosus forma præ filijs hominum, *non solùm ex forma diuina, sed & humana*: illam *enim* pulchritudinem G etiam corporalem habuit summè, quæ pertinebat ad statum, & reuerentiam, & gratiositatem in aspectu, ita quòd diuinum quoddam radiabat in vultu eius, quòd omnes eum reuerebantur, vt *Augustinus* dicit: *Sic & Mater eius corporali quoque pulchritudine decorata credenda est, corpusque illius purissimum omni prædit um perfectione putandum* (pulchritudo *autem* H consistit in proportione membrorum, & colorum) *quod Verbum carnem factum portare dignum fuit. De qua verum habet quod de Iudith cap.* 11. *dicitur*: Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. *Et quidem diuinum illud, quod radiabat in vultu filii, verisimile est, quòd & in Matre (præsertim cum in vtero ipsum de Spiritu Sancto concepit) similiter præfulgeret. Quo sensu exponi potest illud* Matth. 1. *de Ioseph, quòd* non cognoscebat eam &c. *Siquidem accipitur secundùm aliquos* pro agnitione I sensibili (& est satis probabilis horum opinio:) dicunt enim, quod Moyses ex locutione Domini habuit tantam claritatem in facie, *vt filii Israel non possent intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius*, vt dicitur 2. *Cor.* 3. Si ergo ex consortio Dei hoc habuit Moyses: multò magis B. Virgo, quæ portauit eum in vtero (*qui est Hebr.* 1. Splendor gloriæ) habuit tantam claritatem in facie, quod Ioseph *non cognoscebat eam.* Et hoc L signatur *Ezech.* 43. vbi dicitur: *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem*, idest per B. Virginem: *& terra*, idest caro ipsius, *splendebat à maiestate eius*, scilicet Christi. *Id quod ex gratia potissimùm processit, qua repleta erat.*

Et sacerdotali.

E 3. p. 31. 2. ad 2. & q. 29. 1. ad 4. Hann. 4. d. 30. 1. 4. fi. In 4. d. 30. 2. 1. q. 3. ad 4. Hebr 7. l. 3 ibi, presto.

F Pf. 44. lit. b. & 1.

Exteriori, præter interiorem, pulchritudine decorata.

G Ibid. lit. b.

H Ibidem.

I Mat. 1. fi. c. & 3. p. 28. 3 ad 3. Serm ex Ep. in Annunc.

L 3. p. 27. 3. fin. c.

b *Quòd si talem exhibebat formam exteriùs, quali interiùs pulchritudine, & sanctitate floruisse putanda est? Sanè duplex in Deipara consideratur sanctificatio. Prima in vtero: Secunda in Conceptione diuini Filii. Verùm, quoad sanctificationem in vtero*, aliquos M præter legem communem, quasi miraculosè in maternis vteris Deus sanctificasse legitur; illos præcipuè, qui immediatius ordinabantur ad eius sanctissimam conceptionem: & ideò Mater sanctificata creditur, & Ioannes Baptista, qui ei in vtero existenti testimonium perhibuit, & Ieremias, qui ipsius conceptionem vaticinio expresso prædixit: *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circumdabit virum*, Ier. 31. *Et alibi*: Quia N de Ioanne Baptista expressè in Euangelio dicitur Luc. 1. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*; & de Ieremia expressè dicitur cap. 1. *Antequam exires de vulua, sanctificaui te*: asserendum videtur, eos sanctificatos in vtero, quamuis in vtero vsum liberi arbitrij non habuerint: (*de quo vide Tom. II. Verbo* Ioannes Baptista.) Nec est credendum, aliquos alios sanctificatos esse in vtero, de quibus Scriptura mentionem non facit: quia huiusmodi priuilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem communem, ordinantur ad vtilitatem aliorum, secundùm illud 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*, quæ nulla prouenire ex sanctificatione aliquorum in vtero, nisi Ecclesiæ innotescceret. *Enimuerò* quamuis O sanctificatio Virginis in vtero expressa non legatur in scripturis veteris, & noui testamenti: tamen haberi potest ex ijs, quæ ibi leguntur. Quia si sanctificati sunt & Ioannes, & Ieremias, qui Christum prænunciauerunt, multò magis creditur sanctificata Virgo, quæ Christum genuit. *Ex quo consequenter docemur*, quòd Beata Virgo P, quæ fuit à Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quàm Ioannes Baptista, & Ieremias, qui sunt electi vt speciales præfiguratores sanctificationis Christi. Cuius signum est, quòd B. Virgini præstitum est, vt de cætero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter: alijs autem sanctificatis creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent, diuina eos gratia protegente. *Sanè quæ dicuntur Psalm.* 45. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei: sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo: *aptissimè quidem* possunt Q referri ad B. Virginem, quia ipsa est *Ciuitas*, in qua Deus habitauit. Ipsam *fluminis impetus*, scilicet Spiritus Sanctus, *lætificauit*. Ipsam *sanctificauit* in vtero matris suæ. Tunc primò *operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini impleuit illud*, vt dicitur Ex. 40. Ex quo nec mortaliter, nec venialiter vnquam peccauit, Cant. 5. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Et quia R veniale peccatum interdum ex subreptione contingit, ex hoc scilicet quòd aliquis inordinatus concupiscentiæ motus insurgit, aut alterius passionis, præueniens rationem, ratione cuius primi motus dicuntur esse peccata: consequens est, quòd B. V. Maria nunquam peccauit venialiter, eo quòd inordinatos passionum motus non sensit. Sic enim fuit in B. Virgine appetitus sensitiuus rationi subiectus per virtutem gratiæ ipsum sanctificantis, quòd nunquam contra rationem mouebatur, sed secundum ordinem rationis. Poterat tamen habere aliquos motus subitos, non ordinatos ratione. In Domino autem Iesu Christo aliquid amplius fuit. Sic enim inferior appetitus in eo rationi subijciebatur, vt ad nihil moueretur, nisi secundùm ordinem rationis, secundùm scilicet quod ratio ordinabat, vel permittebat, appetitum inferiorem moueri proprio motu. *Igitur per hanc sanctificationem in vtero, immunis fuit B. Virgo ab omni actuali peccato. Vnde Augustinus:*

Duplex Mariæ sanctificatio: in vtero, & in conceptione Christi.

M 4. d. 6. 1. 1. q. 2. c. & 3. p. l. c. a. 6. c.

Quinam in vtero sanctificati.

N 3. p. loc. cit. Ier. 1. §. 3.

O Ad Hann. 3. d. 3. 1. 1. ad 2. & in alio ibid. a. 1. q. 3. ad 3.

Amplior in vtero, quàm cæteris, sanctificationis gratia B. Virgini concessa.

P 3. p. l. c. ad 1. & art. seqq. In 3. d. 3. 1. 2. q. 1. ad 4. & d. 13. 1. 2. q. 1. c. Op. 3. c. 224. & Op. 8. Ps. 45. lit. d. fin.

Vt nec mortaliter, nec venialiter vnquam peccaret.

Q Ps. 45. lit. d. circ. fin.

R Op. 3. c. 224.

stimus: Excepta S sancta Virgine Maria, si omnes Sancti, & Sanctæ, cum hic viuerent, interrogati fuissent, vtrùm sine peccato essent; omnes vna voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Excepta inquam hac Sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo quæstionem habere. Scimus enim, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quæ illum concipere, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. *Et ratio adducitur*. Illos *enim* quos T Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, 2. Cor. 3. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti*. B. autem Virgo fuit electa diuinitus, vt esset Mater Dei: & ideò non est dubitandum, quòd Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundùm quod Angelus ad eam dixit: *Inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundùm illud Prouerb. 17. *Gloria filiorum patres eorum*; vnde & per oppositum ignominia Matris ad filium redundasset: tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Cor 6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* Tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa inhabitauit non solùm in anima, sed etiam in vtero. Dicitur autem Sap. 1. *In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Oportebat *ergo* vt V Mater Dei maxima puritate niteret: non enim est aliquid dignè receptaculum Dei, nisi sit mundum, *secundùm illud Psalm.* 92. Domum tuam Domine decet Sanctitudo. *Et hinc difficultas suboritur, num in ea fuerit fomes sublatus*. *Quocirca, placitis aliorum reiectis*, videtur X meliùs dicendum, quòd per sanctificationem in vtero non fuerit sublatus Beatæ Virgini fomes secundùm essentiam, sed remanserit ligatus, non quidem per actum rationis suæ, sicut in viris sanctis, quia non habuit vsum liberi arbitrij, adhuc in ventre Matris existens (hoc enim est speciale priuilegium Christi) sed per abundantiam gratiæ, quam in sanctificatione recepit, & etiam perfectiùs per diuinam prouidentiam, sensualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem. Postmodum verò in ipsa conceptione carnis Christi, in qua primò debuit refulgere peccati immunitas, credendum est, quòd ex prole redundauerit in matrem, totaliter fomite subtracto. Et hoc signatur *Ezech.* 43. vbi dicitur: *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem*, idest per B. Virginem: *& terra*, idest caro ipsius, *splendebat à maiestate eius*, scilicet Christi: *vt prætactum est*. *Igitur* in prima Y sanctificatione consecuta est immunitatem à peccato, non per gratiam confirmantem, sed per ligationem fomitis ad malum inclinantis, & per custodiam diuinæ prouidentiæ, sine qua etiam fomite omninò extincto peccare potuisset, sicut & Adam peccauit, nisi esset in ea gratia consummata. *Qua de causa B. Virgo &* aureolam Z propriè habet, vt in hoc membris alijs Ecclesiæ conformetur, in quibus virginitas inuenitur. Quamuis enim non habuerit pugnam per tentationem, quæ est à carne; habuit tamen pugnam per tentationem ab hoste, qui nec etiam ipsum Christum reueritus est, vt patet *Matth.* 4. *Sanè*, cum formatio A corporis Christi fieri debuerit per Spiritum Sanctum, oportuit illam fœminam, de qua Christus corpus assumpsit, maximè spiritualibus donis repleri, vt per Spiritum Sanctum non solùm anima fœcundaretur virtutibus, sed etiam venter prole diuina. Vnde oportuit, non solùm mentem eius esse immunem à peccato, sed etiam corpus eius ab omni corruptela carnalis concupiscentiæ elongari.

C *Fuit ergo Maria Virgo in prima sanctificatione in vtero* gratia plena, *sed longè plenior in secunda, vbi Christum Filium Dei concepit*. *Et benè tunc* gratia plena, *inquit Hieronymus*: quia B cæteris per partes præstatur; Mariæ verò simul se totam infudit gratiæ plenitudo. Verè *gratia plena*: per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura. Iam autem erat cum Virgine qui ad Virginem mittebat Angelum, & præcessit Nuncium suum Dominus; nec teneri potuit locis qui omnibus habetur in locis. *Porrò* plenitudo C gratiæ potest attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipsius gratiæ: alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo, ex eo quòd aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantùm ad essentiam, & quantùm ad virtutem, quia scilicet habet gratiam, & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus. Et talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte verò subiecti dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plenè gratiam secundùm suam conditionem, siuè secundùm intensionem, prout in eo est intensa gratia vsque ad terminum præfixum ei à Deo, secundùm illud Eph. 4. *Vnicuique vestrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*: siuè etiam secundùm virtutem, in quantùm scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinent ad suum officium, siue statum, sicut Apostolus dicebat Eph. 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes &c.* Et talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur alijs à Christo. *Ex quo* B. Virgo D dicta est *gratia plena*, non ex parte ipsius gratiæ: quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, vt esset scilicet Mater Vnigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur *plenus gratia*, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quòd esset idoneus Minister, & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de alijs. Harum tamen plenitudinum vna est plenior altera, secundùm quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum. *Ad altiorem autem statum præordinata est Virgo Maria, quæ ideò post Christum Dominum maiorem habuit plenitudinem gratiæ*. *Vnde & docemur, quòd* homini E Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur: & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ B. Maria, quæ ad hoc est electa, vt esset Mater Christi. Inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet immediatè ab ipso Christo accipientes, alijs traderent ea, quæ pertinent ad salutem, *Rom.* 8. Nos ipsi primitias Spiritus habentes. *Quemadmodum autem* in rebus F naturalibus, Primò quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia est perfectè ad formam disposita: Secundo autem est perfectio formæ, quæ est potior; nam & ipse calor est perfectior, qui prouenit ex forma ignis, quàm ille, qui ad formam ignis disponebat: Tertiò autem est perfectio finis; sicut ignis perfectissimè habet propriasr

S Op. 8. circa med. & 3. p. 27. 4. in sed contra.

T 3. p. 27. 4. c. & a. 5. ad 2. & a. 6. ad 1. In 3. d. 3. 1. 2. q. 1. ad 4. & quæstiuncula 2. & 3. & exp. tex. In 4. d. 6. 1. 1. q. 2. c. & Op. 8. initio.

V 1. 2. 81. 5. ad 3.

An ei fomes sublatus.

X 3. p. 27. 3. circ. fi. c. & a. 4. ad 1. & a. 5. ad 2. In 3. d. 3. q. 3. exp. tex. & 1. c. In 4. ib. vt sup. Op. 3. c. 224. fin.

Y 3. d. 3. 1. 2. q. 3. ad 1.

Habet propriè aureolã virginitatis propter pugnam ab hoste, si non à carne.

Z 4 d. 49. 5. 3. q. 1. ad 2.

A Op. 3. c. 221. Ver. 24. 9. c.

In secunda sanctificatione, quæ fuit in conceptione Christis, plenior gratia.

B Cat. aur. in Luc. c. 1.

Plenitudo gratiæ dupliciter intelligitur.

C 3. p. 7. 10. c. In 3. d. 13. 1. 2. q. 1. c.

D 3. p. l. c. ad 1. In 3. l. c. Rom. 8. l. 5. Eph. 1 l. 3.

Maxima gratiæ plenitudo in B. Virgine.

E Rom. 8. l. c.

F 3. p. 27. 5. ad 2. In 3. d. 3. 1. 2. q. 3. Op. 3. c. 224. Quol. 6. a. 7. c.

prius qualitates, cum ad locum suum peruenerit. Similiter in Beata Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem, quasi dispositiua, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd esset Mater Christi: & hæc fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiæ fuit in B. Virgine ex præsentia Filij Dei in eius vtero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. Quòd autem secunda perfectio sit potior, quàm prima; & tertia, quàm secunda, patet. Nam primò in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum. In conceptione autem Filij Dei consummata est eius gratia, confirmans eam in bono. In sui verò glorificatione consummata est eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni. *Igitur in conceptione Christi fuit sine dubio beatissima Virgo in bono per gratiam confirmata. Et quidem* confirmatio G in bono B. Virgini competebat, quia Mater erat Diuinæ Sapientiæ, in quam *nihil inquinatum incurrit*, vt dicitur Sap. 7. *Ceterùm* potest aliquis H confirmari in bono dupliciter. *Vno modo* simpliciter, ita scilicet, quòd habeat in se sufficiens suæ firmitatis principium, quòd omninò peccare non possit: & sic Beati sunt confirmati in bono. *Alio modo* dicuntur aliqui confirmati in bono, per hoc, quòd eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quòd non de facili possunt à bono deflecti: non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quin omninò peccare non possint, nisi diuina prouidentia custodiente: sicut dicitur de immortalitate Adæ, qui ponitur immortalis, non quòd omninò aliquo sibi intrinseco protegi posset ab omni exteriori mortifero, vtpote ab incisione gladij, & alijs huiusmodi; à quibus tamen diuina prouidentia conseruabatur. Et hoc modo aliqui in statu viæ possunt confirmari in bono. Totum igitur, (*post pauca*) quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam diuinæ prouidentiæ in illis, qui confirmati dicuntur, videlicet quandocumque occasio peccati se ingerit, eorum mens diuinitùs excitetur ad resistendum. *Et sic tam Virgo Beata, quàm Apostoli, fuerunt in bono confirmati: illa quidem in conceptione Filii Dei; hi verò in missione visibili Spiritus Sancti super eos: quod innuitur Luc.24.* Vos autem sedete in Ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto. Quæ *quidem* visibilis I missio in die Pentecostes, etiam B. Virgini, facta est. Sed quamuis singularem plenitudinem gratiæ consecuta sit, tamen non fuit ad ipsam facta missio visibilis specialis [*licèt inuisibiliter super eam Spiritus Sanctus superuenerit, vt dicitur* Luc. 1.] quia non ordinabatur gratia sua ad plantationem Ecclesiæ per modum doctrinæ, & administrationem Sacramentorum, sicut per Apostolos factum est. *Præ illis tamen, vt dicebatur*, singularem plenitudinem gratiæ consecuta est. *Adeò enim fuit diuina gratia repleta, vt & in alios quodammodo refunderet.* Dicitur *enim* B. Virgo L plena gratia quantùm ad tria. *Primò*, quantùm ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, & ad vitandum malum. Et quantùm ad ista duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo. Vnde Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Secundò, plena fuit gratia, quantùm ad redundantiam animæ ad carnem, vel corpus. Nam magnum est in Sanctis habere tantum de gratia, quòd sanctificet animam: sed anima B. Virginis ita fuit plena, quòd ex ea refudit gratiam in carnem, vt de ipsa conciperet Filium Dei. Et ideò dicit Hugo de S. Vict. *Quia in corde eius amor Spiritus Sancti singulariter ardebat, ideò in carne eius mirabilia faciebat, intantùm, quòd de ea nasceretur Deus, & Homo, Luc.1.* Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Tertiò quantùm ad refusionem in omnes homines. Magnum enim est in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quòd sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quòd sufficeret ad salutem omnium hominum de Mundo, hoc esset maximum. Et hoc est in Christo, & in B. Virgine: nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Vnde Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea*: idest remedia contra pericula; & ideò ipsa dicit, *Eccli. 24.* In me omnis spes vitæ, & virtutis. *Ex quibus, haud perperam dicitur Apoc. 12.* Mulier amicta sole, *idest spiritualiter* ornata M Christo, qui de se ipso ipsam ornauit, decorauit, & totam luminosam fecit, non suis radijs solùm, sed & se ipso; vnde Virginis claritas in alios redundabat. Mariæ præsentia (*inquit Bernardus*) totus illustratur Orbis, adeò vt & ipsa iam cœlestis Patria clariùs rutilet, Virgineæ lampadis illustrata fulgore. *Quod quidem aiebat initio Author:* Beata Virgo N Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima Authori gratiæ, ita quòd eum, qui est plenus gratia, in se reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes deriuaret. *Et hoc est, quod de pragnante Virgine Elisabeth inuisente, super illud Luc. 1.* Mansit autem Maria cum illa, quasi mensibus tribus, *scribit eleganter Ambrosius*: Si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu Sancto Mater infantis: quantum putamus vsu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam? *Verumtamen* plenitudo O efficientiæ, & effluentiæ soli homini Christo competit, quasi Authori gratiæ, Io. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sic enim B. Virgo redundauit gratiam in nos, vt tamen Auctrix gratiæ nequaquam esset: sed ab anima eius gratia redundauit in carnem &c.

d *Porrò in hoc ineffabili incarnationis mysterio*, vt P ostenderetur, esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, & naturam humanam; ideo per annunciationem Angeli expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ. *Vnde & humillima ad Angelum promptè Luc. 1.* Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. *Et hoc facit quod dicitur Apoc. 19.* Venerunt nuptiæ Agni; *idest* coniuncta Q est Ecclesia Christo: quarum nuptialia contracta fuerunt in prophetarum sponsione: perfectum autem matrimonium fuit per verba de præsenti in collocutione mutua Angeli & Mariæ: consummatum verò fuit in carnis, & Verbi vnione; *vtique in vtero eiusdem Virginis.* Vnde R huius coniunctionis thalamus fuit vterus virginalis. *Qualis, & quanta Mariæ dignitas, & præcellentia!* *Verumtamen* ad Christi S conceptionem interuenit consensus Virginis, non quasi operans, sed sicut impedimentum remouens: non enim inuitè, tantum beneficium præstari debebat. *Et hinc mysticè aurora nomen obtinuit, Cant. 6.* Quasi aurora consurgens. *Nam* B. Virgo T fuit confinium veteris, & nouæ legis; sicut aurora diei, & noctis: *Et in ipsa, & per ipsam irradiare cœpit in nos* Sol iustitiæ *Christus. Vnde & docemur, quòd* festo V Neomeniæ Iudæorum succedit festum B. Virginis, in qua primò apparuit illuminatio Solis, idest Christi, per copiam gratiæ. *Quin & in Canticis loc. cit. ipsa dicitur Sol*, electa vt Sol. *Vnde Psalm. 18. dicitur:* In Sole posuit tabernaculum suum; *idest Christus* corpus X suum posuit in Sole, idest in

Marginal notes:

Triplex in ea gratiæ perfectio.

In bono per gratiam confirmata.

G *Ver. 24. 9. ad 2. & in 1. sed contra & 3. p. 100. 2. fin. c.*

H *De Ver. l. c. in corp.*

Confirmatio in bono dupliciter.

Cur B. Virgini facta non sit specialis missio visibilis Spiritus Sancti.

I *1. d. 16. 1. 2. ad 4.*

L *Op. 8. In 1. l. 10. lit. a. ibi,* de plenitudine.

Maria, gratia plena quātùm ad tria.

Refudit gratiam animæ & in corpus.

Quin & in omnes homines.

M *Apoc. 12. com. 1. ibi.*

N *3. p. 27. 5. ad 1.*

O *Io. 1. l. 10. lit. a.*

P *3. p. 30. 1 fi. c. In 3. d. 3. 3. 1. q. 1. Gen. 2. ibi,* quid vocaret.

Q *Apoc. 19. com. 2. §. 2. ibi, & com. 1. libid. & Io. 2. lec. 1. lit. a.*

R *Io. 2. loc cit. & Ps. 18. lit. c.*

In mysterio incarnationis B. Virgo loco humanæ naturæ consensum præbuit.

S *Ver. 12. 10. ad 6.*

Cur dicatur Aurora.

T *4. d. 30. 2. 1. q. 1. ad 1. & 3. p. 27. 2. ad 2.*

V *1. 2. 103. 3. ad 4.*

Et Sol.

X *Ps. 18. lit. c. ibi.*

I in

in B. V., quæ nullam habuit obscuritatem peccati. *Quinimmò in altissimo incarnationis opere clarissima dies apparuit, ex opposito ad Euam. Vnde & illud Ps.* 18. *citati*: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, *exponitur. Dies*, idest Y Gabriel, *eructat verbum diei*, idest Virgini Beatæ, proponit verbum Saluatoris. Sed *nox*, idest diabolus, *indicat scientiam nocti*, idest Euæ. *Iris hinc mystica clarescere visa est in signum pacis inter Deum, & homines ineundæ. Quò facit illud Apoc.* 4. Et iris erat in circuitu sedis. *Siquidem* iris Z idem est, quod pax: fuit enim posita in signum pacis inter Deum, & homines, Gen. 9. *Arcum meum ponam &c.* Vnde Iris significat diuinam propitiationem. Generatio autem iridis est ex subintratione radij solis in nubem aquosam. Nubes fuit B. Virgo, Ps. 71. *Descendet Dominus, sicut pluuia in vellus*, quæ fuit aquosa aquis gratiarum, in quam intrauit radius æterni Solis (*Hebr.* 1. Splendor Patris) scilicet Christi, ex cuius subintratione generata est iris; idest, inde habita via ad obtinendam pacem, *Eph* 2. Ipse est pax nostra. *Et bene dicitur*, Iris in circuitu sedis: *fuit enim B. V.* sedes Sapientiæ *æternæ in incarnatione, vt canit Ecclesia. Et licèt verum sit*, quòd in ipsa A conceptione Christi Beata V. nihil actiuè operata est, sed solam materiam (*purissimum scilicet sanguinem*) ministrauit: operata tamen est ante conceptionem aliquid actiuè, præparando materiam, vt esset apta conceptui. *Et hinc deducitur, quòd* B. Virgo B est vera, & naturalis Mater Christi Saluatoris nostri. Corpus enim Christi non est de Cœlo allatum, sicut *Valentinus* hæreticus posuit, sed de Virgine Matre sumptum, & ex purissimis sanguinibus eius formatum (*de quo inferiùs*:) & hoc solum requiritur ad rationem Matris. Vnde B. virgo verè est Mater Christi. *Quòd si vera Christi Mater, consequenter & vera Mater Dei*: Omne *enim* nomen C significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ. Cum autem vnio incarnationis sit facta in hypostasi, manifestum est, quòd hoc nomen *Deus* potest supponere pro hypostasi, habente humanam naturam, & diuinam: & ideò quicquid conuenit diuinæ naturæ, vel humanæ, potest attribui illi personæ, siue secundùm quod pro ea supponit nomen significans diuinam naturam, siue secundùm quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem, & nasci, personæ attribuitur, & hypostasi, secundùm naturam illam, in qua concipitur, & nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta à diuina persona: consequens est, quod verè possit dici, Deum esse conceptum, & natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius Mater, quod eum concepit, & genuit: vnde consequens est, quòd B. Virgo verè dicatur Mater Dei. Solùm enim sic negari posset, B. Virginem esse Matrem Dei, si vel humanitas priùs fuisset subiecta conceptioni, & natiuitati, quàm homo ille fuisset Filius Dei, sicut *Photinus* posuit; vel humanitas non fuisset assumpta in vnitatem personæ, vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit *Nestorius*. Vtrumque autem horum est erroneum; vnde hæreticum est negare, B. Virginem esse Matrem Dei. *Et quidem contra Nestorium* Ignatius D Martyr pulchro exemplo vtitur ad ostendendum, quod fuit Mater Dei. Constat enim (*inquit*) quòd in generatione omnium hominum mulier dicitur mater, & tamen mulier non dat animam rationalem, quæ à Deo est, sed ministrat substantiam ad corporis formationem. Sic igitur mulier dicitur mater totius hominis, quia id, quod sumptum est de ea, vnitur animæ rationali. Similiter cum humanitas Christi sumpta sit de Beata Virgine, propter vnionem ad diuinitatem dicitur B. Virgo non solùm mater hominis, sed etiam Dei: quamuis ab ipsa non sumatur diuinitas, sicut nec in alijs anima rationalis sumitur à Matre. *Et quamuis* B. Virgo E sit verè etiam Mater Christi, non tamen dicimus eam *Christotochon*, idest Christi genitricem, quia hoc nomen inuentum est à *Nestorio* ad abolendum nomen *Theotochon*. Cum hæreticis autem ex *Hieronymo* nec nomina debemus habere communia. *Ex Apostolo enim* 1. ad Tim. 6. *monemur* deuitare prophanas vocum nouitates. *Quod exponens Author*: Profana *inquit* nouitas F est, quando inducitur aliquid contra fidem. Et dicitur nouum ad id, quod est antiquum. Hoc fecit *Nestorius*, quando dixit de B. Virgine *Christotochos*, vt inferret, quòd non esset Mater Dei: & ideò Sancti PP. in Ephesino Concilio instituerunt, quod diceretur *Theotochos*, idest Mater Dei. *Sic tamen* B. Virgo G dicitur Mater Dei, non quia sit mater diuinitatis, sed quia personæ habentis diuinitatem, & humanitatem, est mater secundùm humanitatem. *Nec valet* Nestorij *obiectio*, *quòd Mater Dei non sit, eo quòd hoc non habetur in sacra Scriptura, sed tantùm, quòd sit Mater Iesu, vel Mater pueri, vt habetur Mat.* 1. *& 2. Hæc enim obiectio* soluitur H ex hoc, quòd licet non inueniatur expressè in Scriptura dictum, quòd B. Virgo sit Mater Dei: inuenitur tamen expressè in Scriptura, quòd Iesus Christus est verus Deus, vt patet 1. *Io. vltimo*, & quòd B. V. est mater Iesu Christi, vt patet *Mat.* 1. Vnde sequitur ex necessitate, ex verbis Scripturæ, quòd sit Mater Dei. Dicitur etiam *Rom.* 9. quòd *ex Iudæis est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Non autem est ex Iudæis, nisi mediante B. Virgine. Vnde ille, *qui est super omnia Deus benedictus in secula* est verè natus ex B. Virgine, sicut ex sua Matre. *Et sic*, vt I corpus eius verum ostenderetur, nascitur ex fœmina: sed vt ostenderetur eius Deitas, processit ex Virgine: *Talis enim decet partus Deum*, vt dicit *Ambrosius* in hymno Natiuitatis. *Quod quidem & apud Gentiles* (*non absque diuino consilio*) *legimus adumbratum. Cum enim festum Virginis matris Dei* (*hoc est Diuini Verbi ex ipsa incarnatio*) *die* 25. *Martij Romana Ecclesia more solemnizetur: eodem prorsus die* (*ex Lampridio, & Macrobio*) Hilaria Matris Deum festa *apud Romanos celebrabant ur*.

Et hoc est, quod dicit Apostolus ad Gal. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere. *Quem ad locum* cauendi sunt L duo errores; scilicet *Photini*, qui dixit, Christum purum hominem esse, & ex Virgine principium essendi sumpsisse, & ideò ita dicit ipsum *factum ex muliere*, quasi totaliter initium ex ea sumpserit; sed hoc est falsum, quia est contra illud, quod dicitur Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*: non dicit, *secundùm personam*, quæ est ab æterno, ipsa scilicet hypostasis filij Dei. Vnde sicut cum scutum fit album de nouo, non oportet dicere, quòd ipsa substantia scuti de nouo fiat, sed quòd ei de nouo albedo accesserit: ita ex hoc, quòd filius Dei de nouo carnem assumpsit, non oportet dicere, quòd persona Christi de nouo sit facta, sed quòd natura humana ei de nouo aduenit: sicut corpori, cum absque sui mutatione quædam accidunt. Aliqua enim adueniunt alicui, & immutant ipsum, sicut formæ, & qualitates absolutæ: quædam verò absque mutatione adueniunt; & huiusmodi est assumptio carnis, secundùm quod dicit relationem: vnde per hoc persona Verbi in nullo mutatur. Et inde est, quòd in diuinis vtimur his, quæ relationem significant etiam ex tempore.

Quin & clara dies.

Y *Ibid. lit.b. ibi.*

Iris in signum pacis mystica.

Z *Apoc.* 4. *Com.* 1. & 2. *ibi, & cap.* 10. *com.* 1. & 2. *ibi iris Quol.* 3. *a.* 20.

A 3. *p.* 32. 4. *f. c* & 35. 4. *ad* 2. *In* 3. *d.* 3. 2 1.

An aliquid actiuè in conceptione Christi operata sit.

B 3. *p.* 35. 3. *c. In* 3. *d.* 3. 1. *a* 1. & 2. & *d* 4. 2. 1. & 4. *con. G. a cap.* 28. *Op.* 3. *c.* 222.

Vera, & naturalis mater Christi.

Error Valentini.

C 3. *p.* 35. 4. *c.* & 25. 3. *c. In* 3. *d.* 4. 2 2. & 4. *con. G. c.* 43. & 45. *fin Op.* 3. *c.* 222. *op.* 5. 5. 8.

Et vera mater Dei.

Error Photini, & Nestorij.

Ignatij martyris ad hoc clarũ exemplum.

D *Mat.* 1. *lit.d. ibi*, Mater Iesu *Op.* 3. *loc. cit.* & 3. *p.* 35. 4. *ad* 2.

E 3. *d.* 4. 2. 2. *ad* 5.

Cur B. Virgo *Theotochos* dicatur, *non Christotochos*.

F 1. *Tim.* 6. *l.* 4. *fin.*

G 3. *p.* 35. 4. *ad* 2. & 3. *In* 3. & *Op.* 3. *loc. ci. c.* 222. *In* 3. *loc. cit. in corp. Mat.* 1. *l. d.*

Soluitur Nestorij obiectio.

H 3. *p. l. c. ad* 1.

Vt ostendatur corpus verum nascitur Christus ex fœmina: vt ostendatur Deitas, ex Virgine.

I 3. *p.* 28. 2. *ad* 2.

Exponitur illud: *Factum ex muliere*.

Photini error confutatur de Christo.

L *Ad Gal.* 4. *l.* 2. *ibi.* 3. *p.* 28. 1. *ad* 3. & 4. *con G. a cap.* 28. *Io.* 1. *l.* 7. *Op.* 3. *c.* 219.

pore. Vnde dicimus: *Domine refugium factus es nobis*: & quòd Deus factus est homo. Non autem vtimur formis, & qualitatibus absolutis: vt *Deus factus est bonus, sapiens*, & huiusmodi.

Refellitur & *Hebionis* error de Mariæ Virginitate.

Item vitandus est error *Hebionis*, qui dicit, Christum ex Ioseph semine esse natum, motus adhoc ponendum, per hoc, quod dicit Apostolus, ex *muliere*: nam secundùm eum *mulier* tantùm, importat corruptionem. Sed hoc est falsum: quia hoc nomen *mulier* in Sacra Scriptura designat etiam sexum naturalem, secundùm illud Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi*, &c. Vocat enim eam mulierem, quæ tamen adhuc erat virgo.

Mulier non semper corruptionem signat, sed & naturalem sexum.

Per hoc etiam, quòd dicitur *ex muliere factus*, destruuntur duo errores: scilicet *Valentini*, dicentis Christum non sumpsisse corpus de Virgine, sed attulisse illud de Cœlo, & per B. Virginem, sicut per fistulam, seu canalem, transiuisse. Sed hoc est falsum: quia si verum esset, quod dicit, non fuisset *factus ex muliere*: vt Apostolus dicit. Hæc enim præpositio *ex* causam materialem designat.

Valentini error destruitur.

Item error *Nestorii*, dicentis (*vt vidimus*) B. Virginem non esse matrem Filij Dei, sed filij hominis; quod falsum esse ostenditur per hoc, quod dicit Apostolus: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*: qui enim fit ex muliere, est filius eius. Si ergo Filius Dei est *factus ex muliere*, scilicet ex B. Virgine, manifestum est, quòd B. Virgo est Mater Filij Dei. Licèt autem posset dici, *natus ex muliere*: signanter tamen dicit *factum*, & non *natum*: *Nasci* enim aliquid, est ipsum produci solùm ex principio coniuncto: sed fieri, est produci ex principio separato. Arca enim fit ab artifice; sed fructus nascitur ex arbore.

Cur dicat Apostolus: *Factum ex muliere*, & non *natum*.

Principium autem humanæ generationis est duplex: scilicet materiale; & quantùm ad hoc, Christus processit ex principio coniuncto, quia materiam sui corporis sumpsit ex Virgine. Vnde secundùm hoc dicitur nasci de ea Mat. 1. *De qua natus est Iesus* &c. Aliud est principium actiuum: quod quidem in Christo (quantùm ad id quod principium habuit, idest, quantùm ad formationem corporis) non fuit coniunctum, sed separatum: quia virtus Spiritus Sancti formauit illud. Et quantùm ad hoc non dicitur *natus ex muliere*, sed *factus*, quasi ex principio exteriori. Ex quo patet quòd hoc, quod dicit, *ex muliere*, non dicit corruptionem, quia dixisset *natum*, & non *factum*.

f *Principium igitur actiuum conceptionis Christi fuit Spiritus Sanctus. Et quidem* conuenienter M hoc dicitur secundùm similitudinem humani Verbi, & Spiritus. Verbum enim humanum in corde existens, similitudinem gerit æterni, secundùm quod existit in Patre. Sicut autem humanum Verbum vocem assumit, vt sensibiliter hominibus innotescat: ita & Verbum Dei carnem assumpsit, vt visibiliter hominibus appareret. Vox autem humana per hominis spiritum formatur: vnde & caro Verbi Dei per Spiritum Verbi formari debuit.

M Op. 3. loc. cit.

Quòd Spiritus Sanctus principium actiuum fit in conceptione Christi, pulchra ratio.

Et hoc est, quod ad Virginem ait Angelus Luc. 1. Spiritus Sanctus superueniet in te. *Addit autem*, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: *quia nimirùm* non potuisset N sustinere claritatem præsentiæ Filij Dei, & gloriam, nisi esset obumbrata. *Et alibi*. Virtus Altissimi obumbrabit tibi, *idest* vmbram O faciet tibi. Vmbra enim fit de corpore, & lumine: lumen est Verbum Dei, corpus caro Christi. Accessit lumen corpori, idest Verbum carni: Verbum enim caro factum est. *Vnde & alio in loco*: Obumbrabit tibi, *idest* vmbram P capiet in te, vel de te (Virtus *enim* Altissimi Q per susceptionem nostræ infirmitatis obumbrata est.)

N Op. 58. cap. 8.
O Op. eodem cap. 21.

Exponitur illud: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

P Apoc. 8. com. 2. ibi, in manu sua.
Q In 3. d. 3. exp. tex.

Vel vmbram faciet, idest refrigetium. Dicitur R enim, *obumbrabit tibi*, ad signandum extinctionem omnimodam fomitis, quia per aduentum Filij in ipsam omnes reliquiæ fomitis ab ea extirpatæ sunt; & hæc extirpatio, *obumbratio* dicitur, sicut & fomes incendium: vmbra autem contra æstum refrigetium præstat.

R Ibidem.

Et ecce Virginalis Dei Maternitatis, singularis dignitas in Maria. Nulli enim S creaturæ hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, vt esset Pater, aut Mater Dei; sed hoc fuit priuilegium gratiæ singularis, vt non solùm hominis, sed Dei Mater fieret; & ideò Apoc. 12. dicitur *mulier amicta Sole*, quasi tota repleta diuinitate.

S Mat. 1. lit. d. ibi, Mater Iesu.

Dignitas maternitatis Dei in Virgine singularis.

Quò respexit Angelus, cum post mortem Herodis ait ad Ioseph Mat. 2. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. *Vbi notat ex Hilario Author, quòd* B. Virgo T ante natiuitatem ab Angelo nominatur Coniux: sed post natiuitatem, non. Et hoc propter duo. *Primò* ad commendationem Virginis; sicut enim Virgo concepit, ita Virgo peperit. *Secundò* propter dignitatem eius: erat enim Mater Dei, qua dignitate nulla maior; & denominatio fit à digniori.

B. Virgo plena diuinitate.

T Mat. 2. lit. d. ibi.

Vnde & docemur, quòd humanitas Christi V ex hoc, quòd est vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quòd est fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc, quòd est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte, non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.

V 1. p. 25. 6. ad 4. In 1. d. 44. 1. 3. c.

B. Virgine, vt est mater Dei, nihil potest melius fieri.

Ex quo in figura Esther de ea mysticè iure meritò dictum est Esth. 2. Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam coram eo (Luc. 1. *Inuenisti gratiam apud Deum*) super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare. *Vnde & Ecclesia ad Deiparam concinit illud*: Quæ Dominum omnium portare meruisti. *Quod quidem sanè intelligendum est*: quia *enim* incarnatio X Christi est reformatiua totius humanæ naturæ, ideò non cadit sub merito alicuius hominis singularis, quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ. Ex congruo tamen meruerunt Sancti PP. incarnationem, desiderando, & petendo: congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.

X 3. p. 2. 11. f. c. & 1. 2. 98. 4. c. In 3. d. 4. 3. 1. c.

An SS. Patres Verbi Dei Incarnationem meruerint.

Verumtamen Beata Virgo Y dicitur meruisse portare Dominum omnium; non quia meruerit, ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei. *Ad mensuram autem gratiæ sibi profusæ, quantum præ cæteris creaturis Virgo apud Deum meruerit, promat qui potest*.

Quo sensu dicatur B. Virgo Dominum portare meruisse.

Y 3. p. l. c. ad 3. In 3. l. c. ad 6.

Et hæc est mystica terra illa, de qua præcinuit Isaias c. 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Vbi Author*: Principium *inquit* conceptiuum Z est Beata Virgo, de qua in Ps. 84. *Terra nostra dabit fructum suum*. Cuius *aperiatur* affectus ad inueniendum gratiæ priuilegium, Luc. 1. *Inuenisti gratiam &c.* & Prou. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*. Intellectus ad credendum Angeli verbum, Luc. 1. *Beata, quæ credidisti &c.* Vterus ad concipiendum Dei Filium, Ibid. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*: Filium *videlicet* Altissimi, *cuius vera Mater effecta est*.

Exponitur illud: *Aperiatur terra &c.*

Z Is. 45. fin.

g *Ex quibus coherenter dicendum, quòd Mariæ Deiparæ sanctitas maxima fuerit sub Deo. Et huc facit, quod habetur Mat.* 1. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. *Non enim ex Hieronymo hoc facere volebat Ioseph, cum esset iustus, quasi de Virgine aliquid culpa*

Mariæ Sanctitas, maxima sub Deo.

I 2 *suf-*

A *Mat. 1. lit. d. ibi.*

suspicaretur. Sed A quia nouerat pudicitiam Mariæ, & legerat in Scriptura, quòd *Virgo concipiet*, If. 7. Nouerat etiam, Mariam de Dauid generatione descendisse; ideò faciliùs credebat, hoc in ea impletum esse, quam ipsam fornicatam fuisse. Vnde indignum reputans se tantæ cohabitare sanctitati, *voluit occultè dimittere eam*. Sicut Petrus dixit Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Ea enim *secundùm Anselmum* puritate nituit, qua maior sub Deo nequit intelligi. *Et ratio adducitur, quia* augmentum B puritatis est secundùm recessum à contrario: & quia in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideò peruenit ad summum puritatis, sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quæ est in qualibet creatura, quantùm in se est. Charitatis autem augmentum est per accessum ad diuinam bonitatem; & ideò non habuit B. Virgo summam charitatem, qua maior non possit intelligi, quia etiam proficit in charitate, & gratia. *Neque ex eo, quòd tanta puritatis fuerit, sentire cum Manichæis debemus, qui ponunt* Beatam Virginem C non mulierem, sed Angelum fuisse: nec enim vera Mater esset. *Sed verè Mulierem fatemur, maiori tamen, quàm quæscumque homines, & Angelos, gratia donatam. Et ideò dicebat Apostolus ad Galatas* 5. Misit Deus Filium suum factum ex muliere; *& Angelus Luc.* 1. Benedicta tu in mulieribus. *Benedicta inquam ex opposito ad præuaricatricem Euam*. Tres enim D maledictiones datæ sunt hominibus propter peccatum. *Prima* data est mulieri, quòd scilicet cum corruptione conciperet, cum grauamine portaret, & in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit Beata Virgo, quia sine corruptione concepit, in solatio portauit, & in gaudio peperit Saluatorem, *If.* 35. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. (*Quòd si corrupta, post dolores partus acerbos gaudet adhuc*, quia natus est homo in Mundum, *vt dicitur Io.* 16. *multò magis* in illo E partu, in quo nullus fuit dolor, sicut nec aliqua corruptio, fuit maxima iucunditas ex hoc, quòd homo Deus est natus in Mundum.) *Secunda* data est homini, quod scilicet in sudore vultus vesceretur pane suo. Et ab hac immunis fuit B. Virgo; quia vt dicit Apostolus 1. *ad Cor.* 7. Virgines solutæ sunt à cura huius Mundi, & soli Deo vacant. *Tertia* fuit communis viris, & mulieribus, vt scilicet in puluerem reuerterentur. Et ab hac immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est in Cœlum. Credimus enim, quòd post mortem resuscitata fuerit, & portata in Cœlum, Pf. 131. *Surge Domine in requiem tuam Tu, & Arca sanctificationis tuæ* (*scilicet B. Virgo, quæ & ab Ecclesia* Fœderis arca *dicitur, per quam diuina in nos benedictio descendit: nam & 2. Reg.* 6. *legimus, quòd* habitauit Arca Domini in domo Obededom; nunciatumque est Regi Dauid, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter Arcam Dei.) Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, & ideò *benedicta in mulieribus*, quia ipsa sola maledictionem sustulit, & benedictionem portauit, & ianuam Paradisi aperuit; *vnde & decantatur* Felix Cœli porta.

B *1. d. 17. 2. 4. ad 3. & d. 44. 1. 3. ad 3. In 3. d. 3. 1. 1. 9. 2. ad 3. & 1. 2. 81. 5. ad 3. & 3. p. 27. 2. ad 2. Op. 8.*

Error *Manichæorum*, B. virginem non fuisse mulierem, sed Angelum.

C *3. d. 4. 2. 1. c.*

D *Op. 8. post med.*

B. Virgo immunis à tribus maledictionibus, homini propter peccatum datis à Deo.

E *3. p. 35. 6. c. & ad 1. & 30. 2. ad 2. 164 2. ad 3.*

Cum corpore in Cœlum assumpta.

Fœderis Arca.

Maledictionem sustulit, & attulit benedictionem.

Maria benedicta à Deo Patre, à Deo Filio, à Deo Spiritu Sancto, ab Angelis, à iustis, peccatoribus &c.

F *Serm. 2. in Annunciatione.*

h *Et hinc est, quòd in Angelica salutatione illud idem ad eam Ecclesia frequentat*: Benedicta tu in mulieribus. *Benedicta* scilicet à Deo F Patre, quia in eodem Filio secum communicas: à Filio, quia dignum habitaculum ei præstas: à Spiritu Sancto, cuius operatione Saluatorem Mundi generas. De his tribus Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, quoad Spiritum Sanctum: *Virtus Altissimi &c.* quoad Patrem: *Quod nascetur ex te Sanctum &c.* quoad Filium. *Ab Angelis*: quia eorum vitam in terra inchoas, eorum ruinas reparas, eorum te allocutionibus humilias. *A peccatoribus*: quia eos de angustia liberas, in periculis adiuuas, & de peccatis veniam impetras. *A iustis*: quia exaudis in precibus, liberas in tentationibus, augmentas gratiam in virtutibus. *A mulieribus*: quia eas ab inimicis liberas (*à diabolo præsertim, Gen.* 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem:) quoad virum excusas, quoad Deum honoras. Si enim dicit vir: *Propter te damnor*; mulier potest respondere: *Per me saluaris*. Item honorauit quoad Deum, quia idem est Filius Dei, & Filius mulieris. *Ab omnibus creaturis*: quia eas à coinquinatione liberas, earum Creatorem lactas, eas in statum pristinum renouas. Filius enim, quem genuit, creaturas omnes creauit, eas emundauit, ipsas renouauit. De primo Io. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. De secundo Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. De tertio Pf. 103. *Emittes Spiritum tuum*, quo scilicet Virgo concepit: *& renouabis faciem terræ*. Benedicat te, Virgo beata, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Benedicant te Angeli, iusti, peccatores &c. *In cuius figura dicitur de Iudith c.* 13. Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. *Et infrà*: Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob: quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel. *Vnde & ipsa Deipara cecinit Luc.* 1. Magnificat anima mea Dominum. *Præfato autem Encomio consentit Ecclesia, dum ipsi concinit*: Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus. *De quo vitæ fructu ad Mariam Elisabeth Luc.* 1. Et benedictus fructus ventris tui. *Quod exponens Author*: Peccator *inquit* aliquando G quærit in aliquo, quod non potest consequi: sed consequitur illud iustus. Sic Eua quæsiuit fructum, & in illo non inuenit omnia, quæ desiderauit. Beata autem Virgo in fructu suo inuenit omnia, quæ desiderauit Eua. Nam Eua in fructu suo tria desiderauit. Primò id, quod falsò ei promisit diabolus, scilicet, quòd *essent sicut Dii scientes bonum, & malum*, vt dicitur *Gen.* 3. Et mentitus est; quia *mendax est, & pater eius*, Ioan. 8. Eua enim propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis, quia peccando *recessit à Deo salutari suo*: vnde & expulsa est de Paradiso. Sed hoc inuenit B. Virgo, & omnes Christiani, in fructu ventris sui, quia per Christum coniungimur, & assimilamur Deo, 1. Io. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus*. Secundò in fructu suo Eua desiderauit delectationem, quia bonus ad edendum: sed non inuenit, quia statim cognouit se nudam, & habuit dolorem. Sed in fructu Virginis suauitatem inuenimus, & salutem, Io. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*. Tertiò fructus Euæ erat pulcher aspectu: sed pulchrior fructus Virginis, *in quem desiderant Angeli prospicere*, Pf. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*: & hoc, quia est *splendor paternæ gloriæ*. Non ergo potuit inuenire Eua in fructu suo, quod nec quilibet peccator in peccatis. Et ideò, quæ desideramus, quæramus in fructu Virginis. Sic ergo & Virgo benedicta: sed & magis benedictus fructus ventris eius. *Quid ni igitur cum Ecclesia* (*cuius* Luc. 10. *mulier illa Euangelica typum gerit*) *& nos Saluatori dicamus*: Beatus venter qui te portauit: & vbera, quæ

Exponitur illud: *Benedictus fructus ventris tui.*

G *Op. 8. fin. & Op. 58. cap. 1. fin.*

Quæ in fructu vetito in cassum desiderauit Eua, Maria in fructu sui ventris, consecuta est.

m Serm. 2. ex Euang. Dom. 3. Quadragesima.

Beatæ Virginis venter multipliciter beatus.

quæ suxisti? *Siquidem* Venter H Beatæ Virginis dicitur beatus. *Primò*, quia portauit eum, qui in seipso summè beatus est, 1. Tim. 6. *Beatus & solus potens &c. Secundò*, propter summam beatitudinem, & Trinitatem, quam habuit: fuit enim Sponsa Patris, & Mater Filij, & habitaculum Spiritus Sancti, iuxta illud: *Salue Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium. Tertiò*, quia concepit sine corruptione Filium, quia portauit eum sine labore, quia peperit sine dolore, Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*; & ideò concipies sine corruptione: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; & ideò portabis sine labore. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*; & ideò paries sine dolore, & corruptione. *Quartò* quia portauit pretium redemptionis. *Quintò*, quia debet frequenter ab omnibus benedici, idest beata prædicari, Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes*; sed & *Vbera* B. Virginis dicuntur *beata*, quia lactabant eum, qui est cibus, & potus Angelorum, & Sanctorum; *vnde illud*: Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno. DISCE, *de plenitudine gratiæ Christi per Virginem gratia plenam participare*.

II. Alij Sancti dantur in exemplum virtutum specialium: sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum. *Op. 8. circa med.*

1 Hactenusque de plenitudine gratiæ, qua Deipara donata est: in præsenti de virtutibus eius superest, prout ipse dederit, edisseramus. *Cum autem* gratia plena extiterit, *virtutum quoque cumulum in ea fuisse, manifestum est: ad mensuram enim gratiæ impertiuntur & dona, de quibus dicitur* Ps. 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Vbi Author*. Vestitus I est habitus virtuosus, Ps. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitiam*. Per aurum autem significatur Charitas: est enim Charitas fulgida, & rubea; & ideò dicitur *deauratus*, quia informatus charitate, 1. Cor. vlt. *Omnia opera vestra in charitate fiant*. Vnde sequitur, *circumdata varietate*, idest diuersis virtutum operibus. *Quia enim charitas omnium est virtutum mater, & forma, vbi charitas ponitur, consequenter & cæteræ infunt virtutes. Et licèt B. Virgo summam non habuerit, vt vidimus, charitatem, quæ maior haberi non possit: ea tamen, ac tanta exarsit, quantam in illa gratiæ plenitudo exigebat. Qua de causa vocat eam Ecclesia* plenam charitate, & dilectione, *& addit* in cubilibus, & in hortis aromatum, *per quæ cæterarum signatur odor virtutum. Nec mirum, quia* innixa super dilectum suum, *cuius intensè, ac incessanter* languebat amore, *Cant.* 2. Ordinauit in me charitatem. *Fidem etiam Deiparæ non parùm commendant verba Elisabeth Luc.* 1. Beata quæ credidisti &c. *Nempè* sciuit L se concepisse puerum, sed credidit se concepisse Deum. *Et sic Maria, quia credidit, Verbum diuinum in se recepit, Io.* 1. Verbum caro factum est; *in vtero vtique Virginis. Quia non credidit Zacharias, humanum verbum amisit, Luc.* 1. Eris tacens, & non poteris loqui, pro eo quòd non credidisti verbis meis. *Sanè præ cunctis viguit in Deipara fides, quæ & in ipsis Apostolis extincta est tempore Dominicæ passionis. Decernur enim*, quòd dubitatio M quæ sonat infirmitatem fidei, in B. Virgine non fuit in tempore passionis: sed in ea remansit fides firmissima, etiam Apostolis dubitantibus: sed fuit in ea quædam dubitatio admirationis (*de qua intelligitur Augustinus*) dum considerabat, eum, quem tam dignè genuerat, sic ignominiosè tractari. *Idcircò in persona patientis Saluatoris dicitur Is.* 63. Torcular calcaui solus: & de gentibus non est vir mecum. *Torcular*, scilicet N Crucem, in qua pondere passionis pressus, hostes *calcaui solus* patiens, & vincens: *& de gentibus non est vir mecum*, scilicet in auxilium, quia *relicto eo omnes fugerunt*. Et dicit signanter *Vir* propter B. Virginem, in qua fides nunquam defecit. *In cuius signum, terminatis matutinis in triduo passionis*, Candela O quæ in medio est, non extinguitur, sed accensa seruatur occultè, vt postea reueletur: significat enim fidem, quæ in sola Virgine remansit. *Ad mensuram autem charitatis, & fidei, spei quoque excellenter in ea eluxisse virtutem, non dubitamus*: Plus *enim* habuit P de fide, spe, & charitate, quàm aliqua creatura.

Virtutum omnium cumulus in Virgine, cum ad mensuram gratiæ dentur & dona.

I Ps. 44. lit. g. & i.

Charitas.

Fides.

L Ad Hann. 3. d. 24. exp. tex.

M 3. d. 3. 1. 2 q 2. ad 1. & 3. p 27. 4 ad 2.

N Is. 63. ibi.

O Durand. l. 6. c. 71. n. 25.

Spes.

P Serm. ex Ep. infr. Purific.

1 *Post Theologicas verò virtutes adeò egregiè in Deipara virtus Virginitatis enituit, vt nec perperam ab Ecclesia* Virgo Virginum *antonomasticè dicta sit, ex Ps.* 44. Adducentur Regi Virgines post eam, *idest*, post Beatam Virginem, *tanquam earum principem, atque Ducem. Hinc & ineffabile incarnationis mysterium, sibi per Angelum* (*præter rationes cæteras*) *conuenientissimè nunciatum est*: quia Q hoc congruebat virginitati Matris Dei. Vnde *Hieronymus*: Benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. *Quam quidem & ipsi Angelo protestata est vbi ait Luc.* 1. Quoniam virum non cognosco. *Sanè* Maria Virgo R propter castitatem thronus eburneus Salomonis dicitur, *de quo legitur* 3. *Reg.* 10. Non est factum tale opus in vniuersis regnis: *quia nimirum nullius castitas, aut virginitas, Deiparæ valet virginitati comparari, ita vt fieri meruerit diuini thronus eburneus Salomonis, de quo Mat.* 12. Et ecce plusquam Salomon hic. *Ea propter de ipsa præcinuit Isaias c.* 7. Ecce Virgo concipiet &c. *Ex Hieronymo* pro Virgine S habetur in hebræo, *alma*, quæ græcè dicitur *apocrypha*, latinè *Virgo abscondita*: videlicet, quæ nunquam aspectibus viri apparuit, sed magna parentum diligentia custodita sit. (*Quòd ergo infert Hieronymus*, in hebræo T legitur: *Ecce alma concipiet, & pariet filium*, maio is est laudis, quàm si diceretur, *Ecce Virgo*: quia Virgo iuxta Apostolum potest esse corpore, & non spiritu: sed *abscondita*, quæ Virgo est, per antonomasiam Virginitatis habet, vt & virgo sit, & abscondita; & quæ abscondita est, iuxta idioma hebrææ linguæ consequenter & Virgo est.) Mariam, *inquit Hieronymus*, Angelus in penetralibus inuenit. Maria (*repetit Bernardus*) verebatur etiam Angeli salutationem. *Et Ambrosius* dicit de ipsa, quòd mansit apud Elisabeth tribus mensibus: non quia domus aliena eam delectaret, sed quia in publico frequenter videri displiceret. *Discite virgines verecundiam vt virginitatem custodiatis. Talis porrò candoris, & puritatis fuit Virgo beata, quòd* gratia V sanctificationis non solum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit: ita vt, quamuis esset pulchra corpore, à nullo vnquam concupisci potuerit. *Tantique fecit Dominus Virginitatem hanc, quòd* maluit X permittere, Iudæos dubitare de Deitate sua, quàm de castitate Matris, sciens lubricam esse *ex Ambrosio* Virginitatis famam. *Quod si in quibuslibet*

Singularis eius Virginitas.

Q 3. p. 30. 2. sc. c. in 3. d. 3. 3. 2. q. 1. c.

R Op. de cr. Pr. l. 5. c. 50.

S Ibid. cap. 47. Gen. 24 ibi puella. Is. 7. ibi Virgo.

Pudor & verecundia, custodia virginitatis.

T Gen. loc. cit.

V 3. d 3. 1. 2. q. 1. ad 4 Op. 3. c. 225 & op. 8.

Licèt B. Virgo pulcherrima, à nullo tamen potuit concupisci.

X 4 d 3. 2. 1. q. 3 ad 5. & 3. p 29. 1 ad 2. Mat. 1. lit. d. ibi, desponsata.

Quanti fecerit Dominus virginitatem Matris.

bet delectatur Christus Virginibus; de ipso enim dicitur Cant. 2. Qui pascitur inter lilia, *hoc est*, suauissimè Y delectatur inter Choros virgineos. *Et Ps. 44. ad eundem mysticè dicitur*: Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis (*Christi enim bonus odor sumus*, 2. *Cor.* 2.) à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. *A domibus inquam eburneis*. Domus Z signat fideles, 1. *Pet.* 2. Superædificamini domus spiritualis &c. *Eburneæ*, quòd frigidæ, signant castitatem, candidæ scilicet propter puritatem, rubicundæ propter charitatem; *ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo*; idest ad tuum honorem. *Si ita inquam delectatur Christus in Virginibus: quantùm delectari putandus in vtero singulariter Virginali Genitricis suæ? Quæ sibi nimirùm* eburnea verè Domus *extitit*; *immò ex Cant.* 7. Turris eburnea: & venter eius sicut aceruus tritici *propter fecunditatem*: at vallatus liliis, *ad excellentiam prærunctis in ea designandam Virginitatis*.

Y Cant. 2. Com. 1. ibi.
Z Ps. 44. lit. F.

m *Ex his asseramus necessum est, Beatissimam Dei Matrem, nedum singulari Virginitate eniuisse* (*vnde &* Virgo singularis *ab Ecclesia canitur*) *sed reuera fuisse Virginitatis exemplar. Talem idcircò, & ante partum, & in partu, & post partum credimus, ac veneramur. Quod innuitur, immò expressè premitur Is.* 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. *Nempè* ante A partum, *Ecce Virgo* manens Virgo *concipiet*: in partu, *& pariet Filium*, Virgo *pariter manens*. Fuit enim B in conceptione Christi duplex miraculum. Vnum, quòd fœmina concepit Deum; aliud, quòd Virgo peperit Filium. *Et hæc est illa mystica petra, de qua Is.* 16. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti &c. *Nam* B. Virgo C dicitur petra: Primò propter gratiæ firmitatem, Eccli. 26. *Fundamenta æterna supra petram solidam*. Secundò propter continentiæ frigiditatem, Is. 32. *Sicut vmbra petræ prominentis in terra deserta*. Tertiò propter fructus vbertatem, Iob. 29. *Petra fundebat riuos olei*. Et nota, quòd illa *petra* fuit singularis *deserti*: quia præcipua quantùm ad primum: quia prima quantùm ad secundum: quia Virgo quantùm ad tertium. *Sanè* Corpus Christi D quod ad discipulos ianuis clausis intrauit, potuit eadem potestate de vtero clauso Matris exire. Non enim decebat, vt integritatem nascendo tolleret qui ad hoc nascebatur, vt corrupta in integrum reformaret (*Et quidem* Mulier E salua Virginitate non potest esse Mater, ita quòd concipiat, & pariat, nisi miraculosè: quia proles egredi non potest cum hoc, quòd permaneant claustra pudoris inuiolata, nisi per miraculum, sicut accidit in Matre Dei. Potest tamen fortè absque miraculo mulier, salua omnimoda virginitate, concipere; sicut dicitur accidisse de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat: qui dum somno pollueretur, semen ad matricem descendit, & puella concepit. Vir autem absque omni seminis resolutione non potest esse pater neque naturaliter, neque miraculosè: quia si de corpore eius proles aliter miraculosè formaretur, non posset dici pater: *Sicut nec Adam dicitur pater Euæ.*) *Cohæret præfatio & illud* Io. 19. *quòd Corpus mortui in Cruce Saluatoris conditum est* in monumento nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat. Potest *namque* nouum F Sepulchrum, Mariæ Virginalem vterum demonstrare. *Quia nimirùm*, qui est G de Virgine intacta natus, congruè fuit in sepulchro nouo sepultus, vt sicut in vtero Mariæ nemo ante eum, nemo post eum fuit: ita & in hoc monumento. *Conuenientissimè autem ante, in & post partum, virgo fuisse credenda est: contrarium enim est hæresis* Hebionis *&* Cherinthi. *Ante partum quidem in concipiendo propter quatuor. Primò* propter H mittentis Patris dignitatem conseruandam: cum enim Christus sit verus, & naturalis Dei Filius, non fuit conueniens, quòd alium Patrem haberet, quàm Deum: ne dignitas Dei Patris ad alium transferatur. *Secundò* hoc fuit conueniens proprietati ipsius, qui mittitur; qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur: quinimmò cordis corruptio perfecti Verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit à Verbo Dei assumpta, vt esset caro Verbi Dei, conueniens fuit, vt etiam ipsa sine corruptione Matris conciperetur. *Tertiò* hoc fuit conueniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum Mundi tollebatur, secundùm illud Io. 1. *Ecce Agnus Dei*, scilicet innocens, *qui tollit peccatum Mundi*. Non poterat autem esse, quòd in natura iam corrupta ex concubitu, caro nasceretur sine imperfectione originalis peccati. *Quartò* propter ipsum finem incarnationis, quæ ad hoc fuit, vt homines renascerentur in Filios Dei, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, idest Dei virtute, *nati sunt*: cuius rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. *Vnde Augustinus*: Oportebat Caput nostrum insigni miraculo secundùm corpus nasci de Virgine, vt significaret, membra sua de Virgine Ecclesia secundum Spiritum nascitura. *In partu etiam debuit esse Virgo propter tria. Primò* quidem I quia hoc competebat proprietati eius, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum non solùm in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Vnde, vt ostenderetur, quòd illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conueniens fuit, vt de incorrupto Virginis vtero nasceretur. *Secundò* hoc est conueniens, quantùm ad effectum incarnationis Christi: nam ad hoc venit, vt nostram corruptionem tolleret. Vnde non fuit conueniens, vt Virginitatem Matris nascendo corrumperet. *Tertiò* fuit conueniens, ne Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos. *Et hoc est, quod mysticè de Christo dicitur Apoc.* 6. Exiuit vincens, vt vinceret, *scilicet* naturam L quia non de vtero aperto, sed de clauso exiuit, sicut in vterum clausum, & non apertum intrauit, Is. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium*. Et cap. 62. *Propter Sion non tacebo &c. donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur*. Sion interpretatur speculum, & significat Beatissimam Virginem Mariam, quæ est speculum totius Ecclesiæ: & sicut speculum imaginem hominis etiam maioris se recipit totam sine fractione, vel læsione suæ integritatis: Sic B. Virgo Filium Dei (*qui est imago Patris*) in vtero suo verum hominem multò maiorem se recepit sine læsione suæ Virginitatis, & integritatis; vnde elegantissimè dicit: *Donec egrediatur vt splendor iustus eius*; splendor enim egreditur à Sole sine Solis læsione: sic Christus de Virgine. Vnde cantat Ecclesia: Sicut sidus radium profert Virgo Filium pari forma: Neque sidus radio, neque Mater Filio fit corrupta. *Post partum denique contra impietatè* Eluidij, *Virginem permanere decebat propter quatuor*. Hoc enim M primò derogat Christi perfectioni, qui sicut secundùm diuinam naturam Vnigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius: ita decuit, vt esset Vnigenitus

Virgo ante partum in partu, & post partum.

Duplex in Christi conceptione miraculum.
A Is. 7. ibi, & 3. p. 28. in. c. In 4. d. 30. 2. 3. & 4. con. G. C. 45. Op. 3. c. 225
B 3. d 3. 2. 1. ad 1.
C Is. 16. ibi.
D Op. 3. c. 225. fi. & 3. p. 28. 2. fin. c.
E Quol. 6. a. 18. c. In 4. d. 33. 3. 1. c.
An Virgo sine miraculo concipere possit.
Virgineus Mariæ vterus signatur in nouo Christi sepulchro.
F 3. p. 51. 2 ad 4.
G Io. 19. l. 6. lit. d.

Conuenienter Virgo ante partum propter quatuor.
H 3. p. 28. 1. c.
Verbum absque cordis corruptione concipitur.
Conuenienter Virgo & in partu propter tria.
I Ibid. a. 2. c.
L Apoc. 6. com. 2. §. 1. ibi & c. 12. §. 1. ibi corona.
Sed & post partum propter quatuor.
M 3. p. 28. 3. c.

tus Matris, tanquam perfectissimum germen eius: (*& quamuis dicatur Luc. 2.* Peperit Filium suum primogenitum, *nihil obstat Matris post partum Virginitati*. Mos enim N diuinarum Scripturarum est, vt primogenitum vocent non solùm eum, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus est: alioquin, si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres, tandiù secundùm legem primogenita non debentur, quandiù & alia fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum infra vnum mensem primogenita redimi mandentur secundùm legem.) *Secundò* hic error iniuriam facit Spiritui Sancto, cuius sacrarium fuit vterus virginalis, in quo carnem Christi formauit: vnde non decebat, quòd de cætero violaretur per commistionem virilem. *Tertiò* derogat dignitati & sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset; & si virginitatem, quæ in ea miraculosè conseruata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. *Quartò* etiam ipsi Ioseph esset ad maximam præsumptionem imputandum, si eam, quam reuelante Angelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognouerat, polluere attentaret. *Et hoc est, quod prophetice innuitur Ezech. 44.* Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. *Quod exponens Augustinus*: Quid O est *inquit porta in domo Domini clausa*, nisi quòd Maria semper erit intacta? Et quid est, *homo non transibit per eam*, nisi quòd Ioseph non cognoscet eam? Et quid est, *Dominus solus intrat, & egreditur per eam*? nisi quòd Spiritus-Sanctus impregnauit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est, *clausa erit in æternum*, nisi quòd Maria, Virgo esset ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum? *Verumtamen* sciendum P est, quòd omnes conceptus miraculosi, qui fuerunt in veteri testamento, fuerunt quasi figura illius maximi miraculi, quod fuit in Christi incarnatione. Oportuit enim natiuitatem eius ex Virgine per aliqua præfigurari, ad præparandos animos ad credendum: non tamen potuit præfigurari ex æquo, quia necessario figura deficit à figurato; & ideò Scriptura partum virginis ostendit per partum sterilium, scilicet Saræ, Annæ, & Elisabeth. Sed differentia est: quia Sara (*sicut & cætera*) à Deo miraculosè accepit virtutem concipiendi, sed tamen ex humano semine: & ideò dicitur Hebr. 11. *Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit*: Beata verò Virgo sine semine. Vnde in Sara virtus diuina præparauit materiam ad concipiendum tantùm ex semine: sed in Beata Virgine etiam præparauit illam purissimam materiam ex sanguine; & cum hoc fuit ibi virtus Spiritus-Sancti loco seminis. *Non enim ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum caro*, vt Sancta canit Ecclesia.

n *Quoniam verò congruum erat (vt fusè Tom. 1. ostensum est) de desponsata Christum nasci*: quia Q per hoc (*præter cæteras rationes, quas vide R*) significatur vniuersa Ecclesia: quæ cum virgo sit, desponsata tamen est *vni viro* Christo; & quia in persona Matris Domini & Virginitas, & Matrimonium honoratur, contra hæreticos alteri eorum derrahentes: *Ideò B. Virgo votum virginitatis conditionaliter creditur emisisse*. *Sanè perfectionis* S opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrentur. Virginitas autem in Matre Dei *ex præmissis* præcipuè debuit pollere: & ideò conueniens fuit, vt virginitas eius ex voto esset Deo consecrata. Verùm, quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres, quàm viros, quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur: Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolutè virginitatem vouisse; sed licèt eam in desiderio habuerit: super hoc tamen voluntatem suam diuino commisit arbitrio. Postmodum verò, accepto Sponso, secundùm quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. *Igitur* non simpliciter T virginitatem vouit, sed sub conditione, si Deo placeret. Postquam autem ei innotuit, hoc esse Deo acceptum, absolutè vouit, antequam ab Angelo annunciaretur. Et *quidem* ex familiari V instinctu Spiritus-Sancti credenda est desponsari voluisse, confidens de diuino auxilio, quòd nunquam ad carnalem copulam perueniret: hoc tamen diuino commisit arbitrio. *Et ita* sibi X tribus propositis, scilicet esse Matrem, & non Virginem, vel esse Virginem, & non Matrem, vel esse Virginem, & Matrem: vltimam, & optimam, scilicet esse Matrem, & Virginem simul, elegit. *Cæterùm difficultatem ingerit quod* ex Hieronymo super Matthæum *prompsit Martyr* Ignatius. *Causam enim (præter cæteras) assignans, cur Christus de desponsata conceptus sit*: Vt Y partus *inquit* eius celaretur diabolo, dum eum putat, non de Virgine, sed de vxore generatum. *Videtur enim, quòd diabolus naturali sua cognitione nosse poterat, quamuis nuptam, virginem fuisse*. *At respondet Augustinus, quòd* Diabolus Z multa potest virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute diuina. Et hoc modo potest dici, quod virtute naturæ suæ diabolus cognoscere poterat Matrem Dei non fuisse corruptam, sed Virginem; prohibebatur tamen à Deo cognoscere modum partus diuini. *Et alibi*: Potuisset A diabolus naturali cognitione virginitatem Matris Dei perpendere, matrimonio non obstante, nisi diuina virtute prohibitus esset à diligenti examinatione eorum, quæ circa Virginem erant.

ò *Quamuis nihilominus tanti fecerit Dominus integerrimam sua Matris virginitatem*: plus *tamen ex Bernardo* placuit B Deo humilitas Mariæ, quàm ipsius virginitas. *Ex illius siquidem humilitate tota videtur dignitas, & gloria Virginis deriuata, vt & ipsa in Cantico fatetur, cum ait*: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc (*nota*) beatam me dicent omnes generationes. *Quod præsertim contigit, vbi Angelo ineffabilem Christi conceptionem nuncianti humiliter respondit*; Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. *Quem ad locum Ambrosius*: Vide *inquit* humilitatem, vide deuotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ Mater eligitur; nec repentino exaltata promisso est: *vt homines consueuere*. *Idcircò Author*: Humilitas C in Maria multùm splenduit, in qua tanta materia superbiendi fuit. Non est magnum *ex Bernardo* in abiectione esse humilem: magna prorsus, & rara virtus, humilitas honorata. Humilitatem eius in terra existentis Filius Dei sensit in Cœlis, secundum illud Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Nardus humilis herba, calidæ naturæ, designat humilitatem ex Dei amore procedentem, qualis fuit in B. Virgine. In aliquibus est humilitas ex cognitione multorum defectuum, quos habent. Non talis fuit humilitas B. Virginis, quam Filius Dei in sinu Patris descendens sensit. Vt Deo placeret eius virginitas, fecit humilitas. *Sine humilitate (audeo dicere) nec Maria virginitas Deo placuisset*, inquit Bernardus. Humili-

N *ibid. ad 4.*

Primogenitus quo sensu accipiatur.

O *Ibidem in* sed contra.

P *Hebr. 11. l. 3. ibi*, fidelem credidit.

Conueniebat Christum & de desponsata nasci.

Q *3. p. 29. 1. f. c. Mat. 1. lit. d. ibi*, desponsata.

R *3. p. l. c. In 4. d. 30. 2. 1. q. 2. c & a. 2 c. Mat. 1. lit. d. ibi*, Virum Mariæ.

An B. Virgo votum emiserit virginitatis.

S *3. p. 28. 4.*

c. & ad 3. In 4. l. c. a. 1. q. 1. ad Hann. ibid. q. 1. a. 4. ad 1. Mat. 1. loc. cit.

T *3. p. l. c. ad 1. & q. 29. 2. c. In 4. l. c. a. 1. q. 2. ad 1. & 2.*

V *3. p. 29. 1. ad 1.*

X *Op. 58. c. 20. circ. med.*

Y *3. p. 29. a. 1. arg. 3. & in corp.*

Quomodo dicatur diabolo ignota Mariæ virginitas.

Z *Ibid. ad 3. In 4. d. 30. 2. 1. q. 3. ad 1. Mat. 1. lit. d. ibi*, desponsata.

A *4. d. 30. 1. 4. ad 3.*

Profunda Mariæ humilitas Deo, quam virginitas, gratior.

B *4. d. 33. q. 3. a. 3. in 2.* sed contra.

C *Op. decr. Pr. l. 5. c. 50. & Op. 8.*

militatem Virgo fundamentum iecit, vt excelsum præcellentis gratiæ erigeret ædificium. *Quod autem dicitur, nunciante Angelo*, turbatam esse in sermone eius: *quamuis promptserit cum Bernardo Ambrosius*: Trepidare D virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri: Maria etiam salutationem Angeli verebatur. *Nihilominus* quidam E dicunt (*inter quos Græcus quidam anonymus citatus in Cat. aur.*) quòd cum B. Virgo assueta esset visionibus Angelorum, non turbata fuit in visione Angeli, sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur: quia de se tam magnifica non cogitabat. Vnde & Euangelista non dicit, quòd *turbata fuerit* in visione Angeli, sed *in sermone eius*. *Et hæc est ratio, quare Angelus in tanti annunciatione mysterij à Virginis inceperit commendatione, dicens*: Aue gratia plena: *siquidem* animo F humili (*qualis erat B. Virginis*) nihil est mirabilius, quàm auditus suæ excellentiæ. Admiratio autem maximè attentionem animi facit: & ideò Angelus, volens mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti mysterij, ab eius laude incepit. *Profectò, cæteris paribus*, simpliciter loquendo G virginitatem humilitas excedit. *Humilitatem consequitur ad diuinam voluntatem conformatio, quam satis expressit Virgo, cum ad Gabrielem respondit*: Fiat mihi secundùm verbum tuum, *quod nimirùm tanquam Dei Nuncius exponebat: quemadmodum & votum virginitatis emittendo*, diuino *dixímus* se arbitrio commisisse. *Vnde & docemur, quòd* B. Virgo H angebatur inter duo. Ex vna enim parte angebatur propter maledictum legis, cui subiacebat sterilis: ex alia parte angebatur propter propositum seruandæ castitatis; & ideò virginitatem proposuit, nisi Dominus aliter ordinaret: vnde diuinæ dispositioni se commisit. *Et quamuis passionem dilectissimi Filii, acerbissimè senserit, secundùm illud Thren.* 1. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus: *docemur nihilominùs, quòd* voluntas I B. Virginis dissentiebat *quidem* à passione Christi in se considerata: volebat tamen fructum salutis, qui ex passione Christi consequebatur; & ita diuinæ voluntati conformabatur quantùm ad hoc, quod volebat. (*De compassione B. Mariæ Virginis Vide* Christi mors *Tom.* 1. & L.) *Diuinæ conformationis voluntati, & humilitatis comes indiuidua, cara obedientia est*. Obedientia M enim ex *Augustino* nisi humilium esse non potest. *Quæ quidem non minùs ac cætera virtutes, in Deipara effulsit, diuini obedientiam Filii, qui factus est obediens vsque ad mortem, æmulante*. Ipse enim N per obedientiam veniens in Mundum, intrauit Virginis vterum: quia statim in vtero eius se recepit, cùm illa verbo eius per Angelum misso obediuit, *dicens*: Ecce Ancilla Domini &c. *Sanè humilitatem simul, & obedientiam perfectè ostendit præ cæteris, cùm veluti purganda, ad Templum accessit*. Sicut namque plenitudo O gratiæ à Christo deriuatur in Matrem: ita decuit, vt Mater humilitati Filij conformaretur; *humilibus enim dat Deus gratiam*, vt dicitur *Iac.* 4. Et ideò sicut Christus, licèt non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem, & alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis, & obedientiæ exemplum: propter eandem rationem voluit, & Matrem suam implere legis obseruantias, quibus tamen non erat obnoxia. *Et quidem* B. Virgo P licèt nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obseruantiam implere: non propter legis indigentiam, sed propter legis præceptum. Et ideò signanter dicit Euangelista *Luc.* 2. quòd *impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi*: ipsa enim secundùm se purgatione non indigebat: *sed hoc solùm egit in obedientiæ exemplum*. *Verùm* in hoc Q quòd B. Virgo voluit purgari, cum non indigeret, docuit quomodo *à fortiori* nos, qui indigemus, debeamus purgari, *à maculis videlicet peccatorum, accedendo ad Templum, in quo sacramenta reconciliationis ministrantur*. *Pietas verò, & mansuetudo Deiparæ satis nunquam poterit humanitus commendari. Vnde & in hymno* inter omnes mitis *ab Ecclesia decantatur*. De pietate R Mariæ dicit *Bernardus*: Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui te inuocatam in necessitatibus suis, sibi meminit defuisse. Item de eius mansuetudine dicit idem *Bernardus*: Reuolue totam seriem Euangelij: & si quid durum, si quid asperum inueneris in Maria, demum eam suspectam habeas, & ad eam accedere verearis. (*Hæc ille.*) Gratia etiam discretæ taciturnitatis multùm in ea splenduit. Verba eius, quæ in Euangelio leguntur, sunt pauca, breuia, & vtilia. Pauca, quia septem solùm. Breuia, quia nullum prolongauit, excepto solo illo, quod ad Dei laudem protulit, scilicet *Magnificat &c.* Vtilia, quia prima tria pertinent ad propriam vtilitatem, quæ Angelo dixit: tria vltima ad vtilitatem proximi: medium autem ad laudem Dei. Primum verbum, quod dixit Angelo, fuit verbum discretæ interrogationis, scilicet: *Quomodo fiet istud?* Secundum humilis responsionis, scilicet: *Ecce ancilla Domini*. Tertium fidelis orationis, scilicet: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, Luc. 1. Inter verba pertinentia ad vtilitatem proximi Primum fuit verbum mansuetæ correptionis, scilicet: *Fili quid fecisti nobis sic?* Luc. 2. Secundum verbum suffragij, scilicet: *Vinum non habent*, Io. 2. Tertium verbum consilij, scilicet: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, ibid. *Discite Virgines à Maria taciturnitatem, nec esse ex Apostolo verbosæ*, & curiosæ: *nam* in multiloquio non deerit peccatum, *vt dicitur* Prou. 10.

Sed & consiliorum, ad vitæ perfectionem comparandam, potissimùm in ea emicuit singularis ad aliorum exemplum obseruantia. Sicut enim gratiæ R plenitudo, perfectè quidem fuit in Christo, & tamen aliqua eius inchoatio præcessit in Matre: ita etiam obseruatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfectè quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine Matre eius. *Nec mirum: nam & opus humanæ salutis quodammodo per eam initium habuit*. *Docemur enim, quòd* sicut per mulierem S non intrauit in Mundum peccatum originale, sed per virum, quamuis à muliere initium habuit peccatum: ita etiam per virum (*scilicet Christum*) habuit perfici opus salutis nostræ: quod tamen aliquo modo initiatum est per mulierem, scilicet B. Virginem. *Ex quibus omnibus dicebat Ambrosius*: Sit vobis T tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente; quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens:

D Cat. Aur. Luc. 1. ibi & 3. p. 30. 3. ad 3.
E 3. p. l. c. fin. Op. de er. Pr. l. 5. c. 49. Cat. Aur. l. c.
F 3. p. l. c. a. 4. ad 1. In 3. d. 9. 1. 2. q. 6. ad 3.
G 4. d. 33. 3. 3. ad 6. & 2. 2. 152. 5.
Suæ ad diuinam voluntatem conformatio.
H Mat. 1. lit. d. ibi, desponsata.
Compassio in passione Filii.
I Ver. 23. 8. ad 5.
L 3. p. 27. 4. ad 2. In 3. d. 3. 1. 2. q. 2. ad 1. Serm. ex Eu. Dom. inf. oct. Nat. Apoc 12. com. 1. ibi, cruciabatur.
Mariæ obedientia rara.
M Op. de er. Pr. l. 5. c. 36.
N Eodem Op. ibid. circ. med.
O 3. p. 37. 4. c.
P Ibid. ad 1.
Q Serm. e. Eu. in Purif.
R Op. de er. Pr. l. 5. c. 50. fin.
Pietas eius, mansuetudo, taciturnitas, &c.
Verba Mariæ pauca, breuia, & vtilia.
Consiliorum obseruantias, inchoata in Maria.
R 3. p. 28. 4. ad 2.
Et per eam opus nostræ salutis inceptum.
S 3. d. 12. 3. 1. q. 2. d. 1.
Ambrosij de B. Virgine celebre encomium.
T De Virg. l. 2. sub in.

ners: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere: fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non gestus fractior, non Incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. *Hactenus piè, & eleganter* Ambrosius. *Quod idem est, ac si vno verbo dicatur virtutes omnes, ac dona, gratisque datas gratias, excellenter in Deipara præfulsisse.* Non enim est V dubitandum, quin Beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ; & gratiam virtutum; & etiam gratiam prophetiæ. Non tamen accepit, vt haberet omnes vsus harum, & similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundùm quod conueniebat conditioni ipsius. Sapientiæ enim vsum habuit in contemplando, secundùm illud Luc. 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Non autem habuit vsum Sapientiæ quantùm ad docendum, quia hoc non conueniebat sexui muliebri, secundùm illud 1. Tim. 2. *Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem vsus sibi non competebat, dum viueret: (*curauit tamen benignissima, vt primum miraculum ad indigentium subuentionem patraretur à Filio, in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum conuertente*:) quia tunc temporis confirmanda erat Christi doctrina miraculis; & ideò soli Christo, & eius Discipulis, qui erant baiuli doctrinæ Christi, conueniebat miracula facere. Propter quod etiam de Io: Baptista dicitur Io. 10. quòd *signum fecit nullum*: vt scilicet omnes Christo intenderent. Vsum autem prophetiæ habuit, vt patet in Cantico *Magnificat*, quod fecit.

Habuit virtutes omnes & dona excellenter, & gratias gratis datas iuxta conditionem suam.

V 3. p. 27. ad 3.

Cur B. Virgo, & Io: Baptista miracula non fecerint, dum hic viuerent.

q *Ideircò, tot refulgens gratiarum donis, allegoricè describitur Apoc. 12. his verbis*: Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius &c. *Signum*, diuinæ scilicet X bonitatis, & sapientiæ: *Signum* charitatis, & pietatis ad genus humanum, Is. 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis* signum: *Ecce Virgo concipiet &c.* Signum *magnum*, quia valdè magnum indicium bonitatis, & charitatis suæ ad homines ostendit in ipsâ. *Apparuit in Cœlo*, idest in Ecclesia, de qua fuit Virgo beatissima perfectè. Quod autem fuerit hoc signum, ostendit: *Mulier*, scilicet Virgo Beata, benedicta super omnes mulieres, quæ salutis Authorem peperit viris, ac mulieribus, *Prou. 11.* Mulier gratiosa inueniet gloriam. *Amicta Sole*, idest Christo ornata. Neque contrarium est quod dicitur Ier. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Fuit enim circumdatus Christus, in quantùm eius Filius, dum ipsum de se genitum Virgo in vtero circumdedit. Circumdedit etiam eam, in quantùm eius ornatus, dum eam se ipso spiritualiter decorauit. *Et Luna sub pedibus eius*, idest temporalia, mutabilia, & defectibilia sub affectibus eius. *Et in capite eius corona stellarum duodecim*, idest ipsam sublimauit, siuè honorificauit, dignitas priuilegiorum: sicut Corona in capite, caput, & ipsum hominem honorificum facit. Hæ duodecim Stellæ ex *Bernardo* duodecim sunt prærogatiuæ B. Virginis. Quatuor scilicet de Cœlo, quia super eam erant: quatuor ex parte

Mulier Apocalypsis amicta Sole &c.

X Apoc. 12. com. 1. & 2. ibi.

Quid per Solem significetur.

Quid per Lunam.

Quid per 12. Stellas.

animæ: quatuor ex parte corporis. Primæ quatuor prærogatiuæ sunt sanctificatio ipsius Virginis, salutatio Angeli, obumbratio Spiritus Sancti, inenarrabilis conceptio Filii Dei. Aliæ quatuor fuerunt, donum humilitatis, magnanimitas fidei, mansuetudo pudoris, martyrium cordis, Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, (*vt nimirùm forte virginitatis, martyrii quoque coronam adiiceret.*) Aliæ quatuor sunt: quia fuit virginitate purissima, sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Et benè dicuntur *Stellæ*, quia eam claram, & sublimem reddebant. Extollitur ergo his verbis Vniuersalis Regina quantùm ad amabilem speciositatem, immutabilem sanctitatem, & admirabilem dignitatem. *Et hinc est, quòd quia excellenter* B. Virgo Y fuit in vtraque vita, ideò *secundùm Anselmum* in Assumptione eius legitur Euangelium de Martha, & Maria, quæ significant vitam actiuam, & contemplatiuam: *vt ostendat Ecclesia, B. Virginem vtrinque sanctitate pollere, & vtriusque meritis vita cumulari. Vnde & ad illud Apoc. 12.* Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ &c. *exponitur*; *alæ duæ*, scilicet Z duæ vitæ, actiua scilicet, & contemplatiua. *Ex quibus omnibus clarè deducitur, quàm veraciter initio ab Authore dictum sit*: Alij A Sancti dantur in exemplum virtutum specialium; sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum. *De qua ideircò allegoricè dicitur Eccli. 24.* Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei, fructus honoris, & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis: in me omnis Spes vitæ, & virtutis. *Quò facit illud Cantic. 6.* Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum. *Ad areolam*, idest B ad B. Virginem, quæ est area plena aromatibus virtutum, & donorum, assumendo carnem in ipsa. *Et cap. 3.* Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? *Vniuersi* inquit *pulueris pigmentarii*: idest C congerie omnium virtutum. *Ex quo Deiparam in plenitudine gratiæ, & virtutum omnes præcellere, manifestum fit.* Vnicuique *enim* dat D gratiam Deus proportionatam ei, ad quod eligitur. Sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur; & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria, quæ ad hoc est electa, vt esset Mater Christi. *Et alibi*: Apostoli, E habuerunt gratiam maiorem, quàm aliqui alij Sancti post Christum *tamen*, & Virginem Matrem, (*quæ quidem omne peccatum* F *vitauit magis, quàm aliquis Sanctus post Christum.*) *Nec mirum*; Habuit enim G meritum Prophetarum prophetando, Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Habuit meritum Apostolorum, & Euangelistarum, docendo: multa enim scripta sunt, & prædicata, quæ non potuerunt Sancti, nisi per eius reuelationem, scire; sicut de ingressu Angeli in conceptione, & alijs pluribus. Habuit meritum Martyrum, mortem Crucis cum Filio patiendo, Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Habuit meritum Confessorum, deuotè Domino confitendo, Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Habuit meritum Virginum, inchoando virginitatem, & conseruando, Luc. 1. *Ingressus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* Et sicut habuit meritum omnium, & amplius: ita con-

Y 3. d. 35. 1. 3. q. 3. in 2. Sed contra. Virgo beata in vtraque vita excellens.

Z Apoc. 12. com. 2. §. 5. ibi. Exemplar virtutum omnium.

A Op. 8. circ. med.

B Cant. 6. com. 2. ibi. Gratia, & virtutibus post Christum omnes præcellit.

C Cant. 3. com. 1. & 2. ibi.

D Rom. 8. l. 5. ibi, primitias Eph. 1. l. 3. ibi, super abundauit.

E Eph. 1. l. c. & Rom. 8. l. c.

F Op. 8. cir. med.

G Serm. in assumpt. B. Virg. Habuit meritum Prophetarum, Apostolorũ &c.

K gruum

H Serm. 2. ex Eu. Dom. 3. Quad.

Habuit & de omni hominum statu.

I Apoc. 12. com. 2. §. 1. ibi, amicta Sole.

gnum fuit, vt super omnes poneretur ordines cœlestium. *Et quidem* B. Virgo H habuit de omni statu: de statu Virginum, integritatem: de statu coniugatorum, fecunditatem: de statu continentium, castitatem. *Et ad illud* 1. *Cor.* 15. Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ &c. *Claritas Solis*, idest I continentiæ virginalis: *Claritas Lunæ*, idest castitatis viduabis: *Claritas Stellarum*, idest continentiæ coniugalis. Omnes has habuit B. Virgo: nam coniugata fuit, vidua fuit, & Virgo castissima fuit. Ideò ipsa dixit Eccli. 24. *In me omnis gratia*; quia coniugatorum, & viduarum, & virginum gratiam habuit. *Illud quoque Apoc.* 12. *supr. cit.* Et datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ &c. *exponitur*. Alæ duæ L aquilæ magnæ possunt dici humilitas, & virginitas B. Mariæ, quibus *mulier*, idest Ecclesia, fuit à diabolo liberata. Et benè per Aquilam significatur Maria, quia sicut Aquila excedit alias aues, ita Virgo Maria alias mulieres, quasi Regina, & Domina mulierum, Prou. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu supergressa es vniuersas.*

L Apoc. 12. com. 2. §. 5. ibi.

Cur per Aquilam Maria significetur.

Omnes excedit in merito viros, & mulieres; immo & Angelos omnes.

M Isa. 7. fi. cap.

r *Verùm nedum mulieres omnes, sed & viros cunctos, & sanctos suis excellit meritis beatissima Virgo, vt ex præmissis liquet; quia & ordines supergreditur omnium beatorum spirituum. Hinc prophetica Isaiæ verba cap.* 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, *ita ex Authore exponuntur*. Dicitur *Ecce* propter M eminentiam singularem, quia supra mulieres propter virginitatem; vnde dicit: *Ecce Virgo*. Secundò supra Virgines propter fecunditatem; vnde dicit: *concipiet*. Tertiò supra Angelos omnes propter fructus dignitatem; vnde dicit: *Pariet filium*, ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Supra Angelos *inquam*: Habuit enim N meritum Angelorum angelicè viuendo, eo quòd Virginitas *ex Hieronymo* soror est Angelorum. *Quos immò longè excedit in merito: & hoc in eius per Angelum annunciatione satis clarescit. Quocirca* considerandum est O, quòd antiquitus erat valdè magnum quòd Angeli apparerent hominibus, vel quòd homines facerent eis reuerentiam, habebant pro maxima laude. Vnde & ad laudem Abrahæ scribitur, quòd recepit Angelos hospitio, & quòd exhibuit eis reuerentiam. Quòd autem Angelus faceret homini reuerentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutauit B. Virginem dicens: *Aue*. Quòd autem antiquitus non reuerebatur hominem Angelus, sed homo Angelum, ratio est: quia Angelus erat maior homine; & hoc quantùm ad tria. *Primò* quantùm ad dignitatem: Angelus enim est naturæ spiritualis, Ps. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Homo verò est naturæ corruptibilis; vnde dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis*. Non erat ergo decens, vt spiritualis, & incorruptibilis creatura reuerentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. *Secundò* quantùm ad familiaritatem ad Deum. Nam Angelus est Deo familiaris, vtpotè assistens, Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Homo verò est quasi extraneus, & elongatus à Deo per peccatum, Ps. 54. *Elongaui fugiens*. Ideò conueniens est, vt homo reuereatur Angelum, vtpote propinquum, & familiarem Regis. *Tertiò* præeminebat propter plenitudinem splendoris gratiæ diuinæ: Angeli enim participant ipsum lumen diuinum in summa plenitudine, Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius; & super quem non surget lumen illius?* Et ideò semper apparent cum lumine. Sed homines, etsi aliquid participent de ipso lumine gratiæ; parum tamen & in obscuritate quadam. Non ergo decens erat, vt homini reuerentiam exhiberet, quousque aliquis inueniretur in humana natura, qui in his tribus excederet Angelos: & hæc fuit Beata Virgo. Et ideò ad designandum, quòd in his tribus excedebat eum, voluit ei Angelus reuerentiam exhibere, vnde dixit: *Aue*. (*Et quidem* decuit P vt virginis aspectus vterque suo modo nobilitaretur: interior scilicet per reuelationem tanti mysterij, & exterior per corporalem Angeli visionem.) Excellit autem Angelos B. Virgo: *Primò* in plenitudine gratiæ, quæ magis est in B. Virgine, quàm in aliquo Angelo; & ideò ad insinuandum hoc Angelus ei reuerentiam exhibuit, dicens: *Gratia plena*. Quasi dicat: Ideò tibi exhibeo reuerentiam, quia me excellis in plenitudine gratiæ. (Dicitur autem B. Virgo *plena gratia* quantùm ad tria. *Primò*, quantùm ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, & ad vitandum malum; & quantùm ad ista duo perfectissimam gratiam habuit B. Virgo. *Secundò* plena fuit gratia quantùm ad redundantiam animæ ad carnem, vel corpus. Anima enim B. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, vt de ipsa conciperet Filium Dei. *Tertiò* quantùm ad refusionem in omnes homines, *vt in superioribus visum est*.) *Secundò* excellit Angelos in familiaritate diuina; & ideò hoc designans Angelus, dixit: *Dominus tecum*. Quasi dicat: Ideò exhibeo tibi reuerentiam, quia tu familiarior es Deo, quàm ego; nam *Dominus est tecum*. Dominus *inquit* Pater cum eodem Filio: quod nullus Angelus, nec aliqua Creatura habuit, Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Dominus filius in vtero, Is. 12. *Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel*. Aliter est ergo Dominus cum B. Virgine, quàm cum Angelo: quia cum ea vt Filius, cum Angelo vt Dominus. Dominus Spiritus-Sanctus, sicut in Templo; vnde dicitur *Templum Domini, Sacrarium Spiritus-Sancti*, quia concepit de Spiritu Sancto, Luc. 1. *Spiritus-Sanctus superueniet in te*. (Hodie *inquit Ambrosius* primum auditur: *Spiritus Sanctus superueniet in te*: & auditur, & creditur.) Sic ergo familiarior cum Deo est B. Virgo, quàm Angelus: quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, scilicet tota Trinitas. Vnde cantatur de ea: *Totius Trinitatis nobile triclinium*. Meritò ergo Angelus reueretur B. Virginem, quia mater Domini, & ideò Domina est. *Tertiò*, excedit Angelos quantùm ad puritatem: quia B. Virgo non solùm erat pura in se, sed etiam procurauit puritatem alijs. Ipsa enim purissima fuit & quantùm ad culpam, quia nec mortale, nec veniale peccatum incurrit, & quantùm ad pœnam: immunis enim fuit ab omni maledictione (*Eua & Ada inflicta*, vt Num. præcedenti *visum est*:) & ideò *benedicta in mulieribus*, quia ipsa sola maledictionem sustulit, & benedictionem portauit, & ianuam Paradisi aperuit. *Vnde & coherenter docemur, quòd* omnes Q electi assumûtur ad ordines Angelorum: quidam ad superiores, quidam ad inferiores, quidam ad medios, pro diuersitate suorum meritorum: sed B. V. Maria super omnes. *Caterùm, dum adhuc hic degeret*, Mater Dei R superior erat Angelis quantùm ad dignitatem, ad quam diuinitus eligebatur: sed quantùm ad statum præsentis vitæ, infe-

N Serm. in Assumpt. B. V.

O Op. 8. sub initio.

Angelus maior homine quantùm ad tria.

B. Virgo in tribus excedit Angelos, in quibus Angelus excedabat hominem.

P 3. d. 3. 1. q. 2. c. & 3. p. 30. 3. c. & ad 1.

Q 2. d. 9. 1. 8. fin. c. & d. 16. 1. 3. ad 5. in 1. d. 44. 1. 3. ad 4. In 3. d. 22. 3. 3. q. 3. ad 3. & 1. p. 108. 8.

R 3. p. 30. 2. ad 1.

B. Virgo super omnes Angelorum ordines assumpta.

inferior erat Angelis: quia & ipse Christus, ratione passibilis vitæ, *modice quàm Angeli minoratur*, vt dicitur ad Hebr. 2. *Hinc & Ecclesia concinit*: Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum. *Quò facit & illud propheticum Isaiæ effatum cap.* 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. *Montium quippè nomine, ob sublimitatem naturæ, & gratiæ, designantur Angeli*, qui S Ecclesiam custodiunt, iuxta illud *Ps.* 124. Montes in circuitu eius. *At quia respectu Virginis Deiparæ inferiores merito sunt, non montes, sed* colles *dicuntur. Ipsa verò Virgo beata* mons Domus Domini est, *proindè præ cunctis excelsus*. An non T Mons sublimis Maria (*aiebat Gregorius*) quæ vt conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium Deitatis erexit? *Id quod mysticè signat illud Gen.* 8. Requieuitque arca super montes Armeniæ, *Ps.* 131. Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ, *nempe virgo Deipara. At vbi requieuit?* Super montes Armeniæ, *vtporè cæteris excelsiores; hoc est, super omnes choros Angelorum, vt præmissum est.*

S *Apoc.* 7. *com.* 1. *ibi*, In circuitu throni.

T *Greg. in l.* 1. *Reg.*

¶ *Sola idcircò ex his omnibus dignum Dei effecta est habitaculum, secundùm illud*: Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus, *Ps.* 45. Per quod V videtur significari sanctificatio Matris Dei, quæ Tabernaculum Dei dicitur, secundùm illud Ps. 18. *In Sole posuit Tabernaculum suum*, idest X corpus suum in B. Virgine, quæ nullam habuit obscuritatem peccati. *Neque Tabernaculum dumtaxat Dei est Virgo beata, sed & Templum, iuxta illud Ps.* 47. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. *Nam* misericordia Y est ipse Christus, qui datus est nobis ex Dei misericordia, *in vtero vtique Virginis: unde & in hymno canit Ecclesia*: Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei. *Et iterum vocat eam* Templum Domini, sacrarium Spiritus-Sancti. *Hinc & illud Mal.* 3. veniet ad Templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis &c. *Quæ vtique verba* possunt Z exponi secundùm allegoriam de aduentu Domini in vterum Virginis. Ipsa enim est Templum Dei mirabile præ omnibus Sanctis. *Primò*, quia mirabiliter magnum per latitudinem charitatis. Sicut enim plus habuit de fide, spe, & charitate, quam aliqua creatura: sic plus habuit de magnitudine. *Secundò*, quia desiderabiliter pulchrum, 3. Reg. 6. *Nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur*; quia nihil in Virgine, quod non sanctitate plenum esset, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea. Tertiò*, quia varijs picturis depictum, quia omnium Sanctorum, & Angelorum virtutibus decoratum, 3. Reg. 6. *Fecit in Templo Cherubim, & picturas varias. Quartò*, quia columnis miris, & magnis ornatum, Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*. Per septem columnas possunt intelligi septem virtutes, quæ notantur in Virgine. (*Vel etiam virtutes omnes*: Quia A enim (*inquit Gregorius*) septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero vniuersitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria Magdalena habuit, quæ vniuersis vitijs plena fuit. *Ex opposito virtutibus vniuersis Maria Virgo. Vel per septem columnas, septem dona intellige Spiritus Sancti*:) *Quintò*, opere totius Trinitatis consecratum, Ps. 45. *Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus*. Et Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Sextò*, quia vt Dei Filius ibi fieret homo, ædificatum, ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere &c. Septimò*, quia magna dignitate priuilegiatum est, vt omnes rei, & malefactores, qui ad illud currunt ex toto corde, saluentur, (sicut patet in Theophylo, & alijs pluribus:) & omnes orationes, quæ in eo funduntur, exaudiantur. *Hinc ad illud Ps.* 17. Exaudiuit de Templo Sancto suo vocem meam, *docemur, quòd hoc* Templum B est B. Virgo, Ps. 137. *Adorabo ad Templum Sanctum tuum*: in qua, idest per quam exaudiuit nos Deus, *& perpetuò exaudit. In gratiam siquidem dilectissimæ Matris, ad votum nobis omnia Christus concedit: qua & ipse honorari videtur, & coronari, Cant.* 3. Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum Mater sua in die desponsationis illius. *Vbi Author*: Diadema *inquit* vocat C carnem, quam Christus pro nobis assumpsit. De hoc diademate dicit Apostolus ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*. Mater verò sua eum coronasse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiam præbuit. *In die desponsationis illius*: hoc est, in tempore incarnationis eius, quando Deus homini coniunctus est.

Sola dignum Dei habitaculum.

V 3. p. 27. 2. *in* sed contra. *Et ps.* 45. *lit. c. fin.*

X *Ps.* 18. *lit. c. ibi*

Y *Ps.* 47. *lit. e.*

Imò Templum Dei.

Z *Serm. ex Ep. in Purific.*

A *D. Greg. hom.* 33. *in Euang. & S. Th.* 1. 2. 102. 5. *ad* 5.

B *Ps.* 17. *lit. d. ibi.*

In quo peccatores asylum habent, & preces omnes exaudiuntur.

Quomodo B. Virgo à Christum coronasse dicatur.

C *Cant.* 3. *com.* 1. *ibi.*

¶ *Cum igitur tali & à Filio dignetur mater honore, vt sibi corona veluti esset, & honorificum fertum: speciali quoque adoratione veneranda nobis erat; non quidem latriæ, quæ soli Deo debetur, sed hyperduliæ (vt vocant) veneratione, & cultu*. Cum B. Virgo D sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solùm veneratio duliæ: eminentiùs tamen, quàm cæteris creaturis, in quantùm ipsa est Mater Dei. Et ideò debetur ei non qualiscumque dulia, sed hyperdulia; *hoc est, superduliam, quæ inter duliam, & latriam media quasi videtur adoratio*. Maxima *enim* reuerentia E debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum, *qualis est B. Virgo, inquantùm est Mater Dei: quia* non solùm F honoratur ratione sui, sed etiam ratione Filij. *Nam &* honor G Matris refertur in Filium, sicut in finem, quia propter Filium Mater honoratur. *Præfatam sanè affinitatem ad Deum explicans ibi* Caietanus *ita concludit*: Hyperdulia soli debetur B. Virgini, quæ sola ad fines Deitatis propria operatione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, & genuit, & lacte proprio pauit. *Honoratur inquam, & ab hominibus, & à Sanctis, & ab Angelis: idcircò in gloriosa eius* (etiam cum H corpore, *vt vidimus, ex priuilegio gratiæ*) *assumptione, Sanctis omnibus, & Angelis comitantibus creditur in Cœlum subducta. Quam mysticè signat ea Apoc.* 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus &c. *Mulier amicta Sole*, idest I Maria, induta corporis glorificatione. Dicitur autem B. Virgo *Mulier* sexus discretione, non corporis fractione: item prolis fœcunditate, non mentis fragilitate. *Amicta Sole*, secundùm illud Eccli. 26. *Sicut Sol oriens Mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ*: idest sicut Sol oriens, & in alto existens illuminat Mundum; sic Maria ascendens illuminat Cœlum, quod est domus Dei, & filiorum eius, *in qua domo mansiones multæ sunt*, vt dicitur Io. 14. Quare pulchriorem, & nobiliorem, & altiorem elegit Domina nostra S. Maria. Vnde ipsamet dicit Eccli. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*. Cedrus super omnes arbores exaltatur; sic Domina nostra super omnes creaturas exaltata est in Cœlo, Ps. 8. *Eleuata est magnificentia tua super Cœlos*; idest,

Quo culta adoranda.

D 3. p. 25. 5. *fi. c.*

E 2. 2. 103. 4. *ad* 2. & *Caiet. ibi.*

F 3. d. 9. 1. 2. q. 3. c.

G *Ibid. ad* 1. & 3. p. 25. 5. *ad* 2.

H 3. p. 27. 1. c. & 83. 5. *ad* 8. *In* 4. d. 12. 1. 3. q. 3. c. & d. 43. 1. 3. q. 1. *ad* 2. *Op.* 8. *circ. fin*

Describitur eius in Cœlum assumptio ex illo Apoc. 12. *Mulier amicta Sole &c.*

I *Apoc.* 12. *com.* 2. §. 1. *ibi.*

Maria, te magnificans, super Angelos. Item dicitur Maria *amicta Sole* in die assumptionis suæ, idest circundata Sanctorum congregatione, qui cum Christo venerunt ei obuiam, & cum magno gaudio deduxerunt in Cœlum. Vnde Num. 10. dicitur: *Eleuata est nubes de Tabernaculo fœderis*, idest Virgo Maria; *profectique sunt filij Israel per turmas suas* eam comitando. Et 2. Reg. 6. dicitur: *Abiit Dauid, & adduxit Arcam Dei de Domo Obededom*, idest de Mundo, *in ciuitatem Dauid cum gaudio, & erant cum eo septem chori*: idest septem turmæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque sanctarum Virginum: inter quos excellentior fuit, & est sanctissima Virgo. Vnde & ipsa dicit Eccli. 24. *In omni gente primatum habui*; in Mundo scilicet, & adhuc habet in Cœlo, quia ipsa sedet iuxta Filium suum, qui est Rex Cœli, & alij omnes inferiùs, 3. Reg. 2. *Surrexit Rex in occursum eius, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* (*Quò facit illud Ps.* 44. Astitit Regina à dextris tuis &c. *Hoc enim* potest I exponi totum de B. Virgine, quæ Regina est, & Mater Regis est, & astat super omnes choros Deo *in vestitu deaurato*; idest aurata diuinitate; non quòd sit Deus, sed quia est Mater Dei. *Qua de causa* non dicitur L sedere ad dexteram, sed astare à dextris, in quantùm honor Filij aliquo modo participatiuè, non plenariè redundat in ipsam, in quantùm dicitur Mater Dei, sed non Deus: *Sedere enim ad dexteram Dei, proprium est solius Christi hominis Dei*: *de quo vide*) *Et Luna sub pedibus eius*, idest tota Ecclesia, tam militans, quàm triumphans, inferior ea, Esth. 2. *Ducta est Esther ad cubiculum Regis*. Sequitur: *Et in capite eius corona Stellarum duodecim*: idest in mente eius perennitas gaudiorum: vel duodecim prærogatiuæ virginitatis eius. *Prima* est specialis electio Dei Patris ad opus Filij sui, Gen. 24. *Puella, quæ egredietur ad hauriendam aquam, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac*, idest M Christo. *Secunda* prærogatiua Virginum est Dei Filij specialis desponsatio, 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*; & in festo Virginum cantat Ecclesia: *Agnum Sponsum Virginum*. Vnde in veteri lege summus Pontifex non ducebat vxorem, nisi Virginem. *Tertia* est Spiritus Sancti fecundatio, Zach. 9. *Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum Electorum, & vinum*, idest gratia Spiritus Sancti, *germinans virgines*? Ab effectu *Mat.* 1. dicitur de B. Virgine: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*. *Quarta* est Dei conceptio, & generatio, Is. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; idest, *Nobiscum Deus*. *Quinta* est Dei refectio, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*, idest inter Virgines. *Sexta* est Dei meditatio, 1. Cor. 7. *Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu*. *Septima* est inscriptio in libro vitæ Apoc. 3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & non delebo nomina eorum de libro vitæ*. *Octaua* est, quòd ipsa est ornatus, & pulchritudo Cœli, Eccli. 43. *Species Cœli, gloria Stellarum*, idest Virginum, quæ dicuntur Stellæ, quia de die non lucent, sed in vespere incipiunt apparere, idest in præsenti latere, sed in fine apparebit, quid sunt. *Nona* est perfecta Christi assimilatio, Apoc. 14. *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit*. *Decima* est noui Cantici decantatio, quod solùm Virgines decantabunt, Apoc. 14. cit. *Cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei; & nemo poterat dicere Canticum, nisi illa centum 44. millia &c. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*. *Vndecima* est maioris fructus promissio: nam fructus trigesimus promittitur bonis coniugatis, sexagesimus viduis, centesimus virginibus, *Mat.* 13. *Duodecima* est duplicis coronæ adeptio; virginibus enim debetur aurea, & aureola, 1. Mach. 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis*. *Coronis*: quia *aurea* pro charitate, *aureola* pro virginitate, Ier. 31. *Virgo Israel adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in Choro ludentium*.

An B. Virgo sedeat in Cælis ad dexteram Christi.

I Ps. 44. lit. Z. fin.

L 3. d. 22. 3. 3. q. 3. ad 3.

Tota Ecclesia, tam militans, quàm triumphans Maria inferior.

Duodecim virginitatis eius prærogatiuæ.

M 3. p. 58. a. 3. in 3. l. c. in corp.

11 *Et quidem post Virginem sanctissimam, quæ Princeps electorum est, alii quoque fideles ad eius gloriam participandam adducuntur Deo, secundùm illud Ps.* 44. Adducentur Regi virgines post eam; *idest* post N B. Virginem: per virgines enim intelliguntur perfecti (*infra tamen ipsam*) *qui Cœlorum Regno digni sunt. Sed & per eam ad perennem beatitatem pertingunt*: *ideò enim* (*vt vidimus*) conuenit O ei nomen *MARIA*, quæ interpretatur Stella Maris, quia sicut per Stellam maris nauigantes diriguntur ad portum: ita Christiani, *in mari huius sæculi nauigantes*, diriguntur per Mariam ad gloriam, *quæ sempiterna portus beatus est felicitatis*. *Hinc rectè ab Ecclesia* Refugium peccatorum *dicitur*, & Aduocata. Dedit *autem* Deus P nobis tres aduocatos. Primò Filium, 1. Io: 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*. Secundò Spiritum-Sanctum, Io: 14. *Paracletus autem Spiritus &c.* Paracletus enim *Aduocatus* interpretatur. Tertiò Beatam Virginem, vnde cantamus ei: *Eia ergo Aduocata nostra &c. Igitur* non Q solùm *aduocatum*, immò & *aduocatam* habemus nos fideles. Ille apud Patrem aduocatus est repræsentando naturam humanam citatricibus signatam: *ista repræsentando Filio beata vbera, quæ eum lactauerunt. Vnde Bernardus*: Securum habes homo ad Deum accessum, vbi ante Patrem Filium, ante Filium habes matrem. Mater ostendit Filio pectus, & vbera: Filius ostendit Patri latus, & vulnera. Nec vlla esse repulsa potest, vbi occurrunt tot charitatis insignia. *Id quod moraliter signatur in verbis Angeli ad Ioseph Mat.* 2. Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. *Vbi notat Author*, quòd quando aliquis R vult fugere peccatum, primò debet excutere pigritiam, Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Secundò debet accipere fiduciam à Matre, & à Filio, scilicet Christo, *Eccli.* 24. In me omni spes vitæ, & virtutis; *& ideò dicit*: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius. *Hæc est illa* Esther S Regina, idest B. Virgo, quæ placuit in oculis Regis, scilicet Dei, ad restaurationem generis humani, inuenitque gratiam coram eo, non solùm pro se, sed pro toto humano genere: *extenditque Rex virgam auream*, quæ fuit *ex glossa* Crux, siue passio Dominica, quæ tota fuit aurea, idest charitatiua. Hanc virgam auream Dominus Deus Pater nobis extendit, quando ex charitate maxima, quam ad nos habebat, Filium suum passioni exposuit. Summitatem eius virgæ Virgo beata tetigit, quando Filium Dei in vtero concepit, & postmodùm peperit. Et sic *dimidiam partem Regni Dei* impetrauit, vt ipsa sit Regina misericordiæ, cuius Filius est Rex iustitiæ. *Regina inquam misericordiæ, qualem vtique sese ostendit, vino in nuptiis Cana Galilææ deficiente, Io.* 2. Vinum non habent. *Et* quamuis T Mater repulsa sit: *Quid mihi, & tibi est, Mulier? Nondum venit hora mea*: tamen de Filij

N Ps. 44. lit. K. ibi.

Post B. V. adducuntur cæteri ad Deum, & per eam.

O Op. 8. circ. fin.

B. V. refugium, & Aduocata peccatorum.

P Serm. 1. ex Eu. in Fe. Pent.

Q 1. b. 2. § 1.

R Mat. 2. lit. d. ibi.

Eius figura Esther.

S Prol. in Ep. Can.

Regina, & Mater misericordiæ.

T Io. 2. l. 1. lit. D. ibi. fin.

Filij misericordia non diffidit ; *quin de impetratione securior, repulsà non obstante, immediatè ad ministros subiecit* : Quodcumque dixerit vobis, facite. *Discant orantes, in petitione, vt impetrent, perseuerare.* Regina *inquam* misericordiæ *est*. *Etenim* ad misericordiam V pertinet, vt quis defectum alterius reputet quasi suum : misericors enim dicitur, quasi miserum habens cor super miseria alterius, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quia ergo Virgo beata misericordia plena erat, defectus aliorum subleuare volebat ; & ideò dicitur : *Deficiente vino, dixit Mater Iesu ad eum : Vinum non habent*. Vbi nota Virginis solicitudinem, & diligentiam : quia vsque ad extremam necessitatem non distulit, sed *deficiente vino* ; idest dum esset in deficiendo, iuxtà illud, quod dicitur in *Ps. 9.* Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Idcircò, vt adiutrix & protectrix nostra, fiducialiter inuocanda. Quò facit illud Apo. 12.* Et adiuuit terra mulierem &c. *Terra* idest X B. Virgo (de *qua Ps. 84.* Terra nostra dabit fructum suum : *& Is. 7.* Aperiatur terra, & germinet Saluatorem :) *adiuuit mulierem*, idest Ecclesiam, pro ea orando. *Hinc (subiicit Author)* In omni Y opere virtutis potes eam habere in adiutorium. *Accede ergo peccator, quisquis es, si vis salutem consequi, ad Mariam, velut Filius ad dulcissimam Matrem ; neque enim ab ea repulsam patieris, quæ* refugium peccatorum *est, cuius vel solo vmbratili nomine peccatorum nostrorum vinculis absoluimur à Deo : (quod sano intellige sensu, eam videlicet ex corde pro venia à Deo impetratione inuocando.) Quod innui videtur Ps. 115. vbi postquam præmisisset Psaltes :* O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ (Luc. 1. Ecce Ancilla Domini) *veluti consequenter subiicit* : Dirupisti vincula mea. *Vbi namque minatur Dominus iustam peccatori vindictam, ipsa misericordiæ Mater, supplex illius mitigat iras, & ad pietatem emollit, ita vt videatur placatus dicere Genitrici suæ quod ad Abigail Dauid deprompsit 1. Reg. 25.* Benedictum eloquium tuum : & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. *Notum satis, irati contra Mundum Filii, ipsam, Dominicum, & Franciscum obiiciendo, fulminare tudisse.*

V Ibid. lit. c.

X Apoc. 12. Com. 2. §. vlt. ibi.

Adiutrix, & protectrix nostra.

Y Op. 8. circ. med.

X *Serpentis ad hæc tentatoris, hominibus insidiantis, piissima mater astus deludit, & artes. Aut enim Virgini deuotos non impetit : aut contritore sedens capite, derelinquit ; à Virgine scilicet, satiùs dixerim, ab hac Viragine deuictus ; de qua allegoricè ad illum dictum est Gen. 3.* Ipsa conteret caput tuum. *Hinc* Mat. 20. *petente Matre filiorum Zebedæi à Domino, vt alter ad dexteram eius, alter ad sinistram sederet in Regno Cælorum : respondit Dominus ad illos* : Nescitis, quid petatis. *Nimirum* quia Z vocaui vos ad dexteram ; & vos petitis, quòd vnus sit ad sinistram? Diabolus enim, sicut per mulierem ad sinistram traxerat hominem, volebat istos per mulierem reducere ad sinistram. Sed hoc non potuit, ex quo salus per mulierem facta est. *Non potuit, in quam : nam vires eius eneruat virago ista. Id quod mysticè innuitur* 1. Reg. 5. *Vbi legimus, quòd* tulerunt Philisthijm Arcam Dei, & intulerunt eam in Templum Dagon. Cumque surrexissent diluculò Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini : & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque manè die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini ; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. *Vt videlicet instruamur, per Mariam Virginem*, Fœderis Arcam, *totas diabolo vires auferri, modumque in sibi deuotos malè operandi penitus tolli. Hæc quippe mystica ea Iahel, quæ* Iudic. 4. *Auerno Sisaræ caput confixit ; vnde* & cap. 5. *non secus, ac de Virgine, de Iahele canitur* : Benedicta inter mulieres Iahel, & benedicatur in tabernaculo suo. *Hæc, Euangelica Iudith, quæ Stygii Holofernis in ceruicem percutit* Iudith. 13. *Vnde & dicebat* : Laudate Dominum, qui in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, & interfecit in manu mea hostem populi sui. *Et cap.* 14. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in Domo Regis Nabuchodonosor. *Vbi Author* : Hoc A fecit beatissima V. Maria. *Vna* dicitur indiuisa : vnde *vna mulier* idem est, quod Virgo, quæ diabolum vicit. *Ex quo, Mariæ alludens Ozias Princeps populi dicebat cap. 13.* Benedicta es tu Filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. *Quæ & cap. 16. de se concinebat* : Dominus omnipotens tradidit eum in manibus fœminæ, & confodit eum. Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum. *Noua hæc denique Esther, quæ inferum electi à Deo populi hostem Aman facit in patibulo suspendi ; hoc est, ad locum redire æterni suplicii sui, ne fidelibus noceat*, Esther 7. Respondens Rex, ait : Quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? Dixitque Esther : hostis, & inimicus noster pessimus iste est Aman (*Quod interpretatur* conturbans) *& post pauca* : Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo : & Regis ira quieuit. *Quod enim procurat Diabolus homini ex peccato supplicium, ipse deuictus à Virgine, sibimet aggerat in Inferno. Ea propter Virga dicitur Deipara*, Is. 11. Egredietur Virga de radice Iesse : *Diabolum vtique, & eius in culpa obstinatione sequaces* Virga B flagellans, Num. 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab.* Moab *interpretatur* de patre ; *obstinati autem peccatores ex Diabolo sunt*, *Io. 8.* Vos ex patre diabolo estis : *etenim* per peccata C fiunt homines filij Diaboli, in quantum ipsum primò peccantem imitantur. *Verùm, tametsi in dæmones, & contumaces homines sit B. Virgo* virga flagellans ; *nihilominùs dicitur etiam* Primò D virga consolans in tribulationibus, Ex. 14. *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.* Secundò est virga fructificans, Num. 17. *Inuenit Moyses, germinasse virgam Aaron in domo Leui : & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Tertiò virga est satians, Num. 20. *Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.* Quartò est virga vigilans, Ier. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Vigilans *inquam* virga *est Beatissima virgo ad sibi indigentiam deuotorum, vtrique eorum saluti benignissima consulens. Quid autem à Filio dilecta, & electa mater non impetret? Satiùs dixerim, quid Filio non imperet? Idcircò enim Estheris figuram gerit, quæ ad Regem fiducialiter dicebat cap. 7.* Dona mihi populum meum, pro quo obsecro. *Accede ergo, quisquis es, ad mysticam hanc Matrem Salomonis, de quo Mat. 12.* Ecce plusquam Salomon hic ; *& dic cum Adonia 3. Reg. 2.* Petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. *Quæ dixit* : Loquere : *Et tu* : Precor, vt dicas Salomoni Regi (neque enim negare tibi quidquam

Contra diabolú pugnat & vincit.

Z Mat. 20. Gl. b. ibi.

Coram Arca Domini, scilicet *Maria*, iacet Dagon, scilicet *Diabolus*, viribus amissis.

Mystica Iahel.

Euangelica Iudith.

A Apoc. 12. Com. 2. §. 1. ibi. & in capite eius.

Noua Esther

Virga flagellans.

B Is. 11. ibi.

C 1. p. 114. 3. ad 2. & Io. 8. l. 6 lit. a.

Peccatores filij Diaboli.

D Is. 11. ibi, virga.

Virga consolans, fructificans, satians, vigilans.

Omnia pro nobis à filio impetrat.

quam potest) vt det mihi , quod postulo . *Nec vacua redibit petitio tua : nam & primum miraculum ad subuentionem indigentium Matre postulante à Christo Domino patratum est , vt habetur Io. 2.* Hoc fecit initium signorum Iesus &c.

Rosarij Psalterium B. Virginis gratissimum, fidelibus saluberrimum.

y Caeterùm sua promptiùs iis videtur beneficia conferre , qui sacri Rosarij *precarium piè sibi offerunt , ac deuotè . Quem quidem cultum super omnes sibi acceptissimum esse, seruo suo Fratri Alano ex ordine Praedicatorum indicare dignata est . Fertur enim ei reuelasse :* Hoc genus orandi promptum , ac facile esse sibi gratissimum , ad impetrandam diuinam misericordiam accommodatissimum , populis salutare , & contra quaeuis aduersa praesens auxilium. *Ad impetrandam inquam diuinam misericordiam . Ex quo modus iste exorandi haud perperam Psalterium dicitur : nam 15. Salutationis Angelicae decades numerum componunt 150. qualis est psalmorum numerus , hoc est Dauid Regis psalterium . Sicut autem Psalterium Dauidicum assumpsit Ecclesia ad impetrandam animae ex diuina misericordia salutem : (frequentatur enim* Psalterium E in Ecclesia ad dandam nobis spem diuinae misericordiae: quia cùm peccasset Dauid , tamen per poenitentiam est reparatus:) *Ita Rosarianum Psalterium pia frequentat Ecclesia ad eandem à Deo, interuentu Virginis, misericordiam implorandam , & poenitentiam peccatorum obtinendam , Vtrumque enim in Angelica salutatione exprimitur . Primum , cum ei dicitur ;* Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus , & benedictus fructus ventris tui Iesus : *qui est Saluator noster , Luc. 1.* Per viscera misericordiae Dei nostri , in quibus visitauit nos oriens ex alto ; *in vtero vtique Virginis beatissimae . Secundum in iis verbis :* Ora pro nobis peccatoribus : *vnde &* Refugium peccatorum *ab eadem Ecclesia nuncupatur . Sed & ad hoc plurimùm facit post singulas decades repetita , non ab hominibus inuenta , sed à Christo Domino instituta, Dominicalis Oratio , qua paternam clementiam à Deo bonorum omnium largitore pariter imploramus . Sanè formula haec Deum, ac B. Virginem precandi, caeteras praecellit cunctas , quippe quae praecipua fidei nostrae mysteria recensentur , simulquè laudatur incessanter Virgo Deipara salutationibus iis Angelicis verbis :* Aue Maria gratia plena Dominus tecum . Hoc autem F verbum , *Dominus tecum* , est nobilius verbum , quod sibi possit dici : *in hoc enim rememoratur singulare gratiae priuilegium sibi in Christi conceptione collatum . Et quidem , si Psalterium hoc recitetur communiter , gratius Deiparae futurum , non dubitamus ; nam communis oratio , & acceptior Deo est , & ad impetrandum facilior . Quin ad illud Mat. 18.* Si duo ex vobis consenserint super terram , de omni re quancunque petierint , fiet illis à Patre meo ; *docemur , quòd* impossibile G est (idest H valdè difficile) preces multorum non exaudiri , si ex multis orationibus fiat quasi vna , 2. *Cor.* 1. Vt ex multorum personis , eius , quae in nobis est donationis , per multos gratiae agantur pro nobis . *Hinc de discipulis dicitur Act. 1. quòd* erant perseuerantes vnanimiter in oratione . *Et Io. 20.* Cum fores essent clausae , vbi erant discipuli congregati , venit Iesus , & stetit in medio eorum . *Quibus in verbis* dispositio I discipulorum describitur imitanda , quia congregati erant : quod quidem non vacat à mysterio Christus enim ad congregatos venit ; Spiritus Sanctus ad congregatos descendit : quia Christus , & Spiritus Sanctus non nisi in charitate congregatis adsunt . *Vnde & Mat. 18. cohaerenter dicebat Dominus :* Vbi sunt duo , vel tres congregati in nomine meo , ibi sum in medio eorum . *Vbi sunt congregati* congregatione L Sanctorum , non terrenorum , Ps. 110. *In consilio iustorum , & congregatione magna opera Domini .* Et dicit , *duo , vel tres* , quia charitas non est in vno , sed in pluribus . *Ibi sum in medio eorum ;* quia *qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo ,* 1. Io. 4. *Idcircò Apostolus* ad Rom. 15. *dicebat :* Obsecro , vt adiuuetis me in orationibus vestris : *videlicèt* , quia M multi minimi , dum congregantur vnanimes , magis merentur . Et ideò impossibile est , vt multorum preces non impetrent . *Vnde & ad Philem. idem Apostolus :* Paulus vinctus Christi Iesu , & Timotheus frater &c. *Vbi Timotheum* N adiungit, vt faciliùs impetret , quia impossibile est preces multorum non exaudiri . *Vide , quantùm intersit orationes sociatim persoluere , Rosarium praesertim , siue in Ecclesiis , siue in domibus priuatis , tota familia vnanimiter orante . Sanè de hac Sacra Rosarum corona pracini videtur Eccli. 39. cum dicitur :* Obaudite me diuini fructus , & quasi *Rosa* plantata super riuos aquarum fructificate . Quasi Libanus odorem suauitatis habete . Florete flores quasi lilium , & date odorem , & frondete in gratiam , & collaudate canticum , & benedicite Dominum in operibus suis . Date nomini eius magnificentiam , & confitemini illi in voce labiorum vestrorum & in canticis labiorum : *quemadmodum in Templis , & Oratoriis à fidelibus in Domino congregatis consueuit alta voce sacrum Rosarium recitari . Rosarii autem nomenclaturam sortitum est , quia & ipsa Virgo Deipara* Rosae *plantationem se nominat , Eccli. 24.* Quasi palma exaltata sum in Cades , & quasi plantatio *Rosae* in Iericho , *Cades interpretatur* , Sanctitas : *ipsa autem Virgo in Sanctitate super caeteros iustos palmam tenet . Iericho verò interpretatur* Luna , *quae Mundi huius defectus satis designat . Ipsa verò quasi* Rosae plantatio *in Mundo est , quia defectibus subuenit nostris , per Sacrum Rosarium inuocata : vnde &* Rosa mystica *ab Ecclesia appellatur . Adde , quòd triplicis extant coloris Rosae : aliae enim croceae sunt , siue flauae ; aliae rubrae ; aliae albae . Primae mysteriis aptantur incarnationis , quae* Gaudiosa *vocant .* Secundae *mysteriis passionis , quae* Dolorosa *dicunt : Tertiae glorificationis applicantur mysteriis , quae* Gloriosa *appellant . Et quidem croceae Rosae mysteriis incarnationis satis conueniunt : nam* Crocus O aurei coloris habet florem , ideoque significat charitatem , *quam Deus maximè nobis ostendit in mysterio incarnationis , Eph. 2.* Propter nimiam charitatem suam , qua dilexit nos &c. conuiuificauit nos in Christo . *Charitatem autem sequitur gaudium , & pax . Vnde Luc. 2. nascente Domino , Angelus de Caelo :* Euangelizo *inquit* vobis gaudium magnum , quia natus est vobis hodie Saluator ; *concinuitque Caelestis exercitus :* Gloria in Altissimis Deo , & in terra *pax* hominibus bonae voluntatis . *Hinc Apostolus ad Gal. 5.* Fructus autem Spiritus, charitas , gaudium , pax . *Ex quo gaudiosis mysteriis benè croceae rosae adaptantur . Sed & rosae rubrae ritè congruunt mysteriis passionis , Is. 63.* Quare rubrum est vestimentum tuum & ve-

E Prol. in Psalm.

F Op. 8. post med.

Communiter recitatum, Deo ac Deiparae gratius.

Communis oratio, Deo acceptior.

G Mat. 18. lit. b. ibi, & 2. Cor. 1. l. 3. fi. & ad Hebr. 13. l. 3. ibi orate & Luc. 5. §. 9. ibi, orate.

H Ad Hebr. loc. cit.

Quam impossibile est non exaudiri.

I Io. 20. l. 4. lit. a. fi.

L Mat. 18. lit. b. ibi.

M Rom. 15. l. 3. ibi.

N Ad Philem. l. 1. ibi.

Rosarium vnde dictum.

Triplicis generis rosae, incarnationis, passionis & glorificationis mysteriis congruè adaptantur.

O Cant. 4. com. 1. & 2. ibi Crocus, & Apoc. 3. Com. 1. & 2. ibi , aurum.

P Is. 63 ibi. & vestimenta tua sicut calcantium in torculari ? videlicet Crucis P in qua Christus pondere passionis pressus , hostes calcauit , *Sanguinem suum in pretium redemptionis effundens* . Albæ *similiter Rosa* , *non minùs mysteriis glorificationis conueniunt* ; *nam resurgente Christo* , *piæ mulieres* introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dexteris , coopertum stola *candida* Marc. 16. *Et Magdalena* prospexit in monumentum , & vidit duos Angelos *in Albis* sedentes , *Io.* 20. Per quod Q claritas resurrectionis , & gloria Christi resurgentis demonstratur . *Quæ quidem triplicis ordinis mysteria tria Orientalium Regum munera Deo gratissima mysticè signant : aurum videlicet , thus , & myrrha* . Aurum *quippe immensæ charitatis Christi in primo ordine Deo sacras* , *Apoc.* 3. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum , *idest* R charitatem , *exponit Author* . Thus *redolens sacrificii Crucis super omnia sacrificia acceptissimi* , *exhibes in Secundo* , Christus dilexit nos , & tradidit semetipsum pro nobis oblationem , & hostiam Deo in odorem suauitatis , *Eph.* 5. Myrrham , *quæ cadaueribus incorruptionem præstat* , *incorrupti Christi corporis gloriosè resurgentis offers in tertio* , *Ps.* 15. Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem . *Et hæc eadem* Rosarij mysteria tripartita *Ioannes in Apoc. cap.* 1. *describit* , *cum ait* : Qui dilexit nos : *en incarnationis ex diuina charitate mysteria* : & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo : *en mysteria passionis* : & fecit nos regnum , & Sacerdotes Deo , & Patri suo : *en glorificationis mysteria* . *Vnde & cap.* 20. *de hac Christi* , *& nostra glorificatione dicit* : Erunt Sacerdotes Dei , & Christi , & regnabunt cum illo mille annis .

Q Io. 20. l. 2. lit. b.

R Apoc. 3. com. 2. ibi.

Modus orandi in sacro Rosario perfectior .

Z *Modus porrò Deum orandi in sacro Rosario cæteris perfectior dignoscitur* . *Sicut enim vita contemplatiua* , *actiua coniuncta* (*vt est in confesso apud omnes*) *perfectior* , *& nobilior est* , *quàm altera sola* : *Ita perfectior iudicatur precandi forma* , *quæ vocalem simul* , *& mentalem orationem complectitur* ; *qualis procul dubio censenda est in Rosariano precario* , *quo & Christiana fidei mente contemplamur mysteria* , *& in vocales Dei* , *ac Virginis laudes* , *simul ora laxamus* . *Sanè quis conuenientior modus* , *aut efficacior impetrandi à Deo quidquid iustè petimus* , *quàm incarnationis* , *passionis* , *& glorificationis vnigeniti Filii* , *nostræque per eum redemptionis mysteria orando exhibere* ? *Ecqua nobilior excogitari potest orationis materia* ? *Et hoc quidem per Rosarianum præstatur Psalterium* , *Redemptoris exemplo* , *qui non aliter* (*quasi Rosarii Confratrum Dux* , *& Magister*) *pro nobis interpellare videtur apud Patrem in Cælis* , *Hebr.* 7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis . *Interpellat enim pro nobis* Primò S humanitatem suam , quam pro nobis assumpsit , repræsentando . Item Sanctissimæ animæ suæ desiderium , quod de salute nostra habuit , exprimendo , cum quo interpellat pro nobis , 1. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum* : videlicet T vt iram Patris habeat placare : *sed quomodo* ? repræsentando Patri naturam humanam citatricibus signatam (*vt & superius tactum est* :) & ita sua merita allegantem , non nostra . *Et alibi* : Christus V Iesus interpellat pro nobis ; humanitatem pro nobis assumptam , & mysteria (*nota*) in ea celebrata , conspectui paterno repræsentando , ad Hebr. 9. *Iesus introiuit in ipsum Cælum* , *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis* . *Vbi* loquitur X Apostolus alludendo ritui veteris legis , secundùm quam Pontifex , qui intrabat Sancta Sanctorum ; stabat coram Propitiatorio , vt oraret pro populo . Ita & Christus intrauit Cœlum , secundùm quod homo , vt astaret Deo pro salute nostra . *At quid est* , *quòd dicit Apostolus* , vt appareat , *cum dicere potuerit* , vt astaret ? *Profectò non sine mysterio* : *apparet enim conspectui Patris* , *non qualitercumque* , *sed cum manifestis vulnerum citatricibus* , *quibus pro salute nostra signatus in Cruce fuit* : *quò per sua exhibitum mysterium passionis* , *nobis vt homo impetret diuinæ pietatis effectum* , *& compassionis* . *Non secus ergo & nos per Rosarianum Virginis psalterium* , *iustè ob culpas nostras iratum Dominum* , *redemptionis mysteria contemplantes* , *& offerentes* , *suauiter demulcemus* . *Quis fidelium adeò pium* , *& salutarem per tot Pontifices approbatum orandi modum* , *plena animi promptitudine non amplexetur* , *ad maius Dei gloriæ incrementum* , *ac Deiparæ honorem maximum toto iam terrarum Orbe diffusum* ? *Deuotè proinde salutare placuit sub eadem nuncupatione Deiparam* , *sequenti* , *quem olim concinnauimus* , *rythmo* .

Quem à Christo edocemur.

S Hebr. 7. l. 4. ibi.

T 1. Io. 2. §. 1. ibi.

V Rom. 8. l. 7. ibi , interpellat .

X Hebr. 9. l. 5. ibi .

AD

AD VIRGINEM DEIPARAM
ſub nuncupatione Roſarij.

Rythmus.

AVE, filia MARIA
Patris, Nati Mater pia,
Almi Sponſa Spiritus.

AVE, Virgo BENEDICTA,
Ex qua cœlitus prædicta
Verbum carnem ſuſcipit.

AVE, fœta Deo, clauſus
Quem Ioannes ſenſit, plauſus
Matris edens vtero.

AVE, ſordidâ brutorum
Caulâ Regem Angelorum
Læta Virgo pariens.

AVE, Natum Deo ſiſtens,
Quem vt excipit aſſiſtens,
Vult dimitti Simeon.

AVE, triduo quæſitum,
Templo, Legis quo dat ritum,
IESVM nacta puerum.

AVE, Chriſto ter orante,
Hortum Sanguine rigante,
Dans Columba gemitum.

AVE, dulcis cuius Proles
Flagris languet, quæque doles
Tot IESV ludibria.

AVE, ſepta ROSA ſpinis,
Matri fixis, cùm diuinis
Figuntur temporibus.

AVE, ſcapulis geſtanti
Crucem, pondere labanti,
Charo dextra pignori.

AVE, corde crucifixa
Stans, Dilecti dum confixa
Sacra membra ſuſpicis.

AVE, Mundo præfulgentis
Solis, Nati reſurgentis
Illuſtrata iubare.

AVE, Cœlos vbi ſcandit,
Paradiſum iuſtis pandit,
Chriſti comes extaſi.

AVE, caſti vim ardoris
Intus paſſa, dum amoris
Flamma pluit cœlici.

AVE, nequam euocata
Seclo, ſuperis illata
Angelorum agmine.

AVE, Stygis triumphatrix
Cœlis terris Imperatrix,
Beatorum optima.

AVE fragrans Virgo ROSA,
GAVDENS DOLENS GLORIOSA
In ſacro ROSARIO. Amen.

a *QVod tempus verò, ad laudes Virgini concinendas, votaque dirigenda opportunum, quamuis iugiter veneranda, colenda, exoranda, & inuocanda Deipara ſit, ſecundùm illud:*

Omni die dic MARIÆ
Mea laudes anima:
Sine fine dic Reginæ
Mundi, laudum cantica.

Sabbatum cum Beatæ Virgini ſpecialiter conſecratum.

unde & diebus ſingulis, ad ineffabile recolendum diuini ex ea incarnati Verbi myſterium, ter eam ſalutare deuotè, & laudare ab Eccleſia excitamur; manè videlicet, meridie, ac veſpere. (Et quidem in ſalutatione veſpertina cum plenaria indulgentia acquiſitione, ab Adriano VI. *ſalutantibus, vt ferunt, conceſſa:) Nihilominus peculiaris veluti ſtatuitur illius dies, Sabbatum. Nec ſine cauſa: nam in veteri lege* præceptum *de Sabbato colendo* datum Y fuit (*præter cætera*) ad inſtructionem fidei Redemptoris, caro enim Chriſti in Sepulchro corrupta non fuit, Pſ. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Vnde voluit, Sabbatum obſeruari, vt ſicut ſacrificia ſignificabant mortem Chriſti, ita quies Sabbati requiem carnis eius. Sed nos iſta ſacrificia non ſeruamus, quia adueniente re, & veritate, debet ceſſare figura: ſicut adueniente Sole, ceſſat vmbra. Seruamus tamen Sabbatum in venerationem Virginis glorioſæ, in qua remanſit tota fides tali die in morte Chriſti. *Vnde & ſignanter canitur ab Eccleſia* Virgo fidelis. *Quemadmodum autem* voluit Z Deus, vt cuſtodiretur vnus dies (*Sabbatum videlicet*) in memoriam, quòd Deus omnia creauit in ſex diebus, & in ſeptimo quieuit à nouis creaturis condendis: *Ita quieuiſſe creditur in vtero Virginis, Eccl. 24.* Qui creauit

Y *Op. 4. 3. prae. §. 1.*

Z *Ibid.* Paulo ante.

uit me, requieuit in tabernaculo meo: *in cuius memoriam quietis, Sabbatum Deipara consecramus*, *Ps.* 131. Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculum seculi. *Elegit Dominus Sion*, idest A Beatissimam Virginem, quæ est speculum, & specula Ecclesiæ. (*Vnde & quod dicitur Ps.* 19. De Sion tueatur te, *exponitur*: idest B de specula, scilicet de arce Dauid, vbi erat Arca, *Mariæ symbolum*.) *Est ergo Virgo Beata* specula Ecclesiæ, *in qua requiescit Dominus* in seculum seculi, *secundum illud Mat.* 28. Ecce ego vobiscum suum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Caterùm, quantùm spectat ad Mariæ patrocinium, si purus, & castus es, ad eam accede*: Adducentur enim Regi virgines post eam, *scilicet* post B. Virginem, *vt supra ex Ps.* 44. *expositum est*: *Si impurus es, at impuritatem detestaris, vt purus fias: Mariam inuoca; &* super niuem *Virginis protectione* dealbaberis. *Verùm, si in peccato, & in immunditia perseuerare intendis, à Maria recede, cuius pietas* nescit patrocinium dare criminibus: *neque enim in hoc sensu* Refugium *appellatur* peccatorum. *Vnde signanter dicebat Author*: In omni C opere virtutis potest eam habere in adiutorium; *non ita in vitio ex proposito perseuerans. Pro illis dictum sit, qui in peccato, velut* sus lota in voluntabo luti 2. *Pet.* 2. *persistere deliberatè volentes, Rosariana suffragium Virginis deposcunt, auditoque ad eius aram quotidie sacro, se pro peccatis cunctis plenè autumant satisfecisse. Humanam hi Christi Matrem venerantur: at diuinum aspernantur Patrem. Die Sabbati, in Matris obsequium, vel à lacticiniis abstinendo ieiunant: at in quadragesimali Christi ieiunio carnibus luxuriantur. Deiparæ implorant opem: at fraudant operarios mercede. Mariæ virginitatem pie dolunt: at innocuis puellis florem impiè tollunt virginitatis. Virgini genitrici præstant obsequium: at impudicæ meretrici profitentur famulatum. Matris protectionem orando inuocant: at Filii indignationem errando aduocant. Sacras Rosas Mariæ intexunt: at duras Filio spinas blasphemandò infigunt, ne dicam cum Apostolo*: rursùm crucifigentes sibimetipsis Fillum Dei; *& (quod deterius est)* ostentui habentes, *vt dicitur ad Hebr.* 6. *Sanè, qui non est cum Filio, contra Matrem est: nec dulce sua lac protectionis iis præbet, qui amaro peccati felle sitim Filii restinguunt. Vera in Virginem, & Sanctos deuotio, eorum est opera sancta æmulari. Voluntas Matris voluntati Filij necessariò conformis est. Ipse autem Redemptor, Ipse Saluator, Ipse Iudex noster: non Virgo. Qui iudicem spernit, incassum aduocatum adhibet, & intercessorem. Maria Virgo veneranda, adoranda, exoranda, in ea potissimè sperandum est; sed magis Deus metuendus*. Disce *Matrem venerari, Filium timere. Vide plura Tom.* 1. *Verbo* Apostoli, Cælibatus, Christi conceptio, Natiuitas, Mors. Et *Tom.* 2. *Verbo* Ecclesia, Gratia Dei, S. Io. Euangelista, S. Ioseph.

A *Apoc.* 12. *Com.* 2. §. 1. *ibi*, corona, &c. 6. §. 1. *ibi*, vt vinceret.

B *Ps.* 19. *lit. a. ibi.*

Moralitas.

C *Op.* 8. *circ. med.*

MARIA MAGDALENA.

III. In iustificatione impij apparet iustitia Dei, dum culpas relaxat propter dilectionem: quam tamen ipse misericorditer infundit; sicut de Magdalena legitur Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. 1. p. 21. 4. ad 1.

b DE *muliere Christum Dominum inungente, cuius non semel Euangelia mentionem faciunt, diuersimodè Sancti Patres sensisse videntur. Est enim* quorundam D opinio, vt *Origenis*; quòd fuerunt mulieres plures. Expreisè dicit *Hieronymus*, quòd illa, de qua loquitur Lucas, non fuit soror Lazari; quia de illa dicitur, quòd pedes vnxit; de alia verò dicitur, quòd pedes, & caput. *Ambrosius* super Lucam dicit, quòd vtrumque potest dici, quòd scilicet sit eadem, vel diuersa. Si dicimus, quòd eadem; possumus dicere, quòd etsi eadem, non tamen eiusdem meriti. Peccatrix enim non est ausa caput tangere; sed post, habita fiducia caput vnxit. *Augustinus* probat, quòd sit eadem, quia *Io. c.* 11. antequam accedat ad illud factum, dicit: *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur*. Ideò videtur, quòd illa, de qua Lucas loquitur, sit eadem cum illa, quæ est soror Lazari. *Origenes* dicit, quòd non est eadem illa, de qua Lucas loquitur, & illa, de qua Ioannes. Et potest probari ratione temporis: quia illud legitur factum antequam iret in Ierusalem: hoc factum est, cum dixit: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Item ex loco: quia illa in domo Marthæ, de qua in Ioanne: hæc autem in domo Simonis. Item per hoc, quòd ibi pedes, hic caput vngit. *Augustinus* tamen dicit, quòd eadem mulier est; & respondet ad rationes *Origenis*. Ad primam dicit, quòd Matthæus non seruat ordinem historiæ, sed recitat: quia ex hoc casu assumpsit Iudas occasionem peccandi, cum vidit, vnguentum effundi. Quod obijcit de loco, *Augustinus* non soluit. Potest tamen sic solui: quia iste homo erat magnæ authoritatis, & potestatem habens, & domus vna eorum, quia cognatus eius erat. Aliter, quomodo verum esset quod dicitur: *Fecerunt cœnam ibi; Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus*? Dicunt E ergo *Hieronymus*, & *Origenes*, quòd Maria soror Lazari non est eadem cum illa, quę peccatrix erat, de qua dicitur Luc. 7. quòd *attulit alabastrum vnguenti: & stans retrò &c.* Vnde sicut dicit Chrysostomus: Hæc (*Ioan.* 11.) non fuit illa meretrix, quæ in Luca legitur: hæc enim honesta fuit, & studiosa circa susceptionem Christi; nam peccatricis illius nomen tacetur. Potuit autem & Maria ista erga Christum tempore suæ passionis ex deuotione, & speciali dilectione simile opus fecisse, quod fecit ei peccatrix illa diligens, & compuncta: quod quidem factum hic ab Euangelista propter Mariæ nominis magnitudinem per anticipationem recitatur. *Augustinus*, & *Gregorius*, dicunt, quòd hæc eadem Maria, de qua hic *Io.* 11. agitur, est illa peccatrix, de qua agitur *Luc.* 7.

Ampliores Mariæ fuerunt Christum vngentes.

D *Mat.* 26. *lit. a. ibi* mulier *Io.* 11. *l.* 1. *lit. a. & cap.* 12. *l.* 1. *lit. d.*

Opinio Origenis, Hieronymi, Ambrosij.

Augustini.

E *Io.* 11. *l.* 1. *lit. a. fin.*

Chrysostomi.

Gregorij.

Et argumentum huius ex hoc verbo *Augustinus* assumit: nam hoc Euangelista dicit, antequam Maria vngeret Dominum vnguento, quia illud fuit imminente passione *Io.* 12. vbi dicitur; *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu*. Vnde dicit, quòd hoc, quod hic dicit Euangelista de ea factum, recitatur *Luc.* 7. Secundùm ergo opinionem *Augustini* (*quam & Ecclesia videtur amplecti*) manifestum est, quòd peccatrix illa, de qua dicitur in Luca, est Maria ista, *cuius Frater Lazarus infirmabatur* (*Io.* 11.) Idest, miserandum corpus eius, fornaceis febribus alendum, edax incendium absumebat.

Opinionem Augustini amplectitur Ecclesia.

c *Porrò Maria hæc dicitur* Mat. 26. *accessisse ad Iesum in domo Simonis leprosi. Vbi notandum, quòd tunc* F *non erat leprosus, sed curatus fuerat à Christo*; si enim talis esset, non remansisset Christus cum eo, cum esset illud prohibitum in lege. *Et quòd eò veniret Magdalena*; ratio G potest esse literalis: scilicet, vt illa haberet fiduciam veniendi ad Christum, quia ipse erat cognatus Mariæ, & curatus erat ab eo lepra corporali; & ipsa veniebat, vt curaretur à lepra spirituali. Et notandum, quòd nullus alius dicitur venisse ad Christum pro salute spirituali, excepta illa: ideo laude digna fuit. *Laude inquam digna fuit, simulque hinc digna, vt sibi culpa remitteretur, sublatis tunc ex priuilegio omnibus etiam reliquiis peccatorum. Pro quo sciendum, quòd sicut corporaliter* Deus H totum hominem perfectè curat: quandoque tamen subitò, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita vt *surgens ministraret illis*, vt legitur *Luc.* 4. Quandoque autem successiuè, sicut patet de cæco illuminato *Marc.* 8. (*nam* primò I restitutus est ad imperfectum visum, vnde ait: *Video homines velut arbores ambulantes*; deinde restitutus est perfectè, ita vt videret clarè omnia:) Ita etiam spiritualiter quandoque priùs remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successiuè tollit peccati reliquias: quandoque autem tanta commotione conuertit cor hominis, vt subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena *Luc.* 7. *Hæ verò peccatorum reliquiæ nihil aliud sunt, quàm* dispositiones L ex præcedentibus actibus causatæ: (ex quibus M præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum:) quæ tamen remanent debilitatæ, & diminutæ, ita quòd homini non dominantur. *Et hoc fuit speciale Mariæ priuilegium, vt simul, & semel & peccata ab ea tollerentur, & peccatorum reliquiæ. Cæterùm, cum dicit Apostolus*: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, *ad Rom.* 5. illud N verbum Apostoli intelligitur de gratia Christi, quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem est verum in omnibus, quòd quantò quis abundantius peccauit, tantò abundantiorem gratiam consequatur, pensata quantitate habitualis gratiæ. Est tamen superabundans gratia, quantùm ad ipsam gratiæ rationem, quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur. Quamuis quandoque abundanter peccantes, abundanter doleant: & sic abundantiorem habitum gratiæ, & virtutum consequuntur; sicut patet in Magdalena: *quæ quia abundantiùs doluit, abundantiorem ideò gratiam consecuta est. Dolor autem contritionis ex mensura sumitur charitatis, vnde dicitur Luc.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.

Cur ad Iesum Maria accederet in domo Simonis leprosi.

F *Mat.* 26. *lit. a. ibi.*

G *Ibidem.*

Sola Magdalena pro salute spirituali ad Christum venit.

H 3. p. 86. 5. ad 1. & 44. 3. ad 2.

I 3. p. 86. l. 5. in sed contra.

Quæ subito ei perfectè collata est, sublatis etiam peccatorum reliquijs.

Quid sint eiusmodi reliquiæ.

L 3. p. l. c. in Corp.

M 3. p. 89. 1. ad 3.

Exponitur illud: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

N 3. p. l. c. a 2. ad 3.

Magdalena abundantiorem gratiam consecuta est, quia abundantiùs doluit.

Dolor contritionis ex mensura sumitur charitatis.

d Dilexit *inquam* multùm *Maria pœnitens*: *Dilectum enim Christum ad mortem vsque secuta est*, *Io.* 19. Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius &c. & Maria Magdalene. *Sed & sepulcrum voluit inuisere*, *Io.* 20. Venit Maria Magdalene, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, *ex amoris profectò impulsu*. *Ideò enim* statim O transacto Sabbato ante lumen primæ Sabbati venit ad monumentum: quia nimius ardor amoris eam solicitabat, Cant. 6. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, scilicet charitatis. *Quem vtique amorem signare voluit Ioannes, solam Magdalenam commemorans; cum tamen Marc.* 16. & Maria Iacobi, & Salome *venisse dicantur*. *Hoc enim dicitur*: quia P Maria Magdalena feruentior, & deuotior erat ad Christum alijs mulieribus: & ideò eam Euangelista specialiùs nominat: (& inde est quòd priùs ei apparuit Dominus, *Sap.* 6. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.) *Vnde & consequenter subditur, quòd corpore minimè inuento*, cucurrit *ex feruore anxiæ charitatis*, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus; & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. *Quibus verbis* dat Q intelligere, quòd non sola fuerit ad monumentum. Sed attende, quòd in græcis codicibus habetur *Dominum meum*, ad designandum propensiorem charitatem, & famulatus affectum. *Hinc de inuentione magis solicita, ad Magistrum, sub Hortulani specie sibi docentem*: Quem quæris? *protinùs respondet*: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. *Vbi Author*: Cum iste R de nouo *inquit* venisset, nec ei dixerat, quem quærebat, quare dicit: *si tu sustulisti eum*? Quem enim? sed dicendum, quòd vis amoris hoc agere solet in amante, vt quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Sed quid dicit: *Et ego eum tollam*? Mirabilis Mulieris audacia, quam mortui non terret aspectus, & cuius valetudo ad graue mortui funus tollendum plus intentat, quam possit. Sed hoc est, quod dicitur 1. *Cor.* 13. Charitas omnia sperat. *Vbi & notandum, quòd eum* Dominum S vocat, vt beneuolentiam captet. *Verùm* (*ad rem nostram*) *vel abiectum aliterem* Dominum *vocat, quia videlicet amor intensus extra se sic hominem rapit, vt ignoret quodammodo quid loquatur. Ita Sponsa* Cant. 1. *Sponsum alloquitur in persona tertia, dicens*: Osculetur me osculo oris sui: *& mox in secunda persona subiicit*: quia meliora sunt vbera tua vino. *Quod aduertens Author*: Sponsa *inquit* loquitur T more amantis, qui propter feruorem dilectionis loquendo ordinem non valet seruare. Ideò aliquando loquitur in tertia persona, aliquando in secunda. *Non secus & Magdalena ex amoris feruore, & intensione inordinatè loqui videbatur, vel ex eo quòd* Dominum *suum tenens in corde, semper in oculo, semper in ore habebat*. *Igitur non mirum*, dimissa sint ei peccata multa: *quia videlicet* dilexit multùm. *Deus siquidem* culpas V relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit: *quod aiebat inicte Author*. *Vnde &* Charitas X dicitur causa remissionis peccatorum: in quantùm scilicet per eam homo Deo coniungitur, à quo auersus peccato erat.

e *Verùm, cum tanta charitate Magdalena inardesceret, cur ei à Christo sui contactus tempore post resurrectionem denegatur*? Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Quod*

Eius amor ad Christum.

O *Io.* 20. *l.* 1 *lit. a. ibi.*

P *Io.* 20. *l.* 1. *lit. a. ibi, & lit. b. initio & l.* 2. *lit. a.*

Q *Ibid. lit. b. ibi.*

R *Ibid.* 3. *lit. c.*

S *Ibid.* immediatè antea.

Intensè amans ordinem nescit seruare in loquendo.

T *Cant.* 1. *com.* 2. *ibi.*

Dilectio, & charitas causa remissionis peccatorum.

V 1. p. 21. 4. ad 1. & 3. p. 49. 1. c.

X *Ver.* 28. 1. ad 3 & 4.

Sanctus Thomas Author noster mysticè dicitur manum suam in Christi misisse latus sicut Apostolus.

Quod quidem minimè Apostolo Thomæ negauit, quem immò ad Sui tactum veluti compulit, *Io*: 20. Affer manum tuam, & mitte in latus meum. (*Non secùs & Sancto Thomæ Authori nostro mysticè dictum est*: Mitte manum tuam in latus meum; *quippe* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, *quibus mens eius Angelica dicata fuit*: calamumque in sacratissimo eiusdem lateris sanguine ad piè docteque scribendum intinctus.) *Verumtamen* Thomas Y ad solum aspectum vulnerum credidit; vnde dictum est ei: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*. Sed tamen tetigit eum, vt à nobis omnem dubitationem excluderet: quia testis erat futurus resurrectionis. Vnde Leo Papa dicit: *Suffecerat ad fidem propriam quod viderat: sed nobis operatus est, vt tangeret quod videbat*. Gloriosa autem Magdalena non eligebatur vt testis resurrectionis in populis, quia non decet mulierem docere in Ecclesia, vt dicitur 1. *Cor*. 14. Et ideò non est permissa tangere. *Vel dic* ex Chrysostomo *cum Authore*, *quòd* volebat Z hæc mulier adhuc cum Christo conuersari, sicut & ante passionem; & præ gaudio nihil magnum cogitabat, quamuis caro Christi multò melior facta fuerit resurgendo: & ideò dixit: *Nondum ascendi ad Patrem meum*; quasi dicat: Non æstimes, me iam terrenam vitam agere: quòd enim in terra me vides, hoc est, quia *nondum ascendi ad Patrem meum*, sed in promptu est, quòd ascendam. Vnde subditur: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. *Hinc* Augustinus 1. *de Trin. c.* 9. Tactus *inquit* facit A quasi finem cognitionis. Quando enim videmus rem, vtcumque eam cognoscimus: sed per tactum consummatam cognitionem de ea habemus. Mulier hæc autem aliquam fidem habebat de Christo, sicut de sancto viro; vnde & Magistrum eum vocabat. Necdum tamen ad hoc peruenerat, vt cognosceret eum, & æqualem Patri, & vnum cum Deo. Et ideò dicit ei: *Noli me tangere*: idest, non constituas finem tuæ notionis in id, quod credis de me; *nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet in corde tuo, quia non credis, me esse vnum cum eo: quod tamen postea credidit. *Ex quo innotescit, cur tunc permissa tangere non sit*: postea verò ei Christus occurrens, se permiserit contingi, *Mat*. 28. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius: *tunc nimirum, quando plenè credidit*. *Nam ex Augustino* Maria B Magdalena primò non potuit tenere eum, quia primò dubitauit; & ideò digna non fuit: sed iam certificata, digna est effecta tangere Christum, vt tactus exterior concordaret interiori. *Vnde & subditur*: Et adorauerunt eum, *videlicet vt Deum, & Dominum gloriæ*, *Ps*. 23. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ. *Hinc dilecti resurrectionem singulari eiusdem priuilegio primò annunciat, & primà*, *Io*. 20. Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum &c. *Nimirùm*, vt Mulier C quæ primò nuncium mortis ad hominem detulit, primò etiam vitam resurgentis Christi in gloria nunciaret. *Quod & ab Angelo præmissum ei fuerat Mat*. 28. *quia* sicut D prima mulier primò locuta est diabolo: sic cum bono Angelo prima locuta est, vt omnia restaurarentur. *Vbi maximè* notandum est E triplex priuilegium, quod Magdalenæ est collatum. *Primò* quidem propheticum per hoc, quòd meruit Angelos videre: Propheta enim est medius inter Angelos, & populum. *Secundò* Angelorum fastigium per hoc, quòd vidit Christum, *in quem desiderant Angeli prospicere* 1. Pet. 1. Tertiò officium Apostolicum, immò facta est *Apostolorum Apostola*, per hoc quòd ei committitur, vt resurrectionem Dominicam discipulis annunciet: vt sicut mulier viro primò nunciauit verba mortis, ita & mulier primò nunciaret verba vitæ.

Y 3. d. 21. 2. q. 3. ad 3. & 3. p. 54. 4. ad 2.

Cur Christus se à Magdalena contingi post resurrectionem non permiserit, uti Apostolo Thomæ concessit.

Z 3. p. 55. 6. ad 3. Io. 20. l. 3. lit. e.

A Io. 20. loc. cit. & 3. p. l. c.

B Mat. 28. ibi, tenuerūt.

Prima Christi resurrectionem nunciat.

C 3. p. 55. 1. ad 3. & Io. 20. l. 3. lit. f.

D Mat. 28. ibi, nolite timere.

E Io. 20. l. 3. lit. f.

Triplex eius priuilegium.

Apostolorum Apostola.

f *Hæc autem cuncta sibi ob intensi excellentiam amoris preuenerunt*: quoniam dilexit multùm. *Et quia, quæcumque Magdalena agebat, ex Christi amore operabatur, perpetuum se illi Dominus Aduocatum exhibuit, & Patronum*. *Vnde* Mat. 26. *effuso super caput eius vnguento, murmurantibus discipulis, excusat eam Christus, protegit, & commendat, dicens*: Quid molesti estis huic mulieri? Bonum enim opus operata est &c. *Quo loci aduertit Author*, quòd F Dominus semper est aduocatus huius mulieris: quia *Luc*. 7. Pharisæus accusabat eam de peccato, vnde dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est*. Et Dominus excusauit eam per dilectionem. Item *Luc*. 10. Martha accusabat eam de ocio: & Dominus excusat eam per contemplationem. Hîc (*Mat*. 26.) discipuli accusant eam de vnguenti effusione: & Dominus excusat eam ex deuotione: *Opus enim bonum operata est in me: nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebis*: quia scilicet illi dicebant, quòd poterat dari pauperibus. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. Sed nunquid intendebat sepelire Christum? Non: bonum tamen opus intendebat; sed Spiritus-Sanctus illud ordinabit ad sepulturam: (*vnde & Marci* 14. *legitur*: Præuenit vngere corpus meum in sepulturam. *Quasi dicat*: Non G prohibeatis eam facere mihi iam viuo, quod non poterit facere mortuo: nam fuit celeri Christi resurrectione præuenta.) *Adeòque* bonum opus *ex amore* operata est, *ut iureiurando asseruerit Dominus*: Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto Mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius; *idest* in commendationem H illius. Posset enim aliquis dicere, quòd dare proximo esset bonum opus. Verum est: sed non tantum, quòd prædicetur per vniuersum Mundum. *Quod quidem fit in perpetuam Magdalenæ commendationem, quotiescumque in totius Mundi Ecclesiis hocce legitur Euangelium*.

g *Qualis verè meriti opus hoc fuerit Mariæ inunctio, tangit Ioannes* cap. 12. *cum ait*: Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. *Circa quod ministerium* tria I tanguntur. *Primò* enim tangitur vnguentum: *Secundò* obsequium, quod exhibuit: *Tertiò* effectus obsequij. Circa primum tria tangit. *Primò* quantitatem vnguenti, quia multum fuit, vnde dicit: *libram vnguenti*, Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue*. *Secundò* materiam, quia fuit ex nardo confectum, vnde dicit, *Nardi*, Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum*. Est autem Nardus, herba breuis, & spicosa (*Marc*. 14. Vnguenti nardi spicati pretiosi:) & nigra, ex qua fit vnguentum, quod vim confortandi habet ex sua aromaticitate. *Tertiò* compositionis formam in eo, quod dicit: *pistici pretiosi*. Et secundùm *Augustinum* dicitur *pistici* à loco, in quo nardus oriebatur. Sed melius est, quòd exponatur *pistici*, idest fidelis: hoc est, non sophisticati per aliquam admistionem: nam *pistis* in græco idem est, quod *fides*. Addit autem *pretiosi*, quia confectum erat ex spica nardi, ex

Illius perpetuus aduocatus Christus.

F Mat. 26. lit. a. ibi & Io. 12. l. 2. lit. a.

A quo de vnguenti effusione specialiter excusatur & defenditur.

G Io. 12. loc. cit.

H Mat. 26. lit. a. ibi.

Qualis meriti Magdalenæ inunctio.

I Io. 12. l. 1. lit. d.

Nardus quid.

ex qua pretiosum vnguentum fit: & fortè admistis alijs pretiosis rebus. In quo docemur, quòd ea, quæ pretiosissima sunt apud nos, Deo debemus offerre, secundùm illud Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi &c.* Et Mal. 1. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: (quemadmodum, qui debiliores filios locant in claustris.)* Circa obsequium eius primò nota humilitatem in hoc, quod dicitur: *Vnxit pedes Iesu*; ad pedes scilicet procidens, secundùm illud Psalm. 131. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*. Secundò deuotionem, quia *extersit capillis suis*, vt de se ipsa quodammodo obsequium offerret, Rom. 6. *Exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo*. Effectus autem obsequij tangitur consequenter, cum dicitur: *Et domus impleta est ex odore vnguenti*. Per quod insinuatur vnguenti bonitas, cuius odor totam domum impleuit, Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Secundùm mysterium autem (*post pauca*) per *libram*, quam Maria accepit, designatur opus iustitiæ: nam ad iustitiam pertinet singula librare, & ponderare: (vnde *Augustinus*: Vnguentum illud *inquit* iustitia fuit, ideò libra fuit.) Opus autem iustitiæ debet quadruplici virtute adiuncta esse perfectum. Primò quidem pietate; vnde dicit *vnguenti*: quod quia lenitiuum est, misericordiam significat, Iac. 2. *Iudicium sine misericordia &c.* Secundò humilitate; vnde dicit, *Nardi*: quæ cum sit herba breuis, significat humilitatem, Eccli. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*. Tertiò fide, vnde dicit, *pistici*, id est fidelis, Habac. 2. & Rom. 1. *Iustus autem ex fide viuit*. Quartò Charitate; vnde dicit *pretiosi*: sola enim charitas pretium præstat vitæ æternæ, 1. Cor. 13. *Si distribuero omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Oapere autem iustitiæ vnguntur pedes Iesu, & caput. Per pedes intelligimus mysterium humanitatis; per caput vero diuinitatem, secundùm illud 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus*. Sic ergo intelligitur *caput, & pedes Christi vngere*, qui diuinitatem, & humanitatem eius veneratur. Vel per *caput* possumus intelligere ipsam Christi personam, secundùm illud Eph. 1. *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*: per *pedes* autem Christi fideles, de quibus Mat. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Vnde caput Christi inungit, qui ipsum Christum veneratur; pedes autem, qui eius fidelibus obsequitur. Quia verò capilli ex superfluitate generantur: pedes Domini capillis terguntur, quando aliquis ex ipsis, quæ sibi superfluunt, defectui subuenit proximorum, Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam*. Vnde Augustinus: *Si habes superflua, da pauperibus: & Domini pedes tersisti*. Per hoc autem, quod dicitur: *& domus impleta est ex odore vnguenti*, significatur, quòd propter opera iustitiæ bona fama totam replet Ecclesiam, 2. *ad Cor.* 2. Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus. *Et hoc est, quod dictum est à Domino Mat.* 26. Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius: *ex præfatis enim liquet, quot simul virtutum actus Christum inungendo Magdalena operata sit*.

Deo pretiosiora offerêda, non viliora.

Mystica de præfata vnctione explanatio.

Per caput, & pedes Christi quid significetur.

Capillis Christi pedes tergere, est pauperibus subuenire.

h *Cæterùm quàm felix peccatrix hæc, quæ adhuc in Mundo viuentem suæ habuit culpæ relaxatorem Christum Dominum, non minùs quàm felix culpa (aiebat Ambrosius)* quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. *Et quamuis peccatis carnalibus ante pœnitentiam obnoxia, eò tamen post hanc meriti peruenit*, vt K multis etiam virginibus eminentior sit; *vnde & ab Ecclesia in litanijs virginibus anteferatur; & hoc sanè ex præeminentia charitatis, qua caluit*. Nam vnumquodque opus L quod in maiori fit charitate, magis habet de merito: quia sola charitas habet Deum pro obiecto, & fine. Vnde meritum charitatis respondet præmio substantiali: meritum aliarum virtutum præmio accidentali. *Maria autem prima testimonio Veritatis* dilexit multùm, *consequenter pluribus merito præeminet in æterna fruendo beatitate*. *Neque Magdalenæ peccata, per verba etiam Euangelij* (*vbi* Mulier *decantatur* in ciuitate peccatrix) *vsque in hodiernam diem, immò & in vniuersali iudicio publicè manifestari, illi ad ignominiam cedere putandum est*: *nam* publicatio M peccatorum ad ignominiam peccantis est effectus negligentiæ, quæ committitur in omissione confessionis: sed quòd peccata Sanctorum reuelantur, non poterit eis esse in erubescentiam, vel verecundiam. Sicut Mariæ Magdalenæ non est in confusionem, quòd peccata sua in Ecclesia publicè recitantur: quia verecundia est timor ingloriationis (vt dicit *Damascenus*) qui in Beatis esse non potest. Sed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt (*ipsa præsertim, quæ tantam vim lacrymarum profudit, vt Redemptoris pedes, quasi plantas sibi fructiferas, rigare sufficerent*:) sicut & Confessor approbat eum, qui magna scelera fortiter confitetur. *Quia ergo ex corde pœnituit, non ad ignominiam, sed ad maiorem immò gloriam, illius crimina publicantur, postquam fuit* in vas translata gloriæ de vase contumeliæ: *nec eiusdem iniuria est, quòd de illa* septem dæmonia exijsse *leguntur, cum loca eorum occupauerit, septem suis donis illustrans, septiformis gratia Spiritus sancti; vnde & canitur*:

K 2. d. 9. 1. 8. c.

Multis virginibus meritò Magdalena eminentior.

L Mat. 12. lit. b. ibi bonus homo Hebr. 11. l. 8. & 1. Cor. 3. l. 2. Rom. 8. l. 5. In 4. d. 49. 1. 4. q. 4.

M a. d. 43. 1. 5. q. 2. ad. 3. & d. 22. 1. 1. ad 2.

Suarum nunc publicatio culparum ad ignominiam non cedit illi, sed ad maiorem gloriam.

Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Ex quo legimus, quòd post Christi ascensionem, eum quoque in Cœlum per altissimam contemplationem secuta est. Traditur enim, quòd vt optima parte contemplandæ cælestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit: vbi 30. annos vixit, ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidieque per id tempus ad audiendas cælestium laudes in altum ab Angelis elata: *à quibus, & post mortem creditur purissimus eius Spiritus in beatam Patriam subductus, vt Magistro suo æternùm iungeretur in Cœlis*, quem in terris posita tota deuotione dilexerat. *Sacri porrò eius corporis reliquiæ in Gallia Narbonensi ad Aquas mortuas, non longè à Massilia vrbe, in Conuentu Sancti Maximini (quem Carolus secundus Rex Siciliæ, & Comes Prouinciæ ædificauit) apud P. P. Prædicatores quiescunt*: *vbi & capillorum pars, quibus Christi pedes viuens extերserat, & parum sanguinis terra immisti, quem è Cruce fluentem collegerat, asseruatur. Illud verò mirandum, quòd eius vultus totus pelle nudatus inspicitur, ea frontis excepta parte, quâ à Domino, vt eam tangere post resurrectionem volebat, digito contacta, repulsa est, quædam inibi vestigio incorruptibilitatis impresso. Quæ cuncta præfato Carolo ab eadem beatissima fœmina detecta sunt. Cum enim esset Barcinone Petri Aragoniæ Regis ex bello captiuus, clara sui apparitione dignatum, & captiuitate absoluens, & in suum Comitatum restituens, quæ præmisimus reuelauit: illud de sacris pignoribus*

Sacrum eius corpus apud PP prædicatores.

subti-

subiitiens: Hæc fratribus meis, *idest Prædicatoribus*, trades. *Eadem siquidem vestigia, qua modò isti*, Apostolorum Apostola *Christi resurrectionem annunciant, prior illa in Ecclesia signauit*. *Ita ex* Siluestro de Prierio *in Rosa aurea ser.* 5. *infra Oct. Pasc. Et ex* Mag. Ercolani *in vita S. Mariæ Magdalenæ*.

i *Tot verò tantorumque meritorum beatissimam hanc pænitentem velut mysticum arcum posuit Deus in nubibus Cæli*, vt esset signum fœderis *inter ipsum, & peccatores*. Intelligitur *autem* Maria N Magdalena per arcum cælestem (*siue iridem*) propter tria: scilicet ratione materiæ, ratione formæ, ratione finis. *Ratione materiæ*: Est enim materia arcus nubes aquosa, radijs Solis percussa. Nubes aquosa, Maria lacrymosa, sol Christus, radius gratia Christi: qui nubem aquosam percussit, cum Mariæ lacrymanti gratiam infudit. *Ratione formæ*: est enim triplex, scilicet cærulea, rubea, & versùs terram tenet brachia extensa. Color cæruleus est Mariæ humilitas; rubeus, charitas. De primo Luc. 7. *Stetit retrò secùs pedes Domini*. De secundo ibidem: *Quoniam dilexit multùm*. Brachiorum vtique ad terram extensio, est magna, quam habet ad peccatores, misericordia: est enim ipsa Sancta, interuentrix peccatorum, & aduocatrix eorum: didicit enim ex experientia, peccatorum misereri: *Manum suam aperuit inopi*, idest peccatori: *& palmas suas extendit ad pauperem*; Prou. vlt. Ratione finis: est enim triplex finis eius. Primò præteritum iudicium, per aquam significatum. Secundò iudicium futurum, per ignem prænunciatum. Tertiò pactum, quod est inter Deum, & Terram, demonstrare, quia de Cœlo extendit brachia sua ad terram. Primum in colore cæruleo: secundum in rubeo: Tertium in viridi. Sic Beata Maria Magdalena est signum duplicis iudicij in peccatore pœnitente: vnius, quod fit per aquam compunctionis; alterius, quod fit per ignem charitatis, & contritionis. De vtroq; Ps. 65. *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium*. Item est signum pacti inter Deum, & terram, idest peccatores. Est autem signum septemplicis fœderis inter Christum, & peccatores. *Primum*, quia benignè peccatores recipit, qui ad eum confugiunt. *Secundum*, quia multum se familiarem eis exhibet. *Tertium*, quia eos, qui irrident, confundit, *Quartum*, quia pro eis aduocat. *Quintum*, quia eorum fidem multùm commendat. *Sextum*, quia omnia eorum peccata dimittit. *Septimum* quia eis dulciter loquitur. Hæc septem nota in Euangelio per ordinem. Primò in hoc, quòd eam in nullo increpauit contra nequitiam hypocritarum, qui videntur contra peccatores fulminare. Secundò in hoc, quòd dedit ei pedes ad osculandum: *osculabatur pedes eius*. Tertiò in hoc, quòd Pharisæum, qui eum despiciebat, confudit: *Simon, habeo tibi aliquid dicere &c.* Quartò in hoc, quòd eam bonam conferendo, & allegando probauit: *hæc autem, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos*. Quintò in hoc quòd ait: *Mulier, fides tua te saluam fecit*. Sextò in eo, quòd dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*. Septimò in eo, quòd dulciter expressit: *Vade in pace*. *Verumtamen, vt Maria tibi, qui peccasti, diuina sit clementia certum signum, securumque protectionis illius experiaris effectum, modum quo & ipsa diuinam impetrauit veniam, imiteris oportet*: vt quam secutus es errantem, pœnitentem sequaris. *Hæc siquidem semel pœnitentiam amplexa, nunquam extitit recidiua: tu verò ad repetenda peccata redis, velut* canis reuersus ad suum vomitum, *vt dicitur 2. Pet. 2. Hæc vlteriùs ad primum mystici iustitiæ Solis radium illustrata, non diu pœnitentiam distulit: sed statim*, vt cognouit, *ad cælestem medicum, quo suis mederetur plagis, vnguentum attulit, Luc.* 7. Attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius. *At diuina vocatione pluries neglecta, immò reluctante voluntate despecta* (*Act. 7.* Vos semper Spiritui Sancto restitistis) *Magdalenæ interuentionem ne speres; nec veniam à Domino, sed punitionem, & quidem æternam*. Quia vocaui (*inquit Pro. 1.*) & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. *Quod Beatæ interuentu pœnitentis auertat Deus. Disce, ad diuina refrigerium gratiæ, nonnisi per aquam lachrymarum transiri. Vide* Amor hominis erga Deum, Christi sepultura, & Resurrectio, *Tom.* 1. Pœnitentia, Vocatio diuina.

Maria cœlestis arcus, in signum fœderis inter Dum, & peccatores.

N. *Serm. in fest. eiusd.*

Quorum specialis est aduocata.

Signum septemplicis fœderis inter eos.

Moralitas.

MARITVS. *Vide* Matrimonium.

S. Martinus.

IV. *Scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ: & sedi mœrens*. 1. *Esd.* 9. Hæc verba possunt exponi de Beato Martino. *Serm. in fest. eiusd.*

i Præfatorum *expositionem verborum, ad Sancti Antistitis commendationem, prosequutur ibidem Author, cum subdit*: Notantur O hæc tria, quæ fecit B. Martinus in triplici statu; scilicet in statu militis, in statu Monachi, & in statu Episcopi: fuit enim miles, Monachus, & Episcopus. Miles *pallium scidit* ad literam, & pauperi nudo dedit. (Medietatem *autem* pallii P sui dedit pauperi, vt in paupere indueret Christum. Milites, vanæ gloriæ amatores, in festuis diaboli integro pallio, & alijs vestibus induunt diabolum:) Is. 58. *Cum videris nudum, operi eum*. Monachus *capillos euulsit*, idest temporalia reliquit, quæ per capillos designantur: (*& ad literam pariter*, capillos euulsit: *neque enim Monachi comam, aut barbam nutriunt*.) Episcopus *sedit mœrens*: quia ad Episcopum pertinet peccata subditorum flere, *Ier.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei? *Quæ singuli vitam eius admirandam excurrenti manifestè patent. Disce, in quolibet statu, quæ imitemur virtutum exempla à Sanctis præberi*.

O *Serm. in fe. S. Martini.*

Tria in B. Martino notabilia iuxta triplicem statum illius.

P *Op. de er. Pr. l.* 7. *c.* 4.



Marty-

MARTYRIVM.

V. Cicatrices vulnerum (post resurrectionem) non erunt in Sanctis, nec in Christo fuerunt, in quantùm important aliquem defectum; sed in quantùm sunt signa constantissimæ virtutis, qua passi sunt pro iustitia, & fide: vt ex hoc & ipsis, & alijs gaudium accrescat. *In 4. d. 44. 2. 1. q. 1. ad 5.*

Martyrium, & martyr quid signent.

1 QVod *Græci* Martyrium *dicunt, latinè* testimonium *exponimus. Vnde & Sancti Martyres* testes *dicuntur, quod sanguine suo testimonium fidei reddunt, & veritatis. Hinc illud Mat.* 10. Tradent enim vos in Concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos &c. in testimonium illis, & gentibus, *exponitur:* in testimonium, *videlicèt*, quia Q mitto vos, testes fidei meæ ad Iudæos, & Gentes. Vnde *Martyr* idem est, quod *testis*: quia per passionem vestram eritis testes passionis meæ, *& resurrectionis, Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. *Ad quod coharenter* cap. 4. *legimus*: Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi D. N. *Martyrium porrò actus est proculdubio virtutis, & specialiter fortitudinis: vt enim* Tom 2. *præmissum est*, ad fortitudinem R pertinet, vt confirmet hominem in bono virtutis, & maximè contra pericula mortis, & maximè eius, quæ est in bello. Manifestum est autem, quòd in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem, & iustitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminent. Et propter hoc de martyribus legit Ecclesia *ex cap.* 12. *ad Hebr.* Fortes facti sunt in bello. *Verùm, quia* ad actum S martyrij inclinat charitas, sicut primum, & principale motiuum; fortitudo autem, sicut motiuum proprium: inde est, quòd martyrium est actus charitatis, vt imperantis, fortitudinis autem vt elicientis. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus, & ideò sine charitate non valet. (Hoc *nihilominus* opus T quod est offerre se martyrio, vel etiam martyrium sufferre, potest facere non solum charitas perfecta, sed etiam imperfecta; & quod plus est, etiam ille, qui charitate caret, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam &c.* Sed charitas perfecta hoc facit promptè, & delectabiliter, sicut patet de *Laurentio*, & *Vincentio*, qui in tormentis charitatem ostenderunt: hoc autem non potest facere charitas imperfecta, vel etiam ille, qui charitate caret.) *Quoniam verò* principalior V actus fortitudinis est sustinere, ad quem pertinet martyrium; non autem ad secundarium actum eius, qui est aggredi: quia patientia deseruit fortitudini ex parte actus principalis, qui est sustinere, inde est, quòd comitanter in martyribus & patientia commendatur.

Q Mat. 10. lit. b. ibi & 2. 2. 124. a. 4. & 5. in c.

Martyrium, cuius virtutis actus.

R 2. 2. l. c. a. 2. c.

Quomodo charitatis & fortitudinis.

S Ibid. ad 2.

T Quol. 4. a. 19. fi. c.

An possit quis sine charitate se offerre martyrio, vel sufferre.

V 2. 2. 124. 2. ad 3.

Actus etiam patientiæ est, & quomodo.

Mors corporalis de ratione martyrij.

X 2. 2. l. c. a. 4. c. In 4. d. 49. 5. 3 q. 2. c. Iob. 2. l. 1. ibi, pellem.

m *Cum autem fortitudinis speciale sit, circa pericula mortis versari, sequitur, quòd corporalis mors sit de ratione martyrij. Nam (vt vidimus)* Martyr X dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur, vt dicitur *ad Heb.* 11. Ad martyrium ergo pertinet vt homo testificetur fidem, *se* opere ostendens omnia præsentia contemnere, vt ad futura, & inuisibilia bona perueniat. Quandiù autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Consueuerunt enim homines & consanguineos & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conseruent. Vnde & Satan contra Iob induxit cap. 2. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*; idest pro vita sua corporali. Et ideò ad perfectam rationem martyrij requiritur, quòd aliquis mortem sustineat propter Christum. *Ex quo Martyrium, actus inducitur maximæ perfectionis: quod tamen cum distinctione quadam intelligendum. Etenim* de aliquo Y actu virtutis loqui possumus dupliciter. *Vno modo* secundùm speciem actus ipsius, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipsum: & sic non potest esse, quòd martyrium, quod consistit in debita tolerantia mortis, sit perfectissimus inter virtutis actus, quia tolerare mortem non est laudabile secundùm se, sed solùm secundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, putà ad fidem, & ad dilectionem Dei. Vnde ille actus virtutis, cum sit finis melior est. *Alio modo* potest considerari actus virtutis, secundùm quod comparatur ad primum motiuum, quod est amor charitatis; & ex hac parte præcipuè aliquis actus habet, quòd ad perfectionem vitæ pertineat, quia vt Apostolus dicit ad Coloss. 3. *Charitas est vinculum perfectionis.* Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem charitatis, quia tantò magis ostenditur aliquis aliquā rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem, quòd inter omnia alia bona præsentis vitæ maximè amat homo ipsam vitam, & è contrario maximè odit ipsam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, vt *Augustinus* dicit in *lib.* 83. *Quæst.* Et secundùm hoc patet, quòd martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundùm suum genus, quasi maximæ charitatis signum, *secundùm illud Io.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Quocirca obseruandum venit, quòd* si aliquis Z propter fidem vulnus mortale accipiat, & superuiuat, non est dubium, quòd aureolam meretur, sicut de B. Cæcilia patet, quæ triduo superuixit, & de multis martyribus, qui in carcere sunt defuncti. Sed etiamsi vulnus non mortale accipiat, & tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam promereri, quamuis quidam dicant, quòd aureolam non mereatur, si ex incuria, vel negligentia propria mortem incurrat: non enim illa negligentia eum ad mortem perduxisset, nisi præsupposito vulnere, quod pro fide acceptum est; & ita vulnus propter Christum susceptum, est ei plena occasio mortis; vnde propter hoc aureolam non videtur amittere, nisi sit talis negligentia, quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & Auream aufert, & Aureolam. Si verò ex vulnere mortali suscepto non moriatur, aliquo casu contingente, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur. Vnde & quorundam Sanctorum martyria in Ecclesia celebrantur, qui

An actus maximæ perfectionis sit.

Y 2. 2. l. c. a. 3. c. & q. 184. 5. ad 3.

Z 4. d. 49. 5. 3. q. 2. ad 7.

Num verè martir, qui post accepta vulnera statim non moritur.

qui in carcere mortui ſunt, aliquibus verberibus longè ante ſuſceptis, ſicut patet de *Marcello* Papa. Qualitercumque igitur afflictio propter Chriſtum illata vſque ad mortem continuatur, ſiuè mors inde ſequatur, ſiuè non; aliquis martyr efficitur, & aureolam meretur. Si verò non continuetur vſque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur Martyr, ſicut patet de *Silueſtro*, de quo non ſolemnizat Eccleſia ſicut de Martyre, quia in pace vitam finiuit, quamuis priùs aliquas paſſiones ſuſtinuerit.

Martyrium holocauſtum Deo.

A Pſ. 50 lit. v. ibi,

n Maximæ *ſanè* perfectionis eſt actus, *propter Chriſti fidem toleratum martyrium; vnde & holocauſtum de ſe ipſis dicuntur Deo facere martyres; confeſſores autem oblationem tantùm. Quo ſenſu exponitur illud Pſ.* 50. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ oblationes, & holocauſta. *Sacrificium iuſtitiæ*, ideſt A Sacrificium, quo Chriſtus ſe obtulit, qui iuſtus eſt, Io. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & quia tantæ virtutis eſt, vt ſatisfaceret pro homine, & iuſtificaret eum. Et hoc ſacrificium primum locum tenet. Secundum locum tenent alij Sancti, qui ſe propter Deum obtulerunt in Sacrificium; vnde dicit, *oblationes*, ſcilicet Confeſſores, qui confitendo Chriſtum, quantùm in ſe eſt, obtulerunt ſe morti, licèt non ſint occiſi, Iudic. 5. *Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum, benedicite Domino*. Subdit autem, *& holocauſta*: & iſti ſunt martyres, Io. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Et *tunc acceptabis* iſta, quando ipſi Sancti *imponent* ſe tanquam *vitulos ſuper altare tuum*, ideſt ſuper fidem tuam, & ſuper Chriſtum; ideſt exponent ſe tanquam *vitulos* propter Chriſtum, & fidem Chriſti, ad immolandum. Holocauſtum enim eſt *ex Gregorio*, quod totum incendebatur. Ex *quibus deducitur*, quòd Apoſtoli B præferuntur martyribus, martyres verò omnibus alijs: maiores enim merito, maiores ſunt præmio. Præcipua verò ſunt merita Martyrum, *vt ex præfatis liquet*. *Et quidem* quantùm C ad genus operis plus meretur minimus Martyr, quàm quicumque Confeſſor: tamen quantùm ad radicem operis, poteſt Confeſſor plus mereri, in quantùm ex maiori charitate operatur: quia præmium eſſentiale reſpondet radici charitatis, accidentale verò generi actus. Et inde eſt, quòd aliquis Confeſſor poteſt aliquo martyre eſſe eminentior quantùm ad præmium eſſentiale; martyr tamen quantùm ad præmium accidentale: *ad quod præfata ſpectat aureola, quæ martyri confertur in Patria. Nam* paſſio D corporalis martyris ad meritum eſſentialis præmij non facit, niſi in quantùm eſt volita: ſed ad præmium accidentale, quod eſt aureola, martyrizatio ordinatur per modum meriti, ſecundum quod facit quandam decentiam reſpectu aureolæ: decens enim eſt, vt qui Chriſto conformatur in paſſione, ei conformetur in gloria, ad *Rom.* 8. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Et iuſtè quidem martyri debetur aureola*. Sicut *enim* ineſt E quædam pugna ſpiritui contra interiores concupiſcentias: ita etiam ineſt homini quædam pugna contra paſſiones exteriùs illatas. Vnde ſicut perfectiſſimæ victoriæ, qua de concupiſcentijs carnis triumphatur, ſcilicet virginitati, debetur ſpecialis corona, quæ aureola dicitur: ita etiam perfectiſſimæ victoriæ, quæ habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola. Perfectiſſima autem victoria de exterioribus paſſionibus conſideratur ex duobus. *Primò* ex magnitudine paſſionis. Inter omnes autem paſſiones illatas exteriùs, præcipuum locum mors tenet (ſicut & in paſſionibus interioribus præcipuæ ſunt venereorum concupiſcentiæ:) & ideò, quando aliquis obtinet victoriam de morte, & ordinatis ad mortem, perfectiſſimè vincit. *Secundò* perfectio victoriæ conſideratur ex cauſa pugnæ, quando ſcilicet pro honeſtiſſima cauſa pugnatur, quæ ſcilicet eſt ipſe Chriſtus. Et hæc duo in martyrio conſiderantur, quod eſt mors ſuſcepta propter Chriſtum. Martyrem enim non facit pœna, ſed cauſa. Et ideò martyrio aureola debetur, ſicut & virginitati. *In ſignum cuius, Sancti, præſertim Martyres cum palmis in manibus deſcribuntur, Apoc.* 7. Et palmæ in manibus eorum. *Hæ ſiquidem* ſolent F dari victoribus in ſignum triumphi. *Sed & cum diademate in capite ad modum ſcuti pinguntur, quaſi hoc eſſet victoriæ ſignum, & ipſorum aureolæ inſignia quædam. Hinc ad illud Pſ.* 5. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos, *ab Authore erudimur, quòd* conſuetudo G fuit Romanis antiquitus vti ſcutis rotundis, & in illis habebant ſpem victoriæ: & quando triumphabant, illomet ſcuto vtebantur vt Corona. Et inde Sancti pinguntur cum ſcuto rotundo in capite, quia de hoſtibus adepti triumphum, ſcutum rotundum ad inſtar Romanorum gerunt in capite pro corona. *Ex præfata autem victoria atque triumpho gloria quædam accidentalis eis accreſcit in Patria: vnde & vulnerum cicatrices ad decorem, & decus in ipſis manebunt, non ſecus, ac in mundanis victoriis de reportatis vulneribus gloriari oſtentantes conſueuerunt milites, ducesque victores.* (*Verùm* decor H cicatricum, quæ in corporibus martyrum apparebunt, non poteſt dici aureola: quia aliqui martyres aureolam habebunt, in quibus huiuſmodi cicatrices non erunt, vt illi, qui ſunt ſubmerſi, aut famis inedia, vel ſqualore carceris interempti. *Et hoc eſt quod aiebat initio, Author*: Cicatrices I Vulnerum non erunt in Sanctis, nec in Chriſto fuerunt, in quantùm important aliquem defectum, ſed in quantùm ſunt ſigna conſtantiſſimæ virtutis, qua paſſi ſunt pro iuſtitia, & fide: vt ex hoc, & ipſis, & alijs gaudium accreſcat, *vtique accidentale. Deſcribuntur autem* Apoc. 7. *Chriſti martyres* amicti ſtolis albis, *ideſt* ſinceris K & pulchris. Et hæc ſunt indumenta virtutum, ſcilicet munditiæ corporis, & animæ, prudentiæ, fortitudinis, charitatis &c. *Et quòd de his intelligatur, claret ex eo, quod ſequitur*: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & vnde venerunt? Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Vbi Author. Non I dicit ſimpliciter *de tribulatione*, ſed *de magna*: quia per patientem ſuſtinentiam magnarum, & multarum tribulationum ad meriti ſublimitatem peruenerunt. *At cum deſcripti ſuperiùs eſſent* amicti ſtolis albis, *quid eſt, quod ait Ioannes*: & dealbauerunt eas in ſanguine agni? *Et iterum*: Cum ſanguis L non ſit albus, ſed rubeus, videtur, quòd Ioannes debuit dicere, *& rubeas fecerunt eas*; & non, *dealbauerunt eas in ſanguine agni*. Ad primum dicitur, quòd *dealbauerunt*, ideſt cum albæ eſſent, magis albas fecerunt, (*per martyrium vtique*) *in ſanguine agni*, ideſt in fide, & imitatione paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti. *Ad ſecundum* dicitur, quòd ſicut ſanguis calore decoctus in mamilla, conuertitur in lac, & mutat colorem; & qui prius erat rubeus, fit albus: ita ſanguis Chriſti igne charitatis decoctus in mente Sanctorum, albos facit eos, non rubeos. *Vel* poteſt dici, quòd in hac dictione *dealbauerunt* ponitur *de* pro additione; & eſt ſenſus: *& dealbauerunt eas in* ſan-

B Hebr. 11. l. 9. ibi, vt meliorem.

An aliquis Confeſſor eſſe Martyre eminentior poſſit.

C Ver. 26. 6. ad 8. & ad Hebr. 11. loc. cit.

D Ver. ib. ad 3. & 6.

Martyri cur debeatur aureola.

E 4. d. 49. 5. 3. q. 2. c. & a. 5. q. 1. & d. 33. 3. 3. ad 3. Ver. 26. 6. ad 3.

Duo in martyrio conſideranda.

Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.

F Apoc. 7. com. 1. ibi.

G Pſ. 5. ſi. ibi.

Cur SS. martyres præſertim cum diademate ad modum ſcuti pingantur.

H 4. d. 49. 5. 4. q. 3. ſi. c.

Ipſorum vulnerum cicatrices eis ad decorem manebunt in Patria, nec tamen talis decor aureola dicitur.

I In 4. d. 44. 2. 1. q. 1. ad 5. In 3. d. 21. 2. 4. q. 3. ad 2 & 3. & 3. p. 54. 4. c. Quol. 5. a. 5. c. Op. 3. c. 238. Io. 20. l. 6. lit. b.

Exponitur illud: *Dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*

K Apoc. 7. com. 1. & 2. ibi.

I Ibid. com. 1. & 2. ibi.

L Ibid. com. 2. §. vlt. & com. 1. ibi.

sanguine agni : idest, cùm essent albæ priùs per innocentiam, seu munditiam, rubeas eas fecerunt sustinendo martyrium pro Christo; & ita factæ sunt simul albæ, & rubeæ, *Prou. vlt.* Purpura, & byssus indumentum eius; *& Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus (*innocentia videlicet, & passione*) *sui martyres conformantur*.

o Pro iustitia *inquam* & fide (*aiebat Author*) passi sunt: *neque enim sola fides causa martyrii inducitur, sed & aliæ virtutes. Nam* (*vt præmissum est*) Martyres M dicuntur, quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati, quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Vnde & Martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei: & ideò cuiuslibet martyrij causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solùm pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundùm illud Iac. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Vnde & de quibusdam dicitur ad Tit. 1. *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant*. Et ideò omnium virtutum opera, secundùm quod (*nota*) referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & secundùm hoc possunt esse martyrij causa. Vnde & B. Io: Baptistæ Martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit. *Hue facit quod Sapiens monet Eccli.* 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia. *Verùm* sicut fortitudo N ciuilis firmat animum hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem mortis pericula sustinet: ita etiam fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono iustitiæ Dei, *quæ est per fidem Christi Iesu*, vt dicitur *ad Rom.* 6. Et sic martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem, in quo aliquis confirmatur: ad fortitudinem autem, sicut ad habitum elicientem, *vt dictum est. Cæterùm* veritas O aliarum scientiarum non pertinet ad cultum diuinitatis; & ideò non dicitur esse veritas secundùm pietatem; vnde nec eius confessio potest esse directè martyrij causa: sed quia omne mendacium peccatum est: vitatio mendacij, contra quamcumque veritatem sit, in quantùm mendacium est diuinæ legi contrarium, potest esse martyrij causa. *Alibi tandem docemur, quòd duplex est martyrii causa*. Vna P si quis patiatur pro fide Christi, vel pro quacumque alia virtute, 1. Pet. 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem vt Christianus, non erubescat*. Alia, si patiatur pro Ecclesiæ authoritate, 2. *ad Cor.* 1. Nunc gaudeo in passionibus pro vobis. *Hinc de infantibus innocentibus dubium suboritur, an verè martyres extiterint, talesque dicendi sint. Quocirca* quidam Q dicunt, quòd in Innocentibus, occisis pro Christo, virtute diuina acceleratus est vsus rationis, sicut & in Io. Baptista, dum adhuc esset in materno vtero; & secundùm hoc, verè martyres fuerunt & voluntate, & actu, & aureolam habent. Sed alij dicunt, quòd fuerunt martyres actu tantùm, & non voluntate: quod videtur sentire *Bernardus*, distinguens tria genera Martyrum: scilicet voluntate, non nece, vt *Ioannes*; voluntate, & nece, vt *Stephanus*: nece, non voluntate, vt *Innocentes*. Et secundùm hoc Innocentes; sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrij, sed aliquid martyrij habent ex hoc, quòd passi sunt pro Christo: ita etiam aureolam, non quidem secundùm perfectam rationem; sed secundùm aliquam participationem, in quantùm scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse, vt dicitur de pueris baptizatis, quòd habebunt aliquod gaudium de Innocentia, & carnis integritate. *Et alibi*: Melius R dicendum est, quòd martyrij gloria, quam in alijs propria voluntas meretur, paruuli illi occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Vnde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occisis propter Christum meritum martyrij operatur ad palmam martyrij consequendam. *Id quod in dubium vertitur, & de bono latrone*. Dicit S enim *Hieronymus*, quòd Christus homicidij pœnam in illo Latrone fecit esse martyrium. Sed dicendum, quòd habuit aliquid de martyrio, scilicet pœnam & iustam voluntatem: & aliquid defecit ad martyrium, scilicet causa, sicut in Innocentibus defuit iusta voluntas, sed fuit pœna, & causa. *Porrò non parum commendationis martyrio debitur, quòd* (*vt præmisimus*) effusio T sanguinis propter Christum, vicem gerit baptismatis. *Vnde & secundùm omnes* triplex est V baptismus: scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis. Inter ista verò baptismus sanguinis plus habet de effectu baptismi, si tamen primum fuerit in proposito, vel contrarium non teneatur in mente: sicut patet de Innocentibus, qui non erant in opposita dispositione. Baptismus enim virtutem habet ex merito passionis Christi, Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Sicut ergo qui baptizatur, conformatur passioni Christi sacramentaliter: ita martyr realiter. Et ideò istud baptisma habet totum effectum baptismi, quantùm ad hoc, quòd purgat omnem culpam, & pœnam peccati; non tamen imprimit characterem aliquem: & ideò si recipiens martyrium sine baptismo aquæ resurgeret, esset baptizandus. *Quia ergo per martyrium propriique sanguinis effusionem baptizatur veluti martyr in nomine Christi, cui in passione conformatur, baptismalem quoque innocentiam adipiscitur; ita quòd per temporalem mortem vitam consequitur sempiternam. Ex quo SS. Martyrum dies potiùs mortis, quàm natiuitatis, ab Ecclesia solemniter colitur, & celebratur*. Nam Gentiles X antiquitus diem natiuitatis suæ celebrabant, quia tunc ad solatia & luxus vitæ præsentis intrabant, post quæ non expectabant maiora. Econtrario catholici Christiani diem obitus Sanctorum festiuum habent, quia tunc ad gaudia recipiuntur æterna, *Math.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *Et tunc verum habet quod ait Sponsus Cant.* 5. Messui myrrham meam cum aromatibus meis. *Siquidem* metit Y myrrham *cum aromatibus suis*, quando Sanctos Martyres (*per myrrham amaræ passionis signatos*) bonis operibus insignes, ab hac vita talem mortis præcidit, atque ad maturitatem bonorum operum perductos, in horrea supernæ quietis recondit: *non secùs ac messor electum triticum, Zach.* 9 Frumentum electorum, *de quo Mat.* 13. Triticum autem congregate in horreum meum. *Sicut enim* horreum Z fit ad conseruationem messis: sic illa Patria erit horreū Sanctorum, vbi erunt *cum laude, & lætitia sempiterna*, vt habetur If. 35.

M 2.2.124. 5.c. In 4.d.49. 5.3.q.2. ad 9. Rom. 8. l. 7. ibi, gladius. Eph.3.l.1.ibi, vinctus. 2.ad tom.2.l.2.ibi, sustineo.

Non solùm fides, sed & aliæ virtutes possunt esse martyrij causa.

N 2.2.124. 2. ad 1. & a. 5. ad 3.

Martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem.

O 2.2.l.c.a. 5.ad 2. In 4.d. 49. 5. 3. q. 2. ad 10.

Vitatio mendacij potest esse martyrij causa.

P Eph.3.l. 1. ibi, vinctus.

Martyrij causa duplex.

An Infantes innocentes verè martyres.

Q 4.d. 49. 5.3.q.2.ad 12. & arg.3 & 2. 2.124.1. ad 1. & quol.6.a.4.

Tria martyrum genera.

R 2.2. loc. citato.

Quid de bono latrone.

S 4.d.4.exp. tex.

Martyrium vicem gerit baptismi.

T 2.2.124. 1 ad 1.

Baptismus triplex.

V Hebr. 6. l.1. ibi, baptismum, & 3. p.66.11. In 4. d.4. 3.3.

Baptismus sanguinis an alijs præualeat.

Purgat omnem culpam, & pœnam peccati.

X 2, Math. 6.ibi, Libero.

Cur dies obitus martyrum celebratur.

Y Cant. 5. com. i. ibi.

Z Mat. 13. lit. b. fin.

p San-

p *Sanctorum autem Martyrum fortitudinem, & constantiam describit Psaltes Ps. 33. cum ait*: Custodit Dominus ossa eorum. *Vbi docemur, quòd* sicut A visus est in oculo, ita in ossibus, & neruis est fortitudo. Et ideò, sicut visus signatur per oculum: ita fortitudo & virtus per ossa: quia sicut per ossa sustentatur corpus, ita per virtutes sustentatur vita humana. *Custodit* ergo *Dominus ossa Sanctorum*, idest virtutes, quæ magis proficiunt in infirmitate. *Vnum* autem *ex his non conteretur*: quia in tribulationibus nulla virtus hominis deficit, quem Deus custodit. Non enim deficiebat charitas in Sanctis per odium, quia pro persecutoribus orabant: non mansuetudo per iram, quia non murmur resonabat: non patientia per iniustitiam imò in patientia sua possidebant animas suas. Et ideò dicitur de Agno Paschali: *Nec os illius confringetis*, Exod. 12. *Varia autem eorum supplicia tangit Apostolus ad Hebr. 11.* Alij verò, ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. *Et ad Rom. 8. affertur illud Ps. 43.* Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis. *Vbi Author*. Inducit *inquit* verba B Psalmistæ, quasi in persona martyrum proposita. In quibus primò ponit causam passionis: Martyrem enim non facit pœna, sed causa; vnde dicit, *propter te*, Mat. 10. *Qui perdiderit animam suam*, idest vitam, *propter me, inueniret eam*. Secundò ponit grauitatem passionis, cum dicit, *mortificamur*, idest morti tradimur, Esth. 7. *Traditi sumus ego, & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus*. Tertiò continuitatem persecutionis, cum dicit, *tota die*; idest per totum tempus vitæ, 2. Cor. 4. *Semper nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum*. Quartò promptitudinem persequentium ad occidendum, cum dicit: *Æstimati sumus, sicut oues occisionis*; idest deputatæ, vt occidantur in macello, quæ cum studio occiduntur. Ita & Sancti ex proposito, & cum studio occidebantur, *Io. 16.* Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; & *Zach. 11.* Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant. *Veruntamen inter supplicia mediisque in tormentis delectabantur fortes Athletæ, & lætabantur*. *Quocirca sciendum est, quòd* principalis C actus fortitudinis est sustinere aliqua tristia secundùm apprehensionem animæ, putà quòd homo amittat corporalem vitam, quam virtuosus amat, non solùm in quantum est quoddam bonum naturale, sed etiam in quantùm necessaria est ad opera virtutum, & quæ ad eam pertinent. Et iterum sustinere aliqua dolorosa secundùm tactum corporis, putà vulnera, vel flagella. Et ideò fortis ex vna parte habet vnde delectetur) scilicet secundùm delectationem animalem, scilicet de ipso actu virtutis, & de fine eius. Ex alia parte verò habet vnde doleat, & animaliter dum considerat amissionem propriæ vitæ: & corporaliter; vnde legitur 2. *Mach.* 6. quòd Eleazarus dixit: *Duros corporis sustineo dolores, secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior*. Sensibilis autem dolor corporis facit non sentiri animalem delectationem virtutis, nisi fortè propter abundantem Dei gratiam, quæ fortiùs eleuat animam ad diuina, in quibus delectatur, quàm à corporalibus pœnis afficiatur. Sicut *B. Tiburtius* cum super carbones incensos nudis plantis incederet, dixit, quòd videbatur sibi super roseos flores ambulare. (*& B. Virgo* Dorothea *inter cruciatus hilaris illud protulisse fertur*. Nunquam in tota vita mea sic lætata sum, sicut hodie: *vt plurimos alios mittamus*.) Facit tamen virtus fortitudinis, vt ratio non absorbeatur à corporalibus doloribus. Tristitiam autem animalem superat delectatio virtutis, in quantùm homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuscumque ad eam pertinentibus. Et ideò Philosophus dicit in *tertio Ethic.* quòd à forti non requiritur, vt delectetur quasi delectationem sentiens, sed sufficit, quòd non tristetur. *Nihilominus*, licèt D secundùm Philosophum in actu fortitudinis non requiratur gaudium ad perfectionem virtutis, sicut in alijs virtutibus, sed solùm non tristari: tamen, quia fortitudo Sanctorum perfectior est, (*vtpotè Dei speciale donum*) non solùm non tristantur in periculis mortis, sed etiam gaudent, *Philip.* 1. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. *Nec mirum*: *nam* Martyres E in tormentis existentes percipiebant aliquid de diuina gloria, non quasi eam in suo fonte bibentes, sicut illi, qui Deum per essentiam vident, sed aliqua illius gloriæ aspersione refrigerabantur. *Vnde & de Stephano legitur Act. 7. quòd* vidit gloriam Dei. *Quam quidem, & immediatè post mortem adipiscuntur*. *Vnde ad illud Matthæi* 3. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: Et ecce aperti sunt Cœli &c. *docemur, quòd* tria F sunt hominum genera, qui statim ad Cœlum euolant post mortem: scilicet baptizati, vt hìc: & qui peregerunt pœnitentiam; vnde Act. 10. dicitur, quòd Petro oranti apertum est Cœlum &c. Et martyres; vnde Act. 10. dicebat Stephanus: *Ecce video Cœlos apertos*. *Et tunc quidem cognoscent*, *quòd* non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, *vt dicit Apostolus ad Rom.* 8. Occultatur enim G dignitas diuinæ filiationis in Sanctis propter exteriores passiones, sed postmodum reuelabitur illa dignitas, quando immortalem, & gloriosam vitam suscipient, ita quod ex persona impiorum dicitur Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*. Dicit autem, *expectatio expectat*, vt talis geminatio intensionem expectationis designet, secundùm illud Ps. 38. *Expectans expectaui Dominum*.

q *Et hoc est, quod Sanctos Martyres roborabat, & roborat ad supplicia fortiter sustinenda; æterna videlicet certa expectatio felicitatis*: Certa enim (*aiebat S. Pontifex Leo*) atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio dominicæ passionis, *vtique manifestè per martyrium*. Id quod natu minori suadebat filio septies Martyr Machabæa (*Ea enim felicissima Mater secundùm Authorem proprio* suo H nomine *Machabæa* vocabatur: *licèt ex Flauio Iosepho in libello de imperio rationis, siue de Machabæis* Salomona, *siue* Salome *nuncupetur*; *maximus verò natu Filius* Machabæus.) *cum illud* 2. Math. 7. *protulit*: Peto, Nate, vt aspicias ad Cœlum &c. Ita fiet, vt non timeas carnificem istum. *Generosa idcircò fortium Machabæorum gesta voluit Dominus in Ecclesia tradi* (*præter rationes cæteras*) ad declarandum I futurorum martyrum virilitatem: vnde in hoc designatur elegisse certamen futurorum martyrum, & subiectionem tyrannorum, Deut. 4. *Dilexit patres suos, & elegit semen eorum post eos*. Vnde & in persona Christi pro tempore martyrum dicitur Iob. 7. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*. Hanc enim mortem zelo sui cultus elegerunt

M Iudæi,

Marginal notes:

A Ps. 33. lit. c. ibi.

Fortitudinis, & constantiæ eorum descriptio.

Eorum supplicium.

B Rom. 8. l. 7. Ps. 43. lit. K. ad Hebr. 11. l. 8. Serm. in fe. Sanctor. Io. & Pauli.

C 2. 2. 123. 8. c. & 1. 2. 38. 4. c. & q. 59. 3. An Fortis delectetur in suo actu.

S. Tiburtius.

S. Dorothea.

D 2. Cor. 5. l. 2. ibi, audemus.

Martyres inter supplicia nedum non tristantur, sed gaudent.

E Ver. 13. 3. ad 9.

Quia aliqua cœlestis gloriæ aspersione refrigerantur, quam & statim post mortem adipiscuntur.

F Mat. 3. lit. b. ibi.

G Rom. 8. l. 4. ibi.

Quidnam martyres ad supplicia roboraret.

Septem Machabæorum Matris nomen.

H Praf. in Machab. & in Prol. D. Hier.

I Præfat. eod.

Martyrium Machabæorum, martyres noui testamenti signabat.

AD VIRGINEM DEIPARAM sub nuncupatione Rosarij.

Rythmus.

AVE, filia MARIA
Patris, Nati Mater pia,
Almi Sponsa Spiritus.

AVE, Virgo BENEDICTA,
Ex qua cœlitus prædicta
Verbum carnem suscipit.

AVE, fœta Deo, clausus
Quem Ioannes sensit, plausus
Matris edens vtero.

AVE, sordidâ brutorum
Caulâ Regem Angelorum
Læta Virgo pariens.

AVE, Natum Deo sistens,
Quem vt excipit assistens,
Vult dimitti Simeon.

AVE, triduo quæsitum,
Templo, Legis quo dat ritum,
IESVM nacta puerum.

AVE, Christo ter orante,
Hortum Sanguine rigante,
Dans Columba gemitum.

AVE, dulcis cuius Proles
Flagris languet, quæque doles
Tot IESV ludibria.

AVE, septa ROSA spinis,
Matri fixis, cùm diuinis
Figuntur temporibus.

AVE, scapulis gestanti
Crucem, pondere labanti,
Charo dextra pignori.

AVE, corde crucifixa
Stans, Dilecti dum confixa
Sacra membra suspicis.

AVE, Mundo præfulgentis
Solis, Nati resurgentis
Illustrata iubare.

AVE, Cœlos vbi scandit,
Paradisum iustis pandit,
Christi comes extasi.

AVE, casti vim ardoris
Intus passa, dum amoris
Flamma pluit cœlici.

AVE, nequam euocata
Seclo, superis illata
Angelorum agmine.

AVE, Stygis triumphatrix
Cœlis terris Imperatrix,
Beatorum optima.

AVE fragrans Virgo ROSA,
GAVDENS DOLENS GLORIOSA
In sacro ROSARIO. Amen.

a *QVod tempus verò, ad laudes Virgini concinendas, votaque dirigenda opportunum, quamuis iugiter veneranda, colenda, exoranda, & inuocanda Deipara sit, secundùm illud:*

Omni die dic MARIÆ
Mea laudes anima:
Sine fine dic Reginæ
Mundi, laudum cantica.

unde & diebus singulis, ad ineffabile recolendum diuini ex ea incarnati Verbi mysterium, ter eam salutare deuotè, & laudare ab Ecclesia excitamur; manè videlicet, meridie, ac vespere. (Et quidem in salutatione vespertina cum plenaria indulgentia acquisitione, ab Adriano VI. *salutantibus, vt ferunt, concessa:) Nihilominus peculiaris veluti statuitur illius dies, Sabbatum. Nec sine causa: nam in veteri lege* præceptum *de Sabbato colendo* datum Y fuit (*præter cætera*) ad instructionem fidei Redemptoris, caro enim Christi in Sepulchro corrupta non fuit, Ps. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Vnde voluit, Sabbatum obseruari, vt sicut sacrificia significabant mortem Christi, ita quies Sabbati requiem carnis eius. Sed nos ista sacrificia non seruamus, quia adueniente re, & veritate, debet cessare figura: sicut adueniente Sole, cessat vmbra. Seruamus tamen Sabbatum in venerationem Virginis gloriosæ, in qua remansit tota fides tali die in morte Christi. *Vnde & signanter canitur ab Ecclesia* Virgo fidelis. *Quemadmodum autem* voluit Z Deus, vt custodiretur vnus dies (*Sabbatum videlicet*) in memoriam, quòd Deus omnia creauit in sex diebus, & in septimo quieuit à nouis creaturis condendis: *Ita quieuisse creditur in vtero Virginis*, *Eccl.* 24. Qui creauit

Sabbatum cum Beatæ Virgini specialiter consecratum.

Y *Op.* 4. *de* 3. *præc.* §. 1.

Z *Ibid.* Paulo ante.

uit me, requieuit in tabernaculo meo: *in cuius memoriam quietis, Sabbatum Deiparæ consecramus*, *Ps.* 131. Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculum seculi. *Elegit Dominus Sion*, idest A Beatissimam Virginem, quæ est speculum, & specula Ecclesiæ. (*Vnde & quod dicitur Ps.* 19. De Sion tueatur te, *exponitur*: idest B de specula, scilicet de arce Dauid, vbi erat Arca, *Mariæ symbolum*.) *Est ergo Virgo Beata* specula Ecclesiæ, *in qua requieuit Dominus* in seculum seculi, *secundum illud Mat.* 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Cæterùm, quantùm spectat ad Mariæ patrocinium, si purus, & castus es, ad eam accede*: Adducentur enim Regi virgines post eam, *scilicet* post B. Virginem, *vt supra ex Ps.* 44. *expositum est*. *Si impurus es, at impuritatem detestaris, vt purus fias: Mariam inuoca; &* super niuem *Virginis protectione* dealbaberis. *Verùm, si in peccato, & in immunditia persenerare intendis, à Mariâ recede, cuius pietas* nescit patrocinium dare criminibus: *neque enim in hoc sensu* Refugium *appellatur* peccatorum. *Vnde signanter dicebat Author*: In omni C opere virtutis potest eam habere in adiutorium; *non ita in vitio ex proposito perseuerans*. *Pro illis dictum sit, qui in peccato, velut sus lota in voluntabo luti 2. Pet. 2. persistere deliberatè volentes, Rosariana suffragium Virginis deposcunt; auditoque ad eius aram quotidie sacro, se pro peccatis cunctis plenè autumant satisfecisse. Humanam hi Christi Matrem venerantur: at diuinum aspernantur Patrem. Die Sabbati, in Matris obsequium, vel à lacticiniis abstinendo ieiunant: at in quadragesimali Christi ieiunio carnibus luxuriantur. Deiparæ implorant opem: at fraudant operarios mercede. Mariæ virginitatem piè colunt: at innocuis puellis florem impiè tollunt virginitatis. Virgini genitrici præstant obsequium: at impudicæ meretrici profitentur famulatum. Matris protectionem orando inuocant: at Filii indignationem errando aduocant. Sacras Rosas Mariæ intexunt: at duras Filio spinas blasphemando infigunt, ne dicam cum Apostolo*: rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei; *& (quod deterius est)* ostentui habentes, *vt dicitur ad Hebr. 6. Sanè, qui non est cum Filio, contra Matrem est: nec dulce sua lac protectionis iis præbet, qui amaro peccati felle sitim Filii restingunnt. Vera in Virginem, & Sanctos deuotio, eorum est opera sancta æmulari. Voluntas Matris voluntati Filij necessariò conformis est. Ipse autem Redemptor, Ipse Saluator, Ipse Iudex noster: non Virgo. Qui iudicem spernit, incassum aduocatum adhibet, & intercessorem. Maria Virgo veneranda, adoranda, exoranda, in eo potissimè sperandum est; sed magis Deus metuendus*. Disce *Matrem venerari, Filium timere. Vide plura Tom.* 1. *Verbo* Apostoli, Cælibatus, Christi conceptio, Natiuitas, Mors. Et *Tom.* 2. *Verbo* Ecclesia, Gratia Dei, S. Io. Euangelista, S. Ioseph.

A *Apoc.* 12. *Com.* 2. §. 1. *ibi*, corona, &c. 6. §. 1. *ibi*, vt vinceret.
B *Ps.* 19. *lit. a. ibi*.
Moralitas.
C *Op.* 8. *circ. med.*



MARIA MAGDALENA.

III. In iustificatione impij apparet iustitia Dei, dum culpas relaxat propter dilectionem: quam tamen ipse misericorditer infundit; sicut de Magdalena legitur Luc. 7. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. 1. p. 21. 4. ad 1.

b **D**E muliere Christum Dominum inungente, *cuius non semel Euangelia mentionem faciunt, diuersimodè Sancti Patres sensisse videntur. Est enim* quorundam D opinio, vt *Origenis*, quòd fuerunt mulieres plures. Expressè dicit *Hieronymus*, quòd illa, de qua loquitur Lucas, non fuit soror Lazari; quia de illa dicitur, quòd pedes vnxit; de alia verò dicitur, quòd pedes, & caput. *Ambrosius* super Lucam dicit, quòd vtrumque potest dici, quòd scilicet sit eadem, vel diuersa. Si dicimus, quòd eadem; potiùs possumus dicere, quòd etsi eadem, non tamen eiusdem meriti. Peccatrix enim non est ausa caput tangere; sed post, habita fiducia caput vnxit. *Augustinus* probat, quòd sit eadem, quia *Io. c.* 11. antequam accedat ad illud factum, dicit: *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur*. Ideò videtur, quòd illa, de qua Lucas loquitur, sit eadem cum illa, quæ est soror Lazari. *Origenes* dicit, quòd non est eadem illa, de qua Lucas loquitur, & illa, de qua Ioannes. Et potest probari ratione temporis: quia illud legitur factum antequam iret in Ierusalem: hoc factum est, cum dixit: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Item ex loco: quia illa in domo Marthæ, de qua in Ioanne: hæc autem in domo Simonis. Item per hoc, quòd ibi pedes, hic caput vngit. *Augustinus* tamen dicit, quòd eadem mulier est; & respondet ad rationes *Origenis*. Ad primam dicit, quòd Matthæus non seruat ordinem historiæ, sed recitat: quia ex hoc casu assumpsit Iudas occasionem peccandi, cum vidit, vnguentum effundi. Quod obijcit de loco, *Augustinus* non soluit. Potest tamen sic solui: quia iste homo erat magnæ authoritatis, & potestatem habens, & domus vna eorum, quia cognatus eius erat. Aliter, quomodo verum esset quod dicitur: *Fecerunt cœnam ibi*: *Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus*? Dicunt E ergo *Hieronymus*, & *Origenes*, quòd Maria soror Lazari non est eadem cum illa, quæ peccatrix erat, de qua dicitur Luc. 7. quòd *attulit alabastrum vnguenti*: *& stans retrò &c.* Vnde sicut dicit Chrysostomus: Hæc (*Ioan.* 11.) non fuit illa meretrix, quæ in Luca legitur: hæc enim honesta fuit, & studiosa circa susceptionem Christi; nam peccatricis illius nomen tacetur. Potuit autem & Maria ista erga Christum tempore suæ passionis ex deuotione, & speciali dilectione simile opus fecisse, quod fecit ei peccatrix illa diligens, & compuncta: quod quidem factum hic ab Euangelista propter Mariæ nominis magnitudinem per anticipationem recitatur. *Augustinus*, & *Gregorius*, dicunt, quòd hæc eadem Maria, de qua hic *Io.* 11. agitur, est illa peccatrix, de qua agitur *Luc.* 7.

An plures Mariæ fuerint Christum vngentes.
D *Mat.* 26. *lit. a. ibi* mulier *Io.* 11. *l.* 1. *lit. a. & cap.* 12. *l.* 1. *lit. d.*
Opinio Origenis, Hieronymi, Ambrosij.
Augustini.
E *Io.* 11. *l.* 1. *lit. a. fin.*
Chrysostomi.
Gregorij.

Et argumentum huius ex hoc verbo *Augustinus* assumit: nam hoc Euangelista dicit, antequam Maria vngeret Dominum vnguento, quia illud fuit imminente passione *Io.* 12. vbi dicitur; *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu.* Vnde dicit; quod hoc, quod hic dicit Euangelista de ea factum, recitatur *Luc.* 7. Secundum ergo opinionem *Augustini* (*quam & Ecclesia videtur amplecti*) manifestum est; quod peccatrix illa, de qua dicitur in *Luca*, est Maria ista, *cuius Frater Lazarus infirmabatur,* (*Io.* 11.) idest, miserandum corpus eius, fornaceis febribus alendum, edax incendium absumebat.

Opinionem Augustini amplectitur Ecclesia.

c *Porrò Maria hac dicitur* Mat. 26. *accessisse ad Iesum in domo Simonis leprosi. Vbi notandum, quòd tunc* F *non erat leprosus, sed curatus fuerat à Christo; si enim talis esset, non remansisset Christus cum eo, cum esset illud prohibitum in lege. Et quòd eò veniret Magdalena; ratio* G *potest esse literalis: scilicet, vt illa haberet fiduciam veniendi ad Christum, quia ipse erat cognatus Mariæ, & curatus erat ab eo lepra corporali; & ipsa veniebat, vt curaretur à lepra spirituali. Et notandum, quòd nullus alius dicitur venisse ad Christum pro salute spirituali, excepta ista: ideò laude digna fuit. Laude inquam digna fuit, simulque hinc digna, vt sibi culpa remitteretur, sublatis tunc ex priuilegio omnibus etiam reliquiis peccatorum. Pro quo sciendum, quòd sicut corporaliter* Deus H totum hominem perfectè curat: quandoque tamen subitò, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita vt *surgens ministraret illis*, vt legitur *Luc.* 4. Quandoque autem successiuè, sicut patet de cæco illuminato *Marc.* 8. (*nam* primò I restitutus est ad imperfectum visum, vnde ait: *Video homines velut arbores ambulantes*; deinde restitutus est perfectè, ita vt videret clarè omnia:) Ita etiam spiritualiter quandoque prius remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successiuè tollit peccati reliquias: quandoque autem tanta commotione conuertit cor hominis, vt subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena *Luc.* 7. *Hæ verò peccatorum reliquiæ nihil aliud sunt, quàm* dispositiones L ex præcedentibus actibus causatæ: (ex quibus M præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum:) quæ tamen remanent debilitatæ, & diminutæ, ita quòd homini non dominantur. *Et hoc fuit speciale Mariæ priuilegium, vt simul & semel & peccata ab ea tollerentur, & peccatorum reliquiæ. Cæterùm, cum dicit Apostolus*: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, *ad Rom.* 5. illud N verbum Apostoli intelligitur de gratia Christi, quæ superat omnem abundantiam humanorum peccatorum. Non autem est verum in omnibus, quòd quantò quis abundantius peccauit, tantò abundantiorem gratiam consequatur, pensata quantitate habitualis gratiæ. Est tamen superabundans gratia, quantùm ad ipsam gratiæ rationem, quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur. Quamuis quandoque abundanter peccantes, abundanter doleant: & sic abundantiorem habitum gratiæ, & virtutum consequuntur; sicut patet in Magdalena: *quæ quia abundantiùs doluit, abundantiorem ideò gratiam consecuta est. Dolor autem contritionis ex mensura sumitur charitatis, vnde dicitur Luc.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.

Cur ad Iesum Maria accederet in domo Simonis leprosi.

F Mat. 26, *lit. a. ibi.*

G Ibidem.

Sola Magdalena pro salute spirituali ad Christum venit.

H 3. *p.* 86. 5. *ad* 1. *&* 44. 3. *ad* 2.

I 3. *p.* 86. *l. c. in* sed contra.

Quæ subito ei perfectè collata est, sublatis etiam peccatorum reliquiis.

Quid sint eiusmodi reliquiæ.

L 3. *p. l. c. in Corp.*

M 3. *p.* 89. 1. *ad* 3.

Exponitur illud: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.*

N 3. *p. l. c. a* 2. *ad* 3.

Magdalena abundantiorem gratiam consecuta est, quia abundantiùs doluit.

Dolor contritionis ex mensura sumitur charitatis.

d Dilexit *inquam* multùm *Maria pœnitens*: *Dilectum enim Christum ad mortem vsque secuta est*, *Io.* 19. Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius &c, & Maria Magdalene. *Sed & sepulcrum voluit inuisere*, *Io.* 20. Venit Maria Magdalene, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, *ex amoris profectò impulsu. Ideò enim* statim O translato Sabbato ante lumen primæ Sabbati venit ad monumentum: quia nimius ardor amoris eam solicitabat, Cant. 6. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, scilicet charitatis. *Quem vtique amorem signare voluit Ioannes, solam Magdalenam commemorans: cum tamen Marc.* 16. & Maria Iacobi, & Salome *venisse dicantur. Hoc enim dicitur*: quia P Maria Magdalena feruentior, & deuotior erat ad Christum alijs mulieribus: & ideò eam Euangelista specialiùs nominat: (& inde est quòd priùs ei apparuit Dominus, *Sap.* 6. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.) *Vnde & consequenter subditur, quòd corpore minimè inuento*, cucurrit *ex feruore anxia charitatis*, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus; & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. *Quibus verbis* dat Q intelligere, quòd non sola fuerit ad monumentum. Sed attende, quòd in græcis codicibus habetur *Dominum meum*, ad designandum propensiorem charitatem, & famulatus affectum. *Hinc de inuentione magis solicita, ad Magistrum, sub Hortulani specie sibi dicentem*: Quem quæris? *protinus respondet*: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. *Vbi Author*: Cum iste R de nouo *inquit* venisset, nec ei dixerat, quem quærebat, quare dicit: *si tu sustulisti eum*? Quem eum? sed dicendum, quòd vis amoris hoc agere solet in amante, vt quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Sed quid dicit: *Et ego eum tollam*? Mirabilis Mulieris audacia, quam mortui non terret aspectus, & cuius valetudo ad graue mortui funus tollendum plus intentat, quam possit. Sed hoc est, quod dicitur 1. *Cor.* 13. Charitas omnia sperat. *Vbi & notandum, quòd eum* Dominum S vocat, vt beneuolentiam captet. *Verùm* (*ad rem nostram*) *vel abiectum olitorem* Dominum *vocat, quia videlicet amor intensus extra se sic hominem rapit, vt ignoret quodammodo quid loquatur, Ita Sponsa* Cant. 1. *Sponsum alloquitur in persona tertia, dicens*: Osculetur me osculo oris sui: *& mox in secunda persona subiicit*: quia meliora sunt vbera tua vino. *Quod aduertens Author*: Sponsa *inquit* loquitur T more amantis, qui propter feruorem dilectionis loquendo ordinem non valet seruare. Ideò aliquando loquitur in tertia persona, aliquando in secunda. *Non secus & Magdalena ex amoris feruore, & intensione inordinatè loqui videbatur, vel ex eo quòd Dominum suum tenens in corde, semper in oculo, semper in ore habebat. Igitur non mirum*, dimissa sint ei peccata multa: *quia videlicet* dilexit multùm. *Deus siquidem* culpas V relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit: *quod aiebat initio Author. Vnde &* Charitas X dicitur causa remissionis peccatorum: in quantùm scilicet per eam homo Deo coniungitur, à quo auersus peccato erat.

e *Verùm, cum tanta charitate Magdalena inardesceret, cur ei à Christo sui contactus corporis post resurrectionem denegatur?* Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Quod*

Eius amor ad Christum.

O Io. 20. *l.* 1 *lit. a. ibi.*

P Io. 20. *l.* 1. *lit. a. ibi, & lit. b. initio & l.* 2. *lit. a.*

Q Ibid. lit. b. ibi.

R Ibid. l. 3. *lit. c.*

S Ibid. immediatè antea.

Intensè amans ordinem nescit seruare in loquendo.

T Cant. 1. *com.* 2. *ibi.*

Dilectio, & charitas causa remissionis peccatorum.

V 1. *p.* 21. 4. *ad* 1. *&* 3. *p.* 49. 1. *c.*

X Ver. 28. 1. *ad* 3 *&* 4.

Sanctus Thomas Author noster mysticè dicitur manum suam in Christi misisse latus sicut Apostolus.

Quod quidem minimè Apoſtolo Thomæ negauit, quem immò ad Sui tactum veluti compulit, Io. 20. Affer manum tuam, & mitte in latus meum. (*Non ſecùs & SanctoThomæ Authori noſtro myſticè dictum eſt* : Mitte manum tuam in latus meum; *quippe* in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, *quibus mens eius Angelica ditata fuit* : calamuſque in ſacratiſſimo eiuſdem lateris ſanguine ad piè docteque ſcribendum intinctus.) *Verumtamen* Thomas Y ad ſolum aſpectum vulnerum credidit; vnde dictum eſt ei: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*. Sed tamen tetigit eum, vt à nobis omnem dubitationem excluderet: quia teſtis erat futurus reſurrectionis. Vnde Leo Papa dicit: *Suffecerat ad fidem propriam quod viderat: ſed nobis operatus eſt, vt tangeret quod videbat*. Glorioſa autem Magdalena non eligebatur vt teſtis reſurrectionis in populis, quia non decet mulierem docere in Eccleſia, vt dicitur 1. *Cor.* 14. Et ideò non eſt permiſſa tangere. *Vel dic* ex Chryſoſtomo *cum Authore, quòd* volebat Z hæc mulier adhuc cum Chriſto conuerſari, ſicut & ante paſſionem; & præ gaudio nihil magnum cogitabat, quamuis caro Chriſti multò melior facta fuerit reſurgendo: & ideò dixit: *Nondum aſcendi ad Patrem meum*; quaſi dicat: Non æſtimes, me iam terrenam vitam agere: quòd enim in terra me vides, hoc eſt, quia *nondum aſcendi ad Patrem meum*, ſed in promptu eſt, quòd aſcendam. Vnde ſubditur: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Hinc* Auguſtinus 1. *de Trin. c.* 9. Tactus *inquit* facit A quaſi finem cognitionis. Quando enim videmus rem, vtcumque eam cognoſcimus: ſed per tactum conſummatam cognitionem de ea habemus. Mulier hæc autem aliquam fidem habebat de Chriſto, ſicut de ſancto viro; vnde & Magiſtrum eum vocabat. Necdum tamen ad hoc peruenerat, vt cognoſceret eum, & æqualem Patri, & vnum cum Deo. Et ideò dicit ei: *Noli me tangere*; ideſt, non conſtituas finem tuæ notionis in id, quod credis de me; *nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ſcilicet in corde tuo, quia non credis, me eſſe vnum cum eo: quod tamen poſtea credidit. *Ex quo innoteſcit, cur tunc permiſſa tangere non ſit* : poſtea verò ei Chriſtus occurrens, ſe permiſerit contingi, *Mat.* 28. Tunc acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius: *tunc nimirum, quando plenè credidit*. *Nam ex Auguſtino* Maria B Magdalena primò non potuit tenere eum, quia primò dubitauit; & ideò digna non fuit: ſed iam certificata, digna eſt effecta tangere Chriſtum, vt tactus exterior concordaret interiori. *Vnde & ſubditur* : Et adorauerunt eum, *videlicet vt Deum, & Dominum gloriæ, Pſ.* 23. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. *Hinc dilecti reſurrectionem ſingulari eiuſdem priuilegio primò annunciat, & prima, Io.* 20. Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum &c. *Nimirùm*, vt Mulier C quæ primò nuncium mortis ad hominem detulit, primò etiam vitam reſurgentis Chriſti in gloria nunciaret. *Quod & ab Angelo præmiſſum ei fuerat Mat.* 28. *quia* ſicut D prima mulier primò locuta eſt diabolo: ſic cum bono Angelo prima locuta eſt, vt omnia reſtaurarentur. *Vbi maximè* notandum eſt E triplex priuilegium, quod Magdalenæ eſt collatum. *Primò* quidem propheticum per hoc, quòd meruit Angelos videre: Propheta enim eſt medius inter Angelos, & populum. *Secundò* Angelorum faſtigium per hoc, quòd vidit Chriſtum, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* 1. Pet. 1. Tertiò officium Apoſtolicum, immò facta eſt *Apoſtolorum Apoſtola*, per hoc quòd ei committitur, vt reſurrectionem Dominicam diſcipulis annunciet: vt ſicut mulier viro primò nunciauit verba mortis, ita & mulier primò nunciaret verba vitæ.

Y 3. d. 21. 2. 4. q. 3. ad 3. & 3. p. 54. 4. ad 2.

Cur Chriſtus ſe à Magdalena contingi poſt reſurrectionem non permiſerit, vti Apoſtolo Thomæ conceſſit.

Z 3. p. 55. 6. ad 3. Io. 20. l. 3. lit. e.

A Io. 20. loc. cit. & 3. p. l. c.

B Mat. 28. ibi, tenuerũt.

Prima Chriſti reſurrectionem nunciat.

C 3. p. 55. 1. ad 3. & Io. 20. l. 3. lit. f.

D Mat. 28. ibi, nolite timere.

E Io. 20. l. 3. lit. f.

Triplex eius priuilegium.

Apoſtolorum Apoſtola.

f *Hæc autem cuncta ſibi ob intenſi excellentiam amoris prouenerunt* : quoniam dilexit multùm. *Et quia, quæcumque Magdalena agebat, ex Chriſti amore operabatur, perpetuum ſe illi Dominus Aduocatum exhibuit, & Patronum. Vnde* Mat. 26. *effuſo ſuper caput eius vnguento, murmurantibus diſcipulis, excuſat eam Chriſtus, protegit, & commendat, dicens* : Quid moleſti eſtis huic mulieri? Bonum enim opus operata eſt &c. *Quo loci aduertit Author*, quòd F Dominus ſemper eſt aduocatus huius mulieris: quia *Luc.* 7. Phariſæus accuſabat eam de peccato, vnde dicebat: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*. Et Dominus excuſauit eam per dilectionem. Item *Luc.* 10. Martha accuſabat eam de ocio: & Dominus excuſat eam per contemplationem. Hìc (*Mat.* 26.) diſcipuli accuſant eam de vnguenti effuſione: & Dominus excuſat eam ex deuotione: *Opus enim bonum operata eſt in me: nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebit* : quia ſcilicet illi dicebant, quòd poterat dari pauperibus. *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*. Sed nunquid intendebat ſepelire Chriſtum? Non: bonum tamen opus intendebat; ſed SpirituſSanctus illud ordinabit ad ſepulturam: (*vnde & Marci* 14. *legitur* : Præuenit vngere corpus meum in ſepulturam. *Quaſi dicat* : Non G prohibeatis eam facere mihi iam viuo, quod non poterit facere mortuo: nam fuit celeri Chriſti reſurrectione præuenta.) *Adeòque* bonum opus *ex amore* operata eſt, *ut iureiurando aſſeruerit Dominus* : Amen dico vobis: vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto Mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius; *ideſt* in commendationem H illius. Poſſet enim aliquis dicere, quòd dare proximo eſſet bonum opus. Verum eſt: ſed non tantum, quòd prædicetur per vniuerſum Mundum. *Quod quidem fit in perpetuam Magdalenæ commendationem, quotieſcumque in totius Mundi Eccleſiis hocce legitur Euangelium.*

Illius perpetuus aduocatus Chriſtus.

F Mat. 26. lit. a. ibi & Io. 12. l. 2. lit. a.

A quo de vnguenti effuſione ſpecialiter excuſatur & defenditur.

G Io. 12. loc. cit.

H Mat. 26. lit. a. ibi.

g *Qualis verò meriti opus hæc fuerit Mariæ inunctio, tangit Ioannes* cap. 12. *cum ait* : Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extersit pedes eius capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. *Circa quod miniſterium* tria I tanguntur. *Primò* enim tangitur vnguentum: *Secundò* obſequium, quod exhibuit: *Tertiò* effectus obſequij. Circa primum tria tangit. *Primò* quantitatem vnguenti, quia multum fuit, vnde dicit: *libram vnguenti*, Tob. 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Secundò* materiam, quia fuit ex nardo confectum, vnde dicit, *Nardi*, Cant. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuum*. Eſt autem Nardus, herba breuis, & ſpicoſa (*Marc.* 14. Vnguenti nardi ſpicati pretioſi:) & nigra, ex qua fit vnguentum, quod vim confortandi habet ex ſua aromaticitate. *Tertiò* compoſitionis formam in eo, quod dicit: *piſtici pretioſi*. Et ſecundùm *Auguſtinum* dicitur *piſtici* à loco, in quo nardus oriebatur. Sed melius eſt, quòd exponatur *piſtici*, ideſt fidelis: hoc eſt, non ſophiſticati per aliquam admiſtionem: nam *piſtis* in græco idem eſt, quod *fides*. Addit autem *pretioſi*, quia confectum erat ex ſpica nardi,

Qualis meriti Magdalenæ inunctio.

I Io. 12. l. 1. lit. d.

Nardus quid.

ex qua pretiosum vnguentum fit: & fortè admistis alijs pretiosis rebus. In quo docemur, quòd ea, quæ pretiosissima sunt apud nos, Deo debemus offerre, secundùm illud Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi &c.* Et Mal. 1. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino: (quemadmodum, qui debiliores filios locant in claustris.)* Circa obsequium eius primò nota humilitatem in hoc, quod dicitur: *Vnxit pedes Iesu*; ad pedes scilicet procidens, secundùm illud Psalm. 131. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*. Secundò deuotionem, quia *extersit capillis suis*, vt de se ipsa quodammodo obsequium offerret, Rom. 6. *Exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo*. Effectus autem obsequij tangitur consequenter, cum dicitur: *Et domus impleta est ex odore vnguenti*. Per quod insinuatur vnguenti bonitas, cuius odor totam domum impleuit, Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Secundùm mysterium autem (*post pauca*) per *libram*, quam Maria accepit, designatur opus iustitiæ: nam ad iustitiam pertinet singula librare, & ponderare: (vnde *Augustinus*: Vnguentum illud *inquit* iustitia fuit, ideò libra fuit.) Opus autem iustitiæ debet quadruplici virtute adiuncta esse perfectum. Primò quidem pietate; vnde dicit *vnguenti*: quod quia lenitiuum est, misericordiam significat, Iac. 2. *Iudicium sine misericordia &c.* Secundò humilitate; vnde dicit, *Nardi*: quæ cum sit herba breuis, significat humilitatem, Eccli. 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*. Tertiò fide, vnde dicit, *pistici*, idest fidelis, Habac. 2. & Rom. 1. *Iustus autem ex fide viuit*. Quartò Charitate; vnde dicit *pretiosi*: sola enim charitas pretium præstat vitæ æternæ, 1. Cor. 13. *Si distribuero omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nibil mihi prodest*. Opere autem iustitiæ vnguntur pedes Iesu, & caput. Per pedes intelligimus mysterium humanitatis; per caput vero diuinitatem, secundùm illud 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus*. Sic ergo intelligitur *caput, & pedes Christi vngere*, qui diuinitatem, & humanitatem eius veneratur. Vel per *caput* possumus intelligere ipsam Christi personam, secundùm illud Eph. 1. *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*: per *pedes* autem Christi fideles, de quibus Mat. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Vnde caput Christi inungit, qui ipsum Christum veneratur; pedes autem, qui eius fidelibus obsequitur. Quia verò capilli ex superfluitate generantur: pedes Domini capillis terguntur, quando aliquis ex ipsis, quæ sibi superfluunt, defectui subuenit proximorum, Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam*. Vnde Augustinus: *Si habes superflua, da pauperibus: & Domini pedes tersisti*. Per hoc autem, quod dicitur: *& domus impleta est ex odore vnguenti*, significatur, quòd propter opera iustitiæ bona fama totam replet Ecclesiam, 2. *ad Cor.* 2. Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus. *Et hoc est, quod dictum est à Domino Mat.* 26. Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius: *ex præfatis enim liquet, quot simul virtutum actus Christum inungendo Magdalena operata sit*.

Deo pretiosiora offerēda, non viliora.

Mystica de præfata vnctione explanatio.

Per caput, & pedes Christi quid significetur.

Capillis Christi pedes tergere, est pauperibus subuenire.

h *Cæterùm quàm felix peccatrix hæc, quæ adhuc in Mundo viuentem suæ habuit culpæ relaxatorem Christum Dominum, non minùs quàm felix culpa (aiebat Ambrosius)* quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. *Et quamuis peccatis carnalibus ante pœnitentiam obnoxia, eò tamen post hanc meriti peruenit*, vt K multis etiam virginibus eminentior sit; *vnde & ab Ecclesia in litanijs virginibus anteferitur; & hoc sanè ex præeminentia charitatis, qua caluit*. Nam vnumquodque opus L quod in maiori fit charitate, magis habet de merito: quia sola charitas habet Deum pro obiecto, & fine. Vnde meritum charitatis respondet præmio substantiali: meritum aliarum virtutum præmio accidentali. *Maria autem prima testimonio Veritatis* dilexit multùm, *consequenter pluribus merito præeminet in æterna fruendo beatitate. Neque Magdalenæ peccata, per verba etiam Euangelij (vbi* Mulier *denotatur* in ciuitate peccatrix) *vsque in hodiernum diem, immò & in vniuersali iudicio publicè manifestari, illi ad ignominiam cedere putandum est: nam* publicatio M peccatorum ad ignominiam peccantis est effectus negligentiæ, quæ committitur in omissione confessionis: sed quòd peccata Sanctorum reuelantur, non poterit eis esse in erubescentiam, vel verecundiam. Sicut Mariæ Magdalenæ non est in confusionem, quòd peccata sua in Ecclesia publicè recitantur: quia verecundia est timor ingloriationis (vt dicit *Damascenus*) qui in Beatis esse non potest. Sed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt (*ipsa præsertim, quæ tantam vim lacrymarum profudit, vt Redemptoris pedes, quasi plantas sibi fructiferas, rigare sufficeret*:) sicut & Confessor approbat eum, qui magna scelera fortiter confitetur. *Quia ergo ex corde pœnituit, non ad ignominiam, sed ad maiorem immò gloriam, illius crimina publicantur, postquam fuit* in vas translata gloriæ de vase contumeliæ: *nec eiusdem iniuria est, quòd de illa* septem dæmonia exijsse *legantur, cum loca eorum occupauerit, septem suis donis illustrans, septiformis gratia Spiritus sancti; vnde & canitur*:

Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Ex quo legimus, quòd post Christi ascensionem, eum quoque in Cœlum per altissimam contemplationem secuta est. Traditur enim, quòd vt optima parte contemplandæ cælestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit: vbi 30. annos vixit, ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidieque per id tempus ad audiendas cælestium laudes in altum ab Angelis elata: *à quibus, & post mortem creditur purissimus eius spiritus in beatam Patriam subductus, vt Magistro suo æternùm iungeretur in Cœlis*, quem in terris posita tota deuotione dilexerat. *Sacri porrò eius corporis reliquiæ in Gallia Narbonensi ad Aquas mortuas, non longè à Massilia vrbe, in Conuentu Sancti Maximini (quem Carolus secundus Rex Siciliæ, & Comes Prouinciæ ædificauit) apud P. P. Prædicatores quiescunt: vbi & capillorum pars, quibus Christi pedes viuens extersferat, & parum sanguinis terra immisti, quem è Cruce fluentem collegerat, asseruatur. Illud verò mirandum, quòd eius vultus cutis pelle nudatus inspicitur, ea fronte excepta parte, quà à Domino, vbi eam tangere post resurrectionem volebat, digito contacta, repulsa est, quodam inibi vestigio incorruptibilitatis impresso. Quæ cuncta præfato Carolo ab eadem beatissima fœmina detecta sunt. Cum enim esset Barcinone Petri Aragoniæ Regis ex bello captiuus, clara sui apparitione dignatum, & captiuitate absoluens, & in suum Comitatum restituens, quæ præmisimus reuelauit: illud de sacris pignoribus subii-*

K 2. *d.* 9. 1. 8. *c.*

Multis virginibus meritò Magdalena eminentior.

L Mat. 12. *lit. b. ibi* bonus homo *Hebr.* 11. *l.* 8. *&* 1. *Cor.* 3. *l.* 2. *Rom.* 8. *l.* 5. *In* 4. *d.* 49. 1. 4. *q.* 4.

M 4. *d.* 43. 1. 5. *q.* 2. *ad.* 3. *&* *d.* 22. 1. 1. *ad* 2.

Suarum nunc publicatio culparum ad ignomitiam non cedit illi, sed ad maiorem gloriam.

Sacrum eius corpus apud PP prædicatores.

subiitiens: Hæc fratribus meis, *idest Prædicatoribus*, trades. *Eadem siquidem vestigia, quæ modò isti*, Apostolorum Apostola *Christi resurrectionem annuncians, prior illa in Ecclesia signauit. Ita ex* Siluestro de Prierio *in Rosa aurea fer. 5. infra Oct. Pasc. Et ex* Mag. Ercolani *in vita S. Mariæ Magdalenæ.*

i *Tot verò tantorumque meritorum beatissimam hanc pœnitentem velut mysticum arcum posuit Deus in nubibus Cœli*, vt esset signum fœderis *inter ipsum, & peccatores*. Intelligitur *autem* Maria N Magdalena per arcum cælestem (*siue iridem*) propter tria: scilicet ratione materiæ, ratione formæ, ratione finis. *Ratione materiæ*: Est enim materia arcus nubes aquosa, radijs Solis percussa. Nubes aquosa, Maria lacrymosa, sol Christus, radius gratia Christi: qui nubem aquosam percussit, cum Mariæ lacrymanti gratiam infudit. *Ratione formæ*: est enim triplex, scilicet cærulea, rubea, & versùs terram tenet brachia extensa. Color cæruleus est Mariæ humilitas; rubeus, charitas. De primo Luc. 7. *Stetit retrò secùs pedes Domini*. De secundo ibidem: *Quoniam dilexit multùm*. Brachiorum vique ad terram extensio, est magna, quam habet ad peccatores, misericordia: est enim ipsa Sancta, interuentrix peccatorum, & aduocatrix eorum: didicit enim ex experientia, peccatorum misereri: *Manum suam aperuit inopi*, idest peccatori: *& palmas suas extendit ad pauperem*; Prou. vlt. Ratione finis: est enim triplex finis eius. Primò præteritum iudicium, per aquam significatum. Secundò iudicium futurum, per ignem prænunciatum. Tertiò pactum, quod est inter Deum, & Terram, demonstrare, quia de Cœlo extendit brachia sua ad terram. Primum in colore cæruleo: secundum in rubeo: Tertium in viridi. Sic Beata Maria Magdalena est signum duplicis iudicij in peccatore pœnitente: vnius, quod fit per aquam compunctionis; alterius, quod fit per ignem charitatis, & contritionis. De vtroq; Ps. 65. *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.* Item est signum pacti inter Deum, & terram, idest peccatores. Est autem signum septemplicis fœderis inter Christum, & peccatores. *Primum*, quia benignè peccatores recipit, qui ad eum confugiunt. *Secundum*, quia multùm se familiarem eis exhibet. *Tertium*, quia eos, qui irrident, confundit. *Quartum*, quia pro eis aduocat. *Quintum*, quia eorum fidem multùm commendat. *Sextum*, quia omnia eorum peccata dimittit. *Septimum* quia eis dulciter loquitur. Hæc septem nota in Euangelio per ordinem. Primò in hoc, quòd eam in nullo increpauit contra nequitiam hypocritarum, qui videntur contra peccatores fulminare. Secundò in hoc, quòd dedit ei pedes ad osculandum: *osculabatur pedes eius*. Tertiò in hoc, quòd Pharisæum, qui eum despiciebat, confudit: *Simon, habeo tibi aliquid dicere &c.* Quartò in hoc, quòd eam bonam conferendo, & allegando probauit: *hæc autem, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos*. Quintò in hoc quòd ait: *Mulier, fides tua te saluam fecit*. Sextò in eo, quòd dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*. Septimò in eo, quòd dulciter expressit: *Vade in pace. Verumtamen, vt Maria tibi, qui peccasti, diuina sit clementia certum signum, securumque protectionis illius experiaris effectum, modum quo & ipsa diuinam impetrauit veniam, imiteris oportet*: vt quam secutus es errantem, pœnitentem sequaris. *Hæc siquidem semel pœnitentiam amplexa, nunquam extitit recidiua: tu verò ad repetenda peccata redis*, *velut* canis reuersus ad suum vomitum, *vt dicitur 2. Pet. 2. Hæc vlteriùs ad primum mystici institiæ Solis radium illustrata, non diù pœnitentiam distulit*: *sed statim*, vt cognouit, *ad cælestem medicum, quo suis mederetur plagis, vnguentum attulit, Luc. 7.* Attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius. *At diuina vocatione pluries neglecta, immò reluctante voluntate despecta* (*Act. 7.* Vos semper Spiritui Sancto resistitis) *Magdalenæ interuentionem ne speres*; *nec veniam à Domino, sed punitionem, & quidem æternam*. Quia vocaui (*inquit Pro. 1.*) & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit. *Quod Beata interueniens pœnitentis auertat Deus. Disce, ad diuina refrigerium gratiæ, nonnisi per aquam lachrymarum transiri. Vide* Amor hominis erga Deum, Christi sepultura, & Resurectio, *Tom. 1.* Pœnitentia, Vocatio diuina.

Maria cœlestis arcus, in signum fœderis inter Dum, & peccatores.

N. *Serm. in fest. eiusd.*

Quorum specialis est aduocata.

Signum septemplicis fœderis inter eos.

Moralitas.

MARITVS. *Vide* Matrimonium.

S. Martinus.

IV. *Scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ: & sedi mœrenes. 1. Esd. 9.* Hæc verba possunt exponi de Beato Martino. *Serm. in fest. eiusd.*

i. PRæfatorum *expositionem verborum, ad Sancti Antistitis commendationem, prosequitur ibidem Author, cum subdit*: Notantur O hæc tria, quæ fecit B. Martinus in triplici statu; scilicet in statu militis, in statu Monachi, & in statu Episcopi: fuit enim miles, Monachus, & Episcopus. Miles *pallium scidit* ad literam, & pauperi nudo dedit. (Medietatem *autem* palli P sui dedit pauperi, vt in paupere indueret Christum. Milites, vanæ gloriæ amatores, in seruis diaboli integro pallio, & alijs vestibus induunt diabolum:) Is. 58. *Cum videris nudum, operi eum.* Monachus *capillos euulsit*, idest temporalia reliquit, quæ per capillos designantur: (*& ad literam pariter*, capillos euulsit: *neque enim Monachi comam, aut barbam nutriunt.*) Episcopus *sedit mœrens*: quia ad Episcopum pertinet peccata subditorum flere, *Ier. 9.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei? *Quæ singuli vitam eius admirandam excurrenti manifestè patent. Disce, in quolibet statu, quæ imitemur virtutum exempla à Sanctis præberi.*

O *Serm. in fe. S. Martini.*

Tria in B. Martino notabilia iuxta triplicem statum illius.

P *Op. de er. Pr. l. 7. c. 4.*



Marty-

MARTYRIVM.

V. Cicatrices vulnerum (post resurrectionem) non erunt in Sanctis, nec in Christo fuerunt, in quantùm important aliquem defectum; sed in quantùm sunt signa constantissimæ virtutis, qua passi sunt pro iustitia, & fide: vt ex hoc & ipsis, & alijs gaudium accrescat. *In 4. d. 44. 2. 1. q. 1. ad 5.*

1 QVod Græci Martyrium *dicunt, latinè* testimonium *exponimus. Vnde & Sancti Martyres* testes *dicuntur, quod sanguine suo testimonium fidei reddunt, & veritatis. Hinc illud Mat.* 10. Tradent enim vos in Concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos &c. in testimonium illis, & gentibus, *exponitur:* in testimonium, *videlicet*, quia Q mitto vos, testes fidei meæ ad Iudæos, & Gentes. Vnde *Martyr* idem est, quod *testis*: quia per passionem vestram eritis testes passionis meæ, & *resurrectionis, Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. *Ad quod cohærenter* cap. 4. *legimus*: Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi D. N. *Martyrium porrò actus est proculdubio virtutis, & specialiter fortitudinis: vt enim* Tom 2. *præmissum est*, ad fortitudinem R pertinet, vt confirmet hominem in bono virtutis, & maximè contra pericula mortis, & maximè eius, quæ est in bello. Manifestum est autem, quòd in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem, & iustitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à persecutoribus imminent. Et propter hoc de martyribus legit Ecclesia *ex cap.* 12. *ad Hebr.* Fortes facti sunt in bello. *Verùm, quia* ad actum S martyrij inclinat charitas, sicut primum, & principale motiuum; fortitudo autem, sicut motiuum proprium: inde est, quòd martyrium est actus charitatis, vt imperantis, fortitudinis autem vt elicientis. Quòd autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut & quilibet virtutis actus, & ideò sine charitate non valet. (Hoc *nihilominus* opus T quod est offerre se martyrio, vel etiam martyrium sufferre, potest facere non solum charitas perfecta, sed etiam imperfecta; & quod plus est, etiam ille, qui charitate caret, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam &c.* Sed charitas perfecta hoc facit promptè, & delectabiliter, sicut patet de *Laurentio*, & *Vincentio*, qui in tormentis charitatem ostenderunt: hoc autem non potest facere charitas imperfecta, vel etiam ille, qui charitate caret.) *Quoniam verò* principalior V actus fortitudinis est sustinere, ad quem pertinet martyrium; non autem ad secundarium actum eius, qui est aggredi: quia patientia deseruit fortitudini ex parte actus principalis, qui est sustinere, inde est, quòd comitanter in martyribus & patientia commendatur.

Martyrium, & martyr quid significent.

Q *Mat.* 10. *lit. b. ibi & 2. 2. 124. a. 4. & 5. in c.*

Martyrium, cuius virtutis actus.

R 2. 2. *l. c. a.* 2. *c.*

Quomodo charitatis & fortitudinis.

S *Ibid. ad* 2.

T *Quol.* 4. *a.* 19. *f. c.*

An possit quis sine charitate se offerre martyrio, vel sufferre.

V 2. 2. 124. 2. *ad* 3.

Actus etiam patientiæ est, & quomodo. Mors corporalis de ratione martyrij.

X 2. 2. *l. c. a.* 4. *c. In* 4. *d.* 49. 5. 3 *q.* 2. *c. lob.* 2. *l.* 1. *ibi*, pellem.

m *Cum autem fortitudinis speciale sit, circa pericula mortis versari, sequitur, quòd corporalis mors sit de ratione martyrij. Nam (vt vidimus)* Martyr X dicitur quasi testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur, vt dicitur *ad Heb.* 11. Ad martyrium ergo pertinet vt homo testificetur fidem, se opere ostendens omnia præsentia contemnere, vt ad futura, & inuisibilia bona perueniat. Quandiù autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Consueuerunt enim homines & consanguineos & omnia bona possessa contemnere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conseruent. Vnde & Satan contra Iob induxit cap. 2. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua*; idest pro vita sua corporali. Et ideò ad perfectam rationem martyrij requiritur, quòd aliquis mortem sustineat propter Christum. *Ex quo Martyrium, actus inducitur maximæ perfectionis: quod tamen cum distinctione quadam intelligendum. Etenim* de aliquo Y actu virtutis loqui possumus dupliciter. *Vno modo* secundùm speciem actus ipsius, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipsum: & sic non potest esse, quòd martyrium, quod consistit in debita tolerantia mortis, sit perfectissimus inter virtutis actus, quia tolerare mortem non est laudabile secundùm se, sed solùm secundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod consistit in actu virtutis, putà ad fidem, & ad dilectionem Dei. Vnde ille actus virtutis, cum sit finis melior est. *Alio modo* potest considerari actus virtutis, secundùm quod comparatur ad primum motiuum, quod est amor charitatis; & ex hac parte præcipuè aliquis actus habet, quòd ad perfectionem vitæ pertineat, quia vt Apostolus dicit ad Coloss. 3. *Charitas est vinculum perfectionis.* Martyrium autem inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem charitatis, quia tantò magis ostenditur aliquis aliquã rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit. Manifestum est autem, quòd inter omnia alia bona præsentis vitæ maximè amat homo ipsam vitam, & è contrario maximè odit ipsam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, vt *Augustinus* dicit in *lib.* 83. *Quæst.* Et secundùm hoc patet, quòd martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundùm suum genus, quasi maximæ charitatis signum, *secundùm illud Io.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Quocirca obseruandum venit, quòd* si aliquis Z propter fidem vulnus mortale accipiat, & superuiuat, non est dubium, quòd aureolam meretur, sicut de B. Cæcilia patet, quæ triduo superuixit, & de multis martyribus, qui in carcere sunt defuncti. Sed etiamsi vulnus non mortale accipiat, & tamen exinde mortem incurrat, creditur aureolam promereri, quamuis quidam dicant, quòd aureolam non meretur, si ex incuria, vel negligentia propria mortem incurrat: non enim illa negligentia eum ad mortem perduxisset, nisi præsupposito vulnere, quod pro fide acceptum est; & ita vulnus propter Christum susceptum, est ei plena occasio mortis; vnde propter hoc aureolam non videtur amittere, nisi sit talis negligentia, quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & Auream aufert, & Aureolam. Si verò ex vulnere mortali suscepto non moriatur, aliquo casu contingente, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam meretur. Vnde & quorundam Sanctorum martyria in Ecclesia celebrantur, qui

An actus maximæ perfectionis sit.

Y 2. 2. *l. c. a.* 3. *c. & q.* 184. 5. *ad* 3.

Z 4. *d.* 49. 5. 3. *q.* 2. *ad* 7.

Num verè martir, qui post accepta vulnera statim non moritur.

qui in carcere mortui sunt, aliquibus verberibus longè ante susceptis, sicut patet de *Marcello* Papa. Qualitercumque igitur afflictio propter Christum illata vsque ad mortem continuatur, siuè mors inde sequatur, siuè non; aliquis martyr efficitur, & aureolam meretur. Si verò non continuetur vsque ad mortem, non propter hoc aliquis dicetur Martyr, sicut patet de *Siluestro*, de quo non solemnizat Ecclesia sicut de Martyre, quia in pace vitam finiuit, quamuis prius aliquas passiones sustinuerit.

n Maximæ *sanè* perfectionis est actus, *propter Christi fidem toleratum martyrium; vnde & holocaustum de se ipsis dicuntur Deo facere martyres; confessores autem oblationem tantùm. Quo sensu exponitur illud Ps.* 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes, & holocausta. *Sacrificium iustitiæ*, idest A Sacrificium, quo Christus se obtulit, qui iustus est, Io. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato*? & quia tantæ virtutis est, vt satisfaceret pro homine, & iustificaret eum. Et hoc sacrificium primum locum tenet. Secundum locum tenent alij Sancti, qui se propter Deum obtulerunt in Sacrificium; vnde dicit, *oblationes*, scilicet Confessores, qui confitendo Christum, quantùm in se est, obtulerunt se morti, licèt non sint occisi, Iudic. 5. *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino*. Subdit autem, *& holocausta*: & isti sunt martyres, Io. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et *tunc acceptabis* ista, quando ipsi Sancti *imponent* se tanquam *vitulos super altare tuum*, idest super fidem tuam, & super Christum; idest exponent se tanquam *vitulos* propter Christum, & fidem Christi, ad immolandum. Holocaustum enim est *ex Gregorio*, quod totum incendebatur. Ex *quibus deducitur*, quòd Apostoli B præferuntur martyribus, martyres verò omnibus alijs: maiores enim merito, maiores sunt præmio. Præcipua verò sunt merita Martyrum, *vt ex præfatis liquet*. *Et quidem* quantùm C ad genus operis plus meretur minimus Martyr, quàm quicumque Confessor: tamen quantùm ad radicem operis, potest Confessor plus mereri, in quantùm ex maiori charitate operatur: quia præmium essentiale respondet radici charitatis, accidentale verò generi actus. Et inde est, quòd aliquis Confessor potest aliquo martyre esse eminentior quantùm ad præmium essentiale; martyr tamen quantùm ad præmium accidentale: *ad quod præfata spectat aureola, quæ martyri confertur in Patria. Nam* passio D corporalis martyris ad meritum essentialis præmij non facit, nisi in quantùm est volita: sed ad præmium accidentale, quod est aureola, martyrizatio ordinatur per modum meriti, secundum quod facit quandam decentiam respectu aureolæ: decens enim est, vt qui Christo conformatur in passione, ei conformetur in gloria, ad *Rom.* 8. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Et iustè quidem martyri debetur aureola*. Sicut *enim* inest E quædam pugna spiritui contra interiores concupiscentias: ita etiam inest homini quædam pugna contra passiones exteriùs illatas. Vnde sicut perfectissimæ victoriæ, qua de concupiscentijs carnis triumphatur, scilicet virginitati, debetur specialis corona, quæ aureola dicitur: ita etiam perfectissimæ victoriæ, quæ habetur de impugnatione exteriori, debetur aureola. Perfectissima autem victoria de exterioribus passionibus consideratur ex duobus. *Primò* ex magnitudine passionis. Inter omnes autem passiones illatas exteriùs, præcipuum locum mors tenet (sicut & in passionibus interioribus præcipuæ sunt venereorum concupiscentiæ:) & ideò, quando aliquis obtinet victoriam de morte, & ordinatis ad mortem, perfectissimè vincit. *Secundò* perfectio victoriæ consideratur ex causa pugnæ, quando scilicet pro honestissima causa pugnatur, quæ scilicet est ipse Christus. Et hæc duo in martyrio considerantur, quod est mors suscepta propter Christum. Martyrem enim non facit pœna, sed causa. Et ideò martyrio aureola debetur, sicut & virginitati. *In signum cuius, Sancti, præsertim Martyres cum palmis in manibus describuntur, Apoc.* 7. Et palmæ in manibus eorum. *Hæ siquidem* solent F dari victoribus in signum triumphi. *Sed & cum diademate in capite ad modum scuti pinguntur, quasi hoc esset victoriæ signum, & ipsorum aureolæ insignia quædam. Hinc ad illud Ps.* 5. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, *ab Authore erudimur, quòd* consuetudo G fuit Romanis antiquitus vti scutis rotundis, & in illis habebant spem victoriæ: & quando triumphabant, illomet scuto vtebantur vt Corona. Et inde Sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite, quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum ad instar Romanorum gerunt in capite pro corona. *Ex præfata autem victoria atque triumpho gloria quædam accidentalis eis accrescit in Patria: vnde & vulnerum cicatrices ad decorem, & decus in ipsis manebunt, non secus, ac in mundanis victorijs de reportatis vulneribus gloriari ostentantes consueuerunt milites, ducesque victores.* (*Verùm* decor H cicatricum, quæ in corporibus martyrum apparebunt, non potest dici aureola: quia aliqui martyres aureolam habebunt, in quibus huiusmodi cicatrices non erunt, vt illi, qui sunt submersi, aut famis inedia, vel squalore carceris interempti. *Et hoc est quod aiebat initio Author*: Cicatrices I Vulnerum non erunt in Sanctis, nec in Christo fuerunt, in quantùm important aliquem defectum, sed in quantùm sunt signa constantissimæ virtutis, qua passi sunt pro iustitia, & fide: vt ex hoc, & ipsis, & alijs gaudium accrescat, *vtique accidentale. Describuntur autem* Apoc. 7. *Christi martyres* amicti stolis albis, *idest* sinceris k & pulchris. Et hæc sunt indumenta virtutum, scilicet munditiæ corporis, & animæ, prudentiæ, fortitudinis, charitatis &c. *Et quòd de his intelligatur, claret ex eo, quod sequitur*: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Vbi Author. Non I dicit simpliciter *de tribulatione*, sed *de magna*: quia per patientem sustinentiam magnarum, & multarum tribulationum ad meriti sublimitatem peruenerunt. *At cum descripti superiùs essent* amicti stolis albis, *quid est, quod ait Ioannes*: & dealbauerunt eas in sanguine agni? *Et iterum*: Cum sanguis L non sit albus, sed rubeus, videtur, quòd Ioannes debuit dicere, *& rubeas fecerunt eas*; & non, *dealbauerunt eas in sanguine agni*. Ad primum dicitur, quòd *dealbauerunt*, idest cum albæ essent, magis albas fecerunt, (*per martyrium vtique*) *in sanguine agni*, idest in fide, & imitatione passionis Domini Nostri Iesu Christi. *Ad secundum* dicitur, quòd sicut sanguis calore decoctus in mamilla, conuertitur in lac, & mutat colorem; & qui prius erat rubeus, fit albus: ita sanguis Christi igne charitatis decoctus in mente Sanctorum, albos facit eos, non rubeos. *Vel* potest dici, quòd in hac dictione *dealbauerunt* ponitur *de* pro additione; & est sensus: *& dealbauerunt eas in san-*

Martyrium holocaustum Deo.

A Ps. 50 *lit.* *i. ibi*,

B Hebr. 11. *l.* 9. *ibi*, vt meliorem.

An aliquis Confessor esse Martyre eminentior possit.

C Ver. 26. 6. *ad* 8. *& ad Hebr.* 11. *loc. cit.*

D Ver. ib. ad 3. *&* 6.

Martyri cur debeatur aureola.

E 4. *d.* 49. 5. 3. *q* 2. *c. & a.* 5. *q.* 1. *& d.* 33. 3. 3. *ad* 3. *Ver.* 26. 6. *ad* 3.

Duo in martyrio consideranda.

Martyrem non facit pœna, sed causa.

F Apoc. 7. *com.* 1. *ibi*.

G Ps. 5. *fi. ibi*.

Cur S.S. martyres præsertim cum diademate ad modum scuti pingantur.

H 4. *d.* 49. 5. 4 *q.* 3. *fi. c.*

Ipsorum vulnerum cicatrices eis ad decorem manebunt in Patria, nec tamen talis decor aureola dicitur.

I In 4. *d.* 44. 2. 1. *q.* 1. *ad* 5. *In* 3. *d* 21. 2. 4. *q.* 3. *ad* 2 *&* 3. *&* 3. *p.* 54. 4. *c. Quol.* 5. *a.* 5 *c. Op* 3. *c.* 238. *lo.* 20. *l.* 6. *lit. b.*

Exponitur illud: *Dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni*.

K Apoc 7. *com.* 1. *&* 2. *ibi*.

l Ibid. com. 1. *&* 2. *ibi*.

L Ibid. com. 2. §. *vlt. & com.* 1. *ibi*.

sanguine agni: idest, cum essent albæ prius per innocentiam, seu munditiam, rubeas eas fecerunt sustinendo martyrium pro Christo; & ita factæ sunt simul albæ, & rubeæ, *Prou. vlt.* Purpura, & byssus indumentum eius; *& Cant.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus (*innocentia videlicet, & passione*) *cui martyres conformantur*.

o Pro iustitia *inquam* & fide (*aiebat Author*) passi sunt: *neque enim sola fides causa martyrii induitur, sed & aliæ virtutes. Nam (vt præmissum est)* Martyres M dicuntur, quasi testes, quia scilicet corporalibus suis passionibus vsque ad mortem testimonium perhibent veritati, non cuicumque, sed veritati, quæ secundùm pietatem est, quæ per Christum nobis innotuit. Vnde & Martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius. Huiusmodi autem est veritas fidei: & ideò cuiuslibet martyrij causa est fidei veritas. Sed ad fidei veritatem non solùm pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solùm per verba, quibus aliquis confitetur fidem, sed etiam per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundùm illud Iac. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Vnde & de quibusdam dicitur ad Tit. 1. *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant*. Et ideò omnium virtutum opera, secundùm quod (*nota*) referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quòd Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & secundùm hoc possunt esse martyrij causa. Vnde & B. Io: Baptistæ Martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuit. *Hoc facit quod Sapiens monet Eccli.* 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia. *Verùm* sicut fortitudo N ciuilis firmat animum hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem mortis pericula sustinet: ita etiam fortitudo gratuita firmat animum hominis in bono iustitiæ Dei, *qua est per fidem Christi Iesu*, vt dicitur *ad Rom.* 6. Et sic martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem, in quo aliquis confirmatur: ad fortitudinem autem, sicut ad habitum elicientem, *vt dictum est. Cæterùm* veritas O aliarum scientiarum non pertinet ad cultum diuinitatis; & ideò non dicitur esse veritas secundùm pietatem; vnde nec eius confessio potest esse directè martyrij causa: sed quia omne mendacium peccatum est: vitatio mendacij, contra quamcumque veritatem sit, in quantùm mendacium est diuinæ legi contrarium, potest esse martyrij causa. *Alibi tandem docemur, quòd duplex est martyrii causa*. Vna P si quis patiatur pro fide Christi, vel pro quacumque alia virtute. 1. Pet. 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem vt Christianus, non erubescat*. Alia, si patiatur pro Ecclesiæ authoritate, 2. *ad Cor.* 1. Nunc gaudeo in passionibus pro vobis. *Hinc de infantibus innocentibus dubium suboritur, an verè martyres exstiterint, talesque dicendi sint*. *Quocirca* quidam Q dicunt, quòd in Innocentibus, occisis pro Christo, virtute diuina acceleratus est vsus rationis, sicut & in Io. Baptista, dum adhuc esset in materno vtero; & secundùm hoc, verè martyres fuerunt & voluntate, & actu, & auteolam habent. Sed alij dicunt, quòd fuerunt martyres actu tantùm, & non voluntate: quod videtur sentire *Bernardus*, distinguens tria genera Martyrum: scilicet voluntate, non nece, vt *Ioannes*; voluntate, & nece, vt *Stephanus*: nece, non voluntate, vt *Innocentes*. Et secundùm hoc Innocentes; sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrij, sed aliquid martyrij habent ex hoc, quòd passi sunt pro Christo: ita etiam aureolam, non quidem secundùm perfectam rationem, sed secundùm aliquam participationem, in quantùm scilicet gaudent se in obsequium Christi occisos esse, vt dicitur de pueris baptizatis, quòd habebunt aliquod gaudium de innocentia, & carnis integritate. *Et alibi*: Melius R dicendum est, quòd martyrij gloria, quam in alijs propria voluntas meretur, paruuli illi occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Vnde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam: ita & in occisis propter Christum meritum martyrij operatur ad palmam martyrij consequendam. *Id quod in dubium vertitur, & de bono latrone*. Dicit S enim *Hieronymus*, quòd Christus homicidij pœnam in illo Latrone fecit esse martyrium. Sed dicendum, quòd habuit aliquid de martyrio, scilicet pœnam & iustam voluntatem: & aliquid defecit ad martyrium, scilicet causa, sicut in Innocentibus defuit iusta voluntas, sed fuit pœna, & causa. *Porrò non parum commendationis martyrio debitur, quòd* (*vt præmisimus*) effusio T sanguinis propter Christum, vicem gerit baptismatis. *Vnde & secundùm omnes* triplex est V baptismus: scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis. Inter ista verò baptismus sanguinis plus habet de effectu baptismi, si tamen primum fuerit in proposito, vel contrarium non teneatur in mente: sicut patet de Innocentibus, qui non erant in opposita dispositione. Baptismus enim virtutem habet ex merito passionis Christi, Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Sicut ergo qui baptizatur, conformatur passioni Christi sacramentaliter: ità martyr realiter. Et ideò istud baptisma habet totum effectum baptismi, quantùm ad hoc, quòd purgat omnem culpam, & pœnam peccati; non tamen imprimit characterem aliquem: & ideò si recipiens martyrium sine baptismo aquæ resurgeret, esset baptizandus. *Quia ergo per martyrium propriique sanguinis effusionem baptizatur veluti martyr in nomine Christi, cui in passione conformatur, baptismalem quoque innocentiam adipiscitur; ita quòd per temporalem mortem vitam consequitur sempiternam. Ex quo SS. Martyrum dies potiùs mortis, quàm natiuitatis, ab Ecclesia solemniter colitur, & celebratur*. Nam Gentiles X antiquitus diem natiuitatis suæ celebrabant, quia tunc ad solatia & luxus vitæ præsentis intrabant, post quæ non expectabant maiora. Econtrario catholici Christiani diem obitus Sanctorum festiuum habent, quia tunc ad gaudia recipiuntur æterna, *Math.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *Et tunc verum habet quod ait Sponsus Cant.* 5. Messui myrrham meam cum aromatibus meis. *Siquidem* metit Y myrrham *cum aromatibus suis*, quando Sanctos Martyres (*per myrrham amaræ passionis signatos*) bonis operibus insignes, ab hac vita talce mortis præcidit, atque ad maturitatem bonorum operum perductos, in horrea supernæ quietis recondit: *non secùs ac messor electum triticum, Zach* 9. Frumentum electorum, *de quo Mat.* 13. Triticum autem congregate in horreum meum. *Sicut enim* horreum Z fit ad conseruationem messis: sic illa Patria erit horreũ Sanctorum, vbi erunt *cum laude, & lætitia sempiterna*, vt habetur Is. 35.

Marginal notes:

M 2.2.124. 5.c. In 4.d.49. 5.3.q.2. ad 9. Rom. 8. l. 7. ibi, gladius. Eph.3.l.1.ibi, vinctus. 2. ad tom.2.l.2.ibi, sustineo.

Non solùm fides, sed & aliæ virtutes possunt esse martyrij causa.

N 2.2.124. 2. ad 1. & 4. 5. ad 3.

Martyrium comparatur ad fidem, sicut ad finem.

O 2.2.l.c.a. 5.ad 2. In 4.d. 49.5.3.q.2. ad 10.

Vitatio mendacij potest esse martyrij causa.

P Eph.3.l. 1. ibi, vinctus.

Martyrij causa duplex.

An Infantes innocentes derè martyres.

Q 4.d.49. 5.3.q.2.ad 12. & arg.3 & 2. 2.124.1. ad 1. & quol.6.a.4.

Tria martyrum genera.

R 2.2. loc. citato.

Quid de bono latrone.

S 4.d.4.q.1. ...

Martyrium vicem gerit baptismi.

T 2.2.124. 1 ad 1.

Baptismus triplex.

V Hebr. 6. l.1. ibi, baptismum, & 3. p.66.11. In 4. d.4. 3.3.

Baptismus sanguinis an alijs præualeat.

Purgat omnem culpam, & pœnam peccati.

X 2.Math. 6.ibi, Libero.

Cur dies obitus martyrum celebratur.

Y Cant. 5. com. i. ibi.

Z Mat. 13. lit. b. fin.

P *Sanctorum autem Martyrum fortitudinem, & constantiam describit Psaltes Ps. 33. cum ait*: Custodit Dominus ossa eorum. *Vbi docemur, quòd* sicut A visus est in oculo, ita in ossibus, & neruis est fortitudo. Et ideò, sicut visus signatur per oculum: ita fortitudo & virtus per ossa: quia sicut per ossa sustentatur corpus, ita per virtutes sustentatur vita humana. *Custodit* ergo *Dominus ossa Sanctorum*, idest virtutes, quæ magis proficiunt in infirmitate. *Vnum autem ex his non conteretur*: quia in tribulationibus nulla virtus hominis deficit, quem Deus custodit. Non enim deficiebat charitas in Sanctis per odium, quia pro persecutoribus orabant: non mansuetudo per iram, quia non murmur resonabat: non patientia per iniustitiam imò in patientia sua possidebant animas suas. Et ideò dicitur de Agno Paschali: *Nec os illius confringetis*, Exod. 12. *Varia autem eorum supplicia tangit Apostolus ad Hebr.* 11. Alij verò, ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. *Et ad Rom.* 8. *affertur illud Ps.* 43. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis. *Vbi Author*. Inducit *inquit* verba B Psalmistæ, quasi in persona martyrum proposita. In quibus primò ponit causam passionis: Martyrem enim non facit pœna, sed causa; vnde dicit, *propter te*, Mat. 10. *Qui perdiderit animam suam*, idest vitam, *propter me*, *inueniret eam*. Secundò ponit grauitatem passionis, cum dicit, *mortificamur*, idest morti tradimur, Esth. 7. *Traditi sumus ego, & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus*. Tertiò continuitatem persecutionis, cum dicit, *tota die*; idest per totum tempus vitæ, 2. Cor. 4. *Semper nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum*. Quartò promptitudinem persequentium ad occidendum, cum dicit: *Æstimati sumus, sicut oues occisionis*; idest deputati, vt occidantur in macello, quæ cum studio occiduntur. Ita & Sancti ex proposito, & cum studio occidebantur, *Io.* 16. Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; & *Zach.* 11. Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant. *Verumtamen inter supplicia mediisque in tormentis delectabantur fortes Athletæ, & letabantur*. *Quocirca sciendum est, quòd* principalis C actus fortitudinis est sustinere aliqua tristia secundùm apprehensionem animæ, putà quòd homo amittat corporalem vitam, quam virtuosus amat, non solùm in quantùm est quoddam bonum naturale, sed etiam in quantùm necessaria est ad opera virtutum, & quæ ad eam pertinent. Et iterum sustinere aliqua dolorosa secundùm tactum corporis, putà vulnera, vel flagella. Et ideò fortis ex vna parte habet vnde delectetur, scilicet secundùm delectationem animalem, scilicet de ipso actu virtutis, & de fine eius. Ex alia parte verò habet vnde doleat, & animaliter dum considerat amissionem propriæ vitæ: & corporaliter; vnde legitur 2. *Mach.* 6. quòd Eleazarus dixit: *Duros corporis sustineo dolores, secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior*. Sensibilis autem dolor corporis facit non sentiri animalem delectationem virtutis, nisi fortè propter abundantem Dei gratiam, quæ fortiùs eleuat animam ad diuina, in quibus delectatur, quàm à corporalibus pœnis afficiatur. Sicut *B. Tiburtius* cum super carbones incensos nudis plantis incederet, dixit, quòd videbatur sibi super roseos flores ambulare. (*& B. Virgo* Dorothea *inter cruciatus hilaris illud protulisse fertur*. Nunquam in tota vita mea sic lætata sum, sicut hodie: *vt plurimos alios mittamus*.) Facit tamen virtus fortitudinis, vt ratio non absorbeatur à corporalibus doloribus. Tristitiam autem animalem superat delectatio virtutis, in quantùm homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuscumque ad eam pertinentibus. Et ideò Philosophus dicit in *tertio Ethic.* quòd à forti non requiritur, vt delectetur quasi delectationem sentiens, sed sufficit, quòd non tristetur. *Nihilominus*, licèt D secundùm Philosophum in actu fortitudinis non requiratur gaudium ad perfectionem virtutis, sicut in alijs virtutibus, sed solùm non tristari: tamen, quia fortitudo Sanctorum perfectior est, (*vtpotè Dei speciale donum*) non solùm non tristantur in periculis mortis, sed etiam gaudent, *Philip.* 1. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. *Nec mirum*: *nam* Martyres E in tormentis existentes percipiebant aliquid de diuina gloria, non quasi eam in suo fonte bibentes, sicut illi, qui Deum per essentiam vident, sed aliqua illius gloriæ aspersione refrigerabantur. *Vnde & de Stephano legitur Act.* 7. *quòd* vidit gloriam Dei. *Quam quidem, & immediatè post mortem adipiscuntur*. *Vnde ad illud Matthæi* 3. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua: Et ecce aperti sunt Cœli &c. *docemur, quòd* tria F sunt hominum genera, qui statim ad Cœlum euolant post mortem: scilicet baptizati, vt hic: & qui peregerunt pœnitentiam; vnde Act. 10. dicitur, quòd Petro oranti apertum est Cœlum &c. Et martyres; vnde Act. 10. dicebat Stephanus: *Ecce video Cœlos apertos*. *Et tunc quidem cognoscent, quòd* non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, *vt dicit Apostolus ad Rom.* 8. Occultatur enim G dignitas diuinæ filiationis in Sanctis propter exteriores passiones, sed postmodum reuelabitur illa dignitas, quando immortalem, & gloriosam vitam suscipient, ita quòd ex persona impiorum dicitur Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*. Dicit autem, *expectatio expectat*, vt talis geminatio intentionem expectationis designet, secundùm illud Ps. 38. *Expectans expectaui Dominum*.

q *Et hoc est, quod Sanctos Martyres roborabat, & roborat ad supplicia fortiter sustinenda; æternæ videlicet certa expectatio felicitatis*: Certa enim (*aiebat S. Pontifex Leo*) atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio dominicæ passionis, *vtique manifestè per martyrium*. Id quod natu minori suadebat filio septies Martyr Machabæa (*Ea enim felicissima Mater secundùm Authorem proprio suo H nomine Machabæa vocabatur: licèt ex Flauio Iosepho in libello de imperio rationis, siue de Machabæis* Salomonia, *siue* Salome *nuncupetur; maximus verò natu Filius* Machabæus.) *cum illud* 2. Mach. 7. *protulit*: Peto, Nate, vt aspicias ad Cœlum &c. Ita fiet, vt non timeas carnificem istum. *Generosa idcirco fortium Machabæorum gesta voluit Dominus in Ecclesia tradi* (*præter rationes cæteras*) ad declarandum I futurorum martyrum virilitatem: vnde in hoc designatur elegisse certamen futurorum martyrum, & subiectionem tyrannorum, Deut. 4. *Dilexit patres suos, & elegit semen eorum post eos*. Vnde & in persona Christi pro tempore martyrum dicitur Iob. 7. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*. Hanc enim mortem zelo sui cultus elegerunt Iudæi,

M

Marginalia (left column):
A Ps. 33. lit. t. ibi.
Fortitudinis, & constantiæ eorum descriptio.
Eorum supplicium.
B Rom. 8. l. 7. Ps. 43. lit. K. ad Hebr. 11. l. 8. Serm. in fe. Sanctor. Io. & Pauli.
C 2. 2. 123. 8. c. & 1. 2. 38. 4. c. & 4. 59. 3.
An Fortis delectetur in suo actu.
S. Tiburtius.
S. Dorothea.

Marginalia (right column):
D 2. Cor. 5. l. 2. ibi, audemus.
Martyres inter supplicia nedum non tristantur, sed gaudent.
E Ver. 15. 3. ad 9.
Quia aliqua cœlestis gloriæ aspersione refrigerantur, quam & statim post mortem adipiscuntur.
F Mat. 3. lit. b. ibi.
G Rom. 8. 8. 4. ibi.
Quidnam martyres ad supplicia roboraret.
Septem Machabæorum Matris nomen.
H Praf. in Machab. & in Prol. D. Hier.
I Præfat. ead.
Martyrium Machabæorum, martyres noui testamenti signabat.

Iudæi, Spiritu Dei tacti quam postea eligunt martyres ad honorem, & gloriam Iesu Christi. *Et hinc est, quòd horum specialiter martyrum Machabæorum, non ita aliorum Sanctorum veteris testamenti, celebrat Ecclesia martyrium.* Quoniam (*inquit Author*) hi K tam expressam cœlestium bonorum rationem reddiderunt, *vt patet in textu*, ideò martyrium ipsorum Ecclesia celebrat. *Et priùs cap. 6. de inuictissimo martyre Eleazaro scribit*: Ponuntur L de eo multa, quæ sunt memoria digna: quia iste senex fuit spectaculum, & exemplar constantium martyrum futurorum: *vt videre est in processu vitæ, & mortis eius. Quòd si propter Christi fidem, & virtutum indemnitatem, tantum supplicii, adeoque constanter, nedum viri Sancti, sed & tenella virguncula pertulerunt*: Quid inter hæc (*cum Gregorio subiiciam*) nos barbati, & debiles dicimus, qui ire ad regna cælestia puellas per ferrum videmus? Quos ira superat, superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui si adipisci regna Cœlorum per bella per ecutionum non possumus: hoc ipsum nobis turpe fit, quòd Deum nolumus saltem per pacem sequi. *Vnum superest ad præfata adiiciamus: num videlicet offerre se martyrio, aut sustinere, sub præcepto cadat. Et respondet Author, quòd* aliquid M cadit sub præcepto dupliciter. *Vno modo* absolutè: *alio modo* secundùm animi præparationem. Quia enim præceptum importat rationem debiti, illud absolutè cadit sub præcepto, quod est debitum propter aliquid præexistens: sicut præceptum de honoratione parentum, vel de amando Deum. Sed quandoque contingit, quòd id, quod facit aliquid esse debitum, nondum præcessit, sed potest occurrere. Vnde hoc cadit sub præcepto non absolutè, sed secundùm præparationem animi, ita scilicet, vt homo habeat animum paratum ad faciendum illud, quod debitum redditur ex aliqua causa occurrente. Et hoc modo exponit *Augustinus* illa Domini præcepta, quæ ponuntur Mat. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium &c.* Quia scilicet, si opus esset, & hoc exigeret salus aliorum, homo debet esse paratus ad hoc faciendum. Et per hunc modum sustinere martyrium propter Christum, cadit sub præcepto: quia scilicet homo debet habere animum paratum, vt potiùs permitteret se occidi, quàm Christum negare, vel mortaliter peccare. Et sic etiam, relinquere bona propria, cadit sub præcepto: quia debet esse paratus animus Christiani magis sustinere rapinam bonorum suorum, quàm Christum negare, vel mortaliter peccare. *De Christianorum persecutione, & martyrio tempore Antichristi, vide plura apud Authorem in vtroque* Apocalypsis *Commentario, præsertim* cap. 11. DISCE, *Christum passum, si non carnis, cordis saltem martyrio imitari. Vide* Baptismus, Beatus *Tom. 1.* Fortitudo, Iustus *Tom. 2.* Tribulatio.

Cur illorum martyrium, non ita aliorum Sanctorum vet. testamenti: Ecclesia celebret.

K 2. Mach. 7. circ. fin.

L Ibid. cap. 6. ibi, igitur Eleazarus.

Eleazarus commendatur.

Moralitas.

Num offerre se martyrio, aut sustinere, cadat sub præcepto.

M Quol. 4. a. 20. & 2. 2. 124. 1. ad 3. & a. 3 ad 1. in 4. d. 49. q. 3. q. 2. ad 1.

Dupliciter aliquid sub præcepto cadit.



MATER. Vide Parentes.

MATRIMONIUM.

VI. Ad ostendendum, bonum esse actum matrimonij, primum signum fecit Dominus in nuptijs: & matrimonium nobilitauit præsentia sua corporali; & nasci voluit de coniugata. *Ad Hebr. 13. l. 1. ibi*, honorabile connubium.

1 QVod primò in hac materia difficultatem ingerit, *matrimonii est nomenclatura: quæ quidem incongrua primo videtur aspectu. Quocirca sciendum, quòd* in Matrimonio N est tria considerare. Primò essentiam ipsius, quæ est coniunctio: & secundùm hoc nominatur *Coniugium*. Secundò causam eius, quæ est desponsatio: & secundùm hoc vocantur *Nuptiæ* à nubere (*quod est* velare:) quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velabantur. Tertiò effectum, qui est proles: & sic dicitur *Matrimonium* (vt dicit *Augustinus contra Faustum*) ob hoc, quòd mulier non debeat ad aliud nubere, nisi vt sit Mater. Potest etiam dici Matrimonium, quasi *matris munium*, idest officium: quia fœminis maximè incumbit officium educandæ prolis. Vel dicitur Matrimonium, quasi *matrem muniens*: quia iam habet quo defendatur, & muniatur, scilicet virum. Vel dicitur Matrimonium, quasi *matrem monens* (siuè *matri monitum*) ne virum relinquat, alteri adhærens. *Nec valet, quòd denominatio fit à digniori, qualis Pater, non mater est*: quamuis enim Pater O sit dignior, quàm Mater: tamen circa prolem magis officiosa est mater, quàm pater. Vel ideò, quia mulier ad hoc principaliter facta est, vt sit homini in adiutorium prolis; non autem vir propter hoc factus est: vnde magis pertinet ad rationem Matrimonij mater, quàm pater. *Porrò matrimonium diuersis fuit legibus institutum: & primò quidem lege naturæ. Verùm* aliquid P dicitur naturale dupliciter. *Vno modo*, sicut ex principijs naturæ ex necessitate causatum, vt moueri sursum, est naturale igni &c. Et sic Matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum, quæ mediante libero arbitrio complentur. *Alio modo* dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur, sicut actus virtutum dicunt naturales; & hoc modo etiam Matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. *Primò* quantùm ad principalem eius finem, qui est bonum prolis: non enim intendit natura solùm generationem eius, sed traductionem, & promotionem vsque ad perfectum statum hominis, in quantùm homo est, qui est virtutis status. Vnde secundùm Philosophum tria à parentibus habemus, scilicet esse, nutrimentum, & disciplinam. Filius autem à parente educari, & instrui non posset, nisi determinatos, & certos parentes haberet: quod non esset, nisi essent aliqua obligatio Viri ad Mulierem determinatam, quæ Matrimonium facit. *Secundò* quantùm ad secundarium finem matrimonij, qui est mutuum obsequium sibi à coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim

4

N 4. d. 27. 1. 1. q. 3. c.

Vnde, & cur dicatur matrimonium.

O Ibid. ad 1.

Matrimonium an naturale.

P 4. d. 26. 1. 1. c. & ad 1. & 3 con. G. c. 122 & 1. Cor. 7. l. 1.

Tria à parentibus habemus.

enim naturalis ratio dictat, vt homines simul cohabitent, quia vnus homo non sufficit sibi in omnibus, quæ ad vitam pertinent; ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam eorum, quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus; vnde natura monet, vt sit quædam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium. Et has duas causas ponit Philosophus *in 8. Ethic.* *Igitur* matrimonium Q in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est Sacramentum, statuitur iure diuino; in quantum est in officium communitatis, statuitur lege ciuili. *Et alibi*: Matrimonium R secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quæ erat necessaria, etiam peccato non existente, institutum fuit ante peccatum: (institutum *inquam* à Deo S in hoc quòd homini mulierem in adiutorium de costa formauit; & dixit eis: *Crescite, & multiplicamini &c.*) Secundùm autem quod remedium præbet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ. Secundum autem determinationem personarum, institutionem habuit in lege Moysi. Sed secundùm quod repræsentat mysterium coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, institutionem habuit in noua lege: & secundùm hoc est Sacramentum nouæ legis. Quantùm autem ad alias vtilitates, quæ ex matrimonio consequuntur; sicut est amicitia, & mutuum obsequium sibi à coniugibus impensum, habet institutionem in lege ciuili. Sed quia de ratione Sacramenti est, quod sit signum, & remedium; ideò, quantùm ad medias institutiones, competit ei ratio Sacramenti; sed quantùm ad primam institutionem, competit ei, quòd sit in officium naturæ; quantùm verò ad vltimam, quòd sit in officium ciuilitatis. *Hinc tres assignantur à DD. matrimonij diffinitiones*. Nam secundùm *Hugonem*, Matrimonium T est duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus. Secundùm quosdam autem, Matrimonium est consortium communis vitæ, & communicatio diuini, & humani iuris. *Mag. in 4. d. 27.* diffinit, quòd Matrimonium est viri, mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. *Quoniam verò* in Matrimonio V tria (*vt superius visum est*) possunt considerari: scilicet causa ipsius, & essentia eius, & effectus; secundùm hoc tres diffinitiones inueniuntur de matrimonio datæ. Nam diffinitio *Hugonis* tangit causam, scilicet consensum. Diffinitio autem *Magistri* in litera posita, tangit essentiam Matrimonij, scilicet coniunctionem; & addit determinatum subiectum in hoc, quod dicit, *inter legitimas personas*. Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem in hoc, quod dicit *maritalis*; quia cum Matrimonium sit coniunctio in ordine ad aliquod vnum, talis coniunctio in speciem trahitur per illud, ad quod ordinatur: & hoc est quod ad maritum pertinet. Ponit etiam virtutem huius coniunctionis, quia indissolubilis est, in hoc, quòd dicit, *indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*. Sed alia diffinitio tangit effectum, ad quem ordinatur Matrimonium, qui est vita communis in rebus domesticis. Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur; ideò ponitur ordinatiuum illius communionis, scilicet ius diuinum, & humanum: aliæ enim communicationes, vt negociatorum, & commilitantium, solo iure humano institutæ sunt.

Matrimonium diuersis legibus statutum temporibus diuersis.

Q 4. d. 34. 1. 1. ad 4.

R 4. d. 26. 2. 2. & q. 1. a. 1. & d. 2. 1. 1. q. 2. c. & 2. 2. 154. 2. c. & 3. Con. G. c. 123.

S 4. d. 26. 2. 2. ad 4.

T 4. d. 27. 1. 1. q. 3. arg. 4.

Triplex matrimonij diffinitio.

V Ibid. in corp. & 3. p. 29. 2. c.

¶ *Cæterùm, vt est nouæ legis sacramentum, magnam sortitur matrimonium dignitatem, & perfectionem propter signatum mysterium*; (*nam* Matrimonium X fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ; non autem prout est Sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta; vnde & in veteri lege dabatur libellus repudij: quod est contra Sacramenti rationem.) Quod clarè inducitur ab Apostolo Eph. 5. *cum ait*: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia. *Quibus in verbis* triplex Y coniunctio viri ad mulierem designatur. *Prima* per affectum dilectionis, quia tantus est affectus vtriusque, vt parentes relinquant, 3. Esdr. 4. *Diligit homo vxorem suam magis quàm patrem, aut matrem, & multi dementes facti sunt propter vxores suas &c.* Hoc autem naturale est, quia appetitus naturalis est concors debitæ actioni. Constat autem, quòd omnibus agentibus superioribus inest appetitus, vt propinent, & communicent inferioribus: & ideò amor naturalis inest eis versus inferiora (*vnde dicitur*, quòd amor descendit) &, quia homo respectu patris, & matris est inferior, non superior; ideò ad vxorem, cuius est superior, & ad filios, naturaliter plus afficitur, quàm ad parentes: & etiam, quia vxor sibi coniungitur ad actum generationis. *Secunda* coniunctio est per conuersationem; vnde dicit: *Et adhærebit vxori suæ*. Eccli. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes*. *Tertia* est per carnalem coniunctionem, ibi: *& erunt duo in carne vna*, idest in carnali opere. In qualibet enim generatione est virtus actiua, & passiua; sed in plantis vtraque est in eodem: in perfectis autem animalibus distinguuntur. Consequenter exponit eam mysticè, cum dicit: *Sacramentum hoc magnum est*, idest sacræ rei signum, scilicet coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & ideò dicit: *Ego autem dico: in Christo, & in Ecclesia*. Notandum est hic, quod quatuor Sacramenta dicuntur magna: scilicet Baptismus ratione effectus, quia delet culpam, & aperit ianuam Paradisi. Confirmatio ratione ministri, quia solum à Pontificibus, & non ab alijs confertur. Eucharistia ratione continentiæ, quia totum Christum continet. Item Matrimonium ratione significationis, quia significat coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Et ideò, si mysticè exponatur, debet sic exponi litera præcedens. *Propter hoc relinquet homo*, scilicet Christus *patrem, & matrem*: reliquit inquam patrem, in quantum est missus in Mundum, & incarnatus, Io. 16. *Exiui à patre, & veni in Mundum*, Ioan. 16. *& matrem*, scilicet synagogam, Ier. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam &c.* Sequitur: *& adhærebit vxori suæ*, scilicet Ecclesiæ, *Math. vltimo*. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus &c. *Ex quo capite inducit nunc bigamia irregularitatem*: Sacramentum *enim* Matrimonij Z significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est vnius ad vnam, (2. Cor. 11. *Despondi enim vos vni viro &c.*) & ideò requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, vt vir sit tantum vnius vir, & vxor tantum vnius vxor; & ideò bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. *Qua de causa* secundum A Matrimonium, quamuis in se consideratum sit perfectum

X 1. 2. 102. 5. ad 3.

Y Eph. 5. l. 10. ibi Math. 19. ibi, propter hoc. 3. p. 92. 1. c.

Triplex viri ad mulierem coniunctio.

Quatuor sacramenta magna dicuntur.

Mysticè exponitur illud: *Relinquet homo patrem, & matrem &c.*

Z In 4. d. 27. 3. 1. q. 1. c. Gen. 2. fi.

Vnde irregularitas ex bigamia.

A 4. d. 42. 3. 2 ad 2. & d. 28. exp. tex.

Sacramentum: tamen in ordine ad primum consideratum, habet aliquid de defectu Sacramenti; quia non habet plenam significationem, cum non sit vna vnius, sicut est in Matrimonio Christi, & Ecclesiæ: & ratione huius defectus, benedictio à secundis nuptijs subtrahitur. Sed hoc est intelligendum, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm. Si enim virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam Vxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur: saluatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus, & si vnam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in vna Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius, quàm Christi, quia cum dæmone fornicatur; nec est ibi matrimonium spirituale: & propter hoc; quando mulier secundò nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum Sacramenti. *Et hinc est, quòd quamuis* matrimonium B fuit institutum in statu innocentiæ, non secundùm quod est Sacramentum, sed secundùm quod est in officium naturæ: ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum, & Ecclesiam (*quod quidem diuinitùs præuidisse creditur Adam*: videtur enim incarnationis C Verbi præscius fuisse per hoc, quòd dixit Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit vxori suæ*: quod quidem Sacramentum, non est credibile, primum hominem ignorasse.) *Ideircò Gen. 1. legimus, quòd Deus post creationem auium, & piscium* benedixit eis, & dixit: Crescite, & multiplicamini: *id quod in alijs terrestribus animalibus non reperitur, quia intelligitur: at producto homine, postquam dictum est*, masculum, & fœminam creauit eos, *specialiter subijcitur*: benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini &c. *Quia etenim* benedictio D Dei dat virtutem multiplicandi per generationem (*de quo fusiùs vide Tom. 1. V. Benedicere*) ideò quod positum est in auibus, & piscibus, quæ primò occurrunt, non fuit necessarium repeti in terrenis animalibus, sed intelligitur. In hominibus autem iteratur benedictio, quia in eis est quædam specialis multiplicationis ratio propter completum numerum electorum: & ne quisquam diceret, in officium gignendi filios aliquod esse peccatum.

Cur secundæ nuptiæ non benedicantur.

B 3. p. 61. 2. ad 3.

Adam præscius creditur incarnationis Verbi.

C 2. 2. 7. c. & 3. p. 1. 3. ad 5. In 4 d. 26. exp. tex. Op. de er. Pr. l. 5. c. 26.

D 1. p. 72. ad 4. & 73. 3. c. & ad 3.

1 *Verùm potissimè* ad commendationem E Matrimonij quatuor faciunt. Primò honor ei à Deo exhibitus. Secundò pretiosus eius fructus. Tertiò hoc, quod Sacramentum est. Quartò magna eius efficacia. *Circa primum*, notandum, quòd Deus honorauit coniugium, illud instituendo, & in diluuio coniuges saluandò: honorauit etiam illud in incarnatione, & in nuptijs, & adhuc honorat in Ecclesiæ benedictione. *Quantùm ad eius institutionem*, quatuor pertinent ad eius honorem. *Primò* instituentis authoritas: cum enim alios ordines instituerit aliquis Sanctus, vt *Augustinus*, vel *Benedictus*, ordinem matrimonij instituit ipse Deus, qui errare non potest. Vnde si culpabilis est qui Ordinem *Benedicti* transgreditur, constat valdè culpabilem esse, qui transgreditur ordinem matrimonij à Deo institutum. *Secundò* locus, in quo institutum est, scilicet Paradisus: institutum enim est, immisso sopore in Adam *Gen. 2.* & raptus est Adam in spiritu, & interfuit curiæ celesti, vbi agnouit virtutem matrimonij; & eius rei esse Sacramentum: & erat Adam tunc corpore in Paradiso terrestri, mente verè in Paradiso cælesti. *Tertiò* est antiquitas: non enim de nouo institutus est ordo iste, imò antiquitate excedit omnem ordinem in terris institutum. *Quartò* status innocentiæ, in quo est institutum: institutum enim est illo felici tempore, in quo homo nondum peccauerat. Hunc ordinem B. Virgo intrare voluit, licèt proposuisset seruare virginitatem: quod non parum facit ad honorem matrimonij. Noluit Deus filius carnem ex ea sumere, nisi donec esset in matrimonio. Matrimonium est pallium, quo B. Virgo vsa est, quo occultaret cælestem conceptum. Sub hoc pallio celatum est diabolo mysterium redemptionis nostræ. Infelices, & maledictæ sunt illæ, quæ potiùs eligunt esse in confusione diaboli, quàm in ordine B. Virginis. Infelices etiam sunt adulteræ, coniugio non deferentes, nec timentes pallium B. Virginis inquinare. Honorauit etiam coniugium in hoc, quòd voluit interesse nuptijs cum matre, & discipulis suis, vbi & voluit facere primum miraculum apertè, mutando aquam in vinum. Honorat etiam coniugium in excellenti benedictione, quam Ecclesia facit coniugibus iuxta altare ad Missam in præsentia Dominici corporis. Qui potiùs vult esse concubinarius, quàm in coniugio, potiùs vult habere maledictionem, quàm benedictionem, Ps. 108. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. Ad commendationem matrimonij facit *pretiosus fructus*, qui à matrimonio sequitur: generantur enim inde filij huius seculi, qui postea per adoptionem sunt filij Dei. Ex matrimonio generantur virgines: vnde si virginitas multùm amanda est, multùm & matrimonium est amandum. *Laudo coniugium* (aiebat Hieronymus) *quia virgines generat: lego de spinis rosam, de concha margaritam*. Item ad commendationem matrimonij facit, quòd est *vnum de Sacramentis Ecclesiæ*, Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum est &c.* Ad commendationem etiam ipsius facit *magna eius efficacia*, quæ potest ostendi multipliciter. *Primò* per hoc, quòd opus carnale, quod sine eo esset mortale, cum eo veniale est, vel omninò sine peccato. *Secundò* per hoc, quòd remedium est contra mala, quæ ex meretricio sequuntur, quæ sunt sterilitas, prolis interfectio, incestus. *Tertiò* per hoc, quòd adeò efficax est ad concordiam faciendam, quæ multùm placet Deo, sicut discordia multùm ei displicet. Tota patria vna vno matrimonio quandoque ad concordiam reducitur, Pro. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*. Septimum, quod detestatur, est *qui seminat inter fratres discordias*. *Quartò* per hoc, quòd defendit hominem ex ea parte, qua diabolus eum fortiùs impugnat, *Iob 40.* Fortitudo eius in lumbis eius. *Alibi quoque commendatur matrimonium, vbi docemur, quòd* triplex F est bonum matrimonij. Quorum *Primum* est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. *Secundum* est fides, quam vnus coniugum alteri debet seruare. *Tertium* est Sacramentum, idest indiuisibilitas matrimonij, propter hoc, quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi, & Ecclesiæ. Est autem circa hoc Sacramentum multiplex error. Primus quidem est *Tatianorum*, qui nuptias damnant: contra quos est quod dicitur 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccauit*. Secundus est error *Iouiniani*, qui nuptias æquauit virginitati (*cum tamen dicat ibidem Apostolus*: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, meliùs facit; *& iterum*: Beatior erit, si sic permanserit.) Tertius error est *Nicolaitarum*, qui indifferenter mutuis vxoribus vtuntur. Fuerunt etiam multi alij hæretici, turpia quædam docentes & exercentes, contra id, quod dicitur *Hebr. 13.* Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. *Quemadmodum locum dicebat*

E Op. de er. Pr. l. 5. c. 26. 27. & 28. It. 2. l. 1. lit. b. Serm. 3 ex Eu. Dom. prima post Epiph.

Ex quatuor matrimonium commendatur.

1. Honor ei à Deo exhibitus multipliciter.

Matrimonium, pallium B. Virginis.

Concubinarius maledictionem expectet.

2. Prætiosus eius fructus.

3. Vnum de 7. Sacramentis.

4. Magna eius efficacia ex quatuor.

Triplex matrimonij bonum.

F Op. 5. §. de Sacram. circ. fin. Et Op. cit. loco cit. Mat. 19 lit. a. & 1. Cor. 7 l. 1. Hebr. 13. l. 1. ibi, honorabile 4. con. G. c. 78.

Errores & hæreses contra matrimonium.

dicebat coharenter initio Author : Ad ostendendum G bonum esse actum matrimonij, primum signum fecit Dominus in nuptijs, & matrimonium nobilitauit præsentia sua corporali, & nasci voluit de coniugata. *Et licet status virginitatis sit coniugali praferendus : docemur nihilominus*, *quod* tantùm H merebatur Abraham in coniugio, sicut Ioannes in virginitate: quia ex æquali promptitudine seruiebant Deo secundùm statum sui temporis. Et hæc comparatio est per accidentalia virtutum.

G Hebr. 13. ibi, & loc. cit.

H 4.d.33.3.3. ad 5. & 2.2. 186. 4. ad 2. Op. 5. §. vlt. & fuse Op. 18. c. 8.

11 *Est igitur matrimonium, vnum, & verum Ecclesia Sacramentum* (*&* magnum *quidem propter mysterium, vt prataltum est*) *non minùs quàm catera, & à Christo Domino institutum Mat. 19. cum dixit* : Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Cum autem, quodlibet Sacramentum in mortali suscipere vel conficere, sacrilegium sit : caueant sponsi, ne cum mortali culpa illud contrahant, vt non rarò ex ignorantia, vel ex negligentia contingit ; vnde & coniugatis iuste à Deo aduersitates infliguntur. Nec aliud sanè, quàm* verba I quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. Et quia Sacramentum matrimonij perficitur per actum eius, qui Sacramento illo vtitur, sicut pœnitentia; ideò sicut pœnitentia non habet aliam materiam, nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de Matrimonio: *ita* vt K expressio verborum se habeat ad matrimonium, sicut ablutio exterior ad baptismum. *Debet tamen exteriori consensui interior respondere. Vnde* sicut L si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit, *licèt in foro exteriori præsumeretur contractum. Quòd si contrahentes vel muti essent, vel diuersarum linguarum*, quamuis M non possint vota sua mutuò verbis exprimere; possunt tamen exprimere nutibus; & tales nutus pro verbis computantur. *Oportet autem præfatum adhiberi consensum, non per verba de futuro, quæ matrimonium non faciunt : sed* consensus N expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit; quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti. *Ex quo* Matrimonium O non est ipse consensus, sed quædam vnio ordinatorum ad inuicem, quam consensus facit. *Exigitur præterea, vt matrimonium coram testibus fiat; vnde & matrimonia clandestina* (tametsi P dubitandum non est, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quandiù Ecclesia ea irrita non fecit) Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis semper detestata est, atque prohibuit, vt *habetur ex Tridentino*, & *docemur ab Authore*. Q Quin *ex eodem Tridentino loco cit. irritum redditur matrimonium, sine præsentia Parochi contractum, dum subditur* : Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit &c. *Rationem autem adducit Author. Nam* Matrimonium R non tantum est Sacramentum, sed etiam est in officium; & ideò magis subiacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ, quàm baptismus, qui est Sacramentum tantùm: quia sicut contractus, & officia humana, determinantur legibus humanis; ita contractus, & officia spiritualia lege Ecclesiæ. *Qua quidem adhibet testes ad probandum matrimonii contractum,*

Sacramenti matrimonij quidnam materia, & forma.

I 4.d.26.2.1. ad 1. & 2. & d. 1.1.3. ad 5. & d.27.1.2.

Exteriori matrimoniali consensui debet interior respondere.

K 4.d.27.1. 2.q.2. fi. c.

L Ibid. a.2.q. 4. c.

M Ibid. a.2. q.2. ad 2.

Consensus debet esse per verba de præsenti.

N 4.d.28.1. 3. c. Op.22. c.1. Quol. 5. a.15.

O 4.d.27.1. 2.q.1. ad 2. & in Corp. & ad 1. & d.37.1.2. ad 5.

Consensus non est matrimonium, sed causa.

Clãdestinum matrimonium an validum.

P Trid. Conc. Sess. 24. de ref. cap. 1.

Quidnam nouo Tridentini iure statutum.

Q 4.d.28.1. 3. c. & ad 3. & 4.

R 4.d.40.1. 4. ad 2. & d. 27.1.2.q.2. c. & d.34.1.1. ad 4. & d.36.1.5. c.

& propter eet Parochum, vt eiusmodi contractus innotescat Ecclesia, cuius ille minister est. Quemadmodum verò matrimonium facit consensus vtriusque partis per verba de præsenti : sic pariter consensus per verba de futuro propriè facit sponsalia, non matrimonium. Etenim causæ S Sacramentales signando efficiunt, vnde efficiunt quod significant. Et quia cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se facere matrimonium, sed promittit se facturum, ideò talis expressio consensus non facit matrimonium, sed dispositionem eius, quæ sponsalia nominantur. *Quod verum est, tametsi ad verba iusiurandum adiiciatur. Nam*, cum verba T de futuro ex ipsa significatione sua habeant, quòd matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur, non dum fit; etiamsi iuramentum adueniat, nondum est matrimonium factum. *Sed neque carnalis copula cum sponsa matrimonium facit quantùm ad forum conscientia ; quamuis* secundùm V iudicium Ecclesiæ, carnalis copula consequens sponsalia, matrimonium iudicatur, nisi aliqua signa expressa doli, vel fraudij appareant. Quòd si sponsa sponsum admittat, credens eum velle matrimonium consummare, excusatur à peccato, nisi aliqua signa expressa fraudis appareant: sicut, si sunt multùm distantis conditionis, vel quantùm ad nobilitatem, vel quantùm ad fortunam, vel aliud signum euidens appareat; sed tamen sponsus peccat & fornicando, & quod plus est, fraude quam facit. Et in tali casu sponsus, antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in vxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis: sed si aliam duxerit, iam factus est impotens ad soluendum illud, ad quod tenebatur; & ideò sufficit, si ei de nuptijs prouiderit. Et ad hoc etiam non tenetur (vt quidam dicunt) si sponsus sit multò melioris conditionis, aut aliquod signum euidens fraudis fuerit; quia præsumi probabiliter potest, quòd sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit. *Caueant idcircò Parentes, ne tam facilè sponsos cohabitare permittant, solum præcipuè cum sola, nisi post contractum matrimonium : abusus enim inualuit, vt sub prætextu sponsalium familiariùs conuersentur, & ad vlteriora procedant, quæ sponsis minimè licent ; ex quo sæpe grauia pariuntur scandala, & detrimenta sequuntur notabilia, tùm conscientia, tum famæ, tùm familiis. Nec enim vel soror sola cum fratre solo secura, & in tuto est, vt legitur* 2. Reg. 13. *de Thamar ab Amnon germano fratre violata. Multò minùs sponsa cum sponso secura erit. Sunt ergo sponsalia, Matrimonii promissio*. Et hæc X promissio dicitur sponsalia à spondendo, vt *Isidorus* dicit: nam ante vsum tabularum matrimonij cautiones dabant, quibus spondebant se inuicem consentire in iure matrimoniali, & fideiussores dabant. Fit autem ista promissio dupliciter, scilicet absolutè, & sub conditione. Absolutè quatuor modis. Primò nuda promissione, vt cum dicitur: *Accipiam te in vxorem meam, & è contrario*. Secundò datis arrhis sponsalitijs, vt pecunia, vel huiusmodi. Tertiò anuli subarrhatione. Quartò interueniente iuramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est: quia aut est conditio honesta, vt cum dicitur: *Accipiam te, si parentibus placeat* : & tunc stante conditione, stat promissio; & non stante, non stat. Aut est inhoneſta; & hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis matrimonij, vt si dicam: *Accipiam te, si venena steri-*

lita-

Consensus per verba de futuro facit sponsalia tantùm.

S 4.d.27.1. 2.q.3. c. & q. 2. a. 1.

Etiam adhibito iuramento.

T 4.d.28. 1.1. c.

V Ibid. a.2. c. & ad 3. & 4.

Vel copula secuta cum sponsa quoad forum conscientiæ.

X 4.d.27.2. 1. c. & ad 6.

Sponsalia quid, & vnde dicantur.

Quotupliciter fiat in sponsalibus promissio

litatis procures; & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonij, vt si dicam; *Accipiam te, si furtis meis consentias*; & tunc stat promissio, sed conditio tollenda est. *Et quamuis per aliam sponsionem spondeat quis & matrimonii actum*: tamen Y à prima sponsione dicuntur sponsalia propriè, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonij, sicut exorcismus baptismi. *Capax autem redditur quis huiusmodi faciendæ promissionis in septennio: nam* ante primum Z septennium nulli contractui homo aptus est; sed in fine primi septennij incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipuè de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem; & ideò possunt tali tempore contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennij iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium. Sed post Tertium septennium etiam potest de alijs se obligare; & secundùm leges constituitur ei potestas disponendi de rebus suis post vigintiquinque annos. *Nec eadem, quæ pro sponsalibus, pro matrimonio ætas assignatur, quia* in tempore A contractus matrimonij non solùm requiritur dispositio ex parte vsus rationis, sed etiam ex parte corporis, vt sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, vt possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennij, vt Philosophus dicit *in lib. de animal.* simul autem vsum discretionis accipiunt, qui tantùm in sponsalibus requiritur; ideò in sponsalibus determinatur vnum tempus vtrique, non autem in matrimonio. *Quibus verò casibus sponsalia dirimantur; vide* B *& apud Summistas.*

Y Ibid. ad 6.
Sponsalia quædam Sacramentalia sunt, non sacramentum.
Z Ibid. a 2. c.
Qua ætate ad hoc quis obligare se possit.
Cur non eadem ætate ad matrimonium.
A Ibid. ad 3.
B Ibid. art. 3.

X *Quamuis autem apud aliquos ea inualuerit opinio, quòd matrimonium gratiam non conferat, sed tantummodo in remedium concupiscentiæ datum sit; cum Authore veriùs dicendum, quòd* matrimonium (*vt præmissum est*) consideratur C in triplici statu. Primò ante peccatum: & tunc erat tantùm in officium. Secundò sub lege: vbi ex ipsa sanctificatione sua excusabilem reddebat matrimonij actum, qui absque hoc turpis fuisset. Tertiò sub statu gratiæ: vbi vlterius gratiam confert ad concupiscentiam reprimendam; *vt scilicet, vnusquisque possideret vas suum in honorem, & non in contumeliam, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*, vt dicitur 1. ad Thes. 4. *Et ita*, quod sine D nuptijs turpitudinem culpæ, & pœnæ haberet, per honestatem matrimonij, turpitudine pœnæ remanente, turpitudo culpæ tolleretur. *Et hoc est, quod ait Apostolus 1. Cor. 7.* Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat. *Quocirca* notandum E quòd mulier data est viro in adiutorium generationis; & in hoc differt vis generatiua à nutritiua: quia vis nutritiua deseruit homini ad conseruationem indiuidui, vnde bonum est homini nutrimento vti; quia per hoc eius vita conseruatur: generatiua autem non deseruit homini ad conseruationem indiuidui, sed ad conseruationem speciei. Vnde non potest dici, quòd *bonum est homini* ad suum indiuiduum *mulierem tangere*. Primò quidem quantùm ad animam, quia vt *Augustinus* dicit in 2. Soliloquiorum; *Nihil sic deiicit animam ab arce virtutis suæ, sicut contactus ille corporum, sine quo Vxor haberi non potest.* Et ideo Ex. 19. dicitur populo accepturo legem Dei: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Secundò quantùm ad corpus, quod vir subijcit per matrimonium potestati vxoris, se ex libero seruum constituens. Seruitus autem hæc præ omnibus alijs est amara; vnde & Eccl. 7. dicitur: *Inueni amariorem morte mulierem.* Tertiò quantùm ad res exteriores, quarum occupatione necesse est hominem implicari, qui habet Vxorem, & filios nutriendos: cum tamen dicatur 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Subdit autem: *Propter fornicationem autem &c.* Circa quod considerandum est, quod actus generatiuæ virtutis ordinatur ad conseruationem speciei per generationem filiorum. Et quia mulier data est viro in adiutorium generationis; prima necessitas tangendi mulierem est propter procreationem filiorum. Vnde Gen. 1. dicitur; *Masculum, & fœminam creauit eos, & benedixit eis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini &c.* Sed hæc necessitas fuit circa institutionem humani generis, quandiu oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis. Sed Apostolus considerans humanum genus iam multiplicatum, & populum Dei iam esse augmentatum, non propagatione carnis, sed generatione, quæ est *ex aqua, & Spiritum Sancto*, vt dicitur *Io. 3.* prætermittit hanc necessitatem, qua scilicet primitùs institutum fuerat matrimonium in officium naturæ; & proponit secundam necessitatem, secundùm quam institutum est in remedium culpæ. Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum in fidelibus remanet, licèt non dominetur, instigat homines maximè ad actus venereos propter vehementiam delectationis. Et quia maioris virtutis est totaliter hanc concupiscent iam superare, quàm possit hominibus conuenire, secundùm illud Mat. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc*; necessarium est, quòd in parte concupiscentiæ cedatur, & in parte superetur: quod quidem fit, dum actus generationis ratione ordinatur, & non totaliter homo concupiscentia ducitur, sed magis concupiscentia subditur rationi. Habet autem hoc ratio naturalis, quòd homo vtatur generationis actu, secundùm quod conuenit generationi, & educationi filiorum. Maximè autem in specie humana masculus requiritur ad prolis educationem, quæ non solùm attenditur secundùm corporis nutrimentum, sed magis secundùm nutrimentum animæ. Et ideò ratio naturalis dictat, quòd in specie humana non sint vagi, & incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarij, sed sint determinati viri ad determinatam fœminam; quæ quidem determinatio fit per legem matrimonij. *Bonum est* igitur *homini mulierem non tangere*: sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, *vnusquisque* vir *propter fornicationem*, scilicet vitandam, *suam Vxorem habeat*; idest sibi determinatam; vt tollantur vagi, & incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem (*de quo vide V.* Luxuria) vnde & Prou. 5. dicitur: *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ*; & postea subditur: *Quare seduceris fili mi ab aliena?*

C 4. d. 2. 1. 1. q 2. c. & ad 3. & d. 26. 2. 3 c. & ad 4. & 2. 2. 100. 2 ad 6. & 4. con. G. c. 78
Matrimonium an gratiam conferat.
D 2. d. 20. exp. tex. In 4. d. 26. 1. 3. ad 3. & 4. & d. 31. 2. 1. ad 2.
E 1. Cor. 7. l. 1. ibi.
Mulier in adiutorium generationis viro data.
Exponitur illud: *Bonum est homini mulierem non tangere.*
1. necessitas, tangendi mulierem.
2. necessitas.

Y *Ex quo autem dicitur*: Erunt duo in carne vna *Mat. 19.* ex hoc F videtur posse trahi, quod de ratione coniugalis status est, quòd vnus non habeat plures vxores, nec vxor plures viros, quia tunc erunt plures in carne vna, quàm duo. *Et quidem vxorum pluralitas ipsi legi contrariatur naturæ; vnde &* secundùm leges G Romanas, etiam ante fidem, non licebat simul habere plures vxores. *Verumtamen hoc* prohibetur H non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis deriuantur; sicut conclusiones in speculatiuis ex principijs per se notis fidem habent; & sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur. Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educatio-

F Gen. 2. fi. In 4. d. 27. 3. 1. q. 1. c.
G Ad Tit. 1. l. 2. ibi, vnius vxoris.
H 4. d. 33. 1. 1. c & ad 4. & a. 2. c. & a. 3. q 3. ad 1. Gen. 4. ibi Soror verò &c. 16. ibi, vtere &. 4. ini. ad Tit. l. c. Mat. 19 sub inis.
Pluralitas damnatur vxorum.
Triplex matrimonij finis.

tionem: qui quidem finis competit homini secundùm naturam generis; vnde & alijs animalibus est communis, vt dicitur in 8. *Ethic.* Et sic bonum matrimonij assignatur proles. Sed pro fine secundario, vt dicit Philosophus, habet in hominibus solùm communicationem operum, quæ sunt necessaria in vita; & secundùm hoc fidem sibi inuicem debent, quæ est vnum de bonis matrimonij. Habet vlteriùs alium finem, in quantùm in fidelibus est, scilicet significationem Christi, & Ecclesiæ: & sic bonum matrimonij dicitur Sacramentum. Vnde primus finis respondet matrimonio hominis, in quantùm est animal: Secundus in quantùm est homo: Tertius in quantùm est fidelis. Pluralitas ergo vxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cum vnus vir sufficiat pluribus vxoribus fecundandis, & educandis filijs ex eis natis; sed secundum finem, etsi non totaliter tollat, tamen multùm impedit, eo quòd non facilè potest esse pax in familia, vbi viro plures vxores iunguntur, cum non possit vnus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus vxoribus ad votum. Et quia communicatio plurium in vno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad inuicem, similiter plures vxores vnius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quòd sicut Christus est vnus, ita Ecclesia vna. Et ideò pluralitas vxorum quodàmodo est contra legem naturæ, quodàmodo non, *Profectè* Lex I de vnitate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta; nec vnquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa; sicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent: & ideò in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter SS. Patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios deriuata est eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Veniente *autem* Christo k fuit tempus plenitudinis gratiæ, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est; & ideò non est eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi aduentum, quando cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur, & conseruabatur. *Cæterum, virorum pluralitas neque absolutè, neque aliqua dispensatione vllo vnquam tempore licuit. Et ratio adducitur: quia* vnum L virum habere plures vxores, non est contra prima præcepta legis naturæ, vt dictum est; sed vnam vxorem habere plures viros, est contra prima præcepta legis naturæ, eo quòd per hoc quantùm ad aliquid totaliter tollitur, & quantùm ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis Matrimonij finis. In bono enim prolis intelligitur non solùm procreatio, sed etiam educatio. Ipsa autem procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post imprægnationem primam, iterum mulierem impregnari, vt dicitur in 7. *de Animal.* tamen multùm impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat quantùm ad vtrumque fœtum vel quantùm ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc, quòd vna mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu Patris, cuius cura necessaria est in educando: & ideò nulla lege, aut consuetudine est permissum, vnam vxorem habere plures viros, sicut è conuerso.

I 4.d.33.1.2.c.& 2 2.c.Ge. 4.ib. Soror verò & c.16. ibi & de re *ad Tit.l.c.* & 1. *Cor. 7. l. 1. Mat. 19. sub initio.*

Lex de vnitate vxoris à Deo cordi impressa.

An & cur aliquando in ea dispensatum, & à quo

K 4.d.33.1.2.et 4.

L 4.loc.cit.a.1.ad 7.& q.2.2.q.3.ad 1. & 3.con.G.c.124.§.4.ini.ad Tit. & 1.Cor.7.locis cit.

Virorú pluralitas cum vna Vxore nullo vnquam tempore licuit.

z *Cum verò & propter concupiscentiæ repressionem, matrimonium, vt vidimus, ineatur, in dubium verti posse videtur, an carnalis actus matrimonii meritorius esse possit. Sed quia hoc ad coniugalis spectat debiti redditionem, notanda cum Authore sunt verba Apostoli* 1. Cor. 7. *dicentis*: Vxori vir debitum reddat: similiter autem & Vxor viro. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu &c. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium. *Dixerat priùs Apostolus*: Vnusquisque suam vxorem habeat. *Et quidem* habendi M hæc est ratio, vt *vir vxori debitum reddat*, scilicet de suo corpore per carnalem commistionem. *Similiter autem & vxor viro*: quia quantùm ad hoc, ad paria iudicantur. Deinde assignat debiti rationem dicens: *Mulier potestatem sui corporis non habet*, scilicet ad actum generationis, vt scilicet possit proprio arbitrio, vel continere scilicet, vel alteri se tradere: *Sed Vir*, scilicet habet potestatem sui corporis, quantùm ad vsum carnalis copulæ: & ideò vxor debet viro proprij corporis officium offerre. *Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: vnde & ipse debet sui corporis officium offerre vxori, legitimo impedimento cessante. *Nolite fraudare inuicem*, vt scilicet velit vir continere, inulcta vxore, & è conuerso. Quod Apostolus fraudem nominat, quia vnus subtrahit alteri quod ei debetur, quod ad fraudem pertinet. *Verùmtamen* non statim N tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium propter tria. Primò, vt interim possit deliberare de transeundo ad Religionem. Secundò, vt præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertiò, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauit dilatam. *Et tunc, si alter claustra ingrediatur, Matrimonium soluitur. Nam* ante carnalem O copulam est inter coniuges tantùm spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; & ideò sicut post carnalem copulam matrimonium soluitur per mortem carnalem: ita per ingressum religionis ante carnalem copulam soluitur, quia religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis seculo moriens viuit Deo. *Porrò* tria P docet Apostolus obseruanda in talis debiti intermissione. Quorum primum est, vt fiat ex communi consensu; ideò dicit: *Nisi fortè ex consensu &c.* Vnde dicitur Eccli. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* Secundum est, vt fit ad certum tempus; vnde subdit: *nisi fortè ad tempus*, secundùm illud Eccle. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Tertium est, vt hoc fiat propter debitum finem, scilicet causam spiritualium actuum, ad quos continentia reddit magis aptos; vnde subdit: *vt vacetis orationi*, secundùm illud Ioel. 2. *Sacrificium, & libamen Domino Deo vestro.* Et postea subdit: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Deinde *iterum* inquit Apostolus *reuerti mini in idipsum*: vt scilicet vobis inuicem debitum reddatis, finito tempore orationis; vnde & 3. *Reg.* 8. dicitur, quòd celebratis dedicationis solemnijs, *profecti sunt in tabernacula sua latantes.* Et assignat rationem documenti: non enim hoc dicit, quasi sit necessarium ad salutem, sed ad periculum vitandum; vnde dicit: *ne tentet vos Satanas*, idest ne sua tentatione vos prosternat *propter incontinentiam vestram*, idest propter pronitatem ad incontienentiam. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium.* Quasi diceret: quòd vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum, & quòd post continentiam determinati temporis, ite-

Reddendi debiti obligatio in coniugibus qualis, & quanta.

M 1.Cor.7.l.1.ibi.

Non tenetur quis statim post contractum matrimonium reddere debitum sed cōceditur ei tēpus duorum mensium propter tria.

N 4.d.27.1.3.q.2.ad 2.& a.3.q.3.c.& ad 1.& 2.& q.2.3.ad 1.& d.31.1.3.ad 3.& d.39.1.4.ad 2.

O In 4.d.27.1.3.q.2.c.

Quandonam licita debiti intermissio.

P. 1 Cor.7.l.1.ibi, ex consensu & 1.Pet.3.§.3.in 4.d.26.1.a.3.& 31.2.2.c.4.& d.

iterum reuertamini in idipsum : *hoc dico secundùm indulgentiam* ; idest patiens infirmitati vestræ : *non secundùm imperium*, quasi scilicet vobis necessarium ad salutem. Subditorum enim sunt quædam infirmitati indulgenda, & non ad bonam imperio cogendi. Sed cum indulgentia sit de peccato, videtur Apostolus exprimere, quòd matrimonium sit peccatum. Sed ad hoc potest responderi dupliciter. *Vno modo*, vt indulgentia sumatur hic pro permissione. Est autem duplex permissio. Vna quidem de minùs malo, sicut dicitur *Mat. 19.* quòd Moyses permisit Iudæis dare libellum repudij propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum vxoricidium, ad quod pronie erant. Talis enim permissio non fit in nouo testamento propter sui perfectionem, secundùm illud Hebr. 6. *Ad perfectiora feramur*. (*De libello repudii, vide plura*, Q) Alia autem est permissio de minùs bono; cum scilicet homo præcepto non cogitur ad maius bonum : & hoc modo Apostolus hic indulget, idest permittit, Matrimonium, quod est minus bonum, quàm virginitas, quæ non præcipitur, quæ est maius bonum. Alio modo potest accipi indulgentia, prout respicit culpam, secundùm illud Is. 26. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti*. Et secundùm hoc indulgentia refertur ad actum coniugalem, secundùm quod habet adnexam culpam, venialem tamen propter bona matrimonij, sine quibus esset mortalis. Vnde considerandum est, quòd actus coniugalis, quandoque quidem est meritorius, & absque omni culpa mortali, vel veniali, putà cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei; sic enim est actus religionis : vel cum fit causà reddendi debitum; sic enim est actus iustitiæ : omnis autem actus virtutis est meritorius, si fit cum charitate. Quandoque verò est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites matrimonij sistit, vt scilicet cum sola vxore sit contentus. Quandoque verò est culpa mortalis, putà cum concupiscentia fertur extra limites matrimonij, scilicet cum aliquis accedit ad vxorem, æquè libenter, vel libentius ad aliam accessurus. (Tanta, *ait alibi Author*, posset R esse delectatio carnalis, & cum tanta libidine exerceri, quòd etiam in coniugatis esset peccatum mortale. *Immò decemur, quòd* quia ille S qui est ardentior amator vxoris, facit contra bonum matrimonij, inhonestè eo vtens, licèt fidem non violet: idcircò aliqualiter potest adulter nominari, & magis quàm ille, qui est ardentior amator alterius mulieris.) Primo ergo modo actus matrimonij non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, in quantùm aliquis consentiens concupiscentiæ in vxorem, non fit reus peccati mortalis. Tertio autem modo omninò indulgentiam non habet. *Hinc* si quis T intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum; quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet: sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; & secundùm hoc, est peccatum veniale; nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus. *Item venialiter peccat, accedens quis ad vxorem inpregnatam* : quamuis enim V matrix post impregnationem claudatur, tamen ex delectatione (vt Auicenna dicit) mouetur, & aperitur; & ex hoc imminet periculum abortus. Et ideò *Hieronymus* vituperat accessum viri ad vxorem impregnatam: non tamen ita, quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter de periculo abortus timetur. Vsus etiam contra naturam coniugis est; quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum à natura institutum quantùm ad situm; & in primo semper est peccatum mortale (*etiam solùm affectiuè*) quia proles sequi non potest; vnde totaliter intentio naturæ frustratur: sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, vt quidam dicunt: sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ. Quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; aliàs tantò est grauius, quantò magis à naturali modo receditur. *Circa matrimonii actus vide plura* X. *& apud Summistas*.

Subditorum infirmitati quædam indulgenda sunt.

Exponitur illud : *Hoc autem dico secundùm indulgentiam*.

Permissio duplex.

Q, 1. 2. 105. 4. ad 8. In 3. d. 37. 1. 6. ad 1. In 4. d. 33. 1. 3. q. 3. ad 3. & q. 2. 4. 3. & d. 35. 1. 4. ad 1. & 3. con G. c. 123. Mat. 19. & 1. Cor. 7. l. 1.

Num carnalis matrimonij actus sit malus, an bonus & meritorius.

R In Prol. D. Hier. in lo. loc. cit. supra

S 2. 2. 154. 8. ad 2.

T 4. d. 31. 2. 2. ad 2.

V Ibid. exp. tex.

X F. A. a. n. 52.

a *Porrò matrimonium, sicut & virginitas, in præcepto non est, vt præinnuimus, & expressè habetur 1. Cor. 7.* De Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. *De virginibus*: Quasi Y dicat. De coniugatis non separandis præceptum Dei est : *de virginibus autem præceptum Domini non habeo*, vt scilicet contineant, vel vt nubant. Quod enim de hoc dixit Dominus Mat. 19. dixit consulendo. *Qui potest capere capiat*. Virginitas *secundùm Augustinum* res est non præcepti : suaderi potest, imperari non potest. Et ideò dicit : *Consilium autem do*, scilicet de continendo, *consilium* mihi à Spiritu Sancto inspiratum. *Cui consonat quod repetis ad calcem capitis* : Cui autem vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm consilium meum. *Quibus in verbis* ostendit Z quòd melius est illi continere, quàm nubere quamuis ei nubere liceat; vnde dicit : *Beatior erit &c.* Et hoc est consilium meum. *Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam*. Quasi dicat : Faciendum est secundùm consilium meum, quia, *puto, quòd & ego*, sicut ceteri Apostoli, *spiritum Dei habeam*, Rom. 8. *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes &c.* Hoc ergo consilium debet impleri, & propter fructum sequentem, *quia beatior erit* : & propter consulentis authoritatem, quia *secundùm consilium meum* : & propter spiritum Dei inspirantem, quia *puto, quòd & ego spiritum Dei habeam. Et priùs coherenter præmiserat*: Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, meliùs facit. *Ratio autem adducitur* : *quia* natura A inclinat ad aliquid dupliciter. *Vno modo*, sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem vnius; & talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. *Alio modo* inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis; & cum multa sint huiusmodi, quorum vnum impedit alium, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti; aliàs quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, & huiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ; sed inclinationi naturæ satisfit, cum per diuersos diuersa complentur de prædictis. Cum ergo ad perfectionem humanę multitudinis sit necessarium, aliquos contemplatiuæ vitæ inseruire, quæ maximè per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam secundùm Philosophos. Vnde *Theophrastus* probat, quòd sapienti non expedit nubere. *Et quamuis prima matrimonii institutio fuerit sub præcepto; & hoc nunquam reuocatum fuerit, immò confirmatum Mat. 19.* Quod Deus coniunxit, homo non separet. *Nihilominus, licèt* præceptum B illud non fuerit reuocatum, non tamen obligat vnum-

Tam cælibatus, quàm matrimonium, in præcepto non sunt.

Y 1. Cor. 7. l. 5. ibi.

Z Ibid. l. 8. ibi

Ratio adducitur.

A 4. d. 26. 1. 2. c.

Natura dupliciter inclinat ad aliquid.

vnumquemque ratione iam dicta, nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat, vt quilibet generationi vacaret. (*Vide plura V.* Coelibatus.) *Neque carnalis commistio de prima integritate matrimonii est*. Duplex B est *enim* integritas. Vna, quæ attenditur secundùm perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse ei: alia, quæ attenditur secundùm perfectionem secundam, quæ constitit in operatione. Quia ergo carnalis commistio est quædam operatio, siue vsus matrimonij, per quod facultas adhoc datur: ideò erit carnalis commistio de secunda integritate matrimonij, & non de prima: *consequenter verum erit matrimonium absque carnali commistione, docente Augustino* etiam seruata C pari consensu continentia posse permanere, vocarique coniugium, non permisto corporis sexu: *quale verè fuisse, suprà vidimus, castissimum inter Mariam, & Ioseph matrimonium: ratum videlicet, non consummatum.*

Duplex rei integritas.

B 4. d. 26. 2. 4. c. & d. 27. 1. 1. q. 1. c. & d. 28. 1. 4. c. & d. 30. 2. 2. & d. 34. 1. 2. ad 1. & 3. p. 29. 2. c.

Absque carnali copula verum potest esse matrimonium.

C 3. p. 29. 2. in sed contra.

b *Enim verò de ratione matrimonii est inseparabilitas, ex illo Mat. 19. cit.* Quod Deus coniunxit, homo non separet: Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Vbi notat Author, quòd* per nullum D impedimentum sequens potest dissolui vinculum matrimonij, quia significat vnionem Christi, & Ecclesiæ: vnde cum vnio Christi & Ecclesiæ dissolui non possit, nec vnio Matrimonij: *Sed propter fornicationem* potest à consortio separari, ne videatur esse conscius turpitudinis. Sed pro alijs turpitudinibus non potest, vt pro ebrietate &c. (Qualiscumque E obuenerit, est habenda, & iugiter retinenda, etiamsi iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida.). Alia ratio est, quam ponit *Origenes*: quia *Mat.* 5. dixerat Dominus: *Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*; & ideò dimittendo, dat ei occasionem mœchandi: Sed postquam ipsa peccauit, non dat ei occasionem mœchandi; ideò post potest dimittere, non ante. Dicit autem: *Et qui aliam duxerit, mœchatur*: quia eadem res per ea, per quæ soluitur, ligatur. Vnde, quando homo habet vxorem separatam, & non aliam, adhuc spes remanet, quòd vniri possint, vel per consimile peccatum, vel per animorum consensum. Sed quando aliam duxit, tunc cor totaliter separauit, & assensum ab ea. Alia ratio est, quia si præter fornicationem posset dimittere vxorem suam, aliquando accideret, quòd homo imponeret vxori suæ crimen, vt ab ea separaretur, & alij coniungeretur: & ideò Dominus voluit, quòd non haberet aliam; vnde expressè prohibet, quòd non habeat homo plures vxores, quia vna dimissa, & alia accepta, mœchatur. *Cui consonat Apostolus* 1. *Cor.* 7. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. *Vxore à viro non discedere*: & F subintelligitur, *excepta fornicationis causa*, quam Christus excepit. Hanc solam excepit Dominus, cæteras autem molestias (*nota*) iubet pro fide coniugij fortiter sustineri. *Quòd si discesserit*, scilicet propter causam fornicationis, *præcipio manere innuptam*, viuente marito: quia si soluitur matrimonium quoad torum; non tamen quoad vinculum: *aut viro suo reconciliari*, scilicet si vir non continet. Et similiter *vir vxorem non dimittat*; scilicet, *nisi ob causam fornicationis*. Similis forma in viro, & muliere seruatur; vnde supplendum est quod de vxore præmisit, quòd scilicet, si omninò dimisit, non ducat aliam, vel reconcilietur vxori. Notandum tamen, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere. Primus casus, quando ipsemet eam prostituit. Secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit. Tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum. Quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum, alteri nupsit. Quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit. Sextus quando sub specie viri sui ab alio cognita fuit. Septimus quando fuit à viro suo, post adulterium manifestè deprehensum, nihilominùs retenta, *vel carnaliter cognita*. Præter hos casus, potest vir propter fornicationem vxoris eam dimittere; hoc est, ab ea separari. Quam vtique iustam separationem (*iustam, inquam*: propterea enim *ex Augustino* in causa fornicationis licet vxorem dimittere: quia ipsa esse vxor prior noluit, quæ fidem coniugalem marito non seruauit) *diuortium dicunt*. *Quid autem de cæteris coniugum culpis (præsertim de infidelitate, cultusque disparitate) pro diuortio, siue quoad torum, siue quoad cohabitationem, faciendo, sentiendum sit, vel dicendum: vide* G. *Illud solummodo ex Authore hic adducimus, quòd* matrimonium H quantùm ad actum solui potest tam per infidelitatem, quàm per fornicationem corporalem: sed propter alia peccata, non potest solui matrimonium, etiam quantùm ad actum (*vt præmissum est*) nisi fortè ad tempus vir se velit subtrahere à consortio vxoris ad castigationem eius, subtrahendo ei præsentiæ suæ solatium. *Licet autem propter fornicationem vxorem dimittere, eo quòd* fornicatio I est directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non seruatur, dum vnus coniugum pluribus carnem suam diuidit. Et ideò alia crimina, quamuis fortè maiora fornicatione, non causant diuortium. Sed quia infidelitas, quæ & dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra matrimonij bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit diuortium: sed tamen aliter, quàm corporalis fornicatio: quia propter vnum actum fornicationis carnalis potest ad diuortium procedi; non autem propter vnum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur. *De singulis autem matrimonii, siue impedientibus tantùm, siue dirimentibus impedimentis, vide* K *& apud Summistas. Et de dispensatione pariter in gradibus tam consanguinitatis, quàm affinitatis, vide* L *& Canonistas fusiùs. Illud duntaxat hic obseruandum, quòd* dispensatio M matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes; & ideo cum eis faciliùs dispensatur absque peccato acceptionis personarum. *Quod dictum sit*, vt obstruatur os loquentium iniqua.

Matrimonij indissolubilitas.

D Mat. 19. ibi.

E Op. de er. Pr. l. 5. c. 27. fi.

F 1. Cor. 7. l. 2. ibi, In 4. d. 35. 1. 1. & d. 39. 1. 6.

Nonnisi propter fornicationem vxor separanda: aliæ molestiæ perferendæ.

In VII. casibus vxor propter fornicationem non dimittenda.

G 1. Cor. 7. l. 2. & 3. In 4. d. 35. q. 1. & d. 39. loc. cit.

H 4. d. 39. l. c. initio corp.

Aliquando licet viro se ab vxore mala subtrahere ad eius castigationem.

I 4. d. 35. 1. 1. ad 3. & 1. Cor. 7. l. 2. 3.

K 4. d. 29. 30. 34 & 35. exp. tex. fi 37. 38. 39. 41. 42.

L In 4. d. 40. 41. & 42.

M 2. 2. 63. 2. ad 2. & 1. 2. 97. 4. ad 2.

Cur propter fornicationem specialiter liceat vxorem dimittere, & propter infidelitatem.

Faciliùs dispensatur in gradibus cum personis excellentibus sine acceptione personarum.

c *Cæterùm finis, propter quem debet aliquis matrimonio iungi, gloria debet esse Dei, non vtilitas temporalis, aut sanguinis cognatio nobilioris: quod ab Authore docemur super illud Gen.* 28. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum; præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam: sed vade in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel (*quod interpretatur* filiatio Dei) patris matris tuæ: & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban (*quod interpretatur Candidus*) auunculi tui. *Quem ad locum*: Nota

Sola Dei gloria finis esto parentum, vbi filios maritât; non temporalia.

N Gen. 28. sub initio.

inquit quomodo N Sancti isti longè maiorem curam habebant, vt filijs suis prouiderent vxores aptas diuino cultui, sanctissimisque moribus, quàm quòd per eas contraherent affinitatem, aut temporales amicos cum gentibus terræ, in qua habitabant; immò hoc propter primum totaliter recusabant. *Non hoc fine, aut perrarò saltem contrahuntur modò connubia. Sed neque ad libidinem exsaturandam, vt in non paucis contingit, coniugia ineunda sunt: de his enim, qui ad hoc coniunguntur, dicitur ab Angelo Tob.* 6. Hi qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, habet potestatem dæmonium super eos. *Et postquàm matrimonium contraxissent Tobias, & Sara, legitur cap.* 8. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. *Et cap. 9. in calce*; Cum timore Domini nuptiarum conuiuium celebrabant: non (*vt ait Apostolus*) in comessationibus, & ebrietatibus. *At modò ex opposito antiquorum Patrum, explenda tantùm causa libidinis matrimonia contrahuntur*; *itaut* immoderatus vsus coniugij nostri temporis (*quod ait in litera Magister*) turpitudinem ferè imitetur fornicationis illius temporis. *Quod exponens Author*: Hoc O dicitur *inquit* quantùm ad intentionem eorum, qui nunc vt plurimùm contrahunt matrimonium propter infirmitatem libidinis, qua ratione antiquitus fornicabantur. *Quod quidem* aliquod P impedimentum præstat generationi; cum oporteat semen viri esse digestum, & hoc non potest fieri in frequenter coeuntibus; propter quod & frequenter tales steriles sunt. *Vnde Coniuges edocentur, ex libidinosis actibus frequentatis vel infecundos reddi viros, vel fœminas procreari.* (*Sed &* Philosophus Q dicit *in* 18. *de Anim.* expertum esse apud Pastores, quòd quando flat ventus septemtrionalis, concipiuntur mares; & quando fiat meridionalis, concipiuntur fœminæ propter abundantiam humiditatis.) *Quòd si non carnis luxuria, excitat saltem aliunde libido pecunia, itaut non quibus polleat animi corporisque dotibus puella, sed quantam afferat secum pecuniarum dotem, tantummodo respiciatur. Verùm magis hac in re detestandum est, libertatem puellis auferri quoad sponsorum electionem: vt plurimùm enim non cui virgo vellet, sed cui parentes ob temporalia vtilitatis, aut nobilioris affinitatis motiua decreuerunt nubere, desponsatur: cum tamen omninò virginis exquirendus consensus sit, non minùs, aut armatis suasionibus extorquendus*: *sicut de Rebecca habetur Gen.* 24. Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem. Cumque, vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. Dimiserunt ergo eam &c. *Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 7. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, faciat, *Super virgine sua*, timens scilicet R ne corrumpatur, *eo quòd sit superadulta*, idest supra pubertatem, & iam in nubilibus annis: *& ita oportet fieri*, vt scilicet nubat, quia non vult continere: *quod vult* (*& cui vult, eodem cap. paulò inferiùs*: cui vult nubat) virgo, *faciat* custos (*vel parens*) illius: *non quod vult, aut cui vult custos, vel parens, contra suam inclinationem faciat virgo*: *vt fieri nostro tempore consueuit frequentiùs. Non aliter sanè cum timidis puellis agendum est: cum enim graue, & perpetuum sit matrimonii iugum* (*vnde & coniuges, & iugales dicuntur connubio mancipati*:) *iustum est, vt liber interueniat plenèque deliberatus consensus; ne totam vitam suam infeliciter ducant, sæpiusque cum animæ detrimento. Hinc citato loco Apostolus*: Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est. Cui vult, nubat: tantùm in Domino. *Alligata inquam est*; vnde S ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi viri*. Deindè cum dicit: *quòd si dormierit* somno mortis, de qua dormitione dicitur: *Lazarus amicus noster dormit* Ioan. 11. *vir eius*. Non dicit (*Augustinus*) primus vir, secundus, vel tertius, vel quartus, vel quousque licet: nec nobis diffiniendum est quod non diffinit Apostolus: vnde nec vllas nuptias debemus damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. *Si dormierit* inquam *liberata est à lege viri*: vnde permittit ei nubere. Et hinc patet, quòd resurgenti non tenetur copulari: (*quia* requiritur T consensus nouus ad hoc, quòd sit matrimonium.) *Cui autem vult* (*ad rem nostram*) *nubat*: inuitæ enim nuptiæ (*nota*) solent habere malos euentus. *Nubat inquam tantùm in Domino*, idest viro suæ religionis: nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium, *Deut.* 27. Per hanc licentiam Apostoli reuocatæ sunt omnes pœnæ, & infamiæ, quæ secundùm leges infligebantur olim mulieri secundò nubenti intra tempus luctus, scilicet intra annum. Ergo in nuptijs exigitur personarum legitimitas; vnde dicitur, *liberata est à lege viri*. Consensus libertas; vnde addit: *Cui vult nubat*. Cultus paritas; vnde subdit: *tantùm in Domino*. *Et ò vtinam in nuptiis tantummodò extorqueretur à puellis consensus. Illud magis est tolerandum, quòd virgines omninò nolentes nubere* (*quia nolunt, vel ægrè possunt continere*) *ad monasteria ingredienda parentes cogunt; sicque ne detrimentum in temporalibus ipsi patiantur, quòd spirituale experiantur filiæ detrimentum, in causa sunt: desperantes enim, non Christo se deuouent sponso, sed satanæ immo despondent; proinde non deliciarum paradisum ingrediuntur læantur; quin miserabiliter* descendunt in infernum viuentes: *& post mortem in perpetui gehennam ignis. A quo tamen ne se putent parentes coactores iusto Dei iudicio eximendos*: *nam* propter quod vnumquodque tale, & illud magis. *Ex quo eos anathemate ferit Tridentinum* sess. 25. de Regularibus c. 18. *sub his verbis*: Anathemati sancta synodus subijcit omnes, & singulas personas, cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem inuitam (præter quàm in casibus in iure expressis) ad ingrediendum monasterium &c. *Quod & ad coniugia pariter extendit in Dominos temporales, ac Magistratus* sess. 24. de reform. Matrim. cap. 9. *Vbi inquit*: Cum maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minùs liberè matrimonia contrahát.

d *Quòd si pleno vtriusque consensu matrimonium contraxerint, in timore Domini illud exerceant, & perpetuo cohabitent vinculo charitatis, sicut legitur de Zacharia, & Elisabeth Luc.* 1. Erant iusti ambo ante Deum (*nec enim tales sufficit apud homines reputari*) incedentes in omnibus man-

Neque ad explendam libidinem coniugia ineunda.

O 4. d. 33. exp. tex.

Vt frequentiùs contingit.

Coitus frequentia fecunditatem sæpè tollit.

P lf. 4. §. 1. fi.

Ex quo feminæ generentur, non mares.

Q 2. d. 20. 2. 1. ad 2.

Motiuum matrimonia contrahendi ne sit maior pecunia.

Libertas puellis tollitur cui nubant.

R 1. Cor. 7. l. 8. ibi.

S Ibid. ibi Op. de er. Tr. l. 5. c. 60. initio.

Nuptiæ secundæ, tertiæ &c. non damnantur.

T Ibid. si. lect. In 4. d. 38. exp. tex. & d. 39. 1. 4. ad 2. Rom. 7. l. 1. initio & Hebr. 11. l. 7. fi.

Marito mortuo, & resurgenti non tenetur vxor copulari.

Inuita matrimonia malos habent euentus.

Tria ad matrimonium exiguntur.

Caueant parentes, ne filias cogant ad claustra ingredienda, nubere volentes.

Quomodo coniuges cohabitent.

mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. *Vnde & quamuis senes, & steriles, Dei gratiam promeruere, filium impetrando, magnum scilicet illum* Ioannem, *cuius nomen* Gratia *interpretatur: à Deo siquidem proles petenda, atque expectanda est, ad cuius honorem, & procreanda. Hinc* 1. *Pet.* 3. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem &c. *Quibus verbis* monet V viros ad benè conuiuendum vxoribus: sicut enim se benè habere debent mulieres ad viros, similiter *viri* mariti earum sint *cohabitantes*, reddentes debitum coniugale, *secundùm scientiam*; idest discretè, & cum moderamine; non *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* (*vti dicitur &* Tob. 6.) vt generent filios ad cultum vnius Dei. In hoc autem, quòd dicit, *cohabitantes*, significatur æqualitas in redditione debiti coniugalis. *Impartientes honorem*, scilicet in necessariorum administratione, & reuerentiæ exhibitione, *quasi infirmiori*, idest fragiliori, *vasculo*: vasculum dicitur corpus mulieris (vnde dicit *muliebri*) ob susceptionem seminis, & conceptionem prolis: *impartientes* inquam *honorem*, 1. *ad Cor.* 12. Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. *Vt hinc edoceantur mutuò se Coniuges iuuare, & revereri: at multò magis amare, Eph.* 5. Viri diligite vxores vestras: sicut & Christus dilexit Ecclesiam: *Sponsam vtique suam, quam ita dilexit, quòd* se ipsum tradidit pro ea. *Diligite*: quia X certè ex amore, quem habet vir ad vxorem, magis castè viuit, & pacificè vterque se habet. Si autem vir aliam diligit, quàm suam: se, & suam (*nota*) discrimini exponit, *vt experientia satis notum. Vnde & ad Col.* 3. *repetit Apostolus*: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. *Vult quippè, suas viros* amare *vxores*, & *ab eis* amari: *non vult autem, quòd sint* amari *ad illas*. *Diligite*. *Hoc* enim Y est naturale, quia vir, & vxor quodammodo sunt vnum, (*erunt duo in carne vna*) & prohibet, ne sint *amari*, Mich. 1. Infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus. *Vnde Eph.* 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. *Et ò quàm frequens inter dissentientes coniuges clamor! quàm familiaris irritati ab vxore viri blasphemia! Verùm de vtroque singulariter coniuge fusè* Num. seqq. *De Coniugibus inquam carnali matrimonio copulatis: nam spirituale coniugium perfectius est, anima scilicet cum Deo, hìc per gratiam, in futuro per gloriam. Et hæ sunt Agni nuptiæ, de quibus Ioannes Apoc.* 19. Venerunt nuptiæ Agni; & *Mat.* 25. Intrauerunt cum eo ad nuptias; *videlicet cum Christo sponso. Quibus vtique in nuptiis diuersimodè, ac in carnali matrimonio, proceditur*. Non est Z simile (*inquit Author*) de matrimonio carnali, & spirituali. Nam sicut in matrimonio carnali sponsa dat dotem sponso: in spirituali fit è conuerso, quia sponsus charismatibus dotat animam. *Quibus nos vtinam Deus sua hìc ditare pietate dignetur, atque in Cœlis perpetuò dotare*. DISCE *coniux ad solum Dei cultum, & gloriam, matrimonio vti*. *Vide* Adulterium, Cœlibatus, Cultus exterior *Tom.* 1. Luxuria *Tom.* 2. Mulier.

Petenda à Deo proles & expectanda.

V 1. Pet. 3. §. 3. ibi.

Mutuò debitum reddant.

Viri vxores honorent.

At multò magis ament: ex quo pudicitia, & pax.

X Eph. 5. l. 8. ibi.

Vir vxorem suam non diligens, sed aliam, se & suam discrimini exponit.

Y Coloss. 3. l. 4. ibi.

Ne sit amans ad eam.

Spirituale Dei cum anima coniugium, matrimonio carnali perfectius.

Z Cant. 1. Com. 2. ibi vbera.

VII. Postquàm vir vxorem duxerit, debito modo ad eam se debet habere, discretè & temperatè eam amando, eam honorando, temperatè ea vtendo, & benignè eam tractando. *Op. de er. Pr. l.* 5. *cap.* 29.

CVm *matrimonium, perpetuum vsque ad mortem inter virum, & vxorem vinculum sit, attentè, & maturè antequam ineatur, consulendum*. In eligenda A vxore adhibenda est diligentia, ne contingat errare errore, quem homo emendare non possit. *Virgo igitur vxori socianda in primis* eligenda B est pro vxore mulier bona: adiutorium enim debet esse salutis, secundùm illud Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium*. Si bona sit, magnum est adiutorium salutis, cum sit familiarissima: si verò sit mala, magnum impedimentum. Sed quia nullus potest habere vxorem bonam, nisi à Deo detur, volens inire coniugium, orando, & orari faciendo, & eleemosynas dando, debet eam à Deo quærere, Prou. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens*. Attendendum est etiam, quòd sit de bona progenie. Hæc fuit vna de causis diluuij: *Videntes enim filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, *Gen.* 6. Filij Dei vocantur, qui erant de stirpe Seth: filij hominum, qui erant de stirpe Cain. (*Quo loco Author*: Probabiliter C creditur, *inquit*, quòd ab Adam, & Seth, & cæteris P.P. Sanctis fuerint filij prohibiti coniugaliter commisceri cum filijs, vel filiabus populi Cain; sicut sunt modò prohibiti per Ecclesiam nubere Saracenis. Vnde ex hoc præcipuè apparet pœna sceleris sui, quia non fuit dignus, quòd aliquis de filijs suis ad generationem Saluatoris aliqualiter pertineret; nec quòd generatio eius vltrà diluuium procederet. Eo tempore autem, contra prohibitionem parentum, concupiscentia victi, commisti sunt filij bonæ generationis filiabus malæ generationis, & è contra; non attendentes, nisi solam speciem corporalis pulchritudinis, & suæ carnalis voluptatis: *ex quo partim diluuium*.) Debet eligere vxorem sibi similem, scilicet nobilem, si est nobilis; ignobilem, si sit ignobilis; Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. De costa viri formauit Deus mulierem, ne posset vnus contra alterum gloriari, se esse de nobiliori genere. Paritas illa non solùm attendenda est quantùm ad nobilitatem, sed etiam quantùm ad iuuentutem, & pulchritudinem: quando enim iuuenis & pulchra nubit seni & deformi, habet eum exosum, & adultera efficitur. Paritas ista bene in anulo ostenditur: qui si strictior sit, digito non congruit: si verò latior, decidit. Sic se habet inter Coniuges, si sint dispares: quia simul manentes non sunt concordes, vel vnus ab altero discedit. Volens inire coniugium debet habere intentionem rectam: quod dixit Angelus Tobiæ minori cap. 6. fi. *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus*. *Tandem* qualis D ducatur, attendendum est; quia, vt ait Philosophus, rara auis est in terris bona vxor. *Accepta autem in timore Domini vxore vt salus, qualem accepit, perseueret in omnibus debet ad eam benè se habere. Quod erit, si primùm verè eam diligat: ex amore enim ad illam omnis pendet initi processus*

Maturè consideret, qui vult matrimonio cupulari.

A Op. de er. Pr. l. 5. c. 27 fi.

Videat cui nubat.

B Op. de er. Pr. l. 5. c. 28. & Gen. 2. ibi, de costis.

Vxor bona magnum adiutorium, mala magnum impedimentũ salutis.

A Deo quærenda.

Qualis debeat esse.

C Gen. 5. ibi.

Acceptam verè diligat.

D Op. de er. Pr. l. 5. c. 27. circ. fin.

Aliam, quàm suã diligens, se & suam discrimini exponit.

cessus coniugii . Diligat inquam eam ; si non ob aliam causam, propter eam, quam Num. præced. *adduximus* : Si *enim* vir E aliam diligit, quàm suam, se & suam discrimini exponit. *Sed & alienæ insidiator, vxoris grauissimè à Deo punitur. Vnde postquam dictum est de Sarai Vxore Abraham Gen.* 12. Sublata est mulier in domum Pharaonis, *ibidem subiicitur* : Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai Vxorem Abram (*quamuis eam non cognouisset.*) *Vbi Author*: Quæ F fuerint *inquit* hæc flagella, non dicitur. Quæcumque tamen fuerint, patet ex sequentibus, quòd Pharao certificatus est, se esse à Deo flagellatum, quia tulerat Vxorem Abram. *Rationem autem huius dilectionis affert Apostolus ad Eph.* 5. Qui suam Vxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam ; sicut & Christus Ecclesiam *Cuius quidem* ratio G talis est. Vir, & Mulier sunt quodammodo vnum ; vnde sicut caro subditur animæ, ita mulier viro : sed nullus vnquam habuit carnem suam odio, ergo nec vxorem. Dicit ergo : *Qui suam Vxorem diligit, se ipsum diligit*, Mat. 19. *Itaque non sunt duo, sed vna caro*. Et ideò sicut peccaret contra naturam qui se ipsum odio haberet : ita qui vxorem. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit* ; sed *nutrit, & fouet eam*, scilicet propter conseruationem, *sicut & Christus Ecclesiam*, scilicet dilexit, sicut aliquid sui, *quia membra sumus corporis eius* (*Eph.* 4. Quoniam sumus inuicem membra :) *de carne eius & de ossibus eius* propter eandem participationem naturæ. Vel dicit, *de carne eius*, mystice quantùm ad debiles, qui sunt carnei, *& de ossibus eius* quantùm ad fortes, qui sunt ossei. *Et iterum ; in eodem Apostolus insistens, concludit* : Vnusquisque vxorem suam, sicut se ipsum diligat ; *nimirùm, vt aduertatur, quòd* sicut H vnusquisque se diligit in ordine ad Deum ; ita debet & vxorem diligere, non in quantùm trahit ad peccatum. *Quo sensu dicitur Luc.* 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem &c. non potest meus esse discipulus.

Alienæ insidiator grauissimè à Deo punitur.

E *Eph.* 5. *l.* 8. *ibi*, vxores.

Qui vxorem non diligit, contra naturam peccat.

F *Gen.* 12. *ibi cire. fin.*

G *Eph.* 5. *l.* 9. *sub initio Col.* 3. *l.* 4. *ibi*, diligite, & 1. *Pet.* 3. §. 3.

H *Eph.* 5. *l.* 10 *fin.*

f *Quod si verè, & ordinatè vxorem suam vir amauerit, consequenter honorabit, non contemnet. Nec enim alio ex capite despiciendа est* : nam quòd mulier (*prima primi viri vxor*) fuit I facta in Paradiso, & perfecta de nobiliori materia, quàm ipse vir : hoc fortè fuit factum, ne ipse vir eam contemneret. *Displicet nempe Deo vxoris contemptus : vnde & propter sterilitatem à viro (vt sæpè contingit) despectam, solari per fecunditatem consueuit Deus*, *Gen.* 29. Videns autem Dominus, quòd despiceret (*Iacob*) Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. *Vnde & post conceptionem à Deo concessam læta subiecit* ; Vidit Dominus humilitatem meam, *idest* deiectionem K quia à viro meo despiciebar : vidit inquam, & misertus est mei. *Non secùs, & de Anna vxore Elcanæ legimus* 1. Reg. 1. *quam consolatus est Dominus, fecunditatem ei tribuens ad magnum illum procreandum Samuelem. Non debet inquam vir vxorem contemnere ; quia licèt caput mulieris sit, non tamen vxoris dominus*. Caput sanè mulieris est vir, 1. *Cor.* 11. Omnis viri caput, Christus est, Caput autem mulieris vir. Caput verò Christi Deus. *Caput autem mulieris vir* : Primò quidem L quia vir est perfectior muliere, non solùm quantùm ad corpus, quia vt Philosophus dicit in lib. de gen. anim. *Fœmina est masculus occasionatus* : sed etiam quantùm ad animæ vigorem, secundùm illud Eccle. 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni*. Secundò quia vir naturaliter supereminet fœminæ, secundùm illud Eph. 5. *Mulieres viris suis subiectæ sint, quoniam vir caput est mulieris*. Tertiò, quia vir influit gubernando mulierem, secundùm illud Gen. 2. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Quartò Vir, & fœmina conformes sunt in natura, secundùm illud Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. Vnde & ad Eph. 5. *postquam dictum est* : Vnusquisque vxorem suam, sicut se ipsum, diligat ; *mox subiicitur* : Vxor autem timeat virum suum, *scilicet* timore M reuerentiæ & subiectionis, quia debet ei esse subiecta, 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis*, subiectione N obedientiæ, & reuerentiæ ; nam, etsi quoad debitum coniugale sint pares, & sociæ ; tamen quo ad ministrationem, & disciplinam debent esse subditæ ; quia vir est caput mulieris, *vt repetit Apostolus* ad Eph. 5. *Vbi ex hoc admonet, quòd* vitis suis subditæ sint, *videlicet* quia O certè mulier, *si primatum habeat, contraria est viro suo*, vt dicitur Eccli. 25. & ideo specialiter monet eas de subiectione. Et addit, *sicut Domino* ; non quòd verè sit dominus, sed sicut dominus : *subiecta enim viro est quo ad ministrationem, correptionem, & alia ; non tamen viri serua. Vnde* mulier P non est formata de pedibus viri, tanquam ancilla, nec de capite tanquam domina (1. *Tim.* 2. neque dominari in virum :) sed de latere tanquam socia. *Et hinc, cum de costa viri sumpta fuerit*, videtur Q quòd sit de excellentissimo loco sumpta, quia cor est membrorum principalissimum, iuxta quod sunt costæ. *Verumtamen longè nobilior, tanquam caput, est vir* : cor enim est nobilissimum, quantùm ad originem vitæ, sed caput quantùm ad complementum virtutum, quibus fit motus, & sensus, in quibus consistit vita sensitiua. *Ex his* neque debet R à viro despici, tanquam seruiliter subiecta : *mulier etenim* non S est *sub potestate viri* per modum seruitutis, sed per modum gubernationis.

Honoranda vxor, non contemnenda.

I *Gen.* 2. *ibi* de costis.

K *Gen.* 29. *ibi*.

Vir caput mulieris.

Exponitur illud: *Caput autem mulieris vir*.

L 1. *Cor.* 11. *l.* 1 *ibi & Gen.* 3. *ibi*, subiec. *In* 4. *d.* 35. 1. 4. *in* 2. sed contra, & *d.* 36. 1. 3. *ad* 3.

M *Eph.* 5. *l.* 10. *fin.*

N 1. *Pet.* 3. §. 1. *ibi*,

O *Eph.* 5. *l.* 8. *sub initio*.

Vxor, viro subiecta, non tamen serua.

P 1. *Cor.* 7. *l.* 1. *ibi* vxor viro 1. *p.* 92. 3. *c. Op. de er. Pri. l.* 5. *c.* 28.

Q 4. *d.* 28. *exp. tex.*

R 1. *p.* 92. 3. *c.*

S *In* 2. *d.* 18. *exp. tex.*

g *Igitur non vt ancilla despicienda vxor est, sed vt socia, & familiaris tenerrimè diligenda, ac verbis, & factis honoranda, atque amicabili societate sibi iuncta, in omnibus, quæ honestè petit, exaudienda. Specialiter verò sobrium ei ornatum, uti suum statum decet, promptè concedat ; quem & Apostolus permittit* 1. *ad Tim.* 2. Cum verecundia, & sobrietate ornantes se : *alioquin datur vxoribus occasio, vnde facilitèr matrimonium lædant* per adulterium T vt habeant ornatum ab extraneis, quem non possunt habere à maritis. *Quemadmodum autem honestus, sobriusque concedendus ornatus, ita superfluus, & exorbitans omninò est eis denegandus. Sanè viri illi, qui de facili ad damnabilem hunc ornatum condescendunt, Nicolaitarum videntur doctrinam tenere, Apoc.* 2. Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. *Siquidem isti* V vxores suas omnibus, & omnes alias communicandas docebant, & licitum esse plures habere. Horum doctrinam habent viri, qui superbo, & superfluo habitu ornant vxores suas : sic enim docent eas fornicari, & alijs communicant. Quando enim benè ornantur, libentiùs considerantur, & ardentiùs desiderantur, & sæpiùs solicitantur, & faciliùs decipiuntur, & decipiunt. *Et hinc non rarò adulteria perpetrantur* : *propter quæ vtinam sola sequeretur ab vxore separatio* (*quam & ipse Dominus eo casu concedit*) *nisi & vxoricidium sæpè sæpiùs eueniret, cum consequentibus odiis inter familias interminatis. Quod tamen neque Christus, neque Ecclesia, vel pro manifesto adulterio, viris permittit. Decernur enim, quòd* extra X actum adulterij vxorem interficere, quantum-

Sobrius ei concedendus ornatus.

T *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 55.

Non ei superfluus & excedens.

Nicolaitarum error.

V *Apoc.* 2. *Com.* 2. *ibi*.

Non licet viro propria authoritate vxorem occidere, etiam actuali in adulterio deprehensam.

X 4 *d.* 37. 2. 1. *c.* & *ad* 1. & 2.

Licèt lege ciuili permittatur.

tumcumque sciat eam adulteram, neque secundùm leges ciuiles; neque secundùm legem conscientiæ licet. Sed lex ciuilis quasi licitum computat, quòd in ipso actu eam interficiat; non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij non inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, vt iudicet eum sine reatu pœnæ eternæ, vel pœnæ Ecclesiastico iudicio infligendæ, ex hoc quòd est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium seculare. Et ideò in nullo casu licet viro interficere vxorem propria auctoritate. *Neque enim uir iudex uxoris est, quamuis pater familias in domo. Pro quo sciendum, quòd* duplex est Y congregatio. Quædam œconomica, sicut familia aliqua: & quædam politica, sicut ciuitas, aut regnum. Ille igitur, qui præest secundæ congregationi, vt Rex, aut Iudex, potest infligere pœnam & corrigentem personam, & exterminantem, ad purgationem communitatis, cuius curam gerit. Sed ille, qui præest in prima congregatione; sicut pater familias, non potest infligere, nisi pœnam corrigentem, quæ non se extendit vltra terminos emendationis, quam transcendit pœna mortis. Et ideò vir, qui sic præest vxori, non potest ipsam interficere, sed aliàs castigare. *Igitur, si quos in ea deprehendat defectus, dulciter, & amanter corripiat; & si opus fuerit, corrigat, & castiget. Et ipsa Sanè uxoris propter fornicationem dimissio, licita quidem est; nec tamen pœna est ex precepto infligenda. Nam* peccatum Z fornicationis in vxore potest corrigi, non tantùm tali pœna, sed etiam verbis, & verbere (propter fornicationem, *inquit, non obquamcumque etiam leuem causam, ut aliqui seueriter, & inurbaniter cædere consueuerunt:*) & ideò si aliàs ad correctionem sit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad eius correctionem adhibere: *sed potest correcta reconciliari*. Verbis *inquam*, & verbere: *nam* qui presunt A familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi secundum leuiores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum: & hæc est verberatio. *Idcircò si per correctionem* mulier B de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: si autem non pœniteat, tenetur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.

Vir non est vxoris Iudex, quamuis pater familias in domo.

Y ibid. ad 4.

Duplex congregatio.

Potest vxorem corripere & corrigere, interficere numquam.

Z 4.d.35.1.2. ad 1.

Si pæniteat, potest non dimittere: secus, si non pæniteat.

A 2.2.65.2. ad 2. & in cor. & 72.2. ad 2.

Corrigere potest etiam verberando, non infligendo pænas cũ damno irreparabili.

B 4.d.35. 1. 2. fin. c.

h *Nec tamen vir, nisi longa experientia cautus, de facili verbis eius nimie excæcatus amore fidem præstet in damnum proprium; exemplo Adæ, qui* vxori C suæ morem gerere volens, in trangressione diuini præcepti eam secutus est. *Et Augustinus*: Eua D multipliciter fortè suadente, comedit; quia cum multùm eam diligeret, & aliam sociam non haberet, noluit eam contristare. Vnde ex tali causa frequenter fit, quòd offenditur Deus, ne offendatur amicus. *Exemplo quoque Putipharis* Gen. 39. qui nimiùm credulus verbis coniugis (*falsò castum Ioseph de attentato adulterio calumniantis*) tradidit eum in carcerem *sine culpa. Quòd si honestam uitam uxor duxerit, non adeò zelus illius uirum conturbet, ut ex minimo, vel casuali actu, sine motu de adulterio suspicetur: Sic enim* à scintilla vna (*Eccli.* 11.) augetur ignis *perpetua in familia discordia; nec maligno cuipiam suggerenti faciliter aures porrigat: nam in re tam graui* Qui credit citò, leuis corde est, *Eccli.* 19. *Has, & his similia exprimere voluit iussio Author, cum ait*: Postquam vir E vxorem duxerit, debito modo ad eam se debet habere, discretè, & temperatè eam amando, eam honorando, temperatè ea vtendo, & benignè eam tractando. *Vir sapiens* (ait Hier. in Epistol. ad Iouin.) *iudicio debet amare vxorem, non affectu: nihil est fœdius, quàm vxorem amare, quasi adulteram*. Honorare debet eam tanquam sociam, 1. Pet. 3. *Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*. Temperatè debet eâ vti, vt nec loco, nec tempore, nec modo indebito ei commisceatur. Benignè debet eam tractare, cum patrem, & matrem, & alios sibi attinentes propter ipsam reliquerit, Coloss. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite esse amari ad illas*. Ad prolem sic debet se habere (sicut docet *Augustinus*) vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. Quantùm ad personas domus suæ, sic debet se habere, vt domesticos diligat, contineat, & promoueat, 1. Tim. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infedeli deterior*. Non debet esse nimis austerus familiæ suæ, *Eccli.* 4. Noli esse sicut Leo in domo tua, euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi. *Et quamuis Apostolus ad continentiam adhorsatus, dicat* 1. *Cor.* 7. Volo autem vos sine solicitudine esse, *scilicet* rei F vxoriæ: (vbi nota, quòd dehortatur nos Scriptura à solicitudine triplici: scilicet circa mulierem, vt hìc, *Volo vos sine solicitudine esse*: circa ventrem, Mat. 6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis*: circa bursam, Prou. 11. *Expectatio solicitorum peribit*.) Et rectè hoc *uolo*, quia, *qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, ut complaceat ei*: non enim habet excusationem illorum, qui dicunt Luc. 14. *Vxorem duxi, & ideò non possum venire; subdit tamen*: Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt Mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Qui cum uxore est*, scilicet in matrimonio, *solicitus est, quæ sunt Mundi*, idest de regimine familiæ, & huiusmodi. Vnde Iacob, acceptis vxoribus, ait Gen. 30. *Iustum est, ut aliquando prouideam etiam domui meæ*; idest, vt solicitus sim, quomodo placeam Vxori: nam *secundùm glossam* magna amaritudo in domo est vxor tristis. Et talis *diuisus est*, non natura, sed actu, scilicet diuisione officij, non intentionis principalis; vnde *Glossa*: Partim seruit Deo, partim Mundo. *Ex propter cum Apostolo conueniens, in commendationem uirginitatis, concludit Author*: Felix G cuius votum est, vxorem fugere: cuius solicitudo est, Domino seruire: cuius intentio est, Deo placere. *Disce uir ita in coniugio uiuere, ut uxori placens, Deo non displiceas. Vide, ut suprà, & Num. seq.*

C Op. 3. c. 191.

D Gen. 3. ibi, & comedit.

Ex amore ad vxorem ne credat faciliter vir verbis eius.

E Op. de er. Pr. l. 5. c. 29.

Quomodo vir generaliter se habeat ad vxorem.

F 1. Cor. 7. l. 7. ibi.

A triplici dehortatur sacra Scriptura solicitudine.

Exponitur illud: *Qui cum vxore est, solicitus est &c.*

G Ibid. ibi, quę Domini.

VIII. In actu primæ tentationis diabolus erat sicut principale agens; sed mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis ad deijciendum virum. 2. 2. 165. 2. *ad* 1.

i AD *opus duntaxat generationis humanæ certum est, formatam esse mulierem*. Necessarium *enim* fuit H fœminam fieri, sicut Scriptura dicit, in adiutorium viri; non quidem in adiutorium alicuius operis (*vt quidam dixerunt*) cum ad quodlibet aliud opus conuenientiùs iuuari possit vir per alium virum, quàm per mulierem; sed in adiutorium generationis. *Et sanè* conueniens I fuit, mulierem in prima rerum institutione ex viro formari, magis quàm in alijs animalibus. *Primò* quidem, vt in hoc quædam digni-

Mulier ad opus tantùm generationis formata.

H 1. p. 92. 2. 1. initio c. & 98. 2. in 2. sed contra & 1. Cor. 7. l. 1.

I 1. p. 92. 2. c. & Gen. 2. ibi de costis & 1 Cor. 11. l. 2 ibi; vir quidem.

dignitas primo homini seruaretur, vt secundùm Dei similitudinem; esset & ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius Vniuersi. Vnde & Paulus dicit Act. 17. quòd *Deus fecit ex vno omne genus hominum. Secundò*, vt vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabiliùs inhæreret, dum cognosceret eam ex se esse productam. Vnde dicitur Gen. 2. *De viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et hoc maximè necessarium fuit in specie humana, in qua mas, & fœmina commanent per totam vitam, quod non contingit in alijs animalibus. *Tertiò* quia, vt Philosophus dicit *in 8. Ethic.* mas, & fœmina coniunguntur in hominibus non solùm propter necessitatem generationis, vt in alijs animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri, & fœminæ, & in qua vir est caput mulieris. Vnde conuenienter ex viro formata est fœmina, sicut ex suo principio. *Quartò* verò est ratio Sacramentalis. Figuratur enim per hoc, quòd Ecclesia à Christo sumit principium. Vnde Apostolus dicit *ad Eph. 5.* Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia. *Præterea & in Paradiso mulier facta est*; nec K propter hoc tamen præsumere debet: quia quicquid habuit, & locum, & dignitatem, & materiam, mediante viro habuit. *Ex quo subiectam immò viro eam esse oportet, vt præmissum est*: Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum, *vt dicitur 1. Cor. 11. & 1. ad Tim. 2.* Adam primus formatus est; deinde Eua. *Et inde est, quòd* homo L non dicitur factus propter mulierem, sed ad similitudinem Dei, *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: mulier autem propter virum; ideò vir debet præesse. *Quæ de causa Apostolus ad Coloss. 3.* Mulieres *inquit* subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. *Vbi dicit, sicut oportet*, quia M hæc subiectio ex lege diuina est ordinata, Gen. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et ratio huius est: quia regere est rationis: viri autem magis vigent ratione; & ideò præsidere debent. *Dicat ergo Apostolus 1. Cor. 11. cit.* Vir imago, & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est: *videlicet* in quantùm N claritas Dei immediatè super virum refulget, & quia claritas mulieris deriuatur à viro, secundùm illud Gen. 2. *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Vir tamen dicitur specialiter imago Dei secundùm quædam exteriora: quia scilicet vir est principium totius sui generis, sicut Deus est principium totius Vniuersi; & quia de latere Christi dormientis in Cruce, fluxerunt Sacramenta Sanguinis, & aquæ, quibus fabricata est Ecclesia. Potest etiam quantùm ad interiora dici, quòd vir specialiùs dicitur imago Dei secundùm mentem, in quantùm in eo ratio magis viget (*vt præ actum est*;) sed meliùs dicendum, quòd Apostolus signanter loquitur. Nam de viro dixit, quòd *vir imago, & gloria Dei est*: de muliere autem non dixit, quòd esset *imago, & gloria viri*; sed solùm quòd est *gloria viri*: vt detur intelligi, quòd esse imaginem Dei, commune est viro, & mulieri; esse autem gloriam Dei immediatè proprium est viri: *mulieris verò, gloriam viri esse, quia claritas eius deriuatur à viro.*

l. *Ex quo fortius uxoribus motiuum est diligendi viros suos, cum quicquid boni habet mulier, habeat mediante viro, vt præmissum est. Diligat ergo uxor virum, reuereatur, timeat, Eph. 5.* Vxor autem timeat virum suum, *scilicet* timore O reuerentiæ, & subiectionis; quia debet ei esse subiecta. *Proinde uxor illius audire, & obaudire debet, non vir uxoris. Id quod Adæ exprobrauit Dominus* Gen. 3. *cum ait*: Quia audisti vocem Vxoris tuæ, & comedisti de ligno &c. Maledicta terra in opere tuo &c. *Siquidem* Mulier P debet audire vocem viri: nam ad solam eius vocem (*nota*) debet parere, nisi videret, quòd vox eius contineret aliquid voci Superioris contrarium, iuri scilicet naturali, vel diuino, vel positiuo, ad quod esset magis obligata, quàm viro. Sicut etiam subditus debet audire vocem Prælati, nec debet discutere de illius præcepto, nisi appareret euidenter error aliquis. Vir autem non debet audire vocem Vxoris; nec Prælatus subditi, quia neuter istorum habet auctoritatem. *Nec rarò tamen viro acquiescere detrectat uxor, cum qua typho superbia intumescit, vel ob vultus speciositatem, vel ob fecunditatem, aut temporalium prosperitatem; quò facit illud Is. 47.* Quæ dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me ampliùs. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas, & viduitas. *Profectò.*

Intolerabilius nil est, quam fœmina diues. *Sanè de Michol, Dauid Regem, quòd ante Arcam Domini saltasset, superbè despiciente legitur 2. Reg. 6. quòd tota vita sua sterilis fuit*: Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. *Humilietur igitur viro; studeatque quomodo placeat, illi 1. Cor. 7.* Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. *Cogitat, quæ sunt Mundi*, scilicet Q de cura filiorum, de regimine domus, & huiusmodi. *Cogitat* inquam *quomodo placeat viro*: vnde hoc fine ornantes se, non peccant Verumtamen magis debent studere ei placere ornatu morum, quam vestimentorum (*Vide* Cultus exterior *Tom. 1.*) *Placebit & uxor viro, si hospitibus non se prodat, sicut* Gen. 18. *legitur de Sara, quæ viris illis tribus (ut videbantur) ab Abrahamin hospitium exceptis, seruiuit quidem, ut obediret viro suo, ministrando necessaria; nec tamen eorum aspectui se se exhibuit. Vnde quærentibus*: Vbi est Sara vxor tua? respondit Abraham: Ecce in tabernaculo est. *Quo loco Author*: Nota *inquit* religiositatem R Saræ; sic enim eis deuotè seruiuit, quòd tamen se ipsam extraneis non monstrauit, sed in interioribus mansit: hoc enim decet fœminas, & dominas Sanctas. *Non tota die circumuagari per urbem, rarò domi pro domestica cura commoratur; de quibus Apostolus 1. Tim. 5.* Ociosæ discunt circuire domos: *siquidem* ex ociositate S efficiuntur instabiles quantùm ad locum, *Prou. 7.* Vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis &c. *Placebit & Vxor viro suo, si de illius salute fuerit solicita, sicut fuisse legitur Michol de salute Dauid, cum per fenestram demisit eum 1. Reg. 19. & Abigail pro Nabal viro suo 1. Reg. 25.*

m *Qualitates porrò, & conditiones bonæ mulieris describit Author, cum ait*: Multæ sunt T proprietates Mulieris commendabiles; tres quoad actum cordis, tres quoad actum oris, & tres quoad actum operis. Tres primæ sunt: Sapientia ex parte rationalis, Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Munditia ex parte concupiscibilis, Eccli. 40. *Ædificatio Ciuitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.* Constantia ex parte irascibilis, Ruth. 3. *Scit omnis populus, mulierem te esse virtutis.* Tres secundæ sunt: Modestia contra multiloquium, Eccli. 26. *Mulier sensata & taci-*

Mulier in Paradiso formata.

Hinc tamen, & quod ex viro sit, non debet præsumere, quia quod habet, habet mediante viro.

K Gen. 2. l. 1.

Cui idcircò debet esse subiecta.

L 1. Tim. 2. l. 3. ibi & 1. Cor. 11. l. 3.

M Coloss. 3. l. 4. ibi, & 1. Pet. 3. §. 1.

Vir magis viget ratione, quàm mulier, & ideo præsidere debet.

N 1. Cor. 11. l. 2. ibi.

Exponitur illud: *Vir imago, & gloria Dei est; mulier autē gloria viri.*

Subiecta sit Vxor viro; quem diligat reuereatur, timeat, obediat.

O Eph. 5. l. 10. fin.

P Gen. 3. ibi.

Vxor debet audire vocem viri.

Non vir vxoris.

Quomodo placeat viro.

Q 1. Cor. 7. l. 7. ibi.

Hospitibus nō se prodat.

R Gen. 18. ibi

Non circumeat per vrbem, sed domi maneat.

S 1. Tim. 5. l. 2.

Sit de mariti salute solicita.

T 1. Cor. 7. l. 2. fin.

Proprietates bonæ mulieris, quæ.

sulta non est immutatio erudita animæ. Veritas contra mendacium, Iudith. 8. *Omnia, quæ locuta es, vera sunt*. Discretio contra stultiloquium, 1. Reg. 25. *Erat mulier illa prudentissima, & speciosa*, Iudith 11. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum*. Tres vltimæ sunt: Sanctimonia in facto, Iudith 8. *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es*. Verecundia in signo; Eccli. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata*. Gratia in conuersando, Prou. 11. *Mulier gratiosa inueniet gloriam*. Propter eminentiam horum dicitur de B. V. Maria: *Benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1. *Specialiùs verò in muliere coniugata desiderabiles conditiones distinctè perstringuntur in admonitione facta à Parentibus Saræ* Tob. 10. *Vbi dicitur, quòd* apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Vbi Author*: Prima *inquit* admonitio V pertinet ad humilitatem, & patientiam: nam sicut scripsit *Terentius*, & recitat *Hieronymus*: Omnes socrus vno animo oderunt nurus. *Secunda admonitio*, est, maritum diligere, ad Tit. 2. *Adolescentulas hortare, vt viros suos ament*: (viro enim X debetur amor, *Prou. 12.* Mulier diligens corona est viro suo: *& filios suos diligant*; hoc enim est naturale, Is. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Et nota, quòd dicit: *vt viros suos ament, & filios diligant*, quia ad viros est amor feruentior, sed ad filios naturalior.) Huius autem amoris quatuor signa viris debent ostendere: Primum est, vt voluntariè eis se subdant, Gen. 3. *Sub viri potestate eris &c.* Tripliciter debet esse subiecta vxor viro. Primò, debitum ei reddendo, deinde eum timendo, & ipsi seruiendo, 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, & uxor viro*, Eph. 5. *Vxor timeat virum suum*; & Augustinus: *Subditas, & penè famulas lex esse voluit vxores*; vnde & *Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*, vt dicitur 1. Pet. 3. (*coharenter ad illud Pauli* Eph. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam vir caput est mulieris.*) Solicita debet esse vxor, vt viro placeat; vt ab eo diligatur, & ipse ab adulterio retrahatur. Patienter debet viri defectus sustinere. Vnde refert *Hieronymus*, quòd Duillius, qui primus Romæ ex nauali victoria triumphauit, Iliam (*aliis* Biliam) virginem vxorem duxit, quæ tantæ pudicitiæ erat, vt illo quoque seculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia, non vitium, sed monstrum erat. Is ergo iam senex, ac trementi corpore, in quodam iurgio sibi os fœtidum exprobrari audiuit, & tristis se domum contulit. Cumque apud vxorem conquestus esset, cur se nunquam, vt huic vitio mederetur, admonuisset: *Hoc* inquit *dixissem, nisi et omnibus viris olere putassem*. Debet vxor viro suo corpus suum castum custodire, Tit. 2. *Adolescentulas, ut viros suos ament, prudentes, castas &c.* Debent autem esse castæ, non castitate coacta, sed voluntaria. Amor vxoris in virum debet esse pudicus. Ad quam pudicitiam tria pertinent; scilicet, vt eum quasi sponsum, non quasi adulterum diligat: vt zelotypiam abijciat: nec aliquid indecens faciat, vt pulchritudine ei placeat, non se pingendo, vel modo indebito ornando. Multùm timeda est zelotypia: si enim maritus habet suspicionem de vxore, vel vxor de viro, vix habent pacem. De muliere zelotypa potest intelligi illud Eccle. 7. *Inueni amariorem morte mulierem*; Eccli. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa*: idest, causa doloris. Et iterum: *In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*; nulli scilicet parcens à contumelia, vel detractione. *Tertia admonitio* est, familiam regere: vt scilicet filios, & filias, seruos, & ancillas, secundùm Deum diligat, & erudiat, nihil indisciplinatum, vel impudicum in eis sustinens. *Quarta admonitio* est, gubernare domum, iuxta illud, quod legitur ad Tit. 2. *Domus curam habentes*. (*Et alibi*: Circa rei Y familiaris administrationem instruenda est, vt temporalia bona solerter, & fideliter multiplicet, cautè seruet, & prudenter dispenset, iuxta illud Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet.*) *Quinta admonitio* est, irreprehensibilem se exhibere; vt scilicet gratiosa sit apud omnes, Eccli. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata*: Sancta apud Deum per sanctum timorem, pudorata apud omines per honestam conuersationem. Multùm est ei cauenda garrulitas, & litigiositas. Garrulitas proprietas est fatuæ mulieris, vt habetur *Prou. 7.* Litigiositas verò quieti est inimica, iuxta illud Prou. 27. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur*. Sicut enim sub tecto perstillante in frigore non potest homo quiescere; sic nec cum litigiosa muliere, *Prou. 19.* Dolor patris, filius stultus: & tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier. *Enimuerò de uxore, prænarratis qualitatibus prædita frequentes in sacra pagina recensentur commendationes. Prou. 18.* Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino. *Eccli 25.* Beatus, qui habitat cum muliere sensata. *Et cap. 26.* Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illus duplex. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: *ut cætera mittamus testimonia, quæ plura leguntur eodem capite* Eccli. 26. & Prou. 31. *Et alibi*: Vxor Z bona virum iratum mitigat (vnde mulier dicitur quasi molliens virum:) & ad Deum conuertit, 1. Cor. 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*. De hoc exemplum habetur in B. Cæcilia, quæ desponsata, mox sponsum conuertit ad Christum. *Et alibi*: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: *idest* aliquando A contingit, quòd vnus per alium conuertitur ad fidem; & sic sanctificatur: & hoc iam fortè contigerat, sicut Sisinius per Theodoram Romæ tempore Clementis conuersus est. *Quod confirmat & Apostolus Petrus in sua 1. Cap. 3.* Vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram. *Vt & si qui*, scilicet B mariti, *non credunt uerbo* Euangelij *ex glossa*, vel verbo fidei, *per mulierem conuersationem*, scilicet bonam, & benè se habentium *ex eadem glossa*, & humiliter patientium, *sine uerbo*, scilicet prædicationis: efficacior quippe est vox operis *ex Bernardo*, quàm sermonis: & dicit, *sine uerbo*: non enim debet mulier prædicare verbo (*nota*) sed exemplo, *lucrifiant*, idest conuertantur ad fidem, *considerantes castam conuersationem vestram*: ex tertia persona transit ad secundam, dirigens sermonem ad mulieres, vt ex modo loquendi, qui magis est familiaris, alliciat eas ad bonum. *Conuersationem* dico, habitam & conseruatam *in timore*, scilicet Dei, qui est principium sanctitatis, & custodia castitatis, Eccli. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.*

n *Ex opposito autem, sicut per bonam mulie-*

rem

Bonæ coniugis qualitates quæ.

Sit humilis, & patiens.

V Op. de ier. Pr. l. 5. c. 60.

Maritum diligat.

X Tit. 2. l. 1. ibi.

Et filios.

Quæ nam in viros amoris signa.

Tripliciter debet esse viro subiecta.

Solicita placere viro, vt ab eo diligatur.

Sustineat patienter defectus viri.

Corpus castú custodiat viro suo.

Ad vxoris pudicitiam tria spectant.

Non sit zelotypa.

Familiam benè regat.

Y Op. de er. Pr. l. 5. c. 29. fi.

Rem familiarem prudenter administret.

Ne sit garrula & litigiosa.

Bonæ vxoris commendationes in sacra Scriptura.

Z Eod. Op. ib. c. 27. circ. fin.

Vxor bona virum conuertit, & sanctificat.

A 1. Cor. 7. l. 2. ibi.

B 1. Pet. 3. §. 1.

litati e procures; & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonij, vt si dicam; *Accipiam te, si furtis meis consentias*; & tunc stat promissio, sed conditio tollenda est. *Et quamuis per aliam sponsionem spondeat quis & matrimonii actum*: tamen Y à prima sponsione dicuntur sponsalia propriè, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonij, sicut exorcismus baptismi. *Capax autem redditur quis huiusmodi faciendæ promissionis in septennio: nam* ante primum Z septennium nulli contractui homo aptus est; sed in fine primi septennij incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum, præcipuè de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem; & ideò possunt tali tempore contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennij iam potest obligare se de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium. Sed post Tertium septennium etiam potest de alijs se obligare; & secundum leges constituitur ei potestas disponendi de rebus suis post vigintiquinque annos. *Nec eadem, quæ pro sponsalibus, pro matrimonio ætas assignatur, quia* in tempore A contractus matrimonij non solum requiritur dispositio ex parte vsus rationis, sed etiam ex parte corporis, vt sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, vt possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennij, vt Philosophus dicit *in lib. de animal.* simul autem vsum discretionis accipiunt, qui tantùm in sponsalibus requiritur; ideò in sponsalibus determinatur vnum tempus vtrique, non autem in matrimonio. *Quibus verò casibus sponsalia dirimantur; vide B & apud Summistas.*

Y *Ibid. ad 6.*

Sponsalia, quædam Sacramentalia sunt, non sacramentum.

Z *Ibid. a. 2. c.*

Qua ætate ad hoc quis obligare se possit.

Cur non eandem ætatem ad matrimonium.

A *Ibid. ad 3.*

B *Ibid. art. 3.*

X *Quamuis autem apud aliquos ea inualuerit opinio, quòd matrimonium gratiam non conferat, sed tantummodo in remedium concupiscentiæ datum sit; cum Authore veriùs dicendum, quòd* matrimonium (*vt præmissum est*) consideratur C in triplici statu. Primò ante peccatum: & tunc erat tantùm in officium. Secundò sub lege: vbi ex ipsa sanctificatione sua excusabilem reddebat matrimonij actum, qui absque hoc turpis fuisset. Tertiò sub statu gratiæ: vbi vlteriùs gratiam confert ad concupiscentiam reprimendam; *vt scilicet*, vnusquisque *possideret vas suum in honorem, & non in contumeliam, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*, vt dicitur 1. ad Thes. 4. *Et ita*, quod sine D nuptijs turpitudinem culpæ, & pœnæ haberet, per honestatem matrimonij, turpitudine pœnæ remanente, turpitudo culpæ tolleretur. *Et hoc est, quod ait Apostolus* 1. Cor. 7. Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat. *Quocirca* notandum E quod mulier data est viro in adiutorium generationis; & in hoc differt vis generatiua à nutritiua: quia vis nutritiua deseruit homini ad conseruationem indiuidui; vnde bonum est homini nutrimento vti, quia per hoc eius vita conseruatur: generatiua autem non deseruit homini ad conseruationem indiuidui, sed ad conseruationem speciei. Vnde non potest dici, quòd *bonum est homini* ad suum indiuiduum *mulierem tangere*. Primò quidem quantùm ad animam, quia vt *Augustinus* dicit in 2. Soliloquiorum; *Nihil sic deiicit animam ab arce virtutis suæ, sicut contactus ille corporum, sine quo Vxor haberi non potest.* Et ideo Ex. 19. dicitur populo accepturo legem Dei: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Secũdò quantùm ad corpus, quod vir subijcit per matrimonium potestati vxoris, se ex libero seruum constituens. Seruitus autem hæc præ omnibus alijs est amara; vnde & Eccl. 7. dicitur: *Inueni amariorem morte mulierem.* Tertiò quantùm ad res exteriores, quarum occupatione necesse est hominem implicari, qui habet Vxorem, & filios nutriendos: cum tamen dicatur 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Subdit autem; *Propter fornicationem autem &c.* Circa quod considerandum est, quod actus generatiuæ virtutis ordinatur ad conseruationem speciei per generationem filiorum. Et quia mulier data est viro in adiutorium generationis; prima necessitas tangendi mulierem est propter procreationem filiorum. Vnde Gen. 1. dicitur; *Masculum, & fœminam creauit eos, & benedixit eis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini &c.* Sed hæc necessitas fuit circa institutionem humani generis, quandiu oportuit multiplicari populum Dei per successionem carnis. Sed Apostolus considerans humanum genus iam multiplicatum, & populum Dei iam esse augmentatum, non propagatione carnis, sed generatione, quæ est *ex aqua, & Spiritum Sancto*, vt dicitur *Io. 3.* prætermittit hanc necessitatem, qua scilicet primitùs institutum fuerat matrimonium in officium naturæ; & proponit secundam necessitatem, secundùm quam institutum est in remedium culpæ. Quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum in fidelibus remanet, licèt non dominetur, instigat homines maximè ad actus venereos propter vehementiam delectationis. Et quia maioris virtutis est totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit hominibus conuenire, secundùm illud Mat. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc*; necessarium est, quòd in parte concupiscentiæ cedatur, & in parte superetur: quod quidem fit, dum actus generationis ratione ordinatur, & non totaliter homo concupiscentia ducitur, sed magis concupiscentia subditur rationi. Habet autem hoc ratio naturalis, quòd homo vtatur generationis actu, secundùm quod conuenit generationi, & educationi filiorum. Maximè autem in specie humana masculus requiritur ad prolis educationem, quæ non solùm attenditur secundùm corporis nutrimentum, sed magis secundùm nutrimentum animæ. Et ideò ratio naturalis dictat, quòd in specie humana non sint vagi, & incerti concubitus, quales sunt concubitus fornicarij, sed sint determinati viri ad determinatam fœminam; quæ quidem determinatio fit per legem matrimonij. *Bonum est igitur homini mulierem non tangere*: sed quia ad hoc bonum non sunt omnes homines idonei, *vnusquisque* vir *propter fornicationem*, scilicet vitandam, *suam Vxorem habeat*; idest sibi determinatam, vt tollantur vagi, & incerti concubitus, quod pertinet ad fornicationem (*de quo vide V.* Luxuria) vnde & Prou. 5. dicitur: *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ*; & postea subditur: *Quare seduceris fili mi ab aliena?*

C *4. d. 2. 1. 1. q. 2. c. & ad 3. & d. 26. 2. 3. c. & ad 4. & 2. 2. 100. 2. ad 6. & 4. con. G. c. 78*

Matrimonium gratiam conferat.

D *2. d. 20. exp. tex. In 4. d. 26. 1. 3. ad 3. & 4. & d. 31. 2. 1. ad 2.*

E *1. Cor. 7. l. 1. ibi*

Mulier in adiutorium generationis viro data.

Exponitur illud: *Bonum est homini mulierem non tangere.*

1. necessitas, tangendi mulierem.

2. necessitas.

Y *Ex quo autem dicitur*: Erunt duo in carne vna *Mat. 19.* ex hoc F videtur posse trahi, quod de ratione coniugalis status est, quòd vnus non habeat plures vxores, nec vxor plures viros, quia tunc erunt plures in carne vna, quàm duo. *Et quidem uxorum pluralitas ipsi legi contrariatur naturæ; vnde &* secundùm leges G Romanas, etiam ante fidem, non licebat simul habere plures vxores. *Verumtamen hoc* prohibetur H non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis deriuantur; sicut conclusiones in speculatiuis ex principijs per se notis fidem habent; & sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur. Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educatio-

F *Gen. 2. fi. In 4. d. 27. 3. 1. q. 1. c.*

G *Ad Tit. 1. l. 2. ibi*, vnius vxoris.

H *4. d. 33. 1. 1. c. & ad 4. & a. 2. c. & a. 3. q. 3. ad 1. Gen. 4. ibi* Soror verò &c. *16. ibi*, vtere *Is. 4. ini. ad Tit. 1. c. Mat. 19 sub init.*

Pluralitas damnatur vxorum.

Teiplex matrimonij finis.

tionem: qui quidem finis competit homini secundùm naturam generis; vnde & alijs animalibus est communis, vt dicitur in 8. *Ethic.* Et sic bonum matrimonij assignatur proles. Sed pro fine secundario, vt dicit Philosophus, habet in hominibus solùm communicationem operum, quæ sunt necessaria in vita; & secundùm hoc fidem sibi inuicem debent, quæ est vnum de bonis matrimonij. Habet vlteriùs alium finem, in quantùm in fidelibus est, scilicet significationem Christi, & Ecclesiæ: & sic bonum matrimonij dicitur Sacramentum. Vnde primus finis respondet matrimonio hominis, in quantùm est animal: Secundus in quantùm est homo: Tertius in quantùm est fidelis. Pluralitas ergo vxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit primum finem, cum vnus vir sufficiat pluribus vxoribus fecundandis, & educandis filijs ex eis natis; sed secundum finem, etsi non totaliter tollat, tamen multùm impedit, eo quòd non facilè potest esse pax in familia, vbi viro plures vxores iunguntur, cum non possit vnus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus vxoribus ad votum. Et quia communicatio plurium in vno officio causat litem, sicut figuli cortixantur ad inuicem, similiter plures vxores vnius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quòd sicut Christus est vnus, ita Ecclesia vna. Et ideò pluralitas vxorum quodàmmodo est contra legem naturæ, quodàmodo non, *Profectò* Lex I de vnitate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta; nec vnquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa; sicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent: & ideò in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter SS. Patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios deriuata est eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Veniente *autem* Christo k fuit tempus plenitudinis gratiæ, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est; & ideò non est eadem ratio dispensationis, quæ erat ante Christi aduentum, quando cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur, & conseruabatur. *Cæterum, virorum pluralitas neque absolutè, neque aliqua dispensatione vllo vnquam tempore licuit. Et ratio adducitur: quia* vnum L virum habere plures vxores, non est contra prima præcepta legis naturæ, vt dictum est; sed vnam vxorem habere plures viros, est contra prima præcepta legis naturæ, eo quòd per hoc quantùm ad aliquid totaliter tollitur, & quantùm ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis Matrimonij finis. In bono enim prolis intelligitur non solùm procreatio, sed etiam educatio. Ipsa autem procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impraegnationem primam, iterum mulierem impraegnari, vt dicitur in 7. *de Animal.* tamen multùm impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat quantùm ad vtrumque fœtum vel quantùm ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc, quòd vna mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu Patris, cuius cura necessaria est in educando: & ideò nulla lege, aut consuetudine est permissum, vnam vxorem habere plures viros, sicut è conuerso.

I 4.d.33.1.2.c. & 2.2.c.Ge. 4.ib Soror verò & c.36. ibi & de re ad Tit. l.c. & 1. Cor. 7. l. 1. Mat. 19. sub initio.

Lex de vnitate vxoris à Deo cordi impressa.

An & cur aliquando in ea dispensatum, & à quo

K 4.d.33.1.2. ad 4.

L 4. loc. cit. a. 1. ad 7. & q. 2. 2. q. 3. ad 1. & 3. con. G. c. 124. ss. 4. ini. ad Tit. & 1. Cor. 7. loci cit.

Virorũ pluralitas cum vna Vxore nullo vnquam tempore licuit.

z *Cum verò & propter concupiscentiæ repressionem, matrimonium, vt vidimus, ineatur, in dubium verti posse videtur, an carnalis actus matrimonii meritorius esse possit. Sed quia hoc ad coniugalis spectat debiti redditionem, notanda cum Authore sunt verba Apostoli* 1. Cor. 7. *dicentis*: Vxori vir debitum reddat: similiter autem & Vxor viro. Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu &c. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium. *Dixerat priùs Apostolus*: Vnusquisque suam vxorem habeat. *Et quidem* habendi M hæc est ratio, vt *vir vxori debitum reddat*, scilicet de suo corpore per carnalem commistionem. *Similiter autem & vxor viro*: quia quantùm ad hoc, ad paria iudicantur. Deinde assignat debiti rationem dicens: *Mulier potestatem sui corporis non habet*, scilicet ad actum generationis, vt scilicet possit proprio arbitrio, vel continere scilicet, vel alteri se tradere: *Sed Vir*, scilicet habet potestatem sui corporis, quantùm ad vsum carnalis copulæ: & ideò vxor debet viro proprij corporis officium offerre. *Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: vnde & ipse debet sui corporis officium offerre vxori, legitimo impedimento cessante. *Nolite fraudare inuicem*, vt scilicet velit vir continere, inuictà vxore, & è conuerso. Quod Apostolus fraudem nominat, quia vnus subtrahit alteri quod ei debetur, quod ad fraudem pertinet. *Verùmtamen* non statim N tenetur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de præsenti, sed datur ei tempus duorum mensium propter tria. Primò, vt interim possit deliberare de transeundo ad Religionem. Secundò, vt præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertiò, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauit dilatam. *Et tunc, si alter claustra ingrediatur, Matrimonium soluitur. Nam* ante carnalem O copulam est inter coniuges tantùm spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; & ideò sicut post carnalem copulam matrimonium soluitur per mortem carnalem: ita per ingressum religionis ante carnalem copulam soluitur, quia religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis seculo moriens viuit Deo. *Porrò* tria P docet Apostolus obseruanda in talis debiti intermissione. Quorum primum est, vt fiat ex communi consensu; ideò dicit: *Nisi fortè ex consensu &c.* Vnde dicitur Eccli. 25. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: Concordia fratum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* Secundum est, vt fit ad certum tempus; vnde subdit: *nisi fortè ad tempus*, secundùm illud Eccle. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Tertium est, vt hoc fiat propter debitum finem, scilicet causam spiritualium actuum, ad quos continentia reddit magis aptos; vnde subdit: *vt vacetis orationi*, secundùm illud Iocl. 2. *Sacrificium, & libamen Domino Deo vestro.* Et postea subdit: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Deinde *iterum* inquit Apostolus *reuertimini in idipsum*: vt scilicet vobis inuicem debitum reddatis, finito tempore orationis; vnde & 3. *Reg.* 8. dicitur, quòd celebratis dedicationis solemnijs, *profecti sunt in tabernacula sua latantes.* Et assignat rationem documenti: non enim hoc dicit, quasi sit necessarium ad salutem, sed ad periculum vitandum; vnde dicit: *ne tentet vos Satanas*, idest ne sua tentatione vos prosternat *propter incontinentiam vestram*, idest propter pronitatem ad incontienentiam. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, & non secundùm imperium.* Quasi diceret: quòd vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum, & quòd post continentiam determinati temporis, ite-

Reddendi debiti obligatio in coniugibus qualis, & quanta.

M 1. Cor. 7. l. 1. ibi.

Non tenetur quis statim post contractum matrimonium reddere debitum sed cõceditur ei tẽpus duorum mensium propter tria.

N 4.d.27.1.3.q.2. ad 2. & a.3.q.3.c. & ad 1. & 2. & q.2.3. ad 1. & d.31.1.3. ad 3. & d.39.1.4. ad 2.

O In 4.d.27.1.3.q.2.c.

Quandonam licita debiti intermissio.

P 1 Cor. 7. l. 1. ibi, ex consensu & 1. Pet. 3. §. 3. in 4. d. 26. 1. a. 3. & 31. 2. 2. c. 4. & d.

iterum reuertamini in idipsum : *hoc dico secundùm indulgentiam* ; idest parcens infirmitati vestræ : *non secundùm imperium*, quasi scilicet vobis necessarium ad salutem. Subditorum enim sunt quædam infirmitati indulgenda, & non ad bonam imperio cogendi. Sed cum indulgentia sit de peccato, videtur Apostolus exprimere, quòd matrimonium sit peccatum. Sed ad hoc potest responderi dupliciter. *Vno modo*, vt indulgentia sumatur hic pro permissione. Est autem duplex permissio. Vna quidem de minùs malo, sicut dicitur *Mat. 19.* quòd Moyses permisit Iudæis dare libellum repudij propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum vxoricidium, ad quod pronierant. Talis enim permissio non fit in nouo testamento propter sui perfectionem, secundùm illud Hebr. 6. *Ad perfectiora feramur.* (*De libello repudii, vide plura*, Q) Alia autem est permissio de minùs bono; cum scilicet homo præcepto non cogitur ad maius bonum : & hoc modo Apostolus hic indulget, idest permittit, Matrimonium, quod est minus bonum, quàm virginitas, quæ non præcipitur, quæ est maius bonum. Alio modo potest accipi indulgentia, prout respicit culpam, secundùm illud Is. 26. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti.* Et secundùm hoc indulgentia refertur ad actum coniugalem, secundùm quod habet adnexam culpam, venialem tamen propter bona matrimonij, sine quibus esset mortalis. Vnde considerandum est, quòd actus coniugalis, quandoque quidem est meritorius, & absque omni culpa mortali, vel veniali, putà cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei; sic enim est actus religionis : vel cum sit causà reddendi debitum; sic enim est actus iustitiæ : omnis autem actus virtutis est meritorius, si sit cum charitate. Quandoque verò est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites matrimonij sistit, vt scilicet cum sola vxore sit contentus. Quandoque verò est culpa mortalis, putà cum concupiscentia fertur extra limites matrimonij, scilicet cum aliquis accedit ad vxorem, æquè libenter, vel libentiùs ad aliam accessurus. (Tanta, *ait alibi Author*, posset R esse delectatio carnalis, & cum tanta libidine exerceri, quòd etiam in coniugatis esset peccatum mortale. *Immò docemur, quòd* quia ille S qui est ardentior amator vxoris, facit contra bonum matrimonij, inhonestè eo vtens, licèt fidem non violet : idcircò aliqualiter potest adulter nominari, & magis quàm ille, qui est ardentior amator alterius mulieris.) Primo ergo modo actus matrimonij non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, in quantùm aliquis consentiens concupiscentiæ in vxorem, non sit reus peccati mortalis. Tertio autem modo omninò indulgentiam non habet. *Hinc* si quis T intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum; quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet : sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; & secundùm hoc, est peccatum veniale; nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus. *Item venialiter peccat, accedens quis ad vxorem impregnatam* : quamuis enim V matrix post impregnationem claudatur, tamen ex delectatione (vt Auicenna dicit) mouetur, & aperitur; & ex hoc imminet periculum abortus. Et ideò *Hieronymus* vituperat accessum viri ad vxorem impregnatam : non tamen ita, quòd semper sit peccatum mortale, nisi fortè quando probabiliter de periculo abortus timetur.

Subditorum infirmitati quædam indulgenda sunt.

Exponitur illud : *Hoc autem dico secundùm indulgentiam.*

Permissio duplex.

Q 1. 2. 105. 4. ad 8. In 3. d. 37. 1. 6. ad 1. In 4. d. 33. 1. 3. q. 3. ad 3. & q. 2. 4. 3. & d. 35. 1. 4. ad 1. & 3. con G. c. 123. Mat. 19. & 1. Cor. 7. l. 1.

Num carnalis matrimonij actus sit malus, an bonus & meritorius.

R In Prol. D. Hier. in Io. loc. cit. supra

S 2. 2. 154. 8. ad 2.

T 4. d. 31. 2. 2. ad 2.

V Ibid. exp. ex.

Vsus etiam contra naturam coniugis est; quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum à natura institutum quantùm ad situm; & in primo semper est peccatum mortale (*etiam solùm affectiuè*) quia proles sequi non potest; vnde totaliter intentio naturæ frustratur : sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, vt quidam dicunt : sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ. Quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tantò est grauius, quantò magis à naturali modo receditur. *Circa matrimonii actus vide plura* X. *& apud Summistas.*

a *Porrò matrimonium, sicut & virginitas, in præcepto non est, vt præinnuimus, & expressè habetur 1. Cor. 7.* De Virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. *De virginibus* : Quasi Y dicat : De coniugatis non separandis præceptum Dei est : *de virginibus autem præceptum Domini non habeo*, vt scilicet contineant, vel vt nubant. Quod enim de hoc dixit Dominus Mat. 19. dixit consulendo. *Qui potest capere capiat.* Virginitas *secundùm Augustinum* res est non præcepti : suaderi potest, imperari non potest. Et ideò dicit : *Consilium autem do*, scilicet de continendo, *consilium* mihi à Spiritu Sancto inspiratum. *Cui consonat quod repetit ad calcem capitis* : Qui autem vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm consilium meum. *Quibus in verbis* ostendit Z quòd melius est illi continere, quàm nubere quamuis ei nubere liceat; vnde dicit : *Beatior erit &c.* Et hoc est consilium meum. *Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam.* Quasi dicat : Faciendum est secundùm consilium meum, quia, *puto, quòd & ego*, sicut cæteri Apostoli, *spiritum Dei habeam*, Rom. 8. *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes &c.* Hoc ergo consilium debet impleri, & propter fructum sequentem, *quia beatior erit* : & propter consulentis authoritatem, quia *secundùm consilium meum* : & propter spiritum Dei inspirantem, quia *puto, quòd & ego spiritum Dei habeam. Et prius coharenter præmiserat* : Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, meliùs facit. *Ratio autem adducitur : quia* natura A inclinat ad aliquid dupliciter. *Vno modo*, sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem vnius; & talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. *Alio modo* inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis; & cum multa sint huiusmodi, quorum vnum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti; alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, & huiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ; sed inclinationi naturæ satisfit, cum per diuersos diuersa complentur de prædictis. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium, aliquos contemplatiuæ vitæ inseruire, quæ maximè per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam secundùm Philosophos. Vnde *Theophrastus* probat, quòd sapienti non expedit nubere. *Et quamuis prima matrimonii institutio fuerit sub præcepto; & hoc nunquam reuocatum fuerit, immò confirmatum Mat. 19.* Quod Deus coniunxit, homo non separet : *Nihilominus, licèt* præceptum B illud non fuerit reuocatum, non tamen obligat vnum-

X F. A. a. n. 52.

Tam cælibatus, quàm matrimonium, in præcepto non sunt.

Y 1. Cor. 7. l. 5. ibi.

Z Ibid. l. 8. ibi

Ratio adducitur.

A 4. d. 26. 1. 2. c.

Natura dupliciter inclinat ad aliquid.

vnumquemque ratione iam dicta, nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat, vt quilibet generationi vacaret. (*Vide plura V.* Cœlibatus.) *Neque carnalis commistio de prima integritate matrimonii est*. Duplex B est *enim* integritas. Vna, quæ attenditur secundùm perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse ei: alia, quæ attenditur secundùm perfectionem secundam, quæ constitit in operatione. Quia ergo carnalis commistio est quædam operatio, siue vsus matrimonij, per quod facultas adhoc datur: ideò erit carnalis commistio de secunda integritate matrimonij, & non de prima: *consequenter verum erit matrimonium absque carnali commistione, docente Augustino* etiam seruata C pari consensu continentia posse permanere, vocarique coniugium, non permisto corporis sexu: *quale verè fuisse, suprà vidimus, castissimum inter Mariam, & Ioseph matrimonium: ratum videlicet, non consummatum.*

Duplex rei integritas.

B 4. d. 26. 2.4.c. & d.27. 1.1.q.1.c. & d. 28.1.4.c. & d. 30.2.2. & d. 34.1.2.ad 1. & 3.p.29.2.c.

Absque carnali copula verum potest esse matrimonium.

C 3.p.29.2. in sed contra.

b *Enim verò de ratione matrimonii est inseparabilitas, ex illo Mat. 19. cit.* Quod Deus coniunxit, homo non separet: Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Vbi notat Author, quòd* per nullum D impedimentum sequens potest dissolui vinculum matrimonij, quia significat vnionem Christi, & Ecclesiæ: vnde cum vnio Christi & Ecclesiæ dissolui non possit, nec vnio Matrimonij: *Sed propter fornicationem* potest à consortio separari, ne videatur esse conscius turpitudinis. Sed pro alijs turpitudinibus non potest, vt pro ebrietate &c. (Qualiscumque E obuenerit, est habenda, & iugiter retinenda, etiamsi iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida.). Alia ratio est, quam ponit *Origenes*: quia *Mat. 5.* dixerat Dominus: *Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*; & ideò dimittendo, dat ei occasionem mœchandi: Sed postquam ipsa peccauit, non dat ei occasionem mœchandi; ideò post potest dimittere, non ante. Dicit autem: *Et qui aliam duxerit, mœchatur*: quia eadem res per ea, per quæ soluitur, ligatur. Vnde, quando homo habet vxorem separatam, & non aliam, adhuc spes remanet, quòd vniri possint, vel per consimile peccatum, vel per animorum consensum. Sed quando aliam duxit, tunc cor totaliter separauit, & assensum ab ea. Alia ratio est, quia si præter fornicationem posset dimittere vxorem suam, aliquando accideret, quòd homo imponeret vxori suæ crimen, vt ab ea separaretur, & alij coniungeretur: & ideò Dominus voluit, quòd non haberet aliam; vnde expresse prohibet, quòd non habeat homo plures vxores, quia vna dimissa, & alia accepta, mœchatur. *Cui consonat Apostolus 1. Cor. 7.* His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. *Vxore à viro non discedere*: & F subintelligitur, *excepta fornicationis causa*, quam Christus excepit. Hanc solam excepit Dominus, cæteras autem molestias (*nota*) iubet pro fide coniugij fortiter sustineri. *Quòd si discesseris*, scilicet propter causam fornicationis, *præcipio manere innuptam*, viuente marito: quia si soluitur matrimonium quoad torum; non tamen quoad vinculum: *aut viro suo reconciliari*, scilicet si vir non continet. Et similiter *vir vxorem non dimittat*; scilicet, *nisi ob causam fornicationis*. Similis forma in viro, & muliere seruatur; vnde supplendum est quod de vxore præmisit, quòd scilicet, si omnimodò dimisit, non ducat aliam, vel reconcilietur vxori. Notandum tamen, quòd septem sunt casus, in quibus vir non potest ob causam fornicationis vxorem dimittere. Primus casus, quando ipsemet eam prostituit. Secundus quando ipse cum alia fornicatus fuerit. Tertius quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum. Quartus quando ipsa credens probabiliter virum mortuum, alteri nupsit. Quintus quando violenter ab aliquo oppressa fuit. Sextus quando sub specie viri sui ab alio cognita fuit. Septimus quando fuit à viro suo, post adulterium manifestè deprehensum, nihilominùs retenta, *vel carnaliter cognita*. Præter hos casus, potest vir propter fornicationem vxoris eam dimittere; hoc est, ab ea separari. Quam vtique iustam separationem (*iustam, inquam*: propterea enim *ex Augustino* in causa fornicationis licet vxorem dimittere: quia ipsa esse vxor prior noluit, quæ fidem coniugalem marito non seruauit) *diuortium dicunt*. *Quid autem de cæteris coniugum culpis (præsertim de infidelitate, cultusque disparitate) pro diuortio, siue quoad torum, siue quoad cohabitationem, faciendo, sentiendum sit, vel dicendum: vide* G. *Illud solummodo ex Authore hic adducimus, quòd* matrimonium H quantùm ad actum solui potest tam per infidelitatem, quàm per fornicationem corporalem: sed propter alia peccata, non potest solui matrimonium, etiam quantùm ad actum (*vt præmissum est*) nisi fortè ad tempus vir se velit subtrahere à consortio vxoris ad castigationem eius, subtrahendo ei præsentiæ suæ solatium. *Licet autem propter fornicationem vxorem dimittere, eo quòd* fornicatio I est directè contra bona matrimonij, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non seruatur, dum vnus coniugum pluribus carnem suam diuidit. Et ideò alia crimina, quamuis fortè maiora fornicatione, non causant diuortium. Sed quia infidelitas, quæ & dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra matrimonij bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit diuortium: sed tamen aliter, quàm corporalis fornicatio: quia propter vnum actum fornicationis carnalis potest ad diuortium procedi; non autem propter vnum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur. *De singulis autem matrimonii, siue impedientibus tantùm, siue dirimentibus impedimentis, vide* K *& apud Summistas*. *Et de dispensatione pariter in gradibus tam consanguinitatis, quàm affinitatis, vide* L *& Canonistas fusiùs. Illud duntaxat hic obseruandum, quòd* dispensatio M matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis firmandum, quod quidem magis est necessarium communi vtilitati circa personas excellentes; & ideo cum eis faciliùs dispensatur absque peccato acceptionis personarum. *Quod dictum sit*, vt obstruatur os loquentium iniqua.

Matrimonij indissolubilitas.

D Mat. 19. ibi.

E Op. de er. Pr. l. 5. c. 27. fi.

F 1. Cor. 7. l. 2. ibi, In 4. d. 35. 1. 1. & d. 39. 1. 6.

Nonnisi propter fornicationem vxor separanda, aliæ molestiæ perferendæ.

In VII. casibus vxor propter fornicationem non dimittenda.

G 1. Cor. 7. l. 2. & 3. In 4. d. 35. q. 1. & d. 39. loc. cit.

H 4. d. 39. l. c. initio corp.

Aliquando licet viro se ab vxore mala subtrahere ad eius castigationem.

I 4. d. 35. 1. 1. ad 3. & 1. Cor. 7. l. 2. 3.

K 4. d. 29. 30. 34 & 35. exp. tex. fi 37. 38. 39. 41. 42.

L In 4. d. 40. 41. & 42.

M 2. 2. 63. 2. ad 2. & 1. 2. 97. 4. ad 2.

Cur propter fornicationem specialiter liceat vxorem dimittere, & propter infidelitatem.

Faciliùs dispensatur in gradibus cum personis excellentibus sine acceptione personarum.

c *Cæterùm finis, propter quem debet aliquis matrimonio iungi, gloria debet esse Dei, non vtilitas temporalis, aut sanguinis cognatio nobilioris: quod ab Authore docemur super illud Gen. 28.* Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum; præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam: sed vade in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel (*quod interpretatur* filiatio Dei) patris matris tuæ: & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban (*quod interpretatur Candidus*) auunculi tui. *Quem ad locum*: Nota

Sola Dei gloria finis esto parentum, vbi filios maritat; non temporalia.

N *inquit*

N *Gen.* 28. *sub initio.*

inquit quomodo N Sancti isti longè maiorem curam habebant, vt filijs suis prouiderent vxores aptas diuino cultui, sanctissimisque moribus, quàm quòd per eas contraherent affinitatem, aut temporales amicos cum gentibus terræ, in qua habitabant; immò hoc propter primum totaliter recusabant. *Non hoc fine, aut perrarò saltem contrahuntur modò connubia. Sed neque ad libidinem exsaturandam, vt in non paucis contingit, coniugia ineunda sunt: de his enim, qui ad hoc coniunguntur, dicitur ab Angelo Tob.* 6. Hi qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*, habet potestatem dæmonium super eos. *Et postquàm matrimonium contraxissent Tobias, & Sara, legitur cap.* 8. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur; tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. *Et cap. 9. in calce*; Cum timore Domini nuptiarum conuiuium celebrabant: non (*vt ait Apostolus*) in comessationibus, & ebrietatibus. *At modò ex opposito antiquorum Patrum, explenda tantùm causa libidinis matrimonia contrahuntur; itaut* immoderatus vsus coniugij nostri temporis (*quod ait in litera Magister*) turpitudinem ferè imitetur fornicationis illius temporis. *Quod exponent Author*: Hoc O dicitur *inquit* quantùm ad intentionem eorum, qui nunc vt plurimùm contrahunt matrimonium propter infirmitatem libidinis, qua ratione antiquitus fornicabantur. *Quod quidem* aliquod P impedimentum præstat generationi; cum oporteat semen viri esse digestum, & hoc non potest fieri in frequenter coeuntibus; propter quod & frequenter tales steriles sunt. *Vnde Coniuges edocentur, ex libidinosis actibus frequentatis vel infecundos reddi viros, vel fœminas procreari.* (*Sed &* Philosophus Q dicit *in* 18. *de Anim.* expertum esse apud Pastores, quòd quando flat ventus septemtrionalis, concipiuntur mares; & quando flat meridionalis, concipiuntur fœminæ propter abundantiam humiditatis.) *Quòd si non carnis luxuria, excitat saltem aliunde libido pecunia, itaut non quibus polleat animi corporisque dotibus puella, sed quantam afferat secum pecuniarum dotem, tantummodo respiciatur. Verùm magis hac in re deuestandum est, libertatem puellis auferri quoad sponsorum electionem: vt plurimùm enim non cui virgo vellet, sed cui parentes ob temporalia vtilitatis, aut nobilioris affinitatis motiua decreuerunt nubere, desponsatur: cum tamen omninò virginis exquirendus consensus sit; non minis, aut armatis suasionibus extorquendus: sicut de Rebecca habetur Gen.* 24. Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem. Cumque, vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. Dimiserunt ergo eam &c. *Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 7. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, faciat. *Super virgine sua*, timens scilicet R ne corrumpatur, *ea quòd sit superadulta*, idest supra pubertatem, & iam in nubilibus annis: *& ita oportet fieri*, vt scilicet nubat, quia non vult continere: *quod vult (& cui vult, eodem cap. paulò inferiùs*: cui vult nubat) virgo, *faciat* custos (*vel parens*) illius: *non quod vult, aut cui vult custos, vel parens, contra suam inclinationem faciat virgo: vt fieri nostro tempore consueuit frequentiùs. Non aliter sanè cum timidis puellis agendum est: cum enim graue, & perpetuum sit matrimonii iugum (vnde & coniuges, & iugales dicuntur connubio mancipati:) iustum est, vt liber interueniat plenèque deliberatus consensus; ne totam vitam suam infeliciter ducant, sæpiusque cum animæ detrimento. Hinc citato loco Apostolus*: Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est. Cui vult, nubat: tantùm in Domino. *Alligata* inquam *est*; vnde S ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi viri*. Deindè cum dicit: *quòd si dormierit* somno mortis, de qua dormitione dicitur: *Lazarus amicus noster dormit* Ioan. 11. *vir eius*. Non dicit (*Augustinus*) primus vir, secundus, vel tertius, vel quartus, vel quousque licet: nec nobis diffiniendum est quod non diffinit Apostolus: vnde nec vllas nuptias debemus damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. *Si dormierit* inquam *liberata est à lege viri*: vnde permittit ei nubere. Et hinc patet, quòd resurgenti non tenetur copulari: (*quia* requiritur T consensus nouus ad hoc, quòd sit matrimonium.) *Cui autem vult (ad rem nostram) nubat*: inuitæ enim nuptiæ (*nota*) solent habere malos euentus. *Nubat* inquam *tantùm in Domino*, idest viro suæ religionis: nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium, *Deut.* 27. Per hanc licentiam Apostoli reuocatæ sunt omnes pœnæ, & infamiæ, quæ secundùm leges infligebantur olim mulieri secundò nubenti intra tempus luctus, scilicet intra annum. Ergo in nuptijs exigitur personarum legitimitas; vnde dicitur, *liberata est à lege viri*. Consensus libertas; vnde addit: *Cui vult nubat*. Cultus paritas; vnde subdit: *tantùm in Domino. Et ò vtinam in nuptiis tantummodò extorqueretur à puellis consensus. Illud magis est plorandum, quòd virgines omninò nolentes nubere (quia nolunt, vel ægrè possunt continere) ad monasteria ingredienda parentes cogunt; sicque ne detrimentum in temporalibus ipsi patiantur, quòd spirituale experiantur filiæ detrimentum, in causa sunt: desperantes enim, non Christo se deuouent sponso, sed satanæ omnino despondent; proinde non deliciarum paradisum ingrediuntur lætanter; quin miserabiliter* descendunt in infernum viuentes: *& post mortem in perpetui gehennam ignis. A quo tamen ne se putent parentes coactores iusto Dei iudicio eximendos: nam* propter quod vnumquodque tale, & illud magis. *Ex quo eos anathemate ferit Tridentinum* sess. 25. de Regularibus c. 18. *sub his verbis*: Anathemati sancta synodus subiicit omnes, & singulas personas, cuiuscumque qualitatis, & conditionis fuerint, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem inuitam (præter quàm in casibus in iure expressis) ad ingrediendum monasterium &c. *Quod & ad coniugia pariter extendit in Dominos temporales, ac Magistratus* sess. 24. de reform. Matrim. cap. 9. *Vbi inquit*: Cum maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominùs liberè matrimonia contrahãt.

d *Quòd si pleno vtriusque consensu matrimonium contraxerint, in timore Domini illud exerceant, & perpetuo cohabitent vinculo charitatis, sicut legitur de Zacharia, & Elisabeth Luc.* 1. Erant iusti ambo ante Deum (*nec enim tales sufficit apud homines reputari*) incedentes in omnibus

man-

Neque ad explendam libidinem coniugia ineunda.

O 4. *d.* 33. *exp. tex.*

Vt frequentiùs contingit.

Coitus frequentia fecunditatem sæpè tollit.

P *Is.* 4. § 1. *fi.*

Ex quo fœminæ generentur, non mares.

Q 2. *d.* 20. 2. 1. *ad* 2.

Motiuum matrimonia contrahendi ne sit maior pecunia.

Libertas puellis tollitur, cui nubant.

R 1. *Cor.* 7. *l.* 8. *ibi.*

S *Ibid. ill. Op. de tr. Pr. l.* 5. *c.* 60. *initio.*

Nuptiæ secundæ, tertiæ &c. non damnantur.

T *Ibid. fi. lect. In* 4. *d.* 38. *exp. tex. & d.* 39. 1. 4. *ad* 2. *Rom.* 7. *l.* 1. *initio & Heb.* 11. *l.* 7. *fi.*

Marito mortuo, & resurgenti non tenetur vxor copulari.

Inuita matrimonia malos habent euentus.

Tria ad matrimonium exiguntur.

Caueant parentes, ne filias cogant ad claustra ingredienda, nubere volentes.

Quomodo coniuges cohabitent.

mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, *Vnde & quamuis senes, & steriles, Dei gratiam promeruere, filium impetrando, magnum scilicet illum* Ioannem, *cuius nomen* Gratia *interpretatur: à Deo siquidem proles petenda, atque expectanda est, ad cuius honorem, & procreanda. Hinc* 1. *Pet.* 3. Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem &c. *Quibus verbis* monet V viros ad benè conuiuendum vxoribus: sicut enim se benè habere debent mulieres ad viros, similiter viri mariti earum sint *cohabitantes*, reddentes debitum coniugale, *secundùm scientiam*; idest discretè, & cum moderamine; non *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* (*vti dicitur &* Tob. 6.) vt generent filios ad cultum vnius Dei. In hoc autem, quòd dicit, *cohabitantes*, significatur æqualitas in redditione debiti coniugalis. *Impartientes honorem*, scilicet in necessariorum administratione, & reuerentiæ exhibitione, *quasi infirmiori*, idest fragiliori, *vasculo*: vasculum dicitur corpus mulieris (vnde dicit *muliebri*) ob susceptionem seminis, & conceptionem prolis: *impartientes* inquam *honorem*, 1. *ad Cor.* 12. Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. *Vt hinc edoceantur mutuò se Coniuges iuuare, & revereri: at multò magis amare*, *Eph.* 5. Viri diligite vxores vestras: sicut & Christus dilexit Ecclesiam: *Sponsam vtique suam, quam ita dilexit, quòd* se ipsum tradidit pro ea. *Diligite*: quia X certè ex amore, quem habet vir ad vxorem, magis castè viuit, & pacificè vterque se habet. Si autem vir aliam diligit, quàm suam: se, & suam (*nota*) discrimini exponit, *vt experientia satis notum. Vnde & ad Col.* 3. *repetit Apostolus*: Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. *Vult quippè, suas viros amare vxores, & ab eis amari: non vult autem, quòd sint amari ad illas. Diligite. Hoc* enim Y est naturale, quia vir, & vxor quodammodo sunt vnum, (*erunt duo in carne vna*) & prohibet, ne sint *amari*, Mich. 1. Infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus. *Vnde Eph.* 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. *Et ò quàm frequens inter dissentientes coniuges clamor! quàm familiaris irritati ab vxore viri blasphemia! Verùm de vtraque singulariter coniuge fusè* Num. seqq. *De Coniugibus inquam carnali matrimonio copulatis*: *nam spirituale coniugium perfectius est, anima scilicet cum Deo, hic per gratiam, in futuro per gloriam. Et hæ sunt Agni nuptiæ, de quibus Ioannes Apoc.* 19. Venerunt nuptiæ Agni; & *Mat.* 25. Intrauerunt cum eo ad nuptias; *videlicet cum Christo sponso. Quibus vtique in nuptiis diuersimodè, ac in carnali matrimonio, proceditur*. Non est Z simile (*inquit Author*) de matrimonio carnali, & spirituali. Nam sicut in matrimonio carnali sponsa dat dotem sponso: in spirituali fit è conuerso, quia sponsus charismatibus dotat animam. *Quibus nos vtinam Deus sua hic ditare pietate dignetur, atque in Cœlis perpetuò dotare*. DISCE *coniux ad solum Dei cultum, & gloriam, matrimonio vti. Vide* Adulterium, Cœlibatus, Cultus exterior *Tom.* 1. Luxuria *Tom.* 2. Mulier.

Petenda à Deo proles & expectanda.

V 1. *Pet.* 3. §. 3. *ibi*.

Mutuò debitum reddant.

Viri vxores honorent.

At multò magis ament: ex quo pudicitia, & pax.

X *Eph.* 5. *l.* 8. *ibi*.

Vir vxorem suam non diligens, sed aliam, se & suam discrimini exponit.

Y *Coloss.* 3. *l.* 4. *ibi*.

Ne sit amarus ad eam.

Spirituale Dei cum anima coniugium matrimonio carnali perfectius.

Z *Cant.* 1. *Com.* 2. *ibi vbera*.



VII. Postquàm vir vxorem duxerit, debito modo ad eam se debet habere, discretè & temperatè eam amando, eam honorando, temperatè ea vtendo, & benignè eam tractando. *Op. de er. Pr. l.* 5. *cap.* 29.

C *Vm matrimonium, perpetuum vsque ad mortem inter virum, & vxorem vinculum sit, attentè, & maturè antequam ineatur, consulendum*. In eligenda A vxore adhibenda est diligentia, ne contingat errare errore, quem homo emendare non possit. *Virgo igitur vxori socianda in primis* eligenda B est pro vxore mulier bona: adiutorium enim debet esse salutis, secundùm illud Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium*. Si bona sit, magnum est adiutorium salutis, cum sit familiarissima: si verò sit mala, magnum impedimentum. Sed quia nullus potest habere vxorem bonam, nisi à Deo detur, volens inire coniugium, orando, & orari faciendo, & eleemosynas dando, debet eam à Deo quærere, Prou. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens*. Attendendum est etiam, quòd sit de bona progenie. Hæc fuit vna de causis diluuij: *Videntes enim filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, *Gen.* 6. Filij Dei vocantur, qui erant de stirpe Seth: filij hominum, qui erant de stirpe Cain. (*Quo loco Author*: Probabiliter C creditur, *inquit*, quòd ab Adam, & Seth, & cæteris P. P. Sanctis fuerint filij prohibiti coniugaliter commisceri cum filijs, vel filiabus populi Cain; sicut sunt modò prohibiti per Ecclesiam nubere Saracenis. Vnde ex hoc præcipuè apparet pœna sceleris sui, quia non fuit dignus, quòd aliquis de filijs suis ad generationem Saluatoris aliqualiter pertineret; nec quòd generatio eius vltrà diluuium procederet. Eo tempore autem, contra prohibitionem parentum, concupiscentia victi, commisti sunt filij bonæ generationis filiabus malæ generationis, & è contra; non attendentes, nisi solam speciem corporalis pulchritudinis, & suæ carnalis voluptatis; *ex quo partim diluuium*.) Debet eligere vxorem sibi similem, scilicet nobilem, si est nobilis; ignobilem, si sit ignobilis; Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. De costa viri formauit Deus mulierem, ne posset vnus contra alterum gloriari, se esse de nobiliori genere. Paritas illa non solùm attendenda est quantùm ad nobilitatem, sed etiam quantùm ad iuuentutem, & pulchritudinem: quando enim iuuenis & pulchra nubit seni & deformi, habet eum exosum, & adultera efficitur. Paritas ista bene in anulo ostenditur: qui si strictior sit, digito non congruit: si verò latior, decidit. Sic se habet inter Coniuges, si sint dispares: quia simul manentes non sunt concordes, vel vnus ab altero discedit. Volens inire coniugium debet habere intentionem rectam: quod dixit Angelus Tobiæ minori cap. 6. fi. *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus*. *Tandem* qualis D ducatur, attendendum est; quia, vt ait Philosophus, rara auis est in terris bona vxor. *Accepta autem in timore Domini vxore vt talis, qualem accepit, perseueret, in omnibus debet ad eam benè se habere. Quod erit, si primùm verè eam diligat: ex amore enim ad illam omnis pendet initi processus*

Maturè consideret, qui vult matrimonio cupulari.

A *Op. de er. Pr l.* 5. *c.* 27 *fi*.

Videat cui nubat.

B *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 28. *& Gen.* 2. *ibi*, *de costis*.

Vxor bona magnum adiutorium, mala magnum impedimentū salutis.

A Deo quærenda.

Qualis debeat esse.

C *Gen.* 5. *ibi*.

Acceptam verè diligat.

D *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 27. *circ. fin.*

Aliam, quàm suā diligens, se & suam discrimini exponit.

cessus coniugii . Diligat inquam eam ; si non ob aliam causam, propter eam, quam Num. præced. *adduximus* : Si enim vir E aliam diligit, quàm suam, se & suam discrimini exponit. *Sed & alienæ insidiator vxoris grauissimè à Deo punitur. Vnde postquam dictum est de Sarai Vxore Abraham Gen.* 12. Sublata est mulier in domum Pharaonis, *ibidem subiicitur* : Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai Vxorem Abram (*quamuis eam non cognouisset.*) *Vbi Author*: Quæ F fuerint *inquit* hæc flagella, non dicitur. Quæcumque tamen fuerint, patet ex sequentibus, quòd Pharao certificatus est, se esse à Deo flagellatum, quia tulerat Vxorem Abram. *Rationem autem huius dilectionis affert Apostolus ad Eph.*5. Qui suam Vxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam; sicut & Christus Ecclesiam *Cuius quidem* ratio G talis est. Vir, & Mulier sunt quodammodo vnum; vnde sicut caro subditur animæ, ita mulier viro: sed nullus vnquam habuit carnem suam odio, ergo nec vxorem. Dicit ergo: *Qui suam Vxorem diligit, se ipsum diligit*, Mat. 19. *Itaque non sunt duo, sed vna caro*. Et ideò sicut peccaret contra naturam qui se ipsum odio haberet: ita qui vxorem. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit*; sed *nutrit, & fouet eam*, scilicet propter conseruationem, *sicut & Christus Ecclesiam*, scilicet dilexit, sicut aliquid sui, *quia membra sumus corporis eius* (*Eph.*4. Quoniam sumus inuicem membra:) *de carne eius & de ossibus eius* propter eandem participationem naturæ. Vel dicit, *de carne eius*, mystice quantùm ad debiles, qui sunt carnei, *& de ossibus eius* quantùm ad fortes, qui sunt ossei, *Et iterum, in eodem Apostolus insistens, concludit* : Vnusquisque vxorem suam, sicut se ipsum diligat; *nimirùm, vt aduertatur, quòd* sicut H vnusquisque se diligit in ordine ad Deum; ita debet & vxorem diligere, non in quantùm trahit ad peccatum. *Quo sensu dicitur Luc.* 14. Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem &c. non potest meus esse discipulus.

Alienæ insidiator grauissimè à Deo punitur.
E Eph.5.l.8. ibi, vxores.
Qui vxorem non diligit, contra naturam peccat.
F Gen.12.ibi cire. fin.
G Eph.5.l.9. sub initio. Col. 3.l.4 ibi, diligite, & 1.Pet. 3. §. 3.
H Eph. 5. l. 10 fin.

f *Quod si verè, & ordinatè vxorem suam vir amauerit, consequenter honorabit, non contemnet. Nec enim alio ex capite despicienda est* : nam quòd mulier (*prima primi viri vxor*) fuit I facta in Paradiso, & perfecta de nobiliori materia, quàm ipse vir: hoc fortè fuit factum, ne ipse vir eam contemneret. *Displicet nempe Deo vxoris contemptus: vnde & propter sterilitatem à viro (vt sæpè contingit) despectam, solari per fecunditatem consueuit Deus, Gen.* 29. Videns autem Dominus, quòd despiceret (*Iacob*) Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente. *Vnde & post conceptionem à Deo concessam læta subiecit* : Vidit Dominus humilitatem meam, *idest* delectionem K quia à viro meo despiciebar: vidit inquam, & misertus est mei. *Non secùs, & de Anna vxore Elcanæ legimus* 1. Reg. 1. *quam consolatus est Dominus, fecunditatem ei tribuens ad magnum illum procreandum Samuelem. Non debet inquam vir vxorem contemnere; quialicèt caput mulieris sit, non tamen vxoris dominus.* Caput sanè mulieris est vir, 1. Cor. 11. Omnis viri caput, Christus est. Caput autem mulieris vir Caput verò Christi Deus. *Caput autem mulieris vir*: Primò quidem L quia vir est perfectior muliere, non solùm quantùm ad corpus, quia vt Philosophus dicit in lib. de gen. anim. *Fœmina est masculus occasionatus*; sed etiam quantùm ad animæ vigorem, secundùm illud Eccle. 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni*. Secundò quia vir naturaliter supereminet fœminæ, secundùm illud Eph. 5. *Mulieres viris suis subiectæ sint, quoniam vir caput est mulieris*. Tertiò, quia vir influit gubernando mulierem, secundùm illud Gen. 2. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Quartò Vir, & fœmina conformes sunt in natura, secundùm illud Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. Vnde & ad Eph. 5. *postquam dictum est* : Vnusquisque vxorem suam, sicut se ipsum, diligat; *mox subiicitur*: Vxor autem timeat virum suum, *scilicet* timore M reuerentiæ & subiectionis, quia debet ei esse subiecta, 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis*, subiectione N obedientiæ, & reuerentiæ; nam, etsi quoad debitum coniugale sint pares, & sociæ; tamen quo ad ministrationem, & disciplinam debent esse subditæ; quia vir est caput mulieris, *vt repetit Apostolus* ad Eph. 5. *Vbi ex hoc admonet, quòd* viris suis subditæ sint, *videlicet* quia O certè mulier, *si primatum habeat, contraria est viro suo*, vt dicitur Eccli. 25. & ideo specialiter monet eas de subiectione. Et addit, *sicut Domino*; non quòd verè sit dominus, sed sicut dominus: *subiecta enim viro est quo ad ministrationem, correptionem, & alia; non tamen viri serua. Vnde* mulier P non est formata de pedibus viri, tanquam ancilla, nec de capite tanquam domina (1. Tim. 2. neque dominari in virum:) sed de latere tanquam socia. *Et hinc, cum de costa uiri sumpta fuerit*, videtur Q quòd sit de excellentissimo loco sumpta, quia cor est membrorum principalissimum, iuxta quod sunt costæ. *Verumtamen longè nobilior, tanquam caput, est uir*: cor enim est nobilissimum, quantùm ad originem vitæ, sed caput quantùm ad complementum virtutum, quibus fit motus, & sensus, in quibus consistit vita sensitiua. *Ex his* neque debet R à viro despici, tanquam seruiliter subiecta: *mulier etenim* non S est *sub potestate uiri* per modum seruitutis, sed per modum gubernationis.

Honoranda vxor, non contemnenda.
I Gen. 2. ibi de costis.
K Gen. 29. ibi.
Vir caput mulieris.
Exponitur illud: *Caput autem mulieris vir*.
L 1. Cor. 11. l. 1 ibi & Gen. 3. ibi, subaj. In 4. d. 35. 1. 4. in 2. sed contra, & d. 36. 1. 3. ad 3.
M Eph. 5. l. 10. fin.
N 1. Pet. 3. §. 1. ibi.
O Eph.5.l.8. sub initio.
Vxor, viro subiecta, non tamen serua.
P 1. Cor. 7. l. 1. ibi vxor viro 1.p.92.3.c. Op. de er. Pr. l. 5. c. 28.
Q 4. d. 28. exp. tex.
R 1.p.92.3.c.
S In 2. d. 18. exp. tex.

g *Igitur non vt ancilla despicienda vxor est, sed vt socia, & familiaris tenerrimè diligenda, ac uerbis, & factis honoranda, utque amicabili societate sibi iuncta, in omnibus, quæ honestè petit, exaudienda. Specialiter uerò sobrium ei ornatum, uti suum statum decet, promptè concedat; quem & Apostolus permittit* 1. ad Tim. 2. Cum verecundia, & sobrietate ornantes se: *alioquin datur uxoribus occasio, unde facilius matrimonium lædant* per adulterium T vt habeant ornatum ab extraneis, quem non possunt habere à maritis. *Quemadmodum autem honestus sobriusque concedendus ornatus, ita superfluus, & exorbitans omninò est eis denegandus. Sanè uiri illi, qui de facili ad damnabilem hunc ornatum condescendunt, Nicolaitarum uidentur doctrinam tenere, Apoc.* 2. Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. *Siquidem* isti V vxores suas omnibus, & omnes alias communicandas docebant, & licitum esse plures habere. Horum doctrinam habent viri, qui superbo, & superfluo habitu ornant vxores suas: sic enim docent eas fornicari, & alijs communicant. Quando enim benè ornantur, libentiùs considerantur, & ardentiùs desiderantur, & sæpiùs solicitantur, & faciliùs decipiuntur, & decipiunt. *Et hinc non rarò adulteria perpetrantur: propter quæ vtinam sola sequeretur ab vxore separatio (quam & ipse Dominus eo casu concedit) nisi & vxoricidium sæpè sæpiùs eueniret, cum consequentibus odiis inter familias interminatis. Quod tamen neque Christus, neque Ecclesia, vel pro manifesto adulterio, viris permittit. Docemur enim, quòd* extra X actum adulterij vxorem interficere, quantum-

Sobrius ei concedendus ornatus.
T Op. de er. Pr. l. 5. c. 55.
Non ita superfluus & excedens.
Nicolaitarum error.
V Apoc. 2. Com. 2. ibi.
Non licet viro propria authoritate vxorem occidere, etiam actuali in adulterio deprehensam.
X 4 d. 37 2. 1. c. & ad 1. & 2.
Licèt lege ciuili permittatur.

cumcumque sciat eam adulteram, neque secundùm leges ciuiles; neque secundùm legem conscientiæ licet. Sed lex ciuilis quasi licitum computat, quòd in ipso actu eam interficiat; non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij non inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris. Sed Ecclesia in hoc non est adstricta legibus humanis, vt iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Ecclesiastico iudicio infligendæ, ex hoc quòd est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium seculare. Et ideò in nullo casu licet viro interficere vxorem propria auctoritate. *Neque enim uir iudex uxoris est, quamuis pater familias in domo. Pro quo sciendum, quòd* duplex est Y congregatio. Quædam œconomica, sicut familia aliqua: & quædam politica, sicut ciuitas, aut regnum. Ille igitur, qui præest secundæ congregationi, vt Rex, aut Iudex, potest infligere pœnam & corrigentem personam, & exterminantem, ad purgationem communitatis, cuius curam gerit. Sed ille, qui præest in prima congregatione; sicut pater familias, non potest infligere, nisi pœnam corrigentem, quæ non se extendit vltra terminos emendationis, quam transcendit pœna mortis. Et ideò vir, qui sic præest vxori, non potest ipsam interficere, sed aliàs castigare. *Igitur, si quos in ea deprehendat defectus, dulciter, & amanter corripiat; & si opus fuerit, corrigat, & castiget. Et ipsa Sanè uxoris propter fornicationem dimissio, licita quidem est; nec tamen pœna est ex præcepto infligenda. Nam* peccatum Z fornicationis in vxore potest corrigi, non tantùm tali pœna, sed etiam verbis, & verbere (propter fornicationem, *inquit, non obquamcumque etiam leuem causam, ut aliqui seueriter, & inurbaniter cædere consueuerunt*:) & ideò si aliàs ad correctionem sit parata, non tenetur vir prædictam pœnam ad eius correctionem adhibere: *sed potest correcta reconciliari*. Verbis *inquam*, & verbere: *nam* qui præsunt A familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi secundùm leuiores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum: & hæc est verberatio. *Idcircò si per correctionem* mulier B de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: si autem non pœniteat, tenetur, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.

h *Nec tamen vir, nisi longa experientia cautus, de facili verbis eius nimio excæcatus amore fidem præstet in damnum proprium; exemplo Adæ, qui* vxori C suæ morem gerere volens, in trangressione diuini præcepti eam secutus est. *Et Augustinus*: Eua D multipliciter fortè suadente, comedit; quia cum multùm eam diligeret, & aliam sociam non haberet, noluit eam contristare. Vnde ex tali causa frequenter fit, quòd offenditur Deus, ne offendatur amicus. *Exemplo quoque Putipharis* Gen. 39. qui nimiùm credulus verbis coniugis (*falsò castum Ioseph de attentato adulterio calumniantis*) tradidit eum in carcerem *sine culpa*. *Quòd si honestam uitam uxor duxerit, non adeò zelus illius uirum conturbet, ut ex minimo, uel casuali actu, sine metu de adulterio suspicetur. Sic enim* à scintilla vna (*Eccli. 11.*) augetur ignis *perpetua in familia discordia; nec maligne cuipiam suggerenti faciliter aures porrigat: nam in re tam graui* Qui credit citò, leuis corde est, *Eccli. 19. Hæc, & his similia exprimere voluit initio Author, cum ait*: Postquam vir E vxorem duxerit, debito modo ad eam se debet habere, discretè, & temperatè eam amando, eam honorando, temperatè ea vtendo, & benignè eam tractando. *Vir sapiens* (ait Hier. in Epistol. ad Iouin.) *iudicio debet amare vxorem, non affectu: nihil est fœdius, quàm uxorem amare, quasi adulteram*. Honorare debet eam tanquam sociam, 1. Pet. 3. *Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem*. Temperatè debet eâ vti, vt nec loco, nec tempore, nec modo indebito ei commisceatur. Benignè debet eam tractare, cum patrem, & matrem, & alios sibi attinentes propter ipsam reliquerit, Coloss. 3. *Viri diligite uxores vestras, & nolite esse amari ad illas*. Ad prolem sic debet se habere (sicut docet *Augustinus*) vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. Quantùm ad personas domus suæ, sic debet se habere, vt domesticos diligat, contineat, & promoueat, 1. Tim. 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infedeli deterior*. Non debet esse nimis austerus familiæ suæ, *Eccli. 4.* Noli esse sicut Leo in domo tua, euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi. *Et quamuis Apostolus ad continentiam adhortatus, dicat 1. Cor. 7.* Volo autem vos sine solicitudine esse, *scilicet* rei F vxoriæ: (vbi nota, quòd dehortatur nos Scriptura à solicitudine triplici: scilicet circa mulierem, vt hic, *Volo vos sine solicitudine esse*: circa ventrem, Mat. 6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis*: circa bursam, Prou. 11. *Ex pectatio solicitorum peribit*.) Et rectè hoc *uolo*, quia, *qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, ut complaceat ei*: non enim habet excusationem illorum, qui dicunt Luc. 14. *Vxorem duxi, & ideò non possum venire; subdit tamen*; Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt Mundi quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Qui cum uxore est*, scilicet in matrimonio, *solicitus est, quæ sunt Mundi*, idest de regimine familiæ, & huiusmodi. Vnde Iacob, acceptis vxoribus, ait Gen. 30. *Iustum est, ut aliquando prouideam etiam domui meæ*; idest, vt solicitus sim, quomodo placeam Vxori: nam *secundùm glossam* magna amaritudo in domo est vxor tristis. Et talis *diuisus est*, non natura, sed actu, scilicet diuisione officij, non intentionis principalis; vnde *Glossa*: Partim seruit Deo, partim Mundo. *Ea propter cum Apostolo conueniens, in commendationem uirginitatis, concludit Author*: Felix G cuius votum est, vxorem fugere: cuius solicitudo est, Domino seruire: cuius intentio est, Deo placere. *Disce uir ita in coniugio uiuere, ut uxori placens, Deo non displiceas. Vide, ut suprà, & Num. seq.*

F 1. Cor. 7. l. 7. ibi. A triplici dehortatur sacra Scriptura solicitudine.

Exponitur illud: *Qui cum uxore est, solicitus est &c.*

G *Ibid. ibi*, quę Domini.

VIII. In actu primæ tentationis diabolus erat sicut principale agens; sed mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis ad deijciendum virum. 2. 2. 165. 2. *ad* 1.

i A*D opus duntaxat generationis humanæ certum est, formatam esse mulierem*. Necessarium *enim* fuit H fœminam fieri, sicut Scriptura dicit, in adiutorium viri; non quidem in adiutorium alicuius operis (*vt quidem dixerunt*) cum ad quodlibet aliud opus conuenientiùs iuuari possit vir per alium virum, quàm per mulierem; sed in adiutorium generationis. *Et sanè* conueniens I fuit, mulierem in prima rerum institutione ex viro formari, magis quàm in alijs animalibus. *Primò* quidem, vt in hoc quædam digni-

Mulier ad opus tantùm generationis formata.

H 1. p. 92. 2. 1. initio c. & 98. 2. in 2. sed contra & 1. Cor. 7. l. 1.

I 1. p. 92. 2. c. & Gen. 2. ibi de costis & 1 Cor. 11. l. 2. ibi vir quidem.

Left margin (cropped): est ex, pa- s in l 4. on- xo- ere re, ; 1. 5. 1. at, 1 di- cus, xni- 5. 2. cer. id 2. gere tiam do, igen- is cũ irre- 5. 1. 3. c. 3. ibi, dit. re ad ne facili- verbis , de rr. c. 29. omodo eneralihabeat orem.

dignitas primo homini seruaretur, vt secundùm Dei similitudinem; esset & ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius Vniuersi. Vnde & Paulus dicit Act. 17. quòd *Deus fecit ex vno omne genus hominum. Secundò*, vt vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabiliùs inhæreret, dum cognosceret eam ex se esse productam. Vnde dicitur Gen. 2. *De viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Et hoc maximè necessarium fuit in specie humana, in qua mas, & fœmina commanent per totam vitam, quod non contingit in alijs animalibus. *Tertiò* quia, vt Philosophus dicit *in 8. Ethic.* mas, & fœmina coniunguntur in hominibus non solùm propter necessitatem generationis, vt in alijs animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri, & fœminæ, & in qua vir est caput mulieris. Vnde conuenienter ex viro formata est fœmina, sicut ex suo principio. *Quartò* verò est ratio Sacramentalis. Figuratur enim per hoc, quòd Ecclesia à Christo sumit principium. Vnde Apostolus dicit *ad Eph.* 5. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia. *Præterea & in Paradiso mulier facta est*; nec K propter hoc tamen præsumere debet: quia quicquid habuit, & locum, & dignitatem, & materiam, mediante viro habuit. *Ex quo subiectam immò viro eam esse oportet, vt præmissum est*: Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum, *vt dicitur* 1. *Cor.* 11. & 1. *ad Tim.* 2. Adam primus formatus est; deinde Eua. *Et inde est*, *quòd* homo L non dicitur factus propter mulierem, sed ad similitudinem Dei, *Gen.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: mulier autem propter virum; ideò vir debet præesse. *Qua de causa Apostolus ad Coloss.* 3. Mulieres inquit subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. *Vbi dicit*, *sicut oportet*, quia m M hæc subiectio ex lege diuina est ordinata, Gen. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Et ratio huius est: quia regere est rationis: viri autem magis vigent ratione; & ideò præsidere debent. *Dicat ergo Apostolus* 1. *Cor.* 11. *cit.* Vir imago, & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est: *videlicet* in quantùm N claritas Dei immediatè super virum refulget, & quia claritas mulieris deriuatur à viro, secundùm illud Gen. 2. *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est*. Vir tamen dicitur specialiter imago Dei secundùm quædam exteriora: quia scilicet vir est principium totius sui generis, sicut Deus est principium totius Vniuersi; & quia de latere Christi dormientis in Cruce, fluxerunt Sacramenta Sanguinis, & aquæ, quibus fabricata est Ecclesia. Potest etiam quantùm ad interiora dici, quòd vir speciahùs dicitur imago Dei secundùm mentem, in quantùm in eo ratio magis viget (*vt prætactum est*:) sed meliùs dicendum, quòd Apostolus signanter loquitur. Nam de viro dixit, quòd *vir imago, & gloria Dei est*: de muliere autem non dixit, quòd esset *imago, & gloria viri*; sed solùm quòd esset *gloria viri*: vt detur intelligi, quòd esse imaginem Dei, commune est viro, & mulieri; esse autem gloriam Dei immediatè proprium est viri: *mulieris verò, gloriam viri esse, quia claritas eius deriuatur à viro.*

Mulier in Paradiso formata.

Hinc tamen, & quòd ex viro sit, non debet præsumere, quasi quod habet, habet mediate viro.

K Gen. 2. l. c.

Cui idcircò debet esse subiecta.

L 1. Tim. 2. l. 3. ibi & 1. Cor. 11. l. 3.

M Coloss. 3. l. 4. ibi, & 1. Pet. 3. §. 1.

Vir magis viget ratione, quàm mulier, & ideo præsidere debet.

N 1. Cor. 11. l. 2. ibi.

Exponitur illud: *Vir imago, & gloria Dei est; mulier autē gloria viri.*

l. *Ex quo tertius vxoribus motiuum est diligendi viros suos, cum quicquid boni habet mulier, habeat mediante viro, vt præmissum est. Diligat ergo vxor virum, reuereatur, timeat*, Eph. 5. Vxor autem timeat virum suum, *scilicet* timore O reuerentiæ, & subiectionis; quia debet ei esse subiecta. *Proinde necesse illius audire, & obaudire debet, non vir vxoris. Id quod Adæ exprobrauit Dominus* Gen. 3. *cum ait*: Quia audisti vocem Vxoris tuæ, & comedisti de ligno &c. Maledicta terra in opere tuo &c. *Siquidem* Mulier P debet audire vocem viri: nam ad solam eius vocem (*nota*) debet parere, nisi videret, quòd vox eius contineret aliquid voci Superioris contrarium, iuri scilicet naturali, vel diuino, vel positiuo, ad quod esset magis obligata, quàm viro. Sicut etiam subditus debet audire vocem Prælati, nec debet discutere de illius præcepto, nisi appareret euidenter error aliquis. Vir autem non debet audire vocem Vxoris; nec Prælatus subditi, quia neuter istorum habet auctoritatem. *Nec rarò tamen viro acquiescere detrectat vxor, cum quæ typho superbiæ intumescit, vel ob vultus speciositatem, vel ob fecunditatem, aut temporalium prosperitatem; quò facit illud Is.* 47. Quæ dicis in corde tuo: Ego sum, & non est præter me ampliùs. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas, & viduitas. *Profectò*

Subiecta sit Vxor viro; quem diligat reuereatur, timeat, obediat.

O Eph. 5. & 10. fin.

P Gen. 3. ibi.

Vxor debet audire vocem viri.

Non vir vxoris.

Intolerabilius nil est, quam fœmina diues. *Sanè de Michol, Dauid Regem, quòd ante Arcam Domini saltasset, superbè despiciens legitur* 2. Reg. 6. *quòd tota vita sua sterilis fuit*: Michol filiæ Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ. *Humilietur igitur viro; studeatque quomodo placeat illi* 1. *Cor.* 7. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt Mundi, quomodo placeat viro. *Cogitat, quæ sunt Mundi*, scilicet Q de cura filiorum, de regimine domus, & huiusmodi. *Cogitat* inquam *quomodo placeat viro*: vnde hoc fine ornantes se, non peccant Verumtamen magis debent studere ei placere ornatu morum, quam vestimentorum (*Vide* Cultus exterior *Tom.* 1.). *Placebit & vxor viro, si hospitibus non se prodat, sicut* Gen. 18. *legitur de Sara, quæ viris illis tribus* (*vt videbantur*) *ab Abrahamo in hospitium exceptis, seruiuit quidem, vt obediret viro suo, ministrando necessaria; nec tamen eorum aspectui se se exhibuit. Vnde quærentibus*: Vbi est Sara vxor tua? respondit Abraham: Ecce in tabernaculo est. *Quo loci Author*: Nota inquit religiositatem R Saræ; sic enim eis deuotè seruiuit, quòd tamen se ipsam extraneis non monstrauit, sed in interioribus mansit: hoc enim decet fœminas, & dominas Sanctas. *Non tota die circumuagari per urbem, rarò domi pro domestica cura immorari; de quibus Apostolus* 1. *Tim.* 5. Ociosæ discunt circuire domos: *siquidem* ex ociositate S efficiuntur instabiles quantùm ad locum, *Prou.* 7. Vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis &c. *Placebit & Vxor viro suo, si de illius salute fuerit solicita, sicut fuisse legitur Michol de salute Dauid, cum per fenestram demittens* 1. Reg. 19. *& Abigail pro Nabal viro suo* 1. Reg. 25.

Quomodo placeat viro.

Q 1. Cor. 7. l. 7. ibi.

Hospitibus nō se prodat.

R Gen. 18. ibi.

Non circumeat per vrbem, sed domi maneat.

S 1. Tim. 5. l. 2.

Sit de mariti salute solicita.

m *Qualitates porrò, & conditiones bonæ mulieris describit Author, cum ait*: Multæ sunt T proprietates Mulieris commendabiles; tres quoad actum cordis, tres quoad actum oris, & tres quoad actum operis. Tres primæ sunt: Sapientia ex parte rationalis, Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Munditia ex parte concupiscibilis, Eccli. 40. *Ædificatio Ciuitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.* Constantia ex parte irascibilis, Ruth. 3. *Scit omnis populus, mulierem te esse virtutis.* Tres secundæ sunt: Modestia contra multiloquium, Eccli. 26. *Mulier sensata & taci-*

T 1. Cor. 7. l. 2. fin.

Proprietates bonæ mulieris, quæ.

ptacita non est immutatio erudita anima. Veritas contra mendacium, Iudith. 8. *Omnia, quæ locuta es, vera sunt*. Discretio contra stulti loquium, 1. Reg. 25. *Erat mulier illa prudentissima, & speciosa*, Iudith 11. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum*. Tres vltimæ sunt: Sanctimonia in facto, Iudith 8. *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es*. Verecundia in signo; Eccli. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata*. Gratia in conuersando, Prou. 11. *Mulier gratiosa inueniet gloriam*. Propter eminentiam horum dicitur de B. V. Maria: *Benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1. *Specialiùs verò in muliere coniugata desiderabiles conditiones distinctè perstringuntur in admonitione facta à Parentibus Saræ* Tob. 10. *Vbi dicitur*, quòd apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere. *Vbi Author*: Prima *inquit* admonitio V pertinet ad humilitatem, & patientiam: nam sicut scripsit *Terentius*, & recitat *Hieronymus*: Omnes socrus vno animo oderunt nurus. *Secunda admonitio*, est, maritum diligere, ad Tit. 2. *Adolescentulas hortare, vt viros suos ament*: (viro enim X debetur amor, *Prou.* 12. Mulier diligens corona est viro suo: *& filios suos diligant*; hoc enim est naturale, Is. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Et nota, quòd dicit: *vt viros suos ament, & filios diligant*, quia ad viros est amor feruentior, sed ad filios naturalior.) Huius autem amoris quatuor signa viris debent ostendere: Primum est, vt voluntariè eis se subdant, Gen. 3. *Sub viri potestate eris &c.* Tripliciter debet esse subiecta vxor viro. Primò, debitum ei reddendo, deinde eum timendo, & ipsi seruiendo, 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro*, Eph. 5. *Vxor timeat virum suum*; & Augustinus: *Subditas, & penè famulas lex esse voluit vxores*; vnde & *Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*, vt dicitur 1. Pet. 3. (*coharenter ad illud Pauli* Eph. 5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam vir caput est mulieris*.) Solicita debet esse vxor, vt viro placeat; vt ab eo diligatur, & ipse ab adulterio retrahatur. Patienter debet viri defectus sustinere. Vnde refert *Hieronymus*, quòd Duillius, qui primus Romæ ex nauali victoria triumphauit, Iliam (*aliis* Biliam) virginem vxorem duxit, quæ tantæ pudicitiæ erat, vt illo quoque sæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia, non vitium, sed monstrum erat. Is ergo iam senex, ac trementi corpore, in quodam iurgio sibi os fœtidum exprobrari audiuit, & tristis se domum contulit. Cumque apud vxorem conquestus esset, cur se nunquam, vt huic vitio mederetur, admonuisset: *Hoc* inquit *dixissem, nisi os omnibus viris olere putassem*. Debet vxor viro suo corpus suum castum custodire, Tit. 2. *Adolescentulas, ut viros suos ament, prudentes, castas &c.* Debent autem esse castæ, non castitate coacta, sed voluntaria. Amor vxoris in virum debet esse pudicus. Ad quam pudicitiam tria pertinent; scilicet, vt eum quasi sponsum, non quasi adulterum diligat: vt zelotypiam abijciat: nec aliquid indecens faciat, vt pulchritudine ei placeat, non se pingendo, vel modo indebito ornando. Multùm timeda est zelotypia: si enim maritus habet suspicionem de vxore, vel vxor de viro, vix habent pacem. De muliere zelotypa potest intelligi illud Eccle. 7. *Inueni amariorem morte mulierem*; Eccli. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa*: idest, causa doloris. Et iterum: *In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans*; nulli scilicet parcens à contumelia, vel detractione. *Tertia admonitio* est, familiam regere: vt scilicet filios, & filias, seruos, & ancillas, secundùm Deum diligat, & erudiat, nihil indisciplinatum, vel impudicum in eis sustinens. *Quarta admonitio* est, gubernare domum, iuxta illud, quod legitur ad Tit. 2. *Domus curam habentes*. (*Et alibi*: Circa rei Y familiaris administrationem instruenda est, vt temporalia bona solerter, & fideliter multiplicet, cautè seruet, & prudenter dispenset, iuxta illud Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet*.) *Quinta admonitio* est, irreprehensibilem se exhibere; vt scilicet gratiosa sit apud omnes, Eccli. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata*: Sancta apud Deum per sanctum timorem, pudorata apud omines per honestam conuersationem. Multùm est ei cauenda garrulitas, & litigiositas. Garrulitas proprietas est fatuæ mulieris, vt habetur *Prou.* 7. Litigiositas verò quieti est inimica, iuxta illud Prou. 27. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur*. Sicut enim sub tecto perstillante in frigore non potest homo quiescere; sic nec cum litigiosa muliere, *Prou.* 19. Dolor patris, filius stultus: & tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier. *Enimuerò de vxore, prænarratis qualitatibus prædita frequentes in sacra pagina recensentur commendationes*. *Prou.* 18. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino. *Eccli* 25. Beatus, qui habitat cum muliere sensata. *Et cap.* 26. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: *vt cætera mittamus testimonia, quæ plura leguntur eodem capite* Eccli. 26. & Prou. 31. *Et alibi*: Vxor Z bona virum iratum mitigat (vnde mulier dicitur quasi molliens virum:) & ad Deum conuertit, 1. Cor. 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*. De hoc exemplum habetur in B. Cæcilia, quæ desponsata, mox sponsum conuertit ad Christum. *Et alibi*: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: *idest* aliquando A contingit, quòd vnus per alium conuertitur ad fidem; & sic sanctificatur: & hoc iam fortè contigerat, sicut Sisinius per Theodoram Romæ tempore Clementis conuersus est. *Quod confirmat & Apostolus Petrus in sua* 1. *Cap.* 3. Vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram. *Vt & si qui*, scilicet B mariti, *non credunt verbo* Euangelij *ex glossa*, vel verbo fidei, *per mulierum conuersationem*, scilicet bonam, & benè se habentium *ex eadem glossa*, & humiliter patientium, *sine verbo*, scilicet prædicationis: efficacior quippe est vox operis *ex Bernardo*, quàm sermonis: & dicit, *sine verbo*: non enim debet mulier prædicare verbo (*nota*) sed exemplo, *lucrifiant*, idest conuertantur ad fidem, *considerantes castam conuersationem vestram*: ex tertia persona transit ad secundam, dirigens sermonem ad mulieres, vt ex modo loquendi, qui magis est familiaris, alliciat eas ad bonum. *Conuersationem* dico, habitam & conseruatam *in timore*, scilicet Dei, qui est principium sanctitatis, & custodia castitatis, Eccli. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua*.

n *Ex opposito autem, sicut per bonam mulierem*

Bonæ coniugis qualitates quæ.

Sit humilis, & patiens.

V Op. de ier. Pr. l. 5. c. 60.

Maritum diligat.

X Tit. 2. l. 1. ibi.

Et filios.

Quæ nam in viros amoris signa.

Tripliciter debet esse viro subiecta.

Solicita placere viro, vt ab eo diligatur.

Sustineat patienter defectus viri.

Corpus castū custodiat viro suo.

Ad vxoris pudicitiam tria spectant.

Non sit zelotypa.

Familiam benè regat.

Y Op. de er. Pr. l. 5. c. 29. fi.

Rem familiarem prudenter administret.

Ne sit garrula & litigiosa.

Bonæ vxoris commendationes in sacra Scriptura.

Z Eod. Op. ib. c. 27. circ. fin.

Vxor bona virum conuertit, & sanctificat.

A 1. Cor. 7. l. 2. ibi.

B 1. Pet. 3. §. 1.

Sicut per bonam sanctificatur, per malam vxorem perditur vir.

rum sanctificatur frequenter vir, ita non rarò perditur per uxorem malam. Periculosum C est habitare cum muliere mala; vnde Eccli. 25. *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.* Tria dicuntur hominem expellere de domo, scilicet fumus, stillicidium, & mala vxor. *Diaboli quippe validius ad perdendum virum, instrumentum est Coniux praua. Nouit Iob patientissimus cui tot inter angustias aerumnarum posito, impiè tandem, Vxor suggessit Iob* 2. Benedic Deo, & morere. *Benedic,* idest D maledic; quasi dicat: Ex quo tibi benedicenti Deo aduersitas superuenit, *maledic Deo*, vt prosperitate potiaris. Et vltimò prorumpit in verba desperationis, dicens *& morere*; quasi dicat: pro mortuo te habe, quia nihil tibi residuum est in simplicitate remanenti; nisi vt moriaris. Vel aliter: *Benedic Deo, & morere*: idest, ex quo post tantam Dei reuerentiam, sic aduersitate afflictus es, si adhuc Deo benedicas, nil restat, nisi vt mortem ex pectes. (*Vide foeminae impietatem!*) *Vxor inquam sua*: quam solam Diabolus reliquerat ad occidendum, vt per eam viri iusti mentem pulsaret qui per foeminam primum hominem deiecerat. *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: In actu E primae tentationis diabolus erat sicut principale agens: sed mulier assumebatur, quasi instrumentum tentationis ad deijciendum virum. *Mala nempe Vxor, aut blasphemiam suadet, aut blasphemandi occasionem viro nec infrequenter praestat. Vnde Apostolus* ad Tit. 2. *haud perperam esse oportere scribebat vxores* Domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei. *Domus inquam curam habentes.* In cura autem F sunt duo obseruanda mulieri: sunt enim vt plurimùm iracundae, *Eccli.* 25. *Non est ira super iram mulieris*: & ideò dicit, *benignas*; quasi dicat: cum mansuetudine regant. Aliud est, quia quando mulier potestatem habet, nititur in contrarium viro, *Eccli.* 25. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*; ideò dicitur, *subditas viris suis*: & hoc ideò, *vt non blasphemetur verbum Dei*; idest, vt non dent occasionem blasphemandi. *Hinc cohaerenter dicitur Eccli.* 25. *cit.* Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani: sic mulier linguata homini quieto. *Et cap.* 26. Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem, *à quo nimirùm lethaliter mordetur. Quòd si fidem matrimonii frangat, torumque per adulterium violet, incendium suscitat inextinguibile, vt patet de Samsonis vxore, quam vbi fornicatam nouit, tantum iniuriam vlturus ignem accendit* in segetes Philisthinorum, vt vineas quoque, & oliueta flamma consumeret, *vt legitur* Iudic. 15. *Sicque* à scintilla vna (*Eccli.* 11. augetur ignis *discordia perpetua*, & ab vno doloso augetur sanguis, *per homicidia scilicet quae exinde sequuntur.* (*Vide* Adulterium *Tom.* 1.) Sanè, sicut bona mulier, 1. *Cor.* 11. gloria viri est: *ita mala, vituperium*; *& quemadmodum* mulier diligens *Prou.* 12. corona est viro suo; *ita praua vxor fertum opprobrii viro est*: de qua idcircò monet Sapiens *Eccli.* 25. Non des aquae tuae exitum, nec modicum; nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulauerit ad manum tuam (*nota*) confundet te in conspectu inimicorum. *De huiusmodi enim vxore haud temerè potest adulterium suspicari. Et huc facit, quod tradit Author*, Dan. 13. *pudicissimae occasione Susannae, falsò de Adulterii crimine insimulatae. Docet enim ibi, quòd* quatuor sunt G quae possunt reddere personam suspectam. *Primò* si habet generis nobilitatem, de quo dicitur Ezech. 22. *Polluta es*; & sequitur: *sordida, nobilis, grandis interitu.* Et 1. Reg. 20. dixit Saul. *Fili mulieris virum vltrò rapientis. Secundò.* Si corporis venustatem: de quo dicitur 3. Esd. 4. *Si viderint mulierem vnam bono habitu, & bona specie: omnia relinquentes, in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & eam alliciunt &c. Tertiò.* Si aetatis iuuentutem; de quo dicitur Prou. 7. *Ecce occurrit illi*, scilicet iuueni, *ornatu meretricio praeparata ad capiendas animas &c.* Sequitur: *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur. Quartò.* Si rerum temporalium vbertatem; de quo ibidem dicitur, quòd eadem mulier *aspersit cubile myrrha, & aloe, & cinnamomo.* E contra verò sunt quatuor, quae eam à suspicione defendunt. *Primò*, si sit nobilitas erudita per instructionem; de quo dicitur Eccli. 7. *Noli discedere à muliere sensata. Secundò* si venustas pudorata per religionem: de quo dicitur Eccli. 40. *Aedificatio Ciuitatis confirmauit nomen, & super hac mulier immaculata computabitur. Tertiò*, si iuuentus ordinata per deuotionem; de quo dicitur Eccli. 26. *Fundamenta aeterna supra petram solidam: sic mandata Dei in corde mulieris Sanctae. Quartò*, si voluntas inclinata per compassionem: de quo dicitur Eccl. 36. *Vbi non est mulier, ingemiscit egens. Videant vxores modò, nùm haec in se habeant, vnde ab adulterii suspicione, vti Susanna, eximantur. Postremò de bona, & mala Vxore concludat vno verbo, relatus ab Authore, Fulgentius.* Vxor H aut perpetuale refugium (*si bona*) aut perenne tormentum (*si nequam.*) Disce *vxor, vt viro placeas, Deo primùm placere. Vide, vt suprà, & plura V.* Adam *Tom.* 1.

C *Op. de er. Pr. l. 5. c. 27. fi.*

D *Iob 2. l. 2. ibi.*

E 2. 2. 165. 2. *ad* 1.

Vxor mala diaboli instrumentum ad deijciendum virum.

F *Ad Tit.* 2. *l.* 2. *ibi, &* 1. *Tim.* 5. *l.* 2. *fin.*

Duo mulieri in cura domus obseruanda.

Dat mala vxor viro occasioné blasphemandi.

Adulterans inextinguibile suscitat incendium.

Sicut bona, gloria & corona viri: ita mala, vituperium, & & fertú opprobrij.

Quatuor possút mulierem suspectã reddere.

G *Dan.* 13. *sub fin. cap.*

Et quatuor à suspicione tueri.

H *Op. de er. Pr. l. 5. c. 27. circ. fi.*

MEMORIA.

IX. Ea, ad quae magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur. 3. p. 73. 5. corp.

O PONitur absque dubio memoria inter partes integrales prudentiae. *Prudentiam quippe diuidit* Tullius *in memoriam praeteritorum, & intelligentiam praesentium, & prouidentiam futurorum.* Memoria I enim est secundùm ipsum, per quam animus repetit illa, quae fuerunt: Intelligentia, per quam prospicit ea; quae sunt: prouidentia, per quam aliquid faciendum videtur antequam factum sit. Vnde prouidentia est complectiua, & formalis pars prudentiae: illae verò quasi materiales ad ipsam reducuntur. *Quòd autem sit pars prudentiae, ex eo liquet, quia* prudentia K est circa contingentia operabilia. In his autem non potest homo dirigi per ea, quae sunt simpliciter, & ex necessitate vera, sed ex his, quae vt in pluribus accidunt. Oportet enim, principia proportionata esse conclusionibus, & ex talibus talia concludere, vt dicitur *in* 6. *Ethic.* Quid autem vt in pluribus sit verum, oportet per experimentum considerare; vnde & *in* 2. *Ethic.* Philosophus dicit, quòd virtus intellectualis habet generationem, & augmentum ex experimento, & tempore. Experimentum autem est ex pluribus memorijs, vt patet in 1. *Metaph.* Vnde consequens est, quòd ad prudentiam requiritur plurium memoriam habere: vnde & conuenienter memoria ponitur pars prudentiae. *Caeterùm* memoria L dupliciter sumitur. Quandoque prout est potentia sensitiuae partis, secundùm scilicet quòd

Memoria pars integralis prudentiae.

I 3. *d.* 33. 3. 1. *q.* 1. *fi. c.*

K 2. 2. 49. 2. *c. &* 48. 1. *c. In* 3. *loc. cit. in corp.*

L 4. *d.* 44. 3. 3. *q.* 2. *ad* 4. *& q.* 50. 1. 2. *ad* 6. *In* 1. *d.* 3. 4. 1. *ad* 2. *In* 3. *d.* 26. 1. 5 *ad* 4. *&* 1. *p.* 79. 6. *c. Ver.* 10 2 *c. &* 2. *con. G. c.* 74. *fi. & alibi.*

Memoria duplex; intellectiua, & sensitiua: & quid vtraque.

quòd concernit præteritum tempus: (& hoc modo actus memoriæ in anima separata non erit; vnde & Philosophus dicit in 1. *de Anima*, quòd *hoc corrupto*, scilicet corpore, *anima non reminiscitur*. Alio modo accipitur memoria, prout est pars imaginis ad intellectiuam partem pertinens, secundùm scilicet quòd ab omni differentia temporis abstrahit, cum non sit tantùm præteritorum, sed etiam præsentium, & futurorum, vt *Augustinus* dicit: (& secundùm hanc memoriam anima separata memorabitur.) *Quocirca sciendum, quòd* præteritio M potest ad duo referri: scilicet ad obiectum, quod cognoscitur, & ad cognitionis actum. Quæ quidem duo simul coniunguntur in parte sensitiua, quæ est apprehensiua alicuius per hoc, quòd immutatur à præsenti sensibili. Vnde simul animal memoratur, se priùs sensisse in præterito, & se sensisse quoddam præteritum sensibile. Sed quantùm ad partem intellectiuam pertinet, præteritio accidit, & non per se conuenit ex parte obiecti intellectus. Intelligit enim intellectus hominem, in quantùm est homo: homini autem, in quantùm est homo, accidit vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro esse. Ex parte verò actus, præteritio per se accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu: quia intelligere animæ nostræ est quidem particularis actus, in hoc vel in illo tempore existens, secundùm quod dicitur homo intelligere nunc, vel heri, vel cras. Et hoc non repugnat intellectualitati: quia huiusmodi intelligere, quamuis sit quoddam particulare, tamen est immaterialis actus. Et ideò, sicut intelligit seipsum intellectus, quamuis ipse sit quidam singularis intellectus: ita intelligit suum intelligere, quod est singularis actus, vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro existens. Sic igitur saluatur ratio memoriæ, quantùm ad hoc, quod est præteritorum in intellectu, secundùm quod intelligit, se priùs intellexisse: non autem secundùm quod intelligit præteritum, prout est hîc, & nunc. *Ex quo* si memoria N accipiatur solùm pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere, memoriam esse in intellectiua parte. Si verò de ratione memoriæ sit, quòd eius obiectum sit præteritum vt præteritum, memoria in parte intellectiua non erit, sed sensitiua tantùm, quæ est apprehensiua particularium. Præteritum enim, vt præteritum, cum significet esse sub determinato tempore, ad conditionem particularis pertinet. *Et hoc pacto* memoria O est potentia sensitiuæ partis, quæ habet organum in postrema parte capitis (*ex Galeno enim* lib. 8. de vsu partium cap. 6. *pro sensibus internis, quatuor in cerebro statuuntur cellulæ. In priori, quæ est supra frontem, est organum sensus communis*. Imaginatiuæ P virtutis organum est in anteriori parte cerebri, *quod sequitur, versùs summitatem capitis*. Vis Q cogitatiua habet determinatum organum mediam cellulam capitis. *In posteriori est organum memoriæ sensitiuæ: quam partem & naturaliter perfricare consueuimus ad commouendas species, vbi quidpiam volumus rememorari*:) & hæc est Thesaurus intentionum sensibilium, cum sensu, non à sensu acceptarum, vt *Auicennas* dicit.

p *An verò memoria intellectiua sit ab intellectu distincta potentia*: Dicendum R quòd potentiæ animæ distinguuntur secundùm diuersas rationes obiectorum, eo quòd ratio cuiuslibet potentiæ consistit in ordine ad id, ad quod dicitur, quod est eius obiectum. Si autem aliqua potentia secundùm propriam rationem ordinetur ad aliquod obiectum secundùm communem rationem obiecti, non diuersificabitur illa potentia secundùm diuersitates particularium differentiarum, Sicut potentia visiua quæ respicit suum obiectum secundùm rationem colorati, non diuersificatur secundùm rationem albi, & nigri. Intellectus autem respicit suum obiectum secundùm communem rationem entis, eo quòd intellectus possibilis est, quod est omnia fieri. Vnde secundùm nullam differentiam entium diuersificatur differentia intellectus possibilis. Diuersificatur tamen potentia intellectus agentis, & intellectus possibilis: quia respectu eiusdem obiecti aliud principium oportet esse potentiam actiuam, quæ facit obiectum esse in actu, & aliud potentiam passiuam, quæ mouetur ab obiecto in actu existente. Et sic potentia actiua comparatur ad suum obiectum, vt ens in actu ad ens in potentia: potentia autem passiua comparatur ad suum obiectum è conuerso, vt ens in potentia ad ens in actu. Sic igitur nulla alia differentia potentiarum in intellectu esse potest, nisi possibilis, & agentis. Vnde patet, quòd memoria non est alia potentia ab intellectu: ad rationem enim potentiæ passiuæ pertinet conseruare, sicut & recipere. *Quod & alibi confirmat Author* ex Augustino *cum ait*: Imaginem S diuinæ Trinitatis potiùs ponit (*Augustinus*) in intelligentia, & voluntate actuali, quàm secundùm quod sunt in habituali retentione memoriæ. Et sic patet, quòd memoria, intelligentia, & voluntas, non sunt tres vires, vt dicitur in Sententijs T: *vbi opinionem Magistri videtur Author secutus. Vel locum illum expone ex doctrina Magistri Petri Berg.* Dub. 866. *Sicut autem* quæ V in alijs animalibus dicitur æstimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quæ per collationem quandam intentiones adinuenit; vnde & dicitur ratio particularis, cui medici assignat determinatum organum, scilicet mediam partem capitis: est enim collatiua intentionum indiuidualium, sicut ratio intellectiua intentionum vniuersalium. Ita ex parte memoratiuæ non solùm habet homo memoriam, sicut cætera animalia subita recordatione præteritorum, sed etiam reminiscentiam, quasi syllogisticè inquirendo præteritorum memoriam secundùm indiuiduales intentiones. *Siquidem* requiritur X quòd ea, quæ priùs fuerunt apprehensa per sensus, & interiùs conseruata, iterum ad actualem considerationem reuocentur. Necesse autem fuit ad hoc potentiam ab alijs distinctam ordinari, quia actus aliarum potentiarum sensitiuarum est secundùm motus à rebus ad animam: actus autem memoratiuæ potentiæ est è contrario secundùm motum ab anima ad res. Diuersi autem motus, diuersa principia motiua requirunt: principia autem motiua potentiæ dicuntur. *Et alibi*: Oportet Y quòd animal per animam sensitiuam non solùm recipiat species sensibiles, cum præsentialiter immutatur ab eis, sed etiam eas retineat, & conseruet. Recipere autem, & retinere, reducuntur in corporalibus ad diuersa principia: nam humida benè recipiunt, & malè retinent. Econtrario autem est de siccis. *Ex quo meliùs memoratiuus erit, cuius memoriæ organum siccitate pollebit. Quemadmodum etiam* tardi Z ad inueniendum & ad discendum sunt meliùs memoratiui, quàm reminisitiui: veloces autem è conuerso. *Porrò* in hoc A differt memoria à reminiscentia: quia memoria est plena retentio specierum; reminiscentia autem est, quando specie deleta, retinetur aliquod vestigium speciei, per quod homo venit in recordationem rei pristinæ, per aliqua, ab aliquo audita; & ex hoc recor-

O

Marginal notes (left):

nima separata an memoretur.

M 1. p. 79. ad 2. Ver. 10. c. & locis cit.

Quo pacto memoria intellectiua sit præteritorũ, & sensitiua.

N 1. p. 79. 6. c.

An memoria sit in intellectu.

O 1. d. 3. 4. a. 1. ad 2. & 1. p. 78. 4. c. Ver. 10. 2. c. & ad 1. & q. 18. a. 8. c. An. a. 13. c.

Vbi nam organum sensus communis, memoriæ sensitiuæ, cogitatiuæ, & imaginatiuæ.

P 2. d. 20. 2. 2. c. In 4. d. 7. 3. 1. q. 2. c. Ver. 18. 8. c. & 26. 4. ad 5.

Q 4. d. 50. 1. 1. ad 3. Ver. 10. 5. c. & q. 15. 1. c. An 13. c. & 2. con. G. c. 60. initio.

An memoria intellectiua sit potentia ab intellectu distincta.

R 1. p. 79. 7. c. & 2. con. G c. 74. fi. Ver. 10. 3. c.

Marginal notes (right):

S 1. p. 93. 7. ad 3.

T 1. d. 3. 4. 1. fi. c.

V 1. p. 78. 4. c. & ad 5. & 1. 2. 74. 3. ad 1. In 2. d. 25. 1. 1. ad 7. In 4. d. 50. 1. 1. ad 3. & 2. con. G. c. 60. initio Anim. a. 13. c. Ver. 10. 5. fi. c. & 15. 1. fi. c.

In alijs animalibus est memoria tantùm; in homine memoria, & reminiscentia.

X De An. a. 13. c.

Vnde memoratiuæ facultatis necessitas.

Y 1. p. 78. 4. c. Ver. 15. 1. c.

Z De mem. & remin. l. 1. lit. a.

Quinam meliùs memoratiui, & reminiscitiui.

A Dan. 2. 5. Dubia.

Memoria in quo differat à reminiscentia.

recordatur se audiuisse. *Mirabili sanè memoria excelluisse plures feruntur viri: inter quos* Themistoclem *omnium suorum ciuium*, Cyrum *militum suorum omnium nomina memoria complexes, notat* Tullius lib. de senect. & Plin. l. 7. c. 27. & l. 25. c. 2. *Rex item Ponti* Mitridates *duas & viginti calluisse linguas, iisque totidem in nationes quasque iura dixisse legitur* apud Plin. cit. loc. *Et apud eundem* Iulius Cæsar *scribere simul & legere, dictare, & loquentem audire, solitus esse traditur, quaternas aliquando Epistolas insimul dictans. Quo certè non inferior Author noster, de quo referunt, quòd* memoria fuit incredibili, adeò vt res omninò diuersas vno tempore tribus, & quatuor amanuensibus quandoque dictaret.

q *Quoniam verò faciliter deficit labiturque memoria hominum (vnde & Apostolus* 1. *Cor.* 1. Nescio, si quem alium baptizauerim. *Nescio*, idest B in memoria non habeo, quia circa particularia facta memoria hominum labilis est:) *idcircò quia &* memoria C non solùm à natura perficitur, *ex Tullio*, sed etiam habet plurimum artis, & industriæ: quatuor sunt, per quæ homo proficit in benè memorando. Quorum *Primum* est, vt eorum, quæ vult memorari, quasdam similitudines assumat conuenientes, nec tamen omninò consuetas: quia ea quæ sunt inconsueta, magis miramur, & sic in eis animus magis & vehementiùs detinetur: ex quo fit, quòd eorum, quæ in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideò aut necessaria est huiusmodi similitudinum, vel imaginum adinuentio: quia intentiones simplices, & spirituales faciliùs ex anima elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur, quia humana cognitio potentior est circa sensibilia; vnde & memoratiua ponitur in parte sensitiua. *Secundò* oportet, vt homo ea, quæ memoriter vult tenere, sua consideratione ordinatè disponat, vt ex vno memorato, facile ad aliud procedatur. Vnde Philosophus *in lib. de memoria* dicit: *A locis videmur reminisci aliquando*. Causa autem est, quia velociter ab alio in aliud veniunt. *Tertiò* oportet vt homo solicitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea, quæ vult memorari: quia quantò aliquid magis fuerit impressum animo, tantò minùs elabitur: (*Ea autem*, ad quæ D magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur, *vt docebat initio Author*.) Vnde *Augustinus*: Saluator, *inquit*, quò vehementiùs commendaret mysterij Eucharistiæ altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. *Quod & à Ioanne innuitur c. 13. sub iis verbis*: Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. *Quasi diceret*: Non fuit E necessarium vobis, vt ostenderem quantùm vos diligerem, nisi in recessu: vt sic amor, & memoria mei in cordibus vestris profundiùs imprimeretur. *Sic pariter ea* F, quæ magna æstimamus, magis memoriæ infigimus.) *Quartò* oportet, quòd ea frequenter meditemur, quæ volumus memorari. Vnde Philosophus dicit in *lib. de mem.* Quòd *meditationes memoriam saluant*: quia, vt in eodem libro dicitur, *consuetudo est quasi natura*. Vnde quæ multoties intelligimus, citò reminiscimur, quasi naturali quodam ordine ab vno ad aliud procedentes. *Quæ præterea memoriæ mandare cupimus, scripto tradimus: hæc enim scribendo meditamur magis, & menti figimus*, *Deut.* 31. Scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel, vt memoriter teneant. *Ita diuina tabulas legis, ad iugiter memorandum, non absque mysterio scriptas vtrasque* digito Dei *Moyses dicitur accepisse*. *Hinc* liber *appellatur* vitæ, *in quo prædestinati veluti conscribuntur*. Dicitur autem G metaphoricè aliquid conscriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet. *Vnde & Apostolus ad Hebr.* 12. Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cœlis. *Vbi author*: Sicut *inquit* antiquitùs H apud Romanos, Senatores qui assumebantur ad magnas dignitates, describebantur; quos primus Pompilius in tabulis aureis scripsit, & inde dicebantur *Patres Conscripti*: Ita Apostolus hìc, ad ostendendum dignitatem Apostolorum dicit, quòd *conscripti sunt in Cœlis*: cuius Scripturæ liber est notitia, quam Deus apud se habet de saluandis. Vnde sicut ibi illud, quod scribitur, non de facili è memoria labitur: ita illi, qui ibi per finalem iustitiam scripti sunt, infallibiliter saluabuntur. Et dicitur liber ille, *liber vitæ*, *Luc.* 10. Gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cœlis. *Num verò, & quomodo memoria delectationem causet: dicimus cum Authore, quòd* maxima est I delectatio, quæ fit per sensum, qui requiuit præsentiam rei sensibilis. Secundum autem gradum tenet delectatio spei, in qua non solùm est delectabilis coniunctio secundùm apprehensionem, sed etiam secundùm facultatem, vel possibilitatem adipiscendi bonum quod delectat. Tertium autem gradum tenet delectatio memoriæ, quæ habet solam coniunctionem apprehensionis. *Et quamuis* spes K & memoria sint eorum, quæ sunt simpliciter absentia, secundùm quid tamen sunt præsentia, scilicet vel secundùm apprehensionem solam, *vt in memoria*, vel secundùm apprehensionem, & facultatem ad minus æstimatam, *vt in spe*.

r *Cæterùm de duobus, ad rectè viuendum, memoria nobis habenda est: de principio videlicet nostro, quod est Creator omnium Deus, & de fine, qui est corporis mors. Idcircò quoad primum, consultè dicitur Ex.* 20. Memento, vt diem Sabbati Sanctifices: *nimirum quia* præceptum L de Sabbato ponitur, vt commemoratiuum beneficij præteriti (*scilicet creationis*) & ideò specialiter in eo fit mentio de memoria: *quandoquidem* inter omnia M beneficia Dei commemoranda primum, & præcipuum erat beneficium creationis, quod commemoratur in Sanctificatione Sabbati: vnde pro ratione huius præcepti ponitur: *Sex enim diebus fecit Deus Cœlum, & Terram &c.* vt dicitur Ex. 20. cit. *Verùm non minùs, vt principium recreationis nostræ, Christus Dominus iugiter nobis rememorandus, secundùm illud Is.* 43. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul. *Vbi monemur, quòd* reducere N debemus Deum in memoriam: Primò quantùm ad mirabilia, quæ fecit, ad venerandum, Psalm. 104. *Memenтote mirabilium eius, quæ fecit*. Secundò quantùm ad beneficia, quæ dedit, ad regratiandum, Eccli. 51. *Memoratus sum misericordiæ tuæ, quæ à seculo sunt, quoniam eruis sustinentes &c. Domine Deus noster*. Tertiò quantùm ad tormenta, quæ sustinuit, ad compatiendum, Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, absinthii, & fellis*. Quartò quantùm ad præcepta, quæ dedit, ad obseruandum: *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*, Psal. 102. *Et alibi pariter*

B 1. Cor. 1. l. 2. fin.
Memoria humana labilis.

C 2. 2. 49. 1. ad 2. & 180. 3. ad 4. & 1. 2. 50. 3. ad 3. & 51. 3. fin. c.
Quæ ad bene memorandū iuuent.

D 3. p. 73. 4. c. & ad 3. & q. 80. 8. ad 1.
Ea ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimūtur.

E Io. 13. l. 1. lit. a. fi. & 1. Cor. 11. l. 4. ibi, manducare & l. 5. ibi, tradebatur in 4. d. 8. 1. 3. q. 3. ad 1.
F 1. 2. 47. 2. ad 3.

Scripto aliqua tradere ad memorandum iuuat.
G 1. p. 24. 1. c.
H Hebr. 12. l. 4. ibi, & 1. p. 1. c. Ver. 7. 3. ad 3.
I 1. 2. 32. 3. c.
An, & quomodo memoria delectationem causet.
K Ibid. ad 1.
Deus, vt Creator omnium, nostræ semper memoriæ præsens esto.
L 1. 2. 100. 7. ad 5.
M Ibid. a. 5. ad 2.
Et Christus Saluator noster ac Redemptor.
N Is. 43. fin.

ter

O Op. 58. c. *sub initio.*

ter detemur, quid de tribus O memoria de Saluatore nostro est habenda: scilicet de præterito, de præsenti? de futuro. *De præterito*, vt nostri Redemptoris, qui *propter nimiam charitatem suam* à morte mala, sua morte liberauit nos, Thren. 3. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ*, idest maximæ humiliationis, *absinthii, & fellis*, idest amaræ passionis, Ezechi. 9. *Signa Thau super frontes virorum dolentium &c.* Thau (*idest* litera T) figuram Crucis habet, scilicet passionis Christi, quæ semper est bonis in mente ferenda. De *præsenti*, vt omnium inspectoris, qui per occultam præsentiam omnia nostra semper cernit; *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius*, Eccli. 39. *De futuro*, vt iusti iudicis, qui per omnipotentiam suam omne prauum incorrectum districtè iudicabit, Is. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens furor eius, & grauis ad portandum*, idest: attendite, quia citò veniet ad districtum iudicium. De omnibus tribus simul Ps. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum*; quasi diceret. Dominus dedit nobis se ipsum ad memoriam suorum mirabilium: præteritorum, quòd nos redemit; præsentium, quòd omnia nostra respicit; futurorum, quòd districtè tandem iudicabit. *Et quia memoria, vt præmissum est, magis scripto firmatur, vitam eius, scriptum quasi librum, frequenter ad memorandum legere debemus: quod innuitur iis verbis Apoc.* 10. Vade, & accipe librum apertum de manu

P *Apoc.* 10. *num.* 2. *ibi.*

Angeli. *Hic siquidem* Liber P est vita Christi, in quo sunt tot literæ, quot virtutes. Humilitas enim eius, vna litera est, patientia alia, benignitas alia, & sic de cæteris. Quas literas ipsemet suscepit in se. Vnde Iob. 31. dicitur: *Librum scribat ipse, qui iudicat*; idest Filius, cui Pater dedit omne iudicium, vt dicitur *Io.* 5. Sed postea in hoc libro scripserunt homines & alias literas satis legibiles, nimio sanguine rubricatas, scilicet vulnera pedum, & manuum, & lateris, & sulcos virgarum. Vnde Is. 8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*, idest lancea, & clauis Iudæorum. Vtræque literæ valdè legibiles sunt, & nemo potest se excusare, quòd non potuerit legere in libro. Vnde Habacuc 2. *Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eum.* Sed quoniam (*post pauca*) exempla efficacius mouent, quàm verba; & quia multi librum in ore, pauci in manu habent; ideò dicitur hic: *Accipe librum apertum de manu Angeli*; idest, exemplum tene boni Magistri, qui facit quod docet. *Hunc librum si frequenter legeris, & meditaberis, figetur tibi firmiùs ad spiritualem profectum tui memoria Redemptoris. Huc facit & quod dicitur Cant.* 8. Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. *Super cor tuum*: hoc Q est, habeto me semper in memoria, & ne obliuiscaris quanta pro tua salute pertulerim. *Pone me*, inquit, *vt signaculum super cor tuum* per fidem, *super brachium tuum* per dignam operationem: nam et nos, quando aliquid rememorari nobis volumus, signaculum digito, vel brachio imponere solemus, vt illo admoniti, rei quam curæ habemus, recordemur. Quod si fecerimus, ipse quoque nos velut signaculum assumet, & nostri recordabitur, Agg. 2. *Assumam te Zorobabel serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* Si verò beneficiorum eius obliti fuerimus, ipse quoque nostri obliuiscetur, Ier. 22.

Væ Saluatoris memoria relinquentibus.

Q *Cant.* 8. *com.* 1. & 2. *ibi Is.* 49. *ibi*, in manibus 1. *Pet.* 4. *ibi*, cogitatione.

Si fuerit Iechonias anulus in dextera mea, inde euellam eum. Quòd si Domini R Saluatoris memoria fuerit relicta, triplex sequitur malum: scilicet amissio gratiæ diuinæ, subiectio potestatis diabolicæ, magna deformitas culpæ. De primo Deut. 32. *Deum, qui te genuit* (per spiritualem etiam regenerationem) de reliquisti &c. Et ait: Abscondam faciem meam; idest, subtraham gratiam. De Secundo Iudic. 3. & 4. *Obliti sunt Dei sui; & tradidit eos in manus Cusan, & Sisara*, idest potestati diaboli. De Tertio ad Rom. 1. *Sicut non probauerunt*, idest noluerunt, *Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Et heu! (*nota*) hoc sæpè fit vsque ad mortem, Iob. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Iumenta sunt homines stulti, carnales, Deum præ oculis non habentes. Huiusmodi in stercore suo putrescere, est in luxuria, & alijs peccatis vitam finire. *Igitur Creatorem tuum memorare fidelis & recreatorem, ad eum laudandum: memorare peccata tua, ad detestandum: mundana cuncta, ad despiciendum: nouissima tua, ad metuendum, & benè operandum: inter quæ mortis recensetur memoria, quæ finis noster est, de qua infrà Verbo, Mors, DISCE terrena obliuisci, cælestia memorari.*

R *Op.* 58. *c.* 2. *initio.*

MENDACIVM. *Vide* Lingua.

MERCATOR. *Vide* Negociator.

MERETRIX. *Vide* Luxuria.

MERITVM.

X. Difficultas, quæ est ex conditione ipsius operis, operatur ad meritum: quæ verò est ex indispositione, & tarditate voluntatis, potiùs meritum diminuit. *Ver.* 14. *a.* 10. *ad* 12.

f Meritum S propriè dicitur, quod aliquis exhibet ad hoc, quòd faciat aliquid suum, quod est præmium meriti. *Vel* Meritum T propriè dicitur actio, qua efficitur, vt ei, qui agit, sit iustum aliquid dari. *Quocirca sciendum, quòd* in Iustitia V duæ personæ requiruntur, scilicet faciens iustitiam, & patiens iustitiam. Facientis autem iustitiam, reddere vnicuique quod suum est, actio est propria, patientis autem iustitiam, actio propria est facere sibi debitum quod est ei per iustitiam reddendum. Et hoc propriè mereri est, vnde & id, quod secundùm iustitiam redditur, merces dicitur. (*Et quidem, quemadmodum, vt alii exterreantur*, publicè X peccantibus pœna publica imponitur: similiter & publica merita, publicè præmiari oportet, vt alij prouocentur.) Sed quia iustitia reddit vnicuique quod ei debetur & in bonis & in malis: bona autem simpliciter sunt ea, quæ ad vitam æternam pertinent; & mala simpliciter sunt ea, quæ ad miseriam æternā pertinent: inde est, quòd secundùm Theologos meritum propriè dicitur respectu horū: quamuis magis propriè respectu bonorum dicatur meritum;

S 3. *d.* 30. 1. 5. *initio c.* & *d.* 18. 1. 5. *c.*

T 4. *d.* 15. 1. 3. *q.* 4. *initio c.* In 3. *d.* 18. 1. 4. *q.* 1. *c.* & 3. *p.* 49. 6. *c.*

Meritū quid.

V 3. *d.* 18. 1. 2. *c.* & *loc. cit.*

X 3. *p.* 55. 1. *ad* 1.

Publica merita publicè præmianda.

Meritū propriè dicitur respectu æternorum bonorum, demeritum respectu malorum.

ritum; demeritum verò respectum malorum. Ad hoc igitur, quòd aliquis mereatur, tria necessaria sunt: scilicet agens, qui meretur; actio per quam meretur, & merces, quam meretur. Et ideò ad meritum tria requiruntur.

Tria ad hoc vt quis mereatur, necessaria: consequenter & ad meritum.

Primum est secundùm comparationem merentis ad mercedem: & propter hoc illi, qui sunt omnino in termino, nihil merentur, quia nil acquirere possunt. *Secundum est* ex comparatione agentis ad actionem, vt scilicet sit dominus suæ actionis; aliàs per actionem suam non dignificatur ad aliquid habendum, nec laudatur: & ideò ea, quæ agunt per necessitatem naturæ, vel etiam per violentiam, non merentur. *Tertium est*, secundùm comparationem actionis ad mercedem, vt scilicet æquiparetur mercedi, non quidem secundùm æqualitatem quantitatis (quia hoc requiritur in iustitia commutatiua, quæ consistit in emptionibus, & venditionibus) sed secundùm æqualitatem proportionis, quæ requiritur in iustitia distributiua, secundùm quam Deus æterna præmia partitur. (*De his tribus fusiùs infrà.*)

Qualis iustitia in mercede reddenda meritorum.

Y 2.d.27. 1. 3. ad 4.

Deus an, & quomodo nobis debitor merentibus.

Ex quo Deus Y non efficitur debitor nobis, nisi fortè ex promisso, quia ipse bona operantibus præmium repromisit: & ideò non est inconueniens si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est. Vel dicendum, quòd in iustitia commutatiua ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, qui meretur, vt patet in illis, qui operationes suas locant in seruitium aliorum. Sed in iustitia distributiua non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui distribuit: potest enim ex liberalitate aliqua distribuere, in quorum tamen distributione iustitia exigitur, vt secundùm quod diuersis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit, *vt præmissum est. De quo vide Mag. Petr. Berg. Dub. 431. &* Z *Quoniam verò* mereri A est facere aliquid sibi debitum; hoc tribus modis contingit. *Vno modo*, quando aliquis facit de non debito debitum; sicut aliquis primo charitatis motu meretur vitam æternam, faciens eam debitam sibi, quæ priùs ei debita non erat. *Alio modo*, quòd erat minus debitum, faciendo sibi magis debitum: quod contingit in eo, in quo charitas augetur. *Tertio modo* contingit, quando aliquid, quod est vno modo debitum sibi, facit alio modo sibi debitum: sicut puer baptizatus, cui debetur vita æterna ex habitu gratiæ sibi infusæ, quando vsum liberi arbitrij habere incipit, facit eam sibi debitam ex actu. *Et hinc est quòd* mereri B dupliciter accipitur. *Vno modo* propriè: & sic nihil aliud est, quàm facere aliquam actionem, vnde aliquis sibi iustè acquirat mercedem. *Alio modo* impropriè: & sic quælibet conditio, quæ facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur; vt si dicamus, quòd species Priami meruit Imperium, quia digna Imperio fuit. Præmium ergo, cum merito debeatur, debetur quodammodo & qualitati habituali per quam aliquis redditur idoneus ad præmium; & sic debetur paruulis: & iterum debetur merito actuali; & sic non debetur virtuti, sed actui virtutis. Et tamen etiam paruulis quodammodò redditur ratione meriti actualis, in quantùm ex merito Christi Sacramentum efficaciam habet, quo regenerantur ad vitam. *Igitur, si formaliter loquamur*, nullus C meretur, nec demeretur pro habitu, sed pro actu. *Vnde & Apostolus 2. Tim. 2.* Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit. *Et Philosophus in 1. Ethic.* In Olympiadibus D non optimi, & fortissimi coronantur, sed agonizantes: horum autem quidam, scilicet qui vincunt. *Id quod magis clarescet, si aduertamus, quòd* aliquo E dicimur mereri dupliciter. *Vno modo*, sicut ipso merito, eo modo quo dicimur currere cursu: & hoc modo meremur actibus. *Alio modo* dicimur mereri aliquo, sicut principio merendi: sicut dicimur currere potentia motiua: & sic dicimur mereri virtutibus, & habitibus.

Z 2.con. G.c. 29.

A 3.d.18.1. 5.c.

Tripliciter potest quis merendo aliquid sibi debitum facere.

B Ver.1.1.ad 2. Ver.26. 6. & In 3.d.18. 1.2. c. In 4.d. 15.1. 3. q. 4. c.

Mereri dupliciter sumitur: propriè scilicet, & impropriè.

C Ma.2 2.ad 9. & a.3. ad 2. & a 5. ad 8. In 2.d.27.1.1.ad 4.

Nullus formaliter meretur vel demeretur pro habitu sed pro actu.

D In 2. loc. cit.

E 1.2. 55.1. ad 3.

Principium autem merendi, prout hic de merito loquimur, est Dei gratia: nemo enim sine illa in meritorium valet actum prodire. Hominis siquidem sine gratia F duplex status considerari potest. Vnus quidem naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum: alius autem naturæ corruptæ, sicut est in nobis ante reparationem gratiæ. Si loquamur de homine quoad primum statum; sic vna ratione non potest mereri absque gratia vitam æternam per pura naturalia, quia scilicet meritum hominis pendet ex præordinatione diuina: Actus autem cuiuscumque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus: hoc est enim ex institutione diuinæ prouidentiæ, vt nihil agat vltrà suam virtutem. Vita autem æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ, quia etiam excedit cognitionem, & desiderium eius, secundùm illud 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus &c.* Et inde est, quòd nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorij vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur. Si verò loquamur de homine sub peccato existente, additur cum hoc secunda ratio propter impedimentum peccati. Cum enim peccatum sit quædam Dei offensa, excludens à vita æterna: nullus, in statu peccati existens, potest vitam æternam mereri, nisi priùs Deo reconcilietur dimisso peccato, quod fit per gratiam. Peccatori enim non debetur vita, sed mors, secundùm illud Rom. 6. *Stipendia peccati mors. Quod quidem* simile est G de homine, & de Deo, quia etiam homo ab alio mereri non potest, quem offendit priùs, nisi ei satisfaciens reconcilietur. *Est autem gratia, principium merendi per actus virtutum.* Sicut *enim* ab essentia H animæ effluunt eius potentiæ, quæ sunt operum principia: ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus. *Et sic* gratia I est principium meritorij operis, mediantibus virtutibus; sicut essentia animæ est principium operum vitæ, mediantibus potentijs. *Inter virtutes autem primatum charitas tenet: vnde* gratia K facit meritum, sicut principium remotum, constituens nos in esse spirituali, sine quo non possumus mereri aliquod spirituale: sed charitas est sicut principium proximum. *Hinc Apostolus ad Hebr. 6.* Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis. Dilectionis *inquit*: soli enim L charitati debetur vita æterna, Io. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Quicquid enim non est ex charitate, non est meritorium, 1. Cor. 13. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ideò non dicit tantùm *operis vestri*, sed addit, *& dilectionis. Et ratio quidem adducitur: quia* humanus M actus habet rationem merendi ex duobus. *Primò* quidem, & principaliter ex diuina ordinatione, secundùm quòd actus dicitur esse meritorius illius boni, ad quod homo diuinitus ordinatur. *Secundò* verò ex parte liberi arbitrij, in quantùm scilicet homo habet præcæteris creaturis, vt per se agat voluntariè agens. Et quantùm ad vtrumque, principalitas meriti penes charitatem consistit. Primò enim considerandum est, quòd vita æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem

Principium merendi, gratia Dei, sine qua nemo meretur.

F 1.2.114.2. c. & 109. 5. c. & 1.p.62.4.c. Ver. 24. 14. In 2.d.26. 1. 5. c. & d.28.1.1. & d.29.1.1. & 3. con. G. c. 147. & 150. Quol. 1. a. 7.

G 1.2.114.2. ad 3.

H 1. 2. 110. 4. ad 1 & 3. p. 7.2.c. & q. 62. 2.c. In 4. d. 17. 1.1.q. 1. ad 3.

Sicut ab essentia animæ effluunt potentiæ; ita à gratia virtutes, quibus mediantibus meremur.

I 1.2. loc. cit. ad 2.

K in 3.d.30. 1. 5. ad 1.

Gratia, principium remotum merendi, charitas proximum.

L Ad Hebr. 6. l. 3. ibi.

M 1. 2. 114. 4. c. In 3 d. 30. 1. 5. c. In 4. d. 49. 1. 4. q. 4. Pot. 6. 9. c.

Ratio adducitur.

Principalitas meriti ex charitate.

nem diuini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quòd aliæ virtutes imperantur à charitate: & ideò meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur. Similiter etiam manifestum est, quòd id, quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus: vnde etiam secundùm quod ad rationem meriti requiritur, quòd sit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur. *Hinc docemur, quòd* magnitudo N meriti principaliter, & respectu essentialis præmij, attenditur secundùm charitatem. Consistit enim præmium essentiale in gaudio, quod habetur de Deo. Manifestum est autem, quod de Deo plus gaudebunt qui plus amant: vnde & illam visionem beatam Dominus suo dilecto promittit, dicens Io. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Sed secundùm quantitatem operum, meretur homo præmium accidentale, quod est gaudium de talibus operibus. *Ex quo indubitanter* maior O est excellentia meriti, quæ consurgit ex charitate, quàm illa, quæ consurgit ex genere actus; sicut finis, ad quem ordinatur charitas, est potior his, quæ sunt ad finem, circa quæ actus nostri consistunt. Vnde etiam præmium respondens merito ratione charitatis, quantumcumque sit paruum, est maius quolibet præmio respondente actui ratione sui generis. Et ideò aureola etiam diminutiuè dicitur respectu Aureæ. *Et quidem*, quantùm P ad genus operis plùs meretur minimus martyr, quàm quicumque Confessor. Tamen, quantùm ad radicem operis, potest Confessor plùs mereri, in quantùm ex maiori charitate operatur: quia præmium essentiale respondet radici charitatis; accidentale verò generi actus. Et inde est, quòd aliquis Confessor potest aliquo martyre esse eminentior quantùm ad præmium essentiale: martyr tamen, quantùm ad præmium accidentale. *Cuius affertur ratio: quia & ipse* actus Q fidei non est meritorius nisi fides per dilectionem operetur, vt dicitur *ad Gal.* 5. Similiter etiam actus patientiæ, & fortitudinis (*qualis in martyribus*) non est meritorius, nisi aliquis ex charitate operetur secundùm illud 1. *Cor.* 13. Si tradidero corpus meum &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: *cum charitas omnium virtutum forma sit vt superiùs suo loco visum est. Vnde* passio R in quantum huiusmodi, non est meritoria, quia habet principium ab exteriori: sed secundùm quod eam aliquis voluntariè sustinet (*propter Dei vtique amorem, hoc est, ex charitate*) sic habet principium ab interiori; & hoc modo est meritoria.

N Rom. 8. l. 5. ibi, primitias.

Præmium essentiale quid.

Quid accidentale.

O 4. d. 49. 5. 1. ad 5. & ad 2.

P Ver. 26. 6. ad 8. Rom. 8. l. 5. & 1. Cor. 3. l. 2. Hebr. 11. l. 8. & c. 12. l. 1. fi. In 4. l. c. a 3. q. 2. ad 3. & 4. 5. q. 3.

An aliquis Cõfessor martyre eminentior.

Q 1. 2. 114. 4. ad 3. 2. 2. 83. 15. c. In 2. d. 24. 1. 4. ad 4. In 3. d. 18. 1. 2. c. Ver. 26. 6. c. & l. cor. 2. l. 2. & 1. Tim. 4. l. 2. Hebr. 6. l. 3.

R 3. p. 48. 1. ad 1. In 2. d. 40. 1. 4. ad 1. Ver. 26. 6. c.

Passio, vt passio, non est meritoria.

u *Et hinc est, quòd quamuis maior quandoque sit labor operantis, non semper tali labori maior respondet merces. Pro quo sciendum, quòd* labor S potest intelligi esse potior tripliciter. *Primò* quidem secundùm formam charitatis, cui respondet merces essentialis præmij, scilicet fruitionis, & visionis diuinæ. Vnde qui ex maiori charitate laborat, licèt minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet. *Secundò* ex specie operis: sicut enim in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat, sicut Architectus, quàm Artifex manualis, licèt minùs laboret corporaliter: Ita etiam in rebus diuinis ille, qui in nobiliori opere occupatur, maius præmium accipiet, quantùm ad aliquam prærogatiuam præmij accidentalis, licèt fortè minus corporaliter laboret; vnde aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. *Tertiò* ex quantitate laboris: quod quidem contingit dupliciter. Nam quandoque maior labor maiorem mercedem meretur, præcipuè quantùm ad remissionem pœnæ, putà, quòd diutiùs ieiunat aliquis, vel longiùs peregrinatur; & etiam quantùm ad gaudium, quod percipiet de maiori labore. Vnde dicitur Sap. 10. *Reddidit Deus*, scilicet iustis, *mercedem laborum suorum.* Quandoque verò est maior labor ex defectu voluntatis: in his enim, quæ propria voluntate facimus, minorem laborem sentimus. Et talis magnitudo laboris non augebit, sed minuet mercedem. Vnde dicitur Is. 40. *Assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Et ibi præmittitur: *Deficient pueri, & laborabunt. Et hoc est, quod aiebat initio Author:* Difficultas T quæ est ex conditione ipsius operis, operatur ad meritum: quæ verò est ex indispositione & tarditate voluntatis, potiùs meritum diminuit. *Sicut ab opposito* diminutio V difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget. *Et hoc ea de causa*, quia X habitus, & amor ex hoc faciunt facilitatem, quia faciunt maiorem inclinationem voluntatis; & ideò talis facilitas non diminuit rationem meriti. *Non diminuit inquam, sed auget: ex quo de Vidua illa Luc.* 21. mittente in gazophylacium æra minuta duo, *dictum est à Domino, quòd* plus omnibus misit; *quia nimirùm ex* maiori promptitudine voluntatis parum dedit, quàm omnes multum. *Docemur enim, quòd* vidua illa Y quæ minus dedit secundùm quantitatem, plus dedit secundùm suam proportionem, ex quo pensatur in ipsa maior charitatis affectus; *vnde meritum augmentum habet. En quomodo ex charitate tota ratio meriti qualificatur. Vnde notat Author, quòd* difficultas Z quæ est in dilectione inimici, non facit ad rationem meriti, nisi in quantùm per hoc demonstratur perfectio charitatis, quæ hanc difficultatem vincit. *Nam, vt consuetè dici: Omnia vincit amor. Et Apostolus* 1. *Cor.* 13. Charitas omnia suffert, omnia sustinet. *Siquidem* omnia A grauia, & impossibilia, (*vel*, importabilia) leuia facit amor. Et ideò lex noua non onerat, *quia lex amoris, Mat.* 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. *Coharenter ad hæc, in commendationem charitatis concludit Author:* Ad perfectionem B operationis requiritur, quòd aliquis constanter, & promptè operetur. Hoc autem præcipuè facit amor, propter quem etiam difficilia, & grauia, leuia videntur. *Ex quibus deducimus, quòd* cum meritum C non consistat (*vt vidimus*) in habitu, sed in actu; nec in actu quolibet, sed in eo, qui per habitum gratiæ informatur; actus autem omnis meritorius ex voluntate procedat: oportet, quòd meritum aliquid habeat à gratia, & aliquid à voluntate; & aliquid etiam ab obiecto actus, vnde species actus trahitur; & ideò ex his tribus efficacia merendi mensurari potest, scilicet ex gratia, voluntate, & obiecto. Quantò enim maiori charitate, & gratia actus informatur, tantò magis est meritorius. Similiter etiam, quantò magis est voluntarius, plus habet de ratione meriti, & laudabilis. Similiter etiam quantò magis obiectum est arduum, tantò magis est actus meritorius. Semper tamen intelligatur comparatio de vno, cæteris paribus.

Non semper maior labor maiorem meretur mercedem.

S 1 Cor. 3. l. 2. sub initio In 2. d. 29. 1. 4. fi. c. In 4. d. 49. 5. 1. ad 2.

T Ver. 14. 10. ad 12.

An difficultas operis meritum augeat.

V 4. d. 15. 1. 4. q. 1. ad 2.

X 3. d. 30. 1. 5. ad 4.

Y 2. 2. 32. 4. ad 3.

Z Virt 2. 8. ad 17.

Charitas difficilia, & grauia cuncta leuia facit.

A Mat. 11. fin. cap.

B 3. con. G. c. 151. n. 5.

C In 2. d. 29. 1. 4. initio & 1. p. 95. 4. c.

Ex tribus coalescit meritum.

x *Igitur* ad meritum D duo requiruntur; scilicet status merendi, & facultas merentis: Ad statum quidem merendi requiritur, quòd desit sibi id, quod mereri dicitur; quamuis quidam dicant,

D Ver. 29. 6. c. & a. 8. c. In 3. d. 18. 1. 2. c. & 3. p. 19. 3.

Duo ad illud exiguntur.

eant, quòd aliquis poteſt mereri id, quod iam habet, ſicut dicunt de Angelis, quòd beatitudinem, quam ſimul cum gratia acceperunt, meruerunt per opera ſequentia, quæ circa nos faciunt. Sed hoc non videtur eſſe verum: quia meritum eſt cauſa premij; non quidem per modum finalis cauſæ, ſic enim magis præmium eſt cauſa meriti; ſed magis ſecundùm reductionem ad cauſam efficientem, in quantùm meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium diſponit. Id autem, quod eſt cauſa per modum efficientis, nullo modo poteſt eſſe poſterius tempore eo, cuius eſt cauſa; vnde non poteſt eſſe, quòd aliquis mereatur quod iam habet. Quòd autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino ſuo ſeruit, magis habet rationem gratiarum actionis, quàm meriti. Facultas verò merendi requiritur ex parte naturæ, & ex parte gratiæ. Ex parte naturæ quidem; quia per actum proprium quis mereri non poteſt, niſi ſit dominus ſui actus: ſic enim ſuum actum, quaſi pretium pro præmio dare poteſt. Eſt autem quis dominus ſui actus per liberum arbitrium: vnde naturalis facultas liberi arbitrij requiritur ad merendum. Ex parte verò gratiæ: quia, cum premium beatitudinis facultatem humanæ naturæ excedat, per naturalia pura ad illud merendum homo non poteſt ſufficere: & ideò requiritur gratia, per quam mereri poſſit: *vt ſuperiùs præmiſſum eſt. Ex quorum primo ſequitur, quòd nec aliquis mereri poſſit, niſi ſit viator; tunc enim* deeſt ſibi quod dicitur mereri, *ſcilicet beatitudo æterna.* Requiritur *ergo* ad meritum E vt ille, qui meretur, ſit in ſtatu aquirendi mercedem: & propter hoc illi, qui ſunt omninò in termino, nihil merentur, quia nihil acquirere poſſunt. *Sed hoc videtur eſſe falſum, in caſu quo quis cum actuali veniali peccato ex hac vita decedit: quo modo enim ei dimitti poterit in purgatorio, cum adhuc inibi ſit viator; nec per conſequens poſſit abſolutionem venialis culpæ mereri? Et caſum quidem ſupponit Author: progreſſus etiam reſolutione docet, quòd* quandoque F contingit, quòd aliqui in ipſis actibus peccatorum venialium, vel in propoſito venialiter peccandi, occupantur ſomno, vel aliqua paſſione auferente vſum rationis, & præueniuntur morte antequam poſſint vſum rationis habere. Quibus, manifeſtum eſt, quòd in hac vita peccata venialia non dimittuntur: & tamen propterea impediuntur perpetuò à vita æterna, ad quam nullo modo perueniunt, niſi omninò immunes ab omni culpa effecti. Et ideò oportet dicere, quòd venialia remittuntur eis poſt hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo, quo remittuntur in hac vita, ſcilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commiſſis. Quia tamen poſt hanc vitam non eſt ſtatus merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur abſolutionem, vel diminutionem pœnæ, ſicut in hac vita. *Vel dici rationabiliter poteſt:* quòd G poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmij eſſentialis; ſed reſpectu alicuius accidentalis poteſt eſſe, quandiù manet homo in ſtatu viæ aliquo modo: & ideò in Purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantùm ad remiſſionem culpæ venialis. *Quemadmodum,* & Angeli H non ſunt viatores quantùm ad præmium eſſentiale; ſunt tamen aliquo modo viatores reſpectu præmij accidentalis, in quantùm nobis miniſtrant. (*Vide Tom. 1. V.* Angelus.) *Hinc ſignanter dicebat loco ſupracitato Author, eos non mereri,* qui ſunt omninò in termino: *neque enim in purgatorio exiſtentes, in termino omninò eſſe dicendi ſunt, cum nondum ad beatam Patriam peruenerint.*

Viator ſit oportet qui meretur.

E 3.d.18.1.2.c. & 1 p.62.9.c. & 2.2.13.4. ad 2. & 3.p.19.3. ad 1 Ver.29.7. ad 5. & 1. Cor.15.l.2. ſub init.

F Ma.7.11.ſi.c. In 2. d. 43. exp. tex. In 4. d. 16.1.2.q.4. ad 1. & d.21.1.3.q.1.c.

Quomodo venialis culpa non dimiſſa in hac vita remittatur in purgatorio.

G 4.d.21.1.c. ad 4. & d.45.2.1.q.2. ad 3.

H Ver.29.7. ad 5.

Angeli, quo ſenſu viatores.

Cæterùm & de condigno dicitur homo mereri, & de congruo. Dicitur autem I aliquis mereri ex condigno, quando inuenitur æqualitas inter præmium, & meritum ſecundùm æſtimationem. Ex congruo autem tantùm, quando talis æqualitas non inuenitur, ſed ſolùm ſecundùm liberalitatem dantis munus tribuitur, quod dantem decet: *quia nimirùm ex parte Dei* congruum eſt K vt dum homo benè vtitur ſua virtute, Deus ſecundùm ſuperexcellentem virtutem excellentiùs operetur. *Vno verbo*: Duplex L eſt meritum: vnum, quod innititur iuſtitiæ; & illud eſt meritum condigni. Aliud, quod ſoli miſericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui. *Quo ſecundo merito dicitur & oratio multoties impetrare: quia* impetratio M orationis innititur miſericordiæ, meritum autem condigni innititur iuſtitiæ: & ideò multa orando impetrat homo ex diuina miſericordia, quæ tamen non meretur ſecundùm iuſtitiam, *ſecundùm illud Dan. 9.* Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. *Verum tamen non tam facilè intelligitur homo à Deo mereri, ſicut ab homine alius homo.* Manifeſtum N eſt namque, quòd inter Deum, & hominem eſt maxima inæqualitas (in infinitum enim diſtant) & totum, quod eſt hominis bonum, eſt à Deo: vnde non poteſt hominis ad Deum eſſe iuſtitia ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſed ſecundùm proportionem quandam, in quantùm ſcilicet vterque operatur ſecundùm modum ſuum. Modus autem, & menſura humanæ virtutis eſt homini à Deo; & ideò meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundùm præſuppoſitionem diuinæ ordinationis: ita ſcilicet, vt id homo conſequatur à Deo per ſuam operationem, quaſi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputauit. Sicut etiam res naturales hoc conſequuntur per proprios motus, & operationes, ad quod à Deo ſunt ordinatæ: differenter tamen, quia creatura rationalis ſe ipſam mouet ad agendum per liberum arbitrium, vnde ſua actio habet rationem meriti: quod non eſt in alijs creaturis. *Nec tamen per ſolum lib. arbitrium (vt ex præfatis clareſcit) poteſt homo ex condigno perennem æternæ vitæ promereri mercedem. Proque ſciendum, quòd* opus O meritorium hominis dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo, ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio. Alio modo, ſecundùm quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si conſideretur ſecundùm ſubſtantiam operis, & ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio, ſic non poteſt ibi eſſe condignitas propter maximam inæqualitatem; ſed eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis; videtur enim congruum, vt homini operanti ſecundùm ſuam virtutem Deus recompenſet ſecundùm excellentiam virtutis ſuæ. Si autem loquamur de opere meritorio, ſecundùm quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ ex condigno: ſic enim valor meriti attenditur ſecundùm virtutem Spiritus Sancti, mouentis nos in vitam æternam, ſecundùm illud Io. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Attenditur etiam pretium operis ſecundùm dignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus diuinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hereditas ex ipſo iure adoptionis, ſecundùm illud Rom. 8. *Si Filii, & heredes.* Et prius cap. 6. *Gratia Dei, vita æterna*: hoc enim ipſum P quòd bona operamur, & quòd opus noſtrum eſt dignum vita æterna, eſt à gratia Dei, *Pſ. 83.*

Gra-

Duplex meritũ, de condigno ſcilicet, & de congruo: & quid vtrumque.

I 2.d.27.1.3.c. & 1.2.114.6.c. In 3.d.18.1.2.c.

K 1.2. loc. cit.

L Hebr. 6. l. 3. ibi, iniuſtus.

M 1 2. loc. cit. ad 2. & 2 2. 178.2. ad 1.

Multa orando impetrat homo ex diuina miſericordia, quæ tamen non meretur ex iuſtitia.

N 1.2.114.1.c.

Quomodo poſſit homo à Deo mereri ſtante maxima inter eos inæqualitate.

Quicquid habet homo, à Deo habet.

Opus meritorium dupliciter conſideratur.

O 1.2. loc. cit. a. 3.c. & 3.p.48.1 c. In 2.d.27.1.3.c. Et ad Hann. ib. d.28.1.3. In 3. d. 4.3.1. ad 5. Rom. 4.l.1. Rom. 6. fin. c. Rom. 8. l. 4. ibi condignæ.

P Rom. 6. fin. cap.

Gratiam, & gloriam dabit Dominus. *Vnde & gratia dicitur semen gloria*, 1. Io. 3. Omnis, qui natus est ex Deo (*sed ex Deo nati sunt*, Io. 1.) peccatum non facit, quoniam semen ipsius (*scilicet* gratiæ Q iustificantis) in eo manet: *Siquidem* gratia R Spiritus Sancti, quam in præsenti habemus, etsi non sit æqualis gloriæ in actu, est tamen æqualis in virtute: sicut semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem. Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitæ æternæ, vnde & dicitur esse *pignus hereditatis nostra*, Eph. 1. & 2. Cor. 1. *Sanè* gratia S nihil est aliud, quàm quædam inchoatio gloriæ in nobis, *ex quo benè dicitur Rom. 6. cit.* Gratia Dei, vita æterna. *Et hinc inter merentem hominem, & Deum retribuentem, iustitia aqualitas elucescit. Eapropter dicebat Apostolus 2. ad Tim. 4.* In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex &c. *Vbi Author*: Corona *inquit* iustitiæ T dicitur, quam Deus ex iustitia sua reddet, & ideò subditur: *Quam reddet mihi Dominus iustus Iudex*, scilicet per suam iustitiam. Et quamuis vita æterna ex gratia detur, Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis*: dicendum tamen, quòd est ibi *gratia*, quantùm ad radicem merendi, *iustitia* quantùm ad actum, qui procedit ex voluntate. *Vel corona iustitia* est, quæ datur ex iustitia, quia datur iustis secundùm opera iusta. *Idcircò non in nobis gloriandum, sed in Domino, qui dat arma ad pugnandum, vires ad vincendum, merita ad pramium comparandum*: Absit (*ait Tridentinum*) vt V Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. *Quinimmò tam bonus est, & superexcellens retributor Deus, vt nedum vltrà condignum retribuat, sed pro sola benè operandi voluntate pramium reddat*: Tantum enim X meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud: & si facit vnum actum, quantum si faceret multos; *siquidem apud Deum* voluntas habetur pro facto. *Praterea licèt pro nobis simul, & aliis satisfacere non valeamus: mereri tamen aliis, simul, & nobis vtique possumus. Et ratio adducitur: quia* in solutione Y debiti attenditur quantitas pœnæ, sed in merito attenditur radix charitatis; & ideò ille, qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur; non autem qui pro alio satisfacit, pro se satisfacit: quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad vtrumque peccatum: tamen sibi meretur maius quid, quàm sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.

Z *Ex præfatis sequitur, quòd quia media gratia promeremur, mereri nobis primam gratiam non possumus. Et quidem*, gratia Z non potest cadere sub merito, quia est merendi principium, *vt visum est. Quocirca notandum, quòd* donum A gratiæ considerari potest dupliciter. Vno modo secundùm rationem gratuiti doni; & sic manifestum est, quòd omne meritum repugnat gratiæ, quia vt Apostolus dicit ad Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*. Alio modo potest considerari secundùm naturam ipsius rei, quæ donatur; & sic etiam non potest cadere sub merito non habentis gratiam; tum quia excedit proportionem naturæ; tum etiam quia ante gratiam in statu peccati homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum. Postquam autem aliquis iam habet gratiam, non potest gratia iam habita sub merito cadere, quia merces est terminus operis: gratia verò est principium cuius libet boni operis in nobis. Si verò aliud donum gratuitum aliquis mereatur virtute gratiæ præcedentis, iam non erit prima. Vnde manifestum est, quòd nullus potest sibi mereri primam gratiam. *Hinc Apostolus postquàm dixerat Rom. 11. cit.* Si autem gratia, iam non ex operibus, *mox subiicit*: alioquin gratia iam non est gratia. *Si autem gratia*, scilicet B salui facti sunt, *iam non ex operibus eorum*, ad Tit. 3. *Non ex operibus iustitia, qua fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*. Et subdit, *alioquin*: scilicet, si gratia ex operibus, *iam non est gratia*, quæ dicitur ex eo, quòd gratis datur; *ad Rom. 5.* Iustificati gratis per gratiam ipsius. *Verùm, licèt quis non possit primam sibi mereri gratiam, potest nihilominus illam alteri promereri: de congruo tamen, non ex condigno. Sanè*, opus C nostrum (*vt superiùs visum est*) habet rationem meriti ex duobus. Primò quidem ex vi motionis diuinæ; & sic meretur aliquis ex condigno. Alio modo habet rationem meriti, secundùm quod procedit ex libero arbitrio, in quantùm voluntariè aliquid facimus; & ex hac parte est meritum congrui. Ex quo patet, quòd merito condigni nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus: quia vnusquisque nostrum mouetur à Deo per donum gratiæ, vt ipse ad vitam æternam perueniat: & ideò meritum condigni vltrà hanc motionem non se extendit. Sed anima Christi mota est à Deo per gratiam, non solùm vt ipse perueniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam vt alios in eam adduceret, in quantùm est caput Ecclesiæ, & Author salutis humanæ, secundùm illud ad Hebr. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem salutis eorum &c.* Sed merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam: quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundùm amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in saluatione alterius: (*vnde* si D Stephanus pro persecutoribus non orasset, fortè Paulus saluus non fuisset: *& sanè*, aliàs E pro nihilo oraret Ecclesia pro peccatoribus:) licèt quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cuius aliquis Sanctus iustificationem desiderat. Et in hoc casum loquitur authoritas *Ier. c. 15.* Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. *Gratiam proinde habens multò magis* aliquis F per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ. *Quod & sibi ipsi valet iustus potiori iure promereri; & quidem de condigno.* Illud *enim* cadit G sub merito condigni, ad quod motio gratiæ se extendit: motio autem alicuius mouentis non solùm se extendit ad vltimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiæ est vita æterna; progressus autem in hoc motu est secundùm augmentum charitatis, vel gratiæ, secundùm illud Prou. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*, quæ est dies gloriæ; & sic augmentum gratiæ cadit sub merito condigni. *Verumtamen* quolibet H actu meritorio meretur quidem homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum, *per feruentiores videlicet actus charitatis. Caterùm* nullus I potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum neque merito condigni neque merito

Margin notes (left):

Gratia, semen gloriæ.

Q 3.Io.3. ibi. R 1.2.114.3. ad 3. & 1.p.62 3.c. In 3.d.1.1. 2. ad 3. In 4.d. 14.1.4.q.1. ad 1.

S 2.2.24.3. ad 2.

T 2.Tim.4.l. 2. ibi.

Quomodo reddatur gloria æterna ex gratia simul, & Iustitia.

V Trid. Sess.6. de Iustific.c.16

X 2.d.40.1.3. fin.c.

Y 4.d.20.1.2. q.3 ad 3.

Non possumus nobis mereri primã gratiam.

Z 3.p.2.11.c. A 1.2.145. c. & 3.p.l.c. In 2.d.27.1.4.c. & ad 5. & 3. con. G. c. 149. 159. Ver.29.6. c. Io.10. l. 3

Margin notes (right):

B Rom.11.l.1. ibi, Eph.2.l.3. ibi, gratia.

Gratia vnde dicatur.

C 1.2.114.6. c. & a.7. ad 2. In 2.d.27.1.6. c In 3.d.19.1. 5.q.3. ad 5. In 4.d.19.1.2.q. 1. ad 2.

Potest quis alteri primam gratiam de congruo mereri, non ita de condigno quod soli Christo vt capiti datum est.

D 2.d.41.1. 4. ad 2. & 1. E 1 ad Tim. 4. l. 2. circ. fin.

F 4 d.20.1.2. q.3.c.

Sic pariter, & augumentum gratiæ gratiam habenti.

G 1.2.114.8. c. In 2.d.27.1. 5.1.

Quad multò magis sibi potest de condigno mereri.

Licèt non statim recipiat, sed cum fuerit sufficienter dispositus.

H 3.2.l.c. ad 3. In 2.l.c. ad 2.

I 1.2.l.c.a 7. In 2.d.27.1.4. ad 4 & a.6.c. Hebr. 6. l. 3.

merito congrui. Non quidem merito condigni: quia ratio huius meriti dependet ex motione diuinæ gratiæ, quæ quidem motio interrumpitur per sequens peccatum: vnde omnia beneficia, quæ postmodum aliquis à Deo consequitur, quibus reparatur, non cadunt sub merito, tanquam motione prioris gratiæ, vsque ad hæc non se extendente. Meritum etiam congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur, ne consequatur effectum propter impedimentum, quod est & in eo, qui meretur & in eo, cui meretur: hic enim vtrumque in vnam personam concurrit. Et ideò nullo modo aliquis potest sibi mereri reparationem post lapsum. *Porrò tametsi existat quis in gratia, non tamen donum potest perseuerantiæ mereri. Quocirca sciendum, quòd* perseuerantia K tripliciter dicitur. Quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne remoueatur ab eo, quod est secundùm virtutem per tristitias irruentes, vt sic se habeat perseuerantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias, & delectationes, vt Philosophus dicit *in 7. Eth.* Alio modo potest dici perseuerantia habitus quidam, secundùm quem homo habet propositum perseuerandi in bono vsque in finem. Et vtroque istorum modorum perseuerantia simul cum gratia infunditur, sicut & continentia, & cœteræ virtutes. Alio modo dicitur perseuerantia continuatio quædam boni vsque ad finem vitæ. Et ad talem perseuerantiam habendam, homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed diuino auxilio ipsum dirigente, & protegente contra tentationum impulsus. Et ideò, postquàm aliquis est iustificatus per gratiam, necesse habet à Deo petere prædictum perseuerantiæ donum, vt scilicet custodiatur à malo vsque ad finem vitæ. Multis enim datur gratia (*nota*) quibus non datur perseuerare in gratia. *Ex quo talis perseuerantiæ donum sub merito humano cadere non potest.* Cum *enim* homo L naturaliter habeat liberum arbitrium flexibile ad bonum, & ad malum, dupliciter potest aliquis perseuerantiam in bono obtinere à Deo. *Vno* quidem *modo* per hoc, quòd liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam consummatam, quod erit in gloria. *Alio modo* ex parte motionis diuinæ, quæ hominem inclinat ad bonum vsque ad finem. Illud autem cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrij directi à Deo mouente, sicut terminus: non autem id, quod comparatur ad prædictum motum, sicut principium. Vnde patet, quòd perseuerantia gloriæ, quæ est terminus prædicti motus, cadit sub merito, perseuerantia autem vitæ non cadit sub merito, quia dependet solùm ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti: sed Deus gratis perseuerantiæ bonum largitur cuicumque illud largitur. *Et alibi*. Perseuerantia M dupliciter dicitur. *Vno modo* pro ipso habitu perseuerantiæ secundùm quod est virtus: & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ, sicut & cæteræ virtutes infusæ. *Alio modo* potest accipi pro actu perseuerantiæ, durante vsque ad mortem: & secundùm hoc non indiget solùm gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conseruantis hominem in bono vsque ad finem vitæ. Quia, cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat, licèt sit in potestate eius, quòd hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non

Nemo meretur sibi reparationem post lapsum futurum.

Perseuerantia tripliciter dicitur.

K 1. 2. 109. 10. c. & 2. 2. 137. 1. & 4. ad 2. In 2. d. 29. 1. 3. ad 2. & d. 43. 1. 3. ad 3. In 3. d. 33. 3. 3. q. 1. & 4. d. 36. 1. 2. ad 4. Ver. 14. 13. ad 3.

L 1. 2. 114. 9. c. In 2. d. 45. 2. 1 q. 1. c. Ps. 31. lit. g.

Finalis perseuerantiæ donum non cadit sub merito.

M 1. 2. 137. 4. c.

executio. *Profectò totum salutis nostræ negocium ab hoc pendet perseuerantiæ dono: nam* bonum N hominis non solùm consistit in quantitate charitatis, sed præcipuè in ipsius perseuerantia vsque ad mortem, *secundùm illud Matth. 24.* Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Ea propter humiliter, & enixè hoc à Deo implorandum perseuerantiæ donum, ut salui simus. Quoniam verò & bona temporalia, modò bene eis vtamur, spiritualiter prodesse valent: idcircò*, si temporalia O bona considerentur, prout sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam: secundum hoc directè, & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ, & omnia illa, quibus homo adiuuatur ad perueniendum in beatitudinem post primam gratiam. Tantum enim dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, & etiam de malis, quantum eis expedit ad perueniendum ad vitam æternam: & in tantum sunt simpliciter bona, huiusmodi temporalia; vnde dicitur in Ps. 33. *Timentes autem Dominum non minuentur omni bono*; & Ps. 36. *Non vidi iustum derelictum &c.* Si autem considerentur huiusmodi temporalia bona secundùm se: sic non sunt simpliciter bona hominis, sed secundùm quid; & ita non simpliciter cadunt sub merito, sed secundùm quid: in quantùm scilicet homines mouentur à Deo ad aliqua temporaliter agenda in quibus suum propositum consequuntur Deo fauente. *Neque efficit, quòd dicatur Eccle. 9.* Vniuersa æquè eueniunt, iusto & impio, bono & malo &c. *Hoc enim dicitur* quantùm P ad substantiam bonorum, vel malorum temporalium, sed non quantùm ad finem: quia boni per huiusmodi manuducuntur ad beatitudinem, non autem mali. *De quibus immò docemur, quòd* secundùm doctrinam Q fidei temporalia bona, quæ indignis proueniunt, ex iusta Dei ordinatione disponuntur vel ad eorum correctionem (*nota*) vel ad eorum damnationem: *hic siquidem* receperunt mercedem suam. *Quoad opera verò moraliter bona, quæ sine gratia, & charitate quis facit, ab Authore erudimur, quòd* extra R charitatem facta, non sunt meritoria ex condigno neque æterni neque temporalis alicuius boni apud Deum: sed quia diuinam bonitatem decet, vt vbicumque dispositionem inuenit, perfectionem adijciat: ideò ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra charitatem facta. Et secundum hoc opera ista valent ad triplex bonum (*contra id, quod aliqui ad nihilum valere, vel publicè docent cum detrimento animarum*) scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum. (*Et alibi*: Præmio suo S sibi proportionato non carent: causant enim quandam habilitatem ad gratiam, & secum etiam quandam honestatem, & iucunditatem, & pulchritudinem habent.) Quia tamen hoc meritum non propriè meritum dicitur, ideò magis concedendum est, quòd huiusmodi opera non sint meritoria, quam quòd sint. *Vnde* quantumcumque T sit opus bonum, extra charitatem factum, non facit propriè loquendo, quòd aliquid recipiendi à Deo faciens debitum habeat: sed opus malum ex quantitate suæ malitiæ secundùm æquiualentiã pœnam meretur. *In naturalibus autem videtur, quòd nil meriti eluceat, vel demeriti ex illo*: Naturalibus (*siue potentijs*) neque meremur, neque demeremur. *Nihilominus* potest hoc V intelligi dupliciter, *Vno modo* sic, quòd naturalia ipsa non sunt merita, vel demerita: & sic ve-

N Rom 8. l. 6. non longe ab initio.

A quo totum pendet salutis nostræ negotium.

O 1. 2. 114. 10. c. & 2. 2. 5. ad 4. In 3. d. 18. 1. 4. q. 1 c.

An bona temporalia cadãt sub merito, & quomodo.

Tantum datur iustis de bonis temporalibus, quãtum eis expedit ad salutẽ.

P 1. 2. loc. cit. ad 4.

Q 2. 2. 36. 2. c. lo. 9. l. 1. lit. c. ibi, vt manifestentur.

Malis verò, vel ad correctionem, vel ad damnationem.

R 4 d. 15. 1. 3. q. 4. c. In 2. d. 27. 1. 4. c. Ma. 2. 5. ad 7. & 3. p. 89. 6. ad 3.

Opera bona extra charitatem facta ad quid valeant.

S In 2. loc. cit.

T in 4. loc. cit. ad 1.

V Quol. 5. a. 2. ad 1. & in corp.

Naturalibus num mereamur, aut demereamur.

verum est, quòd merita sunt supra naturam, & demerita sunt contra naturam. *Alio modo* potest intelligi sic, quòd naturalia non sint principia merendi, vel demerendi: & sic falsum est. Naturalia enim adiuta per gratiam sunt principia merendi: sibi autem relicta, possunt esse principia demerendi. *Et alibi*. Si sic X intelligatur, quòd pura potentia non possit esse principium merendi, neque demerendi: verum est quantùm ad meritum, quod non potest esse sine gratia. Non est autem verum quantùm ad demeritum: alioquin ille, qui à principio peccat, antequam acquirat habitum vitiosum, non demeretur. *Vno verbo*. Naturalibus, *siue* potentijs meremur, & demeremur, *vt principio; non autem formaliter*. *Enimuerò* quia Y omne agens potest in id, quod est infra se, non autem in id, quod est supra se: natura sibi relicta non potest in actum meritorium, qui est supra facultatem naturæ. Potest autem in actum peccati, qui est demeritorius, sicut in aliquid infra naturam humanam existens: homo enim peccando descendit à dignitate suæ naturæ.

X Quol. 6. a. 6. ad 1.

Y Quol. 5. fi. 2. c.

a *Porrò* sicut Z peccatum consistit in hoc, quòd homo contempto Deo, commutabilibus bonis inhæret: ita meritum virtuosi actus consistit è contrario in hoc, quòd homo contemptis bonis creatis Deo inhæret, sicut fini. *Vnde & docemur, quòd* habere A oculum ad aliud, quàm ad Deum, sicut ad principalem finem, euacuat rationem meriti; non autem, si respiciat aliud, sicut quo ad Deum citò perueniendum: *vt de temporalibus bonis præmissum est*. *Totum autem hominis meritum exprimit Apostolus* 2. Tim. 4. *tum ait*: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. *Vbi Author*: Meritum *inquit* huius B vitæ est in tribus; scilicet in resistendo malis, in proficiendo in bonis, & in benè vtendo Dei donus. *Primum* dicitur quoddam certamen; vnde dicit: *Bonum certamen certaui*. Sed certamen dicitur bonum, primò si sit pro bonis, putà si sit pro fide, & iustitia, Ep. Iudæ *De communi vestra salute necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ Sanctis fidei*. Et Eccli. 4. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia*. Secundò propter modum certaminis, si scilicet solicitè, & legitimè certetur, 2. Tim. 2. *Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit*. Tertiò propter difficultatem certaminis, Sap. 10. *Certamen forte dedit illi, vt vinceret*. *Secundum*, quod est profectus in bonis, dicitur cursus; vnde sequitur: *cursum consummaui*, 1. ad Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis*. Et dicitur cursus profectus Sanctorum, quia cum festinatione currunt, vt meliorantes consumment, agitati stimulis charitatis, Hebr. 4. *Festinemus ingredi in illam requiem*. Et Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Nec, quia adhuc certamen, & cursus mortis restabat, non ideò consummauerat cursum, nec certauerat: nam sicut homo, qui benè incipit, & intendit finire, habet opus perfectè: sic & Apostolus; iam enim inceperat, & finire intendebat. *Tertium* est bonus vsus donorum Dei. Et est duplex: scilicet conseruatio fidei; & ideò dicit: *Fidem seruaui*. Quod facit qui vtitur donis Dei ad eius gloriam, & Salutem proximorum, Mat. 24. *Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*. Et 1. Tim. 1. *Fidelem me existimauit, ponens in ministerio*. Vel seruaui in me virtutem fidei, Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: propter quod dicitur Mat. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes*: idest custodite fidem, tanquam caput, & fundamentum virtutum: *quibus vtique, sicut visum est, promeremur. Nec tamen* (vt vidimus) *habitibus meremur virtutum, sed actibus, quos existens in gratia frequentes oportet ad proficiendum*. *Et ad hoc Timotheum hortabatur Apostolus* 1. *Tim*. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est: *Quasi dicat*: Immò C attende: quia qui recipit gratiam, non debet in ea negligens esse, sed ex ea fructificare debet: nam *Mat*. 25. Seruus abscondens in terra pecuniam punitur propter negligentiam, 2. Cor. 6. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quasi D dicat: ne receptio gratiæ sit vobis inutilis, & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ (*nota*) quis non sentit fructum. Qui quidem duplex est: scilicet remissio peccatorum, Is. 27. *Iste omnis fructus, vt auferatur peccatum*: & vt homo iustè viuendo perueniat ad gloriam cœlestem, Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam*. Quicumque ergo gratia percepta non vtitur ad vitandum peccata, & consequendum vitam æternam: hic gratiam Dei in vanum recipit. *Quam quidem se in vacuum non recepisse, testatur Apostolus ad Philip*. 2. *tum ait*: Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. *Et clarius* 1. *Cor*. 15. Gratia eius in me vacua non fuit. *Vacua*, idest E ociosa non fuit: quia ea vsus est ad id, ad quod data est sibi. *Quod probat ex sequentibus, cum subiicit*: Sed abundantius illis omnibus laboraui, *idest* Apostolis singillatim, prædicando: quia nullus per tot loca prædicauit, & annunciauit Christum, *sicut ille*. *Id quod tangit & Apostolus Petrus in sua* 2. *Cap*. 1. Vos autem, curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem: hæc enim, si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in D. N. I. Christi cognitione. *Vbi virtutes tangit, quibus meremur; sed præsertim tanquam omnium complementum & quid præcipuum, charitatem*. *Vnde dicit*: in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem. *Etenim*, quia F dilectio fratris cum omnibus prædictis non debet in se ipsis sistere, sed in amorem Dei, vt ad finem referri; ideò subdit: *in amore autem fraternitatis charitatem*, idest Dei amorem, ad Coloss. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Hoc est oleum, quod superinfertur omnibus liquoribus (*charitas scilicet omnibus virtutibus*:) *Hæc enim*, scilicet octo prædicta, *si vobiscum adsint* in affectu, *& superent* in effectu: (& dicit; *vobiscum adsint* per consensum liberi arbitrij, 1. Cor. 15. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*:) *non vacuos*, minus dicit, & plus significat, quasi plenos, *vos constituent* meriti in præsenti, *nec sine fructu* mercedis in futuro. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*, Sap. 3. *in D. N. I. Christi cognitione*, idest in die iudicij, *quando cognoscetur Deus iudicia faciens, qui modò contemnitur misericordias faciens*, vt dicit Bernardus. Vel *non constituet vos vacuos, nec sine fructu in cognitione D. N. I. Christi*; idest, ad cogno-

Z 2. 2. 104. 3. initio c.

In quo consistat actus meritorius.

A 4. d. 15. 4. 7. q. 2. ad 1.

Totum meritum hominis ab Apostolo exprimitur 2. ad Tim. 4.

B 2. Tim. 4. l. 2. ibi.

Quod consistit in tribus. Primum dicitur certamen in resistendo malis.

Quod tripliciter dicitur bonum.

Secundum profectus in bonis, & dicitur cursus.

Tertium bonus vsus donorum Dei.

Bene datâ gratia vtendum, vt proficiamus.

C 1. Tim. 4. l. 3. ibi.

D 2. Cor. 6. l. 1. ibi Philip. 2. l. 4. ibi, cucurri.

E 1. Cor. 15. l. 1 ibi.

Quis in vanum dicatur gratiam recipere.

Pauli Apostoli profectus.

F 2. Pet. 1. §. 2. ibi.

gnoscendum D. N. I. Christum: quæ cognitio est totus fructus, quia vita æterna, *Io.* 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum &c, *Hæc enim plena est omnium merces meritorum*. Bonorum *inquam* laborum gloriosus est fructus. *Etenim* sicut peccatum G habet suam pœnam adnexam aliquam: ita & meritum habet suum fructum adiunctum; qui tamen fructus in futuro complebitur, sicut & malorum pœna. *Enimuerò* sicut H culpæ redditur duplex pœna; vna, quæ comitatur ipsam culpam, vt conscientiæ remorsus, & huiusmodi, secundùm quod *Augustinus* dicit in lib. Confess. quòd *inordinatus animus sibi ipsi est pœna*: alia, quæ infligitur exteriùs à Iudice Deo, vel homine: Ita etiam duplex est præmium, respondens merito; vnum, quod comitatur ipsum actum meritorium, vt ipsa delectatio boni operis (*virtuosè enim agens delectabiliter operatur*) & similia; aliud, quod pro bono opere redditur à Deo, vel homine, vt vita æterna, & quicquid hoc modo redditur. Bonorum *inquam* laborum gloriosus est fructus. *Quod mysticè signat byssus, quo Sancti induuntur in Cœlo ob præclara eorum merita amicti*, *Apoc.* 19. Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido; byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum. *Et infrà*: Vestiti byssino albo, & mundo. *Vbi docemur, quòd* byssinum I est per significationem, virtutes & merita, quibus Sancti iustificantur, idest magis, & magis fiunt iusti. Sicut enim vestis byssina ornat corpus: sic virtutes, & merita spiritum. Et ita dicuntur *vestiti byssino*, idest ornati veste byssina, hoc est ornatu meritorum decorantium ad modum vestis byssinæ: *albo* ex parte intellectus contra deformitatem erroris, *&* *mundo* ex parte affectus contra sordes concupiscentiæ, vel affectionis: & quia merita cum magno labore acquiruntur, sicut byssus cum magno labore ad candorem ducitur. *Vnde dicitur Prou.* 31. Byssus, & purpura indumentum eius.

G 3.d.34.1.4.ad 2.
Sicut peccatum suam habet pœnam adnexam, ita & meritum fructum suum.
H 2.d.27.1.4.c.& ad 5.& d.5.2.2.ad 1.
Duplex pœna culpæ redditur, & merito duplex præmium.
Cur Sanctorum merita bysso comparata.
I Apoc. 19. com. 1. ibi, & com. 2. ibid. §. 2.

b *Cur igitur merita apud Deum, largum adeò remuneratorem, ad nostram non multiplicamus vtilitatem? Cur tentatione ingruente oblatas victoribus coronas non capimus? Atqui mundano amore illecti, facilè vincimur, & alter nostram accipit coronam: palmamque victoriæ diabolo cedimus, ipsius effecti voluntariè captiui. Et tamen*, cum liberum K arbitrium non possit cogi ad peccandum, quantumcumque sit dæmon fortis, homo resistere potest; vnde dicatur, quòd debilis est hostis, qui non potest vincere, nisi volentem: & super hoc homini adest præsidium Angeli (*custodis vtique*) & auxilium diuinum, si suscipere velit. *Et quidem, modò velimus, faciliter victoriam reportamus vbi ad primum sensualitatis motum renitimur*. Primus *enim* motus L non habet rationem culpæ, nisi secundùm quod aliquo modo est in potestate voluntatis. Vnde quandiù voluntas non repugnat, habet rationem peccati; sed quando voluntas iam repugnare incipit, tunc homo meretur; non quia ille motus primus sensualitatis sit meritorius, cui resistitur (qui tamen postquam sibi resistitur, rationem peccati amittit:) sed in ipso actu voluntatis resistentis meritum est, qui non est idem cum primo motu sensualitatis. *Quidni in meritorios conemur actus, dum ea est (vt præmisimus) diuini bonitas retributoris*, vt dona sua velit esse merita nostra? *Nec absterreat, quòd feruentioris charitatis actibus, vt dictum est, non semper proficimus: nam citra omne dubium*, etiam reddendo M quod debet, meretur aliquis: in hoc enim aliquis apud Deum meretur, in quo etiam vita laudabilis apud homines constituitur. Nam actus iustitiæ est laudabilis, & meritorius est; & tamen actus iustitiæ in redditione debiti etiam quod homini debetur, consistit. Quamuis enim illud, quod reddit, quod debitum est alteri, suum non sit; nihilominus tamen modus operationis, in quo fundatur, & ius merendi, & laus, ipsius reddentis est, qui voluntariè, & propter bonum iustitiæ reddit. *Quod & in omnium virtutum votis, obedientia præsertim, clarè liquet*. Opus *enim* redditur N virtuosum, & laudabile, & meritorium, præcipuè secundùm quod ex voluntate procedit: & ideò quamuis obedire sit debitum, si propria voluntate aliquis obediat, non propter hoc minoratur eius meritum, maximè apud Deum, qui non solùm exteriora opera, verùm etiam interiorem voluntatem videt. *Num verò, ad merendum, singulos oporteat actus in Deum, tanquam in finem referri; Vide* O. *Postremò vel hoc vnum ad meritorios eliciendos actus impellat, quòd actus merendi maiori polleat efficacia in homine, quàm in Angelo*. Meritum P hominis (*inquit Author*) est efficacius, quàm meritum Angeli: tum propter difficultatem, quæ est occasio maioris conatus: tum etiam propter continuum augmentum gratiæ, quod potest esse in homine, *vt de virtute in virtutem* proficiat, cum homo sit diutiùs viator, quàm Angelus fuerit: tum etiam, in quantùm merita nostra efficaciam habent ex merito Christi, cuius gratia est quodammodò infinita: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, vt dicitur ad Hebr. 2. *Et quidem, vt alibi erudimur*, quamuis gratia Q in Angelis sit maior secundùm statum, quia propinquior fini, cum sit minor via Angelo data, quàm homini: tamen gratia hominis potest esse maior in virtute merendi. Angelis enim data est gratia ad determinatum gradum, secundùm determinatum ordinem promerendum: & ideò vlterius præmium per gratiam illam mereri non possunt. Homo autem, cum ex conditione naturæ ad nullum ordinem determinetur, sed indifferenter ad omnes se habeat, accipit gratiam etiam indifferenter ordinatam ad promerendum gradum cuiuslibet ordinis secundùm genus suum. *Vnde & docemur, quòd* per donum R gratiæ homines mereri possunt tantam gloriam, vt Angelis æquentur secundum singulos Angelorum gradus. *Quin & ex hominibus* omnes S electi assumuntur ad ordines Angelorum, quidam ad Superiores, quidam ad Inferiores, quidam ad medios pro diuersitate suorum meritorum. *At verò tantum abest, vt homines actibus virtutum ad spiritualem studeant vtilitatem apud Deum promereri; quod immò studium multiplex adhibent, vt singulis quibusque horis ad proprium demereantur exitium. Verumtamen meminerit peccator quisque, illum sibi & omnibus instare diem, in quo supremus adueniet Iudex*, reddere vnicuique iuxta opera sua, *Apoc.* 22. hoc est T secundùm quod meruit quilibet, vel demeruit, *Ierem.* 25. Reddam eis secundùm opera

Moralitas.
K 2.d.11. exp.1.p.tex.
In tentatione vnde incipiat meritum
L 2.d.40.1.4.ad 3.
M 2.d.27.1.3.ad 3.
Reddendo etiam quod quis debet meretur.
N 2.2.104.1.ad 3. & fusè 3.com.§.c.138.
O 2.d.40.1.5.ad 6.& 7.
P 2.d.9.1.1.ad 2.
Meritum hominis efficacius, quàm Angeli, & quomodo.
Q 2.d.29.1.4.ad 4.& d.5.2.2.ad 4.
R 1.p.108.8.c. In 2.d.9.1.8.c.
S In 2. loc. cit. & ad 2.
Omnes electi assumuntur ad aliquem ordinem Angelorú in Patria.
T Apoc. 22. com. 2. ibi.

opera eorum, & secundùm facta manuum suarum: *vel æternam vtique requiem, vel perenne supplicium*. DISCE *benè operando apud Deum, & homines promereri*. *Vide* Adoptio diuina, Amor Dei, Bona temporalia *Tom.* 1. Gratia Dei *Tom.* 2.

MICHAEL. *Vide* Angelus, Antichristus *Tom.* 1.

MILES, MILITIA. *Vide* Bellum *Tom.* 1.

MINISTER. *Vide* Clericus *Tom.* 1. Princeps, Sacerdos.

MIRACVLVM

XI. Miracula facere, solius Dei est, secundùm illud Psalmistæ *Ps.* 71. Qui facit mirabilia solus. *Opusc.* 3. *c.* 136.

V Pot. 6.2. *initio c.* Miraculi nomen vnde deductum. X 1. *p.* 105. 7. *c. de Pot. l.c. In* 2. *d.* 18. 1. 3. *&* 3. *con. G. cap.* 101. *Op.* 3. *c.* 136. Admiratio quid, & vnde. Quid miraculum. Y *De Pot. loc. cit.* Z *Apoc.* 13. *com.* 2. 5. 1. *ibi* dedit illi draco, *& locis supracitatis*. Aliud mirum & mirabile, aliud miraculum. Diffinitio miraculi. A 1. *p.* 105. 7. *ad* 2. *Pot. l. c. ad* 1. 2. 4. *In* 2. *d.* 18. 1. 3. *ad* 3. *In* 4. *d.* 17. 1. 5. 9. 1. *c.*

c MIraculi V nomen à mirando est sumptum. *Et iterum alibi*: Nomen X miraculi ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti, & causa occulta. Sicut aliquis admiratur, cum videt Eclypsim Solis, & ignorat causam, vt dicitur in principio Metaphysicæ. Potest autem causa effectus alicuius apparentis alicui esse nota, quæ tamen est alijs incognita. Vnde aliquid est mirum vni, quod non est mirum alijs: sicut Eclypsim Solis miratur rusticus, non autem Astrologus. Miraculum autem dicitur, quasi admiratione plenum; quod scilicet habet causam simpliciter & omnibus occultam: hæc autem est Deus. Vnde illa, quæ à Deo fiunt præter causas nobis notas, miracula dicuntur. *Et sic* illa Y quæ sola virtute diuina fiunt in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur propriè miracula. Ea verò, quæ natura facit; notis tamen, vel alicui nostrum occulta; vel etiam quæ Deus facit, nec aliter nata sunt fieri, nisi à Deo, miracula dici non possunt, sed solùm mira, vel mirabilia. (Differentia *namque* est Z inter mirum, & mirabile, & miraculum. Mirum enim, & mirabile, sunt iuxta naturam; miraculum suprà. Vel mirum dicit admirationem in vidente, mirabile in visibili, miraculum in vtroque: & hoc fit propriè ad manifestandam Dei virtutem.) Et ideò diffinitur *ex Augustino* miraculum, quòd sit *aliquod arduum, & insolitum supra facultatem naturæ, & præter spem admirantis apparens*. In qua diffinitione ponitur aliquid, quod excedit naturæ ordinem in hoc, quod dicit, *supra facultatem naturæ*, cui ex parte rei mirabilis respondet quod dicitur *arduum*. Ponitur etiam aliquid, quod excedit nostram cognitionem, in hoc, quod dicitur, *propter spem admirantis apparens*, cui ex parte rei mirabilis respondet quod dicitur *insolitum*: nam per consuetudinem aliquid in nostram notitiam familiariùs venit. *Et alibi*. Arduum dicitur A miraculum, non propter dignitatem rei, in qua fit, sed quia excedit facultatem naturæ. Similiter etiam *insolitum* dicitur, non quia frequenter non eueniat, sed quia est præter naturalem consuetudinem. *Supra facultatem* autem *naturæ* dicitur aliquid non solùm propter substantiam facti, sed etiam propter modum, & ordinem faciendi. *Supra spem* etiam *naturæ* miraculum esse dicitur, non *supra spem gratiæ*, quæ est ex fide, per quam credimus, resurrectionem futuram. *Cæterùm* miracula B quandoque sunt supra naturam, quandoque præter naturam, quandoque contra naturam. *Supra naturam* dicitur esse miraculum, quando natura non potest in ipsam substantiam facti; sicut diuisio Maris rubri, suscitatio mortui, & huiusmodi. Illa verò dicuntur *præter naturam* fieri, in quo quidem natura potest quantùm ad substantiam facti; sed tamen præter operationem naturæ fiunt iussu diuino. (Et quòd hæc dicantur miracula, contingit ex tribus. *Primò* propter excessum, & singularem quendam modum: sicut ranæ productæ in Ægypto in tanta multitudinem, sicut anteà visum non fuerat. *Secundò* propter hoc, quòd hora determinata contingunt ad inuocationem diuini nominis: sicut quòd manus Ieroboam, extensa contra prophetam, arefacta fuit, & ara eius diuisa, 3. Reg. 13. *Tertiò* quando aliquid vniuersaliter contingit; sicut in veteri lege de aqua zelotypiæ dicitur *Num.* 5. quòd post potum illius venter adulteræ diuino miraculo putrescebat.) *Contra naturam* autem dicitur, quando in re est aliquid contrarium ei, quod fit: sicut si graue sursùm moueretur, & quòd virgo peperit, vel aliquid huiusmodi, ita quòd miraculosè sequatur actus, manente contraria natura, quæ scilicet est principium contrarij motus. *Verumtamen, quod dicitur* contra naturam fieri, *intelligendum est contra naturam particularem, non vniuersalem*. Sicut *enim* per virtutem C Cœli potest aliquid fieri contra hanc naturam particularem, nec tamen est hoc contra naturam simpliciter quia hoc est contra secundùm naturam vniuersalem: ita virtute Dei potest aliquid fieri contra naturam vniuersalem, quæ est ex virtute Cœli; non tamen erit contra naturam simpliciter, quia erit secundùm naturam vniuersalissimam, quæ consideratur ex ordine Dei ad omnes creaturas. Et ex hoc intellectu *Augustinus* dicit in glossa Rom. 11. *Deus omnium naturarum conditor, nihil contra naturam facit*. Vnde & subdit: *quia hoc est vnicuique natura, quod Deus facit*. Non *ergo* est D intelligendum, quod Deus non possit facere aliter, quàm natura faciat, cum ipse frequenter faciat contra consuetum cursum naturæ: sed quia quicquid in rebus facit, non est contra naturam, sed est eis natura, eo quòd ipse est conditor, & ordinator naturæ. Sic enim in rebus naturalibus videtur, quòd quando aliquod corpus inferius à superiori mouetur, est ei ille motus naturalis, quamuis non videatur conueniens motui, quem naturaliter habet ex se ipso. Sicut mare mouetur secundùm fluxum, & refluxum à Luna, & hic motus est ei naturalis, vt Commentator dicit *in* 3. *de Cœl. & Mundo*, licèt aquæ secundùm se ipsam motus naturalis sit ferri deorsum: & hoc modo omnes creaturæ, quasi pro naturali habent quod à Deo in eis fit. Et propter hoc in eis distinguitur potentia duplex: vna naturalis ad proprias operationes, vel motus; alia, quæ obedientiæ dicitur, ad ea quæ à Deo recipiunt. *Quod in miraculis contingit. Ex quo sequitur, quòd nihil potest fieri à Deo contra ordinem iustitiæ*.

Miracula supra naturam, præter naturam & contra naturam, quænam sint. *B* 2. *d.* 18. 1. 3. 5. *Pot.* 6. 2. *ad* 3. *Hebr.* 2. *l.* 1. *fin.* Ex triplici capite dicuntur præter naturam miracula fieri. *C Pot.* 6. 1. *ad* 1. *fin.* Contra naturam particularem fiunt miracula à Deo, non contra vniuersalem. *D Pot.* 1. 3. *ad* 1 *&* 1 *p.* 105. 6. *c. & ad* 1. *Op.* 3. *c.* 136. *fin.* Duplex potentia in creaturis: naturalis, & obedientialis.

E Pot. 6. 1. ad 3. & 1. p. l. c. ad 2.

Nihil potest fieri à Deo contra ordinem iustitiæ.

Cuius ratio est ; quia licet E Deus possit facere contra ordinem, qui est vnius creaturæ ad aliam, qui est quasi naturæ particularis respectu ipsius, non tamen potest facere contra ordinem creaturæ ad seipsum. Iustitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum : vnde contra ordinem iustitiæ Deus facere non potest. Cursus autem naturæ est secundùm ordinem vnius creaturæ ad aliam; & ideò contra cursum naturæ Deus facere potest ; *non ita contra ordinem iustitiæ. Sequitur Secundò, quod* creatio F & iustificatio impij, etsi à solo Deo fiant, non tamen propriè loquendo miracula dicuntur, quia non sunt nata fieri per alias causas : & ita non contingunt præter ordinem naturæ, cum hæc ad facultatem naturæ non pertineant. *Verumtamen* in operibus G miraculosis tria consueuerunt (*vt prætactum est*) inueniri : quorum *Vnum* est ex parte potentiæ agentis, quia sola diuina virtute fieri possunt; & ideò sunt simpliciter mira, quasi habentia causam occultam. Et secundùm hoc, tam iustificatio impij, quàm creatio Mundi, & vniuersaliter omne opus, quod à solo Deo fieri potest, miraculosum dici potest. *Secundò* in quibusdam miraculosis operibus inuenitur, quòd forma inducta est supra naturalem potentiam talis materiæ : sicut in suscitatione mortui, vita est supra naturalem potentiam talis corporis. Et quantùm ad hoc iustificatio impij non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiæ capax : eo enim ipso, quòd facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam, vt *Augustinus* dicit. *Tertio modo* in operibus miraculosis inuenitur aliquid præter solitum, & consuetum ordinem causandi effectum : sicut cùm aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subitò, præter solitum cursum sanationis, quæ fit à natura, vel arte. Et quantùm ad hoc iustificatio impij quandoque est miraculosa, quandoque non. Est enim iste communis, & consuetus cursus iustificationis, vt Deo mouente interiùs animam homo conuertatur ad Deum, primò quidem conuersione imperfecta, vt postmodum ad perfectam deueniat : quia charitas inchoata meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, sicut *Augustinus* dicit. Quandoque verò tam vehementer Deus animam mouet, vt statim quandam perfectionem iustitiæ assequatur : sicut fuit in conuersione Pauli, adhibita etiam exteriùs miraculosa prostratione ; & ideò conuersio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter.

F 1. p. l. c. a. 7. ad 1. In 2. d. 18. 1. 3. ad 1. & 2.

Creatio, & iustificatio non dicuntur miracula, & cur.

G 1. 2. 113. 10. c. In 4. d. 17. 1. 5. q. 1.

Quo sensu iustificatio dici possit miraculosa.

Miracula distinguuntur per virtutes, signa, & portenta : & vnde talia dicantur.

H 2. 2. 178. 1. ad 3.

d *Porrò distinguuntur miracula per virtutes, & signa & portenta, siuè prodigia, 2. Cor. 12.* In signis, & prodigijs, & virtutibus. *Et ad Hebr. 12.* Contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus &c. *Siquidem* in miraculis H duo possunt attendi. Vnum quidem est id quod fit ; quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ ; & secundùm hoc miracula dicuntur virtutes. Aliud est id, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale : & secundùm hoc communiter dicuntur signa. Propter excellentiam autem dicuntur portenta, vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia. *Dicitur nihilominus patratio miraculorum* Operatio virtutum, 1. *Cor.* 12. quia I virtus est commune ad omne miraculum : nam virtus est vltimum de potentia ; & ideò aliquid dicitur virtuosum, quia ex magna virtute. Quia ergo miracula fiunt ex magna virtute, scilicet diuina, ideò *Virtutes* dicuntur. *Signum* verò refertur ad minus miraculum. *Prodigium* autem ad maximum. Vel dicit *Signa*, quantùm ad miracula facta de præsenti : *Prodigia*, quantùm ad miracula de futuris. *Vel Signa*, & *Prodigia* dicit miracula, quæ fiunt contra naturam, sicut illuminatio cæci, suscitatio mortui &c. *Virtutes* verò dicit, quæ sunt secundùm naturam, sed non eo modo, quo natura facit : sicut quòd ad impositionem manus, statim sanentur infirmi : quod etiam natura facit, sed successiuè. *Et alibi* : Miracula K sunt aliquando *Signa* in quantùm sunt demonstratiua Dominicæ veritatis. *Prodigia* verò, vel quia certissimè indicant, vt sic dicatur *prodigium*, quasi *porrodicium* : vel quia aliquid futurum portendit, vt sic dicatur *prodigium*, quasi procul ostendens aliquem effectum futurum. *Portentum* autem (quod in idem redit) quasi L porrò, vel procul tensum, quod scilicet aliquid in longinquum demonstrat, 2. Par. 32. *In legatione Principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum* (Ezechiam) *vt interrogarent de portento*, quòd scilicet fuerat Sol retrogressus &c. *Vnde verò vnum miraculum sit altero maius, docemur, quòd* nihil M potest dici miraculum ex comparatione potentiæ diuinæ : quia quodcumque factum, diuinæ potentiæ comparatum, est minimum, secundùm illud Is. 40. *Ecce gentes, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Sed dicitur miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit : & ideò secundum quod magis excedit facultatem naturæ, secundùm hoc maius miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter (*sicuti & prætactum est.*) *Vno modo*, quantùm ad substantiam facti, sicut quòd duo corpora sint simul, vel quòd Sol retrocedat, aut quòd corpus humanum glorificetur : quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis. *Secundò* aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad id, quod fit, sed quantùm ad id, in quo fit : sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo : & potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum locum in miraculis. *Tertio modo* excedit aliquid facultatem naturæ quantùm ad modum, & ordinem faciendi : sicut cum aliquis subitò per virtutem diuinam à febre curatur absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus : & cum statim aer diuina virtute in pluuias densatur absque naturalibus causis ; sicut factum est ad preces Samuelis, & Eliæ. Et huiusmodi tenent infimum locum in miraculis.

I 2. cor. 12. l. 4. ibi in signis & 1. Cor. 12. ibi, virtutum Hebr. 2. l. 1. ibi, signis Io. 4. l. 7. lit. c. fin.

K Io. 4. loc. cit.

L Hebr. 2. loc. cit.

M 1. p. 105. 8. c. In 4. d. 17. 1. 5. q. 1. c. & 3 con. G. c. 101 & p. 3. c. 136.

Maius, vel minus miraculum vnde dicatur.

e *Ex quibus omnibus deducitur, verissimum esse, quod aiebat initio Author, quòd scilicet* miracula N facere, solius Dei est, secundùm illud Ps. 71. *Qui facit mirabilia solus* ; & iterum Iob. 9. *Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Mirabilia O quorum scilicet rationes homines considerare non possunt, licèt à Deo secundùm rationem sint facta. *Et quidem ex præmissis* miraculum P propriè dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ : sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicuius particularis, quia sic cum aliquis proijcit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quòd fit præter ordinem totius naturæ creatæ : hoc autem

Solius Dei est facere miracula.

N Op. 3. c. 136.

Quid ad rationem miraculi exigatur.

O Iob. 9. l. 2.

P 1. p. 110. 4. c. & 114. 4. c. & 1. 2. 113. 4. c. & 22. 178. 1. ad 1. & 2. In 3 d. 16. 1. 3. c. & 3. con. G. c. 102. 103. & 154. Ver. 27. 3. c. Pot. 6. a. 3. & 4. Ma. 16. 9. Op. 3. c. 136. & 2. Thess. 2. l. 2. & alibi.

tem

tem non potest facere, nisi Deus: quia quicquid facit Angelus, vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundùm ordinem naturæ creatæ; & sic non est miraculum. Vnde relinquitur, quòd solus Deus miracula facere possit. *Ea propter* miracula Q quę Christus fecit, sufficientia erant ad manifestandam diuinitatem ipsius. *Primò* quidem secundùm ipsam speciem operum, quæ transcedebant omnem potestatem creatæ virtutis: & ideò non poterant fieri, nisi virtute diuina. Et propter hoc cæcus illuminatus dicebat Io. 9. *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Secundò* propter modum miracula faciendi: quia scilicet quasi ex propria potestate miracula faciebat; non autem orando, sicut alij. Vnde dicitur Luc. 6. quòd *virtus de illo exibat, & sanabat omnes. (Nec obstat, quòd in suscitatione Lazari* Io. 11. *inducatur Christus orationem præmisisse*: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me; *immediatè enim sequitur*: Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credat, quia tu me misisti. *Quibus in verbis* necessitatem R orandi excludit, quasi obumbratè suam diuinitatem ostendens. *Quasi dicat*: Adhoc, vt fieret voluntas mea, non indigeo oratione, quia ab æterno voluntas mea impleta est. *Sed propter populum, qui circumstat &c.* In quo datur intelligi, quòd Dominus multa fecit, & dixit propter vtilitatem aliorum Io. 13. *Exemplum dedi vobis &c.* nam omnis Christi actio, nostra est instructio. *Eo ita hic orauit ad exemplum nostrum, non ex indigentia sua.) Tertiò* ex ipsa doctrina, qua se Deum dicebat: quæ nisi vera esset non confirmabatur miraculis diuina virtute factis. Et ideò *dicitur Marc.* 1. Quænam doctrina hæc noua: quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? *Et quidem* quando S aliquod particulare opus proprium est alicuius agentis, tunc per illud particulare opus probatur tota virtus agentis: sicut cum ratiocinari sit proprium hominis, ostenditur aliquis esse homo ex hoc ipso, quòd ratiocinatur circa quodcumque particulare propositum. Et similiter, cum propria virtute miracula facere, sit solius Dei, sufficienter ostenditur, Christum esse Deum ex quocumque miraculo, quod propria virtute fecit. (*Ex quo*) *infirmos sanando, vtramque impertiebat salutem. Cuius ratio est*: quia Christus T miracula faciebat virtute diuina; *Dei* autem *perfecta sunt opera*, vt dicitur *Deut.* 32. Non est autem aliquid perfectum, si finem non consequatur. Finis autem exterioris curationis per Christum factæ, est curatio animæ; & ideò non conueniebat Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam. Vnde super illud Io. 7. *Totum hominem sanum feci in Sabbato*, dicit Augustinus, quòd *curatus est, vt sanus esset in corpore; & credidit, vt sanus esset in anima.*) Diuina *inquam* virtute miracula faciebat. *Et hinc super illud Io.* 10. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? *docemur, quòd* ea V quæ sunt supra ordinem naturæ, nulla creatura, quæcumque sit, sua virtute potest facere, cum etiam ipsa subiaceat legibus naturæ. Deus autem solus, qui est supra naturam, operari potest supra naturæ ordinem. Quicquid ergo aliqua creatura operatur, oportet, quòd sistat infra naturæ ordinem. Ex quo patet, quòd omne illud, quod potest fieri secundùm ordinem naturæ, potest Angelus & bonus, & malus, quando sibi permittitur: sicut secundùm semina, quæ sunt in rebus naturalibus ad generationem aliquorum animalium ordinata, possunt illorum animalium generationem operari, sicut fecerunt Magi Pharaonis *Exod.* 7. Et similiter alterare naturam alicuius possunt. Vnde possent sanare infirmos, quibus beneficio naturæ subueniri posset. Illa autem, quæ simpliciter naturæ ordinem transcendunt, non possunt fieri nisi à Deo, siue à bonis Angelis, & Sanctis hominibus virtute diuina, quam orando impetrant. Tale autem est illuminatio cæci, & resuscitatio mortuorum: & ideò dęmonium *non potest cæcorum oculos aperire*, & mortuos suscitare, quia hoc est solius Dei, & Sanctorum virtute Dei. (*De quibus fusiùs* Numeris sequentibus.)

Miracula Christi, eius diuinitatem manifestabant.

Q 3. p. 43. 4. c. & a. 2. c. In 3. d. 15. 1. 4. & d. 16. 1. 3. c. & 4. con. G. c. 55. ad 8.

R Io. 11. l. 6. lit. c. ibi.

Omnis Christi actio, instructio nostra.

Probatur adhuc.

S 3. p. 43. 4. ad 3.

Christus sanando infirmos, vtramque impartiebat salutem.

T 3. p. 44. 3. ad 3. & 86. 5. ad 1. In 4. d. 15. exp. tex.

V Io. 10. l. 5. lit. a. fin.

Concluditur, sola Dei virtute miracula patrari.

f *Cum autem in fidei comprobationem, vt plurimùm miracula fiant (vnde & Dominus Apostolis fidei satoribus* dedit potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, *vt dicitur Mat.* 10. quare X modò *inquit Author* prædicatoribus non datur ista potestas? *Et respondet ex Augustino*: quia in promptu est maximum miraculum, scilicet, quòd totus Mundus conuersus est. Aut ergo facta sunt miracula; & sic habetur propositum: si non, hoc est maximum, quia per duodecim vilissimos homines piscatores totus Mundus conuersus est. *Et inferiùs*. Quare Y non facit modò miracula Ecclesia? Et dicendum, quòd miracula facta sunt ad probationem fidei: sed iam fides approbata est. Et ideò, sicut qui faceret vnam demonstrationem ad probandum aliquam conclusionem, non est alia probatio necessaria: ita ad propositum. Vnde, quia maximum miraculum est conuersio totius Mundi, ideò non oportet, quòd fiant alia. Sicut autem facta fuerunt miracula corporalia: ita fiunt quotidie spiritualia. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite &c.* Infirmi enim sunt qui peccato agitantur, qui proni sunt ad peccatum, Rom. 14. *Infirmum autem in fide assumite*. Et isti à Domino sanantur. Qui autem consentiunt, mortui sunt, quia separantur à Deo: & isti resuscitantur à Domino, Hebr. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis &c.* Item leprosi mundantur: leprosi enim dicuntur qui sunt infectiui aliorum, quia lepra est morbus contagiosus: & isti aliquando curantur, 4. Reg. 5. *Lepra Namaan adhærebit tibi &c.* Item dæmones eijciuntur: dæmones enim sunt, quorum peccatum iam transijt ad effectum, de quibus dicitur Prou. 2. *Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. Et quia possent dicere Apostoli: Modò erimus diuites, si facimus miracula, & habebimus multa; & hac de causa voluit Simon Magus facere miracula: & ideò hanc causam exclusit Dominus, dicens: *Gratis accepistis, gratis date*. Magnum enim est facere miracula; sed maius est virtuosè viuere. *Quod Sacris præconibus cordi esto. Miracula vlteriùs modò non fiunt (vel saltem rarò) propter deficientiam fidei, quæ in multis semimortua est. Quamuis enim* facere Z miracula attribuatur gratiæ gratis datæ, sicut principio proximo; fidei autem sicut disponenti ad huiusmodi gratiam consequendam: *Nihilominùs* operatio A miraculorum attribuitur fidei propter duo. Primò quidem, quia ordinatur ad fidei confirmationem. Secundò quia procedit ex Dei omnipotentia, cui fides innititur. *Et alibi*. Attribuitur B operatio miraculorum fidei non hæsitanti: quia fides innititur omnipotentiæ, per quam miracula fiunt.

Cum miracula fiant in comprobationem fidei, cur non datur modò prædicatoribus, sicut Apostolis, potestas miracula faciendi.

X Mat. 10. lit. a. ibi, omnem languorem.

Y Ibid. ibi, curate & 3. con. G. c. 154.

Miracula spiritualia, quotidie fiũt.

Z Pot. 6. 9. ad 1. & 19. & in corp. & 2. 2. 178. 1. c.

Rarò modò miracula fiunt propter fidei etiam defectum.

A 2. 2. 178. 1. ad 5.

Cur operatio miraculorum attribuatur fidei.

B 1. Cor 13. l. 1. ibi, omnem fidem.

fiunt. *Idcircò sæpè dicebat Dominus ad eum, quem miraculosè sanabat*: Fides tua te saluum fecit. *Ex quo docemur, quòd* debilitas fidei est causa non faciendi miracula: quia miraculorum operatio est ab omnipotentia, quia fides innititur omnipotentiæ. Vnde vbi est infirmitas fidei, est defectus miraculorum: *Et sic habetur* Mat. 13. *quòd Dominus in patria sua* non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum. *Et hac fortasse de causa, curasse quidem legitur corporaliter Malchum; non ita spiritualiter (vt cæteros consueuerat) quia scilicet pertinaciter incredulus erat. Vnde exteriorem priùs abscissam restituit auriculam, ne excusationem haberet de incredulitate sua, quia Rom.* 10. Fides ex auditu: *interiùs autem curare iustè negauit ob eius in incredulitate contumaciam. Quòd si quæras, an euacuet quis meritum fidei, fidei veritati non nisi per miracula assensum præbens? Respondet Author, quòd* meritum C beatitudinis, quod causat fides, non totaliter excluditur, nisi homo nollet credere, nisi ea quæ videt: sed quòd aliquis ea, quæ non videt, credat per aliqua signa visa, non totaliter fidem euacuat, nec meritum eius. Sicut & Thomas, cui dictum est, *Quia vidisti me credidisti*, aliud vidit, & aliud credidit: vidit vulnera, & credidit Deum. Est autem perfectioris fidei qui non requirit huiusmodi auxilia ad credendum: vnde ad arguendum defectum fidei in quibusdam, Dominus dixit Io. 4. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Et secundùm hoc potest intelligi: quòd illi, qui sunt tam prompti animi, vt credant Deo, etiam signis non visis, sint beati per comparationem ad illos, qui non credunt, nisi talia videant: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt* Io. 20. *Verum tamen ad illud Io. 4. cit.* Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis, *ex Authore notandum, quòd* aliter D trahuntur ad fidem Christi infideles, & aliter fideles. Infideles non possunt trahi, nec adduci authoritate Sacræ Scripturæ, quia ei non credunt; nec per rationem naturalem, quia fides est supra rationem: & ideò ducendi sunt per miracula. 1. Cor. 14. *In signum sunt non fidelibus, sed infidelibus.* Fideles autem ducendi sunt, & dirigendi in fidem authoritate Sacræ Scripturæ, cui acquiescere tenentur. In hoc ergo ibi Regulus redarguitur, quia cum esset nutritus inter Iudæos, & de lege instructus, non per Scripturæ authoritatem, sed per signa credere volebat. Disce, *vera miracula sola Dei virtute patrari*,

C 3. p. q. 55. 5. ad 3. & q. 43. 1. ad 3. & Io. 4. l. 5. lit. b.

An propter miracula credens, fidei meritum diminuat.

Aliter ad fidem trahendi infideles: aliter fideles ducendi.

D Io 4. l. 7. lit. c. ibi.

XII. A' malis nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem falsæ doctrinæ: quamuis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi, quod invocant, & virtute Sacramentorum, quæ exhibent. 2. 2. 178. 2. *ad* 3.

Nulla creatura potest naturali virtute miracula facere; sed nec ipse Angelus bonus vel malus: sed solùm mirabiles quosdam effectus hic facere potest per modú artis.

g EX *præmissis* Num. præced. *firmiter asserendum, nullam posse creaturam propria naturali virtute miracula facere; nec vel ipsas substantias separatas, siue Angelos. Et quidem (vt aliunde supponimus)* per primum E motum suum, scilicet localem, corporalis natura à spirituali mouetur. Secundùm hoc ergo corporalis creatura obedit imperio spiritualis secundùm naturalem ordinem ad motum localem, non autem ad alicuius formæ receptionem: Vnde *Augustinus* dicit *in Tertio de Trinitate*, quòd Angelis non seruit ad nutum materia corporalis. Mouet ergo localiter suo imperio corpora, in quibus est vis actiua naturalis ad aliquem effectum producendum; quæ *Augustinus* appellat naturæ semina; & sic operatio eorum non erit per modum miraculi, sed per modum artis. In miraculis enim producuntur effectus absque actionibus naturalibus à causa supernaturali: producere autem aliquem effectum, quem vel natura producere non potest, vel non ita conuenienter, mediante actione principiorum naturalium, artis est. Vnde Philosophus dicit *in Secundo Physic.* quòd ars imitatur naturam, & quædam perficit, quæ natura facere non potest. In quibusdam etiam naturam iuuat: sicut medicus iuuat naturam ad sanandum, alterando & digerendo, per appositionem eorum, quæ ad hoc naturalem virtutem habent. In effectibus autem huiusmodi producendis ars Angeli boni, vel mali, efficacior est, & meliores effectus facit, quàm ars humana. Vnde non est inconueniens ponere, quod ipsa corpora naturalia, inquantum sunt mota à spirituali substantia, sortiantur maiorem effectum. Quod videri potest ex hoc, quod Gen. 6. dicitur: *Gigantes erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Et glossa quædam ibidem dicit, quòd *non est incredibile, à quibusdam dæmonibus, qui mulieribus sunt incubi, huiusmodi homines, scilicet gigantes, esse propagatos.* Sic ergo patet, quòd Angeli boni, vel mali, virtute naturali miracula facere non possunt, sed quosdam mirabiles effectus, in quibus eorum operatio est per modum artis. *Angeli inquam boni vel mali: quia quoad naturalem virtutem idem valent boni Angeli, ac dæmones, Vnde & diabolus* F omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi virtute diuina reprimatur. *Sanè* sicut G Angeli boni per gratiam aliquid possunt vltra naturalem virtutem: ita Angeli mali minùs possunt ex diuina prouidentia eos reprimente, quàm possint secundùm naturalem virtutem: quia, vt *Augustinus* dicit 3. *de Trin.* quædam, quæ Angeli mali possunt facere, si permitterentur, ideò facere non possunt, quia non permittuntur: (vnde secundùm hoc ligari dicuntur, quòd impediuntur ab illis agendis ad quæ eorum naturalis virtus se extendere posset: solui autem, cum permittuntur agere diuino iudicio quæ secundùm naturam possunt.) Quædam verò non possunt, etiamsi permittantur, quia naturæ modus eis à Deo præstitus, hoc non permittit. *Quamuis autem Angelus etiam bonus naturaliter tali* polleat virtute in corpora quoad motum localem: non tamen H potest mouere totam molem terræ vsque ad globum Lunæ naturali sua virtute: quia nulla virtus creaturæ potest immutare ordinem principalium partium Vniuersi, ad quem pertinet, quod terra sit in medio locata. *Cæterùm, vt ab incertis certa separentur*, aliquod opus I dicitur miraculosum dupliciter. *Vno modo* quantùm ad substantiam facti, excedens facultatem naturæ, sicut suscitatio mortui, partus virginis, & similia: & huiusmodi miracula secundùm rei veritatem dæmones facere non possunt, sed solùm secundùm apparentiam. *Alio modo* quantùm ad modum faciendi tantùm, & non quantùm ad substantiam facti, sicut

E Pot. 6. 3. c. & 1. p. 110. 4. c. & ad 1. & 3. con. G. c. 102. In 2. d. 7. 3. 1. & 1. 2. 80. 2. c.

Diabolus omnia potest causare, quæ ex motu locali corporis possunt prouenire.

F 1. 2. loc. cit.

Sicut boni Angeli aliquid supra virtutem naturalem possũt per gratiam, ita dæmones minùs possũt ex diuina prouidentia reprimente.

G Pot. 6. 5. initio c.

H Op. 10. a. 16. & Op. 11. a. 5. Ma. 16. 10. ad 8.

Angelus etiã bonus non potest totam molem terræ suo dimouere loco.

Opus aliquod dupliciter miraculosũ dicitur.

I Hannib. 2. d. 7. 1. 4. & in alio ad q. 3. 16. 1. Pot. l. 5. a. 5. Ma. 16. 9. c. & ad 11. & 1. p. 114. 4. & 1. 2. 80. 2. c.

Quo sensu dicantur dæmones miracula.

sicut sanatio febricitantis; quam natura facere potest, sed non in instanti. Et huiusmodi miracula possunt dæmones facere & secundùm rei veritatem, & secundùm apparentiam. Secundùm veritatem quidem, non per modum imperij, sicut Deus facit, facere cuius voluntati natura obedit tanquam suo Authori, sed mediantibus causis naturalibus actiuis, & passiuis, quas *Augustinus* vocat seminales rationes: quas quidem causas adinuenire, & colligere per acumen scientiæ, & celeritate naturæ possunt, ita vt eorum operationes miraculosæ reddantur: sicut colligendo res, quę erant in proxima dispositione ad generationem serpentum, ex virgis serpentes fecerunt. Secundùm apparentiam verò, in quantùm imprimere possunt inphantasiam, eam commouendo, & facere, vt species, quæ ibi sunt, ad organa sensuum refluant, & sic videatur aliquid propriam speciem amisisse, quam tamen adhuc habet: *Augustinus* narrat *de Ciu. Dei*, quòd quidam arte dæmonum videbantur in bruta animalia conuerti.

h *Ex quibus liquet satis, quòd signa, quæ sicut faciunt magi, vera miracula non sunt: quia*, quæ K magi faciunt per priuatos contractus dæmonum, non sunt supra ordinem vniuersalium causarum, sicut illa, quæ virtute diuina fiunt: sed fiunt virtute actiuorum naturalium supra hominum comprehensionem, & facultatem; & sic hominibus miracula videntur, quę per dæmones fiunt: sicut etiam hominibus inexpertis videntur miracula, quæ per aliquos artifices fiunt. *Et huiusmodi fuere signa Magorum Pharaonis. Nec valet, quòd si verè miraculosa fuit virga Moysi conuersio in serpentem, miraculi rationem haberet virgarum magorum in serpentes pariter transmutatio. Nam in primis* de operatione L Magorum Pharaonis duplex opinio *in glossa* tangitur. Vna est, quòd non fuerit vera conuersio virgarum in serpentes, sed hoc fuit secundùm apparentiam tantùm per aliquam præstigiosam illusionem. *Augustinus* autem dicit, quòd fuit conuersio vera virgarum in serpentes. Quod ex hoc verisimiliter probat, quia Scriptura eodem vocabolo nominat & virgas magorum, & virgam Moysi, quam constat verè in serpentem esse conuersam. Quòd autem operatione dæmonum virgæ in serpentes sunt conuersæ, miraculum non fuit: hoc enim fecerunt dæmones per aliqua semina collecta, quæ habebant vim putrefaciendi virgas, & in serpentes conuertendi. Sed quod Moyses fecit, miraculum fuit: quia diuina virtute absque omnis naturalis virtutis operatione hoc effectum est. *Nec pariter vim facit, quòd quia verum fuit Christi miraculum, quòd* surdos fecit audire, & mutas loqui *Marc. 7. eadem ratione miraculosum fuerit, quòd Simon Magus canem loqui fecerit, & cantare. Etenim* locutio M canum, & alia huiusmodi, quę Simon magus faciebat, potuerunt fieri per illusionem, & non per effectus veritatem. Si tamen per effectus veritatem hoc fieret, nullum sequitur inconueniens: quia non dabat cani dæmon virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculum; sed ipsemet per aliquem motum localem sonum formabat, literatæ, & articulatæ vocis similitudinem, & modum habentem: per hunc enim modum etiam asina Balaam intelligitur fuisse locuta, Angelo tamen bono operante. *Et idem dic de locutione simulacri Fortunæ, quod erat Romæ via Latina, de quo narrat Valerius Max. bis ita locutum:* Ritè N me, matronæ, vidistis, ritèque dedicastis, *Sed neque*

K Ma. 16. 9. ad 11. & 2. 2. 178. 1. ad 2. Op. 11. a. 18. Mat. 7. lit. b. ibi, in nomine & c. 24. lit. c. ibi pseudoprophetæ.

Magorum operationes non sunt miracula vera.

Qualia Magorum Pharaonis Exod. 7.

L Pot. 6. 5. ad 8. & incorp. & 1. p. 110. 4. c. & ad 2. & 114. 4. c. & ad 2. & 2. 2. 178. 2. Ma. 16. 9. & loc. cit.

Aliæ dæmonum operationes, quæ mira fuerunt, non miracula.

M Pot. loc. cit. ad 3.

N Ibid. arg. 4.

cogit, in historiis Romanorum legi, quòd quædam virgo Vestalis in signum pudicitiæ conseruata aquam in vase perforato de Tyberi portauit; nec tamen aqua effusa est. Non *enim* est O remotum, quin sit in commendationem castitatis, quòd Deus verus per suos Angelos bonos huiusmodi miraculum per retentionem aquæ fecisset: quia si qua bona in Gentilibus fuerunt, à Deo fuerunt. Si autem per dæmones factum est, neque hoc repugnat prædictis. Nam quiescere, & moueri localiter, ab eodem principio secundùm genus sunt, quia per quam naturam aliquid mouetur ad locum, quiescit in loco. Vnde sicut dæmones possunt mouere corpora localiter, ita possunt & à motu retinere. Nec tamen est miraculum, sicut quando fit diuinitus: quia hoc secundùm naturalem virtutem dæmonis contingit ad huiusmodi effectum determinatum. *Talia denique erunt signa, quæ Antichristus ad homines decipiendos patrabit: de quibus 2. Thess. 2.* Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. *Quem ad locum adducit* Augustinum *Author dicentem*: Ambiguum P esse solet, vtrùm propterea dicta sint signa, & prodigia mendacia, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, vt quod non facit, facere videatur: aut quia illa, etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent. *Vera* autem dicuntur, quia ipsæ res veræ erunt, sicut magi Pharaonis fecerunt veras ranas, & veros serpentes: non tamen habebunt veram rationem miraculi, quia fient virtute naturalium causarum. *Signanter autem dicit præfato loco Apostolus*: in signis, & prodigijs mendacibus. *Siquidem* miraculum Q mendax dicitur vel quia deficit à vera ratione facti; vel à vera ratione miraculi; vel à debito fine miraculi. *Primum fit* in præstigijs, quando per dæmones illuduntur aspectus, vt aliud videatur, quàm est: sicut Simon magus fecit decollari arietem, & postea ostensus est viuus, & homo decollatus est; & postea homo, qui decollatus credebatur, ostensus est viuus, & creditus est resuscitatus. Et hoc faciunt dæmones commutando phantasmata, & decipiendo. *Secundo modo*, illa dicuntur impropriè miracula, quæ plena sunt admiratione, quando effectus videtur, & ignoratur causa. Quæ ergo habent causam occultam alicui, & non simpliciter, dicuntur quidem mira, at non miracula simpliciter; sed quæ simpliciter causam occultam habent, sunt propriè miracula, quorum ipse Deus gloriosus est Author, quia totum ordinem naturæ creatæ transcendunt. Aliquando verò fiunt aliqua mira, non præter ordinem naturæ, sed occultas causas habent: & hæc multò magis faciunt dæmones, qui virtutes naturæ sciunt, & qui habent determinatas efficacias ad speciales effectus: (& hæc faciet Antichristus) sed non quæ habent veram rationem miraculi, quia non possunt in illa, quæ sunt supra naturam. *Tertio modo* dicuntur miracula, secundùm quod sunt ordinata ad attestandum veritati fidei, ad reducendos fideles in Deum, Marc. 16. *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Sed si alicui adest gratia miraculorum, & non vtatur eis ad hoc, miracula quidem sunt vera quoad rationem rei factæ, & quoad rationem miraculi: sed sunt falsa quantùm ad finem debitum, & intentionem Dei. Sed tamen hoc non erit in Antichristo: quia nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis.

i *Verùm, quamuis Sancti Angeli vera non possint propria naturali virtute miracula facere:* nihilo-

O Ibid. ad 5.

Sicut & signa Antichristi.

P 2. 2. 178. 1. ad 2. & 1. p. 114. 4. ad 1. in 2. d. 7. 3. 1. ad 1. Pot. 6. 5. ad 10. Op. 11. a. 18.

Miraculum mendax tripliciter.

Q 2. Thess. 2. l. 2. ibi. Hannib. 2. d. 7. 1. 4. ad 1. & locis cit.

Angeli sancti possunt aliquid supra facultatem propriæ naturalis virtutis per gratiam, vt Dei ministri.

R *Pot. 6. 4. initio c. Ver. 27. 3. c. & 1. p. 110. 4. ad 1. & 117. 3. ad 1. & 2. 2. 178. c. & ad 1. & 3 p. 13. 2. ad 3. & 84. 3. ad 4. & 3. con. G. c. 102. 103. Op. 3. c. 136.*

Eorum tamẽ ministerium nõ extenditur ad omnia quę in miraculo fiunt.

nihilominus, vt prætactum est, supra naturalem R potestatem, quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiæ, in quantùm sunt diuinæ virtutis ministri. *Immò docemur, quòd* Deus S miracula facit ministerio Angelorum; ita tamen, quòd non in omnibus miraculis operatio Angelorum se potest extendere ad principales effectus. *Et alibi*: ita tamen T quòd Angelorum ministerium non extenditur ad omnia quæ fiunt in miraculo: quod patet etiam in formatione corporis Christi ex Virgine. *Et hoc quidem ad ordinem* Virtutum *spectare putatur*: ad eos *enim* spiritus V pertinere videtur executio diuinorum operum, quæ præter naturæ ordinem fiunt; & ideò ista sunt sublimissima in diuinis ministerijs: propter quod dicit *Gregorius*, quòd virtutes dicuntur illi spiritus, per quos signa frequentiùs fiunt.) Et potest dici, quòd ad miracula facienda Angeli tripliciter operantur. *Vno modo* precibus impetrando: qui modus & hominibus, & Angelis potest esse communis. *Alius modus* est, secundum quod Angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc, quòd miraculum fiat. Sicut dicitur, quòd in Resurrectione colligent pulueres mortuorum, qui diuina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est Angelorum: nam humani spiritus, cum sunt corporibus vniti, in exteriora operari non possunt, nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodò naturaliter alligati. *Tertius modus* est, quòd operentur etiam aliquid coagendo: quem quidem modum *Augustinus* sub dubio relinquit *in 22. de Ciu. Dei* sed *Gregorius in 2. Dialog.* hanc quæstionem determinare videtur, dicens, quòd Sancti homines, etiam in carne viuentes, non solùm orando, & impetrando, sed etiam potestatiuè, ac per hoc cooperando, miracula faciant: (*Vnde & signanter dicitur Mat.* 10. Conuocatis XII. discipulis suis, dedit illis *potestatem* spirituum immundorum, & vt curarent omnem languorem &c.) Quod probat & ratione, & exemplis. Ratione quidem: quia si hominibus data est potestas filios Dei fieri, non est mirum, si ex potestate, mira facere possunt. Exemplis autem: quia Petrus Ananiam, & Saphiram, mentientes, morti increpando tradidit vt habetur Act. 5. *Beatus etiam Benedictus* (inquit) *dum ad brachia cuiusdam ligati rustici oculos deflexisset, tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora dissoluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent*. Vnde concludit, quòd Sancti quandoque faciunt miracula orando, quandoque ex potestate. Qualiter autem hoc esse possit, considerandum est. Constat autem, quòd Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem, quòd imperium diuinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis, peruenit, vt in legis veteris latione apparet. Et per hunc modum per spiritus angelicos, vel humanos imperium diuinum ad corporales creaturas peruenire potest, vt per eas quodammodò naturæ præsentetur diuinum præceptum, & sic agant quodammodò spiritus humani, vel Angelici, vt instrumentum diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem; non quasi aliqua virtute, habitualiter in eis manente, vel gratuita, vel naturali, in actum miraculi possint; quia sic quandocumque vellent, miracula facere possent: quod tamen *Gregorius* non esse verum testatur. Et probat per exemplum Pauli, qui stimulum à se remoueri petijt, nec impetrauit: & per exemplum Benedicti, qui detentus fuit contra suam voluntatem per pluuiam, sororis precibus impetratam. Sed virtus, ad cooperandum

S *Op. 11. a. 15. & 1. p. 110. 4. ad 1. & 2. 2. 172. 2. ad 2.*

T *Op. eod. a. 16.*

Quod spectat ad ordinem Virtutum.

Tripliciter ad miracula facienda Angeli boni operari dicuntur.

V *3. con. G. c. 80. & 1. p. 108. 5. fi. c. In 2. d. 9. 1. 4. ad 3.*

An sancti homines nedum impetrando, sed & potestatiuè, & cooperando miracula faciãt.

Deo in miraculis, in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur: quæ non permanent, nisi per præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aere, & motus in instrumento: & talis virtus potest intelligi donum gratiæ gratis datæ, quæ est gratia virtutum, vel curationum; vt sic hæc gratia, quæ datur ad operandum supernaturaliter, sit similis gratiæ prophetiæ, quæ datur ad supernaturaliter cognoscendum, per quam Propheta non potest, quandocumque vult, prophetare; sed solum, cum spiritus prophetiæ cor eius tangit. Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter vtitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura vtatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, vt in Sacramentis patet. Vtrolibet *igitur* modo X Deus principaliter operatur, (*ex quo dicitur Luc.* 5. Et virtus Domini erat ad sanandum eos:) qui vtitur instrumentaliter vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui. Vnde Iosue (*cap.* 10.) cum dixisset, quasi ex potestate: *Sol contra Gabaon ne mouearis*; subditur postmodùm: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis*. Sancti *ergo* dicuntur Y miracula facere ex potestate gratiæ, non naturæ. *Ex quo in Sanctorum reliquijs, aut diuinis verbis, non inest virtus aliqua, vel forma, qua miracula patrentur; sed virtus ipsa diuina est, qua vtitur illis.* Quòd enim Z ad vmbram Petri Apostoli sanarentur infirmi, vel ad tactum reliquiarum alicuius Sancti aliqua ęgritudo pellatur, non fit per aliquam formam his corporibus inditam, sed solùm per operationem diuinam, quæ his corporibus vtitur ad tales effectus. *Vnde & huiusmodi reliquias, non est illicitum secum deferre*. Si portentur A ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, putà quòd vas esset triangulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei: (*à quo omnis virtus*) & Sanctorum; esset superstitiosum, & illicitum.

I *Igitur per gratiam gratis datam, miracula operari dicuntur sancti viri, quæ ab Apostolo 1. Cor. 12.* Operatio virtutum *nuncupatur & ad vtilitatem Ecclesiæ, sicut & cætera, ordinatur à Deo*. Quia *enim* sermo B propositus confirmatione indiget ad hoc, quòd recipiatur, nisi sit per se manifestus; ea autem, quæ sunt fidei, sunt humanæ rationi immanifesta: necessarium fuit aliquid adhiberi, quo confirmaretur sermo prędicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, cum ea, quæ sunt fidei, rationem excedant: oportuit igitur aliquibus indicijs confirmari prædicantium sermonem, quibus manifestè ostenderetur huiusmodi sermonem processisse à Deo, dum prædicantes talia operarentur, sanando infirmos & alias virtutes operando, quæ non posset facere alius, nisi Deus: (sicut C cum aliquis defert literas anulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse quod in illis continetur.) Vnde Dominus discipulos ad prædicandum mittens, dixit *Mat.* 10. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite; *& Marc.* 16. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Et hac de causa Ioannes nullum legitur fecisse miraculum, Io.* 10. Ioannes quidem signum fecit nul-

Quid gratia gratis data miraculorũ.

X *2. 2. 178. 1. ad 1.*

Pulchra Authoris consideratio.

Y *1. p. 117. 3. ad 1.*

An in Sãctorum reliquijs virtus aliqua insit ad miracula patrãda.

Z *Op. 34 non longè ab initio & 2. 2. 178. 1. ad 1. Quol 12. a. 14 Rom. 1. l. 6. & 1. Cor. 10. l. vlt. fin.*

Num liceat eas secum deferre.

A *2. 2. 96. 4. ad 3. & locis cit.*

Quorsum detur gratia gratis data operãdi miracula.

B *3 con. G. c. 154. & 1. 2. 111. 1. & 2. 2. 178. 1. c. & 3. p. 43. 1. c. & 1. Cor. 12. l. 2. & 3. & 2. Tessal. 2. l. 2 Io. 4 l. 7. lit. c. fin.*

C *3. p. 43. 1. c. Op. 2. c. 7. Op. 11. a. 17.*

Cur Ioannes nullum signũ fecerit.

D 3.p.38.2. ad 2. & q. 40. 2. ad 1.

Ad quid homini conceditur mira cula facere.

E 3.p.43.1. &.

nullum: *quia nimirùm* tota D doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Christum; qui multitudine signorum & suam & Ioannis doctrinam confirmauit. Si autem Ioannes signa fecisset, homines ex æquo Ioanni & Christo attendissent. *Enimuerò* diuinitus E conceditur homini miracula facere propter duo. *Primò* quidem, & principaliter, ad confirmandam veritatem fidei, quam aliquis docet. *Secundò* ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritussancti, vt dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam; *vnde dicitur ad Gal. 3. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis &c.* Operatio *enim* miraculorum F est manifestatiua gratiæ gratum facientis; sicut & donum prophetiæ, & quælibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. *Pro quo sciendum, quòd* operatur G miracula Deus ad hominum vtilitatem dupliciter. Vno quidem modo (*vt præmissum est*) ad veritatis prædicatæ confirmationem. Alio modo ad demonstrationem Sanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi inuocat: quod etiam interdum per malos fit. Et secundùm hunc modum etiam mali possunt facere miracula. Vnde super illud Mat. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus &c.* dicit Hieronymus: *Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eiicere, interdum non est eius meriti, qui operatur: sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, (*quæ ideò Ecclesia pro eorum canonizatione probari diligentissimè curat*) vel etiam post mortem, siue per eos, siue per alios. Legitur enim Act. 9. quòd *virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languides deferrentur à corpore eius sudaria, & recedebant ab eis languores.* Et sic etiam nihil prohiberet, per aliquem peccatorem miracula fieri ad inuocationem alicuius Sancti: quæ tamen miracula non dicitur facere ille; sed ille, ad cuius sanctitatem denunciandam hæc fierent. *Sanè si per peccatores non fierent quandoque miracula, non diceret Apostolus 1. Cor. 13.* Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero (*per quod tollitur Sanctitas*) nihil sum. *Vnde & alibi docemur, quòd* non fiunt H miracula semper ad demonstrandum gratiam eius, per quem miracula fiunt. Et ideò potest contingere, quòd aliquis gratiam gratum facientem non habens miracula faciat. Sed hoc contingere non potest, quòd aliquis falsam doctrinam annuncians, vera miracula faciat, quæ nisi virtute diuina fieri non possunt (*vt de Antichristo dictum est*:) sic enim Deus esset falsitatis testis: quod est impossibile. Et hoc est, *quod aiebat initio Author*: A malis I nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem falsæ doctrinæ: quamuis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi quod inuocant, & virtute Sacramentorum, quæ exhibent. *Ex quo deducitur, Antichristi signa non verè fore miracula, sed apparentia, vt visum est: quia non erunt in confirmationem veritatis prædicatæ, sed falsitatis. Vnde bene dixit Apostolus* 2. *Thess.* 2. Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.

Gratia gratis data manifestatiua gratiæ, gratum facientis.

F 1.p.43.3. ad 4.

G 2.2.178. 2.c.

Etiam per malos homines possunt miracula fieri.

Ad denunciationem sanctitatis non nisi à Sanctis patrantur.

H Quol.2.a. 6. ad 4. & 3. Thes.2 l.2.fi. Mat.7. lit.b. ibi, in nomine tuo, & c.24. lit.a ibi, pseudoprophetæ, & 1. Cor.13.l. 1 ibi, omnem fidem.

Nũquam tamen in confirmationem falsæ doctrinæ fieri possunt à malis.

I 2.2.178.2. ad 3. & 1.p. 110.4. ad 2. & 114.4. ad 3. & locis cit.

m Petrò signa K facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus. *Primò* ex efficacia virtutis operantis: quia signa facta per bonos, virtute diuina fiunt, in illis etiam ad quæ virtus actiua naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos, & huiusmodi, quæ dæmones facere non possunt secundùm veritatem, sed in præstigijs tantùm, quæ diu durare non possunt. *Secundò* ex vtilitate signorum: quia signa per bonos facta sunt de rebus vtilibus, vt in curatione infirmitatum, & huiusmodi. Signa autem per malos facta, sunt in rebus nociuis, vel vanis; sicut quòd volant in aere, vel reddunt membra hominum stupida, & huiusmodi. Et hanc differentiam assignat B. Petrus in Itinerario Clementis. *Tertia differentia* est quantùm ad finem: quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei, & bonorum morum: sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei, & honestatis. Et quantùm ad modum differunt: quia boni operantur miracula per inuocationem diuini nominis piè, & reuerenter: sed mali quibusdam deliramentis, sicut quòd incidunt se cultris, & huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifestè possunt discerni ab his, quæ à malis virtute dæmonum fiunt. *Cæterùm mirum non sit, quòd à malis etiam fidelibus quandoque miracula fiant (eo tamen fine, quo ex Authore docuimus) in quibus fides per peccatum veluti mortua est.* Fides *enim* sine L operibus dicitur esse mortua, quantùm ad ipsum credentem, qui per eam non viuit vita gratiæ. Nihil autem prohibet, quòd res viua operetur per instrumentum mortuum, sicut homo operatur per baculum. Et hoc modo Deus operatur per fidem hominis peccatoris Instrumentaliter. *At rarò quidem hoc accidit: in quibus namque iam fides ob mortalem repetitam culpam tepescit, ne dicam, fermè amissa fuit* (*siquidem* amissio M charitatis est via ad amittendam fidem) *non est vnde ad patranda miracula in fidei confirmationem excitentur: hoc enim ex solo fidei possit feruido zelo prouenire. Quin tantum abest, vt miracula patrandi virtutem à Deo implorent, quòd immò iis, quæ patrantur, Christiana defectu credulitatis fidem difficulter adhibent, sed & quandoque deridens: in hoc vel ipsis deteriores Iudæis, ad quos dictum est Io.4.* Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. *Cuius autem ad sanctitatem manifestandam modò miracula fiunt*, Quis est hic, & laudabimus eum? *Rari quippè sunt, qui tali præfulgeant sanctitate. Quamuis nunquam militanti desint Ecclesiæ viri* fortes ex fortissimis Israel, & ad bella doctissimi, *æterna gloria, & immortalitatis Candidati: quos ad triumphantis Capitolium festina in dies solemnitate transmittit.* DISCE, *nonnisi ad Ecclesiæ vtilitatem miracula fieri. Vide* Admiratio, Angelus, Antichristus, Christi Conceptio, & Virtutes *Tom.* 1. Diabolus, Gratia gratis data, Iustificatio *Tom.* 2.

K 2.d.7.3.2. ad 2.

Signa bonorum, à malorum signis tripliciter distinguuntur.

L 2.2.178.2. ad 2. Pot. 6.5. ad 9. & q.9.a. 9. ad 2. & 8.

Quo pacto possint per peccatores miracula fieri.

M 2.2.39.1. ad 3.

Ammissio charitatis, via est ad amittendam, & fidem.



MISERICORDIA.

XIII. Inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia. 2. 2. 30. 4. fin. corp.

Misericordiæ etymon, & diffinitio.

N 2.2.30.1. c. & i. p.21.3. c. Op. de er. Pr. l. 1. c. 5. Mat. 5. lit. b. ibi, misericordes, Hebr. 2. l. 4. ibi, misericors.

Tripliciter quis aliquid vult.

n *Misericordia nomen à miseria deriuatum est. Diffinitur enim misericordia communiter* cum Augustino 9. de Ciu. Dei *Aliena* N *miseria in nostro corde compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur.* Dicitur enim misericordia ex eo, quòd aliquis habet miserum cor super miseria alterius. Miseria autem felicitati opponitur. Est autem de ratione beatitudinis, siue felicitatis, vt aliquis potiatur eo, quod vult, & quod pertinet ad iustitiam. Nam (sicut *Augustinus* dicit 13. de Trin.) *Beatus est qui habet omnia, quæ vult, & nihil malè vult.* Et ideò è contrario, ad miseriam pertinet, vt homo patiatur quæ non vult. Tripliciter autem aliquis vult aliquid. *Vno* quidem *modo*, appetitu naturali: sicut omnes homines volunt esse, & viuere. *Alio modo* homo vult aliquid per electionem ex aliqua præmeditatione. *Tertio modo* homo vult aliquid, non secundùm se, sed in causa sua: putà qui vult comedere nociua, quodammodo dicimus, eum velle infirmari. Sic ergo motiuum misericordiæ est, tanquam ad miseriam pertinens: *Primò* quidem illud, quod contrariatur appetitui naturali voluntatis, scilicet mala corruptiua, & contristantia, quorum contraria homines naturaliter appetunt. Vnde Philosophus dicit *in 2. Reth.* quòd misericordia est tristitia quædam super apparenti malo corruptiuo, vel contristatiuo. *Secundò* huiusmodi magis efficiuntur ad misericordiam prouocantia, si sint contra voluntatem electionis. Vnde & Philosophus ibidem dicit, quòd illa mala sunt miserabilia, quorum fortuna est causa, vt putà, cum aliquod malum eueniat vnde sperabatur bonum. *Tertiò* autem sunt adhuc magis miserabilia, si sint contra totam voluntatem; putà si aliquis semper sectatus est bona, & eueniunt ei mala. Et ideò Philosophus dicit in eodem libro, quòd misericordia est maximè super malis ejus, qui indignus patitur. *Ex quo deducitur, quòd alienus defectus ratio est miserendi, siue motiuum.* *Quia*, cum misericordia O sit compassio super miseria aliena, ex hoc contingit, quòd aliquis misereatur, ex quo contingit, quòd de miseria aliena doleat. Quia autem tristitia, seu dolor, est de proprio malo; in tantùm aliquis de miseria aliena tristatur, aut dolet, in quantùm miseriam alienam apprehendit, vt suam. Hoc autem contingit dupliciter. *Vno modo* secundùm vnionem affectus, quod fit per amorem: quia enim amans reputat amicum tanquam se ipsum, malum ipsius reputat tanquam suum malum; & ideò dolet de malo amici sicut de suo. Et inde est, quòd Philosophus *in 9. Ethic.* inter alia amicabilia ponit hoc, quod est condolere amico. Et Apostolus ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* *Alio modo* contingit secundùm vnionem realem, vtpotè cum malum aliquorum propinquum est, vt ab eis ad nos transeat. Et ideò Philosophus dicit *in 2. Reth.* quòd homines miserentur super illos, qui sunt eis coniuncti, & similes: quia per hoc fit eis æstimatio, quòd ipsi etiam possint similia pati. Et inde est etiam, quòd senes, & sapientes, qui considerant se posse in mala incidere, & debiles, & formidolosi, *quales vt in pluribus fœminæ*, sunt magis misericordes.

Motiuum misericordiæ quid.

O 2.2.30. c. a. 2. c.

Alienus defectus, misericordiæ ratio.

Nobis coniunctorum & similium cur misereamur.

Quinam magis misericordes, vel minùs.

(*Sanè*) mulieres P habentes cor molle, sunt naturaliter misericordes.) E contrario autem illi, qui reputant se esse felices, & in tantùm potentes, quòd nihil mali putant se posse pati, non ita commiserentur. Semper ergo defectus est ratio miserendi, vel in quantùm aliquis defectum alicuius reputat suum propter vnionem amoris, vel propter possibilitatem similia patiendi, *siue corporaliter, siue spiritualiter. Hinc dicitur Prou.* 19. Homo indigens, misericors est. (*Et huc facit illud Io.* 2. Deficiente vino, dixit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. *Vbi* nota *inquit Author* in matre Q pietatem, & misericordiam. Ad misericordiam enim pertinet, vt quis defectum alterius reputet quasi suum, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quia ergo virgo beata misericordia plena erat, defectus aliorum subleuare volebat; & ideò dicitur: *deficiente vino, dixit Mater Iesu &c.* Et nota Virginis solicitudinem, & diligentiam: quia ad extremam necessitatem non distulit, sed *deficiente vino*; idest, dum esset in deficiendo: *vt discamus, non in extremo, sed opportunè indigentibus subuenire, exemplo Virginis beatissimæ, quæ idcircò ab Ecclesia* Mater misericordiæ *salutatur.*) *Ex quo sequitur, quòd* illi R qui iam sunt in infirmis malis, quia non timent se vlteriùs pati aliquid, ideò non miserentur. Similiter etiam nec illi, quia valdè timent, quia tantùm intendunt propriæ passioni, quòd non intendunt miseriæ alienæ. *Præterea*, qui sunt S in contumeliatiua dispositione, siue quia sint contumeliam passi, siue quia velint contumeliam inferre, prouocantur ad iram, & audaciam, quæ sunt quædam passiones virilitatis extollentes animum hominis ad arduum, vnde inferunt homini æstimationem, quòd non sit aliquid in futurum passurus: vnde tales dum sunt in hac dispositione, non miserentur, secundum illud Prou. 27. *Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor.* (Idcircò iniuriæ T illatæ in viduas, & pupillos magis exaggerantur: tum quia magis opponuntur misericordiæ: tum quia idem nocumentum huiusmodi personis inflictum, est eis grauius, quia non habent releuantē.) Et ex simili ratione superbi non miserentur, qui contemnunt alios, & reputant eos malos; vnde reputant, quòd dignè patiantur, quicquid patiuntur. Hinc *Gregorius* dicit, quòd *falsa iustitia*, scilicet superborum, *compassionem non habet, sed dedignationem.*

Mulieres naturaliter misericordes.

P 1. Tim. 5. l. 2. ibi, hospitio.

Q Io. 2. l. 1. lit. c. ibi, deficiente.

Maria Virgo verè misericordiæ Mater.

R 2.2.30.2. ad 2.

Quinam minimè misereantur.

S Ibid. ad 3.

T 2.2.65.4. ad 2.

o *Cæterùm misericordia non semper virtus, sed vt plurimùm passio quædam est. Nam* misericordia V secundùm quod importat compassionem tantùm ad miseriam alterius, non est virtus, sed passio: secundùm autem, quod importat electionem compatientis, secundùm hoc virtus est. *Vnde & alibi docemur, quòd* misericordia X importat dolorem de miseria aliena. Iste autem dolor potest nominare vno quidem modo motum appetitus sensitiui; & secundùm hoc misericordia passio est, & non virtus. Alio modo potest nominare motum appetitus intellectiui, secundùm quod alicui displicet malum alterius. Hic autem motus potest esse secundùm rationem regulatus, & potest secundùm hunc motum ratione regulatum regulari motus inferioris appetitus. Vnde *Augustinus in 9. de Ciu. Dei*, dicit, quòd *iste motus*, scilicet misericordia, *seruit rationi, quando ita præbetur misericordia, vt conseruetur iustitia, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti.* Et quia ratio virtutis humanæ consistit in hoc, quòd motus animi ratione reguletur, consequens est, misericordiam esse virtutem. *Et quidem aliquo modo virtutum maximam. Vnde citato loco* Augustinus:

Misericordia & passio esse potest, & virtus.

V 4. d. 15. 2. 1. q. 3. ad 2.

X 2.2.30.3. c. & 1. 2. 59. 1. ad 3. in 4. loc. cit. q. 1. & Ma. 10. ad 8.

Quandoque virtus.

An virtutum maxima.

Longè

Y 2.2. loc. cit. in sed contra.

Longè Y meliùs (inquit) *& humaniùs, & piorum sensibus accommodatiùs Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait*: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordiâ est. *Pro quo sciendum, quòd* aliqua Z virtus potest esse maxima dupliciter. Vno modo secundùm se: alio modo per comparationem ad habentem. Secundùm se quidem misericordia maxima est: pertinet enim ad misericordiam, quòd alij effundat, & quod plus est, quòd defectus aliorum sublenet: & hoc maximè superioris est; vnde & misereri ponitur proprium Deo: & in hoc maximè dicitur eius omnipotentia manifestari. Quoad habentem verò, misericordia non est maxima, nisi ille, qui habet, sit maximus, qui nullum supra se habeat, sed omnes sub se: ei enim, qui supra se aliquem habet, maius est & melius coniungi superiori, quàm supplere defectum inferioris. Et ideò quantùm ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo vnitur, est potior, quàm misericordia (*qua illius est effectus*) per quam defectus proximorum suppletur. Sed inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent (*quod aiebat initio Author*) potissima est misericordia, sicut etiam est potioris actus. Nam supplere defectum alterius, in quantùm est huiusmodi, est superioris, & melioris. *Sanè omnis summa disciplinæ Christianæ* (*aiebat Ambrosius*) in misericordia, & pietate est. *Quod intellige* quantùm A ad exteriora opera: interior enim affectio charitatis, qua coniungimur Deo, præponderat & dilectioni & misericordiæ in proximos. *Et quidem* per charitatem B assimilamur Deo, tanquam ei per affectum vniti; & ideò potior est, quàm misericordia, per quam assimilamur Deo per similitudinem operationis. *Notandum verò, quòd* in misericordia C duo sunt: scilicet vsus, siue effectus misericordiæ, qui vocatur miseratio: & ipsa misericordia, quæ vocatur misericordia, secundùm quod est virtus. *Quam quidem qui callet, promptè miserator est, misericordiæ effectus impendens*: Misericordem enim non D oportet petere, sed solùm indigentiam ei monstrare. *Et alibi*; Sufficit E misericordi miseriam exponere. *Vbi enim est virtus, operatur.*

Z 2.2. l. c. 4. 4 c. Rom. 13. l. 2. fin.

Misereri proprium Dei, cuius omnipotentia miserendo manifestatur.

A 2.2. l. c. ad 2.

B Ibid. ad 3.

C Ps. 24. lit. c. Duo in misericordia considerantur. In quo differat à miseratione.

D Mat. 8. lit. e. ibi, si vis.

Misericordi sufficit indigentiam ostendere.

E Mat. 17. lit. b. & Io. 2. l. 1. lit. c.

p *Porrò virtuti misericordiæ contrariatur invidia: quia* inuidia F secundùm Philosophum *in 2. Rhet.* opponitur & nemesi, & misericordiæ, sed secundùm diuersa. Nam misericordiæ opponitur directè secundùm contrarietatem principalis obiecti. Inuidus enim tristatur de bono proximi: misericors autem tristatur de malo proximi; vnde inuidi non sunt misericordes: nec è conuerso. Ex parte verò eius, de cuius bono tristatur inuidus, opponitur inuidia nemesi. Nemesius enim tristatur de bono indignè agentium, secundùm illud Ps. 72. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*; inuidus autem tristatur de bono eorum, qui sunt digni. Vnde patet, quòd prima contrarietas est magis directa, quàm secunda. Misericordia autem quædam virtus est, & charitatis proprius effectus: vnde inuidia misericordiæ opponitur, & charitati. (*Vide fusè* G.) *Differt autem misericordia & à mansuetudine, & à clementia: docemur enim, quòd* misericordia H & clementia conueniunt in hoc, quòd vtraque refugit, & abhorret miseriam alienam; aliter tamen, & aliter. Nam ad misericordiam pertinet miseriæ subuenire per beneficij collationem: ad clementiam autem pertinet miseriam diminuere per subtractionem pœnarum. *Et alibi*. Misericordia I & pietas conueniunt quidem cum mansuetudine, & clementia, in quantùm concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere mala proximorum: differunt tamen quantùm ad motiuum. Nam *Pietas* remouet mala proximorum ex reuerentia, quam habet ad aliquem superiorem, puta Deum, vel parentem. *Misericordia* verò remouet mala proximorum ex hoc, quòd in eis aliquis contristatur, in quantùm æstimat ea ad se pertinere, quod prouenit ex amicitia, quæ facit amicos de eisdem gaudere, & tristari. *Mansuetudo* autem hoc facit, in quantùm remouet iram incitantem ad vindictam. *Clementia* verò hoc facit ex animi lenitate, in quantùm iudicat æquum esse, vt aliquis non amplius puniatur. *Ex quo clementiæ crudelitas, mansuetudini iracundia contrariatur.* Nomen *siquidem* crudelitatis K à cruditate sumptum esse videtur. Sicut autem ea, quæ sunt cocta, & digesta, solent habere suauem, & dulcem saporem: ita illa, quæ sunt cruda, habent horribilem & asperum saporem. Clementia autem importat quandam animi lenitatem, siue dulcedinem, per quam aliquis est diminutiuus pœnarum; vnde directè crudelitas clementiæ opponitur: *seu quæ aggregatiua immè, & multiplicatiua pœnarum est. At verò* mansuetudini L quæ est directè circa iras, propriè opponitur vitium iracundiæ, quod importat excessum iræ; sed crudelitas importat excessum in puniendo. Vnde dicit *Seneca* in 2. de Clem. quòd *crudeles vocantur qui puniendi causam habent, modum tamen non habent*. Qui autem in pœnis hominum propter se delectantur etiam sine causa, possunt dici sæui, vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem.

F 2.2. 36.3. ad 3. & 28. 2. ß. c.

Inuidi non sunt misericordes, nec è conuerso.

Misericordia, effectus proprius charitatis.

G 2.2. 30.3. ad 2. & 36.2. c. Mt. 10. 1. & Ps. 36. lit. a.

In quo differat misericordia à mansuetudine, & clementia.

H 2.2. 159. 1. ad 2.

I 2.2. 157. 4. ad 3. & 4. 1. & 2. In 3. d. 33. 3. 2. q. 1 ad 2. & 2. Tim. 2. l. 4. ibi, mansuetum. Ad Tit. 3. l. i. ibi, mansuetudinem. Ad Hebr. 10. l. 3. ibi, miseratione.

K 2.2. 159. 1. c.

Clementiæ crudelitas contrariatur.

Crudelitas vnde dicatur.

L 2.2. 157. 2. ad 3. & 159. 2. c. & 2. Tim. 3. l. 1. ibi, immites.

Mansuetudini opponitur iracundia.

Quinam crudeles dicantur, & quinã sæui, vel feri.

q *Hanc verò in proximos nostros misericordiam & fecit Dominus noster, & docuit, & mandauit.* Misericordiam M fecit, vt patet de muliere deprehensâ in adulterio, *Io. 8.* Misericordiam docuit Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Misericordiam mandauit, Mat. 9. *Discite quid est; Misericordiam volo, & non sacrificium.* Tria *verò* maximè N debent nos mouere (*præter Christi exemplum*) ad faciendam misericordiam. Primò necessitas; quia qui non facit misericordiam, non inueniet misericordiam Iac. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Secundò vtilitas: quia qui facit misericordiam, inueniet misericordiam, Mat. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tertiò congruitas: quia cum misericordiam ab omnibus creaturis recipiamus, satis congruum est, quòd alijs misericordiam faciamus. Sumus enim pleni miseria: & nisi creaturæ misererentur nostri, dando se nobis, & sua beneficia, subsistere non possemus. Si enim Sol, vel ignis subtraheret lumen suum, vel calorem, & terra fructus suos, quid faceret miser homo? Qui ergo indiget misericordia, debet alijs misericordiam facere, vel aliorum misereri. Vnde creaturæ arguunt quodammodò immisericordes. *Itaque proximis nostris misericordia impendenda: quod nisi fecerimus, diuina instat nobis fulmen vltionis. Cum enim perpetuos diuinæ effectus misericordiæ temporaliter simul, & spiritualiter sentiamus* (multo quippè maior est O misericordia, quam Dominus impendit nobis, quàm illa, quam impendimus proximo) *nisi & nos in proximos nostros*

M Hebr. l. 4. ibi, misericors & cap. 13. ...

Misericordiã fecit Dominus, & docuit & mandauit.

N Serm. ex Eu. Dom. 4. post Pent.

Tria debent nos mouere ad misericordiam faciendam.

O ...

Non miserentibus diuina nobis subtrahitur misericordia, & infestè punimur.

nostros exerceamus, iustè hic; & post mortem, Dei nobis subtrahetur misericordia, iustoque ab eo iudicio seuerè puniemur, vt liquet ex parabola ingrati serui Mat. 18. *cui Dominus exprobrans ait*: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? *Ex quo sequitur*: Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. *Quod erit æternaliter in gehenna ignis, vbi locum non habet misericordia*. Si enim P pœna cessare non debet, donec fiat satisfactio debiti; & nullus sine gratia potest satisfacere: qui decedit sine charitate, non poterit satisfacere *ibi in sempiternum. Quod sanè nobis nedum iustissimè infligitur, sed & nos ipsi voluntarii quotidie petimus, cum oramus*: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Vbi Author*: Aliter *inquit* Deus Q non dimitteret nobis, Eccli. 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini*. Et ideò solummodo in ista petitione (*orationis Dominicæ*) ponitur conditio, cum dicitur: *sicut & nos dimittimus*. Si ergo non dimittis, non dimittetur tibi.

P *Mat.* 18. 5. *fin.*

Q *Op.* 7. *Pat. fin. c.*

r *Illud hic tandem cordibus nostris infigendum, quòd licèt quis in operibus exerceatur misericordiæ, nisi suimetipsius spiritualiter misereatur, parùm sibi in cæteros misericordia ad vitam proderit sempiternam*, 1. *Cor.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Licèt enim verum sit, quòd* quia R misericordia est compassio miseriæ alterius, propriè misericordia est ad alterum, non autem ad se ipsum: secundùm quandam tamen similitudinem & ad se ipsum est, sicut & Iustitia, secundùm quod in homine considerantur diuersæ partes, vt dicitur *in* 5. *Ethic*. Et secundùm hoc dicitur Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Non *enim* est S misericors, qui sibi non miseretur. *Nam* si quis T pascit esurientem, multò magis pascere debet se esurientem. *Vnde ad illud Mat*. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, *docemur, quòd* illi V misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinatè impendunt: non autem ordinatè (*hoc est secundùm ordinem charitatis*) misericordiam impendunt qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant malè agendo. Et ideò tales misericordiam penitùs absoluentem non consequentur, etsi consequantur misericordiam, de pœnis debitis aliquid relaxantem. *Nec tamen diffitemur, misericordiæ opera valde ad vtrumque conferre, & ad æterna gloria consecutionem*: de quo Num. seq.

Parùm prodest misericordia in cæteros, nisi quis sibi primùm misereatur.

R 2. 2. 30. *r. ad* 2.

Misericordia propriè est ad alterú; secundùm quandá tamen similitudinem & ad se.

S 1. *Tim.* 4. *l.* 2. *ibi*, promissionem.

Non est misericors, qui sibi spiritualiter non miseretur.

T *Mat.* 25. *lit. c. ibi*, esuriui.

V 4. *d.* 46. 2. 3. *q.* 4. *ad* 1. 2. 3. 4. *Mat.* 25. *loc. cit.* & 1. *Cor.* 6. *l.* 2. *ibi*, errare *Ps.* 40. *lit. a. fin.*

DISCE *miserericanimæ tuæ, vt aliorum fructuosè miserearis*.

XIV. Non potest esse, quòd riuus misericordiæ nostræ fluat ad proximum, & fons diuinæ misericordiæ siccus sit nobis. *Op. de er. Princ. l.* 1. *c.* 15.

s QVoniam misericordia alienæ statuitur miseriæ compassio, *sciendum, quòd* duplex X est miseria proximi. Prima in istis rebus temporalibus & ad istam debemus habere miserum cor, 1. Io. 3. *Qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Secunda est, qua homo per peccatum miser efficitur: quia sicut beatitudo est in operibus virtutum, ita miseria propria in vitijs, Prou. 14. *Miseros facit populos peccatum*. Et ideò quando admonemus corruentes, vt redeant, misericordes sumus. *Ex qua duplici miseria duo statuuntur operum misericordiæ genera*, corporalia scilicet, & spiritualia. *Ponuntur enim* Y septem eleemosynæ corporales: scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum. Quæ in hoc versu continentur:

Duplex proximi miseria.

X *Mat.* 5. *lit. b. ibi*, misericordes.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ponuntur etiam aliæ septem eleemosynæ spirituales: scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos & graues, & pro omnibus orare. Quæ etiam in hoc versu continentur:

Exinde duo misericordiæ operú genera corporalia, & spiritualia.

Y 2. 2. 32. 2. *arg.* 1. *In* 4. *d.* 15. 2. 3. *q.* 1. & 2. *Mat.* 25. *lit. c. ibi*, esuriui. Quænam sint.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et corporales quidem recensentur à Christo Domino Mat. 25. *cum inducitur Iudex Mundi aduenturus*: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere &c. *Vbi Author*: Septem *inquit* sunt Z opera misericordiæ: sed sex solùm tanguntur. De sepultura verò non tangitur: (*cuius ratio affertur: quia* sepultura A mortui non confert ei quantùm ad sensum, quem corpus post mortem habeat: & secundùm hoc Dominus dicit *Mat*. 10. quòd interficientes corpus *non habent ampliùs quid faciant*. Et propter hoc etiam Dominus *cap*. 25. *cit*. non commemorat sepulturam inter alia misericordiæ opera, sed enumerat solùm illa, quæ sunt euidentioris necessitatis. Pertinet tamen ad defunctum, quid de eius corpore agatur, tum quantum ad hoc, quòd viuit in memorijs hominum, cuius honor dehonestatur, si insepultus remanet: Tum etiam quantùm ad affectum, quem adhuc viuens habebat de suo corpore, cui piorum affectus conformari debet post mortem ipsius. Et secundùm hoc commendantur aliqui de mortuorum sepultura, vt Tobias, & illi, qui Dominum sepelierunt, vt patet per *Augustinum* in lib. de cura pro mortuis agenda. *Quin & Dominus ipse summè commendasse videtur Magdalenam, quòd* præuenit vngere *Marc*. 14. corpus suum in sepulturam: *dum illud protulit Mat*. 26. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangeliũ in toto Mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius, *idest*, in eius B commendationem.) Ponit ergo sex, quæ impenduntur contra defectum. Et quia est defectus quidam generalis, quidam specialis: primò agit de generali, secundò de speciali. Et quia quidam generaliter ab exteriori, quidam ab interiori: primò tangit defectum

Cur *Mat.* 25. non enumeretur inter misericordiæ opera mortuorum sepultura.

Z *Mat.* 25. *lit. c. ibi*, esuriui. 2. 2. *In corp.* & *ad* 2. *In* 4. *d.* 15. *q.* 2. *c.* & *ad* 4.

A 2. 2. 32. 2. *ad* 1. *In* 4. *d.* 15. 2. 3. *q.* 1. *ad* 1. & 2.

B *Mat.* 26. *lit. a. ibi*.

Distinctionis operum misericordiæ corporalis conuenientia.

ectum à parte interiori, secundò ab exteriori: Dicit ergo quoad defectus ab interiori: *Esuriui, & dedistis mihi manducare*. Et hoc habetur *Is.* 58. Frange esurienti panem tuum. *Sitiui, & dedistis mihi bibere*: quia propter me dedistis proximo, vnde Mat. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*. De istis duobus Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere*. Item sunt defectus ab exteriori: & hi sunt duo, scilicet à tegumento coniuncto, & separato. Dicit ergo quantùm ad separatum: *Hospes eram, & collegistis me*, ad Hebr. 13. *Hospitalitatem nolite obliuisci &c.* Quantùm ad tegumentum coniunctū, dicit: *Nudus fui &c.* Is. 58. *Cum videris nudum, operi eum.* Item, quidam sunt particulares defectus: & horum quidam sunt naturales, quidam ab exteriori. Defectus naturalis, & ab intrinseco est infirmitas; vnde dicit: *Infirmus, & visitastis me*. Quantùm ad exteriorem defectum, dicit: *In carcere eram, & venistis ad me*. Et potest per carcerem intelligi quælibet tribulatio, *ad Hebr.* 10. Nam & vinctis compassi estis. *Et idem Apostolus hæc ipsa corporalia misericordiæ opera tangit* cap. 13. *cum ait*: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. *Quibus verbis docemur, quòd* debemus C ostendere charitatem (*effectus enim charitatis proprius, vt vidimus, misericordia est*) peregrinis per hospitalitatem, vinctis per compassionem, pauperibus per subuentionem. Dicit ergo quantùm ad primum: *Hospitalitatem nolite obliuisci*; quia qui peregrinos recipit, tria opera misericordiæ simul implet, quia & recipit, & cibat, & potat, 1. Pet. 4. *Hospitales inuicem sine murmuratione*. Et subdit rationem: *per hanc enim &c.* sicut patet de Abraham & Loth *Gen.* 19. Quantùm ad secundum, dicit: *mementote vinctorum*, illorum scilicet, qui propter Deum missi sunt in carcerem: *mementote* visitando, & redimendo, *tanquam* essetis *simul* corporaliter cum eis *vincti*. Hoc enim est aliud opus misericordiæ, Mat. 25. *In carcere eram &c.* Contra quod dicitur, Is. 14. *Vinctis eius non aperuit carcerem*. Specialiter autem hoc pertinet ad opus misericordiæ, alienam miseriam, suam reputare. Quantùm ad tertium dicit: *& laborantium* siue labore corporali, Ps. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis*; siue solicitudine spirituali, 2. Tim. 2. *Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere*: siue in malis sustinendis, Eccle. 2. *Agnoui, quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus*. Tota enim præsens vita, labor quidam est, Iob. 5. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum*. Et horum inquam *mementote, tanquam & ipsi in corpore morantes*: per quod experti estis, quid necesse sit laborantibus; *Eccli.* 31. Intellige, quę sunt proximi tui, ex te ipso: *& Mat.* 7. Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Quod est vnica ad omnia misericordiæ opera promptè impendenda, efficax ratio & motiuum, cum eadem & nos pati possimus, vt præmissum est*. *Cæterùm* comparatio D istarum eleemosynarum potest attendi dupliciter. *Vno modo* simpliciter loquendo; & secundùm hoc eleemosynæ spirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem, quia id, quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali, secundùm illud Prou. 4. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis*. Secundò ratione eius, cui subuenitur: quia spiritus nobilior est corpore. Vnde sicut homo sibi ipsi magis debet prouidere quantùm ad spiritum, quàm quantùm ad corpus: ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere. Tertiò quantùm ad ipsos actus, quibus subuenitur proximo: quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo seruiles. *Alio modo* possunt comparari secundùm aliquem particularem casum, in quo quædam corporalis eleemosyna alicui spirituali præfertur: putà, magis est pascendum fame morientem, quàm docendum; sicut & indigenti, secundùm Philosophum melius est ditari, quàm philosophari, quamuis hoc sit simpliciter melius. *Neque ex eo, quòd Dominus corporalia tantùm misericordiæ opera sit in die iudicii ex probando recensiturus; eorum probatur super spiritualia præminentia. Nam secundùm Gregorium* proponit E ista tanquam minora. Si enim ista, quæ dictat natura, non faciunt: nec alia multò magis.

Et hinc liquet, quàm veraciter à Domino dictum sit Mat. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Siquidem* misericordibus F debetur misericordia duplici ratione. Primò ex acceptatione diuina, quia Deus misericordiam acceptat, per quam homo imitator est Dei, Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Secundò ex oratione Sanctorum, Eccli. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Misericordes *inquam* misericordiam consequentur. Ista *autem* misericordia G inchoatur in hac vita dupliciter. Primò quia relaxantur peccata, Ps. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*. Secundò quia remouet defectus temporales, ita quòd *Solem suum facit oriri &c.* Perficietur tamen in futuro, quando omnis miseria & culpæ, & pœnæ remouebitur, Ps. 35. *Domine in Cœlo misericordia tua*. Et hoc est, quod dicitur: *quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Quibus *enim* datur, *aiebat Augustinus*, misericorditer datur. *Id quod confirmat Apostolus* 1. Tim. 4. *cum ait*: Pietas ad omnia vtilis est. *Nimirùm* quia H ad omnia peccata delenda, Eccl. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*. Item ad bona promouenda, Eccli. 17. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit*. Item promeretur specialem Dei misericordiam, Matth. 5. cit. *Beati misericordes &c.* Quod probat Apostolus subdens: *promissionem habens vitæ*. In præceptis enim Decalogi vnum solum inuenitur, quod pertinet ad pietatem, scilicet honorate Patrem, & Matrem, & sub illo continentur omnia præcepta ad quodcumque beneficium impendendum proximo: & hoc est solum præceptum inter ea, quę sunt ad proximum, habens promissionem, scilicet, *vt sis longæuus &c.* Exod. 20. Et Apostolus hic interpretatur *longæuus* secundùm vitam præsentem, & futuram, vnde dicit: *vitæ, quæ nunc est, & futuræ, Prou.* 3. Longitudo dierum in dextera eius. *Quo facit illud Marc.* 4. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis. *Adiicietur inquam vobis*; *quia* semper I dona Dei excedunt merita nostra (*præmia enim dat vltra condignum, Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis &c.) *Eccli.* 35. Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. *Idcircò*, quando quis K aliquid misericorditer impendit, non humanam, sed diuinam remunerationem quærere debet, *quæ longe vtilior est impendenti, quàm mundana. Vnde & monemur* Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defece-

C *Hebr.* 13. *l.* 1. *ibi.*

Promptè misericordiam impendemus, si eam, quam alii sustinent miseriam, nos quoque pati posse advertamus.

D 2.2.32.3. c. In 4. d. 15. 2. 3. q. 3.

Spiritualia misericordiæ opera præeminent absolutè corporalibus.

In aliquo casu corporale aliquod opus spirituali præfertur.

E *Mat.* 25. *lic. e. ibi, esuriui.*

Misericordes misericordiā à Deo expectent: illis enim debetur.

F *Ps.* 40. *lit. a.*

G *Mat.* 5. *lit. b. ibi*

Ad omnia pietas & misericordia vtilis est.

H 1. *Tim.* 4. *l.* 2. *ibi.*

I *Mat.* 5. *loc. cit.*

Dei dona excedunt merita nostra.

K 2.2.71.4. ad 1.

Misericordiā impendens, non humanā, sed diuinam quærat retributionem.

feceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Siquidem* pauperes L eleemosynas recipientes dicuntur *recipere* alios *in æterna tabernacula*, vel impetrando eis veniam orando, vel merendo per alia bona ex congruo, vel etiam materialiter loquendo, quia per ipsa opera misericordiæ, quæ quis in pauperes exercet, meretur recipi in æterna tabernacula. *Hinc de diuitibus eleemosynam non erogantibus dicitur*: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis, *Ps.* 75. Quare? M quia nil posuerunt in manu pauperis, qui portasset eos in Cœlum. Ideò dicitur Eccle. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, scilicet pauperes: *quia post tempora multa inuenies illum*. Non potest N esse (*aiebat consequenter initio Author*) quòd riuus misericordiæ nostræ fluat ad proximum, & fons diuinæ misericordiæ siccus sit nobis. *Augustinus*: Riuus fluit, & fons siccabitur? Non est enim quod ita Deo amabiles faciat, vt pietas, *Eccli.* 4. Esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm Mater. *Cui consonat illud Mat.* 5. Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est. *Ac væ beneficia proxime subtrahentibus*! Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam, *Iac.* 2. *idest*, iudicium O condemnationis *illi*, *qui non fecerit misericordiam*. Exemplum patet in seruo nequam, cui debitum dimissum exprobratur *Mat.* 18. quia non est misertus conserui sui. (Sed objicitur contra hoc, quod dicit, *iudicium sine misericordia*: Quia in Ps. 24. dicitur: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*. Et respondetur, quòd duplex est misericordia, liberans scilicet, & relaxans. De prima loquitur hìc: de secunda in Psalmo. Vel sic: *Iudicium sine misericordia*; tanta scilicet, quantam inueniret, si misericors fuisset. *Superexaltat autem misericordia iudicium*; quod exponitur (*præter alia*) de effectu misericordiæ Dei in præsenti, & de effectu diuini iudicij in futuro. Et est sensus: quòd quando misericordia maior alicui in præsenti impenditur, tantò si ingratus fuerit (*nota*) grauiùs in futuro punietur. *Hinc haud perperam circa vel ipsa animalia, quædam in veteri lege fieri vetabantur, vt nimirum populus ad misericordiam inclinaretur. Licèt enim* secundùm affectum P rationis non referat, quid homo circa bruta animalia agat, quia omnia sunt subiecta eius potestati à Deo secundùm illud Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; & secundùm hoc Apostolus dicit 1. *Cor.* 6. quòd *non est Deo curæ de bobus*, quia Deus non requirit ab homine, quid circa boues agat, vel circa alia animalia: *Tamen* quantùm ad affectum passionis mouetur affectus hominis etiam circa alia animalia. Quia enim passio misericordiæ consurgit ex afflictionibus aliorum; contingit autem etiam bruta animalia pœnas sentire: potest in homine consurgere misericordiæ affectus etiam circa afflictionem animalium. Proximum autem est, vt qui exercetur in affectu misericordiæ circa animalia, magis ex hoc disponatur ad affectum misericordiæ circa homines; vnde dicitur Prou. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas: uiscera autem impiorum crudelia*. Et ideò vt Dominus populum Iudaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa illa fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur. Et ideò prohibuit, *ne coqueretur hædus in lacte matris*, & quòd *non alligaretur os boui trituranti*; & quòd: *non occideretur* de auibus *mater cum filiis*: vt habetur Deut. 14. 22. & 25. *Et hoc secundùm sensum literalem, non excluso mystico sensu: de quo vide ibi. Multiplex porrò est vtilitas, nobis ex misericordia proueniens. Nam* misericordia Q primò peccata purgat, Prou. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*. Secundò pœnam peccatorum relaxat, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*! Tertiò custodit à malo, Prou. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem*. Quartò abundare facit in bono, Prou. 14. *Misericordia, & veritas praeparant bona*. Quintò hominum benedictionem meretur, Prou. 22. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*. Sextò Dei misericordiam consequitur, Mat. 5. *Beati misericordes &c.* Septimò euadit iudicium, Iac. 2. *Superexaltat misericordia iudicium*. Octauò introducit in Cœlum, Eccli. 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum*.

Igitur, cum tanta erumpat ex misericordia vtilitas, hilariter & promptè proximis nostris, potissimè fidelibus, impendenda, Rom. 12. Qui miseretur in hilaritate, *hoc est*, quasi R libenter hoc faciens, 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. *Et Eccli.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. *Quò respexit idem Apostolus* 1. *ad Tim.* 4. *cum ait*: Exerce autem te ipsum ad pietatem. *Vbi Author*: Quantùm *inquit* ad terrenam S pietatem, competit pietati, vt homo sit beneuolus compatriotis: sed quantùm ad Christianam pietatem, requiritur, vt homo omnibus hominibus beneuolus sit, quia omnes sumus eiusdem patriæ. Et ideò pietas sumitur pro misericordia. Cum ergo dicit, *exerce te ipsum ad pietatem*; potest accipi, secundum quòd pertinet ad cultum Dei, & ad opera misericordiæ exhibenda. *Ad pietatem* ergo, idest *ex glossa*, ad cultum omnipotentis Dei, & ad opera misericordiæ. Et dicit, *exerce*, non *fac*: quia exercitium dicit promptitudinem; & hoc ideò, quia exercitatus facit leuiùs, delectabiliùs, & stabiliùs, *Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum: *Quod est, ex virtute misericordia operari: non ex passione naturali, siue compassione. Et quidem pietas, siuè misericordia, gratissima Deo est; immò acceptissimum sacrificium, Eccli.* 35. Qui facit misericordiam offert Sacrificium. *Quo sensu dicebat Psaltes Ps.* 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ &c. *idest*, acceptatis T iustitiam, sicut sacrificium: quia opera iustitiæ & misericordiæ sunt sicut sacrificium, Hebr. 13. *Beneficentia & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*. Promeretur, *scilicet* Deus V passiuè; idest, possumus Deum mereri talibus sacrificijs: ipse enim est merces nostra, quam istis operibus acquirere possumus, Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Et ideò X misericordia qua subuenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, vtpotè propinquiùs vtilitatem proximorum inducens. *Et rationem affert ibidem Author*: *quia* Deum non colimus per exteriora sacrificia, aut munera, propter ipsum, sed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget Sacrificijs nostris, sed vult sibi ea offerri propter nostram deuotionem, & proximorum vtilitatem. *Non ergo mirum, si pluris*

L 1.2.114.6. ad 3.

M Apoc. 11. com.2.§.3.fin.

N Op. de er. Pr.l.1.c.15.

Væ misericordiam non facientibus.

O Iac.2.§.6. ibi.

P 1.2.102. 6.ad 8.

Quædam circa animalia in veteri lege fieri vetabantur, vt ad misericordiam Iudæi reuocarentur, ad crudelitatem proni.

Q Iac.2.§.6. fi.

Multiplex ex misericordia prouentus.

Misericordia promptè impendenda.

R Rem. 12. l. 2. ibi & 2. Cor.9.l.1.fin.

S 1.Tim.4.l. 2.ibi. 1

Gratum Deo Sacrificium est.

T Ps.50.lec. 1.ibi.

V Hebr.13.l. 2.fin.

X 2.2.30.4. ad 1.

Immò plus quàm sacrificium.

pluris immò misericordiam faciat, quàm sacrificium. Vnde & ipse Dominus ait Mat. 9. ex Ose. cap. 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. *Et Mich. 6.* Quid dignum offeram Domino? numquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam. *Cui consonat illud Prou. 21.* Facere misericordiam, & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. *Sed & hic spiritualiter militantibus validus est contra impugnatores hostes misericordia clypeus.*

Scutum contra hostes.

Misericordia Y est scutum, quo ab hostibus defendimur, *vnde dicitur Eccli. 29.* Conclude eleemosynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersùs inimicum tuum pugnabit. *Quò facit & illud Apoc. 6.* Audiui tanquam vocem dicentem: Vinum, & oleum ne læseris. *Vinum (exponitur)* idest Z pœnitentes: *& oleum*, idest misericordes, *nolasseris*: ipsos enim præcipuè præcepit non lædi Deus, quia vicerunt, Apoc. 2. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, licèt tangantur tribulatione præsenti, quæ dicitur mors prima. *Id quod Regius propheta apertissimè exprimit Ps. 40.*

Y Serm. 1. ex Ep. Dom. 1 Adu.

Z Apoc. 6. com. 2. §. 3. fin.

Beatus, qui miseretur.

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus &c. *Cui cohæret illud Prou. 14.* Qui miseretur pauperis, beatus erit. *Notandum autem, quòd* Psaltes A dicit, *Beatus qui intelligit*; non dicit *qui subuenit*, quia debes esse misericors ad modum Dei: sed Deus non expectat, quòd semper petatur; immò subuenit desiderio antequam petatur, Ps. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*. Et ideò ille est verè misericors, qui non solùm petentibus subuenit, sed etiam indigenti subuenit, priusquàm petatur, Iob. 31. *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci*. Est autem *egenus*, qui indiget ab alio accipere: *pauper* verò dicitur ille, qui parum habet. *In die mala liberabit eum Dominus*. Summum malorum est damnatio æterna, quæ imminet homini in iudicio vel particulari, scilicet in morte; vel vniuersali, idest in fine Mundi. Et illa dies est mala, in qua fit talis damnatio, Soph. 1. *Dies iræ, dies illa; dies tribulationis, & angustiæ; dies calamitatis, & miseriæ &c.* In hac *die mala* liberat Dominus misericordem, *Mat. 25.* Venite benedicti Patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare &c. *Quia vt dicitur Prou. 22.* Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur (*à Deo vtique, & ab hominibus: sed à Deo specialiter in morte; vnde ad illud Apoc. 14.* Opera enim illorum sequuntur illos, *dicebat Ambrosius*: Non sunt B hominis, quæ secum portare non potest. Sola misericordia comes est defunctorum, *in via nimirum ad cælestem Patriam.*) *Dominus conseruet eum*, (prosequitur Psaltes) *& viuificet eum, & beatum faciat eum in terra*. Vbi ostendit, quòd misericors meretur misericordiam ex oratione Sanctorum, qui orant pro misericordibus. Et ponitur oratio pro misericorde existente in statu prosperitatis, in quo homo duobus indiget: scilicet vt promoueatur, & conseruetur in bono: Secundò, vt liberetur à malis. Est autem triplex bonum: scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Bonum naturæ petit sibi conseruari, cum dicit: *Dominus conseruet eum*, scilicet in bono naturæ, Ps. 15. *Conserua me Domine*, ne scilicet corrumpatur per peccatum, vel per tribulationes imminentes. Bonum gratiæ petit dari, cum dicit: *& viuificet eum*, scilicet per gratiam, per quam homo habet vitam spiritualem: Quantùm ad Tertium bonum, scilicet gloriæ, dicit: *Et beatum faciat eum in terra*. Si de perfecta beatitudine intelligatur, sic dicitur, *in terra*, scilicet viuentium, Ps. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; & Mat. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Si autem intelligatur de beatitudine huius vitæ, in quantùm aliquid æternum mente sapimus, sic dicitur: *beatum faciat eum in terra*, hac scilicet, participatione illius beatitudinis, Philipp. 3. *Nostra conuersatio in Cœlis est*. Deinde petit liberari à malis, cum dicit: *& non tradat eum in animam inimicorum eius*. Inter omnia enim mala summum malum est incidere in manus inimicorum, quia ex odio persequuntur, & affligunt. Et dicit, *in animam*, idest in voluntate inimicorum. Vel *in animam inimicorum*, idest in potestatem diaboli, & ministrorum eius. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Hic ponitur oratio pro misericorde existente in aduersitate. Quia enim ex hoc, quòd petit, quòd *Dominus conseruet eum, & viuificet eum &c.* posset aliquis colligere, quòd misericors nullomodo affligeretur: ideò, ad hoc excludendum, dicit, quòd quandoque lectus eius repletur doloribus. Et hoc fit misericordi aliquando ad correctionem, Iob. 33. *Increpat quoque per dolorem in lectulo*: vel ad humiliationem, sicut Paulo 1. *Cor.* 12. datus est stimulus carnis: vel ad probationem, vt de Iob, & Tobia. Et ideò dicit: *Dominus opem ferat illi*, scilicet misericordi existenti in tribulatione, *super lectum doloris eius*, ad literam in quo iacet. Et quòd ferat illi opem, necessitas magna hoc exigit, quia *vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*. Et loquitur hic ad similitudinem febricitantis, qui non inuenit in lecto locum, in quo possit quiescere, sed continuè se vertit. Et ideò dicit, *versasti*; quasi dicat: indiget ope, quia tanta est eius infirmitas, quòd continuè vertitur per lectum.

A Ps. 40. lit. a. b. c.

Quis misericors.

Egenus quis, & quis pauper.

In die iudicij liberat Deus misericordem.

B Apoc. 14. com. 1.

Qui meretur misericordiã ex oratione Sanctorum multiplici cũ fructu.

Bonum triplex.

Cur & ipse misericors quandoque tribuletur & affligatur.

X *Ita ergo misericorditer protegitur à Deo misericors, qui per affectum miserando, suam per effectus ostendit proximis charitatem. Nec mirum: nam Deus se amantes amat.* Inter C signa autem, quibus perpenditur, quòd Deus ab aliquo ametur, vnum est, cum dat libenter pro Deo, Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Maximè (*ex consequenti*) amor pauperum signum est, quòd aliquis amet Deum: illi enim non amantur propter se, sed propter Deum. *Vnde dicitur Prou. 19.* A paupere & hi, quos habuit, separantur. *Et iterum:* Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper & amici procul recesserunt ab eo: *vt patet de Iobe, in pauperiem, immò in egestatem redacto. Adhuc autem misericordiæ opera in proximos impendenda, ex summa Dei, & Christi Domini nostri in nos exercita misericordia potissimùm promouemur, de qua suprà suis locis. At verò ne credat quis, sublata per peccatum charitate, per sola misericordiæ opera se posse salutem consequi sempiternam: fallitur enim, totoque (vt aiunt) aberrat Cælo. Hinc Apostolus 1. Cor. 6.* Nolite *inquit* errare: Neque fornicarij, neque adulteri, neque ebriosi &c. regnum Dei possidebunt. *Nolite errare*. Quidam enim D propter sola opera misericordiæ, se impunè peccare arbitrantur, propter illud, quod dicitur Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Nec intelligunt, quòd hęc omnia

C Op. de er. Pr. l. 2. c. 11.

Misericordia dilectionis Dei euidens signum.

Sola misericordiæ opera, sine charitate non saluant.

D 1. Cor. 6. l. 2. ibi, Mat. 25. lit. c. ibi, esuriui.

omnia sine charitate non prosunt, secundùm illud, quod dicitur 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et ideò subdit, quòd peccata, contraria charitati, à Regno Dei excludunt, in quod sola charitas introducit, *dicens*: Neque fornicarij, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt. *Sanè, quod Psaltes cecinit Ps. 40. cit.* Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; *hoc dicit*, non E quòd sola misericordia sine alijs virtutibus (*quarum charitas est forma*) liberet hominem: sed quia per misericordiam homo satisfacit pro peccatis. *Nec pro carnalibus hominibus, qui vellent cum sua expletione concupiscentia saluari, vllam facit vim illud* Ambrosij *in glossa 1. ad Tim. 4.* Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est: quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit; non tamen peribit. *Etenim* per opera F pietatis, ille, *qui lubricum carnis patitur*, liberatur à perditione æterna, in quantùm per huiusmodi opera disponitur ad hoc, quòd gratiam consequatur, per quam pœniteat; & in quantùm per huiusmodi opera satisfacit de lubrico carnis commisso. (Disponitur *inquam*: quia homo G benefaciendo alijs, inducit illos ad orandum pro se: & Dominus donat aliquando veniam peccatoribus precibus Sanctorum, in quantùm impetratur eis peccatorum venia, & donum gratiæ: quia homo potest alteri ex congruo primam gratiam mereri; aliàs pro nihilo oraret Ecclesia pro peccatoribus.) Non autem ita, quòd si in lubrico carnis perseueret impœnitens vsque ad mortem (*nota*) per pietatis opera liberetur. *Igitur peccator, se in misericordiæ operibus exercens*, finaliter non peribit; *idest ex diuina misericordia* disponetur H per talia opera ad non pereundum. *Aliàs certissimum est*, quòd quicumque I cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiæ, eos liberabit à pœna æterna, etiam post quantumcumque temporis spatium. DISCE *proximis miserendo, diuinam tibi misericordiam promereri*. *Vide* Christi misericordia *Tom. 1.* Dei misericordia, Eleemosyna, Inuidia *Tom. 2.*

E Ps. 40. lit. 4. fin.

Notent homines lasciui.

F 2. 2. 154. 2. ad 5. in 4. d. 15 2. 2. q. 1. ad 1. & 1. Tim. 4. l. 2. fin.

Quomodo intelligatur, quòd opera misericordiæ faciens non peribit.

G 1. Tim. 4. l. c.

H 4. d. 46. 2. 2. q. 4. ad 4.

I ibid. fi. corp.

MISSA.

XV. Alia sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiam: sed in immolatione huius Sacramenti (Eucharistiæ) est vniuersalis effectus, quia non solùm sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi, pro quibus orat, & Ecclesia tota tam viuorum, quàm mortuorum. *Ioan. 6. l. 6. fin.*

Missa celebratio à tempore Apostolorum initium habuit, primamque traxit institutionem. Traditur enim de Consecr. K Dist. 1. cap. *Iacobus*: Iacobus frater Domini secundùm carnem, & Basilius Cæsariensis Episcopus ediderunt Missæ celebrationem. *Hinc praefatus Apostolus Iacobus* (teste Durando in festo eiusdem) *primam Ierosolymis Missam traditur celebrasse. Secundus verò Petrus Antiochia primus. Et quidem* Missa L dicitur *ex Hugone* quasi transmissa, & quòd populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum, & hominem, preces, vota, & oblationes Deo transmittit. Secundò ipsa hostia sacra *Missa* vocari potest, quia transmissa est priùs à Patre nobis, vt scilicet nobiscum esset: postea à nobis Patri, vt apud Patrem pro nobis esset. *Vnde & alibi, cohærenter ad illud, quod dicitur in Canone*: Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui &c. *docet Author*, quòd per Angelum M intelligitur ipse Christus, qui est *magni consilii Angelus*, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit, & Ecclesiæ triumphanti. Et propter hoc etiam *Missa* nominatur: quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem. Vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo: vnde & in fine missæ Diaconus in festiuis diebus populum licentiat, dicens: *Ite, missa est*; scilicet hostia ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta. *Celebratur quippe in Missa idem Sacrificium, licèt incruentum, quod à Christo cruentum in Cruce celebratum est*: *qui* tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & *Hostiam* Deo in odorem suauitatis, *vt dicitur ad Eph. 5. & 1. Io. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: *scilicet* vel N actiuè, idest propitians nos Deo, hoc est propitiator, Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem &c.* Vel *propitiatio*, passiuè; idest, ipse est hostia oblata pro expiatione nostra, 1. Io. 4. *Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Cuius (*sacrificii*) celebratio O imago quædam est repræsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. *Et alibi*. Sacrificium P quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud à sacrificio, quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio. Vnde *Augustinus dicit in 10. de Ciu. Dei*: Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium. *Passio autem Christi* potissimum Q sacrificium est, quo ipse Christus se obtulit Deo: & propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege, vt hoc vnum singulare, & præcipuum sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta. *Missa autem sacrificium sit incruentè, illud cruentè factum est*. *Idcircò* omnium R sacramentorum effectus huic sacramento possunt adscribi, in quantùm perfectio est omnis sacramenti, habens quasi in capitulo, & in summa omnia, quæ alia sacramenta continent sigillatim. In hoc *enim* Sacramento S totum mysterium nostræ salutis comprehenditur: & ideò præ ceteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur. *Nec sine potissima causa*: *nam* Eucharistia T est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium sacramentorum finis: per sanctificationes enim omniū Sacramētorū fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. *Hinc vides, quanta debeas deuotione, ac reuerentia Missæ sacrificio laicus assistere, quali præparatione sacerdos ad tremendum Altare accedere, & celebrare, Christi Domini vices impleturus, & munus. Eiusmodi reuerentiali metu perculsus Euangelista Marcus, ne ad terribilem mensam, (quod ait Chrysostomus) indignus ex humilitate minister accederet, pollicem sibi resecuisse dicitur narrat si quidem de eo* Hieronymus, *Prol. in D. Marcum*, quòd sibi V pollicem amputauerit, vt sacerdotio reprobus haberetur (*quod tamen* credibile est X ex instinctu Spiritus sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum iniicere.) *Et de B. Francisco tradunt pariter*, nun-

K 3. p. 83. 4. in sed contra.

Missa à tempore Apostolorum ortum habuit.

Vnde dicatur *Missa*.

L In 4. d. 13. exp. tex.

M 3. p. 83. 4. ad 9. fin. In 4. l. c.

N 1. Io. 2. §. 1. ibi.

O 3. p. 83. 1. c. & 73. 4. c. In 4. d. 2. 1. 2. ad 1. Io. 6. l. 6. fin.

P 3. p. 22. 3. ad 2.

Missæ sacrificiū repræsentatiuū passionis Christi nec aliud ab illo.

Q 1. 2. 102. 3. fin. c. & 3. p. 47. 2. ad 1. & 48. 3. c.

R 4. d. 8. 1. q. 2. ad 4.

Eius dignitas, & præcellentia.

S 3. p. 83. 4. initio c.

T 3. p. 73. 3. c.

Deuotè, & reuerenter venerandum; at deuotiùs celebrandum.

SS. Marci, & Franscisci reuerentia, & humilitas ad missæ sacrificium.

V 4. d. 23. 1. 2. q. 1. ad 1. & 2. 2. 185. 2. ad 3.

X 2. 2. loc. cit.

Venerandum Angelis, & hominibus sicut dæmonibus formidabile.
Y Op. 58. c. 4.

nunquam passum esse tanti excellentia sacrificii territum, vt ad Sacerdotii dignitatem promoueretur. Sanè sacrificium, hoc maximè hominibus venerandum est, quia & dæmonibus formidabile, & vel ipsis sanctis Angelis Y reuerendum, Mat. 22. *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquila.* Circa corpus Domini (*ait Leo Papa*) aquilæ sunt, quæ spiritualibus alis circumuolant, videlicet Angeli Sancti, Spiritus mundi munditiam amantes, mundum corpus Domini venerantes, & præsentes fideles protegentes. *Et Gregorius*: Quis fidelium *inquit* dubium habere possit, in ipsa hora immolationis Cœlos aperiri (*contremiscat Sacerdos, metuat fidelis quisque*) & in illo Christi mysterio Angelorum adesse Choros, summa & ima sociati? *Alio quoque in loco Author*: Angelus *inquit* sacris Z mysteriis interesse credendus est. *Hinc Apostolus* 1. Cor. 11. Debet mulier velamen habere (*sic in veteri codice legit Author cum aliis; vnde & ibi subdit*: Alia litera habet, *potestatem habere*, & idem est sensus: *vt legimus in modernis codicibus.*) Debet *igitur* mulier velamen habere supra caput; *præmiserat enim Apostolus*: Mulier orans velet caput suum; *& hoc* propter Angelos. *Quod quidem* potest A dupliciter intelligi: scilicet & de Sacerdotibus, secundùm quòd Angeli dicuntur Sacerdotes, In quantùm diuina populo annunciant; & de ipsis Angelis cælestibus, qui conuentus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando Sacra mysteria celebrantur. *At quidam fideles hodie, nec Angelos, nec Deum ipsum, fide in sacrificio præsentem deuotè, vt par est, reuerentur obsequio: quin potiùs propria colunt idola concupiscentia; minorique reuerentia Missæ sacrificio assistunt, quàm dramati intersint theatrali. Vide plura Tom. 2. V.* Ecclesia.

Adsunt Angeli Missæ sacrificio.
Z 4. d. 13. exp. tex. & 3. p. 83. 4. ad 9.

A 1. Cor. 11. l. 3. ibi.

Moralitas.

2 *Quoad huius verò sacrificii uberem fructum, ex opere operato talis, ac tantus est, qualis, ac quantus Dominica fructus passionis: cuius (vt præmisimus) celebratio huius Sacramenti repræsentatio est: quia scilicet* per hoc B Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Vnde in quadam dominicali oratione secreta dicitur: *Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Quicquid *ergo* est C effectus Dominicæ passionis, totum etiam est effectus huius Sacramenti. Nihil enim aliud est hoc Sacramentum, quàm applicatio Dominicæ passionis ad nos. *Vtilitas proinde* illius magna est, & vniuersalis: quia vita, quam confert, non solùm est vnici vnius hominis, sed quantùm in se est, totius Mundi, 1. Io. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*: Alia enim Sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiam; sed in immolatione huius Sacramenti, est vniuersalis effectus: quia non solùm Sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi, pro quibus orat, & Ecclesia tota, tam viuorum, quàm mortuorum. Cuius ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa vniuersalis omnium Sacramentorum, scilicet Christus. *Quod aiebat initio Author. Et* quia D fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidiè in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet Luc. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod exponens Augustinus *lib. de verb. Domini*: Si quotidianus *inquit* est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in Oriente (*hodie plurimi & in Occidente*) facere consueuerunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. (*Sedet*

Huius sacrificij fructus vberrimus.
B 3. p. 83. 1. c. & 79. 1. c.

Quicquid est effectus Dominicæ passionis, totum est effectus sacrificij Missæ.
C In. 6. l. 6. ft.
In 4. d. 45. 2. 3. q. 1. ad 3.

Vtilitas eius magna, & vniuersalis, ad differentiam aliorum Sacramentorũ.

Cur quotidie celebretur.
D 3. p. 83. 2. c.

quinque E de causis *ex Innocentio* quotidie Missa in Ecclesia celebratur. *Primò* quia oportet semper paratam esse medicinam contra quotidiana peccata: *vt dictum est. Secundò* vt lignum vitæ semper sit in medio Paradisi. *Tertiò* vt nobis quotidie Christus vniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter. *Quartò* vt sit apud nos vigilat memoria passionis eius. *Quintò* vt vero Agno, loco typici, quotidie vtamur ad vesperam: quoniam Iudæi ad vesperam conuertendi esurient, secundùm illud Ps. 58. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt Canes.*) Sanè Sacramentum hoc F sumentibus prodest & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificij: quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in Canone Missæ: *Quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Sed alijs, qui non sumunt, prodest per modum Sacrificij, in quantùm pro salute eorum offertur. Vnde & in eodem Canone Missæ dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis sua.* Et vtrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens: *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, & *pro multis*, scilicet alijs, *effundetur in remissionem peccatorum. Vel pro* G *vobis* (Luc. 22.) scilicet Iudæis, *& pro multis* (Mat. 26.) scilicet Gentilibus. Vel *pro vobis* manducantibus, *& pro multis*, pro quibus offertur. *Rationem autem adducens*: Offertur *inquit* in Ecclesia H pro viuis, & mortuis, vt omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum. *Cæterùm Sacramentum hoc*, in quantùm I est sacrificium, habet vim satisfactiuam: sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis; vnde & Dominus dicit *Luc. 21.* de vidua, quæ obtulit duo æra minuta, quòd *plus quàm omnes misit.* Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. *Sanè quòd per hoc sacrificium* tollitur K pars pœnæ, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis Christi (*nota*) sed ex defectu deuotionis humanæ. *Igitur parum est, diuino Missæ sacrificio interesse, tantumque mysterium peragere: totum spiritualis profectus negotium est, singulari pietate assistere, speciali deuotione celebrare.*

E 4. d. 13. 1. 2. q. 3. c.
Damnatur abusus communicandi semel tantùm in anno tempore Paschæ.

F 3. p. 79. 7. c. & 78. 3. ad 8. In 4. d. 12. 2. 2. q. 2. ad 4. & 1. Cor. 11. l. 4.
Eucharistia sumentibus prodest, vt Sacramentũ, & sacrificiũ: alijs vt sacrificium.

G 3. p. 78. 1. c.

H Op. 57. ad mansc. l. 3.

I 3. p. 79. 5. c. In 4. d. 12. 2. 2. q. 3. c.
Vt sacrificiũ, habet vim satisfactionis. In qua magis attenditur affectus offerentis, quàm quãtitas oblationis.

K 3. p. 79. 5. ad 3.

3 *Itaque excellit sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Missa celebratum, sicut cruentum illud in Cruce omnia legis sacrificia ratione (præter cætera)* L virtutis, idest propter effectum suæ bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in triplici statu fidelium, scilicet in Mundo, in Purgatorio, in Cœlo. In primo statu peccata relaxat: in secundo pœnam grauem alleuiat: in tertio gaudium magnum generat. Hinc est, quòd triplicem Missæ celebrari solent: scilicet pro salute viuorum, pro requie defunctorum, & pro gloria beatorum. Vnde & hostia in tres partes frangitur, vt virtus sacrificij corporis Domini in prædicto triplici statu demonstretur. De primo Leu. 5. *Anima si peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum*, idest *ex glossa* Christum: vnde & canitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi &c.* De secũdo Leu. 17. *Ego dedi sanguinem vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Et ideò caro, & sanguis Christi rectè pro animabus Defunctorum offeruntur, vt à pœna Purgatorij, qui pro residuo pœnitentiæ ligati sunt, absoluantur. De tertio

L Op. 58. c. 4.
Tria Missarũ genera: pro viuis, pro defunctis, pro Beatis.

Hostia ex hoc in tres partes frangitur.

R Pot. 6. 4. initio c. Ver. 27. 3. c. & 1. p. 110. 4. ad 1. & 117. 3. ad 1. & 2. 2. 178. c. & ad 1. & 3. p. 13. 2. ad 3. & 84. 3. ad 4. & 3. con. G. c. 102. 103. Op. 3. c. 136.

Eorum tamē ministerium nō extenditur ad omnia que in miraculo fiunt.

nihilominus, vt prætactum est, supra naturalem R potestatem, quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiæ, in quantum sunt diuinæ virtutis ministri. *Immò docemur, quòd* Deus S miracula facit ministerio Angelorum; ita tamen, quòd non in omnibus miraculis operatio Angelorum se potest extendere ad principales effectus. *Et alibi*: ita tamen T quòd Angelorum ministerium non extenditur ad omnia quæ fiunt in miraculo: quod patet etiam in formatione corporis Christi ex Virgine. *Et hoc quidem ad ordinem* Virtutum *spectare putatur*: ad eos *enim* spiritus V pertinere videtur executio diuinorum operum, quæ præter naturæ ordinem fiunt; & ideò ista sunt sublimissima in diuinis ministerijs: propter quod dicit *Gregorius*, quòd virtutes dicuntur illi spiritus, per quos signa frequentiùs fiunt.) Et potest dici, quòd ad miracula facienda Angeli tripliciter operantur. *Vno modo* precibus impetrando: qui modus & hominibus, & Angelis potest esse communis. *Alius modus* est, secundùm quod Angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc, quòd miraculum fiat. Sicut dicitur, quòd in Resurrectione colligent pulueres mortuorum, qui diuina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus propriùs est Angelorum: nam humani spiritus, cum sunt corporibus vniti, in exteriora operari non possunt, nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodò naturaliter alligati. *Tertius modus* est, quòd operentur etiam aliquid coagendo: quem quidem modum *Augustinus* sub dubio relinquit *in 22. de Ciu. Dei* sed *Gregorius in 2. Dialog.* hanc quæstionem determinare videtur, dicens, quòd Sancti homines, etiam in carne viuentes, non solùm orando, & impetrando, sed etiam potestatiuè, ac per hoc cooperando, miracula faciant: (*Vnde & signanter dicitur Mat. 10.* Conuocatis XII. discipulis suis, dedit illis *potestatem* spirituum immundorum, & vt curarent omnem languorem &c.) Quod probat & ratione, & exemplis. Ratione quidem: quia si hominibus data est potestas filios Dei fieri, non est mirum, si ex potestate, mira facere possunt. Exemplis autem: quia Petrus Ananiam, & Saphiram, mentientes, morti increpando tradidit vt habetur Act. 5. *Beatus etiam Benedictus* (inquit) *dum ad brachia cuiusdam ligati rustici oculos deflexisset, tanta se celeritate cœperunt illigata brachiis lora dissoluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent*. Vnde concludit, quòd Sancti quandoque faciunt miracula orando, quandoque ex potestate. Qualiter autem hoc esse possit, considerandum est. Constat autem, quòd Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem, quòd imperium diuinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis, peruenit, vt in legis veteris latione apparet. Et per hunc modum per spiritus angelicos, vel humanos imperium diuinum ad corporales creaturas peruenire potest, vt per eas quodammodò naturæ præsentetur diuinum præceptum, & sic agant quodammodò spiritus humani, vel Angelici, vt instrumentum diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem; non quasi aliqua virtute, habitualiter in eis manente, vel gratuita, vel naturali, in actum miraculi possint; quia sic quandocumque vellent, miracula facere possent: quod tamen *Gregorius* non esse verum testatur. Et probat per exemplum Pauli, qui stimulum à se remoueri petijt, nec impetrauit: & per exemplum Benedicti, qui detentus fuit contra suam voluntatem per pluuiam, sororis precibus impetratam. Sed virtus, ad cooperandum

S Op. 11. a. 15. & 1. p. 110. 4. ad 1. & 2. 2. 172. 2. ad 2.

T Op. cod. a. 16.

Quod spectat ad ordinem Virtutum.

Tripliciter ad miracula facienda Angeli boni operari dicuntur.

V 3. con. G. c. 80. & 1. p. 108. 5. fi. c. In 2. d. 9. 1. 4. ad 3.

An sancti homines nedum impetrando, sed & potestatiuè, & cooperando miracula faciāt.

Deo in miraculis, in Sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur: quæ non permanent, nisi per præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aere, & motus in instrumento: & talis virtus potest intelligi donum gratiæ gratis datæ, quæ est gratia virtutum, vel curationum; vt sic hæc gratia, quæ datur ad operandum supernaturaliter, sit similis gratiæ prophetiæ, quæ datur ad supernaturaliter cognoscendum, per quam Propheta non potest, quandocumque vult, prophetare; sed solum, cum spiritus prophetiæ cor eius tangit. Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter vtitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura vtatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, vt in Sacramentis patet. Vtrolibet *igitur* modo X Deus principaliter operatur, (*ex quo dicitur Luc. 5.* Et virtus Domini erat ad sanandum eos:) qui vtitur instrumentaliter vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui. Vnde Iosue (*cap. 10.*) cum dixisset, quasi ex potestate: *Sol contra Gabaon ne mouearis*; subditur postmodùm: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis*. Sancti *ergo* dicuntur Y miracula facere ex potestate gratiæ, non naturæ. *Ex quo in Sanctorum reliquiis, aut diuinis verbis, non inest virtus aliqua, vel forma, qua miracula patrentur; sed virtus ipsa diuina est, quæ vtitur illis.* Quod enim Z ad vmbram Petri Apostoli sanarentur infirmi, vel ad tactum reliquiarum alicuius Sancti aliqua ægritudo pellatur, non fit per aliquam formam his corporibus inditam, sed solum per operationem diuinam, quæ his corporibus vtitur ad tales effectus. *Vnde & huiusmodi reliquias non est illicitum secum deferre*. Si portentur A ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ. Si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, putà quòd vas esset triangulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertineret ad reuerentiam Dei: (*à quo omnis virtus*) & Sanctorum; esset superstitiosum, & illicitum.

I *Igitur per gratiam gratis datam, miracula operari dicuntur sancti viri, quæ ab Apostolo 1. Cor. 12.* Operatio virtutum *nuncupatur & ad vtilitatem Ecclesiæ, sicut & cætera, ordinatur à Deo.* Quia *enim* sermo B propositus confirmatione indiget ad hoc, quod recipiatur, nisi sit per se manifestus; ea autem, quæ sunt fidei, sunt humanæ rationi immanifesta: necessarium fuit aliquid adhiberi, quo confirmaretur sermo prædicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, cum ea, quæ sunt fidei, rationem excedant: oportuit igitur aliquibus indicijs confirmari prædicantium sermonem, quibus manifestè ostenderetur huiusmodi sermonem processisse à Deo, dum prædicantes talia operarentur, sanando infirmos & alias virtutes operando, quæ non posset facere alius, nisi Deus: (sicut C cum aliquis defert literas anulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse quod in illis continetur.) Vnde Dominus discipulos ad prædicandum mittens dixit *Mat. 10.* Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite; *& Marc. 16.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. *Et hac de causa Ioannes nullum legitur fecisse miraculum, Io. 10.* Ioannes quidem signum fecit nul-

Quid gratia gratis data miraculorū.

X 2. 2. 178. 1. ad 1.

Pulchra Authoris consideratio.

Y 1. p. 117. 3. ad 1.

An in Sanctorum reliquiis virtus aliqua insit ad miracula patrād.

Z Op. 34 non longè ab initio & 2. 2. 178. 1. ad 1. Quol 12. a. 14 Rom. 1. l. 6. & 1. Cor. 10. l. vlt. fin.

Num liceat eas secum deferre.

A 2. 2. 96. 4. ad 3. & locis cit.

Quorsum detur gratia gratis data operādi miracula.

B 3. con. G. c. 154. & 1. 2. 111. 1. & 2. 2. 178. 1. c. & 3. p. 43. 1. c. & 1. Cor. 12. l. 2. & 3. & 2. Tessal. 2. l. 2. Io. 4. l. 7. lit. c. fin.

C 3. p. 43. 1. c. Op. 2. c. 7. Op. 11. a. 17.

Cur Ioannes nullum signū fecerit.

D 3.p.38.2. ad 2. & q.40. 2. ad 1.

Ad quid homini concedatur miracula facere.

E 3.p.43.1. p.

nullum: *quia nimirùm* tota D doctrina, & operatio Ioannis ordinabatur ad Christum; qui multitudine signorum & suam & Ioannis doctrinam confirmauit. Si autem Ioannes signa fecisset, homines ex æquo Ioanni & Christo attendissent. *Enimuerò* diuinitus E conceditur homini miracula facere propter duo. *Primò* quidem, & principaliter, ad confirmandam veritatem fidei, quam aliquis docet. *Secundò* ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritussancti, vt dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam; *vnde dicitur ad Gal. 3. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis &c.* Operatio *enim* miraculorum F est manifestatiua gratiæ gratum facientis; sicut & donum prophetiæ, & quælibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. *Pro quo sciendum, quòd* operatur G miracula Deus ad hominum vtilitatem dupliciter. Vno quidem modo (*vt præmissum est*) ad veritatis prædicatæ confirmationem. Alio modo ad demonstrationem Sanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo autem modo miracula possunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Christi inuocat: quod etiam interdum per malos fit. Et secundùm hunc modum etiam mali possunt facere miracula. Vnde super illud Mat. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus &c.* dicit Hieronymus: *Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eiicere, interdum non est eius meriti, qui operatur: sed inuocatio nominis Christi hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula.* Secundo autem modo non fiunt miracula, nisi à Sanctis, ad quorum sanctitatem denunciandam miracula fiunt, vel in vita eorum, (*quæ ideò Ecclesia pro eorum canonizatione probari diligentissimè curat*) vel etiam post mortem, siue per eos, siue per alios. Legitur enim Act. 9. quòd *virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & recedebant ab eis languores.* Et sic etiam nihil prohiberet, per aliquem peccatorem miracula fieri ad inuocationem alicuius Sancti: quæ tamen miracula non dicitur facere ille; sed ille, ad cuius sanctitatem denunciandam hæc fierent. *Sanè si per peccatores non fierent quandoque miracula, non diceret Apostolus 1. Cor. 13.* Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero (*per quod tollitur Sanctitas*) nihil sum. *Vnde & alibi docemur, quòd* non fiunt H miracula semper ad demonstrandum gratiam eius, per quem miracula fiunt. Et ideò potest contingere, quòd aliquis gratiam gratum facientem non habens miracula faciat. Sed hoc contingere non potest, quòd aliquis falsam doctrinam annuncians, vera miracula faciat, quæ nisi virtute diuina fieri non possunt (*vt de Antichristo dictum est*:) sic enim Deus esset falsitatis testis: quod est impossibile. Et hoc est, *quod aiebat initio Author*: A malis I nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem falsæ doctrinæ: quamuis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi quod inuocant, & virtute Sacramentorum, quæ exhibent. *Ex quo deducitur, Antichristi signa non verè fore miracula, sed apparentia, vt visum est: quia non erunt in confirmationem veritatis prædicatæ, sed falsitatis. Vnde bene dixit Apostolus 2. Thess. 2.* Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.

Gratia gratis data manifestatiua gratiæ, gratum facientis.

F 1.p.43.3. ad 4.

G 2.2.178. 2.c.

Etiam per malos homines possunt miracula fieri.

Ad denunciationem sanctitatis non nisi à Sanctis patrantur.

H Quol.2.a. 6. ad 4. & 2. Thess.2 l.2.fi. Mat. 7. lit.b. ibi, in nomine tuo, & c.24. lit.a ibi, pseudoprophetæ, & 1. Cor.13.l. 1. ibi, omnem fidem.

Nũquam tamen in confirmationem falsæ doctrinæ fieri possunt à malis.

I 2.2.178.2. ad 3. & 1.p. 110.4. ad 2.fi. & 114.4.ad 3. & locis cit.

m *Petrò* signa K facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus. *Primò* ex efficacia virtutis operantis: quia signa facta per bonos, virtute diuina fiunt, in illis etiam ad quæ virtus actiua naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos, & huiusmodi, quæ dæmones facere non possunt secundùm veritatem, sed in præstigijs tantùm, quæ diu durare non possunt. *Secundò* ex vtilitate signorum: quia signa per bonos facta sunt de rebus vtilibus, vt in curatione infirmitatum, & huiusmodi. Signa autem per malos facta, sunt in rebus nociuis, vel vanis; sicut quòd volant in aere, vel reddunt membra hominum stupida, & huiusmodi. Et hanc differentiam assignat B. Petrus in Itinerario Clementis. *Tertia differentia* est quantùm ad finem: quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei, & bonorum morum: sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei, & honestatis. Et quantùm ad modum differunt: quia boni operantur miracula per inuocationem diuini nominis piè, & reuerenter: sed mali quibusdam deliramentis, sicut quòd incidunt se cultris, & huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifestè possunt discerni ab his, quæ à malis virtute dæmonum fiunt. *Caterùm mirum non sit, quòd à malis etiam fidelibus quandoque miracula fiant (eo tamen fine, quo ex Authore docuimus) in quibus fides per peccatum veluti mortua est.* Fides *enim* sine L operibus dicitur esse mortua, quantùm ad ipsum credentem, qui per eam non viuit vita gratiæ. Nihil autem prohibet, quòd res viua operetur per instrumentum mortuum, sicut homo operatur per baculum. Et hoc modo Deus operatur per fidem hominis peccatoris instrumentaliter. *At rarò quidem hoc accidit: in quibus namque iam fides ob mortalem repetitam culpam tepescit, ne dicam, fermè amissa fuit* (*siquidem* amissio M charitatis est via ad amittendam fidem) *non est vnde ad patranda miracula in fidei confirmationem excitentur: hoc enim ex solo fidei potest feruido zelo prouenire. Quin tantum abest, vt miracula patrandi virtutem à Deo implorent, quòd immò iis, quæ patrantur, Christiana defectu credulitatis fidem difficulter adhibent, sed & quandoque derident: in hoc vel ipsis deteriores Iudæis, ad quos dictum est Io. 4.* Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. *Cuius autem ad sanctitatem manifestandam modò miracula fiant*, Quis est hic, & laudabimus eum? *Rari quippè sunt, qui tali præfulgeant sanctitate. Quamuis nunquam militanti desint Ecclesiæ viri* fortes ex fortissimis Israel, & ad bella doctissimi, *æternæ gloriæ, & immortalitatis Candidati: quos ad triumphantis Capitolium festiua in dies solemnitate transmittit.* DISCE, *nonnisi ad Ecclesiæ vtilitatem miracula fieri. Vide* Admiratio, Angelus, Antichristus, Christi Conceptio, & Virtutes *Tom. 1.* Diabolus, Gratia gratis data, Iustificatio *Tom. 2.*

K 2.d.7.3.1. ad 2.

Signa bonorum, à malorum signis tripliciter distinguuntur.

L 2.2.178.2. ad 2. Pot. 6. 5. ad 9. & q.9.a. 9. ad 2. & 8.

Quo pacto possint per peccatores miracula fieri.

M 2.2.39.1. ad 3.

Ammissio charitatis, via est ad amittendam, & fidem.



MISERICORDIA.

XIII. Inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia. 2. 2. 30. 4. fin. corp.

Misericordiæ etymon, & diffinitio.

N 2.2.30.1. c. & i. p. 21.3. c. Op. de er. Pr. l. 1. c. 5. Mat. 5. lit. b. ibi, misericordes, Hebr. 2. l. 4. ibi, misericors.

n *Misericordia nomen à miseria deriuatum est. Diffinitur enim misericordia communiter* cum Augustino 9. de Ciu. Dei *Aliena* N *miseria in nostro corde compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur*. Dicitur enim misericordia ex eo, quòd aliquis habet miserum cor super miseria alterius. Miseria autem felicitati opponitur. Est autem de ratione beatitudinis, siue felicitatis, vt aliquis potiatur eo, quod vult, & quod pertinet ad iustitiam. Nam (sicut *Augustinus* dicit 13. de Trin.) *Beatus est qui habet omnia, quæ vult, & nihil malè vult*. Et ideò è contrario, ad miseriam pertinet, vt homo patiatur quæ non vult. Tripliciter autem aliquis vult aliquid. *Vno* quidem *modo*, appetitu naturali: sicut omnes homines volunt esse, & viuere. *Alio modo* homo vult aliquid per electionem ex aliqua præmeditatione. *Tertio modo* homo vult aliquid, non secundùm se, sed in causa sua: putà qui vult comedere nociua, quodammodo dicimus, eum velle infirmari. Sic ergo motiuum misericordiæ est, tanquam ad miseriam pertinens: *Primò* quidem illud, quod contrariatur appetitui naturali voluntatis, scilicet mala corruptiua, & contristantia, quorum contraria homines naturaliter appetunt. Vnde Philosophus dicit *in* 2. *Reth.* quòd misericordia est tristitia quædam super apparenti malo corruptiuo, vel contristatiuo. *Secundò* huiusmodi magis efficiuntur ad misericordiam prouocantia, si sint contra voluntatem electionis. Vnde & Philosophus ibidem dicit, quòd illa mala sunt miserabilia, quorum fortuna est causa, vt putà, cum aliquod malum eueniat vnde sperabatur bonum. *Tertiò* autem sunt adhuc magis miserabilia, si sint contra totam voluntatem; putà si aliquis semper sectatus est bona, & eueniunt ei mala. Et ideò Philosophus dicit in eodem libro, quòd misericordia est maximè super malis eius, qui indignus patitur. *Ex quo deducitur, quòd alienus defectus ratio est miserendi, siue motiuum. Quia*, cum misericordia O sit compassio super miseria aliena, ex hoc contingit, quòd aliquis misereatur, ex quo contingit, quòd de miseria aliena doleat. Quia autem tristitia, seu dolor, est de proprio malo; in tantùm aliquis de miseria aliena tristatur, aut dolet, in quantùm miseriam alienam apprehendit, vt suam. Hoc autem contingit dupliciter. *Vno modo* secundùm vnionem affectus, quod fit per amorem: quia enim amans reputat amicum tanquam se ipsum, malum ipsius reputat tanquam suum malum; & ideò dolet de malo amici sicut de suo. Et inde est, quòd Philosophus *in* 9. *Ethic.* inter alia amicabilia ponit hoc, quod est condolere amico. Et Apostolus ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. *Alio modo* contingit secundùm vnionem realem, vtpotè cum malum aliquorum propinquum est, vt ab eis ad nos transeat. Et ideò Philosophus dicit *in* 2. *Reth.* quòd homines miserentur super illos, qui sunt eis coniuncti, & similes: quia per hoc fit eis æstimatio, quòd ipsi etiam possint similia pati. Et inde est etiam, quòd senes, & sapientes, qui considerant se posse in mala incidere, & debiles, & formidolosi, *quales vt in pluribus fœminæ*, sunt magis misericordes. (*Sunt* mulieres P habentes cor molle, sunt naturaliter misericordes.) E contrario autem illi, qui reputant se esse felices, & in tantùm potentes, quòd nihil mali putant se posse pati, non ita commiserentur. Semper ergo defectus est ratio miserendi, vel in quantùm aliquis defectum alicuius reputat suum propter vnionem amoris, vel propter possibilitatem similia patiendi, *siue corporaliter, siue spiritualiter*. *Hinc dicitur Prou.* 19. Homo indigens, misericors est. (*Et huc facit illud Io.* 2. Deficiente vino, dixit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. *Vbi nota inquit Author* in matre Q pietatem, & misericordiam. Ad misericordiam enim pertinet, vt quis defectum alterius reputet quasi suum, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor*? Quia ergo virgo beata misericordia plena erat, defectus aliorum subleuare volebat; & ideò dicitur: *deficiente vino, dixit Mater Iesu &c.* Et nota Virginis sollicitudinem, & diligentiam: quia ad extremam necessitatem non distulit, sed *deficiente vino*; idest, dum esset in deficiendo: *vt discamus, non in extremo, sed opportunè indigentibus subuenire, exemplo Virginis beatissimæ, quæ idcircò ab Ecclesia* Mater misericordiæ *salutatur*.) *Ex quo sequitur, quòd* illi R qui iam sunt in infirmis malis, quia non timent se vlteriùs pati aliquid, ideò non miserentur. Similiter etiam nec illi, quia valdè timent, quia tantùm intendunt propriæ passioni, quòd non intendunt miseriæ alienæ. *Præterea*, qui sunt S in contumeliatiua dispositione, siue quia sint contumeliam passi, siue quia velint contumeliam inferre, prouocantur ad iram, & audaciam, quæ sunt quædam passiones virilitatis extollentes animum hominis ad arduum, vnde inferunt homini æstimationem, quòd non sit aliquid in futurum passurus: vnde tales dum sunt in hac dispositione, non miserentur, secundum illud Prou. 27. *Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor*. (Idcircò iniuriæ T illatæ in viduas, & pupillos magis exaggerantur: tum quia magis opponuntur misericordiæ: tum quia idem nocumentum huiusmodi personis inflictum, est eis grauius, quia non habent releuantẽ.) Et ex simili ratione superbi non miserentur, qui contemnunt alios, & reputant eos malos; vnde reputant, quòd dignè patiantur, quicquid patiuntur. Hinc *Gregorius* dicit, quòd *falsa iustitia*, scilicet superborum, *compassionem non habet, sed dedignationem*.

O *Cæterùm misericordia non semper virtus, sed vt plurimùm passio quædam est*. *Nam* misericordia V secundùm quod importat compassionem tantùm ad miseriam alterius, non est virtus, sed passio: secundùm autem, quod importat electionem compatientis, secundùm hoc virtus est. *Vnde & alibi docemur, quòd* misericordia X importat dolorem de miseria aliena. Iste autem dolor potest nominare vno quidem modo motum appetitus sensitiui; & secundùm hoc misericordia passio est, & non virtus. Alio modo potest nominare motum appetitus intellectiui, secundùm quod alicui displicet malum alterius. Hic autem motus potest esse secundùm rationem regulatus, & potest secundùm hunc motum ratione regulatum regulari motus inferioris appetitus. Vnde *Augustinus in* 9. *de Ciu. Dei*, dicit, quòd *iste motus*, scilicet misericordia, *seruit rationi, quando ita præbetur misericordia, vt conseruetur iustitia, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pænitenti*. Et quia ratio virtutis humanæ consistit in hoc, quòd motus animi ratione reguletur, consequens est, misericordiam esse virtutem. *Et quidem aliquo modo virtutum maximam*. *Vnde citato loco* Augustinus: Longè

Triplíciter quis aliquid vult.

Motiuum misericordiæ quid.

O 2.2. ibid. c. a. 2. c.

Alienus defectus, misericordiæ ratio.

Nobis coniunctorum & similium cur misereamur. Quinam magis misericordes, vel minus.

Mulieres naturaliter misericordes.

P 1. Tim. 5. l. 2. ibi, hospitio.

Q Io. 2. l. 1. lit. c. ibi, deficiente. Maria Virgo verè misericordiæ Mater.

R 2.2.30. ad 2.

Quinam minimè miserantur.

S Ibid. ad 3.

T 2.2.65.4. ad 2.

Misericordia & passio esse potest, & virtus.

V 4. d. 15. 2. 1. q. 3. ad 2.

X 2.2.30.3. c. & 1. 2. 59. 1. ad 3. in 4. loc. cit. q. 1. & Ma. 10. ad 8.

Quando sit virtus.

An virtutum maxima.

Y 2.2. loc. cit. ad sed contra.

Z 2.2. l. c. a. 4. c. Rom. 13. l. 1. fin.

Misereri proprium Dei, cuius omnipotentia misserendo manifestatur.

A 2.2. l. c. ad 2.

B Ibid. ad 3.

Ps. 24. lit. c. Duo in misericordia considerantur. In quo differt à miseratione.

D Mat. 8. lit. ibi, si vis. Misericordi amicis indigentiam ostendere.

E Mat. 17. lit. b. & Io. 2. l. lit. c. Misericordiæ opponitur inuidia, & nemesis.

F 2.2. 36. 3. ad 3. & 28. 2. l. c. Inuidi non sunt misericordes, nec è conuerso. Misericordia, effectus proprius charitatis.

G 2.2. 30. 3. ad 2. & 36. 2. c. Mat. 10. 1. & Ps. 36. lit. a. In quo differat misericordia à mansuetudine, & clementia.

H 2.2. 159. 2. ad 2.

Longè Y melius (inquit) *& humanius, & piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait*: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordiâ est. *Pro quo sciendum, quòd* aliqua Z virtus potest esse maxima dupliciter. Vno modo secundùm se: alio modo per comparationem ad habentem. Secundùm se quidem misericordia maxima est: pertinet enim ad misericordiam, quòd alij effundat, & quod plus est, quòd defectus aliorum subleuet: & hoc maximè superioris est; vnde & misereri ponitur proprium Deo: & in hoc maximè dicitur eius omnipotentia manifestari. Quoad habentem verò, misericordia non est maxima, nisi ille, qui habet, sit maximus, qui nullum supra se habeat, sed omnes sub se: ei enim, qui supra se aliquem habet, maius est & melius coniungi superiori, quàm supplere defectum inferioris. Et ideò quantùm ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo vnitur, est potior, quàm misericordia (*quæ illius est effectus*) per quam defectus proximorum suppletur. Sed inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent (*quod aiebat initio Author*) potissima est misericordia, sicut etiam est potioris actus. Nam supplere defectum alterius, in quantùm est huiusmodi, est superioris, & melioris. *Sanè omnis summa disciplinæ Christianæ* (*aiebat Ambrosius*) in misericordia, & pietate est. *Quod intellige* quantùm A ad exteriora opera: interior enim affectio charitatis, qua coniungimur Deo, præponderat & dilectioni & misericordiæ in proximos. *Et quidem* per charitatem B assimilamur Deo, tanquam ei per affectum vniti; & ideò potior est, quàm misericordia, per quam assimilamur Deo per similitudinem operationis. *Notandum verò, quòd* in misericordia C duo sunt: scilicet vsus, siue effectus misericordiæ, qui vocatur miseratio: & ipsa misericordia, quæ vocatur misericordia, secundùm quod est virtus. *Quam quidem qui callet, promptè miserator est, misericordiæ affectus impendens*: Misericordem enim non D oportet petere, sed solùm indigentiam ei monstrare. *Et alibi*: Sufficit E misericordi miseriam exponere. *Vbi enim est virtus, operatur.*

p *Porrò virtuti misericordiæ contrariatur inuidia: quia* inuidia F secundùm Philosophum *in 2. Rhet.* opponitur & nemesi, & misericordiæ, sed secundùm diuersa. Nam misericordiæ opponitur directè secundùm contrarietatem principalis obiecti. Inuidus enim tristatur de bono proximi: misericors autem tristatur de malo proximi; vnde inuidi non sunt misericordes: nec è conuerso. Ex parte verò eius, de cuius bono tristatur inuidus, opponitur inuidia nemesi. Nemesius enim tristatur de bono indignè agentium, secundùm illud Ps. 72. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*: inuidus autem tristatur de bono eorum, qui sunt digni. Vnde patet, quòd prima contrarietas est magis directa, quàm secunda. Misericordia autem quædam virtus est, & charitatis proprius effectus: vnde inuidia misericordiæ opponitur, & charitati. (*Vide suprà* G.) *Differt autem misericordia & à mansuetudine, & à clementia: docemur enim, quòd* misericordia H & clementia conueniunt in hoc, quòd vtraque refugit, & abhorret miseriam alienam: aliter tamen, & aliter. Nam ad misericordiam pertinet miseriæ subuenire per beneficij collationem: ad clementiam autem pertinet miseriam diminuere per subtractionem pœnarum. *Et alibi*. Misericordia I & pietas conueniunt quidem cum mansuetudine, & clementia, in quantùm concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere mala proximorum: differunt tamen quantùm ad motiuum. Nam *Pietas* remouet mala proximorum ex reuerentia, quam habet ad aliquem superiorem, puta Deum, vel parentem. *Misericordia* verò remouet mala proximorum ex hoc, quòd in eis aliquis contristatur, in quantùm æstimat ea ad se pertinere, quod prouenit ex amicitia, quæ facit amicos de eisdem gaudere, & tristari. *Mansuetudo* autem hoc facit, in quantùm remouet iram incitantem ad vindictam. *Clementia* verò hoc facit ex animi lenitate, in quantùm iudicat æquum esse, vt aliquis non ampliùs puniatur. *Ex quo clementiæ crudelitas, mansuetudini iracundia contrariatur.* Nomen *siquidem* crudelitatis K à cruditate sumptum esse videtur. Sicut autem ea, quæ sunt cocta, & digesta, solent habere suauem, & dulcem saporem: ita illa, quæ sunt cruda, habent horribilem & asperum saporem. Clementia autem importat quandam animi lenitatem, siue dulcedinem, per quam aliquis est diminutiuus pœnarum; vnde directè crudelitas clementiæ opponitur: *seu quæ aggregatiua immò, & multiplicatiua pœnarum est*. *At verò* mansuetudini L quæ est directè circa iras, propriè opponitur vitium iracundiæ, quod importat excessum iræ; sed crudelitas importat excessum in puniendo. Vnde dicit *Seneca* in 2. de Clem. quòd *crudeles vocantur qui puniendi causam habent, modum tamen non habent*. Qui autem in pœnis hominum propter se delectantur etiam sine causa, possunt dici sæui, vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem.

q *Hanc verò in proximos nostros misericordiam & fecit Dominus noster, & docuit, & mandauit*. Misericordiam M fecit, vt patet de muliere deprehensa in adulterio, *Io.* 8. Misericordiam docuit Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Misericordiam mandauit, Mat. 9. *Discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium*. Tria verò maximè N debent nos mouere (*præter Christi exemplum*) ad faciendam misericordiam. Primò necessitas; quia qui non facit misericordiam, non inueniet misericordiam, Iac. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*. Secundò vtilitas; quia qui facit misericordiam, inueniet misericordiam, Mat. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Tertiò congruitas: quia cùm misericordiam ab omnibus creaturis recipiamus, satis congruum est, quòd alijs misericordiam faciamus. Sumus enim pleni miseria: & nisi creaturæ misererentur nostri, dando se nobis, & sua beneficia, subsistere non possemus. Si enim Sol, vel ignis subtraheret lumen suum, vel calorem, & terra fructus suos, quid faceret miser homo? Qui ergo indiget misericordia, debet alijs misericordiam facere, vel aliorum misereri. Vnde creaturæ arguunt quodammodò immisericordes. *Itaque proximis nostris misericordia impendenda: quod nisi fecerimus, diuina instat nobis fulmen vltionis. Cum enim perpetuos diuinæ effectus misericordiæ temporaliter simul, & spiritualiter sentiamus* (multo quippè maior est O misericordia, quam Dominus impendit nobis, quàm illa, quam impendimus proximo) *nisi & nos in proximos nostros*

I 2.2. 157. 4. ad 3. & a. 1. & 2. in 3. d. 33. 3. 2. q. 1 ad 2. & 2. Tim. 2. l. 4. ibi, mansuetum. Ad Tit. 3. l. ibi, mansuetudinem. Ad Hebr. 10. l. 3. ibi, miseratione.

K 2.2. 159. 1. c. Clementiæ crudelitas contrariatur.

Crudelitas vnde dicatur.

L 2.2. 157. 1. ad 3. & 159. 2. c. & 2. Tim. 2. l. 1. ibi, immites. Mansuetudini opponitur iracundia. Quinam crudeles dicantur, & quinā sæui, vel feri.

M Hebr. l. 4. ibi, misericors & cap. 13. Misericordiam fecit Dominus, & docuit, & mandauit.

N Serm. ex Eu. Dom. 4. post Pent. Tria debent nos mouere ad misericordiam faciendam.

Non misereri tibus diuina nobis subtrahitur misericordia, & iuste punimur.

nostros exerceamus, iustè hic; & post mortem, Dei nobis subtrahetur misericordia, iustoque ab eo iudicio seuerè puniemur, vt liquet ex parabola ingrati serui Mat. 18. *cui Dominus exprobrans ait*: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? *Ex quo sequitur*: Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum. *Quod erit æternaliter in gehenna ignis, vbi locum non habet misericordia*. Si enim P pœna cessare non debet, donec fiat satisfactio debiti; & nullus sine gratia potest satisfacere: qui decedit sine charitate, non poterit satisfacere *ibi in sempiternum. Quod sanè nobis nedum iustissimè infligitur, sed & nos ipsi voluntarii quotidie petimus, cum oramus*: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Vbi Author*: Aliter *inquit* Deus Q non dimitteret nobis, Eccli. 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini*. Et ideò solummodo in ista petitione (*orationis Dominicæ*) ponitur conditio, cum dicitur: *sicut & nos dimittimus*. Si ergo non dimittis, non dimittetur tibi.

P Mat. 18. 5. fin.

Q Op. 7. Pot. fin. c.

r *Illud hic tandem cordibus nostris infigendum, quòd licèt quis in operibus exerceatur misericordiæ, nisi suimetipsius spiritualiter misereatur, parùm sibi in cæteros misericordia ad vitam proderit sempiternam*, 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Licèt enim verum sit, quòd* quia R misericordia est compassio miseriæ alterius; propriè misericordia est ad alterum, non autem ad se ipsum: secundùm quandam tamen similitudinem & ad se ipsum est, sicut & Iustitia, secundùm quod in homine considerantur diuersæ partes, vt dicitur *in* 5. *Ethic*. Et secundùm hoc dicitur Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Non *enim* est S misericors, qui sibi non miseretur. *Nam* si quis T pascit esurientem, multò magis pascere debet se esurientem. *Vnde ad illud Mat*: 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, *docemur, quòd* illi V misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinatè impendunt: non autem ordinatè (*hoc est secundùm ordinem charitatis*) misericordiam impendunt qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant malè agendo. Et ideò tales misericordiam penitùs absoluentem non consequentur, etsi consequantur misericordiam, de pœnis debitis aliquid relaxantem. *Nec tamen diffitemur, misericordiæ opera valdè ad vtrumque conferre, & ad æternæ gloriæ consecutionem: de quo* Num. seq.

Parùm prodest misericordia in cæteros, nisi quis sibi primùm misereatur.

R 2. 2. 30. r. ad 2.

Misericordia propriè est ad alterú; secundùm quandá tamen similitudinem & ad se.

S 1. Tim. 4. l. 2. ibi, promissionem.

Non est misericors, qui sibi spiritualiter non miseretur.

T Mat. 25. lit. c. ibi, esuriui.

V 4. d. 46. 2. 3. q. 4. ad 1. 2. 3. 4. Mat. 25. loc. cit. & 1. Cor. 6. l. 2. ibi, errare Ps. 40. lit. a. fin.

DISCE *misereri animæ tuæ, vt alterum fructuosè miserearis*.

XIV. Non potest esse, quòd riuus misericordiæ nostræ fluat ad proximum, & fons diuinæ misericordiæ siccus sit nobis. *Op. de er. Princ. l.* 1. *c.* 15.

s QVoniam misericordia alienæ statuitur miseriæ compassio, *sciendum, quòd* duplex X est miseria proximi. Prima in istis rebus temporalibus & ad istam debemus habere miserum cor, 1. Io. 3. *Qui habuerit substantiam huius Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Secunda est, qua homo per peccatum miser efficitur: quia sicut beatitudo est in operibus virtutum, ita miseria propria in vitijs, Prou. 14. *Miseros facit populos peccatum*. Et ideò quando admonemus corruentes, vt redeant, misericordes sumus. *Ex qua duplici miseria duo statuuntur operum misericordiæ genera*, corporalia scilicet, & spiritualia. *Ponuntur enim* Y septem eleemosynæ corporales: scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum. Quæ in hoc versu continentur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Duplex proximi miseria.

X Mat. 5 lit. b. ibi, misericordes.

Exinde duo misericordiæ operú genera corporalia, & spiritualia.

Ponuntur etiam aliæ septem eleemosynæ spirituales: scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos & graues, & pro omnibus orare. Quæ etiam in hoc versu continentur:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Y 2. 2. 32. 2. arg. 1. In 4. d. 15. 2. 3. q. 1. & 2. Mat. 25. lit. c. ibi, esuriui. Quæ hi sint.

Et corporales quidem recensentur à Christo Domino Mat. 25. *cum inducitur Iudex Mundi aduenturus*: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere &c. *Vbi Author*: Septem *inquit* sunt Z opera misericordiæ: sed sex solùm tanguntur. De sepultura verò non tangitur: (*cuius ratio affertur: quia* sepultura A mortui non confert ei quantùm ad sensum, quem corpus post mortem habeat: & secundùm hoc Dominus dicit *Mat*. 10. quòd interficientes corpus *non habent ampliùs quid faciant*. Et propter hoc etiam Dominus *cap*. 25. *cit*. non commemorat sepulturam inter alia misericordiæ opera, sed enumerat solùm illa, quæ sunt euidentioris necessitatis. Pertinet tamen ad defunctum, quid de eius corpore agatur, tum quantum ad hoc, quòd viuit in memorijs hominum, cuius honor dehonestatur, si insepultus remanet: Tum etiam quantùm ad affectum, quem adhuc viuens habebat de suo corpore, cui piorum affectus conformari debet post mortem ipsius. Et secundùm hoc commendantur aliqui de mortuorum sepultura, vt Tobias, & illi, qui Dominum sepelierunt, vt patet per *Augustinum* in lib. de cura pro mortuis agenda. *Quin & Dominus ipse summè commendasse videtur Magdalenam, quòd præuenit* vngere *Marc*. 14. corpus suum in sepulturam: *dum illud protulit Mat*. 26. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangeliú in toto Mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius, *idest*, in eius B commendationem.) Ponit ergo sex, quæ impenduntur contra defectum. Et quia est defectus quidam generalis, quidam specialis: primò agit de generali, secundò de speciali. Et quia quidam generaliter ab exteriori, quidam ab interiori: primò tangit defectum

Cur Mat. 25 non enumeretur inter misericordiæ opera mortui sepultura.

Z Mat. 25. lit. c. ibi, esuriui. 2. 3. lit. in corp. & ad 2. In 4. l. c. q. 1. & 2. c. & ad 4.

A 2. 2. 32. 2. ad 1. In 4. d. 15. 2. 3. q. 1. ad 1. & 2.

B Mat. 26. lit. a. ibi.

Distinctionis operum misericordiæ corporalium conuenientia.

ectum à parte interiori, secundò ab exteriori: Dicit ergo quoad defectus ab interiori: *Esuriui, & dedistis mihi manducare*. Et hoc habetur *Is.* 58. Frange esurienti panem tuum. *Sitiui, & dedistis mihi bibere*: quia propter me dedistis proximo, vnde Mat. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis meis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*. De istis duobus Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere*. Item sunt defectus ab exteriori: & hi sunt duo, scilicet à tegumento coniuncto, & separato. Dicit ergo quantùm ad separatum: *Hospes eram, & collegistis me*, ad Hebr. 13. *Hospitalitatem nolite obliuisci &c.* Quantùm ad tegumentum coniunctū, dicit: *Nudus fui &c.* Is. 58. *Cum videris nudum, operi eum.* Item, quidam sunt particulares defectus: & horum quidam sunt naturales, quidam ab exteriori. Defectus naturalis, & ab intrinseco est infirmitas; vnde dicit: *Infirmus, & visitastis me*. Quantùm ad exteriorem defectum, dicit: *In carcere eram, & venistis ad me*. Et potest per carcerem intelligi quælibet tribulatio, *ad Hebr.* 10. Nam & vinctis compassi estis. *Et idem Apostolus hæc ipsa corporalia misericordiæ opera tangit* cap. 13. *cum ait*: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantes. *Quibus verbis docemur, quòd* debemus C ostendere charitatem (*effectus enim charitatis proprius, vt vidimus, misericordia est*) peregrinis per hospitalitatem, vinctis per compassionem, pauperibus per subuentionem. Dicit ergo quantùm ad primum: *Hospitalitatem nolite obliuisci*; quia qui peregrinos recipit, tria opera misericordiæ simul implet, quia & recipit, & cibat, & potat, 1. Pet. 4. *Hospitales inuicem sine murmuratione*. Et subdit rationem: *per hanc enim &c.* sicut patet de Abraham & Loth *Gen.* 19. Quantùm ad secundùm, dicit: *mementote vinctorum*, illorum scilicet, qui propter Deum missi sunt in carcerem: *mementote* visitando, & redimendo, *tanquam* essetis *simul* corporaliter cum eis *vincti*. Hoc enim est aliud opus misericordię, Mat. 25. *In carcere eram &c.* Contra quod dicitur, Is. 14. *Vinctis eius non aperuit carcerem*. Specialiter autem hoc pertinet ad opus misericordiæ, alienam miseriam, suam reputare. Quantùm ad tertium dicit: *& laborantium* siue labore corporali, Ps. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis*; siue solicitudine spirituali, 2. Tim. 2. *Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere*: siue in malis sustinendis, Eccle. 1. *Agnoui, quòd in hoc quoque esset labor, & afflictio spiritus*. Tota enim præsens vita, labor quidam est, Iob. 5. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Et horum inquam *mementote, tanquam & ipsi in corpore morantes*: per quod experti estis, quid necesse sit laborantibus; *Eccli.* 31. Intellige, quę sunt proximi tui, ex te ipso: *& Mat.* 7. Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Quod est vnica ad omnia misericordiæ opera promptè impendenda, efficax ratio & motiuum, cum eadem & nos pati possimus, vt præmissum est.* *Cæterùm* comparatio D istarum eleemosynarum potest attendi dupliciter. *Vno modo* simpliciter loquendo; & secundùm hoc eleemosynæ spirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem, quia id, quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali, secundùm illud Prou. 4. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis*. Secundò ratione eius, cui subuenitur: quia spiritus nobilior est corpore. Vnde sicut homo sibi ipsi magis debet prouidere quantùm ad spiritum, quàm quantùm ad corpus: ita & proximo, quem debet sicut seipsum diligere. Tertiò quantùm ad ipsos actus, quibus subuenitur proximo: quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo seruiles. *Alio modo* possunt comparari secundùm aliquem particularem casum, in quo quædam corporalis eleemosyna alicui spirituali præfertur: putà, magis est pascendum fame morientem, quàm docendum; sicut & indigenti, secundùm Philosophum melius est ditari, quàm philosophari, quamuis hoc sit simpliciter melius. *Neque ex eo, quòd Dominus corporalia tantùm misericordiæ opera sit in die iudicii exprobrando recensiturus; eorum probatur super spiritualia præminentia. Nam secundùm Gregorium* proponit E ista tamquam minora. Si enim ista, quæ dictat natura, non faciunt: nec alia multò magis.

C Hebr. 13. l. 1. ibi.

Promptè misericordiam impendemus, si eam, quam alij sustinent miseriam, nos quoque pati posse advertamus.

D 2.2.32.3. c. In 4. d. 15 2. 3. q. 3.

Spiritualia misericordiæ opera præeminent absolutè corporalibus.

In aliquo casu corporale aliquod opus spirituali præfertur.

E Mat. 25. lit. e. ibi, esuriui.

† *Et hinc liquet, quàm veraciter à Domino dictum sit Mat.* 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Siquidem* misericordibus F debetur misericordia duplici ratione, Primò ex acceptatione diuina, quia Deus misericordiam acceptat, per quam homo imitator est Dei, Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Secundò ex oratione Sanctorum, Eccli. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Misericordes *inquam* misericordiam consequentur. Ista *autem* misericordia G inchoatur in hac vita dupliciter. Primò quia relaxantur peccata, Ps. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*. Secundò quia remouet defectus temporales, ita quòd *Solem suum facit oriri &c.* Perficietur tamen in futuro, quandò omnis miseria & culpæ, & pœnæ remouebitur, Ps. 35. *Domine in Cœlo misericordia tua*. Et hoc est, quod dicitur: *quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Quibus *enim* datur, *aiebat Augustinus*, misericorditer datur. *Id quod confirmat Apostolus* 1. *Tim.* 4. *cum ait*: Pietas ad omnia vtilis est. *Nimirùm* quia H ad omnia peccata delenda, Eccl. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*. Item ad bona promouenda, Eccli. 17. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit*. Item promeretur specialem Dei misericordiam, Matth. 5. cit. *Beati misericordes &c.* Quod probat Apostolus subdens: *promissionem habens vitæ*. In præceptis enim Decalogi vnum solum inuenitur, quod pertinet ad pietatem, scilicet honorare Patrem, & Matrem, & sub illo continentur omnia præcepta ad quodcumque beneficium impendendum proximo: & hoc est solum præceptum inter ea, quę sunt ad proximum, habens promissionem, scilicet, *vt sis longæuus &c.* Exod. 20. Et Apostolus hic interpretatur *longæuus* secundùm vitam præsentem, & futuram, vnde dicit: *vitæ, quæ nunc est, & futuræ*, *Prou.* 3. Longitudo dierum in dextera eius. *Quo facit illud Marc.* 4. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis. *Adiicietur* inquam *vobis*: *quia* semper I dona Dei excedunt merita nostra (*præmia enim dat vltra condignum*, *Rom.* 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis &c.) *Eccli.* 35. Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. *Idcircò*, quando quis K aliquid misericorditer impendit, non humanam, sed diuinam remunerationem quærere debet, *quæ longe vtilior est impendenti, quàm mundana*. *Vnde & monemur* Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defece-

Misericordes misericordiā à Deo expectent: illis enim debetur.

F Ps. 40. lit. a.

G Mat. 5 lit. b. ibi.

Ad omnia pietas & misericordia vtilis est.

H 1. Tim. 4. l. 2. ibi.

I Mat. 5. loc. cit.

Dei dona excedunt merita nostra.

K 2.2 71.4. ad 1.

Misericordiā impendens, non humanā, sed diuinam quærat retributionem.

fecceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Siquidem* pauperes L eleemosynas recipientes dicuntur *recipere* alios *in æterna tabernacula*, vel impetrando eis veniam orando, vel merendo per alia bona ex congruo, vel etiam materialiter loquendo, quia per ipsa opera misericordiæ, quæ quis in pauperes exercet, meretur recipi in æterna tabernacula. *Hinc de diuitibus eleemosynam non erogantibus dicitur*: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis, *Ps.* 75. Quare? M quia nil posuerunt in manu pauperis, qui portasset eos in Cœlum. Ideò dicitur Eccle. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, scilicet pauperes: *quia post tempora multa inuenies illum*. Non potest N esse (*aiebat consequenter initio Author*) quòd riuus misericordiæ nostræ fluat ad proximum, & fons diuinæ misericordiæ siccus sit nobis. *Augustinus*: Riuus fluit, & fons siccabitur? Non est enim quod ita Deo amabiles faciat, vt pietas, *Eccli.* 4. Esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm Mater. *Cui consonat illud Mat.* 5. Benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est. *At væ beneficia proximo subtrahentibus*! Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam, *Iac.* 2. *idest*, iudicium O condemnationis *illi*, *qui non fecerit misericordiam*. Exemplum patet in seruo nequam, cui debitum dimissum exprobratur *Mat.* 18. quia non est misertus conserui sui. (Sed obijcitur contra hoc, quod dicit, *iudicium sine misericordia*: Quia in Ps. 24. dicitur: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*. Et respondetur, quòd duplex est misericordia, liberans scilicet, & relaxans. De prima loquitur hìc: de secunda in Psalmo. Vel sic: *Iudicium sine misericordia*, tanta scilicet, quantam inuenitet, si misericors fuisset. *Superexaltat autem misericordia iudicium*; quod exponitur (*præter alia*) de effectu misericordiæ Dei in præsenti, & de effectu diuini iudicij in futuro. Et est sensus; quòd quando misericordia maior alicui in præsenti impenditur, tantò si ingratus fuerit (*nota*) grauiùs in futuro punietur. *Hinc haud perperam circa vel ipsa animalia, quædam in veteri lege fieri vetabantur, ut nimirum populus ad misericordiam inclinaretur. Licèt enim* secundùm affectum P rationis non referat, quid homo circa bruta animalia agat, quia omnia sunt subiecta eius potestati à Deo secundùm illud Ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; & secundùm hoc Apostolus dicit 1. *Cor.* 6. quòd *non est Deo cura de bobus*, quia Deus non requirit ab homine, quid circa boues agat, vel circa alia animalia: *Tamen* quantum ad affectum passionis mouetur affectus hominis etiam circa alia animalia. Quia enim passio misericordiæ consurgit ex afflictionibus aliorum; contingit autem etiam bruta animalia pœnas sentire: potest in homine consurgere misericordiæ affectus etiam circa afflictionem animalium. Proximum autem est, vt qui exercetur in affectu misericordiæ circa animalia, magis ex hoc disponatur ad affectum misericordiæ circa homines; vnde dicitur Prou. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas*: *uiscera autem impiorum crudelia*. Et ideò vt Dominus populum Iudaicum ad crudelitatem pronum, ad misericordiam reuocaret, voluit eos exercere ad misericordiam etiam circa bruta animalia, prohibens quædam circa illa fieri, quæ ad crudelitatem quandam pertinere videntur. Et ideò prohibuit, *ne coqueretur hædus in lacte matris*, & quòd *non alligaretur os boui trituranti*; & quòd: *non occideretur* de auibus *mater cum filiis*; vt habetur Deut. 14. 22. & 25. *Et hoc secundùm sensum literalem, non exclusomystico sensu: de quo vide ibi. Multiplex porrò est vtilitas, nobis ex misericordia prouenient. Nam* misericordia Q primò peccata purgat, Prou. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata*. Secundò pœnam peccatorum relaxat, Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum!* Tertiò custodit à malo, Prou. 20. *Misericordia, & veritas custodiunt Regem*. Quartò abundare facit in bono, Prou. 14. *Misericordia, & veritas præparant bona*. Quintò hominum benedictionem meretur, Prou. 22. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*. Sextò Dei misericordiam consequitur, Mat. 5. *Beati misericordes &c.* Septimò euadit iudicium, Iac. 2. *Superexaltat misericordia iuditium*. Octauò introducit in Cœlum, Eccli. 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum*.

L 1.2.114.6. ad 3.

M Apoc. 11. com. 2. §. 3. fin.

N Op. de er. Pr. l. 1. c. 15.

Væ misericordiam non facientibus.

O Iac. 2. §. 6. ibi.

P 1. 2. 102. 6. ad 8.

Quædam circa animalia in veteri lege fieri vetabantur, vt ad misericordiam Iudæi reuocarentur, ad crudelitatem proni.

Q Iac. 2. §. 6. fi.

Multiplex ex misericordia prouentus.

11 *Igitur, cum tanta erumpat ex misericordia vtilitas, hilariter & promptè proximis nostris, potissimè fidelibus, impendenda*, *Rom.* 12. Qui miseretur in hilaritate, *hoc est*, quasi R libenter hoc faciens, 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. *Et Eccli.* 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum. *Quò respexit idem Apostolus* 1. *ad Tim.* 4. *cum ait*: Exerce autem te ipsum ad pietatem. *Vbi Author*: Quantùm *inquit* ad terrenam S pietatem, competit pietati, vt homo sit beneuolus compatriotis: sed quantùm ad Christianam pietatem, requiritur, vt homo omnibus hominibus beneuolus sit, quia omnes sumus eiusdem patriæ. Et ideò pietas sumitur pro misericordia. Cum ergo dicit, *exerce te ipsum ad pietatem*; potest accipi, secundum quòd pertinet ad cultum Dei, & ad opera misericordiæ exhibenda. *Ad pietatem* ergo, idest *ex glossa*, ad cultum omnipotentis Dei, & ad opera misericordiæ. Et dicit, *exerce*, non *fac*: quia exercitium dicit promptitudinem; & hoc ideò, quia exercitatus facit leuiùs, delectabiliùs, & stabiliùs, *Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum: *Quod est, ex virtute misericordiæ operari*: *non ex passione naturali, siue compassione*. *Et quidem pietas, siuè misericordia, gratissima Deo est*; *immò acceptissimum sacrificium*, *Eccli.* 35. Qui facit misericordiam offert Sacrificium. *Quo sensu dicebat Psaltes Ps.* 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ &c. *idest*, acceptatis T iustitiam, sicut sacrificium: quia opera iustitiæ & misericordiæ sunt sicut sacrificium, Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci*: *talibus enim hostiis promeretur Deus*. Promeretur, *scilicet* Deus V passiuè; idest, possumus Deum mereri talibus sacrificijs: ipse enim est merces nostra, quam istis operibus acquirere possumus, Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Et ideò X misericordia qua subuenitur defectibus aliorum, est sacrificium ei magis acceptum, vtpotè propinquiùs vtilitatem proximorum inducens. *Et rationem affert ibidem Author*: *quia* Deum non colimus per exteriora sacrificia, aut munera, propter ipsum, sed propter nos, & propter proximos. Non enim indiget Sacrificijs nostris, sed vult sibi ea offerri propter nostram deuotionem, & proximorum vtilitatem. *Non ergo mirum, si pluris*

Misericordia promptè impendenda.

R Rom. 12. l. 2. ibi & 2. Cor. 9. l. 1. fin.

S 1. Tim. 4. l. 2. ibi. 1

Gratum Deo Sacrificium est.

T Ps. 50. lit. 1. ibi.

V Hebr. 13. l. 2. fin.

X 2. 2. 30. 4. ad 1.

Immò plus quàm sacrificium.

plures immò misericordiam faciat, quàm sacrificium. Vnde & ipse Dominus ait Mat. 9. ex Ose. cap. 6. Misericordiam volo, & non sacrificium. *Et Mich. 6.* Quid dignum offeram Domino? numquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam. *Cui consonat illud Prou. 21.* Facere misericordiam, & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. *Sed & hìc spiritualiter militantibus validus est contra impugnatores hostes misericordia clypeus.*

Scutum contra hostes.

Misericordia Y est scutum, quo ab hostibus defendimur, *vnde dicitur Eccli. 29.* Conclude eleemosynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersùs inimicum tuum pugnabit. *Quò facit & illud Apoc. 6.* Audiui tanquam vocem dicentem: Vinum, & oleum ne læseris. *Vinum (exponitur)* idest Z pœnitentes: *& oleum*, idest misericordes, *ne læseris*: ipsos enim præcipuè præcepit non lædi Deus, quia vicerunt, Apoc. 2. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, licèt tangantur tribulatione præsenti, quæ dicitur mors prima.

Y Serm. 1. ex Ep. Dom. 1. Adu.

Z Apoc. 6. com. 2. §. 3. fin.

Id quod Regius propheta apertissimè exprimit Ps. 40. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus &c. *Cui coheret illud Prou. 14.* Qui miseretur pauperis, beatus erit. *Notandum autem, quòd* Psaltes A dicit, *Beatus qui intelligit*; non dicit *qui subuenit*, quia debes esse misericors ad modum Dei: sed Deus non expectat, quòd semper petatur; immò subuenit desiderio antequam petatur, Ps. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Et ideò ille est verè misericors, qui non solùm petentibus subuenit, sed etiam indigenti subuenit, priusquàm petatur, Iob. 31. *Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.* Est autem *egenus*, qui indiget ab alio accipere: *pauper* verò dicitur ille, qui parum habet.

Beatus, qui miseretur.

A Ps. 40. lit. a. b. c.

Quis misericors.

Egenus quis, & quis pauper.

In die mala liberabit eum Dominus. Summum malorum est damnatio æterna, quæ imminet homini in iudicio vel particulari, scilicet in morte; vel vniuersali, idest in fine Mundi. Et illa dies est mala, in qua fit talis damnatio, Soph. 1. *Dies iræ, dies illa; dies tribulationis, & angustiæ; dies calamitatis, & miseriæ &c.* In hac *die mala* liberat Dominus misericordem, *Mat. 25.* Venite benedicti Patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare &c. *Quia vt dicitur Prou. 22.* Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur (*à Deo vtique, & ab hominibus: sed à Deo specialiter in morte; vnde ad illud Apoc. 14.* Opera enim illorum sequuntur illos, *dicebat Ambrosius*: Non sunt B hominis, quæ secum portare non potest. Sola misericordia comes est defunctorum, *in via nimirum ad cælestem Patriam.*) *Dominus conseruet eum*, (prosequitur Psaltes) *& viuificet eum, & beatum faciat eum in terra.* Vbi ostendit, quòd misericors meretur misericordiam ex oratione Sanctorum, qui orant pro misericordibus. Et ponitur oratio pro misericorde existente in statu prosperitatis, in quo homo duobus indiget: scilicet vt promoueatur, & conseruetur in bono: Secundò, vt liberetur à malis. Est autem triplex bonum: scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Bonum naturæ petit sibi conseruari, cum dicit: *Dominus conseruet eum*, scilicet in bono naturæ, Ps. 15. *Conserua me Domine*, ne scilicet corrumpatur per peccatum, vel per tribulationes imminentes. Bonum gratiæ petit dari, cum dicit: *& viuificet eum*, scilicet per gratiam, per quam homo habet vitam spiritualem: Quantùm ad Tertium bonum, scilicet gloriæ, dicit: *Et beatum faciat eum in terra.* Si de perfecta beatitudine intelligatur, sic dicitur, *in terra*, scilicet viuentium, Ps. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; & Mat. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Si autem intelligatur de beatitudine huius vitæ, in quantùm aliquid æternum mente sapimus, sic dicitur: *beatum faciat eum in terra*, hac scilicet, participatione illius beatitudinis, Philipp. 3. *Nostra conuersatio in Cælis est.*

In die iudicij liberat Deus misericordem.

B Apoc. 14. com. 1.

Qui meretur misericordiã ex oratione Sanctorum multiplici cũ fructu.

Bonum triplex.

Deinde petit liberari à malis, cum dicit: *& non tradat eum in animam inimicorum eius.* Inter omnia enim mala summum malum est incidere in manus inimicorum, quia ex odio persequuntur, & affligunt. Et dicit, *in animam*, idest in voluntate inimicorum. Vel *in animam inimicorum*, idest in potestatem diaboli, & ministrorum eius. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Hìc ponitur oratio pro misericorde existente in aduersitate. Quia enim ex hoc, quòd petit, quòd *Dominus conseruet eum, & viuificet eum &c.* posset aliquis colligere, quòd misericors nullo modo affligeretur: ideò, ad hoc excludendum, dicit, quòd quandoque lectus eius repletur doloribus. Et hoc fit misericordi aliquando ad correctionem, Iob. 33. *Increpat quoque per dolorem in lectulo*: vel ad humiliationem, sicut Paulo 1. Cor. 12. datus est stimulus carnis: vel ad probationem, vt de Iob, & Tobia. Et ideò dicit: *Dominus opem ferat illi*, scilicet misericordi existenti in tribulatione, *super lectum doloris eius*, ad literam in quo iacet. Et quòd ferat illi opem, necessitas magna hoc exigit, quia *vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Et loquitur hìc ad similitudinem febricitantis, qui non inuenit in lecto locum, in quo possit quiescere, sed continuè se vertit. Et ideò dicit, *versasti*; quasi dicat: indiget ope, quia tanta est eius infirmitas, quòd continuè vertitur per lectum.

Cur & ipse misericors quandoque tribuletur & affligatur.

X *Ita ergo misericorditer protegitur à Deo misericors, qui per affectum miserando, suam per effectus ostendit proximis charitatem. Nec mirum: nam Deus se amantes amat.* Inter C signa autem, quibus perpenditur, quòd Deus ab aliquo ametur, vnum est, cum dat libenter pro Deo, Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Maximè (*ex consequenti*) amor pauperum signum est, quòd aliquis amet Deum: illi enim non amantur propter se, sed propter Deum. *Vnde dicitur Prou. 19.* A paupere & hi, quos habuit, separantur. *Et iterum*: Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper & amici procul recesserunt ab *eo: vt patet de Iobe, in pauperiem, immò in egestatem redacto. Adhæc autem misericordiæ opera in proximos impendenda, ex summa Dei, & Christi Domini nostri in nos exercita misericordia potissimùm prouocamur, de qua fusiùs suis locis. At verò ne credat quis, sublata per peccatum charitate, per sola misericordiæ opera se posse salutem consequi sempiternam: fallitur enim, totoque (vt aiunt) aberrat Cælo. Hinc Apostolus 1. Cor. 6.* Nolite *inquit* errare: Neque fornicarij, neque adulteri, neque ebriosi &c. regnum Dei possidebunt. *Nolite errare.* Quidam enim D propter sola opera misericordiæ, se impunè peccare arbitrantur, propter illud, quod dicitur Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Nec intelligunt, quòd hęc

C Op. de er. Pr. l. 2. c. 11.

Misericordia dilectionis Dei euidens signum.

Sola misericordię opera, sine charitate non saluant.

D 1. Cor. 6. l. 2. ibi, Mat. 25. lit. c. ibi, esuriui.

omnia

omnia sine charitate non prosunt, secundùm illud, quod dicitur 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et ideò subdit, quòd peccata, contraria charitati, à Regno Dei excludunt, in quod sola charitas introducit, *dicens*: Neque fornicarij, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt. *Sanè, quod Psaltes cecinit Ps. 40. cit.* Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; *hoc dicit*, non E quòd sola misericordia sine alijs virtutibus (*quarum charitas est forma*) liberet hominem: sed quia per misericordiam homo satisfacit pro peccatis. *Nec pro carnalibus hominibus, qui vellent cum sua expletione concupiscentia saluari, vllam facit vim illud* Ambrosij *in glossa 1. ad Tim. 4.* Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia, & pietate est: quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit; non tamen peribit. *Etenim* per opera F pietatis, ille, *qui lubricum carnis patitur*, liberatur à perditione æterna, in quantùm per huiusmodi opera disponitur ad hoc, quòd gratiam consequatur, per quam pœniteat; & in quantùm per huiusmodi opera satisfacit de lubrico carnis commisso. (Disponitur *inquam*: quia homo G benefaciendo alijs, inducit illos ad orandum pro se: & Dominus donat aliquando veniam peccatoribus precibus Sanctorum, in quantum impetratur eis peccatorum venia, & donum gratiæ: quia homo potest alteri ex congruo primam gratiam mereri; aliàs pro nihilo oraret Ecclesia pro peccatoribus.) Non autem ita, quòd si in lubrico carnis perseueret impœnitens vsque ad mortem (*inquam*) per pietatis opera liberetur. *Igitur peccator, se in misericordia operibus exercens*, finaliter non peribit; *idest ex diuina misericordia* disponetur H per talia opera ad non pereundum. *Aliàs certissimum est*, quòd quicumque I cum peccato mortali decedunt, nec fides, nec opera misericordiæ, eos liberabit à pœna æterna, etiam post quantumcumque temporis spatium. DISCE *proximos miserendo, diuinam tibi misericordiam promereri*. *Vide* Christi misericordia *Tom. 1.* Dei misericordia, Eleemosyna, Inuidia *Tom. 2.*

E *Ps. 40. lit. 4. fin.*

Notent homines lasciui.

F *2. 2. 154. 2. ad 5. in 4. d. 15. 2. 2. q. 1. ad 1. & 1. Tim. 4. l. 2. fin.*

Quomodo intelligatur, quòd opera misericordiæ faciens non peribit.

G *1. Tim. 4. l. c.*

H *4. d. 46. 2. 2. q. 4. ad 4.*

I *Ibid. si. corp.*

MISSA.

XV. Alia sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiam: sed in immolatione huius Sacramenti (Eucharistiæ) est vniuersalis effectus, quia non solùm sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi, pro quibus orat, & Ecclesia tota tam viuorum, quàm mortuorum. *Ioan. 6. l. 6. fin.*

y MIssa *celebratio à tempore Apostolorum initium habuit, primamque traxit institutionem. Traditur enim* de Consecr. K Dist. 1. cap. *Iacobus*: Iacobus frater Domini secundùm carnem, & Basilius Cæsariensis Episcopus ediderunt Missæ celebrationem. *Hinc præfatus Apostolus Iacobus* (teste Durando in festo eiusdem) *primam Ierosolymis Missam traditur celebrasse. Secundus verò Petrus Antiochiæ primus. Et quidem* Missa L dicitur *ex Hugone* quasi transmissa, & quòd populus fidelis per ministerium Sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum, & hominem, preces, vota, & oblationes Deo transmittit. Secundò ipsa hostia sacra *Missa* vocari potest, quia transmissa est priùs à Patre nobis, vt scilicet nobiscum esset: postea à nobis Patri, vt apud Patrem pro nobis esset. *Vnde & alibi, coharenter ad illud, quod dicitur in Canone*: Iube hęc perferri per manus Sancti Angeli tui &c. *docet Author, quòd* per Angelum M intelligitur ipse Christus, qui est *magni consilij Angelus*, qui corpus suum mysticum Deo Patri coniungit, & Ecclesię triumphanti. Et propter hoc etiam *Missa* nominatur: quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem. Vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo: vnde & in fine missę Diaconus in festiuis diebus populum licentiat, dicens: *Ite, missa est*; scilicet hostia ad Deum per Angelum, vt scilicet sit Deo accepta. *Celebratur quippe in Missa idem Sacrificium, licèt incruentum, quod à Christo cruentum in Cruce celebratum est: qui* tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & *Hostiam* Deo in odorem suauitatis, *vt dicitur ad Eph. 5. & 1. Io. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: *scilicet* vel N actiuè, idest propitians nos Deo, hoc est propitiator, Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem &c.* Vel *propitiatio*, passiuè; idest, ipse est hostia oblata pro expiatione nostra, 1. Io. 4. *Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Cuius (*sacrificij*) celebratio O imago quædam est repręsentatiua passionis Christi, quæ est vera eius immolatio. *Et alibi*. Sacrificium P quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud à sacrificio, quod ipse Christus obtulit, sed eius commemoratio. Vnde *Augustinus dicit in 10. de Ciu. Dei*: Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium. *Passio autem Christi* potissimum Q sacrificium est, quo ipse Christus se obtulit Deo: & propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege, vt hoc vnum singulare, & præcipuum sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta. *Missa autem sacrificium sit incruentè, illud cruentè factum est. Idcircò* omnium R sacramentorum effectus huic sacramento possunt adscribi, in quantùm perfectio est omnis sacramenti, habens quasi in capitulo, & in summa omnia, quæ alia sacramenta continent singillatim. In hoc *enim* Sacramento S totum mysterium nostrę salutis comprehenditur: & ideò prę cæteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur. *Nec sine potissima causa*: *nam* Eucharistia T est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium sacramentorum finis: per sanctificationes enim omniũ Sacramẽtorũ fit pręparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. *Hinc vides, quanta debeas deuotione, ac reuerentia Missæ sacrificio laicus assistere, quali præparatione sacerdos ad tremendum Altare accedere, & celebrare, Christi Domini vices impleturus, & munus. Eiusmodi reuerentiali metu perculsus Euangelista Marcus, ne ad terribilem mensam, (quod ait Chrysostomus) indignus ex humilitate minister accederet, pollicem sibi resecuisse dicitur narrat si quidem de eo* Hieronymus, *Prol. in D. Marcum*, quòd sibi V pollicem amputauerit, vt sacerdotio reprobus haberetur (*quod tamen* credibile est X ex instinctu Spiritus sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum injicere.) *Et de B. Francisco tradunt pariter*, nun-

K *3. p. 83. 4. in sed contra.*

Missa à tempore Apostolorum ortum habuit.

Vnde dicatur *Missa*.

L *In 4. d. 13. exp. tex.*

M *3. p. 83. 4. ad 9. fin. In 4. l. c.*

N *1. Io. 2. §. 1. ibi.*

O *3. p. 83. 1. c. & 73. 4. c. In 4. d. 2. 1. 2. ad 1. Io. 6. l. 6. fin.*

P *3. p. 22. 3. ad 2.*

Missæ sacrificiũ repræsentatiuũ passionis Christi nec aliud ab illo.

Q *1. 2. 102. 3. fin. c. & 3. p. 47. 2. ad 1. & 48. 3. c.*

R *4. d. 8. 1. 2. q. 2. ad 4.*

Eius dignitas, & pręcellentia.

S *3. p. 83. 4. initio c.*

T *3. p. 73. 3. c.*

Deuotè, & reuerenter venerandum; at deuotiùs celebrandum.

SS. Marci, & Franscisci reuerentia, & humilitas ad missæ sacrificium.

V *4. d. 13. 1. 2. q. 1. ad 1. & 2. 2. 185. 2. ad 3.*

X *2. 2. loc. cit.*

Venerandum Angelis, & hominibus sicut dæmonibus formidabile.
2 *Op.58.c.4.*

nunquam passum esse tanti excellentia sacrificii territum, vt ad Sacerdotii dignitatem promoueretur. Sanè sacrificium, hoc maximè hominibus venerandum est, quia & dæmonibus formidabile; & vel ipsis sanctis Angelis Y reuerendum, Mat. 22. *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Circa corpus Domini (*ait Leo Papa*) aquilæ sunt, quæ spiritualibus alis circumuolant, videlicet Angeli Sancti, Spiritus mundi munditiam amantes, mundum corpus Domini venerantes, & præsentes fideles protegentes. *Et Gregorius*: Quis fidelium *inquit* dubium habere possit, in ipsa hora immolationis Cœlos aperiri (*contremiscat Sacerdos, metuat fidelis quisque*) & in illo Christi mysterio Angelorum adesse Choros, summa & ima sociari? *Alio quoque in loco Author*: Angelus *inquit* sacris Z mysteriis interesse credendus est. *Hinc Apostolus* 1. Cor. 11. Debet mulier velamen habere (*sic in veteri codice legit Author cum aliis; vnde & ibi subdit*: Alia litera habet, *potestatem habere*, & idem est sensus: *vt legimus in modernis codicibus.*) Debet *igitur* mulier velamen habere supra caput; *præmiserat enim Apostolus*: Mulier orans velet caput suum; *& hoc* propter Angelos. *Quod quidem* potest A dupliciter intelligi: scilicet & de Sacerdotibus, secundùm quòd Angeli dicuntur Sacerdotes, in quantùm diuina populo annunciant; & de ipsis Angelis cælestibus, qui conuentus fidelium visitare creduntur, præcipuè quando Sacra mysteria celebrantur. *At quidam fideles hodie, nec Angelos, nec Deum ipsum, fide in sacrificio præsentem deuote, vt par est, reuerentur obsequio: quin potiùs propria colunt idola concupiscentiæ; minorique reuerentia Missæ sacrificio assistunt, quàm dramati intersint theatrali. Vide plura Tom. 2. V.* Ecclesia.

Adsunt Angeli Missæ sacrificio.
Z *4.d.13.exp. tex. & 3.p.83. 4.ad 9.*

A *1.Cor.11. l.3. ibi.*

Moralitas.

Huius sacrificij fructus vberrimus.
B *3.p.83.1.c. & 79.1.c.*

Z *Quoad huius verò sacrificii vberem fructum, ex opere operato talis, ac tantus est, qualis, ac quantus Dominica fructus passionis: cuius (vt præmisimus) celebratio huius Sacramenti repræsentatio est: quia scilicet* per hoc B Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ passionis. Vnde in quadam dominicali oratione secreta dicitur: *Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Quicquid *ergo* est C effectus Dominicæ passionis, totum etiam est effectus huius Sacramenti. Nihil enim aliud est hoc Sacramentum, quàm applicatio Dominicæ passionis ad nos. Vtilitas *proinde* illius magna est, & vniuersalis: quia vita, quam confert, non solùm est vnici vnius hominis, sed quantùm in se est, totius Mundi, 1. Io. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*: Alia enim Sacramenta habent singulares effectus, sicut in baptismo solus baptizatus suscipit gratiam; sed in immolatione huius Sacramenti, est vniuersalis effectus: quia non solùm Sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi, pro quibus orat, & Ecclesia tota, tam viuorum, quàm mortuorum. Cuius ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa vniuersalis omnium Sacramentorum, scilicet Christus. *Quod aiebat initio Author*: *Et* quia D fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidiè in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur. Vnde & Dominus nos petere docet Luc. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod exponens Augustinus *lib. de verb. Domini*: Si quotidianus *inquit* est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum Græci in Oriente (*hodie plurimi & in Occidente*) facere consueuerunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. (*Sedet*

Quicquid est effectus Dominicæ passionis, totum est effectus sacrificii Missæ.
C *lo.6.l.6.§.*
In 4.d.45.2.3. q.1.ad 3.

Vtilitas eius magna, & vniuersalis, ad differentiam aliorum Sacramentorũ.

Cur quotidie celebretur.
D *3.p.83.2.c.*

quinque E de causis *ex Innocentio* quotidie Missa in Ecclesia celebratur. *Primò* quia oportet semper paratam esse medicinam contra quotidiana peccata: *vt dictum est*. *Secundò* vt lignum vitæ semper sit in medio Paradisi. *Tertiò* vt nobis quotidie Christus vniatur sacramentaliter, & nos ei spiritualiter. *Quartò* vt sit apud nos vigilat memoria passionis eius. *Quintò* vt vero Agno, loco typici, quotidie vtamur ad vesperam: quoniam Iudæi ad vesperam conuertendi esurient, secundùm illud Ps. 58. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt Canes.*) *Sanè* Sacramentum hoc F sumentibus prodest & per modum Sacramenti, & per modum Sacrificij: quia pro omnibus sumentibus offertur. Dicitur enim in Canone Missæ: *Quotquot ex hac altaris participatione Sacrosanctum Filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.* Sed alijs, qui non sumunt, prodest per modum Sacrificij, in quantùm pro salute eorum offertur. Vnde & in eodem Canone Missæ dicitur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, prospe salutis, & incolumitatis suæ.* Et vtrumque modum proficiendi Dominus expressit, dicens: *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, & *pro multis*, scilicet alijs, *effundetur in remissionem peccatorum*. *Vel pro* G *vobis* (Luc. 22.) scilicet Iudæis, *& pro multis* (Mat. 26.) scilicet Gentilibus. Vel *pro vobis* manducantibus, & *pro multis*, pro quibus offertur. *Rationem autem adducens*: Offertur *inquit* in Ecclesia H pro viuis, & mortuis, vt omnibus prosit quod est pro salute omnium institutum. *Cæterùm Sacramentum hoc*, in quantùm I est sacrificium, habet vim satisfactiuam: sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis; vnde & Dominus dicit *Luc.21.* de vidua, quæ obtulit duo æra minuta, quòd *plus quàm omnes misit*. Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. *Sanè quòd per hoc sacrificium* tollitur K pars pœnæ, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis Christi (*nota*) sed ex defectu deuotionis humanæ. *Igitur parum est, diuino Missæ sacrificio interesse, tantumque mysterium peragere: totum spiritualis profectus negotium est, singulari pietate assistere, speciali deuotione celebrare.*

E *4.d.13.1. 2.q.3 c.*

Damnatur abusus communicandi semel tantùm in anno tempore Paschæ.

F *3.p.79.7.c. & 78.3. ad 8. In 4.d.12.2.2. q.2.ad 4. & 1. Cor. 15.l.4.*

Eucharistia sumentibus prodest, vt Sacramentũ, & sacrificiũ: alijs vt sacrificium.

G *3.p.78.l.c.*

H *Op. 57. ad matut.l.3.*

I *3.p.79.5.c. In 4.d.12.2.2. q.3.c.*

Vt sacrificiũ, habet vim satisfactionis. In qua magis attenditur affectus offerentis, quàm quãtitas oblationis.

K *3.p.79.5. ad 3.*

a *Itaque excellit sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Missa celebratum, sicut cruentum illud in Cruce omnia legis sacrificia ratione (præter cætera)* L virtutis, idest propter effectum suæ bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in triplici statu fidelium, scilicet in Mundo, in Purgatorio, in Cœlo. In primo statu peccata relaxat: in secundo pœnam grauem alleuiat: in tertio gaudium magnum generat. Hinc est, quòd tripliciter Missæ celebrari solent: scilicet pro salute viuorum, pro requie defunctorum, & pro gloria beatorum. Vnde & hostia in tres partes frangitur, vt virtus sacrificij corporis Domini in prædicto triplici statu demonstretur. De primo Leu. 5. *Anima si peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum*, idest *ex glossa* Christum: vnde & canitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi &c.* De secũdo Leu.17. *Ego dedi sanguinem vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit*. Et ideò caro, & sanguis Christi rectè pro animabus Defunctorum offeruntur, vt à pœna Purgatorij, qua pro residuo pœnitentiæ ligati sunt, absoluantur. De tertio

L *Op.58.c.4.*

Tria Missarũ genera: pro viuis, pro defunctis, pro Beatis.

Hostia ex hoc in tres partes frangitur.

R Leu. 10.

Leu. 10. *Pectusculum, quod oblatum est, edetis in loco mundissimo tu, & filii tui, & filiæ tuæ tecum.* Pectusculum, quod scilicet optimum est, & dulcissimum animalis significat dulcedinem corporis Christi, in quantùm comeditur *in loco mundissimo*; idest, in quantùm delectat beatos in Cœlo, in eo, quòd plurimùm gaudent, & gratulantur in hoc sacrificio de memoria Redemptoris, de aspectu nostræ salutis, de admiratione diuinæ bonitatis. *Gaudent inquam in Cœlis animæ Sanctorum in solemnitate Missarum, quæ ad eorum gloriam in Ecclesia celebrantur, ad eorum vsque accidentalem gloriam augendam, non essentialem: nam* de omnibus M benefactis eis gloria accrescit, quia *gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, Lucæ 15. & etiam de omnibus, quæ in Dei honorem fiunt, gaudent; & maximè de ijs, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus. Vnde simpliciter loquendo (hoc est, quantùm ad essentiam gloriæ) hoc Sacramentum non auget in Beatis gloriam, sed secundùm quid, scilicet quantùm ad accidentale præmium, auget. *Quo sensu intelligendum quod habetur in quadam collecta Missæ*; Sicut Sanctis tuis prosunt ad gloriam (*scilicet sacramenta*) in nobis proficiant ad medelam. *Vel dicendum, quòd* huiusmodi N locutiones non sunt sic intelligendæ; quasi Sanctis in gloria proficiant, quantùm ad se, quod eorum festa recolimus: sed quia hoc nobis proficit, qui eorum gloriam solemniter celebramus. Sicut ex hoc, quòd Deum cognoscimus, vel laudamus, sic quodammodo eius gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis adcrescit. *Et* ita debet O intelligi, vt ad hoc sacramenta prosint, vt à fidelibus magis, ac magis glorificentur in terris. Pro pueris *verò* baptizatis Missarum solemnia celebrantur, non quia eis iuuetur quantùm ad remissionem alicuius culpæ, vel quantùm ad augmentum gloriæ, sed propter alias rationes: tum propter solatium viuorum: tum ad ostendendum, paruulos ad vnitatem corporis mystici pertinere, dum idem modus exequiarum seruatur in ipsis, & in alijs: tum ad commendandum redemptionis mysterium, quod in hoc Sacramento commemoratur, per quod paruuli sine proprio merito salutem consequuntur æternam. *Pro animabus autem in purgatorio degentibus illud ex præmissis notandum, quòd quia efficacia virtutis Christi in Sacrificio Altaris infinita est; non ideò per vnum missæ sacrificium tota vni animæ debita tollitur pœna; nam* quamuis P virtus Christi, qui continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita: tamen (*bene nota*) determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet, quòd per vnum Altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio (*vel quæ vni, aut alteri debita est*) expietur: sicut etiam nec per vnum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione pro peccatis debita; vnde & quandoque plures Missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur. *Et alibi.* Per Sacramentum Q Eucharistiæ homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundùm modum suæ deuotionis, & feruoris. In quantum verò est sacrificium, habet vim satisfactiuam: sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit *Luc.* 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quòd *plusquam omnes misit*. Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna. *Et subdit ibidem ad 3. Author, quòd* hoc, quòd tollitur pars pœnæ, & non tota pœna per hoc Sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu deuotionis humanæ. *Vide quanti intersit deuotè accedere, aut sacrificare. Cæterùm, num eisdem animabus magis prosit Missa de* Requiem, *quàm de aliquo Sancto: Respondet Author, quòd* in Missa R non solùm est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes. Ex parte sacrificij oblati, Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumq; dicatur: & hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem deuotionem vel eius, qui dicit Missam; vel eius, qui facit dici; vel iterum per intercessionem Sancti (*nota*) cuius suffragium in Missa imploratur. *Consueuit præterea plenaria pro defunctis indulgentia à summis Pontificibus applicari tum Missis ipsis de* Requiem, *tum aliquibus Missis specialibus (qualis est missa Rosarij B. M. V. à solis sacerdotibus Ordinis Prædicatorum ex particulari indulto celebranda:) Et hæ sine dubio magis prosunt* DISCE *per missæ sacrificium pœnam defunctis minui: viuis gratiam, beatis gloriam augeri.*

M 4. d. 12. 2. 1. q. 2. c.

Missæ pro Sanctis, & Beatis, ad quid eis prosint.

N 4. d. 45. 2. 2. q. 4. ad 1.

O 4. d. 12. 2. 1. q. 2. ad 1. & 2. & a. 4. exp. tex. fin.

Ad quid pro paruulis cum baptismo decedentibus.

P 4. d. 45. 2. 4. q. 3. ad 2. & 3. p. 78. 3. ad 8. & 79. 7. c. & d. 12. 2. q. 3. ad 2.

Quamuis virtus Christi in sacrificio Altaris sit infinita, effectus tamen determinatus est: vnde per vnu sacrificiu tota alicui animæ debita non tollitur pœna.

Q 3. p. 79. 5. c. & ad 3.

Num Defunctis prosit magis Missa de Requie quam de aliquo Sancto.

R 4. d. 45. 2. 3. q. 1. ad 5.

XVI. In celebratione huius Mysterij quædam aguntur ad repræsentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici. Et quædam aguntur, pertinentia ad deuotionem, & reuerentiam huius Sacramenti. 3. *p.* 83. 5. *fin. corp.*

b CVm *Missæ sacrificium ex* Num. præced. *præcipuum, & excellentissimum sit, conuenienti etiam ritu dicendum est Ecclesiastico ex instituto celebrari. Quædam autem in eo à Sacerdote dicuntur, aguntur alia. Quoad ea, quæ dicuntur, antequam Missæ officium inchoetur, præmittuntur quædam ex Psal. 42.* Introibo ad Altare Dei &c. Hunc *autem* psalmum S dicunt præsbyteri, cum accedunt ad Altare: quia hæc duo, scilicet lætitia, & renouatio (Ps. cit. *ad Deum qui lætificat iuuentutem meam*; & Ps. 102. *Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua*) sunt necessaria illis, qui ad cœleste Altare (*& verò* cæleste, *vbi* sedes Dei, & Agni, *Apoc.* 22. in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, *ad Coloss. 2.*) accedere volunt, *Leuit.* 10. Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremonijs mente lugubri? *Deinde*, quia T omnis nostra operatio à Deo inchoata, circulariter in ipsum terminari debet: ideò Missæ officium incipit ab oratione, & terminatur in gratiarum actione. Vnde tres habet partes principales: scilicet principium orationis, quod durat vsque ad Epistolam: medium, celebrationem ipsam, quæ durat vsque ad Postcommunionem: & finem gratiarum actionis exinde vsque in finem, *iuxta monitum Apostoli*: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones &c. 1. *ad Tim.* 2. Vnde V iste modus orandi est in Ecclesia Dei: *Omnipotens Sempiterne Deus*, ecce ascensus mentis, qui est oratio: *qui dedisti Ecclesiæ tuæ salo beneficium*; ecce gratiarum actio: *præsta quæsumus*; ecce postulatio:

Expositio eorum, quæ in Missa à Sacerdote dicuntur.

S Ps. 42. lit. b.

T 4. d. 8 exp. tex.

Tres Missæ partes quoad orationes.

V 1. Tim. 2. l. 1. ibi In 4. d. 15. 4. 3. q. 1.

Modus orandi in Ecclesia.

per

per D. N. I. Christum; ecce obsecratio. Similiter in Missa est *obsecratio* vsque ad consecrationem corporis, & sanguinis: quia in eis est commemoratio Sacrorum, ex quibus est fiducia impetrandi. In mysterio consecrationis est *oratio*: quia est meditatio eorum, quæ Christus egit. In alijs verò vsque ad communionem est *postulatio* pro viuis, & mortuis, & pro se. In fine autem est *gratiarum actio*. Ante X celebrationem verò huius Mysterij. Primò quidem præmittitur præparatio quædam ad dignè agenda ea, quæ sequuntur. Cuius præparationis *Prima pars* est laus diuina, quæ fit in introitu, secundùm illud Ps. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi Salutare Dei*. Et sumitur hoc, vt pluries, de Psalmis: quia, vt Dionysius dicit *in 3. Eccl. Hier.* Psalmi comprehendunt per modum laudis, quicquid in Sacra Scriptura continetur. *Secunda pars* continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur, dicendo *Kyrie eleison*; ter quidem pro persona Patris; ter autem pro persona filij, cum dicitur *Christe eleison*; & pro persona Spiritussancti, cum subditur, *Kyrie eleison*, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: vel ad significandum, quòd omnes personæ sunt in se inuicem. *Tertia pars* commemorat cælestem gloriam, ad quam tendimus post præsentem vitam, & miseriam, dicendo: *Gloria in excelsis Deo*; quod cantatur in festis, in quibus commemoratur cælestis gloria: intermittitur autem in officijs luctuosis, quæ ad commemorationem miseriæ pertinent. *Quarta autem pars* continet orationem, quam Sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysterijs. *Secundò* autem præmittitur instructio fidelis populi; quia hoc Sacramentum est *mysterium fidei*: quæ quidem instructio dispositiuè quidem fit per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum, quæ in Ecclesia legitur per Lectores & Subdiaconos. Post quam lectionem cantatur à Choro *Graduale*, quod significat profectum vitæ; & *Alleluia*, quod significat spiritualem exultationem: vel *Tractus* in officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. Hæc enim consequi debent in populo ex prędicta doctrina. Perfectè autem instruitur populus per doctrinam Christi in *Euangelio* contentam: quæ à summis ministris legitur, scilicet à Diaconibus. Et quia Christo credimus, tanquam diuinæ veritati (secundùm illud Io. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*) lecto Euangelio, *Symbolum fidei* cantatur: in quo populus ostendit se per fidem, Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, sicut in festis, Christi Domini, & B. V. & Apostolorum (qui hanc fidem fundauerunt) & alijs huiusmodi. Sic igitur populo præparato, & instructo, consequenter acceditur ad celebrationem mysterij: quod quidem & offertur vt sacrificium, & consecratur & sumitur, vt Sacramentum. Vnde primò peragitur oblatio, secundò consecratio materiæ oblatæ, tertiò eiusdem perceptio. Circa oblationem verò duo aguntur; scilicet laus populi in cantu *Offertorii*, per quod significatur lætitia offerentium: & oratio Sacerdotis, qui petit, vt oblatio populi sit Deo accepta. Vnde & 1. *Paralip.* 29. dixit Dauid: *Ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc: & populum tuum, qui hìc repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria*. Et postea orat dicens: *Domine Deus custodi in æternum hanc voluntatem*. Deinde circa consecrationem, quæ supernaturali virtute agitur, primò excitatur populus ad deuotionem, in *Præfatione*, vnde & monetur, *Sursum corda habere ad Dominum*; & ideò finita Præfatione populus deuotè laudat diuinitatem Christi, cum Angelis dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; & humanitatem, cum pueris dicens: *Benedictus, qui venit &c.* Deinde Sacerdos secretò commemorat primò quidem eos, pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro vniuersali Ecclesia, & pro his, qui sunt *in sublimitate constituti*, 1. Tim. 2. & specialiter quosdam, qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundò commemorat Sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit: *Communicantes, & memoriam venerantes &c.* (& ponitur Y Virgo, quæ Christum in Templo obtulit; Apostoli, qui ritum offerendi nobis tradiderunt; & Martyres, qui seipsos Deo obtulerunt: non autem Confessores, quia de eis antiquitus non solemnizabat Ecclesia; vel quia non sunt passi, sicut Christus, cuius passionis memoriale est hoc Sacramentum.) Tertiò petitionem concludit, cum dicit: *vt hæc oblatio fit illis pro quibus offertur salutaris*: (*ita fortassè antiquitus dicebatur*.) Deinde accedit ad ipsam consecrationem: in qua primò petit consecrationis effectum, cum dicit: *Quam oblationem tu Deus &c.* Secundò consecrationem peragit per verba Saluatoris, cum dicit: *Qui pridie quàm pateretur &c.* Tertiò excusat pręsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: *Vnde & memores Domine &c.* Quartò petit, hoc Sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cum dicit: *supra quæ propitio &c.* Quintò petit huius Sacrificij effectum: primò quidem quantùm ad ipsos sumẽtes, cum dicit: *Supplices te rogamus &c.* Secundò quantùm ad mortuos, qui iam sumere non possunt, cum dicit: *Memento etiam Domine &c.* Tertiò specialiter quantùm ad ipsos Sacerdotes offerẽtes, cum dicit: *Nobis quoq; peccatoribus &c.* (*Quia verò Verba canonis diligentiùs, & attentiùs pronuncianda sunt, & penderanda, quàm cætera: nota, quòd Canon missæ terminatur ante orationem Dominicalem immediatè. Docemur enim, quòd* completur Z Canon Missæ more aliarum Orationum in Christo, ibi: *per Christum Dominum nostrum*: *per quem* hoc Sacramentum originem habet, & quantùm ad substantiam; vnde dicit: *hæc omnia semper bona creas* propter esse naturæ; *sanctificas* propter esse Sacramenti: & quantùm ad virtutem; vnde dicit, *viuificas* propter effectum gratiæ, quæ est vita animæ; *benedicis* propter gratiæ augmentum: & quantùm ad operationem, siue vsum; vnde dicit: *& præstas nobis*. Deinde agitur de perceptione Sacramenti. Et primò præparatur populus ad percipiendũ: primò quidem per orationẽ cõmunẽ totius populi (quæ est oratio Dominica, in qua petimus, panem quotidianum nobis dari:) & etiam priuatam, quam specialiter Sacerdos pro populo offert, cum dicit: *Libera nos quæsumus Domine &c.* Secundò præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo: *Agnus Dei &c.* est enim hoc Sacramentum vnitatis, & pacis. (Petit autem A populus misericordiam, quantùm ad amotionem mali, contra miseriam culpæ, & pœnæ: & pacem, quantum ad consecutionem omnis boni; vnde ter *Agnus Dei* dicitur.) In missis tamen Defunctorum, in quibus Sacrificium offertur, non pro pace præsenti; sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio Sacramenti; primò percipiente Sacerdote, & postmodum alijs dante: quia, vt dicit *Dionysius in 3. Eccles. Hier.* ille, qui alijs diuina tradit, primò debet ipse particeps esse. Vltimò autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post communionẽ) & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus, celebrata cœna cum discipulis, hymnũ dixit, vt dicitur *Mat.* 26. Deinde Sacerdos licen-

X 3. p. 83. 4. c. & fusiùs *in 4. d. 8. exp. tex. & d. 15. 4. 3. q. 1. c. Mat. 26. lit. e. ibi*, hymno.

Introitus Missæ.

Kyrie eleison

Gloria in excelsis.

Collecta.

Lectio & Epistola.

Graduale, vel Tractus: & Alleluia.

Euangelium.

Symbolum fidei.

Tres sacrificij partes.

1. Oblatio. Offertorium.

2. Consecratio. Præfatio.

Memento viuorum.

Communicantes. Y *In 4. loc. cit.*

Quàm oblationem. Verba consecrationis. Vnde & memores &c. Supra quæ propitio &c. Supplices te rogamus &c. Memento mortuorum. Vbi Canon missæ terminetur.

Z *Ibidem.*

3. Perceptio.

Oratio Dominicalis.

Libera nos quæsumus Domine &c. Agnus Dei &c. A *Ibid.*

Pax in Missis defunctorum cur intermittatur.

Post Communio.

Ite, missa est. tiat populum, dicens: Ite, Missa est: *quod fuit superius expositum. Hoc autem in Missa solemni dicit Diaconus: quia* in Conc. Aurelian. *de consecr. dist. 1. cap.* Cum ad celebrandum, *dicitur*: Nullus exire debet de Ecclesia, donec annunciatum sit per ministrum. *Ad hoc sequitur Sacerdotis benedictio: vt procedat in pace populus in nomine Domini*. Sciendum autem A quòd in officio Missæ, vbi Christi passio repræsentatur, quædam continentur verba Græca sicut *Kyrie eleison*, idest, *Domine miserere*: quædam hebraica, sicut *Alleluia*, idest *Laudate Deum*: *Sabaoth*, idest *exercituum*: *Osanna*, idest *salua, obsecro*: *Amen*, idest, *verè*, vel *fiat*: quædam latina, quæ patent: quia his tribus linguis scriptus est titulus Crucis Christi *Io. 19. Et hoc, quia in Mundo tunc* tres B linguæ præ cæteris eminebant, Hebræa quidem propter vnius Dei cultum: Græca propter sapientiam: Latina propter Romanorum potentiam, *ad quos omnes erat effectus passionis Christi deriuandus*.

Benedictio. *A Ibid. loc. cit. fin.*

Cur in missa triplicis generis verba, hebraica, græca, latina.

B Io. 19. l. 4. lit. b.

C *Quoad ea verò, quæ in eodem Sacrificio aguntur: in primis* ea C quæ Sacerdos in Missa facit, non sunt ridiculosæ gesticulationes (*vt blasphemant hæretici*:) fiunt enim ad aliquid repræsentandum. Quòd enim Sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in Cruce. Leuat etiam manus orando, ad designandum, quòd oratio eius dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Cælos*. Et Exod. 17. dicitur, quòd *cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel*. Quòd autem manus interdum iungit, & se inclinat, est suppliciter, & humiliter orantis: & designat humilitatem, & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitos autem iungit post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus Corpus Christi consecratum tetigerat, vt si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur: quod pertinet ad reuerentiam Sacramenti. *Vnde* & ablutio D manuum fit in celebratione Missæ. *Primò* quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consueuimus, nisi manibus ablutis. Vnde indecens videtur, quòd ad tantum Sacramentum aliquis accedat tractandum, manibus etiam corporaliter inquinatis. *Secundò* propter significationem: quia vt Dionysius dicit 3. *Eccles. Hier.* extremitatum ablutio significat emundationem etiam à minimis peccatis. Quod etiam significatur per confessionem, quæ fit ante Introitum Missæ: & hoc idem significabat ablutio Sacerdotum in vet. lege. Non tamen eodem modo obseruatur, sicut tunc: prætermittitur enim pedum ablutio, & seruatur ablutio manuum, sicut quiddam secundùm se conueniens, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem. Cum enim manus sit organum organorum, vt dicitur in 3. *de Anima*, omnia opera attribuuntur manibus: vnde dicitur *in Ps. 25.* Lauabo inter innocentes manus meas, *quod & Sacerdos dicit: cui benè cohæret quod sequitur*: & circundabo Altare tuum, Domine. *Hinc & vinum* E quod ratione suæ humiditatis est ablutiuum, sumit post susceptionem huius Sacramenti ad abluendum os, ne aliquæ reliquiæ remaneant: quod pertinet ad reuerentiam Sacramenti, vt statuitur Extra de celebr. miss. Cap. *Ex parte*. Ea eadem ratione perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat. *Præsertim verò frequenter* Sacerdos F in celebratione Missæ vtitur Cruce signatione, ad exprimendam passionem Christi, quæ ad Crucem est terminata. Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta. Nam primò fuit Christi traditio, quæ facta est à Deo, Iuda, & Iudæis: quod significat trina Crucesignatio super illa verba: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*. Secundò fuit Christi venditio. Est autem venditus Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis: ad quod significandum fit iterum trina crucesignatio super illa verba: *Benedictam, ascriptam, ratam*, Vel ad ostendendum pretium venditionis, scilicet triginta denarios. Additur autem & duplex super illa verba: *vt nobis corpus, & sanguis &c.* ad designandam personam Iudæ venditoris, & Christi venditi. Tertiò autem fuit præsignatio passionis Christi facta in Cœna. Ad quod designandum fiunt tertiò duæ cruces, vna in consecratione Corporis, alia in consecratione Sanguinis, vbi vtrobique dicitur: *Benedixit*. Quartò autem fuit ipsa passio Christi: vnde ad repræsentandum quinque plagas Christi, fit quartò quintuplex crucesignatio super illa verba: *Hostiam puram, hostiam Sanctam, hostiam immaculatam, pane Sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Quintò repræsentatur extensio Corporis, & effusio Sanguinis, & fructus passionis per trinam crucesignationem, quæ fit super illis verbis: *Corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti &c.* Sextò repræsentatur triplex oratio, quam fecit in cruce: Vnam pro persecutoribus, cum dixit: *Pater ignosce illis*. Secundam pro liberatione à morte, cum dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cum dixit: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*. Et ad hoc significandum fit trina crucesignatio super illa verba: *Sanctificas, viuificas, benedicis &c.* Septimò repræsentantur tres horæ, quibus pependit in cruce, scilicet à sexta vsque ad horam nonam: & ad hoc consignificandum fit iterum trina crucesignatio ad illa verba: *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso &c.* Octauò repræsentatur separatio animæ à corpore per duas cruces, subsequenter extra calicem factas. Nonò repræsentatur resurrectio, tertia die facta, per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*: (*Nam, & post resurrectionem*, Pacem *Apostolis Dominus nunciauit, Io. 20.* Et dixit eis: Pax vobis.) Sacerdos autem post consecrationem non vtitur crucesignatione ad benedicendum, & consecrandum, sed solùm ad commemorandam virtutem Crucis, & modum passionis Christi. *Qua vtique de causa in celebrando debet super Altare Crucifixus exponi*. *Porrò* fractio G hostiæ tria significat. Primò quidem ipsam diuisionem Corporis Christi, quæ facta est in passione. Secundò distinctionem corporis mystici secundùm diuersos status. Tertiò distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, vt *Dionysius* dicit 3. Cap. Eccles. Hier. *Quòd verò in tres diuidatur hostia partes*: sicut H Sergius Papa dicit, & habetur *de Consecr. dist.* 2. triforme est corpus Domini. Pars oblata, in calicem missa, corpus Christi, quod iam resurrexit, monstrat: scilicet ipsum Christum, & B. Virginem, vel si qui alij SS. cum corporibus iam sunt in gloria. Pars comesta ambulans adhuc super terram: quia scilicet viuentes in terra Sacramento vtuntur, & passionibus conteruntur, sicut & panis comestus conteritur dentibus. Pars, in Altari vsque ad finem Missæ remanens, corpus in sepulchro: quia vsque in finem seculi corpora Sanctorum in sepulchris erunt, quorum tamen animæ sunt vel in Purgatorio,

C 3. p. 83. 5. ad 5. in 4. d. 12 exp. tex.

Expositio eorum, quæ in missa aguntur.

Extensio brachiorum, inclinationes, & huiusmodi non sine mysterio fiunt.

D Ibid. ad 1.

Ablutio manuum.

Et oris post sumptionem Sacramenti.

E Ibid. ad 10.

F Ibid. ad 3. & 4. & in 4. d. 12. exp. tex.

Frequens Crucesignatio.

G 3. p. 83. 5. ad 7.

Fractio hostiæ quid significet, & eius in 3. partes diuisio.

H Ibid. ad 8. & 9.

torio, vel in Cælo: Hic tamen ritus non seruatur modò, vt scilicet vna pars seruetur vsque in finem missæ, propter periculum. Manet tamen eadem significatio partium: quam quidam metricè expresserunt, dicentes:

Hostia diuiditur in partes: tincta beatos
Plenè: sicca notat viuos: seruata sepultos.

Quidam tamen dicunt, quòd pars in calicem missa significat eos, qui viuunt in hoc Mundo: pars autem extra calicem seruata, significat plenè beatos, scilicet quantùm ad animam & corpus. Pars autem comesta significat cæteros. *Notandum etiam quòd* quinquies H sacerdos vertit ad populum: ad significandum, quòd Dominus in die resurrectionis, quinquies se manifestauit. Salutat autem septies populum, scilicet quinque vicibus se conuertit ad populum, & bis quando se non conuertit, scilicet cum ante præfationem dicit: *Dominus vobiscum*; & cum dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandum septiformem gratiam Spiritus Sancti. Episcopus autem celebrans in festis, in prima salutatione dicit: *Pax vobis*: quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cuius personam repræsentat præcipuè Episcopus.

Quid septemplex salutatio sacerdotis.

H *Ibid. ad 6. In 4. d. 12. exp. tex.*

d *Enimuerò*, quia I in hoc Sacramento continetur ille, qui est totius sanctitatis causa: ideò omnia, quæ ad cosecrationem huius Sacramenti pertinent, etiam consecrata sunt, sicut ipsi Sacerdotes consecrantes, & ministri, & vestes, & vasa, & omnia huiusmodi. Et ideò etiam debet in Altari, & in Domo consecrata celebrari hoc Sacramentum. *Nomine autem Domus, Ecclesia venit*, *Ps.* 92. Domum tuam decet Sanctitudo, Domine. *Et Apostolus* 1. *Tim.* 3. Vt scias quomodo oporteat te in Domo Dei conuersari. *Vnde & in Domo instituit Christus Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui. Legitur enim dixisse discipulis ante cœnam Paschalem celebrandam Luc.* 22. Occuret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis &c. Magister dicit &c. & ibi parate. *Ex quo* regulariter K hoc sacramentum celebrari debet in domo, per quam significatur Ecclesia. Passio tamen Christi non est celebrata intra Ciuitatem Iudæorum, sed sub dio: vt sic totus Mundus se haberet ad passionem Christi, vt domus: quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Iudaicæ, sed erat in vniuerso Mundo fundanda: *vt Crux Christi* (*aiebat* Leo Papa) *non Templi esset ara, sed Mundi*. Domus *ergo*, in qua L hoc Sacramentum celebratur, Ecclesiam significat, sicut & Ecclesia nominatur: quæ & conuenienter consecratur, tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi: tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc sacramentum suscipere debent. Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus ad Hebr. 13. *Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo*. Vnde & consecratio Altaris significat sanctitatem Christi, de qua dicitur Luc. 1. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*. Vnde dicitur de consecr. dist. 1. *Altaria placuit non solùm vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari*: & ideò regulariter non licet celebrare hoc sacrificium, nisi in domibus consecratis. Vnde habetur de consecr. dist. 1. *Nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis*. Propter necessitatem tamen potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, sed tamen de consensu Episcopi. *Debent autem Altaria ex lapide construi*. Sicut *enim* legitur M de consecr. dist. 1. *Altaria, si non sint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur*. Quod quidem competit & significationi huius Sacramenti, tum quia Altare significat Christum; dicitur autem 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*: tum etiam, quia corpus Christi in Sepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad vsum huius Sacramenti: lapis enim & solidus est, & de facili potest inueniri vbique: quod non erat necessarium in veteri lege, vbi fiebat in vno loco Altare. Item N quia debet esse in Ecclesia copia altarium, vt frequentetur hoc mysterium: ideò debet esse materia communis; non autem aurum, vel argentum, vel aliquid huiusmodi, quod non de facili possit haberi. *Et quamuis etiam in veteri lege altaris adhiberetur thurificatio: tali tamen* thurificatione O non vtimur, quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto; vnde non eodem modo vtimur, sicut in lege veteri statutum erat. Pertinet autem hæc ad duo. Primò quidem ad reuerentiam huius Sacramenti, vt scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter praui odoris in loco fuerit, quod posset prouocare horrorem. Secundò pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ; qua sicut bono odore Christus plenus fuit, secundùm illud Gen. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*: & à Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum, secundùm illud 2. Cor. 2. *Odorem notitia sua manifestat per nos in omni loco*. Et ideò vndique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. *Exigitur præterea Calix* (per quem P significatur ipsa passio Christi, quæ repræsentatur in hoc Sacramento, *Mat.* 26. Transeat à me Calix iste, *idest* passio:) *& patena consecrata*. *Et quidem*, sicut Q vnctio solis Sacerdotibus fit, qui proprijs manibus Corpus Christi tangunt: sic etiam calix inungitur, qui continet Sanguinem, & patena, quæ continet Corpus. *Ex qua verò materia conficiantur*, sicut R dicitur cap. *Vasa, de consecr. dist.* 1. quondam Sacerdotes, non aureis, sed ligneis calicibus vtebantur. *Zephyrinus* autem Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit. Deinde *Vrbanus* omnia fecit argentea. Postmodum autem statutum est, vt calix Domini cum patena siue ex auro omninò, siue ex argento fiat, vel saltem calix stanneus habeatur: de ære autem, aut ex auricalcho non fiat, quia hoc vini virtute æruginem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare: quia scilicet lignum porrosum est, & sanguis consecratus in eo remaneret. Vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere. Et eadem ratio est de lapide. Et ideò propter reuerentiam Sacramenti statutum est, vt ex prædictis materijs calix fiat. *Quemadmodum & Corporale* (*idem dic de palla*) fit S de panno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutum. Vnde in Epistola Siluestri Papæ *de consecr. dist.* 1. legitur: *Consulto omnium statuimus, vt Sacrificium Altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo consecrato; sicut Corpus Christi in sindone linea & munda sepultum fuit*. Competit etiam pannus lineus propter sui munditiam ad significandam conscientiæ puritatem: & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem. *Vnde & alibi moraliter erudimur, quòd* in tribus T quæ perducunt Corporale linteum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram munifica-

I *In 4. d. 13. 1. 2. q. 5. c. & 3. p. 83. 3.*

Missæ sacrificium debet in domo, & altari consecratis celebrari.

K *3. p. 83. 3. ad 1.*

L *Ibid. ad 2. 3. 4.*

Altare, & eius consecratio quid significet.

Cur ex lapide.

M *Ibid. ad 5. In 4. d. 13. 1. 2. q. 5. ad 2.*

N *In 4. loc. cit.*

Eius thurificatio.

O *3. p. 83. 5. ad 2.*

Calix cum patena quid significet, & ex qua materia conficienda sint.

P *3. p. ibid. ad 9. Mat. 20. lit. b. ibi, calicem, & c. 26. lit. e. ibi, calix*

Q *In 4. d. 24. 2. 3. c.*

R *3. p. 83. 3. ad 6. In 4. d. 13. 1. 2. q. 5. ad 4.*

S *3. p. l. c. ad 7. & q. 51. 2. ad 3. In 4. d. 13. 1. 2. q. 5. ad 3. Op. 58 c. 15.*

Corporale, & palla ex qua materia.

T *Op. 58. loc. cit.*

Ex hoc moralitas.

dificationem. Primò enim lauatur, secundò torquetur, tertiò exsiccatur. Si quis ad suscipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primò debet per aquam lachrymarum emundari: secundò per opera pœnitentiæ torqueri: tertiò per feruorem amoris Dei à carnalium desideriorum humore siccari.

V 4. d. 24. 3. 3. c.

Sacræ vestes, quid signent.

e *Postremò sacrorum* vestes V ministrorum designant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractandum diuina. Quædam autem vestes sunt omnibus ministris communes: quædam sunt superiorum tantùm. Ideò omnibus ministris competit *Amictus* humeros tegens, quo significatur fortitudo ad diuina officia exequendum, quibus mancipantur. Et similiter *Alba*, quæ significat puritatem vitæ: & *Cingulum*, quod significat repressionem carnis (*Luc.* 12. Sint lumbi vestri præcincti.) Sed *Subdiaconus* vltimus habet *Manipulum* in sinistra, quo significatur extersio minimarum culparum: quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum. Ipsi enim primò ad sacra tractanda admittuntur. Habent etiam tunicam strictam, per quam doctrina Christi significatur. Vnde & in veteri lege in ipsa tintinnabula pendebant. Subdiaconi enim primò admittuntur ad doctrinam nouæ legis annunciandam. Sed Diaconus habet amplius *Stolam* in sinistro humero, in signum, quòd applicatur ad ministerium in ipsis Sacramentis: & *Dalmaticam*, quæ est vestis larga, sic dicta, quia in Dalmatiæ partibus primò vsus eius fuit, ad significandum, quòd ipse primò dispensator Sacramentorum ponitur. Ipse enim Sanguinem dispensat (*secundùm antiquum Ecclesiæ morem primitiuæ*:) in dispensatione autem largitas requiritur. Sed Sacerdoti *Stola* in vtroque humero ponitur, vt ostendatur, quòd plena potestas dispensandi Sacramenta ei datur, non vt ministro alterius. Habet etiam & *Casulam*, quæ significat charitatem: quia Sacramentum consecrat charitatis, scilicet Eucharistiam: *quæ est Sacrificium repræsentatiuum Sacrificii Christi Domini, ex Charitate in Cruce passi, vt præmissum est. Ex quibus omnibus superiùs allatis clarè deducitur, quàm verum sit, quòd* in celebratione X huius mysterij quædam aguntur ad repræsentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici: & quædam aguntur, pertinentia ad deuotionem, & reuerentiam huius Sacramenti (*quod aiebat initio Author.*) *Vt nimirum hinc discas, quali & quanta debeat reuerentia, ac deuotione fidelis Sacro-Sancto Missæ sacrificio interesse, & assistere, vt festis diebus Ecclesiæ mandatum impleat. Sanè præcepto huic minimè satisfacere videtur qui incompositè, & indeuotè assistit, & vtrumque flectere genu detrectans: qui petulanti ibi obtutu fœminas circumspectat: qui toto confabulatur Sacrificio: qui non Sacerdoti attendit oranti, sed secularia, & vana meditatur, ne dicam turpia; quando nempè cogitare debet cruentum pro nostra salute Redemptoris in Cruce Sacrificium, cuius memoriale est in Sacro Altari incruentum, hortante Apostolo ad Hebr.* 12. Aspicientes in Authorem fidei, & Consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem &c. *Et quippe in Dei cultum mundanus homo tepore laborat, vt vel ad hora dimidium, immò quadrantem, Deo iussus in festis vacare, hoc etiam minimum temporis renitatur, qua par est pietate, ad Dei gloriam insumere, adeo quid neque illud iam verum habet, quod Ecclesiasticus prompsit cap.* 33. Dies

Amictus.

Alba. Cingulum.

Manipulus, & vestis subdiaconi.

Stola, & Dalmatica in diacono.

Stola, & Casula Sacerdotis.

X 3. p. 83. 5. fi. c.

Pro missæ auditione moralitas.

festos ad horam celebrauerunt. *De quo plura vide suprà V.* Festus Dies, *& apud Summistas.*

f *Porrò vna dumtaxat Missa ab vno celebranda est Sacerdote.* *Nam* sicut Y habetur *de consecr. dist.* 1. ex decreto *Alexandri Papæ* sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare, quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit. Et valde felix est (*nota*) qui vnam dignè celebrare potest. Qui verò pro pecunia, aut adulationibus secularium, vna die præsumunt plures celebrare Missas, non æstimo euadere damnationem. Et *extra de celebr. Miss.* dicit *Innoc. III.* quòd excepto die Natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficiat Sacerdoti semel in die vnam solummodò missam celebrare. *Et hæc quidem* communiter Z loquendo, debet dici in die, & non in nocte: quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem significatur, Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Dies autem iudicatur non solùm ab ortu Solis, sed ex quo incipiunt orituri Solis signa manifestari per aliquam aeris illustrationem. Tamen in duabus noctibus Missa decantatur, propter priuilegium illarum: scilicet in nocte Natiuitatis, quando Christus natus est; & in nocte Resurrectionis (*secundùm antiquum morem*) vt patet ex oratione: *Deus qui hanc Sacratissimam noctem &c.* quamuis hoc non oporteat semper obseruari. Solemnis autem Missæ celebratio tribus horis instituta est fieri: scilicet in Tertia diebus festis, in Sexta diebus profestis, in Nona diebus ieiuniorum: quia in missa recolitur mors Christi; qui quidem hora tertia crucifixus est lingua Iudæorum, hora sexta manibus militum, & hora nona expirauit. *Quòd si quæras: cur in die Parasceues hoc non celebretur in Ecclesia sacrificium, quod est Dominicæ passionis expressiuum, cum aliàs tres Missæ in Natiuitate celebrentur? Respondet Author, quòd* veniente A veritate cessat figura. Hoc autem Sacramentum est figura quædam, & exemplum Dominicæ passionis; & ideò in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius Sacramenti. Ne tamen Ecclesia, ea etiam die, sit sine fructu passionis, per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum in die præcedenti, reseruatur sumendum in illo die, non autem Sanguis propter periculum, & quia Sanguis specialiùs est imago Dominicæ passionis. In die autem Natiuitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Natiuitatem: quarum vna est æterna, alia temporalis, sed spiritualis; tertia temporalis, & corporalis: (*de quo vide Tom.* 1. V. Christi Natiuitas.)

g *Cæterùm* quantùm B ad Sacramentum, non minùs valet Missa Sacerdotis mali, quàm boni: quia vtrobique idem conficitur Sacramentum (*quod ex opere operato suum semper, quantum in se est, sortitur effectum:*) quantùm verò ad orationem, in quantùm habet efficaciam ex deuotione Sacerdotis orantis, sic non est dubium, quòd missa melioris Sacerdotis magis est fructuosa. In quantum verò profertur à Sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cuius Sacerdos est minister, sic est fructuosa non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis officijs, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licèt orationes eius priuatæ non sint fructuosæ, *secundùm illud Prou.* 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Quoad Sacerdotes autem ab Ecclesia præcisos, dicendum, quòd* si sint C hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam pecca-

Y Ibid. a. 2. ad 5.

Vna ab vno dicatur Sacerdote missa eadem die.

Quo tempore celebranda.

Z 4. d. 13. 1. 2. q. 4. c. & 3. p. l. c. in corp.

A 3. p. 83. 2. ad 2.

Cur non in die Parasceues.

Quare tres in die Natiuitatis.

B 3. p. 82. 6. c. In 4. d. 13. 1. 1. q. 5. c.

An missa Sacerdotis mali minùs valeat quàm missa boni.

C 3. p. 82. 9. c. & q. 64. 9. ad 2. In 4. l. c. 4. 3. q. 3. c.

Num liceat à Sacerdotibus, ab Ecclesia præcisis, vel etiam peccatoribus, Sacramentum recipere, & Missam audire.

peccatores, quamuis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes. Quicumque autem communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur. Vnde in 2. *Can. Io. dicitur*: Qui dicit illi (scilicet hæretico) *Aue, communicat operibus eius malignis*: & ideò non licet à prædictis communionem accipere, aut eorum Missam audire. Differt tamen inter prædictas sectas. Nam hæretici, & schismatici, & excommunicati sunt per sententiam Ecclesiæ executione consecrandi priuati: & ideò peccat quicumque eorum Missam audit, vel ab eis accipit Sacramenta. Sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ, executione huius potestatis priuati: & sic quamuis sint suspensi quantùm ad se ex sententia diuina; non tamen quantùm ad alios ex sententia Ecclesiæ; & ideò vsque ad sententiam Ecclesiæ licet ab eis communionem accipere, & eorum Missam audire. *Specialiùs verò de fornicariis prohibet Canon Cap.* Nullus *dist.* 32. Nullus Missam audiat Sacerdotis, quem indubitanter concubinam nouit habere: *tùm* propter D spiritualitatem, quæ in hoc Sacramento requiritur, *cui opponitur fornicatio; tum quia* licèt E fornicatio non sit grauior cæteris peccatis, tamẽ ad eam proniores sũt homines propter carnis concupiscentiam. Et ideò specialiter hoc peccatum Sacerdotibus prohibitum est ab Ecclesia: & ne aliquis audiat Missam concubinarij Sacerdotis. Sed hoc intelligendum est de notorio, vel per sententiam, quæ fertur in conuictum, vel per confessionem in iure factam, vel quando non potest peccatum aliqua tergiuersatione celari. *Et quidem* quicumque F à tali fornicario publico audit Missam, peccat mortaliter. Quòd si sustinetur à Prælato, propter hoc non excusatur: quia hoc est propter negligentiam, vel propter miseriam, & defectum ipsorum Prælatorum, qui non sunt ausi corrigere alios, cum in se multa corrigenda cognoscant; vel etiam propter timorẽ aliquando: vnde nõ excusatur propter hoc. *Denique eleemosynam etiam pecuniariam ad sustentationem accipere pro Missa celebranda, secundùm Ecclesiæ statuta, simoniacum non est.* Accipere *enim* aliqua G ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum: non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Vnde super illud 1. ad Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri &c.* dicit glossa *Augustini*: Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. *Ex quo* Sacerdos H non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ; hoc enim esset simoniacum: sed quasi stipendium suæ sustentationis, *iuxta illud 1. Cor. 9.* Qui Altari deseruiunt, cum Altari participant. *Verùm* facere I pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper: *si excedat videlicet quantitatem eleemosynæ ab Ecclesia iuxta consuetudinem Patriæ taxatam. De quo, & consimilibus, vide plura in decreto Sac. Congr. Concilii*, Vrbani Papæ Octaui. *authoritate edito sub die 21. Iun. 1625. & nuper 1697. 10. Cal. Ianuar. ab* Innocentio Papa XII. *confirmato: sicut & de tota hac materia apud Authorem Op.* 58. DISCE *tanto sacrificio deuotè assistere, deuotiùs Sacerdos celebrare. Vide* Clericus, Christi mors *Tom.* 1. Defuncti, Ecclesia, Episcopus, Eucharistia, Festus dies *Tom.* 2. Ordo, Sacerdos, Sacramentum.

Specialiter prohibemur audire missam Sacerdotis notoriè concubinarij, & sub mortali.

D In 4. loc. mox cit.

E 3. p. 82. 9. ad 3. In 4. d. 13. l. c. & d. 24. 1. 3. q. 5. Quol. 11. a. 8. c.

F Quol. 11. a. 8. fi. c. & ad 1.

Monitum ad Prælatos.

G 2. 2. 100. 2. fi. c. & q. 78. 2. ad 3. In 4. d. 25. 3. 2. q. 1.

An, & quomodo liceat pecuniam pro missa accipere celebranda.

H 2. 2. 100. 2. ad 2.

I In 4. d. 25. 3. 2. q. 1. ad 4.

MISSIO. *Vide* Apostoli, Christi Baptismus, *Tom.* 1.

MODESTIA. *Vide* Christi educatio, Cultus exterior *Tom.* 1.

MOLLITIES. *Vide* Luxuria *Tom.* 2.

MONOPOLIVM. *Vide* NEGOCIATOR.

MORS.

XVII. Licèt mors sit irremediabile malum: tamen, quia non imminet de prope, non timetur. 1. 2. 42. 6, *ad* 2.

h STatutum est hominibus semel mori, *dicebat Apostolus ad Hebr. 9. neque inter homines vel vnus est, qui ab hocce soluatur debito Ps.* 88. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem? *cum & ipse Christus Deus, & homo, quà homo mori voluerit*, 1. *Pet.* 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. *Idcircò* 2. *Reg.* 14. *dicitur*: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram &c. *Vnde & David Rex, postremum videns sibi adesse diem, dicebat* 3. *Reg.* 2. Ego ingredior viam vniuersæ terræ, *hoc est, omnium hominum: homo enim de limo terræ formatus, in terram iterum resoluendus est, Gen.* 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris. *Et dicit* Ego: *quia licèt Rex, licèt magnus, morti tamen obnoxius, vti & plebeius. Immò & vix natus homo, semimortuus quodammodo dici potest: incipit enim ex tunc paulatim mori, cum de die in diem magis ad mortem disponatur, Sap.* 5. Sic & nos nati continuò desiuimus esse. *Quod quidem dicitur* vel L propter breuitatem vitæ: quod enim parum est, quasi nihil esse videtur, vt dicitur *in 2. Physic.* vel quia dies, ad vitam determinati à Deo, continuè labuntur. *Hinc. Iob* 7. Nihil sunt dies mei. *Et cap.* 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur, & conteritur. *Et c.* 17. Dies mei breuiabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. *Et modernus ille*: Dalla culla alla tomba è un breve passo. *Ex quo, ad illud Abraha pro sepelienda vxore ad filios Heth*: Date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum, *Genes.* 23. Valdè M notabile est (*inquit Author*) quòd prima terra, quam de iure sibi acquisiuit, & acquirere voluit Abraham; immò & prima, quæ in Scriptura empta legitur, fuit sepulchrum. Hoc enim de iure homini lapso competit: nec aliud hic nobis est quærendum, aut habendum. *Sicut namque mors vniuersos sua indiscriminatim falce præcidit, ita & sepulchrum omnes solò æquat, & omnia, Iob.* 21. Iste moritur robustus, & sanus, diues, & felix: alius verò moritur in amaritudine animæ absque vllis opibus. Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos. *Vbi docemur.* Cum sic N diuersificentur in vita, non potest dici, quòd saltem in

ijs,

Mors omnibus communis hominibus.

Humanæ vitæ breuitas.

L 2. d. 19. exp. tex. circ. fin.

M Gen. 23. ibi.

Prima terra, quæ in Scriptura empta legitur, fuit Sepulchrum.

Mors, & sepulchrũ omnes, & omnia æquant.

N Iob. 21. l. 2. ibi & cap. 10. l. 3. ibi, nullus ordo.

ijs, quæ ſunt poſt mortem diuerſa ad corpus pertinentia eorum ſois commutetur: æqualiter enim eorum corpora diſponuntur poſt mortem: *ſimul in puluere dormient*, ideſt æqualiter in terra ſepelientur: *& vermes operient eos*; ideſt æqualiter eorum corpora putreſcent. *Igitur naturalis hominis defectus eſt mors*. Neceſſitas *enim* moriendi O homini ex natura eſt (*non excluſa tamen cauſa peccati, de qua Num. ſeqq.*) quia corpus hominis compoſitum eſt ex contrarijs, quæ nata ſunt agere, & pati ad inuicem, ex quo accidit diſſolutio compoſiti. *Quomodo autem hoc eueniat, facilè innoteſcit, ſi duo conſiderentur naturæ defectus*. Primus *ſiquidem* defectus P eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum: & contra hunc defectum ſubuenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus autem defectus eſt, quia vt Philoſophus dicit *in 1. de Gener.* illud, quod generatur ex aliquo extraneo, adiunctum ei quod prius erat humido præexiſtenti, imminuit virtutem actiuam ſpeciei: ſicut aqua adiuncta vino, primò quidem conuertitur in ſaporem vini; ſed ſecundùm quod magis & minis additur, diminuit vini fortitudinem; & tandem vinum fit aquoſum. Sic igitur videmus, quòd in principio virtus actiua ſpeciei eſt adeò fortis, quòd poteſt conuertere de alimento non ſolùm quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam quod ſufficit ad augmentum. Poſtmodum verò, quod aggeneratur, non ſufficit ad augmentum (*quod eſt circa annum 21.*) ſed ſolùm ad reſtaurationem deperditi. Tandem verò in ſtatu ſenectutis nec ad hoc ſufficit. Vnde ſequitur decrementum, & finaliter diſſolutio corporis, *quæ mors eſt*.

Mors naturalis hominis defectus.

O 3.d.16. 1.1. c. & ad 5. In 2. d. 19. 1 2. & exp. tex. Rom. 5. l. 3. & cap. 6. fin. cap. Hebr. 9. fin. cap.

P 1.p.97.4. c. In 2. d.19.1. 4.c. Ver. 18. 6. ad 7.

Quomodo mors naturaliter accidat.

i *Quoniam verò multa ſunt ſecundæ cauſæ, præter naturalem diſſolutionem, ex quibus ſequitur mors (quæ tamen poſt tantum dierum ſpatium cuilibet homini à prima cauſa ſtatuta eſt, Iob 14.* Numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. *Et Pſ. 38.* Menſurabiles poſuiſti dies meos:) *idcircò dies mortis, niſi à Deo reueletur, ſingulis hominibus eſt incertus: certò enim nouit ſe quiſque moriturum, ignorat nihilominus, quando*. Nihil Q morte certius, *aiebat Anſelmus*, ſed nihil incertius hora mortis. *Adeoque incerta eſt illa dies, vt ne ſecuri quidem vitæ pro craſtino ſimus, Iob 7.* Si manè me quæſieris, non ſubſiſtam. *Quaſi dicat*. Non poſſum R repromittere mihi tempus vitæ vſque in mane, ne dum longa vitæ ſpatia, in quibus expectare poſſim, quòd mihi Domine parcas. *Et cap. 32.* Neſcio quandiu ſubſiſtam: & ſi poſt modicum tollat me Factor meus. *Quandiu ſubſiſtam*, ſcilicet S in hac mortali vita, vt poſſim mihi diuturna ſpatia temporis ad pœnitendum repromittere. *Et ſi poſt modicum &c.* ſcilicet per mortem aſſumat ad ſuum iudicium. *Sed & Dominus Mat. 24.* Vigilate (*inquit*) quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. *Ex quo docemur, quòd* Dominus T venit dupliciter. In fine mundi veniet ad omnes generaliter. Item venit ad vnumquemque in fine ſuo, ſcilicet in morte. Ergo duplex eſt aduentus: in fine Mundi, & etiam in morte; & vtrumque voluit eſſe incertum. Et iſti aduentus ſibi reſpondent: quia talis inuenitur quis in ſecundo (*nota*) qualis fuerit in primo. *Auguſtinus*. Imparatum inuenit illum Mundi nouiſſimus dies, quem imparatum inueniet ſuus vltimus dies. *Et hinc dies mortis, dies Domini dicitur 1. Theſſ. 5.* Dies Domini ſicut fur in nocte. *Quia nimirùm* ſunt *quidem* omnes V dies Domini, Pſ. 118. *Ordinatione tua perſeuerat dies*; ſed iſte ſpecialiter eſt *dies Domini*, quia facit in omnibus ſuam voluntatem: quæ impletur in bonis, quia perducuntur ad finem præſcitum à Deo, ſcilicet ad ſalutem, 1. Tim. 2. *Vult omnes homines ſaluos fieri*: in malis, quia punientur Pſ. 74. *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*. Iſte ergo dies veniet *ſicut fur*, ideſt ex impræmeditatione, 2. Pet. 3. *Adueniet dies Domini, vt fur*; & Apoc. 3. *Veniam ad te tanquam fur* (*qui nunquam ſcilicet expectatur*) *& neſcies qua hora veniam ad te*. Quomodo autem dies dicitur venire *in nocte*? Sed ſciendum, quòd vtrumque eſt: quia *in die* venit propter manifeſtationem cordium, 1. Cor. 4. *Quoad vſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*: ſed *in nocte* propter incertitudinem, Mat. 25. *Media nocte clamor factus eſt; ecce ſponſus venit*. Incertum enim eſt, qua hora erit. *Vanè igitur tali cum incertitudine dies ſibi longæuos homo promittit. Vanè inquam, & præſumptuosè*: hæc enim X repromiſſio eſt nequam, quia repromittens ſibi vſurpat quod eſt Dei, ſcilicet diſponere de tempore futuro, Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Talis fatuiſſimè agit, cùm hora mortis incerta ſit, Mat. 24. *Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat*. Plures moriuntur ante ſenectutem, quàm ſenes: plures pelles agnorum feruntur ad forum, quàm ouium. *Seneca*. Iuuenes mortem habent à tergo: ſenes ante oculos. Non minùs timendus eſt hoſtis, qui eſt à tergo, quàm qui eſt ante oculos (*immò magis*.) *Ambroſius*. Mors Y eſt iuuenibus in inſidijs, quæ ſenibus eſt in ianuis. Faciliùs *ex Tullio* in morbos adoleſcentes incidunt, grauiùs ægrotant. Mors etiam adoleſcentium eſt grauior. Ratio eſt: quia mors contingit adoleſcentibus, aduerſante, & repugnante natura; & ideò grauiùs: ſenibus verò venit quaſi ſponte, nulla vi habita; & ideò leuiùs. Sicut ergo poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi auelluntur; ſed matura, & cocta decidunt: ſic vis adoleſcentibus vitam aufert, ſenibus maturitas.

Dies mortis incertus.

Q Op. de er. Pr. l.5.c.46.

R Iob.7. l.4. fin.

S Iob 32. fin. cap.

Duplex Domini aduentus.

T Mat. 24. lis.d ibi, Pet.5, 6. ad 3. Op.3.c. 174. fin. Hebr. 10. l.4. ibi, adhuc modicū.

V 1. Theſſ. 5. l. 1. ibi, Op.2. c. 9. fin. Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi, fur.

Dies mortis, cur dies Domini dicatur.

Et ſicut fur in nocte.

X Op. de er. Pr. l. 5.c.8.

Præſumptuosè quis ſibi longum vitæ tempus repromittit.

Plures moriuntur iuuenes, quàm ſenes.

Y Op. de er. Pr. l.5.c.46.

l *Adeò autem horridum eſt ſpectrum mortis, vt vel ſola illius cogitatio ſumma animum amaritudine afficiat, Eccli. 41.* O' mors, quàm amara eſt memoria tua! *Nec mirum: eſt enim mors ex Philoſopho in tertio Ethic.* finis terribilium; *proinde* maxima Z pœnarum, in quantùm ſubtrahit primum bonum, ſcilicet eſſe, cum quo omnia alia ſubtrahuntur. *Vnde & ſecundùm* affectum A naturalem anima refugit ſeparationem à corpore: qui adeò eſt homini naturalis, quòd nec etiam Petro ſenectus abſtulit, vt *Auguſtinus* dicit ſuper Ioannem. *Quod & in Chriſto, quoad inferiorem appetitum, & voluntatem, vt aiunt natura, fuit*. In hoc enim B quod dixit: *Tranſeat à me calix iſte*, motum inferioris appetitus, & naturalis deſiderij deſignat, quo naturaliter quilibet mortem refugit, & appetit vitam. *Cum ego res ita ſe habeat, & nonniſi per accidens ab aliquibus, qui miſeram vitam agunt, mors appetatur*, in quantùm C retardantur ab aliquo bono magis amato per vitam corporalem; ſicut in quærentibus aliam vitam accidit (*quales ſunt iuſti & Sancti*) vel in quantùm per corporalem vitam ipſorum aliquo modo conſequuntur aliqua mala, quibus carere meliùs æſtimant, quàm vitam corporalem habere: *cum res inquam ita ſit, vnde eſt, quòd mors, horribilis adeò & terribilis, vt plurimùm ab hominibus non timetur? At* conſiderandum eſt D quòd malum naturæ quandoque eſt à cauſa naturali; & tunc dicitur malum naturæ, non ſolùm quia priua-

Mors maxima pœnarum.

Z 4 d.44.3.1. q.2. ad 3. Ver. 26.6. ad 8.

A Vers.2.11. ad 8. locis citandis B. & C.

B Op. 3. c. 233 & 3.p.21. 4 & 46.2. ad 2. In 3.d.17.1. 3.q.4. Hebr.5. l.1 fi. Mat.26. lis.c. ibi.

Quilibet ſecundùm affectum naturalem mortem refugit, quod & in Chriſto fuit.

C 3.d.28. exp. tex. & d.17. exp. tex. In 4 d. 44.3.1. q.2. ad 3. Ver.26.6. ad 8. Iob.3 l.3. ſub initio.

Cur vt in pluribus non timeatur ab hominibus mors

D 1.2.42 2.c.

priuatur naturæ bonum, sed etiam quia est effectus naturæ, sicut mors naturalis, & alij huiusmodi defectus. Aliquando verò malum naturæ prouenit ex causa non naturali, sicut mors, quæ violenter infertur à persecutore. Et vtroque modo malum naturæ quodammodo timetur, & quodammodò non timetur. Cum enim timor proueniat ex phantasia futuri mali (vt dicit Philosophus in 2. *Reth.*) illud quod remouet futuri mali phantasiam, excludit etiam timorem. Quòd autem non appareat aliquod malum, vt futurum, potest ex duobus contingere. Vno quidem modò ex hoc, quòd est remotum, & distans: hoc enim propter distantiam imaginamur vt non futurum; & ideò vel non timemus, vel parùm timemus. Vt enim Philosophus loc. cit. dicit: *Quæ valdè longè sunt, non timentur.* Sciunt enim omnes, quòd morientur: sed quia non propè est; nihil curant. Alio modo æstimatur aliquod malum, quod est futurum, vt non futurum, propter necessitatem, quæ facit ipsum æstimari vt præsens. Vnde Philosophus dicit *in 2. Reth.* quòd illi, qui iam decapitantur, non timent, videntes sibi necessitatem mortis imminere: (*sed tristantur*;) Ad hoc autem, quòd aliquis timeat, oportet adesse aliquam spem salutis. Sic igitur malum naturæ non timetur, quia non apprehenditur, vt futurum. Si verò malum naturæ, quod est corruptiuum, apprehendatur, vt propinquum, & tamen cum aliqua spe euasionis, tunc timebitur. *Ex quo* in damnatis E non est propriè timor: nam timor nunquam est sine aliqua spe euasionis, quæ omninò in damnatis non erit. *Benè ergo prompsit ab initio Author:* Licèt mors F sit irremediabile malum: tamen, quia non imminet de propè, non timetur.

Timor vnde proueniat.

Mors non timetur, quia distans apprehenditur.

Quid ad timorem exigatur.

E 1.2. 67.4. ad 2.

F 1.2. 42.6. ad 2.

m *Et nihilominus, vt quotidiana experientia docemur, non pauci sunt, quibus vltimus instat dies, qui præsenti allecti corporali, siuè temporali quacumque prosperitate, longè abesse existimant: cum tamen verissimum sit Apostoli effatum* 1. *Thess.* 5. Cum dixerint, *Pax, & securitas*, tunc repentinus eis superueniet interitus. *Pax* quantùm G ad præsentia; idest, dum tranquillè viuunt, sic decipiuntur, *Sap.* 14. In magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala (*temporalia nimirùm*) pacem appellant. *Et securitas* quantùm ad futura, *Luc.* 12. Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. *At vide quod subditur*: Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetent à te. *O quot desidiosorum hominum, inter nocturnas peccatorum tenebras, ex improuiso, immò subitaneè, animæ repetuntur! Consulat igitur sibi peccator, & quæ potest sibi imminere, & fortè imminet, mortis imaginem vel in se ipse contempletur, ne imparatum inueniat dies Domini. Id quod prudenter faciebat, quanquam iustus, Iob: qui dicebat cap.* 17. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris straui lectulum meum. Putredini dixi. *Pater meus es: mater mea & soror mea*, vermibus. *Infernus domus mea est*, idest H sepulchrum, quod vocat *Infernum*, quia intra terram situatur. Homo autem in sepulchro iacens, tenebras patitur, tum propter defectum sensus, tum etiam propter defectum exterioris lucis. Et ideò dicit: *in tenebris straui lectulum meum.* Sicut autem homo nascens, à parentibus originem sumit, ex qua cum eis affinitatem contrahit: ita post mortem in sepulchro iacens, in putredinem, & vermes resoluitur, quæ ex eius corpore generantur. Et ideò subdit: *Putredini dixi*: Pater meus es. Mater mea & Soror mea, *verbimus*. Quasi dicat. Cum nulla alia re temporali remanebit mihi affinitas in sepulchro, nisi cum putredine, & vermibus. *In hoc sepulchri lectulo quiescebat Iobi animus, eiusque consideratio, nonnisi in sui putredine cadaueris versabatur. Hac quippè fixa meditatione magnam sibi quisque adferet spiritualem vtilitatem: de qua fusè* Num. seq. DISCE *temporalem mortem metuere, ne experiaris æternam.*

Moralitas.

G 1. *Thess.* 5. l. 1. ibi.

Cum Iob meditandum sepulchrum.

H *Iob* 17. l. 2. ibi.

XVIII. Differentia est inter mortem iusti, & peccatoris: quia, vt dicitur Prou. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes.* Quia enim peccator spem habet in istis rebus transitorijs, ideò spem non habet in æternis. Sed iustus habet spem in æternis, & non in terrenis. 2. *ad Tim.* 4. *l.* 2. *ibi*, bonum.

n Dictum est præced. Num. *quòd mors est homini naturalis, ex eo quòd ex contrarijs componitur: nec tamen excluditur per hoc, quòd & peccato prouenerit. Vnde Rom.* 5. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. *Per peccatum mors*, scilicet I in hunc mundum intrauit, secundùm illud Sap. 1. *Iustitia perpetua est, & immortalis.* Videtur autem, quòd mors non sit ex peccato, sed magis ex natura, vtpotè proueniēs ex necessitate materiæ. Est enim corpus humanū ex contrarijs compositum; vnde est naturaliter corruptibile. Dicendum est autem, quòd natura humana dupliciter considerari potest. Vno modo secundùm principia intrinseca: & sic mors est ei naturalis. Vnde *Seneca* dicit, quòd *mors natura est hominis, non pœna.* Alio modo potest considerari natura hominis, secundùm quod per diuinam prouidentiam fuit ei per iustitiam originalem prouisum. Quæ quidem iustitia erat quædam rectitudo, vt mens hominis esset sub Deo, & inferiores vires essent sub mente & corpus sub anima, & omnia exteriora sub homine: ita scilicet, quòd quandiù mens hominis Deo subderetur, vires inferiores subderentur rationi, & corpus animæ, indeficienter ab ea vitam recipiens; & exteriora homini, vt scilicet omnia ei seruirent, & nullum ex eis nocumentum sentiret. Hoc autem prouidentia diuina disposuit propter diuinitatē (*nota*) animæ rationalis, quæ cum naturaliter sit incorruptibilis, debebatur sibi incorruptibile corpus: sed quia corpus, quod est ex cōtrarijs cōpositum, oportebat esse organum sensus; & tale corpus secundùm naturam suam incorruptibile esse non potest: suppleuit potentia diuina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter: sicut faber si posset, daret ferro, ex quo cultellum fabricat, virtutem, vt rubiginem nullam contraheret. Sic ergo postquàm mens hominis per peccatum est à Deo auersa, amisit virtutem continendi inferiores vires, & etiam corpus, & exteriora: & sic incurrit mortem naturalem à causis intrinsecis, & violentiam ab exterioribus nocumentis. *En quomodo mors, & ex natura, & ex peccato in homine prouenit. Videtur autem prasatis contrariari quod ait Apostolus ad Hebr.* 9. Statutum est hominibus semel mori; *Si enim per peccatum mors, solummodo ex suppositione peccati, non simpliciter*, Statutum erat mori; *dicitur enim Sap.* 1. Deus mortem non fecit: impij autem manibus, & verbis accersierunt illam. *Verumtamen* cohærenter

I Rom. 5. l. 3. ibi In 2. d. 19. 1. 2. & exp. tex. In 3. d. 15. 1. 1.

Quomodo mors & ex natura sit, & ex peccato.

Natura humana dupliciter considerатur.

Iustitia originalis quid esset.

Anima rationalis diuinum quid.

L Hebr. 9. fin. cap. & loc. citatis.

Tria in morte considerantur.

rentet ad præfata, dicendum est L quòd in morte tria sunt consideranda. Primò scilicet causa naturalis: & quantùm ad hoc, ex conditione naturæ statutum est hominem semel mori, in quantùm componitur ex contrarijs. Secundò donum inditum: & quantùm adhoc, in conditionem datum est homini beneficium originalis iustitiæ, per quam anima continebat corpus, vt posset non mori. Tertiò meritum mortis: & sic homo peccando meruit illud beneficium amittere; & ita mortem incurrit. Vnde dicitur, quòd *impii manibus*, pomum scilicet vetitum contrectando, *accersierunt mortem.* (*Et alibi*: Impij M scilicet Adam, & Eua, *manibus*, quas extenderunt ad pomum, *& verbis*, quibus Eua suggessit Adæ, vt de pomo comederet, & quibus malè respondit diabolus, *accersierunt illam*.) Homo ergo demerendo, causa est mortis; sed Deus vt Iudex, Rom. 6. *Stipendia enim peccati mors*. Dicuntur N autem *stipendia* mercedes militum à *stipe* pendenda, idest ponderanda: quia pecunia distribuenda militibus ponderabatur. Quia ergo peccatores peccato militant, *membra sua exhibentes arma peccato*, vt dicitur eodem *Rom. 6.* mors dicitur *stipendium peccati*, idest retributio, quam retribuit tibi seruientibus. Et ex hoc manifestum est, quòd mors sit finis peccatorum, non quem peccantes quærunt, sed qui eis retribuitur, *Psalm.* 10. Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. *Et hinc innotescit, quòd deordinatio animæ, inferiorumque virium, mors, ac cæteri corporales defectus in homine, effectus sunt originalis peccati. At verò* aliquid O est causa alterius dupliciter. Vno quidem modo per se, alio modo per accidens. *Per se* quidem est causa alterius quod secundùm virtutem suæ naturæ, vel formæ producit effectum: vnde sequitur, quòd effectus sit per se intentus à causa. Vnde cum mors, & huiusmodi defectus (sint præter intentionem peccantis, manifestum est, quòd peccatum non est per se causa istorum defectuum. *Per accidens* autem aliquid est causa alterius, si sit causa remouens, prohibens, sicut dicitur *in 8. Physic.* quòd diuellens columnam, per accidens mouet lapidem columnæ superpositum. Et hoc modo peccatum primi parentis est causa mortis, & omnium huiusmodi defectuum in natura humana: in quantùm per peccatum primi parentis sublata est originalis iustitia, per quam non solùm inferiores animæ vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu. Et ideo subtracta hac originali iustitia per peccatum primi Parentis, sicut vulnerata est humana natura quantùm ad animam per deordinationem potentiarum: ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: vnde etiam mors, & omnes defectus corporales consequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati. Et quamuis huiusmodi defectus non sint intenti à peccante, sunt tamen ordinati secundùm iustitiam Dei punientis. *Et hac quidem corporalis pœna mortis ad animam spectat, eo quòd* mors P in quantùm est pœna originalis peccati, causatur ex hoc, quòd anima amisit virtutem, qua posset suum corpus continere immune a corruptione: & sic etiam illa pœna principaliter pertinet ad animam.

M Apoc. 14. com. 2. §. 5. suo initio.

N Rom. 6. fi. cap.

Quo sensu dicatur *stipendia peccati mors*.

Stipendium quid, & vnde.

O 1. 2. 85. 5. c. In 2. d. 30. 1. 1. & 2. 2. 164. 1. & 2. Ma. 5. 4. & 5. c.

Mortis, & aliorum corporalium defectuum quomodo peccatum sit causa.

Quid causa per se, quid per accidens.

Mors, & alii defectus hominis sunt pœna peccati.

P Mal. 4. 3. ad 4.

Q Op. 3. c. 239. initio.

Duplex mors, & duplex vita hominis; spiritualis, & corporalis.

o *Ex præfatis autem deducitur, quòd* duplex est Q hominis mors, & duplex vita. Vna quidem mors est corporis per separationem ab anima (*quæ corporalis dicitur*:) alia per separationem à Deo (*quæ spiritualis vocatur*.) Similiter per oppositum intelligitur duplex vita. Vna quidem corporis ab anima, quæ dicitur vita naturæ: alia à Deo, quæ dicitur vita iustitiæ, vel vita gratiæ. *At longè proculdubio deterior spiritualis mors, quàm corporalis.* Mors enim est R priuatio vitæ. Mors ergo, quantò meliori priuat, tantò est peior. Priuat autem spiritualis mors animam vita gratiæ, quæ est optima, quia est per Deum: ergo pessima est. *Et ideò benè dicitur quoad vtramque mortem Ps. 33.* Mors peccatorum pessima. *Qua de causa ad duos impudicos senes dicebat Susanna Dan. 13.* Angustiæ sunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Quasi diceret: Peccatum deterior est mors, quàm corporalis occisio; idcircò deteriorem mortem euitare elige, scilicet spiritualem, & corporalem incurrere. Enimuerò* assimilatur S mors animæ morti corporis in multis. Sicut enim corpus primò distemperatur, postea infirmatur, deinde moritur, postea effertur, postea sepelitur, deinde lapide operitur: Ita anima primò distemperatur per malam cogitationem, postea infirmatur per noxiam delectationem, postea moritur per consensum, postea effertur per operis efficaciam, postea sepelitur per consuetudinem, ad vltimum operitur per obdurationem. Item sicut mors corporis lædit in vita, ita & mors animæ. Primò enim mors corporis separat ipsum ab anima, & mors animæ separat ipsam à Deo, Is. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* Item mors corporis separat à Parentibus, & amicis carnalibus: & mors animæ ab Angelis, & à Sanctis, 1. Reg. 15. *Siccinè separat amara mors!* Item mors corporis facit amittere diuitias Mundi, & mors animæ aufert diuitias Cœli, Thren. vlt. *Hereditas nostra versa est ad alienos; domus nostra, ad extraneos.* Item mors corporis priuat visum corporalem, & mors animæ visum, & omnem sensum spiritualem, Ps. 48. *Vsque in æternum non videbit lumen.* Item mors corporis dolorem facit, & mors animæ maiorem, Eccli. 41. *O mors, quàm amara est memoria tua h[...]ini pacem habentur in substantiis suis.*

Spiritualis mors longè corporali deterior.

R Ps. 33. lit. n. & Dan. 13. ibi, Mors mihi est.

S Apoc. 2. Com. 2. §. 2. ibi, à morte.

Mortis animæ cum morte corporis multiplex comparatio.

p *Quia verò mors animæ est separatio animæ à Deo: hinc duplex adhuc intelligitur animæ mors, prima videlicet & secunda, Apoc. 2.* Qui vicerit, non lædetur à morte secunda, *idest* à morte T æterna. Prima mors animæ est in peccatis, secunda in pœnis: (*quæ suo tempore & ad corpus extenduntur.*) Vna in culpa, alia in gehenna: *pœna enim, culpæ respondet, & debetur. Sanè* peccatum V mortale quantùm ad aliquid est simile morti: & quantùm ad aliquid, ægritudini. In quantùm enim separat à Deo, qui vita est, mortis similitudinem habet; & hæc est *mors prima*. In quantùm autem adhuc manet possibilitas redeundi ad vitam, habet similitudinem ægritudinis ducentis ad mortem condemnationis, quæ est *mors secunda*. Quæ omninò similitudinem mortis retinet, dum per eam homo à Deo separatur, & ad vitam gratiæ possibilis reditus non est. Sicut autem in ægritudinibus corporalibus quædam sunt curabiles, quædam autem non, quantùm est de natura morbi; & hæ dicuntur infirmitates *ad mortem*: Ita etiam in peccatis, illa tantùm peccatorum mortalium *ad mortem* dicuntur, quæ quantùm in se est, irremissibilia sunt (*vt dicitur de peccato in Spiritum Sanctum*:) Dicitur autem peccatum esse mortale à morte prima:

T Ibid. ibi, & c. 20. §. 4. ibi, & mors, *& com. 1.*

Duplex adhuc animæ mors prima & secunda.

V 2. d. 43. 1. 2. ad 5.

Mors prima & ægritudo dicitur, & mors: secunda, mors simpliciter.

prima: sed *ad mortem* per mortem secundam. *Et hinc est, quòd horribilis redditur corporalis mors, quia nimirùm* anima X quemcumque finem sibi vltimum præstituisse inuenitur in statu mortis, in eo fine perpetuò permanebit, appetens illud, vt optimum, siue sit bonum, siue sit malum, secundùm illud Eccle. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Momentum *profectò illud est*, in quo pendet æternitas, *vel beatitudinis, vel supplicii. Et tunc quidem totus est ad animæ interitum maligni tentatoris conatus. Vnde & illud de iustis Ps.* 36. Et eruet eos à peccatoribus &c. *exponitur*: scilicet Y à dæmonibus in morte, quia tunc dæmones veniunt, quærentes, si aliquid suum inueniant. *Siquidem* opera illorum (*vt dicitur Apoc.* 14.) sequuntur illos *vel ad æternam fœlicitatem, si bona fuerint, Luc.* 16. Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; *& Eccle.* 11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum: *Vel ad perenne supplicium, si fuerint mala, Luc. ibid.* Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno; *& Ezech.* 32. Descenderunt ad Infernum cum armis suis, *idest* cum affectionibus Z prauis, *malisque operibus, quæ Rom.* 6. arma iniquitatis *vocantur. Iustis autem vel ipsa mors, quæ malum quoddam est, in proprium meritum cedit.*

X Op. 3. c. 174. fi. & Mat. 24. lit. d. Pet. 5. 6. ad 3.

Vnde mors corporalis horribilis.

Y Ps. 36. fin.

Diabolus specialiter in morte insidiatur.

Opera hominum sequuntur illos post mortem.

Z Quol. 3. a. 24. c. & Quol. 8. a. 17. c. Io. 8. l. 3. lit. a. Rom. 6. l. 3. ibi, arma.

Quemadmodum A enim (*ex Augustino* 15. *de Ciu. Dei*) iniusti malè vtuntur, non tantùm malis, verùm etiam bonis: ita iusti benè vtuntur, non tantùm bonis, sed etiam malis. Hinc fit, vt & mali malè lege vtantur, quamuis lex sit bonum: & boni benè moriantur, quamuis sit mors malum. In quantùm igitur Sancti benè morte vtuntur, fit eis meritoria. *Pro cuius maiori claritate sciendum, quòd* mors B naturalis est pœna consequens originale peccatum, vt quasi iam in naturam sit versa, sicut originale peccatum: & ideò per mortem naturalem non purgatur aliquis de peccato actuali, sed per mortem illatam benè potest purgari. Vnde si aliquis mortem illatam patienter sustineat, etiamsi pro alijs criminibus sit illata (*nedum in protestationem fidei, aut alterius virtutis, vt in martyribus*) valet ad diminutionem pœnæ, & ad liberationem à tota pœna, secundùm quantitatem culpæ, & patientiæ, & contritionis. *Quod pro illis, qui ad supplicium damnantur, valdè notandum. Quamuis tamen mors naturalis in satisfactionem esse non possit: potest nihilominùs patienter tolerata ad meritum facere, vt premissum est.*

A 2. 2. 164. 1. ad 6.

Mors Sanctis meritoria.

B 4. d. 20. 1. 1. q. 3. ad 3. & d. 21. 1. 3. q. 2. ad 3. & 2. 2. 2) 6. ad 2.

Naturalis mors non est satisfactoria, sed tantùm illata.

Qui supplicium mortis etiam pro criminibus iustè sustinet, sed patienter, potest vel à tota pœna liberari peccatis debita.

q *Metuendus igitur corporalis mortis dies, vt exinde à morte prima, quæ est peccatum, ex quo & secunda, quæ æterna pœna est, retrahamur. Metus enim mortis frænum quoddam est, ne præcipites in peccatum ruamus, sine quo facillimè in grauia flagitia prolabimur. Idcircò, vt primos parentes diabolus ad peccandum induceret, timorem mortis auertit, Gen.* 3. Nequaquam morte moriemini: *nempe* vt C in transgressionem præcepti faciliùs inclinaret, exclusit mendaciter metum mortis. *Profectò, sicuti pharmacum, quod amarum est; at libenter sumitur, quia vtile ad corporalem salutem: ita mortis* quam amara *quidem* est memoria; *sed quia animæ saluti est proficua, libenti animo meditanda. Et ò vtinam mente in sepulchro iugiter moraretur peccator, sicut homo ille* Marc. 5. *à spiritu immundo vexatus, qui domicilium habebat in monumentis! Forsitan enim ab immundo fornicationis spiritu tali meditatione liberaretur: iustus verò in peccatum aliquando non caderet. Et hoc est, quod dicitur Mat.* 11. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent. *In cilicio* inquam, *& cinere*: quia D duo inducunt ad pœnitentiam. Vnum est recordatio delictorum; & hoc significatur in cilicio, quod fit de pilis caprarum: istud enim animal immolabatur pro peccato. Aliud est consideratio mortis, & conditio humanæ fragilitatis; vnde dicitur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et Iob. 42. *Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere*, in signum scilicet E fragilitatis naturæ corporeæ: conuenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis. *Hinc Psaltes Ps.* 43. Non recessit retrò cor nostrum &c. *Non recessit* per dimissionem F charitatis: *& non declinasti semitas nostras à via tua*; quasi dicat: non permisisti nos declinare in ijs, quæ sunt carnis. *Et mox rationem adducit*: quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis; *idest* iudicium futuræ mortis. *Sic enim humiliatur homo coram Deo; vnde & sequitur*: Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, *quæ mundi prosperitate superbit. Idcircò monebat Sapiens Eccle.* 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Et pia mater* Ecclesia G in principio Quadragesimæ: *Memento, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Debet enim homo se cinerem reputare propter propinquitatem, & certitudinem, quam habet adhoc, quòd in cinerem redigatur. Sic enim loqui solet Scriptura Sacra, vt aliquid, quod futurum est, dicat iam esse propter propinquitatem, & certitudinem Specialiter verò mortis memoria iuueni est necessaria. Vnde post illud Thren. 3. *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua*, subditur: *Ponet in puluere os suum*, Eccli. 21. *In corde sapientium os illorum.* Os ergo in puluere ponit qui cogitat, quòd puluis sit. In hac meditatione proijcienda est cupiditas, & vanitas seculi. Vnde *Leu.* 1. præcepit Dominus, vt faciens holocaustum de turturibus, vel pullis columbæ, proijceret vesiculam gutturis, & plumas in locum cinerum. Holocaustum facit de turture qui dat se Deo, vt ei seruiat in claustro: de columba facit holocaustum qui dat se Deo, vt ei seruiat in mundo. Turtur enim amat solitudinem, columbæ gregatim volant. Vesicula gutturis, quæ est quasi horreum auium, cupiditatem designat: pluma verò leuitatem. *In locum cinerum vesiculam proiicit* qui consideratione mortis suæ cupiditatem à se abijcit (*& vanitatem, plumas proiiciens*) non curans acquirere, quæ breui perdat, & à quibus perdatur. Memoria mortis hinc valet ad contemptum mundi. *Facilè (aiebat Hieronymus) contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum*, Eccle. 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* In morte enim vanitatis arguitur *omne quod est in Mundo* (1. Io. 2.) scilicet *concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Concupiscentia oculorum* in hoc, quòd homo nudus reuertitur in terram, Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*: (*de vtero matris meæ*, scilicet H terræ, quæ est communis mater omnium: *& nudus reuertar illuc*, idest in terram, Eccli. 40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium.*) *Concupiscentia carnis* in hoc, quòd

C Op. 3. c. 189. & Gen. 3. ibi.

Mortis metus frenum, ne peccemus, sine quo faciliter prolabimur.

Memoria mortis ad animæ salutem valdè proficua.

D Mat. 11. lit. o. ibi.

Duo ad penitentiam inducunt.

E Iob. 42. l. 5. ibi.

F Ps. 43. lit. i. & k.

G Op. de er. Pr. l. 3. c. 9. & cap. 8. Ps. 38. lit. b. fin.

Iuuenibus specialiter necessaria mortis memoria.

Per mortis memoriam vanitas abijcitur mundi.

H Iob. 1. l. 4. ibi.

corpus delicatè nutritum, vermibus esca datur. *Superbia vitæ* in hoc, quòd ille, qui volebat esse super homines, ponitur sub terra, & ambulant super eum porci, & canes. Qui vult nauem regere, ponit se in fine nauis. Sic sapiens consideratione finis regit se in his, quæ sunt ad finem. *Vnde & 1. Pet. 4. dicitur*: Omnium autem finis appropinquauit: *idest* mors H ad quam, sicut ad finem, omnia terminantur. *Et ò quàm valida ad humani fastum animi deiiciendum mortis meditatio! Narrat adhoc Author, quòd* Rex I Xerces, cum videret coram se exercitum suum multitudinis innumerabilis, attendens, quòd totus ille exercitus infra centum annos in puluerem conuertendus esset, dixisse fertur: *Regem tanti exercitus, & tam fortis me vocant homines: ego verò fateor me Regem pulueris*. Et iterùm, *quòd omnia in cinerem resoluantur*: Cum obsedisset *inquit* Sennacherib Ierusalem, eadem nocte Angelus Domini percussit in Castris Assyriorum 185. millia. Porrò Ierosolymitæ, videntes stragem hostium, ingressi sunt, & spoliauerunt Castra. Spolia verò mortuorum tollentes, excusserunt ex eis puluerem tantùm. Nam ignis diuinus latenter eorum corpora incenerauerat.

H 1. Pet. 4. §. h. fin.

I Op. de er. Pr. l. 3. c. 7.

Et mentis tenebræ depelluntur.

K Io. 9. l. 1. lit. g.

¶ *Huc etiam mysticè facit cæci nati sanatio* Io. 9. *Vbi dicitur, quòd Dominus* liniuit lutum super oculos eius, *vt videret*. Sicut *enim* primum K hominem de luto formauit, ita lutum fecit, vt formaret oculos cæci nati, *& vt mysticè* reformaret *ad lumen gratiæ*. *Lutum siquidem oculis super ponere, quid aliud est, nisi mortis, & pulueris nostræ memoriam cæcæ menti hominis obiicere, vt à cæcitate, quam peccatum induxit, liberetur? Vnde & dicebat*: Lutum fecit, & vnxit oculos meos, & video. *Et hoc declamabat Moyses Deut. 32.* Gens absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent! *Si etenim fixè, & frequenter homines id considerarent, deprehenderent vtique, quantæ sit vtilitatis mortem prospicere: & quanti detrimenti diem non memorari postremum. Quòd enim in peccatis sordescant, hoc vnum in causa est, quòd de morte minimè cogitant sua, Thren. 1.* Sordes eius in pedibus eius: *Sordes* scilicet L peccatorum, *in pedibus eius* (*de Ierusalem loquitur*) scilicet in affectibus, quasi ad progrediendum in peccatis; *moxque rationem adnectit*: Nec recordata est finis sui, *scilicet* mortis, vel iudicij diuini. *Cui cohæret illud Is. 47.* Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es nouissimi tui (*quia* non M excogitabat futura:) & nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: *Ego sum, & non est præter me ampliùs: non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem*. Venient tibi duo hæc subitò in die vna: sterilitas, & viduitas: *Sterilitas vtique bonorum operum, Is. 49.* Ego sterilis, & non pariens: *& viduitas, quia sine Deo, hoc est sine diuina gratia* (*est enim* N gratia Dei sponsa multorum, Sap. 8. *Quæsiui sponsam mihi eam assumere*:) *Thren. 1.* Facta est quasi vidua Domina gentium. *Et hoc maximum detrimentum ex inconsideratione, & obliuione nouissimi sui, mortis nimirùm. Id quod tangit & Regius Propheta Ps. 48.* Non videbit (*impius*) interitum, cum viderit sapientes morientes. *Non videbit*, idest O non considerabit, *interitum*, idest damnationem suam. Iustorum enim est nouissima memorari. Et quare iniusti non præuident sibi? Redditur ratio Eccle. 9. *Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt; quia eadem cunctis eueniunt*. Et ideò non considerant, quid eis possit euenire in futurum, *cum viderint* etiam *sapientes morientes*: videntes enim eorum

Ab opposito non memorari maximum detrimentum

L Thren. 1. lit. 1.

M Is. 47. ibi.

N Luc. 4. §. 3. initio ibi, adulteri.

O Ps. 48. lit. d. ibi.

mortem corporalem, non considerant eorum gloriam, *Sap. 4.* Videbunt finem sapientis, & non intelligent, quid cogitauerit de illo Deus. *Et quia non considerant, benè sequitur*: simul insipiens, & stultus peribunt.

¶ *Cæterùm iustorum, quid de ea iugiter cogitant, mors felicissima est, ad quam videlicet, se cogitando præparauerunt. E conuerso impiis, quòd nunquam finem considerant, mors spiritualiter, & temporaliter superuenit insollicissima. Felix sanè iustorum mors, & beata, Apoc. 14.* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Ex hoc vt inquè beati, quia moriuntur in Domino*. Beati P parte beatitudinis. idest stola animæ: *mortui* peccato, vt boni Christiani; vel Mundo, vt boni Religiosi: *qui in Domino*, idest in confessione Domini, vel *in Domino* existentes per charitatem, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, vt dicitur 1. Io. 4. *Moriuntur* corporaliter, vt cum Domino æternùm spiritualiter viuant. Vel *beati mortui* peccato, *qui in Domino*, idest pro Domino, vel propter Dominum *moriuntur*, martyrium sustinendo. Propter quod dicitur Ps. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. E conuerso autem Ps. 33. *Mors peccatorum pessima*. Isti sine Domino moriuntur, & ideò infelices: priores *in Domino*, & ideò *beati*. Sunt enim ab hoste securi, à periculo liberi, à pœna expediti, de gloria certi. *Beati* inquam Sancti, cum moriuntur, propter præteritorum malorum euasionem, immò potiùs propter bonorum omnium adeptionem: quia de carcere egrediuntur ad Regnum, de pugna ad victoriam, de labore ad requiem, de seruitute ad libertatem, de periculo ad securitatem, de exilio ad Patriam, de paupertate ad hereditatem paternam, Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum*, idest maiorem quietem: *Ecce hereditas Domini*. Somnum, *inquam*, idest maiorem quietem: *quia post mortem & resurrectionem Christi, mors, dulcis dicitur somnus, propter spem nimirum ad gloriam æternam resurgendi: quam nec impii habent (vel nonnisi informem) nec infideles, sed sancti viri, vt aiebat initio Author*. Differentia Q est inter mortem iusti & peccatoris: quia enim peccator spem habet in istis rebus transitorijs, ideò spem non habet in æternis: sed iustus spem habet in æternis, & non in terrenis. *Vnde Prou. 14. dicitur*: In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. *Et ita docemur, quòd* Mors R dicitur somnus propter spem resurrectionis, & ideò mors consueuit appellari dormitio ab eo tempore, quo Christus mortuus est, & resurrexit. *Quod & Saluator prospiciens*: Lazarus (*inquit Io. 11.*) amicus noster dormit: sed vado, vt à somno excitem eum. *Hinc Apostolus 1. Thess. 4.* Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. *Sicut & cæteri, qui spem non habent*: quia scilicet isti S credunt huiusmodi defectus perpetuos, sed nos non: immò, vt dicitur Philipp. 3. *Saluatorem expectamus D. N. I. C., qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Vnde signanter dicit: *de dormientibus*. Dormiens enim tria facit. Cubat in spe surgendi, Ps. 40. *Numquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat?* Sic & qui moritur in fide. Item in dormiente, anima vigilat, Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Item postea homò surgit magis refectus, & vegetus: sic Sancti resurgent incorruptibiles, vt dicitur 1. Cor. 15. *Hinc*

Felix iustorum mors.

P Apoc. 14. com. 2. §. 5. ibi, & comm. 1. ibi.

Mors iustis dulcis somnus post spem resurrectionis ad gloriam.

Q 2. Tim. 4. l. 2. ibi, bonum.

R Io. 11. l. 3. lit. a. Ps. 3. lit. c. Ps. 40. lit. c.

S 1. Thess. 4. l. 2. ibi, Mat. 25. lit. a. ibi, dormierunt.

Hinc de Sancto Stephano, à Iudæis propter nomen Christi lapidibus obruto Act. 7. legitur: Et cum hæc dixisset, obdormiuit in Domino: *qui nempè in Cœlum* primitiæ dormientium *iam præierat*. In Domino *sanè* moriuntur *iusti*. *Quò facit illud Domini Io.* 14. Iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. *Hoc siquidem* potest T exponi de aduentu spirituali, quo Christus quemlibet Sanctorum visitat in morte. *Quod confirmat inferiùs iis verbis*: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos, *scilicet* in morte V ad suscipiendum vos ad me. *Id quod & ipse Sanctus Ioannes intelligens, suam claudit Apocalypsim, Christum fiducialiter inuitando*: Etiam veni Domine Iesu. *Ex quo Apostolus Petrus in sua 2. cap.* 1. Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum &c. *Post obitum meum*, idest X post mortem meam. Dicitur autem obitus ab *ob*, idest contra, *& eo is*; vnde obire est *contra* vel *obuiam ire*. Et ideò transitus Sanctorum dicitur obitus, quia tunc vadunt obuiam sponso, Apoc. 22. cit. *Etiam veni, Domine Iesu*. *Quidni ergo* beati, qui in Domino moriuntur, *si vbi ille est, ipsi quoque secum futuri sunt, illos ad se accipiendo*! Accipiam vos ad me ipsum. *Idcircò quandocumque* aliquis Y benè moritur, non est dolendum, sed potiùs gaudendum, quia transit de miseria mortis ad coronam vitæ, Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

Et quia à Domino excipiuntur, suauis.

T Io. 14. l. 1. fin. cap.

V Ibid. l. 5. lit. a. fin.

X 2. Pet. 1. §. 3. ibi.

Y Serm. 6. de mortuis. *Apoc. 2. vtroq; com. ibi*, fidelis.

t *Iure meritò hinc dicebat Apostolus Philip.* 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. *Vbi certè* Apostolus Z propriè loquitur. Quilibet enim sibi ad lucrum reputat, quando vitam, quam habet imperfectam, potest perficere. Sic infirmus ad lucrum reputat sanam vitam. Vita nostra Christus est, Col. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: sed hic est imperfecta, 2. Cor. 5. *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino*. Et ideò quando morimur corpore, perficitur nobis vita nostra, scilicet Christus, cui tunc præsentes sumus. *Et hoc est verum, & magnum lucrum*. (Licèt *nihilominus* mors A Sanctorum ipsis morientibus sit salubris, nobis tamen hic remanentibus in pluribus est damnòsa: vnde & Sancti sæpè subtrahuntur propter peccata nostra.) *Qua de causa Sanctorum dies mortis festiuè celebratur*. Gentiles *enim* antiquitus B diem natiuitatis suæ celebrabant, quia tunc ad solatia, & luxus vitæ præsentis intrabant, post quam non expectabant maiora. E contrario catholici Christiani diem obitus sui, *& Sanctorum* festiuum habent, quia tunc ad gaudia recipiuntur æterna. *Et hoc iustis, aliequi horrendam, desiderabilem mortem facit*: *de quibus dici posset quod ait Iob cap.* 3. Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer, cum inuenerint sepulchrum. *Qui expectat mortem, & non venit*, scilicet C tam citò, sicut optant. Et vt ostendat, quòd expectent mortem, non horrentes, sed desiderantes eam, subiungit: *quasi effodientes thesaurum*. Quasi dicat: magno desiderio attendunt, vt fodiant terram sua sepultura. Et quia desiderium, cum completur, gaudium parit, subdit: *gaudentque vehementer, cum sepulchrum inuenerint*; idest cum vident, se peruenire ad mortem, per quam sepulchrum inueniunt: *vt nimirùm de præsentibus miseriis ad æternam euolent felicitatem*. *Sic Apostolus Philip.* 1. Desiderium habebat dissolui, & esse cum Christo. *Siquidem* in homine D duplex est motus, naturæ scilicet, & gratiæ: naturæ ad non moriendum, 2. Cor. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri &c.* Gratiæ, quam suggerit charitas, quæ mouet ad dilectionem Dei, vt simus cum Christo. Et ideò dicit: *desiderium habens dissolui, non simpliciter, sed esse cum Christo*. *Et ad Rom.* 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? *Non secus exoptabat & Dauid Ps.* 41. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? & *Ps.* 121. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. *Et Ps.* 141. Educ de custodia animam meam. *Simeon quoque senex ille, quia* iustus, & timoratus *lætanter dicebat Luc.* 2. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum, in pace. *Et ita mors est Sanctis solatium propter transitum ab hisce ærumnis ad sempiternam beatitatem; vnde dicitur Sap.* 4. Iustus si morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit. *Cui respondet illud Ps.* 65. Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. *Quo sensu dicitur Eccli.* 30. Melior est mors, quàm vita amara: & requies æterna, quàm languor perseuerans; *qualem in hac vita experimur*.

Quo sensu iustis cū Apostolo, *mori lucrum*.

Z Philip. 1. l. 3. ibi.

A Gen. 50. ad med. cap.

Sancti sæpè hinc tolluntur propter peccata nostra.

B 2. Machab. 6 ibi, Libero. Gentiles diem ortus celebrabant: Christiani verò diem mortis sanctorum solemnizant, & cur. Quibus mors desiderabilis immò redditur.

C Iob. 3. l. 3. ibi.

D Philip. 1. l. 3. ibi. Rom. 7. l. 4. ibi, mortis. *Vers. 2. 11. ad 8.*

u *Verùm omnia hæc de iustis, & Sanctis verum habent, quorum idcircò dicitur Ps.* 115. Mors pretiosa: *non ita de impiis, de quorum interitu immò habetur Ps.* 33. Mors peccatorum pessima: *nimirum*, quia E moriuntur in corpore, & in anima, *nedum morte prima, sed & secunda, quæ horribilior, vt præmissum est*: *de quibus dicitur Is.* 50. In doloribus dormietis. *Notat enim Author, quòd* peccatores F dolent in morte. Primò propter temporalium amissionem, Iob. 27. *Diues cum dormierit, nihil secum auferet*. Secundò propter conscientiæ contradictionem, Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*. Tertiò propter futuræ gloriæ desperationem, Thren. vlt. *Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus*. Quartò propter pœnæ timorem, Ps. 47. *Ibi dolores, vt parturientis*. Ecce serui mei comedent (*subiicitur eiusdem Is. cap.* 65.) & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. *Et infrà*: Puer centum annorum morietur: *idest* qui G vsque ad ætatem senectutis pueriliter vixit, *morietur*, scilicet morte æterna, *præter spiritualem primam mortem, & corporalem*. Quò facit *illud de impio Ps.* 48. Introibit vsque in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen. *Introibit* scilicet H in Infernum, *vsque in progenies patrum suorum*: quia Patres sui impij sunt in Inferno, & iste ibit illuc: *& vsque in æternum non videbit lumen*: quia enim in vita noluit sequi lumen rationis, ideò in morte non videbit lumen, *scilicet gratiæ, perpetuis exinde gehennæ tenebris detrudendus*, *Mat.* 25. Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. *Sed & ipsa corporali morte vtplurimùm impii infelicissimè intereunt, vt patet de Achab, cæterisque impiis Regibus Israel, de Antiocho, aliisque plurimis prauis hominibus, uti sacras profanasque historias excurrenti liquet satis. Pertimescat igitur peccator, & illud frequenter mente reuoluat, quod ait Sapiens Eccle.* 9. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. *Cui respondet illud Ps.* 7. Deus arcum suum tetendit, & parauit illum. *Si parauit, & tetendit, ergo iam imminet lethalis emissio sagittæ; vnde sequitur*: & in eo parauit vasa mortis, sagittas

Non ita impijs, quorum mors immò pessima.

E Ps. 33. lit. n.

In qua multipliciter dolent.

F Is. 50. fin. cap.

G Is. 65. ibi.

H Ps. 48. fi.

Vt plurimùm infelici morte etiam quoad corpus intereunt.

I Psal. 7. lit. g. ibi.

gittas suas &c. *idest* instrumenta I mortis, scilicet occidentia, *quæ multiplicia sunt*, *Eccli. 9.* Vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.

An liceat alicui sibi mortem infligere.

K 2.2. 64. 5. c. In 4. d. 49. 5. 3. q. 2. ad 6. & 2. Machab. 14. fin.

X *Quòd si pro coronide quæras: An liceat alicui ex causa sibi ipsi mortem infligere? Respondet Author, hoc esse illicitum triplici ratione. Primò* quidem K quia naturaliter quælibet res se ipsam amat; & ad hoc pertinet, quòd quælibet res naturaliter conseruat se in esse, & corrumpentibus resistit quantùm potest: & ideò quòd aliquis se ipsum occidat, est contra inclinationem naturalem, & contra charitatem, qua quilibet debet se ipsum diligere. Et ideò sui ipsius occisio semper est peccatum mortale, vtpotè contra naturalem legem, & contra charitatem existens. *Secundò* quia quælibet pars, id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis; & ita, id quod est, est communitatis. Vnde in hoc, quòd se ipsum interficit, iniuriam communitati facit, vt patet per Philosoph. in 5. Ethic. *Tertiò* quia vita est quoddam donum diuinitus homini attributum, & eius potestati subiectum: & ideò, qui seipsum vitâ priuat, in Deum peccat. Sicut qui alienum seruum interficit, peccat in dominum, cuius est seruus; & sicut peccat ille, qui vsurpat sibi iudicium de re sibi non commissa. Ad solum enim Deum pertinet iudicium mortis, & vitæ, secundùm illud Deut. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam*. Nulli *ergo* licitum L est *ex Augustino 1. de Ciu. Dei*, sibi manus inijcere quacumque ex causa, nisi fortè diuino instinctu fiat ad exemplum fortitudinis extendendum, vt mors contemnatur. Nec Samson M aliter excusatur, quòd se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quòd latenter Spiritussanctus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Cuius N signum est, quia non potuisset domum tantam propria virtute subuertere, sed virtute Dei, qui non adiuuat ad malum. *Ita de* B. Apollonia *legimus, quòd in sibi paratas à Tyranno flammas, impulsu vtique Spiritus Sancti, sponte prosiliuit. Et quidem* ad fortitudinem O pertinet, quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & vt vitet peccatum: sed quòd aliquis sibi ipsi inferat mortem, vt vitet mala pœnalia, habet quidem quandam speciem fortitudinis propter quod quidam se ipsos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere, de quorum numero Razias fuit 2. *Machab.* 14. Non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi, non valentis mala pœnalia sustinere, vt patet per Philosophum *in 3. Ethic. Et suo loco de præfato Razia, qui* gladio se perijt, *videtur sentire Author; quòd* instinctu P Spiritus Sancti, sicut creditur fecisse Samson, similiter forsan hoc fecit & iste. Sed dubitatur (*subiicit*) vtrùm saltem sic facere sit magnanimitatis? Et videtur, quòd sic. De Razia enim in litera dicitur: *magis eligens nobiliter mori &c.* Sed ad hoc dicendum, quod superficie tenus videtur esse quædam magnanimitas, sed realiter est quædam pusillanimitas. Vnde & in glossa *Augustinus*: Quicumque *inquit* hoc ipsum in semetipsos perpetrant, animi magnitudine mirandi sunt, non sapientiæ sanitate laudandi. Quamuis, si rationem diligentiùs consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo rectè nominatur, vbi quisque non valendo tolerare vel quæque aspera, vel aliena peccata, semetipsum interimit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non valet vel duram sui corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionem: maiorque animus dicendus est illius, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere; & humanum iudicium; quod plerunque caligine erroris inuoluitur, pro conscientiæ liceat puritate contemnere. DISCE *temporalem mortem, vt ad vitam peruenias sempiternam, generosè despicere. Vide* Adam, Auarus, Christi passio, mors; Resurrectio *Tom.* 1. Homo, Iustus, *Tom.* 2. Peccatum, Peccator, Pœnitentia.

L In 4. loc. cit.

Samson an in hoc peccauerit.

M 2.2. loc. cit. ad 4. In 4. l. c. Hebr. 11. l. 7. ibi, Samson.

N Hebr. 11. loc. cit.

O 2.2. loc. cit. ad 5.

Et Razias. Non est actus veræ fortitudinis se ipsum occidere.

P 2 Mach. 14. fi. cap.

Nec magnanimitatis, sed pusillanimitatis.

Augustini pulchra sententia.

MORTVI. *Vide* Defuncti *Tom.* 2.

MULIER.

XIX. Eua fuit facta de costa lateris Adæ, ad designandam nobilitatem viri respectu mulieris. *Gen.* 2. *ibi*, de costis.

Y VEl ex eo *mulieris deprehenditur imperfectio, quòd fœmina est mas occasionatus, ut dicit Philosophus in lib. de gen. anim.* Vis *enim* actiua Q quæ est in semine maris, intendit conceptum semper ducere ad sexum masculinum, qui perfectior est: vnde sexus fœmineus accidit præter intentionem naturæ particularis agentis. Et nisi esset aliqua virtus, quæ intenderet fœmineum sexum, generatio fœminæ esset omninò à casu, sicut & aliorum monstrorum: (*quasi fœmina, & mulier monstrum quoddam esset.*) Et ideò quamuis sit præter intentionem naturæ particularis, ratione cuius fœmina dicitur *mas occasionatus*: tamen est de intentione naturæ vniuersalis, quæ est vis corporis cœlestis, vt *Auicenna* dicit. *Et quidem ab vniuersali natura fœmina intenditur propter generationem, ad quam tamen merè passiuè concurrit, vt hic supponimus.* (*Sanè* generatio R fœminæ non solùm contingit ex defectu virtutis actiuæ, vel indispositione materiæ; sed quandoque quidem ex aliquo accidenti extrinseco, sicut Philosophus dicit *in lib. de Animal*, quòd ventus septentrionalis coadiuuat ad generationem masculorum, australis verò ad fœminarum: quandoque etiam ex conceptione animæ, ad quam de facili immutatur corpus. *Et ita* videmus S quòd filij frequenter nascuntur similes illis, quos parentes imaginantur in actu conceptionis [*caueant vxores adultera*] sicut etiam *Hieronymus* narrat de quadam muliere, quæ peperit filium nigrum, propter hoc, quòd in tempore coitus vidit imaginem nigram.) *Et quia* intentio T naturæ vniuersalis dependet ex Deo, qui est vniuersalis Author naturæ: ideò instituendo naturam, non solùm marem, sed etiam fœminam produxit: *hanc scilicet potissimùm propter generationem, vnde dixit Gen. 2.* Non est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. *Siquidem* necessarium V fuit fœminam fieri, sicut Scriptura dicit, in adiutorium viri; non quidem in adiutorium alicuius operis (vt quidam dixerunt) cùm ad quodlibet aliud opus conuenientiùs iuuari possit vir per alium virum, quàm per mulierem: sed in adiutorium generationis. *Quod & differens vtriusque corporis satis indicat constitutio. Vt enim* Philosophus X vult in *lib. de animal*. Mulieres debiliora habent corpora, quàm viri, & sunt minoris caloris: & sola illa membra grossiora in eis videmus, quæ ad actum ordinantur generationis, & gestum, vt venter, & nates, ac ad nutrimentum mamillæ. Omnia autem alia habent subtiliora, quàm viri, & minùs neruosa, in

Fœmina mas occasionatus, & præter intentionem particularis naturæ agentis.

Q Ver. 5. 9. ad 9. & 1. p. 92. 1. ad 1. & 92. ad 2. & 1. Cn. 11. l. 1. fin.

A natura tamen vniuersali intenta.

R 1. p. 99. 2. ad 2. & 92. 1. ad 1. & 115. 3. ad 4. In 2. d. 20. 2. 1. ad 2. Ver. l.

Fœminæ generatio vnde contingat.

S In 2. loc. cit.

Fœmina à natura vniuersali intenta propter generationem.

T 1. p. 92. ad 1

Cõsequenter à Deo, qui est vniuersalis Author naturæ.

V 1. p. 92. 1. & 98. 2. in 2 sed contra Gen. 2 ibi.

X Op. 20. l. 4. c. 6. & 5.

Differentia corporum viri, & mulieris in structura propter generationem.

ſa, in quibus fortitudo conſiſtit, vt ſunt pedes & crura, manus & lacerti, & ſic de ſingulis membris, vbi fortitudo fundatur. *Nec intumeſcat mulier, quòd* de viro ſumpta eſt: *etenim* ex viro Y eſt formata, tum propter conditionem mulieris, quæ cum ſit imperfecta, debet à perfecto originem ſumere: tum ad viri dignitatem oſtendendam, qui eſt principium vniuerſale ſui generis, ſicut & Deus eſt principium omnium. *Quod expreſſit initio Author. A quo & coherenter docemur, quòd* mulier Z fuit quidem perfecta de nobiliori materia, quàm vir; nec propter hoc tamen præſumeret: quia quicquid habuit, & locum, & dignitatem, & materiam mediante viro habuit. *Et iterùm*: Facta A fuit in Paradiſo, non quidem propter dignitatem ſuam, ſed propter dignitatem principij, ex quo corpus eius formabatur. *Propter dignitatem inquam principii: ex quo &* honor B filij magis eſt ex Patre, quàm ex Matre: & ideò in genealogijs in ſcripturis, & ſecundùm communem conſuetudinem, magis nominantur filij à Patre, quàm à matre. In his tamen, quæ ad ſeruitutem ſpectant, magis matrem ſequuntur. *Ex quibus innoteſcit mulieris reſpectu viri imperfectio, virique nobilitas, & præſtantia ſuper illam.*

Y *Hann. 2. d. 18. 1. 1. c. Gen. 2. ibi*, de coſtis.

Non intumeſcat mulier, quòd de viro ſumpta eſt: quicquid enim habuit, mediante viro habuit.

Z *Gen. 2. ibi.*

A *1. p. 102. 4. ad 3.*

B *4. d. 36. 1. 4. ad 4. In 3. d. 29. 1. 7. ad 5.*

z *Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus 1. Cor. 11.* Vir quidem gloria Dei eſt; mulier autem gloria viri eſt: non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. *Vir quidem gloriam Dei eſt*, in quantùm C claritas Dei immediatè ſuper virum refulget. *Mulier autem gloria viri eſt*: quia claritas mulieris deriuatur à viro. *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt*, vt dicitur Gen. 2. *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro &c.* Ad cuius D euidentiam conſiderandus eſt talis ordo perfecti, & imperfecti, quòd imperfectum in vno, & eodem ſubiecto prius eſt tempore, quàm perfectum: priùs enim aliquis homo eſt puer, quàm vir. Simpliciter tamen perfectum eſt prius imperfecto, tempore & natura: nam puer producitur ex viro. Hæc igitur eſt ratio, quare mulier producta eſt ex viro; quia vir perfectior eſt muliere: quod ex hoc probat Apoſtolus, quia finis eſt perfectior eo, quod eſt ad finem: vir autem eſt finis mulieris. Et hoc eſt, quod ſubdit: *Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*, in adiutorium ſcilicet generationis; ſicut patiens eſt propter agens, & materia propter formam. *Imperfectior ſanè viro mulier eſt, nedum quoad inferiorem partem, ſed quoad ſuperiorem. Docemur enim, quòd* vir E eſt perfectior muliere, non ſolùm quantùm ad corpus, quia *fœmina eſt maſculus occaſionatus*: ſed etiam quantùm ad animæ vigorem, ſecundum illud *Eccle. 7.* Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. *Et quidem de ſtatu innocentiæ Author loquens*: Nec F tamen *inquit* remouebatur, quin etiam tunc ſecundùm diuerſitatem corporum diuerſa fuiſſet dignitas animarum, cum oporteat animæ ad corpus proportionem eſſe, vt formæ ad materiam, & motoris ad motum: & ideò mulier etiam quantùm ad animam viro imperfectior erat. *Sed & videtur quodammodo imperfectiùs, quàm vir, imaginem Dei mulier habere. Dixi*, quodammodo: *quia de viri creatione ſermonem faciens* Scriptura G poſtquam dixerat: *ad imaginem Dei creauit illum*; addidit: *maſculum, & fœminam creauit eos*; non vt imago Dei ſecundùm diſtinctiones ſexuum attendatur: ſed quia imago Dei vtrique ſexui eſt communis, cum ſit ſecundùm mentem, in qua non eſt diſtinctio ſexuum. (*Quod dictum ſit contra impios quoſdam, negantes in muliere propter eius imperfectionem eſſe imaginem Dei: de quo vide fuſiùs Tom. 2. V.* Homo.) *Nihilominùs certum eſt, quòd* vbi H intellectualis natura perfectius inuenitur, oportet, quòd etiam ibi ſit imago expreſſior: & ſic cùm natura intellectualis multo ſit dignior in Angelis, quàm in homine, eo quod propter obumbrationem intellectualis luminis homo rationalis dicitur, cum ratio ſit quidam intellectus obumbratus: oportet, quòd in Angelis ſit expreſſior Dei imago, quàm in anima, & in Angelis ſuperioribus, quàm in inferioribus, & in viro, quàm in muliere; (quamuis iſta diuerſitas ſit minor, quàm prima, quia non ſequitur diuerſitatem naturæ ſecundùm ſpeciem.) *Et alibi, de hoc rationem aſſignans*: Poteſt *inquit Author* quantum I ad interiora dici, quòd vir ſpecialiùs dicitur imago Dei ſecundùm mentem, in quantùm in eo ratio magis viget. *Ex quo mulieris multiplex deprehenditur imperfectio, de qua moraliter* Num. ſeqq. DISCE *mulier non dominari in virum: vir, mulieri non ſubiici.*

Probatur ex Apoſtolo imperfectio mulieris, & perfectio viri.

C *1. Cor. 11. l. 2. ibi.*

D *Ibid. l. 3. ſub initio & 1. Tim. 2. l. 3.*

E *1. Cor. 11. l. 1. ibi*, caput mulieris.

Mulier viro imperfectior, nedum quoad corpus, ſed & quoad animam.

F *2. d. 21. 2. 1. ad 2.*

Quin & imaginem Dei quodammodo imperfectiùs videtur habere quàm vir.

G *1. p. 93. 6. ad 2.*

H *2. d. 16. 1. 3. c. & in* ſed contra. *In 1. d. 3. 4. 1. ad 4.*

I *1. Cor. 11. l. 2. fin.*

XX. Mulieres neque continentes dicuntur, neque incontinentes *ex Philoſopho in 7. Ethic.* quia ſcilicet non ducuntur quaſi habentes ſolidam rationem; ſed ducuntur quaſi de facili ſequentes paſſiones. 2. 2. 156. 1. *ad 1. fin.*

K *1. Tim. 2. l. 2. ibi*, in habitu & *l. 3. ibi*, in ſilentio.

Mulier, ſicut mollior corpore, quàm vir; ita ratione debilior.

L *2. Tim. 3. l. 2. ibi*, mulierculas.

a N*Vmerum præcedentem clauſimus, aſſerentes cum Authore, clariùs quodammodo relucere in viro imaginem Dei, quam in muliere*, in quantum in eo ratio magis viget; *& conſequenter debilior in muliere deprehenditur.* Naturale *enim* eſt K quòd ſicut mulieres ſunt mollioris corporis, quàm viri, ita & debilioris rationis. *Et alibi*: Mulieres L ſunt minoris diſcretionis, & ſexus fragilioris: *quia videlicet* ratio M minùs viget naturaliter in mulieribus, quàm in viris. (*Nihilominùs* interdum N non eſt contemnenda fœminea prouidentia, maximè ſi ſit antiqua: ſicut patet in hac Regina [Dan. 5. Matre ſcilicet, vel ſecundùm alios, auia Balthaſaris] Iudith, & Eſther: licèt de communi lege parum habeant diſcretionis, iuxta illud Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?*) *Ex quo docemur*, quòd ſobrietas O maximè requiritur in iuuenibus, & mulieribus: quia in iuuenibus viget concupiſcentia delectabilis propter feruorem ætatis; in mulieribus autem non eſt ſufficiens robur mentis ad hoc, quòd concupiſcentijs reſiſtant. Vnde ſecundùm *Valerium Maximum* mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. *Et hinc eſt, quòd ſicut familiarius* peccatum P hominum eſt auaritia: *ita* peccatum mulierum eſt luxuria. *Hinc eſt pariter, quòd* propter incentiuum Q libidinis, quod in eis eſt, natura mulieri multa fræna prouidit, vt eſt verecundia, quæ eſt præcipuum vinculum eius (*quo ſoluto, nil muliere diſſolutius.*) *Vnde ſignanter Apoſtolus 1. Tim. 2.* Cum verecundia *inquit* & ſobrietate ornantes ſe: *quia nimirùm* verecundia R eſt de turpi actu; & ideò eſt laudabilis in illis, qui facilè ſolent declinare in actus turpes, cuiuſmodi ſunt iuuenes, & mulieres: & ideò hæc in eis laudatur.

M *Hann. 1. q. 2. prol. a. 4. ad 4. & 1. p. 92. 1. ad 2. Op. 3. c. 189. & 1. Cor. 11. l. 1. Col. loſſ. 3. l. 4.*

N *Dan. 5. §.* Argumenta literalia.

O *2. 2. 149. 4. c. & 156. 1. ad 2. & 1. Cor. 11. l. 1. fin. & 1. Sim. 2. l. 2. ibi*, cum ſobrietate.

Sobrietas cur iuuenibus & mulieribus neceſſaria.

P *Mat. 21. lit. b. ibi*, publicani.

Q *Op. 20. l. 4. c. 6.*

Peccatum mulierum familiare, luxuria.

R *1. Tim. 2. l. 2. ibi 2. 2. 149. 4. c.*

Contra quam dedit eis natura verecundiam, quæ eſt de turpi actu. Iuuenes, & mulieres facilè in actus turpes declinant.

tur. *Et sobrietate*: quia enim in mulieribus ratio, est debilis; sobrietas autem conseruat virtutem rationis; ideò in mulieribus maximè reprehenditur ebrietas. *Quæ cuncta exinde proueniunt, quòd minus, quàm viri, rationis habent & consilij: vnde &* mulieres S magis ad malum præcipites sunt.

Mulieres magis ad malum præcipites.

S *Matt.* 19. *lit. a. ibi, dimissam.*

b *Ea propter ob eandem rationis debilitatem* mulieribus T non competit esse simpliciter ciues. Simpliciter *enim* ciuis V est qui potest agere, ea quæ sunt ciuium, putà dare consilium, vel iudicium in populum (*quorum mulier incapax est.*) Secundùm quid autem ciuis dici potest quicumque ciuitatem inhabitat. *Ex quo non debent, nec permittitur mulieribus, in Ecclesia praesse. Vnde Apostolus ad Coloss.* 3. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet: *nimirùm*, quia hæc X subiectio ex lege diuina est ordinata, Gen. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et ratio huius est: quia regere est rationis; viri autem magis vigent ratione: & ideò ipsi præsidere debent, *non mulieres. Et alibi*: Naturale est Y quod anima dominetur corpori, & ratio viribus inferioribus. Et ideò, sicut Philosophus docet, quandocumque aliqua duo ad inuicem sic se habent, sicut anima ad corpus, & ratio ad sensualitatem, naturale dominium est eius, quod abundat ratione: & illud est principans aliud autem est subditum, quod scilicet deficit ratione (*qualis est mulier respectu viri*) Eccli. 25. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.* Et Philosophus dicit, quod dominium mulierum est corruptio familiæ, sicut Tyranni in Regno. *Quoniam verò populum instruere, quodammodo præesse est, mulier idcircò discere iubetur, non docere, neque docere*, 1. *Tim.* 2. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. *Quibus verbis* doctrina Z publica interdicitur mulieri tam in Ecclesia, quàm in scholis, tum ratione personæ olim seductæ, & post virum formatæ, vt Apostolus dicit 1. *ad Tim.* 2. tum propter debilitatem rationis, quæ minùs viget naturaliter in mulieribus, quàm in viris. Priuata autem exhortatio ei non interdicitur. Et hac A mater erudit filium, Prov. 31. *Erudiuit eum mater sua.* Sed contra hoc est: quia *Iudic.* 5. Debbora erudiuit populum Israel: *& respondetur*, quòd illa eruditio est per spiritum prophetiæ: gratia autem Spiritus Sancti non discernit inter virum, & mulierem. Non tamen publicè prædicabat, sed instinctu Spiritus Sancti consilia dabat. *Et hinc est, quòd* cum in sexu B fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet; ideò non potest Ordinis Sacramentum suscipere. Quòd autem *in Decret.* fit mentio de Diaconissa, & Præsbytera: Diaconissa ibi dicitur, quæ in aliquo actu Diaconi participat, sicut quæ legit homiliam in Ecclesia. Præsbytera autem dicitur vidua: quia præsbyter idem est, quod senior. *De Abbatissis verò claustralibus dicendum, quòd non habent* C prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Debbora autem (*quæ præfuisse videtur*) præfuit in temporalibus, non in Sacerdotalibus: sicut & nunc mulieres possunt temporaliter dominari: *quamuis propter huiusque allata rarò felix, ac diuturnum fœmineum habeat regimen dominatus. Vnde &* tradunt D Historiæ, quòd Alexander quibusdam astutijs, & blanditijs deuicit Amazones, magis quàm bellandi fortitudine: quarum Regnum temporibus eius fortissimum, & potentissimum erat in Asia.

T 1. 2. 105. 3. *ad* 1.
V *Ibid. ad* 2. *Op.* 20. *l.* 4. *c.* 14.

Non sunt simpliciter ciues.

Non debent in Ecclesia præesse.

X *Coloss.* 3. *l.* 4. *ibi.*

Y 1. *Tim.* 2. *l.* 3. *ibi, subiectione.*

Dominium mulieris, corruptio familiæ.

Z *Hann.* 1. *q.* 2. *Prol. a.* 4. *ad* 4. & 1. *p.* 92. 1. & 2. 2. 176. 2 & 3. *p.* 55. 1. *ad* 3 *Op.* 5 *de Sacram. Op. decr. Pr. l.* 5. *c.* 59. *Is.* 27. *ibi*, docentes 1. *Cor.* 14. *l.* 7. *Eph.* 5. *l.* 8 *ad Tim. loco cit. ad Tit.* 2. *l.* 1. & 1. *Pet.* 3. 5. 1. *ibi*, sine verbo.

Ei non permittitur in Ecclesia docere, & cur.

A 1. *Tim* 2. *l.* 3. *ib.*, docere 3. *p.* 55. 1. *ad* 3.

Priuata non interdicitur exhortatio.

B 4 *d.* 25. 2. 1. *q* 1. *c.*

Incapax ordinis sacramentum suscipiendi.

Per Diaconissam, & Præsbyteram quid intelligatur.

C *Ibid. ad* 1.
D *Op.* 20. *l.* 4. *c.* 5.

c *Sed & ex hac rationis debilitate prima mulier à serpente seducta est*, 1. *Tim.* 2. Adam non est seductus: mulier autem seducta in præuaricatione fuit; *videlicet* ignorantia E in vniuersali, quando scilicet credidit quòd serpens dixit. Sed vir non credidit hoc: sed deceptus fuit in particulari, scilicet, quòd gerendus esset mos uxori, & cum ea comedere deberet: & inexpertus diuinæ seueritatis, credidit, quòd facile ei remitteretur. *Vnde &* in actu F tentationis diabolus erat sicut principale agens, sed mulier assumebatur quasi instrumentum tentationis ad deijciendum virum: (*Vnde & uxorem Iob* solam G diabolus reliquerat ad occidendum, ut per eam viri iusti mentem pulsaret qui per fœminam primum hominem deiecerat:) quia mulier erat infirmior viro, vnde magis seduci poterat. *Et inde* videns H hominem taliter institutum, vt ad perpetuam felicitatem peruenire posset, à qua ipse deciderat; & nihilominus posset peccare, conatus est à rectitudine iustitiæ abducere, aggrediens hominem ex parte debiliori, tentans fœminam, in qua minùs vigebat sapientiæ donum, vel lumen. *Sequitur proinde, quòd licèt* secundùm conditionem I personæ peccatum viri fuerit grauius, quia erat perfectior muliere; & quantùm ad ipsum genus peccati, vtriusque peccatum æquale dicatur, quia vtriusque peccatum fuit superbia: Tamen quantùm ad speciem superbiæ grauiùs peccauit mulier triplici ratione. Primò quidem, quia maior elatio fuit mulieris, quàm viri. Mulier enim credidit, verum esse, quod serpens suasit, scilicet, quòd Deus prohibuerit ligni esum, ne ad eius similitudinem perueniret; & ita dum per esum ligni vetiti Dei similitudinem consequi voluit, superbia eius ad hoc se erexit, quòd contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere. Sed vir non credidit, hoc esse verum; unde non voluit consequi diuinam similitudinem contra Dei voluntatem: sed in hoc superbiuit, quòd voluit eam consequi per se ipsum. Secundo quia mulier non solùm ipsa peccauit, sed etiam viro peccatum suggessit: vnde peccauit & in Deum, & in proximum. Tertiò in hoc, quòd peccatum viri diminutum est ex hoc, quòd in peccatum consensit amicabili quadam beneuolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus (*nota*) ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse, diuinæ sententiæ exitus indicauit, vt *Augustinus* dicit 11. super Gen. ad lit. *Sed & vlteriùs* Euæ K peccatum multiplex inuenitur. *Primò* quidem superbiæ, qua inordinatè excellentiam appetijt. *Secundò* curiositatis, qua scientiam ultra terminos sibi præfixos concupiuit. *Tertiò* gulæ, quia suauitate cibi permota est ad edendum. *Quartò* infidelitatis per falsam æstimationem de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquentis. (*O quàm facilè & nunc diabolo fidem præstant superstitiosissimæ fœminæ!*) *Quintò* inobedientiæ, præceptum Dei transgrediendo; *quod quidem & excusatione, vel tollere, vel minuere voluit, cum ait Gen.* 3. Serpens decepit me: *videlicet*, vt suam L culpam alleuiet, & excuset, *vti omnium moris est descendentium fœminarum. Vnde ad illud*: Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio *Io.* 8. ita M quòd (*scribit Author*) non posset

Ex debilitate rationis prima mulier seducta est, non Adam.

E 1. *Tim.* 2. *l.* 3. *ibi.*

F 2. 2. 165. 2. *ad* 1.

Instrumentum diaboli ad deijciendum virum.

G *Iob* 2. *l.* 2.
H *Op.* 3. *cap.* 189.
I 2. 2. 163. 4. 1. *In* 2 *d.* 22. *c.* 3. *Han. ibi. a.* 1.

Peccatum Euæ grauius quàm Adæ.

Triplici ratione, & quo sensu.

Deus offenditur non rarò, ne homo inimicetur.

K *Op.* 3. *c.* 190.

Primæ mulieris peccatum multiplex.

Excusat peccatum suum.

L *Gen.* 3. *ibi.*

M *Io.* 8. *l.* 1. *lit. c. ibi.*

N 4.d.1.2.2. q.2.c.

Peccatum originale quã tùm ad pœnalitates à fœmina dependit. Quare circũcisio viris non mulieribus data sit.

posset se excusare; quod est consuetudinis mulierũ *secundùm illud Prou.30.* Tergens os suũ, dicit: Non sum operata malum. *Et quamuis certissimũ sit, quòd* peccatum N originale, quantùm ad culpam, & reatum, descendit à patre in filios; quantùm ad pœnalitates, descendit à fœmina: quia pater est efficiens in generatione, & mater materiam ministrat. Et hæc est causa, quare circumcisio viris, & non mulieribus data est: quia circũcisio data est contra originale ad tollendum culpã, non autem ad tollendum carnis corruptionem. *Vnde nedum Adæ præuaricationis & culpæ causa extitit mulier, sed & omnium, quas patimur, pœnalitatum fons, & origo fuit.*

Primæ mulieris superbia adhuc in aliis perseuerat.

O 1.Tim.2. l.3. ibi, seducta. In 2.d.22.exp. tex.

P Is. 4. §.1. ibi, mulieres.

Sicut Eua molesta Adæ, peccatum suggerendo: ita modò mulieres viris molestæ in tribus.

d *Et quidem illa mentis elatio, in muliere adhuc perseuerat, quæ ignorantia in ea ad seductionem ab initio causa fuit. Non enim præcessit ignorantia:* quia O statim ad verba serpẽtis fuit elata, eo quòd alius esset de ea solicitus: & ex illa elatione seducta; est vnde elatio præcessit. *Quemadmodum pariter Eua viro extitit molesta suo, vt de ligno vetito comederet: ita & nunc* solent P mulieres in tribus molestæ esse viris, scilicet in contemptu virorum, in superfluo victu & vestitu, & in superbiæ fastu. *Ex quo & ipsæ quodammodo peccatum viris suggerunt vbi eis ad peccandum occasiones præbent. Propterea de superbia, & lascivia à Deo arguuntur Is.* 3. Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis cõposito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion &c. *Quibus verbis. Primò* Q arguit earum superbiam in corde, cum dicit, *pro eo, quòd eleuatæ sunt,* scilicet in superbiam Ps.130. *Domine non est exaltatum cor meum, Secundò* arguit superbiæ signum in corpore: *ambulauerunt extento collo,* quod signum superbiæ est, Iob.15. *Cucurrit aduersùs eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Deinde arguit lasciuiam earum in quatuor, quibus homines ad concupiscentiam prouocabant. Et primò in ipso visu: *& nutibus oculorum ibant,* Prou. 6. *Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius:* Secundò in lusu, *& plaudebant,* scilicet *ex glossa* ludendo (*inchoreis*) Eccli.9. Cum saltatrice ne assiduus sis, ne fortè pereas in efficacia illius. Tertiò in incessu, *& ambulabant,* Prou.7. *Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* *Quartò* in lasciuo ornatu, *composito gradu,* ornatæ *ex glossa* de rapina pauperum, Prou.7.cit. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* Deinde cominatur pœnam: *Decaluabit Dominus verticem filiarũ Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Decaluabit* quantùm ad capillos veros: *nudabit,* quantùm ad capillos adulteros &c. *Vide fusiùs ibi. At verò vbinam suã fundat mulier superbiam, & elationem, cum tot, tantorumque defectuum, cum spiritualium, tum corporalium, referta sit? Pulchritudo siquidem vana est & rara. Vana, quia Prou.31.* Fallax gratia, & vana est pulchritudo. *Rara, quia si vel minimum defectusculum admittit, ex integro tollitur.* Malum *enim* ex quocumque defectu, bonum ex integra causa cõsurgit. *Quid ergo pulchritudine intumescit? Consideret vlteriùs, quòd* exterior R pulcritudo, & ornatus, multis fuit (*est & erit*) occasio casus, *& eam possidentibus. Profectò præ cæteris* fatuæ sũt S illæ mulieres, quæ naturaliter deformes sunt, & tamen laborant ad hoc, quòd pulchræ fiãt cum hoc nullo modo obtinere possint (*nunquam enim Æthiops albus fiet:*) ad hoc autem, quòd sint bonæ, laborare nolunt: quod tamen melius est, & ab eis obtineri potest. Mulier, quæ ad hoc laborat, vt sit pulchra, & non ad hoc, quod sit bona, videtur plùs amare vtilitatem alterius, quàm suam: quia si pulchra fuerit, alii pulchra erit, cuius oculos pascet eius pulchritudo. Si autem bona fuerit, sibimet bona erit, secundũ illud Prou.9. *Si sapiens fueris sibimet ipsi eris.* Ad malum suum fuerunt pulchræ, quæ propter pulchritudinem suam damnabuntur. *Non ergo laudabilis mulier ex eo quòd pulchra, sed ex eo quòd bona. Vnde sapiens, postquã prompsit:* Vana est pulchritudo, *immediatè subiicit:* Mulier timens Deum ipsa laudabitur. *Hereditaria quoq; culpa in mulieribus est curiositas, quæ quidem ex ociositate deriuatur.* Multam enim malitiam *Eccli.33* docuit ociositas. *Vnde Apostolus 1. ad Tim.5.* Ociosæ discũt circuire domos: nõ solùm ociosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet. *Quo loci Author:* Cor. T mulieris *inquit* non est firmum, sicut viri: & propter hoc ad diuersa mouetur. Si ergo non adstringuatur ad operãdũ, oportet ferri ad diuersa. Et ideò est periculum, quòd mulieres sint ociosæ. Item efficiuntur instabiles quoad locũ; quia *discũt circuire domos,* Prou.7. *Nunc foris, nunc in Plateis &c.* & Ier.14. *Dilexit mouere pedes suos, & non quieuit: &* (nota) *Domino non placuit.* Quantùm ad verba, dicit, *verbosa:* ex quo enim non occupãtur, multùm vacant nugis, Prou.7. *Garrula, vaga &c.* Quantùm ad cor dicit, *curiosa:* quia ex quo non occupãtur in suis (*nota*) intromittunt se de alienis; & ideò *loquuntur quæ non oportet:* quia omnium facta diiudicant (*quàm veraciter dictũ!* *Eccli.9* Colloquiũ illius quasi ignis exardescit; *vasta scilicet familiis incendia ingerendo; nã* à scintilla vna augetur ignis, *vt dicitur Eccli.11. Et iterum Apostolus 2. ad Tim.* 3. Sẽper discentes, & nunquã ad scientiam veritatis peruenientes. *Semper discentes:* quia V curiositas semper noua nititur quærere, & non vult insistere: *& nunquã ad scientiã veritatis peruenientes,* quia vt dicitur *Prou.9.* Mulier stulta, & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omninò sciẽs, sedit in foribus domus suæ, vt vocaret transeuntes per viã; ad *curiosè videlicet interrogandum, deque aliorum factis detrahendo, ad turpia alliciendo &c. vt experientia docemur.*

Vana mulierum pulchritudo, & rara; proinde vanum superbiendi motiuum.

Malum ex quocumque defectu; bonum ex integra causa.

R Op.58. c.8. sub initio, & fusè Op. de er. Pr.l.5. c.53. 56. & 2.2.142. 2. ad 2.

S Op. de er. Pr.l.5. c.53.

Pulchritudo corporalis multis occasio ruinæ.

Fatuæ deformes mulieres quæ laborant, ut pulchræ fiant, non vt bonæ.

Damnatur earum curiositas ex ociositate.

T 1.Tim.5. l.2. ibi.

Mulier circumuagans Deo non placet.

V 2. Tim.3. l.2. ibi.

e *Et ò quã vtiliùs manus domi, nã foris linguam exercerẽt! In hoc quippè laudatur à Salomone optima mulier, quòd scilicet quæsiuit lanam, & linũ, & operata est consilio manũ suarũ, vt habetur Eccli.31* Per hoc X volens ostendere, quòd istud sit propriũ mulierũ officium: propter quod & in gestis Caroli Magni scribitur, quòd filiabus suis, quas intimè dilexit, colo & fuso mãdauit insistere, & operosas esse. *Cæteros etiã earum defectus virtualiter tangit Apostolus ad Tit.2. cũ ait:* Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruiẽtes, benè docẽtes, vt prudẽtiã doceãt adolescẽtulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias &c. *Anus similiter in habitu sancto,* idest, Y carẽtes lasciuia, & põpa (*à qua nec matura ætas, non sine scandalo, potest retrahere:*) specialiter autẽ anus hoc seruare debent; quia iuuencularũ est propter viros suos modestè se ornare. *Non criminatrices:* duo enim sunt in sene: vnũ, quod cõmune est senibus, scilicet, quòd sunt suspiciosi, quia viderũt multa mala, quæ similiter præsumunt de aliis. Item in mulieribus, quæ specialiter sunt zelotypæ. Et vtrumq; contingit in vetula, quia ratione ætatis est suspiciosa; ratione sexus est zelotypa, Eccli. 26. *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus cõmunicans;* & ideò dicit, *nõ criminatrices* (*1.Tim.3.* Mulieres similiter pudicas, non detrahentes:) Quantùm ad conuictũ, dicit: *non multo vino seruientes,* & de viris dixit: *vt sobrii sint.* Dicitur autem, *non multo;* quia quandoq; vtuntur eo propter frigiditatẽ earũ. Quantùm ad doctrinã dicit, *benè docentes* (priuatì) *vt prudentiã doceant,* & hoc magis ad anus, quàm ad viros; quia quandoq; docẽt fabulas aniles magis quã proficua; & etiã quia magis ipsæ conuersantur cum pueris, & cum familia, quàm viri. (*Vnde & de his scribit Author, quòd quandoq;* visu Z vrenti, & aspe-

Colo, & fuso insistere proprium mulieris officium.

X Op.20.l.4. c.6. fin. & c.5. sub initio.

Y ad Tit. 2. l.1.

Quinam cæteri earum defectus ex Apostolo.

aspectu inuido fascinant pueros, qui ex hoc infirmantur.) Deinde cum dicit, *adolescentulas*, ostendit qualiter instituat iuuenes fœminas, scilicet, *vt viros suos ament*; viro enim debetur amor, Prou. 12. *Mulier diligens corona est viro suo. Et filios suos diligant*: & hoc est naturale, Io. 24. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vterò sui? Nec tamen desunt quæ & filios oderunt, & viros.*) Quantum ad se ipsas, tria dicit. Vnum quoad rationem, scilicet *prudentes*, Prou. 19. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè vxor prudens*: (*quasi rarò talis inueniatur.*) Et hoc necessarium est, quia iuuentus earum, & sexus contrariantur prudentiæ. Aliud est, quantùm ad concupiscibilem, scilicet cum dicit *castas*. Tertium verò quantum ad irascibilem, cùm dicit, *Sobrias*: *Non enim accipitur hic sobrietas specialiter prout attenditur circa potum, sed generaliter pro mensura rationis in omnibus*. Bria

Z ad Tit. 2. l. 3. ibi, sobriè & 2.2. 143. c. & 149. 1 c

enim Z mensura est: & homo dicitur sobrius, si cum mensura rationis vtatur exterioribus rebus, & propriis passionibus. *Et quia non ita facilè mulier passiones moderatur: idcircò dicebat initio Author*: Mulieres *ex Philosopho* neque continenter A dicuntur, neque incontinentes, quia non ducuntur, quasi habentes solidam rationē sed ducuntur quasi de facili sequentes passiones. *Quò facit illud impiæ Herodiadis* Mat. 14. *quæ impudenti filiæ suasit, vt ab Herode peteret impudicæ saltationis in præmium caput Ioannis*: Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. *Vbi Author*: Mulieres *inquit* aliquando B sunt piæ, & mobilem affectum habent; vndè quando sunt piæ, maximè sunt piæ: sed quando sunt crudeles, maximè sunt crudeles, Eccli. 25. *Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris*. Et ibidem inferiùs (*veluti compendio quodam omnium*) *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris*. Et priùs iterùm compendiosiùs: *Omnis malitia, nequitia mulieris*. Vix enim (*subiicit Author*) cogitaret homo quæ cogitat peruersa mulier. *Et quidem in mala fœmina vniuersitas quodammodo peccatorum est*. Omne *enim* quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. *Concupiscentia carnis* est *ex glossa* desiderium C omnium, quæ ad voluptates, & delicias corporis pertinent, vt cibus, potus, concubitus. *Concupiscentia oculorum*, quando visus delectatur, vt in pulchris vestibus, auro, & similibus. *Superbia vitæ* est omnis ambitio seculi. *Hæc autem omnia, vt visum est, in mulieribus vt plurimùm deprehenduntur; igitur, & vniuersitas peccatorum; peccata enim omnia ad tria hæc reducuntur. Vnde & illud Apoc. 17.* Vidi mulierem sedentem super bestiam, *exponitur*: idest D omnium mundanorum vniuersitatem, quiescentem super diabolum. *Verùm, si nonnulla valdè crudeles sunt, plures tamen reuerà valdè piæ dignoscuntur; de quarum pietate, aliisque illarum optimis qualitatibus* Num. seqq. DISCE *mulieri*, quasi inferiori vasculo 1. Pet. 3. *aliquid indulgere.*

Difficilè passiones moderari norunt.

A 2.2. 156. 1. ad 1. fin.

B Matt. 14. lit. a. ibi.

Mulieres, aut valde piæ, aut valde crudeles.

Maxima mulieris malitia: in qua vniuersitas peccatorum.

C 1. Io. 2. §. 5. ibi.

D Apoc. 17. com 2. §. 1. ibi.

XXI. Magdalenæ committitur, vt resurrectionem Dominicam discipulis annunciet: vt sicut mulier viro primò nunciauit verba mortis ita & mulier primò nunciaret verba vitæ. *Io. 20. lec. 3. lit. f.*

f TRia in muliere præ cæteris commendabilia sunt: *misericordia nimirùm in proximos, teneritudo amoris in filios, pietas in Deum. Quæ quidem videtur & Apostolus tangere 1. ad Tim. 5.* In omnibus operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit; si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. *Si filios educauit*, scilicet E in timore Dei, & castitate, Eccli. 7. *Filii tibi sunt? erudi illos, & curua illos, à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? Serua corpus illarum: & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* (Amant *autem Mulieres viros, sed filios* diligunt, *ad Tit. 2.* Vt viros suos ament, filios suos diligant: *quia* ad viros F est amor feruentior, sed ad filios naturalior. *Et quidem* mattres G naturaliter plùs diligunt filios, quàm Patres. Et hoc propter tres rationes. *Primò* quia magis laborant in eorum generatione, unde ponunt magis ibi de suo. *Secundò* quia magis sciunt, quòd sunt sui filii, quàm Patres. *Tertiò* quia statim natos, secum tenent, & nutriunt; non autem Patres. *Vnde &* Mattres H quæ maximè amant, plus quærunt amare, quàm amari. *Ecquid ni tenerrimè diligant quos nouem mensium spatio in ventre gestarunt, per tot menses cum suo non leui detrimento vbera præbent, totque annos, non sine assidua defatigatione, in moribus educant, instruunt in fide? Quod spectat ad amoris teneritudinem in filios.*) Quantùm ad alios, tangit tria opera pietatis, *hoc est, misericordiæ*; quia mulieres habentes cor molle, sunt naturaliter misericordes. (*Dicit autem*, habentes cor molle, *scilicet* ex naturali I dispositione. *Idcircò, ne præter dispositionem naturalem ex vitio molliores euadant, sibi à deliciis abstinendum: nam*, quæ in deliciis est, viuens mortua est, 1. *Tim.* 5. Licet K deliciæ, *ait Author*, sint omnibus hominibus occasio mortis, specialiter tamen mulieribus, quia ex sui natura habent animi mollitiem. Cum ergo deliciæ emolliant animum, necesse est, quòd mulieres multò plus emolliantur, Ier. 31. *Vsquequò deliciis dissolueris filia vaga?* Deliciosi autem L dicuntur, qui non possunt sustinere aliquos labores, nec aliquid, quod voluptatem diminuat. Vnde dicitur Deut. 28. *Tenera mulier, & delicata quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam.*) Primò ergo docet hospitalitatem: *si hospitio recepit*, Rom. 12. *Hospitalitatem sectantes*. Secundò cum hoc simul ponit humilitatem *si Sanctorum pedes lauit*. Sic enim sunt Sancti recipiendi, & honorificè tractandi. Tertiò ponit fortitudinem & constantiam. vt scilicet tribulatis assistat. vnde dicit: *si tribulationem patientibus subministrauit*, *Hebr.* 10. Vinctis compassi estis. *Quæ cuncta pertinent ad misericordiam in proximos. Pietatem verò in Deum tangit vbi supra Apostolus, cùm dicit*: si omne opus bonum subsecuta est, idest L prosecuta: *quia vt præmiserat antecedenti capite*, Pietas ad omnia vtilis est. *Pietas*, quæ hic M accipitur & pro cultu Dei, *ad omnia vtilis est*: quia ad omnia bona promouenda, 1. *ad Cor.* 10. Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Quod spectat ad pietatem in Dei cultu.*

g *Huius autem pietatis in Deum comes est perpetua in mulieribus deuotio. Ex quo Ecclesia specialiter Deiparam inuocat iis verbis*: Intercede pro deuoto fœmineo sexu. *Et quamuis naturalis solummodò videatur (unde docemur, quòd* Chananæa N satis videbatur pietatem ostendisse; sed hæc videbatur naturalis: ideò Dominus abijciebat eam:) *ex consuetudine tamen ad naturalis deuotionis actus, faciliùs in actum* vir-

Tria præ cæteris comendabilia in muliere.

E 1. Tim. 5. l. 2. ibi.

1. Amor ad filios.

F Ad Tit. 2. l. 1. ibi.

G 3. d. 29. 1. 7. ad 4. & 2. 2. 26. 10. Mat. 10. lit. b. ibi, Matrem.

Matres magis diligunt filios, quàm Patres: & plus amare quærunt, quam amari.

H 2.2. 27. 1. fi. c.

2. Misericordia in proximos.

Mulieres naturaliter misericordes, quia cor habent molle.

I 2.2. 138. 1. ad 1.

Idcircò sibi à deliciis abstinendum, ne molliores euadant ex vitio.

K 1. Tim. 5. l. 2. ibi.

Quinam deliciosi dicantur.

L 2. 2. 138. 1. ad 2.

3. Pietas in Deum.

L 1. Tim. 5. l. 2. ibi.

M 1. Tim. 4. l. 2. ibi.

Mulierum deuotio commendatur.

N Matt. 15. lit. b. ibi, non sum missus.

2.2.83.15. & a.3. ad 1. 82.2. c.& 14.3. ad 1. O Io 19. l.4. l. b. ibi & c. O. l.2. lit.a.

virtutis religionis, cuius O est primus actus deuotio, *pia mulier erumpit*. *Propter quam commendantur in Euangelio mulieres illæ, quæ Io. 19.* Stabant iuxta crucem Iesu. *Hoc enim*, quòd P mulieres *stabant iuxta Crucem*; & discipuli eo relicto fugerunt, mulierum commendat deuotam constantiam. *Deuotam inquam constantiam: & quòd nedum* stabant ibi, *ut enarrat* Ioannes; *sed ut* Matthæus *refert*, *ex speciali deuotione* secutæ *etiam* erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: *secutæ scilicet usque ad Crucem, hoc est, usque ad mortem*; *sed & post mortem usque ad sepulchrum, quousque resurgentem viderunt, & deuotè adorauerunt*. *Ex eo autem deuotio magis in mulieribus abundat*; *quia cum contemplatio, &* meditatio Q sit deuotionis causa, *accidit non rarò, quòd* scientia R & quicquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quòd homo confideret de se ipso, & ideò non totaliter Deo se tradat: & inde est, quòd huiusmodi quandoque occasionaliter deuotionem impediunt; & in simplicibus, & mulieribus deuotio abundat elationem comprimendo. Si tamen scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat: ex hoc ipso deuotio augetur. (*Vide ibi Caietanum*.) *Propter has, aliasque mulierum, quas præterimus virtutes, non est fœmineus Sexus contemnendus, sed honorandus; ac vel maximè, quòd ex muliere Christus Dominus noster conceptus est, natusque nobis, & datus*: *siquidem* ne Sexus S fœmineus contemneretur, congruum fuit, vt carnem assumeret de fœmina. *Exinde ad eam una mulier excellentiam dignitatis peruenit, ut vera esse Dei mater digna fuerit, qualis fuit MARIA* semper Virgo, mulieris sexus coryphæus, summunque fœminarum decus omnium, & gloria singularis. *Vnde Augustinus*: Mater generis nostri pœnam intulit Mundo: Genitrix Domini nostri salutem attulit Mundo. Auctrix peccati Eua; Auctrix meriti Maria. *Nec tamen per mulierem originalis peccati traductio est, sed per virum*. Cum *enim* peccatum T Originale traducatur simul cum natura; sicut per virtutem actiuam viri, muliere materiam ministrante, natura traducitur: ita & peccatum originale. Vnde si Adam non peccasset, Eua peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros. Illa enim est causa, quare Christus peccatum originale non traxit, quia ex sola fœmina, sine virili semine carnem accepit.

Vnde in mulieribus magis deuotio contingat.
Q 2.2.82.4. & 4.c.
R Ibid. a.3. ad 3. Ma. 11.1. ad 7.
Christus de fœmina carnem assumpsit, ne sexus fœmineus contemneretur.
S 3.p.31. 4. ad 1. In 3.d.12. 3.2.q.2.c.
T Rom. 5. l. 3. ibi, per vnu.
Peccatum originale per virum traducitur, non per mulierem, ex qua sola sine viro Christus conceptus, ideò originale non traxit.

h *Sanè ex Christi conceptione in utero Virginis plura mulieribus consecuta sunt Dei munere priuilegia*. *Cuius in signum, ex tribus, quos Dominus ad vitam reuocauit, duo ad mulierum* preces, *sororum scilicet Lazari, & viduæ plorantis suscitati sunt: & tertio loco puella*. *Priuilegiatus in quam fuit sexus fœmineus & in animi fortitudine ex gratia, cuius expers erat per naturam ita ut Deus* etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulerit: *quia ex Chrysostomo*: Mulitæ fœminæ animo virili spiritalem militiam gesserunt. Quædam enim viros æquauerunt in agonibus martyrum: quædam etiam fortiores viris extiterunt. *Et quidem ex tunc* debiles V fœminæ diabolum vicerunt, à quo tamen fortissimi viri superati sunt. *Quò facit illud Iob. 40.* Nunquid illudes ei (*diabolo*), quasi aui, aut ligabis eum (*siuè, ut legit Author*, eum) ancillis tuis? *quia* ad literam X post passionem Domini iuuenculæ ancillæ Christi illudunt ei, *deuictæ veluti, atque deuinctæ*. *Quicquid enim mali per mulierem ab initio nobis prouenit, per mulierem quoquè restauratum est*. *Nam* sicut Y prima mulier primò locuta est diabolo; sic cum bono Angelo (*in Christi resurrectione*) primò locuta est, ut omnia restaurarentur. *Vnde & primùm mulieribus Christi resurrectio ab eodem Angelo nunciatur*: quia Z in hoc quodammodo reparatur sexus fœmineus. Sicut enim mulier primò in loco vitæ audiit mortem: sic in loco mortis per ordinationem diuinam primò vidit vitam. *Ex quo etiam mulier super Apostolos veluti dignitatem quandam obtinuit: quia Ma: ia Magdalena* facta est A Apostolorum Apostola per hoc, quòd ei committitur, vt resurrectionem Dominicam discipulis annunciet. Vt sicut mulier viro primò nunciauit verba mortis; ita & mulier primò nunciaret verba vitæ: (*quod aiebat iustio Author*.) *Idcircò ipsa, & comites mulieres, ad nunciandum pergentes, Christi sunt salutatione dignatæ; nam* occurrit illis dicens: *Auete*. Et hæc A erant verba consolatoria; quia sicut prima mulier audivit maledictionem: sic istæ mulieres audierunt benedictionem; & maledictioni benedictio respondet: *quæ & Virgini ab Archangelo prænunciata fuerat*: Benedicta tu in mulieribus. *Id quod factum est, sicut præmisimus*, vt omnia restaurarentur: *unde sexus fœmineus maximam adeptus est præcellentiam, & dignitatem*. *Quæ quidam in duabus præsertim eluxit mulieribus, eodem* MARIÆ *nomine decoratis: quarum altera toti mundo* data est speculum innocentiæ, *qualis fuit Virgo Deipara: altera* data est exemplum pœnitentiæ, *qualis extitit Magdalena*. *Quomodo autem gerere se debeat mulier, vt hanc mediis virtutibus præstantiam seruet & dignitatem, Authorem excurre* Opusc. de erud. Princ. lib. 5. à c. 40. DISCE *homo sexui fœmineo deferre, quem Deus adeò in Matre Virgine decorauit*. *Quæ plurima hìc desiderantur, Vide fusè quæ diximus* V. Adam, Bellum, Christi Resurrectio, Cultus exterior, Curiositas *Tom.* 1. Luxuria Matrimonium, Parentes.

Ex quo Christus de Virgine conceptus, sexus fœmineus à Deo priuilegiatus.
V Io. 16. l. 3. lit. b. ibi, princeps.
X Ibid. l. 8. fi.
Y Matt. 28. ibi, Nolite.
Per mulierem damna secuta, per mulierem restaurantur.
Z Ibid. ibi, Maria Magdalena & 3. p. 55. 1. ad 3.
Maria Magdalena Apostolorum Apostola.
A Io. 20. l. 3. lit. f.
A Matt. 28. ibi, Auete.
Duæ Mariæ nomine mulieres, fœminei sexus decus singulare.

MVNDVS.

XXII. Mundum incepisse, est de numero eorum, quæ cadunt sub fide, non sub demonstratione. *Quol. 12. a. 7. corp.*

i DVpliciter *accipitur Mundus: physicè scilicet, & moraliter. Primo modo, ratione sua creationis. Secundo modo ratione moralis eius vel perfectionis vel peruersitatis. Hinc illud Io.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, *tripliciter exponitur*; Vno B modo *secundùm Origenem*, vt accipiamus Mundum ratione suæ perfectionis, ad quam perducitur homo, reconciliatus per Christum; & tunc dicitur: *illuminat omnem hominem venientem* per fidem *in hunc mundum* spiritualem, scilicet Ecclesiam, illuminatam lumine gratiæ. Alio modo *secundùm Chrysostomum* exponitur, accipiendo Mundum ratione suæ creationis. Et tunc est sensus: *omnem hominem venientem*, idest, qui nascitur, *in hunc mundum*, scilicet sensibilem. Tertio modo *secundùm Augustinum* dicit, *venientem in hunc mundum*: ut assignet rationem, quare homo indiget illuminari, accipiendo mundum ratione suæ peruersitatis, & defectus. Quasi dicat; ideò

B Io. 1. l. 5. lit. a. ibi.
Mundus tripliciter sumitur.

T 2 indi-

indiget illuminari, quia venit *in hunc mundum*, per ueritate, & defectibus tenebrorum, & ignorantia plenum, *Luc. 2.* Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. *Et hoc sensu Mundus Cant. 4. dicitur Libanus*: Veni de Libano; *idest* Veni B de Mundo.

B *Cant. 4. co. 2. ibi.*

Mundus *Libanus* dicitur, idest *candidus* per antiphrasim.

Dicitur autem Mundus *Libanus*, idest candidus, per contrarium: quia in eo non est candor. Sicut enim lucus dicitur, quia caret luce; & piscina, quia caret piscibus: sic dicitur mundus, quia caret munditia. *De mundo, ratione suæ perfectionis satis dictum est Tom. 1. Verbo*, Christus; *& Tom. 2. Verbo*, Ecclesia, *pluribusque aliis sparsim locis*. *Quoad ultimus vero creationem, Mundus hic à Deo creatus, omni proculdubio perfectus est, ex illo Deut. 32.* Dei perfecta sunt opera. *Et Eccli. 39.* Opera Domini uniuersa, bona valde. *Idcirco rerum creatione descripta, coherenter legitur Gen. 1.* Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. *Quod & signanter exprimitur: quia* Deus C totum Vniuersum constituit optimum secundum modum creaturæ, non autem singulas creaturas, sed unam alia meliorem. Et ideo de singulis creaturis dicitur: *Vidit Deus lucem, quòd esset bona*; & similiter de singulis: sed de omnibus simul dicitur: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona nimirum* quia D singula quidem sunt in suis naturis *bona*; simul autem omnia *valde bona* propter ordinem Vniuersi, qui est ultima, & nobilissima perfectio eius: (forma enim E Vniuersi consistit in distinctione & ordine partium ipsius.) *Proinde sequitur*: igitur perfecti sunt Cæli, & terra, & omnis ornatus eorum: *Siquidem* expressis F operibus, & singillatim acceptis, & secundum se distinctis, sequitur necessario totius operis perfectio. Et sicut ex præmissis bene ordinatis secundùm artem, sequitur necessariò conclusio: sic etiam Deus, faciendo opera singula, & ornatus, operabatur secundum perfectam sapientiam, & voluntatem; & ex istis infert perfectissimam Vniuersi machinam. *Vnde & Sap. 11.* Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti: *ita vt* per mensuram G quantitatem, siue modum, aut gradum perfectionis vniuscuiusque rei intelligamus: per numerum vero diuersitatem, & pulchritudinem specierum consequentem ex diuersis perfectionum gradibus: per pondus verò inclinationes diuersas ad proprios fines, & operationes, & ad propria agentia, & patientia, & accidentia, quæ sequuntur distinctionem specierum. *Et inde est, quòd* fides H catholica Deum omnipotentem non solùm *Creatorem*, sed etiam *Factorem* nominat; nam facere propriè est artificis, qui per voluntatem operatur: *ne illorum sanere videatur stultitia, qui Vniuersum hoc, casu emersisse, impudenter accuerunt, & ignoranter. Infinita autem Dei sapientia* præcipuè I apparet in dispositione Cælorum, in quibus multa sunt, vt numerus stellarum, & distantia earum, & quantitas orbium, & huiusmodi, de quibus nulla potest ratio assignari, nisi ex ordine sapientiæ conditoris; quamuis fortè alicuius diuersitatis, quæ est in generabilibus, & corruptibilibus, possit ratio assignari ex diuersitate materiæ. Et propter hoc Dominus frequenter in Scripturis ad ostensionem diuinitatis suæ remittit ad considerationem Cælorum; Is. 40. *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc.* Ex quo dicitur Ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei &c.*

C *1. p. 47. 2. ad 1. Pot. 3. 10. c. & 3. con. G. c. 64.*

D *2. con G. c. 45. fin.*

Propter ordinem creaturarum in ipso

E *Ibid. cap. 39. fin.*

Mundi perfectio quoad creationem.

F *Gen. 2. initio ibi & 1. p. q. 67. & 2. con. G. cap. 39. n. 5.*

G *3. con. G. c. 97. & 1. p. 45. 7 c. In 1 d 3. 2. 2. c. Serm. 1. ex Ep. Dom. 2. Adu.*

In quo diuina sapientia elucet, in Cælis præsertim.

H *Op. 3. c. 96. fin.*

I *1. d. 43. 2. 1. fi. c. Pot. 3. 17. c. Ps. 18. li. a. & 6.*

l *Cæterùm* ipse K ordo in rebus sic à Deo creatis existens vniuersitatem Mundi manifestat. Mundus enim iste, vnus dicitur vnitate ordinis, secundum quod quædam ad alia ordinantur. Quæcumque autem sunt à Deo, ordinem habent ad inuicem, & ad ipsum Deum. (Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt *Rom. 13.*) vnde necesse est, quòd omnia ad vnum Mundum pertineant. Et ideo illi potuerunt ponere plures Mundos, qui causam Mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, vt *Democritus*, qui dixit, ex concursu atomorum factum esse hunc Mundum, & alios infinitos, *vt præmissum est*. Propter quod L Aristoteles *in 2. metaph.* ex vnitate ordinis in rebus existentis concludit vnitatem Dei gubernantis. Et Plato ex vnitate exemplaris probat vnitatem Mundi, quasi exemplati. *Idcircò & quod* M Trismegistus dixit: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem*: non est (*inquit Author*) referendum ad generationem Filii, vel processionem Spiritus Sancti, sed ad productionem Mundi. Nam vnus Deus produxit vnum Mundum propter sui ipsius amorem. *Et quidem* secundùm eandem N rationem competit Deo esse gubernatorem rerum, & causam rerum; quia eiusdem est rem producere, & ei perfectionem dare; quod ad gubernantem pertinet. Vnde sicut nihil potest esse, quod non sit à Deo creatum; ita nihil potest esse, quod eius gubernationi non subdatur. *Porrò* Mundum O non semper fuisse, sola fide tenetur: & demonstratiuè probari non potest. Et huius ratio est; quia nouitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi: Demonstrationis enim principium est quod quid est: unumquodque autem secundùm rationem suæ speciei abstrahit ab hic, & nunc, propter quod dicitur, quòd vniuersalia sunt vbique, & semper. Vnde demonstrari non potest, quòd homo, aut Cælum, aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione inuestigari non potest, nisi circa ea, quæ absolutè necesse est Deum velle. Talia autem non sunt, quæ circa creaturas vult. Potest autem voluntas diuina homini manifestari per reuelationem, cui fides innititur. Vnde Mundum incepisse, est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile: (*Id quod dicebat initio Author*: Mundum P incepisse, est de numero eorum, quæ cadunt sub fide.) Et hoc vtile est, vt consideretur: ne fortè aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus, nos propter huiusmodi rationes credere quæ fidei sunt. *Cæpit ergo secundùm fidem Mundus iste in tempore, à Deo creatus secundùm suæ beneplacitum voluntatis: & conuenienter credi ur vernali tempore, quando & Deus homo factus, pro mundo recreando, hoc est redimendo, mori dignatus est.* Tunc Q voluit Dominus passione sua Mundum redimere, & reformare, quando eum creauerat; idest in æquinoctio, *vtique vernali. Vnde & Adam* R dicitur in ætate *iuuenili formatus*: *quæ verno tempori respondet, propter vegetam, floridamque iuuenum complexionem.*

Mũdus ∫unus vnitate ordinis.

Democriti error.

L *1. p. l. c. ad 1.*

M *1. p. 32. 1. ad 1.*

Mundus ab uno Deo regitur gubernatore.

N *1. p. 103. 5. c. & per totam quæstionem.*

Non semper fuisse, fide tenetur, nec demonstrari potest.

O *1. p. 46. 2. c. In d. 2. 1. 1. 5. & 2. con. G. 4 c. 31. Quol 5. a. 1. Et Quol. 12. a. 7. Op. 3. c. 99. Pot. 3. 17.*

P *Quol. 12. a. 7. c.*

Productus est à Deo in æquinoctio vernali, cui respondet Adæ formatio in iuuenili ætate.

Q *3. p. 46. 9. ad 3.*

R *4. d. 44. 1. 3. q. 1. ad 2.*

m *Quemadmodum autem Mundum non semper fuisse, sed aliquando cæpisse, demonstrare non possumus, quia diuina volunt as vestigari ratione non potest; eadem quoque de causa* tempus S, determinatum finis Mundi omninò nescitur, nisi à solo Deo, & ab homine Christo. Cuius ratio est: quia duplex est modus, quo possumus præscire futura; scilicet per cognitionem natu-

Finis quoque mundi ignotus est, solique Deo notus & Christo Domino.

S *Pot. 5. 6. c. & ad arg.*

K *1. p. 47. 3 c. In 1. d. 1. lit. 4.*

naturalem, & per reuelationem. Naturali quidem cognitione aliqua futura prænoscimus per causas, quas præsentes videmus, ex quibus futuros expectamus effectus: vel per certitudinem scientiæ, si sint causæ, ad quas de necessitate sequitur effectus; vel per coniecturam, si sint causæ, ad quas sequitur effectus, vt in pluribus, sicut Astrologus præscit eclipsin futuram, & medicus futuram mortem. Hoc autem modo non potest præcognosci tempus determinatè finis mundi: quia causa motus Cœli, & cessationis eius, non est alia, quàm diuina voluntas; quam quidem causam naturaliter cognoscere non possumus. Alia verò, quorum causa est motus Cæli, vel quæcumque alia causa sensibilis, possunt naturali cognitione præcognosci; sicut particularis destructio alicuius partis terræ, quæ priùs fuit habitabilis, & postea fit inhabitabilis. *Per reuelationem* verò licèt sciri possit, si Deus vellet reuelare: non tamen congruum esset, quòd reuelaretur, nisi homini Christo. Et hoc propter tres rationes. *Primò* quidem, quia finis Mundi non erit, nisi completo numero electorum; cuius completio est quasi quædam executio totius diuinæ prædestinationis. Vnde non competit reuelationem fieri de fine Mundi, nisi ei, cui fit reuelatio de tota prædestinatione diuina, scilicet homini Christo, per quem tota diuina prædestinatio humani generis quodammodò adimpletur. Vnde dicitur Io. 5. *Pater diligit Filium: & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* *Secundò* quia per hoc, quòd ignoratur, quandiu iste status mundi durare debeat, vtrùm ad modicum, vel ad magnum tempus, habentur res huius Mundi, quasi statim transituræ; vnde dicitur 1. Cor. 7. *Qui vtuntur hoc Mundo, sint, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* *Tertiò*, vt homines sint semper parati ad Dei iudicium expectandum, dum omninò determinatum tempus nescitur; vnde dicitur Mat. 24. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Et ideò dicit *Augustinus in Epistola ad Esichium*: Ille qui dicit se ignorasse, quando Dominus sit venturus, vtrùm ad breue tempus, vel ad magnum, Euangelicæ sententiæ concordat. Inter duos autem, qui scire se dicunt, periculosiùs errat qui dicit, in proximo Christum venturum, vel finem Mundi instare: quia hæc potest esse occasio, vt omninò desperaretur esse futurum, si tunc non erit, quando futurum esse prædicitur. *Generale nihilominus signum erit, cum ad summum peccata excreuerint, quasi Deo quodammodo intoleranda, Dan. 8.* Cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie &c. *videlicet Antichristus. Et tunc erit postrema Mundi ætatis finis.* Mundo *tamen* non assignantur T ætates quantùm ad substantiam, quia sic in perpetuum durabit; sed quantùm ad statum: sic enim transibit Mundus, & sic antiquatur, & senescit. Et hoc distinguuntur ætates Mundi metaphoricè, ad similitudinem ætatis vnius hominis. In Mundo autem dicitur secundùm *Prima* ætas ab Adam vsque ad Noe: in qua fuit humani generis institutio, & lapsus. *Secunda* à Noe vsque ad Abraham: in qua fuit humani generis destructio per diluuium, & renouatio. *Tertia* ab Abraham vsque ad Dauid: in qua fuit Circumcisionis, & Legis institutio. *Quarta* à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis: in qua Lex floruit sub Regibus, & Prophetis. *Quinta* à transmigratione Babylonis vsque ad Christum: in qua fuit populi captiuatio, & liberatio. *Sexta* à Christo vsque ad finem: in qua est humani generis redemptio. *Et* currunt V simul sexta, & septima ætas, scilicet quiescentium, & laborantium: & post has erit octaua ætas resurgentium. *Vocat autem vltimam hanc Mundi ætatem Apostolus ad Hebræos 9.* Consummationem seculorum: *Etenim*, sicut X in alijs ætatibus hominis est numerus annorum determinatus, non autem in senio, quia senium incipit à 60. anno, & aliqui viuunt per centum & viginti annos: Ita non est determinatum (*quoad cognitionem nostram*) quantùm iste status Mundi debeat durare; tamen est *consummatio seculorum*, quia non restat alius status ad salutem. *Hac compendiosè de Mundi sensibilis creatione, & duratione. De Mundi verò moraliter sumpti peruersitate* Num. seqq. DISCE *à perfectione Mundi infinitam Dei Sapientiam admirari. Vide suo* Dei potentia, *&* Prouidentia, Iudicium vniuersale *Tom. 2.*

Licèt per reuelationem sciri possit, congruè tamen non reuelatur propter tria.

T 4. d. 40. exp. tex. Ps 6. lit. a. fi. Hebr. 9. l. 5. fin.

Mundi ætates.

V Ps. 6. loc. cit.

X Hebr. 9. L. 5. fin In 4. loc. cit. fin.

XXIII. Magna virtus requiritur ad hoc, quòd aliquis in seculo viuens, & immaculatum à vitiis conseruet. *Quol.* 4. a. 23. *ad* 22.

m RAtione suæ peruersitatis iam Mundum consideramus: *quem idcircò Propheta desertum dicit, Ioel.* 1. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti. *Vbi Author*: Desertum Y vocat Mundum propter spiritualium bonorum defectum ibi. Concomitatur enim se, temporalium bonorum abundantia (*nota*) & spiritualium indigentia. *Ex quo* Mundus Z dupliciter tentat. Primò per nimium, & immoderatum desiderium rerum temporalium, 1. Tim. 6 *Radix omnium malorum est cupiditas.* Secundò per persecutores, & tyrannos, terrendo. 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Quasi A duplici proinde manu pugnat contra nos, scilicet dextera prosperitatis, per prospera nos alliciendo: & sinistra aduersitatis, nos per aduersa terrendo: *At frequentiùs facilius, feliciùsque prosperitate pugnat, & vincit, quàm aduersitate.* Omnes *autem* res B mundanæ ad tria reducuntur, scilicet ad honores, diuitias, & delicias, secundùm illud 1. Io. 2. *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est*, quod pertinet ad delicias carnis: *& concupiscentia oculorum*, quod pertinet ad diuitias: *& superbia vitæ*, quod pertinet ad ambitum gloriæ, & honoris. *Concupiscentia carnis est ex glossa*, desiderium C omnium, quæ ad voluptatem, & delicias corporis pertinent, vt cibus, potus, concupitus. *Concupiscentia oculorum*, quando visus delectatur, vt in pulchris vestibus, auro, & similibus. *Superbia vitæ* est omnis ambitio seculi. (Bene autem dicitur tertium *superbia*: quia magis est *supra viam* & extra viam humanæ naturæ, quàm alia duo, quorum concupiscentiæ sunt hominum, & quasi naturales.) *Erudimur consequenter, quòd* triplex est D forma seculi. Prima dat esse terrenum, secunda animale, tertia diabolicum. *Concupiscentia oculorum*, scilicet auaritia, facit hominem terrenum: *Concupiscentia carnis* animalem: *Superbia*, similem facit diabolo. De his tribus Iac. 3. *Non est ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis diabolica.* Primo modo conformantur huic seculo auari, secundo gulosi, & luxuriosi, tertio superbi. Ideò pereunte seculo, peribunt & ipsi. *Gregorius*: Qui labenti innititur, necesse

Mundus desertum & cur

Y Op. de er. Pr. in Præfat.

Z Op. 7. Petit. 6.

Dupliciter tentat, prosperitate, & aduersitate.

A 1. lo. 5. §. 2. ibi, quis est. Apoc. 12. com. 2. §. 5. ibi, die ac nocte.

B 1. 2. 108 3. ad 4. & a. 4. c.

C 1. lo. 2 § 5. ibi.

Mundana omnia ad tria reducuntur.

D Serm. 1. in Ep. Dom. infr. Oct. Epiph.

Triplex seculi forma.

necesse est, vt cum labente ruat. *Et quia his tribus, non secus, ac mulier, allicit Mundus, & fallit, mulieris nomine exprimitur Apoc. 17.* Vidi mulierem sedentem super bestiam &c. *Mulierem*, idest E omnium mundanorum vniuersitatem, quæ dicitur mulier propter vitæ mollitiem, & fallendi facilitatem. (*Is. 19.* In die illa erit Ægyptus, quasi mulieres) *sedentem super bestiam*, idest quiescentem super diabolum.

E *Apoc. 17. tom. 2. §. 1. ibi.*

O *Sanè nihil in Mundo est, quod plenè saturet, & appetitum quietet, Eccle. 1.* Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. *Quin & in fastidium mundana veniunt cuncta. Nam ad bonorum spiritualium & æternorum differentiam*, luxus F præsentis seculi solet aliquando in fastidium verti; idest, quantumcumque homo esuriat, & sitiat, tandiu posset comedere & bibere, quòd fastidiret. Et quantumcumque sit homo fessus, tandiu posset in lecto pulchro iacere, quòd fastidiret. Hoc autem facit fidelitas creaturarum (*nota*) quæ non permittit hominem in ipsis creaturis quiescere, sed ad Creatorem suum remittit. *Non potest inquam homo in mundanis quiescere: quia nil in eis permanens, nil verum bonum, sed totum apparens est*, 1. *Io.* 2. Mundus transit, & concupiscentia eius; *non secus ac in speculo rerum imagines*: præterit enim figura huius Mundi, *dicebat Apostolus* 1. Cor. 7. *Quasi diceret*: Mundana G quasi non sint, æstimanda sunt: quia *præterit figura*, idest exterior pulchritudo, vel quod est ibi fragile, conueniens statui fragilitatis. Transibunt enim qualitates mortales, & remanebunt immortales. Ideò *transibit mundus, & concupiscentia eius*; omnia enim innouanda: quia *figura*, non substantia, *Mundi*, non Paradisi; *præterit*, non sistit. *Et quidem Apostolus, sermonem alibi faciens dè spiritualibus, & temporalibus*, vnum H ponit contra vnum, & temporale contra spirituale: *Vt seductores, sed veraces*, 2. Cor. 6. *Sicut qui ignoti, & cogniti &c.* Sed tamen in temporalibus semper addit quandam conditionem, putà, vt, *sicut, quasi, tanquam*; sed in opposito spirituali nihil addit. Cuius ratio est, quia temporalia, siuè sint bona, siuè mala, siuè transmutabilia, & apparentia, habent tamen similitudinem, vel boni, vel mali. Et ideò dicit: *vt seductores, & sicut qui ignoti &c.* quia non erant (*Apostoli*) in rei veritate sic, sed in opinione hominum. Bona autem spiritualia existentia sunt, & vera; & ideò non addit eis conditionem aliquam. *Apparet quippe hominibus Mundi huius prosperitas, at reuera non est*, 4. *Reg.* 2. Habitatio ciuitatis huius optima est. *Ciuitatis huius* scilicet I Iericho, idest Mundi, *habitatio optima est*: ita enim videtur Mundi amatoribus, quòd sit bona propter diuitias: melior propter delicias: optima propter honores. Sed è conuerso mala est propter diuitias, quia citò pereunt: peior propter delicias, quia citò transeunt: pessima propter honores, quia nimis affligunt. *Vnde & Eccles.* 1. *dicitur.* Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole: & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. *Monebat proinde Dominus Martham Luc.* 10. Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. *Hinc Apostolus Iacobus de apparente hac, atque transitoria prosperitate cap.* 1. *ait*: Sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt. *Exortus est sol cum ardore*, sicut fit K tempore æstiuo circa meridiem, *& arefecit fœnum*, idest virorem fœni, *& flos eius decidit*, in mane scilicet ortus, *& decor vultus eius deperiit*, idest pulchra apparentia, per quam delectabat aspicientes. *Sed & ipsa Mundi voluptas momentanea veluti, nedum transitoria est. Vnde & Philosophus dicit in lib. Topic.* In voluptatibus melius est fieri, quam factum esse: *quod exponens Author*: ita L vt *inquit* per melius non intelligatur operatio boni honesti, quod pertinet ad virtutem; sed boni delectabilis, quod pertinet ad voluptatem: voluptas enim est in fieri. Quorum autem esse est in fieri, quando facta sunt, non sunt: vnde bonum voluptatis magis consistit in fieri, quàm in factum esse. *Et quod magis lacrymabile est, ipsemet homo, cum transitoria hac, & apparente Mundi felicitate, quasi flos conteritur, & citò deficit, Iob.* 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur, & conteritur. *Vnde & cap. 7. præmiserat*: Dies mei velociùs transierunt, quam à texente tela succiditur. *Siquidem* vita M hominis quantum ad aliquid similis est texturæ. Sicut enim ille, qui texit telam, fila filis adiungit, vt ad perfectionem telæ perueniatur, qua perfecta eam succidit: sic ad hoc, vt vita hominis perficiatur, dies diebus adduntur. Cum autem fuerit perfecta totaliter, succidetur. Ideò autem ait, quod *velociùs transeunt dies hominis, quàm tela succidatur*: quia in opere telæ textor interdum quiescit: sed tempus vitæ hominis absque quiete continuò labitur. *Quin & non rarò tela hæc vitæ nostræ* adhuc N imperfecta præciditur in iuuentute, *secundùm illud Is. 38.* Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me. *Et quid breuius, quid incertius humana vita? Audi Apostolum Iacobum cap.* 4. Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam Ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. *Vapor est ad modicum parens*, idest O breuis, & transitoria ad modum vaporis, idest fumi resoluti ex aliquo humido: *& deinceps*, idest parum post, *exterminabitur*, idest citò deficiet. *Et Iob. cap.* 7. Memento, quia ventus est vita mea: *idest* vento P similis: sicut enim ventus pertransit, & vltra non reuertitur: ita vita hominis.

F *1. Pet. 1. §. 2. ibi*, immarcescibilem.

Mundana non saturant, quin & in fastidium veniunt, vt hominem ad suũ Creatorem remittant.

G *1. Cor. 7. l. 6. ibi.*

Quia non permanentia, transitoria, & apparentia tantùm.

H *2. Cor. 6. l. 2. fin.*

I *Apoc. 6. tom. 2. §. 5. ibi*, non vindicas.

K *Iac. 1. §. 6. ibi.*

L *Virt. c. 4. 13. ad 10.*

Homo ipse, cum mundanis transitorijs citò deficit.

M *Iob. 7. lec. 2. ibi.*

Vita humana texturæ similis, immò vapori, & vento.

N *Is. 38. ibi*

O *Iac. 4. §. 6. ibi.*

P *Iob. 7. lec. 2. ibi.*

p *Quæ cum ita sint*: Vanitas vanitatum, *dicat Ecclesiastes cap.* 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; *& cap.* 2. Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi, quòd hoc quoque esset vanitas. Ædificaui mihi domos, & plantaui vineas; feci hortos, & pomaria *cum iis, quæ sequuntur*. Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra (*nota*) sudaueram: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. *Et ò quàm stultè in vanitatibus his gaudent mundani, & exultant! Io.* 16. Mundus gaudebit; vos autem contristabimini. *Vbi Author*: Tria *inquit* ostendunt Q lætitiam mundanorum esse stultam. Primò tempus: quia modò non est tempus gaudendi, sed flendi, Eccle. 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi.* Præmittit tempus flendi, vt ostenderet, quod tempus flendi est præsens: & futurum erit ridendi. Secundò locus: quia Mundus iste locus est tristitiæ, & non lætitiæ, Ps. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit*; & Iudic. 2. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium*. Tertiò causa; quia gaudent de malis;

Mundum cuncta, *vanitas vanitatum*

Stultum mundanorũ gaudium ex tempore, ex loco, ex causa.

Q *Serm. 12 Ecc. Dom. 3. post Oct. Pasch.*

malis;

malis, Prou. 2. *Lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. Satis ergo patet, quòd stultum est gaudium mundanorum, cum gaudeant in tempore tristitiæ, in loco miseriæ, in perpetratione malitiæ. *Plena profectò miseria locus est Mundus iste, in quo tot ærumnis, totque periculis obnoxii sumus. Vnde & mare dicitur Ps. 103.* Hoc Mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. *Cui respondet illud Eccli. 43.* Qui nauigant Mare, enarrent pericula eius: illic varia bestiarum genera, *scilicet hominum bestialiter viuentium, variis videlicet peccatorum generibus peccantium*. Mundus *autem* dicitur R mare ratione tumoris per superbiam, Ion. 1. *Mare ibat, & intumescebat*. Ratione inquietudinis per gulam, quia affectus gulosi non quiescit, Prou. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: affer, affer*; gula scilicet & luxuria. Ratione fœtoris, quantùm ad luxuriam, propter quam voluptuosi vocantur hirci; Zach. 10. *Et super hircos visitabo*. Ratione capacitatis, quantùm ad auaritiam, quia non redundat, Eccle. 1. *Omnia flumina intrant in Mare, & mare non redundat*. Ratione feruoris, quantùm ad iracundiam, Is. 57. *Impii, quasi mare feruens*. Ratione amaritudinis, quantùm ad acediam: quæ dum vtilem laborem vel bonæ actionis, vel meditationis, aut orationis refugit, internam amaritudinem gignit. *Sed & ratione amaritudinis eiusdem potest ad inuidiam (quæ fortasse negligentia typographi ibi omissa est) applicari: inuidus enim ex aliena prosperitate marescit, & amarè semper est animo. Et alibi*: Mare S idest seculum, vbi maior minorem deuorat, sicut in mari maior piscis deuorat minorem, *Habac. 1.* Facies hominis, quasi pisces maris. *Et quia in mari pericula imminent, ideò dicitur Apoc. 8.* Væ, væ, væ habitantibus in terra, *idest in hoc Mundo*, propter triplex T periculum Mundi, in quibus ferè omnes periclitantur, scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, Is. 24. *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ*. Fouea luxuriosis (Prou. 23. *Fouea profunda est meretrix*:) formido auaris, laqueus ambitiosis. *Vnde dicitur 1. Io. 5.* Mundus totus in maligno positus est. *In maligno*, idest V in malo igne triplici, scilicet luxuriæ, superbiæ, & auaritiæ. Vel *in maligno*, idest in maligni hostis subiectione. *Vel* Mundus in maligno positus est: *quia licèt exteriùs blandiri videatur, vel ipsis blandimentis malignè occidit. Ita Domine, Ierusalem ingrediensi plausit Mundus* Mat. 21. *Sed mortem eum turpissima condemnauit. Ita Iudas per osculi blandimentum Deicidium impleuit*; *Matt. 26.* Quemcumque osculatus fuero, ipse est &c. & osculatus est eum. *Nempe* sic X facit Mundus illi, quem amare se simulat, sicut fecit Ioab Abner 2. *Reg.* 3. quem quasi osculans occidit. *Quin & simile* Y habetur *cap. 20.* quòd *idemmet* Ioab tenuit mentum Amasæ, *quasi deosculaturus*, & interfecit eum. *Quò facit illud Is. 3.* Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant: *decipiunt* promittendo Z securitatem: *dissipant* præbendo occasionem culpæ.

q *Ex his deducitur, quòd Mundus est iustis oppositus. Et hoc mysticè respexit Dominus, cum ad discipulos ait Mat. 21.* Ite in Castellum, quod contra vos est: *idest* ad literam A in quoddam Castellum, quod ex opposito erat: ad significandum Mundum, in quem misit eos Dominus Marc. 16. *Euntes in Mundum vniuersum &c.* Et ille erit contra vos, Io. 15. *Ego elegi vos de Mundo; propterea odit vos Mundus*, idest B Mundi amatores, vt eis dissimiles. *Si de Mundo fuissetis*: idest C sequentes Mundum: *Mundus quod suum erat diligeret*, sicut suos, & sibi similes. *Ratio verò, quare de Mundo non esse iusti dicantur, triplex est*. Primò D quia Sancti Mundum, & omnia, quæ eius sunt, despiciunt. Secundò quia Mundus eos persequitur. Tertiò quia non secundùm mores Mundi viuunt: mores enim Mundi sunt gaudere, delicijs affluere: mores verò Sanctorum sunt tristari, flere, & affligi. Eligit item Dominus Sanctos de Mundo propter tria: scilicet propter ipsius Mundi malignitatem: propter pœnarum, quæ in eo sunt, multiplicitatem, propter pereundi necessitatem. Mundus item odit Sanctos maximè propter tria. Primò quia ab ipsis Mundus illuminatur, Mat. 5. *Vos estis lux Mundi*. Secundò quia per ipsos à periculis liberatur, Gen. 18. *Si inuenti fuerint ibi decem (iusti) non delebo propter decem*. Vnde sequitur, quòd Sancti sunt causa, quòd Mundus non perit. Tertiò quia per ipsos saluatur; vnde vni ex eis dictum est Gen. 41. *Vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem Mundi*: Et Is. 19. *Mittet eis Saluatorem &c.* Triplex *vlterius alibi* ratio E assignatur. Prima est diuersitas conditionis, quia scilicet Mundus in morte est, sed Sancti sunt in statu vitæ, 1. Io. 3. *Translati sumus de morte ad vitam &c.* Secunda ratio est displicentia correctionis: nam Sancti viri & verbis, & factis Mundi facta reprehendunt; & ideò Mundus odit eos, Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta*. Tertia ratio est iniquitas æmulationis: quia mali inuident viris iustis, cum eos vident crescere, & multiplicari in sanctitate. Sicut Ægyptij videntes crescere filios Israel, habebant eos odio & persequebantur, *Ex. 1. Et Gen. 37. dicitur, quòd* videntes fratres Ioseph, quòd à Patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum &c. *Vnde & Christus Dominus* per inuidiam traditus est. *Non ergo mirandum est, si Mundus iustis aduersetur*, 1. *Io.* 3. Nolite mirari fratres, si odit vos Mundus. *Et certè* non est F mirandum: tria enim solent mirari homines, scilicet magnum, nouum, & rarum. Quòd autem Mundus, idest Mundi amatores, odiant Sanctos, non est *magnum*: non enim Medicus reputat magnum, si phreneticus, quem ipse ligat, mordeat ipsum; excusat enim eum propter phrenesim suam. Item non est *nouum*: à principio enim Mundi fuit istud iurgium inter bonos, & malos, vt inter Cain, & Abel, inter Isaac, & Ismael, inter Iacob, & Esau. Item non est *rarum*; immò valdè consuetum, scilicet, quòd mali odiunt bonos. *Et vnica quidem ab ipsis impiis adducitur ratio Sap.* 2. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est (*nota*) operibus nostris. Quæ enim participatio iustitiæ (*aiebat Apostolus 2. Cor. 9.*) cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? *Ex quo deducitur, quòd* idem est G propter quod Sancti odiuntur à Mundo, & diliguntur à Deo: scilicet contemptus Mundi. *Præfata autem cuncta, quæ de Mundi qualitatibus dicta sunt, perstringit compendio Author ad illud Apoc. 8.* Datæ sunt illis septem tubæ. *Vbi narrans, quomodo capta, & diruta fuit Ierichò*: Sacerdotes *inquit* tulerunt H tubas, quarum vsus erat in Iubilæo, clangentes, & septies circuientes Ciuitatem: & in septimo circuitu, tubis clangentibus, muri Iericho funditus corruerunt. Sacerdotes tubis clangentes typum gerunt prædicatorum, qui debent tenere manu tubas, & clangere ore, idest opere complere, quod ore prædicant, sicut de Domino dicitur Act. 1. *Cœpit Iesus facere, & docere*.

Mundus mare, & cur.

R *Apoc.* 8. *com.* 1. *ibi*, in mare.

Septem vitia capitalia in Mundo.

S *Apoc.* 10. *com.* 2. §. 2. *ibi*, mare.

T *Apoc.* 8. *com.* 2. §. 4. *ibi*, & 1. *Io.* 5. §. 6. *ibi*, in maligno.

Triplex periculum mundi habitatoribus imminet.

V 1. *Io.* 5. *loc. cit.*

Exponitur illud: *Mundus totus in maligno positus est.*

Blanditur Mundus, vt malignè occidat.

X *Op. de er. Pr. l.* 1. *c.* 11.

Y *Mat.* 26. *lit. f. ibi.*

Z *Is.* 3. §. 2. *ibi.*

Mundus iustis opponitur.

A *Mat.* 21. *lit. a. ibi.*

B *Io.* 15. *l.* 4. *lit. c. ibi*, & c. 17. *l.* 3. *lit. f.*

C *Ibid. lit. b. ibi.*

D *Serm. de SS. Sim. & Iud.*

Triplex ratio, cur iusti de hoc mundo non esse dicantur.

Eligit eos Dominus de mundo propter tria.

Propter tria & eos Mundus odit.

Mundus non perit propter Sanctos.

E *Io.* 15. *l.* 4. *lit. e.*

F 1. *Io.* 3. §. 6. *ibi.*

Quòd Mundus iustos oderit, nec magnum, nec nouum, nec rarum est.

G *Io.* 17. *l.* 3. *fin.*

H *Apoc.* 8. *com.* 2. § 1. *ibi.*

Septem circuitus Iericho, septem sunt considerationes Mundi: quibus prædicatores possent euertere mysticè Iericho muros.

docere. Septem circuitus Iericho sunt septem considerationes Mundi: quas si haberent frequenter prædicatores in corde, & in ore, tunc muri Iericho in seipsis corruerent, & postea in alijs corruere facerent. *Prima est* consideratio vanitatis: quia vana sunt omnia in Mundo, Sap. 5. *Transierunt omnia illa, tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens &c.* Et Ps. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* *Secunda* est consideratio vilitatis: quia vilia sunt omnia, quæ in Mundo sunt, Philip. 3. *Omnia arbitratus sum, vt stercora*, quibus nihil est vilius. *Tertia* est consideratio breuitatis, 1. Cor. 7. *Præterit enim figura huius Mundi*; & 1. Io. 2. *Mundus transit, & concupiscentia eius*. *Quarta* consideratio est instabilitatis, Thren. 1. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*: vnde appellatur mare, Is. 57. *Impij, quasi mare feruens*, quod quiescere non potest. *Quinta* est consideratio infidelitatis: quia nulla fides, seu fidelitas in Mundo inuenitur, Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* & Ierem. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in fratre suo non habeat fiduciam &c.* *Sexta* est consideratio falsitatis, seu hypocrisis: quia alius est Mundus, alius apparet, Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*. *Septima* est consideratio malignitatis, 1. Io. 5. *Mundus totus in maligno positus est*.

I *Porrò Mundus modernus* (tametsi & olim & modò idem semper fuerit) *describi videtur satis* Iob. 24. *Vbi dicitur*: Alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos *cum iis quæ sequuntur*. *Quo loci*: Præmittit (*ait Author*) diuersas I hominum culpas. Quorum quidam fraudulenter alijs inferunt nocumenta; vnde dicit: *Alii*, scilicet inter homines, *terminos transtulerunt*, furtiuè scilicet mutantes possessionum confinia: & similia fecerunt in animalibus, quæ gregatim pascuntur; vnde subdit: *Diripuerunt*, scilicet furtiuè, *greges*, scilicet alienos: *& pauerunt eos*, vt sic videantur esse eorum. Et eorum culpam aggrauat, vel exaggerat ex conditione personarum, quibus inferunt nocumenta. Consueuerunt enim homines misereri pupillorum propter defectum ætatis, & carentiam sustentationis parentum. Et contra hoc dicit: *Asinum pupillorum abegerunt*; idest, aberrare fecerunt, vt eum raperent, non miserantes pupillum. Similiter etiam viduarum consueuerunt homines misereri propter

2. fragilitatem sexus; & quia destitutæ sunt virorum solatio. Sed contra hoc subdit: *Et abstulerunt pro pignore bouem viduæ*, quasi sub quodam colore iustitiæ eam aggrauantes. Consueuerunt etiam homines misereri pauperum, qui diuitiarum sustentatione carent. Et contra hoc dicit: *Subuerterunt pauperum viam*; idest abstulerunt eis facultatem sibi necessaria procurandi, eos multipliciter molestando. Solent etiam homines desistere à nocumento eorum, qui alijs nocere non consueuerunt, sed inter alios suauiter conuersantur. Et contra hoc subdit: *Et oppresserunt pariter mansuetos terræ*, qui scilicet nec prouocari, nec prouocare alios nouerant. Sunt autem quidam, qui non fraudulenter, vt prædicti, sed per manifestam violentiam alijs nocent: qui ad mala facienda prorumpunt, quasi nulla disciplina legis contineantur, de quibus subdit: *Alii, quasi onagri in deserto*, idest asini syluestres, qui hominum seruituti non subsunt, *egrediuntur ad opus suum*, idest ad latrocinium: cui quasi proprio operi, solicitè intendunt; vnde subdit: *vigilantes ad prædam*, scilicet diripiendam, *præparant panem liberis*; scilicet suis ex præda direpta. Deinde genus prædæ determinat, subdens: *Agrum non suum demetunt*, scilicet per violentiam messes alienas colligentes: *& vineam eius, quem vi oppresserint, vindemiant*: quia scilicet priùs aliquem opprimunt, ad hoc, quòd eius bona liberiùs rapiant. Nec solùm exteriora bona per violentiam abstrahunt, sed etiam ea, quæ iam sunt ad vsum corporis fouendi assumpta; vnde subdit: *Nudos dimittunt homines*, idest nihil eis relinquunt, *indumenta tollentes*. Et vt magis exaggeret huiusmodi rapinæ culpam, subiungit afflictiones quas ex nuditate patiuntur; vnde dicit: *Quibus non est operimentum in frigore*. Esset enim aliqualiter tolerabile, si aliunde possent nuditati subuenire. Nec solùm indumenta sunt necessaria ad calefaciendum contra frigus, sed etiam ad tegumentum contra pluuiam, vnde oportet, à latronibus denudatos non solùm frigore affligi, sed etiam pluuia perfundi. Et hoc est, quod subdit: *quos imbres montium rigant*. Solent enim homines ad loca montana, quasi ad tentoria, confugere pro timore latronum, vel hostium: vbi propter aeris frigiditatem & frequentiores, & grauiores sunt pluuiæ, maximè nudis hominibus. Est autem qualecumque nuditatis remedium, si ille, qui vestimentorum operimentum non habet, saltem operimento domus non careat. Sed contra hoc subdit: *& non habentes velamen*, scilicet vestimenti, nec domus, *amplexantur lapides*, idest abscondunt se in cauernis lapidum, quæ inueniuntur in locis montanis. Vlteriùs autem exaggerat eorum culpam ex conditione miserabilium personarum, quas grauant; vnde subdit: *Vim fecerunt, deprædantes pupillos*, qui scilicet magis erant sustentandi: *& vulgum pauperum spoliauerunt*, cui scilicet magis erat subueniendum. Esset autem vtrumque tolerabile, si saltem habentibus sufficientia subtrahere vellent. Et ideò ad maiorem aggregationem iniquitatum eorum, subdit: *Nudis, & incedentibus absque vestitu*, idest, præ nimia necessitate etiam ad publicum sine vestibus, nudis procedentibus: quod pertinet ad magnam inopiam vestitus. Et vt ostendat, etiam in victu eos inopiam pati, subdit: *& esurientibus*. His autem nihil magis auferre possunt: sed & id modicum, quod habent, eis surripere non verentur; vnde subdit: *tulerunt spicas*. Quasi dicat: Non tulerunt eis messem, quam non habent, sed aliquas paucas spicas, quas sibi collegerant. Et si fortè in aliquo abundare videantur, illud subtrahunt, non pensantes quantam penuriam in alijs patiuntur; vnde subdit: *Inter aceruos*, frugum scilicet, *eorum meridiati sunt*; idest, in meridie quieuerunt, quasi lasciuientes de bonis eorum, *qui calcatis torcularibus sitiunt*; idest, qui statim post vindemiam modicum habent de vino. Nec solùm homines spoliant in rebus exterioribus, sed etiam lædunt in personis; vnde subdit: *De Ciuitatibus fecerunt viros gemere*, quia scilicet quibusdam læsis, multi ex ciuibus conturbantur; & ipsi, qui læsi sunt, conqueruntur; vnde subdit: *& anima vulneratorum clamauit: & Deus*, à quo scilicet non sunt abscondita quæ in tempore aguntur, *inultum abire non patitur*. Ipsi (*prosequitur textus*) fuerunt rebelles lumini. Manè consurgit homicida: interficit egenum, & pauperem. Oculus adulteri obseruat caliginem: perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi &c. *Quorum expositionem vide ibi*.

I Iob. 24. 1. 1. ibi.

Mundus modernus describitur ex Iob c. 24.

(Præ-

Item ex Ierem. c. 9.

¶ *Praeter haec, describitur Mundus modernus & Ierem. 9.* Omnes adulteri sunt, & coetus praeuaricatorum. Et extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis: Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciā: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit; & veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt inique agerent, laborauerunt &c. *Vbi Author*, Primo inquit ponit K peccatum, quod est ex violatione alieni tori: *Omnes adulteri sunt*, Ier. 5. *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*. Ex transgressione pacti humani vel diuini: *coetus praeuaricatorum*. Ex locutione mendacij: *extenderunt linguam suam, quasi arcum*: ex quo sagitta dolosi verbi. Secundò exaggerat ipsum ex augmento culparum. *Confortati sunt in terra*, idest in terrenis peccatis, vel in terrenis bonis, priuati caelestibus: *de malo ad malum &c.* peccatum scilicet peccato addentes. Ex conditione peccantium; quia etiam inter coniunctos. Et consulit cautelam: *Vnusquisque se à proximo suo custodiat*, qui coniungitur aliqua ciuili, vel spirituali communicatione: *& in omni fratre suo &c.* qui coniungitur naturali foedere. Deinde assignat causam ex parte fraudulentiae, & ponit fraudis peccatū. *Omnis frater supplantans supplantabit*, alienam rem iniuste surripiens. In modo faciendi: *& omnis amicus fraudulenter &c.* & in verbo: *Vir fratrem suum &c.* Cuius assignat rationem: quia assueti ad mendacia, *docuerunt linguam suam &c.* per consuetudinem: & studiosi ad mala opera: *vt inique agerent, laborauerunt*. Vnde & *Sap. 5.* ex ore impiorum dicitur: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*. *Describitur pariter Mundus hodiernus* Osee 4. *paucis verbis*. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. *Item Mich. 7.* Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur: malum manuum suarum dicunt bonum &c. *Apostolus tandem describit ad Rom. 1.* Foeminae immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu foeminae, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes &c. *Et post pauca, vocat eos* repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia. *Quae cuncta a modernis attribuenda sunt Mundo, videat qui Mundum nouit. Quis ergo tot inter immunditias mundum se in Mundo castodiat?* Magna quippe virtus L requiritur ad hoc, quod aliquis in seculo viuens, se immaculatum à vitijs conseruet: *quod aiebat initio Author. Vnde sponsus sponsam adhortans, vt de Mundo exiat, in quo tam difficulter benè viuitur, signanter tribus vicibus eam inuitat Cant. 4.* Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. *Veni de Libano*, idest M de Mundo. Dicit autem ter, *Veni*; propter fidem Trinitatis: vel quia derelinqui Mundus non potest, nisi Pater adducat sua potentia, & praesentia, Ps. 135. *Eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso*: nisi Filius dirigat sua sapientia, Sap. 10. *Eduxit illum sapientia*: idest primum hominem, cum omnibus saluandis, *à delicto suo*, à quo nullus potest educi, nisi educatur de Mundo: nisi Spiritus sanctus attrahat sua bonitate, & clementia, *Spiritus Domini ductor eius fuit*, Is. 63. *Verùm de hominis ab hoc Mundo egressu, fusiùs* Num. seqq. DISCE, *in aquis defluentibus fundamentum ponere, qui in mundanis rebus fiduciam locat. Vide* Ambitio, Auaritia, Bona temporalia *Tom. 1.* Diuitiae, & Luxuria, *Tom. 2.* Tentatio.

K Ier. 9. §. 1. ibi & Rom. 1. 8.

Ex Osee ca. 5. Et Mich. 7.

Ex Apostolo Rom. 1.

Difficulter de Mundo exitur.

L Quol. 4. a. 23. ad 22.

M Cant. 4. Com. 2. ibi.

Nisi Pater sua potentia Filius sua sapientia, spiritus Sanctus bonitate educat.

XXIV. *Exite de illa* (Babylone) *populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius accipiatis.* Hoc est, exite de Mundi malitia, ne faciatis opera eius, consentiendo eis: nam facientes, & consentientes par poena constringit. *Apoc. 18. com. 2. §. 1. ibi.*

¶ VT validè Mundi impugnationi resistamus, despiciendain primis mundana sunt, & conculcanda. *Idcircò inducitur Ecclesia Apoc. 12.* Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius. *Mulier amicta Sole*, idest N Ecclesia, induta; siue ornata Christo illuminante, & decorante, Rom. 13. *Induimini Dominum I. C.* & Mal. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia*. Sequitur: *& Luna*, idest rerum temporalitas, siue temporalia, quae subiacent multiplici mutationi, sicut Luna multipliciter mutatur: *sub pedibus eius*: idest sub affectionibus, quia non subijcitur Ecclesia temporalibus, quantum ad iustos, per amorem & cupiditatem, sed eis dominatur. Et cum eis, quasi cum pedibus, calcanda sunt vana: *aliàs non erit Solis amictus*. *Et hoc est, Mundum relinquere, si videlicet affectu, verbo, & opere eum conculcemus*. Ad quod ideò ter hortatur sponsas Cant. 4. *superiùs allato*: Veni de Libano &c. *idest* veni O de Mundo. Et dicit ter, *veni*; quia sicut peccauimus cogitatione, locutione, & opere: ita his tribus ad Christum ire debemus. *Mundum relinquendo, Et quidem derelictionis huius Christus nobis exemplum dedit Io. 16.* Relinquo Mundum, & vado ad Patrem. Deseruit enim Mundum P Christus propter tria. Primò propter ipsius malignitatem, 1. Io. 5. *Mundus totus in maligno positus est*. Secundò propter ipsius ingratitudinis perpetuitatem, Io. 15. *Si M undus vos odit, scitote, quia me priorem vobis hodio habuit*. Quae autem potuit esse maior ingratitudo, quàm odire eum, qui venerat saluare Mundum? Tertiò vt relinquendi Mundum nobis exemplum daret: *De Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo*, Ioan. 15. *Ita verò Mundus à nobis relinquendus cum Paulo, vt ipsi moriamur, & viuamus Deo, ad Gal. 6.* Mihi absit gloriari, nisi in Cruce D. N. I. C. per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. *Siquidem* illud Q in quo quis gloriatur, non est mortuum in corde eius, sed magis illud, quod contemnit, Ps. 30. *Obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde*. Manifestum est autem, quòd Mundus, & omnia, quae in Mundo sunt, mortua erant in corde Pauli, Philip. 3. *Omnia arbitratus sum, vt stercora, vt Christū lucrifaciam*. Ergo non gloriatur in Mundo, neque in his, quae in Mundo sunt. Et hoc est, quod dicit: Verè in nullo alio glorior, *nisi in Cruce Christi*

Mundanā despicienda, & conculcanda.

N Apoc. 12. Com. 1. & 2. ibi.

O Cant. 4. Com 2. ibi.

Mūdus exemplo Christi relinquendus

P Serm. 3 in Eu. Dom. 4. post Ol. Pasch.

Cum Paulo Mundo moriendum, & viuendum Deo.

Q Ad Gal. 6. l. 4. ibi.

per quem, ſcilicet Chriſtum crucifixum, *mihi Mundus crucifixus eſt*, ideſt mortuus eſt in corde meo, itaut nihil in eo cupiam. *Secundò* probat affirmatiuam, quòd ſcilicet in Cruce Chriſti gloriatur, dicens, ſe *crucifixum Mundo*. Qui enim gloriatur in aliquo, illud in ſe prætendit, & manifeſtare deſiderat; ſed Apoſtolus nihil in ſe prætendit, nec manifeſtare deſiderat, niſi quod pertinet ad Crucem Chriſti: ideò tantùm in ea gloriatur. Et hoc eſt, quod dicit: *Et ego Mundo*, ſcilicet ſum crucifixus. *Quaſi dicat*: Porto inſignia Crucis, & ſum reputatus, vt mortuus. Et ideò, ſicut Mundus horret Crucem Chriſti, ita horret me.

Amicus mundi, inimicus Dei.

R *Iac. 4. §. 3. ibi.*

u *Et hinc eſt, quòd amicus Mundi, inimicus Dei eſt, Iac.* 4. Neſcitis, quia amicitia huius Mundi inimica eſt Deo? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur. *Neſcitis*, ideſt R hoc ignorare non debetis, *quia amicitia huius Mundi*, qua ſcilicet amatur hic Mundus (Mundus verò hic videtur intelligi vanitas Mundi, non ſubſtantia Mundi, 1. Io. 2. *Nolite diligere Mundum*) *inimica eſt Deo*: quia eſt contraria charitati. *Auguſtinus*. Venenum charitatis eſt ſpes adipiſcendi, vel retinendi temporalia. *Quicumque ergo*, nullo excepto, *voluerit amicus eſſe*, actiuè, ideſt amator, *huius ſeculi*: ſeculum hic ſonat in vitium, non in naturam, ſecundùm illud Luc. 16. *Filii huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*. Vel *amicus huius ſeculi* diligendo ſupra Deum ea, quæ ſunt huius ſeculi, *inimicus Dei conſtituitur*, ideſt firmiter, hoc eſt, æternaliter ſtatuitur eo ipſo quòd temporalia præponit Deo. In hoc autem, quod dicit, *voluerit eſſe*, notatur libertas arbitrij. In hoc etiam notatur, quòd non ſolùm qui eſt amicus, ſed etiam qui vult eſſe amicus huius ſeculi, quamuis eſſe non poſſit, eſt inimicus Dei. *Hac enim in re ſolus penſandus affectus, quo nimirùm amicitia conſtituitur*. Et hoc eſt, quod ait *Io. cap.* 1. Mundus eum non cognouit. *Vbi* Mundus S accipitur pro mundi amatore. Amor enim Mundi (vt dicit *Auguſtinus*) maximè retrahit à Dei cognitione: quia amor Mundi, inimicum Dei conſtituit. Qui autem non diligit Deum, non poteſt eum cognoſcere, 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. *Hinc Apoſtolus ad Gal.* 1. Si adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem. *Si hominibus placerem*, ideſt T ſi intenderem placere hominibus, vt olim placui, *ſeruus Chriſti non eſſem*. Cuius ratio eſt, quia hæc ſunt contraria: ita dumtaxat, vt ſcilicet velim placere hominibus propter homines, non referendo illud in Deum. Si enim ideò intendam aliquando placere hominibus, vt eos traham ad Deum, non pecco. Sed ſi primo modo, non ſum ſeruus Chriſti, *Mat.* 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. *Et hoc ideò, quia amor Mundi Dei amori contrarius eſt*, 1. *Io.* 2. Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo ſunt. Si quis diligit Mundum, non eſt charitas Patris in eo. *Nolite diligere* amore V concupiſcentiæ, *Mundum*, ſcilicet abundantiam Mundi, & pulchritudinem eius: (Mundus enim ſupponit hìc pro vniuerſitate concupiſcibilium Mundi:) *nec ea, quæ in Mundo ſunt*, vt aurum, & argentum, & omnem fluxum diuitiarum. *Si quis diligit Mundum*, præponendo ipſum Deo, *non eſt charitas Patris in eo*. Quaſi dicat: Amor Patris eſt contrarius amori Mundi. *Auguſtinus*. Duo ſunt amores: Dei, & Mundi. Sed ſi amor Mundi inhabitet, non eſt quò amor Dei intret. Contraria ſunt charitas, & cupiditas: & quantùm creſcit cupiditas, decreſcit charitas; & è conuerſo. Vnum cor *ex gloſſa* duos ſibi aduerſarios amores non capit, *Iſ.* 28. Coanguſtatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat. *Quod pariter in Chriſti baptiſmo ſignatum eſt, vbi Baptiſta* Io. 1. Vidit ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de Cælo, & manſit ſuper eum. *Deſcendentem*, quia X cum deſcenſus duos terminos habeat, ſcilicet principium ſurſum, & terminum deorſum, quantum ad vtrumque conuenit baptiſmo. Eſt enim duplex ſpiritus: vnus Mundi, & alius Dei. Et ſpiritus quidem Mundi eſt amor Mundi, qui non eſt deſurſum: ſed ab inferiori aſcendit in homine, & eum deſcendere facit. Spiritus autem Dei, ſcilicet Dei amor, deſurſum deſcendit ad hominem, & eum aſcendere facit, 1. ad Cor. 2. *Nos autem non ſpiritum huius Mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt*. Spiritus Y huius Mundi poteſt dici Sapientia, & amor Mundi, quo impellitur homo ad agendum ea, quæ Mundi ſunt. Hunc autem ſpiritum Sancti Apoſtoli non receperunt, Mundum abijcientes & contemnentes: ſed receperunt Spiritumſanctum, quo corda eorum illuminata ſunt, & inflammata ad amorem Dei, ſecundùm illud Io. 14. *Paraclitus autem Spiritusſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c.* & Num. 14. *Seruum meum Caleb, qui plenus alio Spiritu, ſecutus eſt me, inducam in terram hanc &c.* Spiritus autem huius Mundi errare facit, ſecundùm illud Iſ. 19. *Dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo*.

Amor Mundi, Dei amori contrarius.

V 1. Io. 2. § 5 ibi.

X Io. 1. l. 14 lit. d. ibi.

Duplex ſpiritus: ſpiritus Mundi, & ſpiritus Dei: hic aſcendere facit, ille deſcendere.

Y 1. Cor. 2. l. 2. fin.

x *Igitur* qui vtuntur hoc Mundo (*exclamat Apoſtolus* 1. *Cor.* 7.) tanquam non vtantur. *Qui vtuntur hoc Mundo*, ideſt Z rebus mundanis: non dicit, *fruuntur*, vt mali, qui de eis malum faciunt finem, qui dicunt Sap. 2. *Fruamur bonis, quæ ſunt*, ideſt præſentibus: ſed dicit, *qui vtuntur* eis, ſcilicet ad finem debitum referendo, ſint *tanquam non vtantur*; ideſt, non adhæreant eis nimia delectatione. *Vnde dicitur* 1. *Tim.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. *Et alibi*. Prohibetur A Mundus ad fruendum eo, non ad vtendum. Vnde gloſſa: *Vtimini Mundo ad neceſſitatem, ſed non diligite ad ſuperfluitatem*. Nec per hoc prohibetur quæcumque dilectio, ſed inordinata per amoris affectum nimium. *Auguſtinus*. Talis eſt quilibet, qualis eſt eius dilectio. Terram diligis? terra es: aurum diligis? aurum es: Deum diligis? quid dicam? Deus eris. Non audeo, *inquit*, dicere ex me, Scripturam audiamus: *Ego dixi*: *Dii eſtis*. Sed cum Mundus ſit bonus, videtur, quòd ſit diligendus. *Reſponſio*. Diligere eſt, ex diuerſis legere, ſeu colligere: & ſic diligere Mūdum, eſt ipſum omnibus rebus præponere. Et ita Mundus non eſt diligendus: ſub Deo tamē diligendus eſt. Vnde non prohibetur quæcumque dilectio, ſed illa, quæ eſt ſupra Deum, de qua dicit *Auguſtinus*: Væ tibi, ſi amaueris condita, & deſerueris conditorem. *At verò hæc eſt victoria* (*ſubdit Ioannes in ſua* 1. *cap.* 5.) quæ vincit Mundum, fides noſtra *ſcilicet* illa B fides *ex gloſſa*, quæ per dilectionem operatur. *Ergo* quis eſt, qui vincit Mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei? *Quis eſt, qui vincit Mundum*, Mundi C proſpera, & aduerſa contemnendo, *niſi qui credit* fide formata, *quoniam Ieſus eſt filius Dei*? ideſt niſi is, qui habet fidem de diuinitate Chriſti? Et certè qui bene crederet, Chriſtum eſſe Filium Dei, de facili vinceret Mundi proſpera, & aduerſa. Si enim Chriſtus eſt filius Dei, ergo ſummè bonus; ergo in ipſo non fuit defectus veri boni, nec præſentia veri mali. Cum ergo temporalis proſperitas in ipſo defuerit, & aduerſi-

Z 1. Cor. 7. l. 6. ibi.

Mundo vti debemus, non frui, nimis adhærendo.

A 1. Io. 2. §. 5. ibi, quæ in Mundo ſunt.

Non prohibetur quæcumque Mundi dilectiò, ſed inordinata.

Quid ſit, Mūdum diligere.

B 1. Io. 5. §. 2. ibi.

Mundus vincendus, & quomodo.

C Ibid. ibi.

Qui verè credit, quòd Ieſus eſt Filius Dei, ille reuera Mundum vincit.

aduersitas adfuerit, restat, quòd temporalis prosperitas non est verè bona; & ita non est appetenda: nec aduersitas est verè mala; & ita non est timenda. *Sanè* ad Hebr. 11. *legimus*, *quòd* Sancti per fidem vicerunt regna: *videlicet* regnum D diaboli, regnum carnis, & (*ad rem nostram*) regnum Mundi, Io. 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo*. Vicerunt *autem* per fidem, quia nullus potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum: per contemptum enim principaliter vincitur Mundus. Et quia fides ostendit nobis inuisibilia, propter quæ contemnitur Mundus, ideò *vincit Mundum fides nostra*.

D Hebr. 11. 1. ibi.

y *Postremò*, *quòd quis de Mundo corporaliter exierit*, *non verè mente*, *& affectu*, *non ideò dicendus est*, *Mundum perfectè vicisse*. *Quod pro claustralibus quibusdam dictum sit*. Aliter enim E non potest vinci Mundus, nisi per exitum ab eo; sed qui exit, debet exire totaliter, vt nihil de Mundo secum ferat, nec de suo aliquid ferat, nec de suo aliquid in Mundo relinquat. *Quidam exeunt de Mundo* corpore, sed dimittunt in eo cor, idest affectum suum in Mundo, qui licèt corpore sint in Claustro, tamen corde, & cogitatione sunt in Mundo; sicut solet dici: *Corpus in Choro*, *cor in foro*: & tales significantur per vxorem Loth, quæ post exitum de Sodomis, retrò respiciens, mutata est in statuam salis, *Gen.* 19. Statua figuram hominis habet, sed non veritatem, sicut claustralis, cuius cor est in Mundo, figuram habet Monachi, sed non veritatem. Vnde 1. *Reg.* 19. Nuncij Saul credentes inuenire Dauid in lecto suo, idest monachum in claustro, non inuenerunt nisi statuam, & pellem capræ, idest habitum monachalem sine monacho. Similiter Petrus, & Ioannes, credentes inuenire Iesum in sepulchro, non inuenerunt, nisi sudarium, *Io.* 20. Ideò Abrahæ, iam egresso de Chaldæa, dixit Dominus Gen. 12. *Egredere de terra tua*. Vbi dicit *Augustinus*: Egressus erat iam corpore, sed adhuc illic tenebatur mente. *Alii exeunt de Mundo*, sed non totaliter, quia non toto Mundo. Licèt enim corde, & corpore exierint de Mundo quoad diuitias: tamen cor eorum occupatur in delicijs Mundi: & sæpè cogitando de diuitijs, quas habebant in Mundo, pœnitet eos exiuisse de Mundo. Et tales significantur per Iudæos, qui in deserto suspirabant ad ollas carnium Ægypti. Vnde Num. 11. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis*, idest sine labore: *in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia*. Alij *exeuntes de Mundo* portant secum multa de Mundo: quidam honores ipsius, quos adhuc ambiunt in religione: alij diuitias, alij delicias, alij mores mundanos, v.g. modum eundi seculariter, modum loquendi, modum comedendi, & alios gestus seculares: (*de quibus* Augustinus *in Regula*: fiunt pauperes delicati:) & tales significantur per Rachel, quæ furata est idola Laban, & abscondit subter stramenta Cameli, vt dicitur *Gen.* 31. Quæ sunt idola Laban? nisi honores Mundi, & diuitiæ, & deliciæ, quas multi abscondunt *subter stramenta Cameli*, idest sub pannis claustri: (Laban *enim non secus, ac Libanus, interpretatur* candidus, *& Mundus per antiphrasim intelligitur*, *vt visum est*.) Sed timendum est quod dicit ibidem Iacob: *Apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris*: Sanctis F Angelis nimirum, qui proximi nostri dicuntur: quia beatitudinem, ad quam nos tendimus,

Non vincitur Mundus nisi ab eo plenè exeatur; non corpore, sed affectu. Quod notent claustrales.

E Apoc. 6. com. 2. §. 1. ibi, vinceret.

F Rom. 13. l. 1. ibi, proximum. Mat. 22. ibid. ad Gal. 5. l. 1. Virt. 2. 7. c. & ed.

iam habent: in cuius G participatione communicant cum Angelis homines. *Vnde dicitur* Apoc. 14. Si quis adorauerit bestiam (*hoc est*, multitudinem H malorum, scilicet *Mundum*) cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum.

G 2. 2. 25. 10. c. & q. 23. 1.

H Apoc. 14. com. 2. §. 4. ibi.

z *Eapropter*, *ad Mundum plenè vincendum*, *non satis est eum corporaliter reliquisse*, *eique solo exteriori habitu non conformari*, *sed & moribus*, *& affectu*. *Vnde Apostolus postquam præmisisset Rom.* 12. Nolite conformari huic seculo, *immediatè subiecit*: sed reformamini in nouitate sensus vestri. *Nolite conformari huic seculo*, idest I rebus, quæ temporaliter transeunt: nam seculum præsens, est quædam mensura eorum, quæ temporaliter labuntur. Rebus autem temporalibus homo conformatur per affectum, eis amore inhærendo, *Ose.* 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt. *Non conformari tamen consistit principaliter in eo, quod subdit*: Sed reformamini in nouitate sensus vestri. *Sensus* autem hominis hic dicitur ratio, secundum quod per eam homo iudicat de agendis. Hunc autem sensum homo in sua creatione habuit integrum, & vigentem; vnde dicitur Eccli. 17. *Sensu impleuit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis*. Sed per peccatum hic sensus est corruptus, & quasi inueteratus, Bar. 3. *Inueterasti in terra aliena*, & per consequens pulchritudinem, & decorem suum amisit, Thren. 1. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius*. Monet ergo Apostolus, vt *reformemur in nouitate sensus*, idest, vt iteratò formam, & decorem mentis assumamus, *spiritualibus*, *non temporalibus affectu inhærentes*, *& vel ipsa desideria abiicientes*, *ad Tit.* 2. Vt abnegantes secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo, *corpore licèt præsentes*, *tamen affectu absentes*. *In hoc siquidem consistit Christiana perfectio*, *Iac.* 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, immaculatum se custodire ab hoc seculo, *scilicet* maculato: K qui enim Mundum diligit (*ex glossa*) immaculatum se non custodit: Vnde solent dici versus:

Mundus cur nomine seculi.

I Rom. 12. l. 1. ibi ad Tit. 2. l. 3. ibi, secularia.

In quo huic seculo non conformemur: & quid reformatio in nouitate sensus.

K Iac. 1. fin. cap.

Mundus non mundus, quia Mundus polluit: ergo

Qui manet in Mundo, quomodo mundus erit?

Et in Canon. Iudæ: *Odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*. Hoc est: Perfecta religio est, in medio maculatum immaculatum se custodire: *Itaque Mundum relinquentes; mundana cuncta abiiciendo, & ad Christum accedentes* (Nullus enim L Deo coniungi potest, nisi à Mundo recedat:) exeamus ad eum extra castra, *Hebr.* 13. idest M extra communem societatem carnalium: *vt non transitoriam salutem, sed perpetuam consequamur*: improperium eius portantes, *Mundo cum Apostolo crucifixi*: si enim *cum Christo* compatimur, & conglorificabimur, *vt dicitur* Rom. 8. *Sic autem à Mundo exeuntes*, *deliciarum*, *plagarumque eius expertes erimus*: *quod aiebas initio Author*. DISCE *ita in Mundo viuere*, *vt conuersatio tua sit in Cœlis*, Philipp. 3.

Christiana perfectio hæc est, a Mundo se immaculatum custodire.

Nemo potest Deo coniungi, nisi exeat a Mundo.

L Io. 17. l. 3. ibi, f.

M Hebr. 13. l. 2. ibi.

MVTVVM. *Vide* VSVRA.

N

NEGLIGENTIA.

I. Omne peccatum est ex errore, & ex contemptu negligentiæ. *In 3. d. 31. 1. 1. corp.*

N *Phil. 1. ibi, solicit. & Mat. 6. lit. e. ibi, solicit.*

a QVoniam *virtuosa* solicitudo N importat diligentiam quærendi quod deest (*vitiosa verò* anxietatem animi ingerit cum defectu spei, & timore de obtinendo id, circa quod solicitatur: quam prohibet Dominus *Mat.* 6.) negligentia O directè opponitur solicitudini. Solicitudo autem pertinet ad rationem, rectitudo solicitudinis ad prudentiam: vnde per oppositum negligentia ad imprudentiam pertinet. Et hoc etiam ex ipso nomine apparet: quia, sicut *Isidorus* dicit in lib. Etym. *Negligens* dicitur quasi *nec eligens*. Electio autem recta eorum, quæ sunt ad finem, ad prudentiam pertinet: vnde negligentia pertinet ad imprudentiam; *& hanc quidem priuatiuè sumptam*: secundùm hoc *enim* imprudentia P est peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. *Ex quo deducitur, quòd quia* negligentia Q importat defectum debitæ solicitudinis; omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati: manifestum est, quòd negligentia habet rationem peccati. Et eo modo, quo solicitudo est specialis virtutis actus, necesse est, quòd negligentia sit speciale peccatum. *Quoniam verò* negligentia R prouenit ex quadam remissione voluntatis, per quam contingit, quòd ratio non solicitatur, vt præcipiat ea, quæ debet, vel eo modo quo debet: potest dupliciter contingere, quòd negligentia sit peccatum mortale. *Vno modo* ex parte eius, quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem si sit de necessitate salutis (siuè sit actus, siuè circumstantia) erit peccatum mortale. *Alio modo* ex parte causæ. Si enim voluntas in tantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, vt totaliter à Dei charitate deficiat: talis negligentia est peccatum mortale. Et hoc præcipuè contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu. Alioquin si negligentia consistat in prætermissione alicuius actus, vel circumstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis; nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non est mortale peccatum, sed veniale. *Nec tamen idem est negligentia cum pigritia, aut torporè*. Negligentia *enim* consistit S in defectu interioris actus, ad quem pertinet etiam electio. Pigritia autem, & torpor, magis pertinent ad executionem; ita tamen, quòd pigritia importat tarditatem ad exequendum: torpor remissionem quandam importat in ipsa executione. Et ideò conuenienter torpor ex acedia nascitur: quia acedia est tristitia aggrauans; idest impediens animum ab operando: ad quam (*acediam*) pertinet T negligentia, qua aliquis recusat bona spiritualia acquirere propter laborem. *Et idem de omissione dicendum*: nam & omissio V pertinet ad exteriorem actum. Est enim omissio, quando prætermittitur aliquis actus debitus; & ideò opponitur iustitiæ, & est effectus negligentiæ: sicut etiam executio iusti operis est effectus rationis rectæ. *Et ex hac quidem sola negligentia radice ignorantia peccatum est. Vnde* Augustinus *in lib. de lib. arb.* Non tibi imputatur ad culpam, *inquit*, si inuitus ignores: sed si neglexeris. *Per quod* dat X intelligere, quòd ignorantia habet, quòd sit peccatum ex negligentia præcedente: quæ nihil est aliud, quam non applicare animum ad sciendum ea, quæ quis debet scire.

O *2. 2. 54. 2. c. & 53. 1. c.*
Negligentia opponitur directè solicitudini.
Vnde dicatur
Pertinet ad imprudentiã.
P *2. 2. 53. 1. corp.*
Q *2. 2. 54. 1. c.*
Negligentia est peccatũ.
R *Ib. d. a. 3. c.*
Quandonam mortale, quando veniale.
S *Ibid. a. 2. ad 1.*
In quo distinguatur à pigritia & torpore.
Pigritia, & torpor in quo distinguantur.
T *1. 2. 84. 4. ad 5.*
V *2. 2. 54. 2. ad 2.*
Omissio non est idem quod negligentia, sed eius effectus.
Ex negligentia, ignorantia peccatum est.
X *Mal. 3. 7. ad 7. & 11. & fusè 1. 2. 6. 8. c. & 76. 2. c. In 4. d. 9. 1. 3. q. 2. ad 3.*

b *Porrò negligentia hæc, dormitatio quædam est animæ, siuè dormitio, Mat.* 13. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, *propter negligentiam videlicet custodum. Et* Mat. 25. *de decem illis virginibus, sponsum expectantibus, dicitur, quòd* dormitauerunt omnes, & dormierunt. *Nam* qui Y totaliter negligunt, dormiunt: qui verò aliqualiter desistunt à primo feruore, dormitant. *Et fortè, quæ solùm dormitauerant virgines, ad nuptias introductæ sunt: at quæ dormierant (ex quo omninò imparatæ) exclusæ. Etenim* per defectum Z feruoris charitatis causatur negligentia, quæ est peccatum veniale: sed per defectum ipsius charitatis causatur negligentia, quæ est peccatum mortale: *quod quidem excludit à Regno. Et ita, quod dicitur,* dormitauerunt omnes, & dormierunt, *diuisiuè intelligi potest, non collectiuè; hoc est: aliæ* dormierunt, *aliæ* dormitauerunt. *Benè autem dicitur, quòd ad clamorem sponsi,* surrexerunt virgines illæ; *quippè si hoc* A *ad præsentem* vitam referatur, quando fit clamor per prædicatorem (*Is.* 58. Clama, ne cesses) vel per internam inspirationem: tunc surgunt à negligentia, *secundùm illud ad Eph.* 5. Surge qui dormis, *idest* à negligentia B boni operis, *Prou.* 6. Vsquequò piger dormies? *Et priùs, ipsam etiam tangens dormitationem*: Ne dederis *inquit* somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. *Et concluditur parabola*: Vigilate itaque. *Frequenter enim ex temporali hac negligentiæ dormitione, sequitur dormitio mortis æternæ,* 1. *Cor.* 11. Et dormiunt multi. *Hinc dicebat Dominus Io.* 15. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. *Omnem palmitem*, idest, C omnem fidelem, *non ferentem (ex negligentia) fructum in vite*, scilicet in me, *tollet eum*, scilicet *à vite*: (*palmes autem à vite excisus, mortuus est.*) Ex quo apparet, quòd non solùm à Christo excluduntur aliqui, quia mala faciunt, sed & quia bona facere negligunt. Vnde & *Luc.* 13. Ficum sterilem Dominus præcepit abscindi. *At, postquam præcisus est palmes, quid de illo fiet?* Mittetur *vtique* foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. *In ignem mittent*, scilicet æternum; *Ezech.* 15. Quid fiet de ligno vitis? Ecce igni datum est in escam. Nunquid vtile erit ad opus? Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quantò magis, cum illud ignis deuorauerit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis? *Quò facit illud Io.* 9. Venit nox, quando nemo potest operari. *Vt nimirùm Propheta innuerat, ex negligentia operandi, gehennæ ignis homines addicendos. Sanè vnica hæc fuit causa impij damnationis proditoris, qui verò incapax extitit pænitentiæ ex eo, quod desperauit: desperationis verò sola fuit negligentia in causa.* Hoc enim D quod desperauit, non fuit nisi quia negligens fuit, *in propria videlicet cura salutis. Id vnum siquidem est, ex quo plurimi damnantur, Matth.* 25. Inutilem seruum eijcite in te-

Negligentia, dormitio, vel dormitatio.
Y *Mat. 25. lit. a. ibi, & cap. 13. lit. b. ibi.*
Parabola de 10. virginibus exponitur.
Z *2. 2. 54. 3. ad 1.*
A *Matth. 25. loc. cit. ibi.*
B *Eph. 5. l. 5. ibi.*
Ex negligentiæ dormitione æternæ mortis dormitio.
C *Io. 15. l. 1. lit. a. & f.*
Nedum mala facientes, sed & bona facere negligentes, à Christo excluduntur.
D *Matt. 27. lit. a. ibi, pœnitentia.*
Iudæ damnatio ex propria negligentia salutis.

in tenebras exteriores: *Vbi Author*. Notate *inquit* quòd E non punitur seruus propter malum, quod fecerit; sed propter bonum, quod omisit. *Inuitat quippe Dominus ad cælestes nuptias semel & iterum, vt patet in parabola Mat.* 22. Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui &c. *Verùm primi* nolebant venire: *secundi autem* neglexerunt. *Nimirum quia* quidam F ex malitia (*nolebant*) quidam ex negligentia dimittunt *cælestes nuptias, hoc est, salutem æternam*.

E Mat. 25. lis.b. ibi.

F Mat. 22. lis.a. ibi.

C *Et huc professò respectum habuit Apostolus, cum ad Hebræos, eorum improperans desidiam, cap. 5. ita scribit*: Imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim, cum deberetis magistri esse propter tempus, rursùm indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei. *Quibus verbis* ostendit G tarditatem hanc esse culpabilem: nam culpa alicuius est, si quando diu audiuit, adhuc sit tardus. Negligentia enim non est sine culpa. Ideò dicit: *cum deberetis esse Magistri*, scilicet aliorum, *propter tempus*, quo scilicet audierant legem, & Prophetas (*Io. 5.* scrutamini Scripturas:) *rursùm indigetis*. Quasi dicat; magis deberetis docere, quàm doceri: & tamen *indigetis, vt vos doceamini &c. Et hoc est, quod & cap. 6. ait*: Cupimus autem vnumquemque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem, vt non segnes efficiamini. *Nimirum, quia omnis ableganda desidia est, vbi agitur de salute animæ: diligens quinimò* solicitudo H requiritur ad propriam salutem, 2. *Tim.* 2. Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo; & *Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum; & *Hebr.* 2. Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? *Nempè, si neglexerimus, non inter benedictos æterni Patris, sed inter maledictos adnumerabimur*, *Ier.* 48. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: *legunt alii*, negligenter. *Nec vlla potest excusatio valere; quinimmò iustè, & rectè* I homo corripitur; qui præcepta Dei non implet; quia ex eius negligentia est quòd gratiam non habet, per quam potest seruare mandata, quantum ad modum; cum possit nihilominus per lib. arb. ea seruare quantum ad substantiam. *Quod vel ab ipso primo rationis vsu non raro forsussis homini contingit*. Statim enim K cum vsum liberi arb. acceperit, si se ad gratiam præparauerit, gratiam habebit: aliàs ipsa negligentia ei imputabitur ad peccatum mortale. *Et semper quidem ex negligentia nostra est, quòd gratia, & virtutibus priuamur*. *Nam* priuatio L gratiæ, etsi secundùm se non sit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi se ad gratiam, potest habere rationem peccati, sicut & ignorantia. *Idcircò* Mat. 25. *ei, qui à Domino talentum acceperat, & abscondit in terra, ex negligentia non operando* (*qui enim duo, & qui quinque acceperat*, operatus est in eis) *sublatum est*: Tollite ab eo talentum &c. *Per quod charitatem, vel diuinam gratiam intellige, qua benè vti tenemur benè operando*, 1. *Tim.* 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est; *quia nimirùm*, qui M recipit gratiam, non debet in ea negligens esse, sed ex ea fructificare debet.

Omnis abijcienda negligentia pro salute animæ.

G Hebr. 5. l. 2. ibi.

H Hebr. 6. l. 3. ibi, & c. 12. l. 3. ibi, remissas.

I Ver. 24. 14. ad 2. & 1. 2. 109. 4. In 2. d. 28. 1. 3. & d. 41. exp. tex.

Ex negligentia nostra est, si gratiam non habemus.

K Ver. 24. 12 ad 2.

L 1. 2. 76. 2. ad 2.

Vel eâ priuamur.

Data gratia bene vtendum.

M 1. Tim. 4. l. 3. ibi.

Vnde *Mat.* 25. seruus, abscondens in terra pecuniam, punitur propter negligentiam. *Non ita fecit Apostolus, qui de se ipso immò dicit* 1. *Cor.* 15. Gratia eius in me vacua non fuit. *Vacua inquam non fuit*, idest N ociosa: quia ea vsus est ad id, ad quod data est sibi, *ad Phil.* 2. Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. *Vnde & alios ad hoc hortabatur* 2. *Cor.* 6. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Quasi diceret*, exponit Author: Ne O receptio gratiæ sit vobis inutilis, & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ quis non sentit fructum. *Et post pauca concludit*: Quicumque ergo gratia percepta non vtitur ad vitandum peccata, & ad consequendum (*per opera vtique meritoria*) vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit, ad Gal. 2. *Ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem*.

N 1. Cor. 15. l. 1. ibi.

Quis in vanum dicatur gratiam recipere.

O 2. Cor. 6. l. 1. ibi.

d *Quòd si Deum, & eius gratiam negligis*, 2. *Par.* 26. Neglexit Dominum Deum suum, *ab ipso te quoque negligendum* scito, *ad Hebr.* 8. Quoniam ipsi non permanserunt (*negligentes in bene operando*) in testamento meo, & ego neglexi eos; dicit Dominus. Illud *autem* aliquis P dicitur negligere, quod permittit perire. Et sic neglexit eos, quia permisit eos perire, vt dicitur 1. *Cor.* 10. *Enimuerò* non contingit Q de facili, quòd homo perfectus statim à principio mortaliter peccet: sed per negligentiam, & diuersa peccata venialia disponitur, vt tandem labatur in peccatum mortale. *Ergo* qui se existimat stare, 1. *Cor.* 10. videat ne *per negligentiam* cadat: *nam & minima negligere, potest ad casum disponere*, *Eccli.* 19. Qui spernit modica, paulatim decidet. *Et* 1. *Esd.* 4. Videte, ne negligenter hoc impleatis; & paulatim crescat malum &c. *Et hoc est, quod expressit initio Author*: Omne R peccatum est ex errore, & ex contemptu negligentiæ. *Ex errore quidem*: *quia* omnis S malus *ex Philosopho* quodammodo est ignorans, in quantum decipitur in eligendo: *ex contemptu verò negligentiæ, seu ex qua non recta procedit electio*; *vnde & negligens dicitur quasi non eligens, videlicet rectè, vt præmissum est*. DISCE, *in via Dei non proficientem, retrogradum esse*. *Vide* *fusè* Acedia *Tom.* 1. Ignorantia *Tom.* 2. Ocium, Peccatum.

Qui Deum, & gratiam eius negligit ab eo quoque negligetur.

P Hebr. 8. l. 2. ibi.

Q Veri. 2. 6. ad 1.

Venialia negligens disponitur ad mortale.

R 3. d. 31. 1. 1.

Omne peccatum ex errore, & contemptu negligentiæ.

S 1. d. 46. 1. 2. ad 3. exp. tex.

NE-

NEGOCIATOR.

I I. *Negociatores terræ flebunt , & lugebunt : quoniam merces eorum nemo emet ampliùs* . Ideò dolebunt , vel plangent : quia prosperitatem , quam ex venditione mercium habebant , penitùs amiserunt . *Apoc.* 18. *com.* 1. *ibi* ,

Dupliciter potelt rerum abundantia Vrbi alicui suppetere.
T Op.20.l.3. cap.3.

An , & quomodo mercatura vrbibus vtilis ,

c NEgociatio , *siuè mercatura , an & quomodo vtilis Ciuitati sit , vel necessaria , vberrimè docet Author , vbi ait* : Duo sunt T modi, quibus alicui Ciuitati potest affluentia rerum suppetere . *Vnus* propter regionis fertilitatem , abundè omnia producentis, quæ humanæ vitæ requirit necessitas. *Aliùs* per mercationis vsum , ex quo ibidem necessaria vitæ ex diuersis partibus adducantur . Primus autem modus conuenientior esse manifestè conuincitur . Tantò enim aliquid dignius est , quantò per se sufficientius inuenitur : quia quod alio indiget , deficiens esse monstratur. Sufficientiam autem pleniùs possidet ciuitas , cui circumiacens regio sufficiens est ad necessaria vitæ, quàm illa , quæ indiget ab aliis per mercationem accipere , Dignior enim est Civitas, si abundantiam rerum habeat ex territorio proprio, quàm si per mercatores abundet. Cum hoc etiam, videtur esse securius ; quia propter bellorum euentus, & diuersa viarum discrimina , de facili potest impediri victualium deportatio . Et sic Ciuitas per defectum victuallum opprimeretur , Est etiam hoc vtilius ad conuersationem ciuilem. Nam Ciuitas , quæ ad sui sustentationem mercationum multitudine indiget , necesse est, vt continuum extraneorum conuictum patiatur . Extraneorum autem conuersatio corrumpit plurimùm Ciuium mores, secundùm *Aristotelis* doctrinam in sua Politica; quia necesse est euenire, vt homines extranei, aliis legibus, & consuetudinibus enutriti , in multis aliter agant , quàm sint ciuium mores: & sic , dum Ciues exemplo ad agenda similia prouocantur(*vt liquet hic Venetiis , & alibi , in nouis vestiendi adinuentionibus , alienarum exemplo Nationum*) ciuilis conuersatio perturbatur . Rursus , si Ciues ipsi mercationibus fuerint dediti, pandetur pluribus vitiis aditus. Nam, cum negociatorum studium maximè ad lucrum tendat, per negociationis vsum cupiditas in cordibus ciuium traducitur ; ex quo conuenit, vt in Ciuitate omnia fiant venalia ; & fide subtracta , locus fraudibus aperietur ; publicoque bono contempto, proprio commodo quisque deseruiet, deficietque virtutis studium , dum honor , virtutis præmium, omnibus deferretur; vnde necesse est, in tali Ciuitate ciuilem conuersationem corrumpi. Nec tamen negociatores omninò à Ciuitate oportet excludi ; quia non de facili potest inueniri locus, qui sic omnibus vitæ necessarijs abundet, quòd non indigeat aliquibus aliunde allatis; eorumque, quæ in eodem loco super abundant , eodem modo redderetur multis damnosa copia , si per mercatorum officium ad alia loca transferri non possent . Vnde oportet , quòd perfecta ciuitas moderatè mercatoribus vtatur . *Igitur* negociatio V secundùm se considerata , quandam turpitudinem habet , in quantùm non importat de sui ratione finem honestum , vel necessarium . Lucrum tamen , quod est negociationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum , vel necessarium ; nihil tamen importat de sui ratione vitiosum , vel virtuti contrarium . Vnde nihil prohibet , lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium , vel etiam honestum : & sic negociatio licita reddetur . Sicut , cum aliquis lucrum moderatum (*nota*) quod negociatio quærit , ordinat ad domus suæ sustentationem , vel etiam ad subueniendum indigentibus ; vel etiam cum aliquis negociationi intendit propter publicam vtilitatem , ne scilicet res necessariæ ad vitam Patriæ desint ; & lucrum expetit , non quasi finem , sed quasi stipendium laboris.

Extraneorū conuersatio mores ciuium corrumpit.

V 2.2.77.4. c. In 4.d. 15. 4.2.q.3.c.
Moderatè Civitas mercatoribus vti debet.
Secundùm se negociatio quandam turpitudinem habet.
Lucrum, negociationis finis.
Negociatio vnde licita.

f *Nec tamen , hoc etiam honesto fine , licitum est clericis , multò minùs claustralibus paupertatem profitentibus , mercaturam exercere : quia* Clerici X non solùm debent abstinere ab his, quæ sunt secundùm se mala , sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Quod quidem in negociatione contingit ; tum propter hoc , quòd est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contemptores (*nota*) tum etiam propter frequentia negociatorum vitia. Est & alia causa ; quia negociatio nimis implicat animum secularibus curis , & per consequens à spiritualibus retrahit. Vnde Apostolus 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo , implicat se negociis secularibus* . Licet tamen clericis vti prima commutationis specie, quæ ordinatur ad necessitatem vitæ emendo , vel vendendo . *Siquidem* duplex est Y rerum commutatio . Vna quidem quasi naturalis, & necessaria, per quam scilicet fit commutatio rei ad rem , vel rerum , & denariorum propter necessitatem vitæ : & talis commutatio non propriè pertinet ad negociatores , sed magis ad œconomicos , vel politicos , qui habent prouidere vel domui , vel Ciuitati, de rebus necessarijs ad vitam. Alia verò commutationis species est , vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ , sed propter lucrum quærendum . Et hæc quidem negociatio propriè videtur ad negociatores pertinere. *Cæterùm non interdicitur Clericis , nec Religiosis , aliorum negocia , si necesse sit , ex charitate peragere* . *Quin* si necessitas Z proximis immineat (necessitas , *inquit* , *non causa quæcumque*) eorum negocia ex charitate agere debent , secundùm illud ad Gal. *6. Alter alterius onera portate , & sic adimplebitis legem Christi* : quia hoc ipso , quòd proximis seruiunt propter Deum, dilectioni diuinæ obsequuntur . Vnde dicitur Iac. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum , & Patrem hæc est , visitare pupillos , & viduas in tribulatione eorum*; idest *ex glossa* succurrere eis, qui carent præsidio in tempore necessitatis . (*Non solùm ergo attendenda necessitas, sed & quòd in tali necessitate non adsit , qui succurrat : vt discant, Religiosi præsertim, non tam facilè , se in alienis negociis ingerere .*) Causa ergo cupiditatis secularia negocia gerere , nec monachis , nec clericis licet . Causà verò charitatis se negocijs secularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundùm Superioris licentiam , in

Clericis , & religiosis iustè interdicitur.
X 2.2.l.c ad 3. & q 87. 2. ad 1.& 187.2. In 4.loc.cit. & 2.Tim.2. l.1.

Y 2.2.77.4.c.
Duplex rerum commutatio.

Z 2.2.187.2. c.188.2.ad 2. & a. 3. ad 2. 189.6. Op.17. c.16. Rom.16. l.1. ibi, negocio & 1 Thes. 4. l. 1. ibi, negocium.
Quandonam eis liceat aliorum negocia peragere.

in miniſtrando, & dirigendo (*& eo magis in agendis rebus Eccleſiæ, vel Monaſterii ſui: nam* & clerici A pro Eccleſijs ſuis poſſunt eſſe aduocati, & Monachi pro cauſa Monaſterij ſui, ſi Abbas præceperit.) Vnde dicitur in Decret. diſt. 88. *Decreuit Sancta Synodus, nullum deinceps Clericum aut poſſeſſiones conducere, aut negociis ſecularibus ſe permiſcere, niſi propter curam pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum; aut ſi fortè Epiſcopus Ciuitatis Eccleſiaſticarum rerum ſolicitudinem eum habere præcipiat*. Eadem autem ratio eſt de Religioſis & Clericis; quia vtriſque ſimiliter negocia ſecularia interdicuntur. *Ex quo Apoſtolus ad Rom. 16.* Commendo vobis Phœben ſororem noſtram, vt aſſiſtatis ei in quocumque negocio veſtri indiguerit. *At verò valdè notandum, quod idem Apoſtolus ait 2. ad Tim. 2. ſupracit.* Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus. *Vbi aduertit Author, quòd* Apoſtolus B dicit, *implicat ſe*, & non dicit, *exercet*. Ille autem eis implicatur, cui cura, & ſolicitudo iniungitur circa ipſa. Et tunc propriè ipſa hæc interdicuntur militibus Chriſti, in quibus oſtenditur non eſſe neceſſe implicari animum. Item non dicit ſimpliciter, *implicatur*, ſed dicit, *implicat ſe*: quia quandoque implicatur, & non ſe implicat. Implicat enim ſe, quando ſine pietate, & neceſſitate, ea aſſumit; ſed quando neceſſitas officii pietatis, & authoritatis exercetur, tunc non *implicat ſe*, ſed *implicatur* huiuſmodi neceſſitate.

A 2.2.71.1. fin. c.
Clerici pro Eccleſijs ſuis, & Monachi pro monaſterijs ſuis poſſunt eſſe aduocati.

B 2. Tim. 2. l. j. ibi.

g *Porrò, vt prætactum eſt*, frequentia ſunt C negociatorum vitia: quia *difficilè exuitur negocians à peccatis labiorum*, vt dicitur Eccli. 26. *Et alibi*: Officium D militiæ & negociationis, & publicanorum, qui vectigalia publica exigunt: (*hi enim* cum tributa E recipiunt, multa ſibi acquirunt, & vltra quàm commiſſum ſit, ſibi rapiunt:) ex propinquo habent peccatum adnexum: quamuis ſine peccato quandoque exerceri poſſunt. Quandoque dicit: *quia vt plurimùm peccant; vnde & Spiritus Sanctus ſignanter ait*: Difficilè exuitur. *Ideirò & per miluos ſignificantur negociatores, in quantùm fraudibus in negociationibus vtuntur*: In miluo F qui maximè inſidijs vtitur, deſignantur fraudulenti; *quales vt plurimùm mercatores. Ex quò miluus in vet. lege figuraliter vetabatur in eſum. Hoc autem* ex *auaritia prouenit, quæ in eis potiſſimùm dominatur, & præcipuè maritima incolentibus: quales erant, inquit Author, Corinthii*: habitabant enim G in maritimis, & erant intenti mercationibus: & tales conſueuerunt eſſe auari. *Et in eo quidem ſingulariter eorum deteſtanda eſt cupiditas, quòd frequenter monopolia faciunt (ex quibus tot ciuibus, & miſerabili præſertim plebi, deriuantur nocumenta) vt rei frumentariæ pretio excreſcente, inde in lucro abominabiliter proficiant. Hinc enim fames in vrbibus, hinc epidemica non rarò lues ob malam nutritionem facilè emergit. Et quod valdè notandum, cum adeò frequentia monopolia ſint, talis, ac tanta culpæ vix quempiam audiuimus ſe in Sacramentali foro reum confiteri. De his loqui videtur Amos cap. 8.* Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit menſis, & venundabimus merces? Et Sabbatum, & aperiemus (*en monopolium*,) frumentum; vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus? *Hi ſanè à populis, proinde & à Deo*

C 2.2.77.4. ad 3.
Negociatio habet de propinquo peccatum adnexum.
D 4. d. 16. 4. 1. q. 3. initio c.
E Mat. 2. lit. b. ibi, publicani.
Negociatores milui, & cur.
F 1.2. 102. 6. ad 1.
Mercatores auari; maritima præſertim incolentes, quales Corinthii.
G 2. Cor. 11. l. 3. ibi, fine onere.
Monopolia damnantur.

qui deſiderium pauperum exaudit, *maledicuntur*, *Prou. 11.* Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium. *Adhæc, illicitos & vſurarios paſſim contractus ex auaritia adiiciunt ur: (de quibus fusè apud Summiſtas infra V.* Vſura.) *Propter quæ difficilè poſſunt ſalutem animæ conſequi, facileque æternaliter pereunt, Prou. 28.* Qui congregat Theſauros in lingua mendacij, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis, *vtique ſempiternæ. Et hoc eſt, quod dicitur Apoc.* 18. Negociatores terræ flebunt, & lugebunt: quoniam merces eorum nemo emet ampliùs &c. *Vbi Author*: Ad literam H negociatores, qui in Mundo merces ſuas, & negociationes ſuas fecerunt fraudulenter, & fraude diuitias congregauerunt, dolebunt in morte, & in iudicio, & in Inferno de hoc, quòd omninò deficientibus terrenis diuitiis, vel derelictis, in quibus poſuerunt amorem ſuum & gloriam, videbunt ſe expoſitos paupertati, dolori, & anguſtiæ maximæ. *Flebunt* autem, & *dolebunt, quoniam merces eorum nemo emet ampliùs*: quæ tamen non viles reputantur, immò caræ, & pretioſæ, quæ ſunt *merces auri, & argenti, & lapides pretioſi &c.* Negociatores *dicuntur* ad literam I qui negociantur vendendo, & emendo temporalia, & etiam pro terrenis animas dando; vnde ſequitur, *terræ*; ideſt, terram per affectum inhabitantes, Eccli. 10. *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habent*. Et animam *inquam* ſuam *negociator iniquus* venalem habet. *Aliqui enim & animam ipſam venderent, vt lucrentur; quinimmò reipſa vendunt, diabolo nimirum & peccato ſe in ſeruos venundantes, Rem. 7.* Venundatus ſub peccato. *Venundatus*: quia K peccator ſe ipſum vendit in ſeruum peccati pretio propriæ voluntatis implendæ, *Io. 8.* Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. *Et inſuper ſe in ſeruum diaboli, qui ſeruit diuitiis, venundat*: A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt, 2. *Pet. 2. Et hoc quidem Apoſtolus* probat L per ius commune. Et loquitur ad ſimilitudinem ſeruitutis acquiſitiuè, qua olim capti ab hoſtibus, eorum ſerui efficiebantur. Similiter capti à diabolo, & à peccato, ſerui ſunt & diaboli, & peccati. *Ex quo* ad laqueos mortis impinguntur *æternæ*: *& tunc* dolebunt (*at fruſtrà*) quia M proſperitatem quam ex venditione mercium habebant, penitùs amiſerunt, *vt aiebat initio Author; ita vt & ſine diuitiis, & ſine lucri ſpe, adhuc diuitiis inhient, & doleant, ſe lucrari ampliùs non poſſe, præter mortis dolores perpetuos, & anguſtias interminabiles, quibus erunt obnoxii.*

Et vſuræ.
Ita negociantes, æternaliter peribunt.
H Apoc. 18. com. 2. §. 1. ibi, mercatores. *& com. 1. ibidem.*
I Apoc. 18. com. 1. ibi.
K Rom. 7. l. 3. ibi.
Vendunt animas ſuas diabolo, & peccato, ſe in ſeruos vtriuſque venundantes.
L 2. Pet. 2. §. 5. ibi.
M Apoc. 18. com. 1. ibi.

h *Et quamuis res ita ſe habeat, hic tamen* difficilè exuitur negocians à negligentia, *vt dicitur Eccli. 26. A negligentia quidem circa ſalutem propriam, de qua tam parùm curat: cum tamen dicatur apertè à Domino Mat. 19.* Diues difficilè intrabit in Regnum Cælorum: *immò expreſſiùs Luc. 16.* Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. *Non ita* exuitur difficilè à negligentia, *quin difficulter exuitur à diligentia, in temporalibus per fas, & nefas adipiſcendis, in quibus immò nimiùm ſolicitus eſt, cum temporalis etiam frequenter detrimento ſalutis, Sap. 5.* Laſſati ſumus in via iniquitatis. *Iniquitas autem ſpecialiter dicitur de peccatis in proximos, quos perpetuò iniqua negociatione defraudant*: Peccata N quæ ſunt in nocumentũ proximi, propriè iniquitates dicuntur, quia æquitati iuſtitiæ, quæ eſt ad alterum, contrariantur. *Vnde & illud Iob 33.* Et non eſt iniquitas in me,

Diligentes in temporalibus, in ſpiritualibus negligentes.
Peccata in proximum propriè iniquitates.
N Iob 33. l. 2. ibi, iniquitates.

expo-

O *Iob 33. l. 1. ibi.*

exponitur, vt scilicet O proximos lædeant. *Et si quid manifestè contra humanam, diuinamque legem, agere negociando se nouerint: mox a-physicis subtiliores, nouas exquirunt in cassum palliatas doctrinas, vnde & excusare se possint, & finalem salutem non amittere. At, infelices, aiebat Dominus Mat. 6.* Non potestis Deo seruire, & mammonæ; *hoc est, Deo simul, & diuitiis. Hinc ad illud 1. Tim. 6.* Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis: *docemur, quòd hi* incidunt P primo in damnum spirituale; vnde dicit: *errauerunt à fide*. Cuius ratio est: quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus desistere nolunt, & inueniunt sibi aliam doctrinam (*caueant nimis laxæ opinionis Confessarii*, ne dum cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadant, *Mat. 15.*) vbi eis sit spes salutis; & hoc specialiter faciunt vsurarij. Secundò quia *inseruerunt se doloribus multis* etiam in præsenti; quia est sollicitudo in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, *Iob 20.* Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. *Et de auaro negociator loquitur; præmiserat enim*: Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. *Quod dictum sit contra iniquos negociantes, non in pios mercatores, & optimos, quorum plurimi & vrbes decorant (vt hic Venetiis) & forum nobilitant, & pauperes releuant, cæterosque honestissimis moribus informant.* DISCE, *nec pro vniuerso Mundo lucrando animam dare. Vide* Auaritia, Auarus, Clericus *Tom. 1.* Diuitiæ, Furtum, Iustitia *Tom. 2.* Vsura.

Novas vsurarij inquirunt doctrinas, ne cessent ab illicitis lucris.

P *1. Tim. 6. l. 2. ibi.*

Optimi mercatores commendantur.

III. Iusta venditio est, quando pretium acceptum ab habente æquatur rei venditæ: iniusta autem, si non æquetur, sed plus accipiat. *Quol. 2. a. 10. corp.*

In venditionibus, & emptionibus rarò peccatum excluditur.

i DE emptione, & venditione mercatorum, & negociatorum hactenus dictum est. Nunc de minoribus venditoribus superest aliquid adijcere, & fraudes detegere: à venditionibus enim, & emptionibus rarò peccatum excluditur, *Eccli 27.* Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis, & emptionis angustiabitur peccatum. *Porrò* de emptione Q & venditione dupliciter loqui possumus. *Vno modo* secundùm se: & secundùm hoc emptio, & venditio videtur esse introducta pro communi vtilitate vtriusque, dum scilicet vnus indiget re alterius, & è conuerso, sicut patet per Philosophum *in 1. Polit.* Quod autem pro communi vtilitate introductum est, non debet esse magis in grauamen vnius, quàm alterius: & ideò debet secundùm æqualitatem rei, inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quæ in vsum hominis venit, mensuratur secundùm pretium datum, ad quod est inuentum numisma, vt dicitur *in 5. Ethic.* Et ideò si pretium vel excedat quantitatem valoris rei; vel è conuerso res excedat pretium, tolletur iustitiæ æqualitas. Et ideò cariùs vendere, vel viliùs emere rem, quam valeat, est secundùm se iniustum, & illicitum. *Alio modo* possumus loqui de emptione, & venditione, secundùm quod per accidens cedit in vtilitatem vnius, & detrimentum alterius: putà, cum aliquis multùm indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat. Et in tali casu iustum pretium erit, vt non solùm respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi pluris quam valeat secundùm se, quamuis non vendatur pluris quam valeat habenti. Si verò aliquis multùm iuuatur ex re alterius, quam accepit; ille verò, qui vendit, non damnificatur carendo re illa: non debet eam superuendere (*nota*) quia vtilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licèt possit ei vendere damnum, quod patitur. Ille tamen, qui ex re alterius accepta multum iuuatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare: quod pertinet ad eius honestatem. *At verò* pretium R rerum venalium non consideratur secundùm gradum naturæ, cum quandoque pluris vendatur vnus equus, quàm vnus seruus; sed consideratur secundùm quod res in vsum hominis veniunt. *Et quidem* iustum S pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit; ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iustitiæ. *Et hinc est, quòd (vt communiter tradunt D. D.) triplex rebus venalibus consueuit pretium assignari iuxta vsum Patriæ, & prudentum iudicium virorum; scilicet* infimum, medíocre, & supremum, *vltra quod non licet sine iniustitia res vendere: nisi essent merces, quas vltroneas vocant, de quibus apud Summistas.*

Q *2. 2. 77. 1. c. In 4. d. 25. 3. 1. q. 1. c. Quol. 2. a. 2. & 10. c.*

Pro communi vtilitate introductæ.

Inter vendentem, & ementem secundùm æqualitatem rei instituendus contractus.

Numisma ad quid inuentum.

Cariùs vendere, vel viliùs emere rem quam valeat, iniustum est, & illicitum.

Quid considerandum in pretio rei secundùm se consideratæ, & in ordine ad alterum.

R *2. 2. l. c. a. 2. ad 3.*

Pretium rei non consideratur secundùm gradum naturę sed secũdùm quod in vsũ hominis venit.

S *Ibid. a. 1. ad 1.*

Modica additio, vel minutio iustum pretium non tollit.

l *Res autem venalis, cum pluribus possit defectus esse obnoxia*, venditor T qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni, vel periculi occasionem, quòd rem vitiosam ei offert, si ex eius vitio damnum, vel periculum incurrere possit. Damnum quidem, si propter huiusmodi vitium, res quæ vendenda proponitur, minoris sit pretij: ipse verò propter huiusmodi vitiũ nihil de pretio subtrahat. Periculum autem, si propter huiusmodi vitium vsus rei reddatur impeditus, vel noxius: putà, si aliquis alicui vendat equum claudicantem pro veloci, vel ruinosam Domum pro firma, vel cibum corruptum, sive venenosum, pro bono. Vnde si huiusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita, & dolosa venditio; & tenetur venditor ad damni compensationem. Si verò vitium sit manifestum, putà si equus sit monoculus; vel cum vsus rei, etsi non competat venditori, potest tamen esse conueniens aliis; & ipse propter huiusmodi vitium subtrahat quantum potest de pretio; non tenetur ad manifestandum vitium rei, quia fortè propter huiusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Vnde potest licitè venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo. *Num verò quis afferens v. g. triticum in locum, vbi vel non est, vel caro pretio venditur; & scit alios venditores eò aduenturos, ex quo minoris erit vendendum, possit caro pretio vendere, reticendo alterum venditorum accessum? Respondet Author: quòd* venditor V qui vendit rem secundùm pretium, quod inuenit, non videtur contra iustitiam facere, si quod futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis,

T *Ibid. a. 3. c. & ad 2. & Quol. 2. a. 10. c.*

Quando nam licita, vel illicita venditio ex vitio rei venalis non detecto.

V *Ibid. ad 4.*

quam

quamuis ad hoc non videatur teneri ex iustitiæ debito. *Cæterùm ex rei vendibilis vitio, multipliciter venditio potest illicita reddi, & iniusta. Proquo sciendum, quòd* circa rem X quæ venditur, triplex defectus considerari potest. Vnus quidem *secundùm speciem rei*: & hunc quidem defectum, si venditor cognoscat in re, quam vendit, fraudem committit in venditione; vnde venditio illicita redditur. Et hoc est, quod dicitur contra quosdam Is. 1. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua*. Quod enim permistum est, patitur defectum quantùm ad speciem. Alius autem defectus est *secundùm quantitatem*, quæ per mensuram cognoscitur: & ideò si quis scienter vtatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, & est illicita venditio. Vnde dicitur Deut. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: Nec erit in domo tua modius maior, & minor*; & postea subditur: *abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam*. Tertius defectus est *ex parte qualitatis*: putà si quis aliquod animal infirmum vendat quasi sanum: quod si quis scienter fecerit, fraudem committit in venditione; vnde est illicita venditio. Et in omnibus talibus non solùm aliquis peccat iniustam venditionem faciendo; sed etiam ad restitutionem tenetur. Si verò eo ignorante, aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat, quia facit iniustum materialiter, nec eius operatio est iniusta. Tenetur tamen, cum ad eius notitiam peruenerit, damnum recompensare emptori. Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris. Contingit enim quandoque, venditorem credere rem suam esse minùs pretiosam quantùm ad speciem; sicut si aliquis vendat aurum loco aurichalchi: emptor si id cognoscat, iniustè emit, & ad restitutionem tenetur. Et eadem ratio est de defectu qualitatis, & quantitatis. *Notent, si qui sunt, opinantes contrarium, vel operantes.*

X Ibid. a. 2. c.

Quod multipliciter contingit.

Triplex rei defectus, scilicet secundùm speciem rei, secundùm quantitatem, & secundùm qualitatem.

Venditor materialiter iniustus quis.

m *Verùm, quia plurimi* Y *sunt (vt Augustinus* dicit in lib. de Trinit.) qui volunt vili emere, & carè vendere: *sequitur, quòd frequentissimè in venditionibus fraudes deprehenduntur, & doli, siuè in re, siuè in verbo. In verbo; quia, vt dicitur Eccli. 26.* Non iustificabitur caupo à peccatis labiorum, *vt cariùs vendat: & ita de venditoribus cæteris, de quibus Ier. 9.* Veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, *scilicet* per Z consuetudinem, *vt iniustè lucrentur; venditor enim iniquus est*, qui congregat Thesauros lingua mendacij, *Prou. 21. At nedum verbo mendaces sunt, sed & facto, Ps. 61.* Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris: *contra quod dicitur Prou. 11.* Statera dolosa, abominatio est apud Dominum; & pondus æquum, voluntas eius. *Aduertant ergo, & benè aduertant venditores, quid* iusta A venditio est, quando pretium acceptum ab habente æquatur rei venditæ: iniusta autem, si non æquetur, sed plus accipiat. *Quod initio Author expressit. Et hoc emptoribus quoque cordi sit: nec enim desunt (potentiores præsertim) qui pretio, iusto minori, rem sibi violentia quadam comparare volunt. Illud etiam pro emptionis notitia sciendum, quòd* ad emptionem B duo requiruntur: scilicet quantitas pretij, & deputatio eius ad aliquid emendum. Si enim aliquis de pretium non æquiualens ad rem aliquam acquirendam, non dicitur esse simpliciter emptio, sed partim emptio, partim donatio: putà si aliquis emat librum, qui valet 20. libras, pro decem libris, partim emeret librum, partim sibi donaretur. Rursus, si daret etiam maius pretium, & non deputaret ad emendum, non diceretur emere librum. (*Quam doctrinam applicat Author ad Christum Redemptorem*: Si enim *inquit* loquamur de redemptione humani generis, quantùm ad quantitatem pretij: sic quælibet passio Christi etiam sine morte sufficeret ad redemptionem, propter infinitam dignitatem personæ. Si autem loquamur quantùm ad deputationem pretij: sic non sunt deputatæ ad redemptionem humani generis à Deo Patre aliæ passiones Christi absque morte.) *Nouerint tandem cupidi dolosique venditores, sæpè sæpiùs iusto Dei iudicio euenire, quòd* non inueniat (*Prou. 12.*) fraudulentus lucrum, *quod solùm per fraudem quærit, in præsenti vita*: & in morte pertimescat *diuinam pauperum defraudatorum vindictam. Postquàm enim dictum est ex huiusmodi venditorum ore Amos* 8. Imminuamus mensuram, & augeamus siclum (*numisma hebraicum*) & supponamus stateras dolosas; *immediatè subiicitur*: Iurauit Dominus; si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum; *nimirùm, vt grauissimè puniat. Inferat idcircò idem Dominus, ad iustitiam in humana conuictu seruandam, Leu. 19.* Statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius. *At in cassum mandat Dominus, in vanum vetat Princeps, inutiliter conscientia exstimulat: homines enim, temporalibus lucris inhiantes*, nec Deum timere consueuerunt, nec homines reuereri; DISCE *vendere, quæ possides in terris*, vt thesaurizes, emens aurum ignitum, in Cælis.

Y Quol. 2. a. 10. ad 2.

Venditores, vt plurimùm mendaces, & fraudulenti.

Z Ierem. 9. §. 1. ibi.

A Quol. 2. a. 10. c.

Quænam iusta venditio, & iniusta.

B Quol. eod. a. 2. c.

Duo ad emptionem exiguntur.

Timeant & hic venditores dolosi, & in futuro.



NEMESIS. *Vide* Misericordia.
NESCIENTIA. *Vide* Ignorantia *Tomo* 2.
NOTIO. *Vide* Deus Trinus *Tomo* 2.
NOTORIA ARS. *Vide* Diuinatio *Tomo* 2.
NVMERVS. *Vide* Damnatus, Ieiunium, Indulgentia *Tomo* 2.
NVPTIÆ. *Vide* Matrimonium.



OBEDIENTIA. *Vide* Religiosus.
OBLATIO. *Vide* Anima rationalis *Tom.* 1. Decimæ, Ecclesia *Tom.* 2.
OBSERVANTIA. *Vide* Honor *Tom.* 2. Parentes.
OCCASIO. *Vide* Peccatum.
OCCIDERE. *Vide* Homo *Tomo* 2.

O C I V M.

I. Nihil stultius, quàm in præsenti vita, vbi homo debet sibi operari, vt in æternitate viuat, in ocio viuere. *Serm. ex Euang. Dom. in Septuag.*

Ocium periculosum.

C 2. *Thess.* 3. *l.* 2. *ibi.*

D 1. *Thess.* 4. *l.* 1. *ibi.*

E 1. *Tim.* 5. *l.* 2. *ibi.*

Mulieribus præsertim.

Defenduntur religiosi, si manibus non laborant.

F *Op.* 17. *cap.* 16. *circa fi. Op.* 19. *c.* 5. *Quol.* 7. *a.* 18.

a MAximum sanè inijcit animæ periculum ociositas, 2. *Thess.* 3. Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. *Etenim* Anima C hominis semper oportet quòd circa aliquid occupetur: & ideò necesse est, quòd ociosi inquietudinem patiantur circa illicita. *Vnde & coherenter præmiserat Apostolus*: Operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negocium agatis, & operemini manibus vestris. *Vbi* arguit D ociosos, & eorum inquietudinem. *Quòd quidem periculum ociosis imminet, præsertim mulieribus*, *Prou.* 7. Garrula & vaga, quietis impatiens &c. *Et Apostolus* 1. *ad Tim.* 5. Ociosæ discuut circuire domos &c. *Siquidem* cor mulieris E non est firmum, sicut viri; & propter hoc ad diuersa mouetur. Si ergo non adstringatur ad operandum, oportet ferri ad diuersa. Et ideò est periculum, quòd mulieres sint ociosæ. *Adeò autem necessaria videtur, ocio ablegato, manualis operatio, vt prompserit Apostolus 2. Thess. 3. cit.* Si quis non vult laborare, nec manducet. *Ex quo damnabant quidam Religiosos, quòd manibus non laborarent; in quorum defensionem piissimus Author, ad errorem hunc euertendum, non parùm pluribus in locis insudauit. Et sanè* ocium F non solùm per laborem manuum tollitur, sed multò meliùs pro sacrarum Scripturarum studium: *Quod ocium habet magnum negocium*, sicut dicit *Augustinus*. Vnde super illud Ps. 68. *Defecerunt oculi mei &c.* dicit glossa: *Non est ociosus, qui verbo Dei tantùm studet: nec pluris est qui extra operatur, quàm qui studium cognoscendæ diuinitatis exercet.* Ipsa etiam Sapientia maximum opus est. Tollitur etiam ocium per laborem doctrinæ, quo contra hostes fidei dimicatur, secundùm illud Apostoli 2. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi*; idest, in prædicando *ex glossa* Euangelium contra hostes fidei. *Aliàs ex opposito* (*sicut dicit* Augustinus *in lib. de Oper. Monach.*) hæc G verba Apostoli peruertebant, quòd scilicet non sit licitum seruis Dei manibus operari, propter hoc, quod dicitur Mat. 6. *Nolite soliciti esse, dicentes: quid manducabimus?* Nam dicunt, hanc operationem pertinere ad solicitudinem victus. Et propter hoc referebant istud ad spiritualia opera. *Quasi dicat*: Si quis non vult facere opera meritoria, & spiritualia, non est dignus manducare. Sed hoc est contra intentionem Apostoli, qui dicit: *Denunciabamus vobis*, nos sic fecisse, scilicet *in labore & infatigatione nocte, ac die operantes*. Ergo, *subiicit Author*, estne hoc H consilium, vel præceptum? Et videtur esse præceptum; quia infrà dicitur: *Si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate; & non commisceamini cum illo, vt confundatur*. Ergo omnes tenentur manibus operari. Qui igitur non operatur manibus, sed stat ociosus, peccat mortaliter. *Et respondet*. Dicendum, quòd est præceptum. Sed aliquid præcipitur dupliciter: simpliciter scilicet, vel sub conditione. Simpliciter præcipitur quod est per se necessarium ad salutem. Et hæc sunt opera virtutum. Sub conditione verò, vt quando talis est casus, quo sine opere manuali præceptum seruari non potest. Præcipitur autem homini, quòd corpus suum sustentet: aliàs enim est homicida sui ipsius, Gen. 2. *De omni ligno Paradisi comede &c.* Ex præcepto ergo tenetur homo corpus suum nutrire: & similiter ad omnia, sine quibus corpus non potest viuere, tenemur. Vnde quicumque non habet aliàs vnde corpus sustentet licitè vel possessione, vel licito negocio, tenetur laborare (*non quæstuare, vt plures faciunt homines segnes; nisi imperfecti sint, aut manci, aut senes, aut cæci &c.*) ne furetur, Eph. 4. *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis*. Est ergo præceptum, quando aliter non potest licitè viuere. Vnde dicit: *Si quis non vult operari, nec manducet*. Est ergo alterum duorum necessarium, vt homo possit manducare; scilicet vel quòd habeat possessionem, vel quòd licitè procuret, Ps. 127. *Labores manuum tuorum, quia manducabis. Ex quo* illi I qui habent aliàs vnde viuant, quàm de labore manuum, non tenentur manibus operari: alioquin omnes diuites, & omnes clerici, & laici, qui non laborant, essent in statu damnationis; quod est absurdum. Et ita neque tenentur Religiosi, qui habent vnde aliàs viuant, quàm de labore manuum, quia habent possessiones, quæ ad eorum vitam sustentandam à fidelibus collatæ sunt: vel habent ministerium prædicationis, sibi commissum, de quo viuere possunt, 1. ad Cor. 9. *Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere*. Hoc *igitur*, quòd K Apostoli manibus laborauerunt, quandoque quidem fuit necessitatis, quandoque supererogationis. Necessitatis quidem fuit, quando ab aliis victum inuenire non poterant, vt patet *ex glossa* 1. *Cor.* 4. *Laboramus, operantes manibus nostris*; scili-

Ocium nedum tollitur per laborem manuum, sed & per nobiliora opera, scilicet virtutum.

Ex opposito damnabant alij claustrales eosdem quòd manibus laborarent.

G 2. *Thess.* 3. *l.* 2. *ibi. Op.* 19. *c.* 5. *Io.* 6. *l.* 3. *lit. e.*

H 2. *Thess.* 3. *ibid. &* 1. *Thess.* 4. *l.* 1. *fin. Eph.* 4. *l.* 9. *Op.* 17. *cap.* 16. *Op.* 19. *c.* 5. *Quol.* 7. *a.* 17. *c. & ad* 10. *&* 2. 2. 187. 3. *&* 3. *con. G. c.* 135.

Opus manuale, num de consilio, an de præcepto.

Dupliciter aliquid præcipitur, scilicet simpliciter, vel sub conditione.

Quando nam quis teneatur operari manibus.

I *Op.* 19. *c.* 5. *& locis cit.*

Religiosi non tenentur.

Opus manuale potest, & necessitatis esse, & supererogationis, vt in Apostolis.

scilicet pro nobis necessarijs (*ex glossa*) quia nemo dat nobis. Quòd I etiam supererogationis fuerit, patet per id, quod habetur 1. *Cor.* 9. Hac tamen supererogatione tribus de causis Apostolus vtebatur. Quandoque quidem, vt occasionem auferret pseudo Apostolis prædicandi, qui propter sola temporalia prædicabant, vt patet 2. Cor. 11. *Quod autem facio, & faciam, vt amputem occasionem eorum &c.* Quandoque propter auaritiam eorum, quibus prædicabat: ne grauati, si Apostolo seminanti spiritualia prouiderent temporalia, à fide discederent, vt patet 2. Cor. 12. *Quid est enim, quòd minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quòd ego ipse non grauaui vos? Tertiò* ad dandum exemplum ociosis operandi, 2. Thess. 3. *Nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus &c.* Et infrà: *Vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Et ideò non est de necessitate salutis, quòd Religiosi in hoc Apostolum imitentur, cum non teneantur ad omnes supererogationes. Vnde nec alii Apostoli manibus laborabant, nisi fortè quando non inueniebant qui eis daret: in quo casu tenetur quilibet manibus laborare. *Et alibi coharenter*: Duplicem *inquit* causam

L 2. *Thess.* 3. *l.* 1. *fin.*

L inuenimus, quare Apostolus manibus laborauit: Vna est apud Corinthios, alia hic (2. *ad Thess.* 3.) Illi enim erant auari, & grauiter tulissent, sicut ibi dicitur. Causa autem, quare laborauit hic, fuit horum ocium. Et ideò dicit: *vt nosmetipsos formam daremus vobis &c.* scilicet laborandi, 1. Tim. 4. *Exemplum esto fidelium &c.* Alia causa ponitur in glossa 1. *ad Cor.* 4. Scilicet quando non inuenimus qui det nobis; & tunc laborabat. Quarta causa erat, vt sicut Monachi Ægypti, non essent ociosi. Vnde qui non habent (*Religiosi præsertim*) exercitium officij, vel studij, vel lectionis, periculosè viuunt ociosi. *Benè aduertant Ecclesiastici, & potissimùm Claustrales.*

Qui non habent exercitium aliquod, periculosè viuunt ociosi.

b *Periculosè inquam viuunt ociosi: certum est enim, quòd* ex ocio M tepescit charitatis feruor; *paulatim exinde faciliter potest amitti, consequenter diaboli subijci seruituti, ea carentes. Hinc ad illud Iob* 40. Sub vmbra dormit in secreto calami (*vbi figuraliter de diabolo loquitur sub typo elephantis*) *docemur per hoc designari, quòd* gladius N diaboli effectum habet etiam in hominibus, qui in ocio, quasi in vmbra viuunt, *& specialiter ad lasciuia peccata inducendo. Vnde & de eodem paulò ante figuraliter dicitur, quòd* nerui testiculorum eius perplexi sunt: *quia* dæmones O ad peccata carnalia omnes homines inducunt (*ociantes præsertim*) ad quæ maximè sunt proni: *& ideò in aliquo occupentur, claustrales præcipuè, necessum est, ne capiantur ab hoste.* Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum, *aiebat Hieronymus*. Inter P omnes autem occupationes melior est studium Scripturarum. *Idem Hieronymus ad Paulinum*: Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis. *Profectò ex solo videtur ocio prouenire, quòd luxuria deditæ sint magis fœminæ, quàm viri.* Peccatum Q mulierum est luxuria, cum sint ociosæ. *Vnde Apostolus*, 1. *Tim.* 5. Quæ vidua est, & desolata, instet orationibus nocte, & die: nam, quæ in delicijs est, viuens mortua est: *quia nimirùm* impossibile est R quòd animus non occupetur circa aliquam delectationem. Et cum animus ociosi non occupatur vtilibus, oportet, quòd occupetur carnalibus. Et ideò dicitur, quòd vidua sic desolata vacet orationi: quia si non habet hanc, dat se delicijs, & sic *mors ua est* morte peccati. *Cuius rei & exemplum* S habemus in Dauid 2. *Reg.* 11. qui quandiu cum alijs se exercitauit in bello, non

M 1. *d.* 17. 2. *c.*

Charitas ex ocio tepescit.

N *Iob* 40. *l.* 2. *ibi.*

Diabolus ociosis dominatur.

O *Ibid. ibi.*

Studium Sac. Scripturæ, contra incentiua luxuriæ.

P *Op.* 4. *de* 10. *prae.* §. 1. *fin. Op.* 18 *c* 9. *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 50.

Quæ potissimùm ex ocio enascitur.

Q *Mat.* 21. *lit. b. ibi*, Meretrices.

R 1. *Tim.* 5. *l.* 1. *ibi.*

S *Apoc.* 16. *com.* 2. §. 7. *ibi* Septimus Angelus, *Op. de er. Pr. l.* 5. *c.* 52

cecidit in peccatum luxuriæ: quando verò mansit in palatio ociosus, cecidit in adulterium. *Potissimùm verò pœnitentibus ab ocio cauendum est, ne iterum hac via diabolus ad inhabitandum eorum corda regrediatur, Mat.* 12. Reuertar in domum meam, vnde exiui; *subditque*: & veniens inuenit eam vacantem. *Vacantem inquam*, idest T ociosum. *Et hoc est, ad quod hortabatur Apostolus Ephesios cap.* 4. Nolite locum dare diabolo. *Et quòd hoc propter eorum ocium diceret, vide ex seqq. Subiicit enim immediatè ad hæc*: Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis &c. *Quasi dicat: Si ociosè vixeritis, diabolo carnis ianuam aperietis. Ad arcendum quippe dæmonem à corde vestro, vnicum remedium est non ociari.* Dicuntur *autem* ociosi V non solùm qui malè faciunt, sed etiam qui bonum non agunt. Et sicut illi non consequentur finem, sic nec isti: Finis hominis est vita æterna; qui ergo operatur eo modo, quo debet, habebit eam; non ita, si ociosus fuerit. *Et hoc est: quia* ocium X opponitur ordini, qui est eius, quod est ad finem; *ad finem vtique iustæ necessitatis, vel piæ vtilitatis.* Quod enim Y fit propter iustam necessitatem, vel propter piam vtilitatem, laudabiliter fit, & bonus est actus: quod verò caret iusta necessitate, vel pia vtilitate, ociosum reputatur, vt *Gregorius* dicit. (*Et verbum quidem ociosum uidetur magis ueniale peccatum, quàm ociosum factum; quia* verbum Z est immediatus effectus rationis; & ideò minùs potest verbum præter deliberationem esse, quàm factum. Sciendum tamen, quòd non omne verbum iocosum est ociosum, si ad recreationem referatur, quia etiam in iocis contingit esse virtutem eutrapeliam, de qua in 4. *Ethic.*) *Idcircò cum recta intentione ad finem operandum est. Vnde Apostolus ad Hebr.* 12. Remissas manus, *inquit*, & soluta genua, erigite. *Siquidem* manus A cum sit organum organorum, *remissa* dicitur, quando vacat à bonis operibus; & ideò erigenda est per rectam intentionem ad operandum quæ Deo placent, Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in Calos*: Manus enim remissa inducit egestatem, & seruitutem, Prou. 10. *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat.* Item cap. 12. *Manus fortium dominabitur; quæ autem remissa est, tributis seruiet.* In huius signum, quando Moyses eleuabat manus, vincebat Israel: quando verò remittebat, superabat Amalech, vt dicitur Exod. 17. *Superat enim, & vincit Amalech* (*quod interpretatur* Rex) *scilicet diabolus, qui* est rex super vniuersos filios superbiæ, *Iob* 41. *quando* remissas manus *habemus, ociantes, & nihil boni operantes.*

Pœnitentibus ocium præcipuè cauendú, ne diabolus in eos regrediatur.

T *Mat.* 12. *lit. e. ibi.*

V *Mat.* 20. *lit. a. ibi*, ociosos.

Ociosi quinã dicantur.

Hi finem, qui est vita æterna, non consequuntur.

X 2. *d.* 40. 1. 5. *initio corp.*

Y *Mal.* 2. 5. *fi c. In* 2. *l.* 5. *ad* 8.

Ociosum quid.

Z *In* 2. *ibid.*

Non omne verbum iocosum est ociosum.

A *Hebr.* 12. *l.* 3. *ibi.*

Diabolus ociantes facilè vincit.

c *Cæterùm plura sunt, ex quibus homo ad auersandum ocium deberet induci.* Primò B quia homo ad laborem nascitur, Iob. 5. *Homo nascitur ad laborem.* Secundò quia ab ociositate tanquam à mala Magistra, mala scientia addiscitur, Eccli. 33. *Multam malitiam docuit ociositas.* Tertiò quia frequenter horribile peccatum committitur, Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & ocium ipsius.* Quartò quia egestas æterni boni per ocium incurritur, Prou. 6. *Paululùm dormitabis, paululùm conseres manus, vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas.* Quintò quia labor æternus pro breui ocio acquiritur, Ps. 72. *In labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur* (*hic videlicet ad probationem, uel correctionem*) sed cum dæmonibus *in Inferno*, Ps. 48. Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem: *idest*,

B *Serm. Ex En. Dominica Sep. na. ef.*

Plura ad ociũ euitandum inducunt.

Væ non operantibus, sed ocio torpentibus.

vita eius C non deficiat in pœnis, *Iob* 20. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. *Qui ergo in futura vita æternùm laborare non vult, laboret* modicum nunc *oportet in præsenti, ad exemplum Cœli, quod semper mouetur, vnde* homo cælestis: *non terra*, quæ in æternùm stat, *vnde* homo terrenus. Sicut *enim* de natura D terræ, est immobilitas, & quies; ita de natura Cœli est, quòd semper moueatur. *Ex quibus omnibus immeritò deducebat ab initio Author*: Nihil E stultius, quàm in præsenti vita, vbi homo debet sibi operari, vt in æternitate viuat, in ocio viuere: *tum immò* militia sit vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij, dies eius. *Etenim*, vt resistat F impedimentis, & nociuis, propter hoc vita hominis comparatur militiæ: vt verò operetur vtilia ad finem, propter hoc comparatur mercenario. *Concludat consequenter Apostolus ad Gal.* 6. Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum: quæ enim femminauerit homo, hæc & metet, *Apoc.* 14. Opera enim illorum sequuntur illos. *Et vult dicere: Ne torpeamus ocio, sed* operemur G bonum in hac vita, quæ est tempus seminandi (*Eccle.* 11. Manè semina semen tuum; *non in fero mortis*) *Io.* 9. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: *alioquin* veniet nox, quando nemo potest operari. *Hoc autem* intelligendum est H de nocte, quæ est per spiritualem separationem solis iustitiæ; scilicet per subtractionem gratiæ. Quæ quidem nox duplex est. Vna per subtractionem actualis gratiæ, quam inducit peccatum mortale, 1. *Thess.* 5. *Qui dormiunt, nocte dormiunt*: & quando hæc *nox venit*, *nemo potest operari* opera meritoria vitæ æternæ. Alia nox est consummata; quando scilicet non solùm priuatur quis actuali gratia per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi, per æternam damnationem in Inferno, vbi profunda nox est: quæ erit illis, quibus dicetur *Mat.* 25. Ite maledicti in ignem æternum (*vnde & ibid. vocat* tenebras exteriores:) & tunc *nemo potest operari*: quia non est tempus merendi, sed secundùm merita recipiendi. Dum ergo viuis, fac sicut factutus es. *Et quidem citò* (Tempus enim breue est 1. *Cor.* 7.) *Eccle.* 9. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas, *nisi ablegato ocio ad animæ salutem operetur. Ad quod iterum hortatur Salomon Eccli.* 51. Operamini opus vestrum ante tempus (*subaudi* mortis) & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo. *Et hoc indicat parabola* Luc. 19. *de homine illo nobili*, qui abijt in regionem longinquam accipere sibi Regnum, & reuerti; qui vocatis decem seruis suis dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negociamini, dum venio. *Homo iste nobilis, Christus Dominus est, verus Deus, & homo*, Rex Regum & Dominus Dominantium, *qui seruis suis hominibus talenta dedit gratiæ, & virtutum, & Sacramentorum, vt negociarentur benè operando magnum salutis animæ negocium: ex quo lucrum facerent Regni Cælorum suo tempore adipiscendi. Ideircò autem dicit*, dum venio, *vt aduentum innuat ad iudicium, siuè particulare, siuè vniuersale, propter operum retributionem. Signanter verò hoc vtitur verbo*, Negociamini: *vt nouerint fideles, ocio non posse indulgentes lucrum aliquod facere pro salute*; negocium *enim ab ocio negando dictum est*.

d *Qualiter verò, ad finem æternæ vitæ consequendum, nobis operandum sit, tradit Apostolus ad Tit.* 2. Vt *scilicet* abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. *Quibus verbis, docet nos Apostolus benè operari in ordine ad Deum, ad proximum, & ad nos.* Abnegantes impietatem: *quandoquidem* pietas I propriè est, secundùm quam colimus parentes & Patriam. Et quia Deus est principalis *Pater noster*, ideò pertinet ad cultum Dei, pietas. Et sic peccata contra Deum dicuntur esse *impietates*, Rom. 1. *Reuelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem*. Per *secularia* verò *desideria* intelliguntur res seculares, & omnia peccata, quæ in proximum committuntur: vel in se, per earum abusum. Deinde cum dicit *sobriè &c.* ostendit quid boni faciamus. Et dicit *sobriè* quantùm ad se: *iustè* ad proximum: *piè* ad Deum. *Sobriè* ad se, quasi mensuratè: *Bria* enim mensura est; & hoc est, si homo cum mensura rationis vtatur exterioribus rebus, & proprijs passionibus. Vnde sobrietas hìc accipitur pro quolibet mensurato vsu rerum exteriorum, & intrinsecarum passionum, Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus*. Iustè ad proximum, Ps. 10. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit*. Piè ad Deum, 1. Tim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem. Quòd si in ocio degentem, & à bono torpentem opere Apostolicæ adhortatio non mouet: excitet vel minuti animalculi exemplum; quod suggerit Sapiens Prou.* 6. Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam. Quæ, cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. *In qua quidem authoritate* quinque sunt K quæ satis possunt confundere pigritiam hominum. *Primum est* paruitas formicæ, quam Salomon proponit homini magistram: quod satis erubescibile est. *Secundum est*, quòd considerat *vias eius*, non viam: vias enim vocat discursus, quos facit pro vno grano colligendo, pro quo pluries vadit longè à domo. Vndè satis possunt confundi quidam, qui grauantur semel in septimana venire ad Ecclesiam ad requirendum verum cibum animæ. *Tertium est*, quòd dicitur formica *non habere Ducem*, cuius sequatur exemplum: *nec præceptorem*, cuius verbo erudiatur: *nec principem*, qui remuneret benè facientem, vel negligentem puniat. Homo tamen hæc omnia habet, & adhuc pigrescit miser. *Quartum est*, quòd formica purum granum eligit, quo pascatur; & homo miser pascitur spurcitia peccatorum alienorum, Prou. 15. *Os stultorum pascitur imperitia. Quintum est*, quòd formica onus portat aliquando maius se: & homo modicam pœnitentiam non potest portare, *nec leuem tribulationem ad gloriam æternam consequendam*, 2. *Cor.* 4. Leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; *quam hic in Dei honorem eius gratia operantibus concedat*, qui operatur in nobis *Philip.* 2. & velle, & perficere pro bona voluntate. DISCE bene operari, *donec dies est. Vide*, Acedia, Cælibatus, Curiositas *Tom.* 1. Mulier, Negligentia, Peccatum.

Marginalia: C *Ps.* 48. *lit.* c. *ibi.* — D *Iob* 9. *l.* 1. *ibi.* — E *Serm. Ex Ev. Dom. Sexag.* — Vita hominis, cur militiæ comparetur & mercenario. — F *Iob* 7. *l.* 1. *ibi.* — G *Ad Gal.* 6. *l.* 2. *ibi.* — Benè operandum in hac vita, quæ est tempus seminandi. — Nox duplex spiritualis. — H *Io.* 9. *l.* 1. *lit.* c. *ibi.* — Citò operandum, vt consequamur Regnum Cælorum. — Negocium ab ocio negando dictum. — Qualiter nobis operandũ sit. — I *Ad Tit.* 2. *l.* 3. *ibi.* — Pietas propriè quid. — Peccata contra Deum, impietates dicuntur. — Sobrietas generaliter sumpta quid. — A formica operari discamus. — K *Apoc.* 16. *com.* 2 §. 7. *ibi.* Septimus Angelus.

AMOR

AMOR HOMINIS *Tom.* 1.

ODIVM. *Vide* **DILECTIO INIMICORVM** *Tom.* 2.

ODIVM DEI. *Vide* **FIDES INFVSA** *Tom.* 2.

OFFICIUM.

II. Quandocumque aliquìs indignè vtitur officio suo, peccat. *In* 4. *d.* 19. 2. 2, *q.* 2. *c.*

L Durand. l. 5. c. 2. num. 1.
Officiũ quid.
Vnde dicatur.
M 2. 2. 183. 3. in sed contra.
Officia distinguuntur per actus, qui referuntur ad alios.
N Ibid. ad 2.
O Ibid. in corp.

c OFficium *secundùm Isidorum* est L proprius, vel congruus actus vniuscuiusque personæ, secundùm mores ciuitatis, vel institutæ professionis. *Et secundum eundem* Isidorum *in lib. Etym.* (*immò & ex* Hieronymo *in lib. de offic.*) officium M ab efficiendo est dictum, quasi *efficium*, propter decorem Sermonis, vna mutata litera. *Et quia* efficientia N à qua sumitur nomen officij, importat actionem tendentem in aliud (*vt dicitur in* 9. *Met:*) ideò officia distinguuntur propriè secundùm actus, qui referuntur ad alios: sicut dicitur doctor habere officium, vel Iudex, & sic de alijs: *Et ita* dicuntur O in diuersis officijs esse qui sunt ad diuersas actiones deputati. *Et hinc est, quòd* Isidorus *idem huius Etymon nominis aliundè deriuans, scilicet per antiphrasim ab efficiendo*, dicit P quòd officium est, vt quisque illa agat, quæ nulli officiant, idest noceant, sed prosint omnibus. *Vnde & officium pro beneficio non rarò vsurpatur; sicut vsurpauit* Tullius *de Amic. cum ait*: Odiosum genus hominum officia exprobrantium, *idest beneficia. Vnde & commendationem cuiuspiam, seu recommendationem apud aliquem*, officium *nominamus. Porrò ad Officia, temporalia etiam & secularia, boni, & prudentes viri eligendi sunt. Et quamuis huiusmodi officia subditis vendere licitè Principes valeant: melioris tamen videtur consilii per electionem Officiales assumere.* Non Q video (*scribit Author ad Ducissam Brabantiæ*) quare huiusmodi officia non liceat vobis vendere: dummodò talibus vendatis, de quibus possit præsumi, quòd sint vtiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur, quòd recuperari non possint sine grauamine vestrorum subditorum. Sed tamen talis venditio expediens non videtur: quia contingit frequenter, quòd illi, qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda, sunt ita pauperes, vt emere non possint: &, si etiam sunt diuites, illi qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quòd vt plurimùm illi officia in terra vestra suscipiant, qui sunt peiores, ambitiosi, & pecuniæ amatores: quos etiam probabile est subditos vestros opprimere, & vestra etiam commoda non sic fideliter procurare. Vnde magis videtur expediens, vt bonos homines, & idoneos ad suscipiendum vestra officia eligatis; quos etiam inuitos, si necesse fuerit, compellatis: quia per eorum bonitatem, & industriam, maiora adcrescent vobis, & subditis vestris, quàm de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis. Et hoc consilium dedit Moysi eius cognatus *Iethro Exod.* 18. Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore.

P Ibid. ad 2. fin.
Officij etymon aliud.

Boni, & prudentes ad officia eligendi.

Q Op. 21. circ. med.
An liceat & expediat Principibus officia vendere.

Debent præterea, siue ætate, siue maturitate consilii, senes esse officiales: quia ex communi parœmia: Prudentia in senibus, *propter longam rerum experientiam. Hinc ex eo, quòd Ioannes ad baptizandum, sicuti & Christus ad prædicandum, in anno 30. venit, docemur, quòd* ad nullum R officium debet aliquis assumi ante perfectam ætatem: *qualis est ad minus annorum* 30. *Nec perperam* sapientes *dixit*, & timentes Deum: *necessaria est enim, præter Dei timorem, eorum quoque notitia, quæ ad officium pertinent, vt rectè, & ritè exerceatur. Alioquin plura sequuntur inconuenientia in exercendo: sicut imperiti nautæ aut aurigæ directione, plura incurrere damna possunt itinerantes: totumque malum male imputatur directori. Sic Phaetontem, immaturæ ætatis, & imperitum, lucis currum dirigere volentem, vltimum Orbi exitium allaturum fuisse, Poetarum commenta fingunt, ni Iuppiter prouidus de curru, emisso fulmine, deiecisset. Communis quippe doctrina est, quòd* vnusquisque S tenetur scire quæ ad suum officium pertinent. Sicut Episcopus ea, quæ pertinent ad officium Episcopale: & Sacerdos ea, quæ pertinent ad officium Sacerdotale: & sic de alijs. Et horum ignorantia non est sine culpa. *Cum verò quis, debitis qualitatibus præditus, munus aliquod suscepit, ea ipse tenetur & exercere*: Vnusquisque *enim* obligatur T ad exequendum officium, quod accepit. *Atqui magnum in tali exercitio discrimen est inter seculare, seu mundanum officium, & spirituale. Nam* per quodlibet V peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum: *non ita ad mundanum exercendum, seu temporale. At de spirituali munere satis dictum est Tom.* 1. *V.* Ambitio *& Tom.* 2. *V.* Episcopus.

Aetate, vel soliditate consilij sint officiales maturi.

R Mat. 3. lit. a. ibi, prædicans, & luc. 3. ibi, tunc venit.

Notitiam calleant eorum quæ ad officium pertinent: quorũ ignorantia eos non excusat.

S Ma. 3. 7. c. Ver. 17. 3. & 2. 2. 76. 2. In 2. d. 22. 2. 1. c. quol. 1. a. 19. c. & Quol. 8. a. 15.

T 3. p. 67. 8. c.

V Quol. 8. 6. c.
Officium suscipiens illud exercere tenetur.

f *Quoniam verò ex* Isidoro *in lib. Etym.* Officiorum X plurima genera sunt; sed præcipuum illud est, quod in sacris, diuinisque rebus habetur: *ex hoc deductum est* Diuini *nomen* officij *quod ab Ecclesiasticis personis in Dei honorem persoluitur.* Propriè *enim* officium Y Sacerdotis est, esse mediatorem inter Deum, & populum, in quantùm scilicet diuina populo tradit: vnde dicitur Sacerdos quasi *Sacra dans*, secundùm illud Malach. 2. *Legem requirent ex ore eius*, scilicet Sacerdotis; & iterum (*ad rem nostram*) in quantùm preces populi Deo offert. *Idcircò, quia* & ipsi Z Angeli sunt medij inter Deum, & hominem, ipse Sacerdos, in quantùm est medius inter Deum, & populum, Angeli nomen habet, secundùm illud Malach. loc. cit. *vbi subiicitur*: quia Angelus Domini exercituum est. *Sanè, sicut clientibus apud Principem, vel iudicem patrocinari, aduocatorum est officium: ita preces populi, & pro populo Deo offerre, officium Sacerdotum est: quod est sacrificare. Vnde & Officium diuinum sacrificium quoddam est, Ps.* 26. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino. *Vbi notat Author, quòd* duplex est A sacrificium: scilicet interius, quo homo animum suum dat Deo, Ps. 50. *Sacrificium Deo*, scilicet Deo acceptum, *Spiritus contribulatus*; & omne exterius sacrificium ordinatur ad repræsentandum illud, vt *Augustinus* dicit: quia quod offers hoc exterius, est vt repræsentes animum tuum Deo. Verumtamen omnis repræsentatio fit per aliqua signa, inter quæ primatum tenent verba: & ideò inter sacrificia videtur præeminentiam habere sacrificium laudis, Ps. 49.

X 2. 2. 183. 3. ad 3. fin.

Vnde Ecclesiasticorum preces *Diuinum Officium* dicantur.

Y 3 p. 22. 1. c. & a. 4. c. & q. 26. 1.

Z 3. p. 22. 1. ad 1.

Officium diuinum, sacrificium Deo.

A Ps. 26. lit. f. fin. & Ps. 49. lit l. Hebr 5. l. 1. ius, preces.
Duplex sacrificium: interius, & exterius.
Inter exteriora sacrificia maximè Deo acceptum.

Pſ. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Vnde dicit: *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius*, ſcilicet in Eccleſia, *hoſtiam*, non pecorum, ſed potiùs *hoſtiam vociferationis*, ideſt diuinæ laudis. Et hac vociferatione *cantabo, & pſalmum dicam Domino*: Canticum ſcilicet, & lætitiam mentis, & rectitudinem operis. *Quò facit illud Oſe.* 14. Reddemus vitulos labiorum noſtrorum. *Et quia hoc Eccleſiaſticorum proprium eſt officium: ideò* Clericus B ex hoc ipſo, quòd eſt Clericus, & præcipuè in ſacris Ordinibus conſtitutus, tenetur dicere horas canonicas: videntur enim tales ſpecialiter eſſe aſſumpti ad laudem diuinam, *ſecundùm illud Iſ.* 43. Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum: *& ita, vbi diuinum offitium perſoluunt, dicunt ſimul, & agunt officium ſuum. Et quidem corroborantur alibi docemur, quòd* determinatè C ad aliquas orationes ex præcepto tenentur illi, qui ex officio ſunt medij inter Deum, & populum conſtituti, ſicut miniſtri Eccleſiæ; vnde ex officio eis incumbit preces ad Deum in perſona totius Eccleſiæ fundere: & ideò ex ſtatuto Eccleſiæ tenentur ad horas canonicas dicendas. Sed & omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cum ex Canonum ſtatuto teneantur in diebus feſtis diuinis officijs intereſſe, vt miniſtris pro populo orantibus ſuam intentionem conforment. *Quòd ſi laici ad hoc obligantur, quantò magis clauſtrales, ſtrictiùs Deo mancipati, & aſſiſtere, & pſallere ſingulis diebus tenebuntur? Hoc verò diuinæ laudis ſacrifitium noctè, dieque laudabiliter frequentat per Sacerdotes, & religioſos S. Mater Eccleſia, exemplo Regis Prophetæ Pſ.* 118 Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. *Et iterum*: Septies in die laudem dixi tibi (*vnde & ſeptem horas in Eccleſia canendi conſuetudo:*) & *Apoſtol.* 1. *Theſſ.* 3. Nocte, ac die abundantius orantes, & *Pſ.* 54. Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. *Verùm maior Offitii pars manè perſoluitur; vnde & matutinæ dicuntur preces, quæ vt plurimùm in mane recitantur cum quatuor ſequentibus horis, & Miſſa etiam celebratur. Hinc Dauid Pſ.* 5. Manè aſtabo tibi, *manè* ſcilicet D diei, ideſt in matutinis, *aſtabo tibi*, ideſt intendam. *Et rationem adducit*: quia tunc eſt homo liber à ſolicitudinibus, & magis habet liberum cor ad cogitandum, *Pſ.* 62. In matutinis Domine meditabor in te. *Et Iſ.* 26. Sed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. *Nihilominus & veſpere, & de nocte orant ad Dominum miniſtri eius, ne ſcilicet tempus aliquod, diuinæ vacuum laudis, nos prætereat: vel quia nedum in proſperitatis die ſed & in nocte aduerſitatis Deus eſt laudandus. Vlteriùs, quia in nocte animalia quieſcunt, ſignat, &* habet nox E quietem contemplationis: in qua Primò eſt feruentis amoris deſiderium, *Iſ.* 26. *Anima mea deſiderauit te in nocte*. Secundò debitæ confeſſionis ſacrificium, Pſ. 118. cit. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Tertiò diuinæ conſolationis ſilentium: *Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de Cœlo à regalibus ſedibus proſiliuit*, Sap. 18. *Et propter hanc quietem contemplationis conueniebant fideles olim in Eccleſiam ad adorandum & noctu: tenebræ ſiquidem deuotionem conciliant, & ad meditationem conferunt; neque enim tunc à diuerſitate obiectorum diſtrahitur animus. Quo eodem reſpectu, & adorandum interdiu, ſubobſcura templa conſtruebantur, vt & adhuc in quibuſdam antiquis videre eſt. At nunquam ſatis lucida ſacra iam exſtruitur ædes*, propter malitiam inhabitantium in ea.

B Quol. 6. a. 8. in c. & Quol. 8. a. 11. c.

In ſacris conſtituti tenentur ad horas Canonicas.

C 4. d. 15. 4. 1. q. 3. c.

Ad quas aſſiſtere in diebus feſtis debent & laici.

Nocte dieque laudabiliter id Eccleſia facit.

D Pſ. 5. lit. b. ibi.

E Iſ. 25. ibi, nocte.

Nox quietem ſignat contemplationis.

g *Porrò diuinum officium cum attentione perſoluendum eſt*: illam enim F orationem *ex Gregorio* Deus non audit, cui qui orat non intendit. Triplex tamen eſt attentio. Vna quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret. Secunda qua attenditur ad ſenſum verborum. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, ſcilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oratur: quæ quidem eſt maximè neceſſaria, & hanc etiam poſſunt habere idiotæ. *Et alibi*. Triplex eſt G attentio. Vna eſt ad verba, quæ homo dicit; & hæc aliquando nocet in quantùm impedit deuotionem: (*notent ſcrupuloſi*.) Alia eſt ad ſenſum verborum; & hæc nocet, non tamen eſt multùm nociua. Tertia eſt ad finem; & hæc eſt melior, & quaſi neceſſaria. *Attentio autem hæc præcipitur in Cap.* Dolentes *de celebr. miſſ. his verbis*: Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit, ſtudiosè celebrent pariter, & deuotè. *Quod conſiderans Caietanus*: Nec H propterea, *inquit*, quia Eccleſia non iudicat de actibus interioribus, ſtudioſitas, & deuotio referuntur ad exteriora tantùm: quoniam verum quidem eſt, ad Eccleſiæ iudicium non ſpectare actus interiores ſecundùm ſe, hoc eſt, nudos: ſed non eſt verum, Eccleſiæ iudicium ſubterfugere actus internos, vt ſunt rationes actuum externorum. Excomunicat enim Eccleſia eos, qui odio vel amore inquirunt, aut mittunt inquirere hæreticos, vt patet in cap. *Multorum* de Hæreſ. in Clem. Sic autem eſt in propoſito: quòd licèt internam ſtudioſitatem, & deuotionem nudam Eccleſia non præcipiat, præcipit tamen vtramque internam, vt rationem exterioris cultus. *Cæterùm* plus I lucratur qui orat, & intelligit, quàm qui tantùm lingua orat, qui ſcilicet non intelligit quæ dicit. Nam ille, qui intelligit, reficitur & quantùm ad intellectum, & quantùm ad affectum: ſed mens eius, qui non intelligit, eſt ſine fructu refectionis, 1. Cor. 14. *Si orem linguâ, mens mea ſine fructu eſt*. Duplex autem eſt fructus orationis. Vnus fructus eſt meritum, quod homini prouenit. Alius fructus eſt ſpiritualis conſolatio, & deuotio, concepta ex oratione. Et quantùm ad fructum conſolationis ſpiritualis, priuatur qui non attendit ad ea, quæ orat, ſeu non intelligit: ſed quantùm ad fructum meriti, non eſt dicendum, quòd priuetur: quia ſic multæ orationes eſſent ſine merito, cum vix vnum *Pater noſter* poſſit homo dicere, quin mens ad alia feratur.

h *In horas verò ſeptem diuinum partitur officium* (*ex* Durando *lib.* 5. *cap.* 1.) *vel propter ſeptem Spiritusſancti dona, per quæ in omnibus ſpiritualiter dirigimur. Vel propter ſeptem hominis ætates, in quarum ſingulis laudandus Creator eſt. Per* Matutinas *enim preces repræſentatur Infantia, Pſ.* 8. Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem: *per* Primam *pueritia, per Tertiam adoleſcentia, per Sextam iuuentus, per Nonam virilitas: per* Veſperas *ſenectus, per* Completorium *ſenium, ſeu ætas decrepita. Vel quia* ſepties in die cadit iuſtus *per negligentiam, ſurgere toties per orationis vigilantiam debet*, *Luc.* 22. Surgite, orate: ne intretis in tentationem. *Vel tandem, quia ſeptenarius numerus vniuerſitatis eſt*. Diciguntur *autem* orationes L quæ fiunt in horis Canonicis, ad ſalutem Eccleſiæ, vt auertatur ira Dei à populo (*vt præmiſſum eſt*) Ezech. 13. *Non oppoſuiſtis murum pro*

Diuinum officium attentè recitandum.

F 2. 2. 83. 13. c. In 4. d. 15. 4. 2. q. 5. c.

Triplex attentio.

Quænam neceſſaria.

G 1. Cor. 14. l. 3.

H In ſumul. V. Horæ canonicæ, & 2. 2. 83. ad art. 13

I 1. Cor. 14. l. 3. ibi & 2. 2. l. c.

Plus lucratur qui intelligit quæ orat, quàm qui non intelligit.

Fructum tamen meriti vterque habet.

Numerus ſeptenarius in horis Canonicis quid ſignet.

Quorſum horæ canonicæ perſoluantur.

L Quol. 7. a. 18. c.

pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini, scilicet ex glossa precibus dimicantes & diuinæ sententiæ resistentes. *Matutina porrò preces in tres diuiduntur nocturnos: nimirùm, quia* antiquitùs M dicebantur nocturna diuisim, secundùm tres vigilias noctis: nunc verò dicuntur simul. *Cui alludere videtur illud Thren. 2.* Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. *Vbi Author.* Quod N dicit *in principio vigiliarum*, potest intelligi, in prima vigilia. Distinguuntur enim quatuor vigiliæ noctis ad literam secundùm Castrorum excubias. Et dicitur prima *Conticinium*: Secunda *Intempestum*: Tertia *Gallicinium*: Quarta *Antelucanum*. Prima vigilia est contemptus Mundi: Secunda mortificatio carnis: Tertia exercitium virtutis: Quarta desiderium cælestis Patriæ. In hac quarta vigilia *venit Iesus ad discipulos suos, ambulans super Mare, Mat. 14.* (tantum enim O tardauit, *ex Crysostomo*, vt magis desideraretur.) item primò vigilat homo, cum peccata sua recognoscit: secundò quando cognita corrigit: tertio cum ad bona agenda se conuertit: Quartò quando bona, quæ habet, perseuerando custodit. *Ideireò* nocturnum P officium *ex Durando* in quatuor est partes distinctum: scilicet in tres nocturnos (*vt aiebat Author*) & matutinas laudes: quod per quatuor noctis vigilias antiquitus Ecclesia decantabat. *Et ita* Conticinio *primus*, Intempesto *secundus*, Gallicinio *tertius respondebat nocturnus*: *Laudes verò* Antelucano; *vnde & in hymno canitur*: Ecce iam noctis tenuatur vmbra. *Et hinc ortum habuit vigiliæ nomen, in ieiuniis Ecclesiæ.* Quoniam Q antiquitùs *ex eodem Durando* in præcipuis festiuitatibus nocturnalia agebantur officia: & populus, qui ad festa venerat, tota nocte in Dei laudibus in Ecclesia vigilabat. Sed quia lusores, & cantores conueniebant, & turpibus cantilenis, & saltationibus, comessationibus, & potationibus, & fornicationibus intendere cœperunt (*vtinam hæc modò & interdiù non fierent!*) propter hæc, & multa alia inconuenientia, quæ fiebant, huiusmodi vigiliæ sunt interdictæ, & institutum, vt loco earum fiant ieiunia: quæ ieiunia adhuc retinent nomen Officij; nam communiter vigiliæ, & non ieiunia nuncupantur.

M *1. Cor. 14. l. 6. initio.*

Cur in matutinis tres nocturni.

N *Apoc. 3. Com. 2. §. 1. ibi, vigilans.*

Quatuor olim vigiliæ noctis, ad literam, & moraliter.

O *Mat. 14. lit. b ibi.*

P *Lib. 5. c. 3. num. 6.*

Q *Lib. 6. c. 7. num. 8. & lib. 5. l. c. n. 3.*

Ieiunia cur *Vigiliæ* vocentur.

i *Cæterùm canonicas horas singulas per* Orationem *incipimus* Dominicalem, *quia principalis est oratio, à Christo Domino nobis in Euangelio tradita, in qua quicquid piè, & iustè petendum est, continetur. Et dicitur voce submissa, ratione humilitatis, qua debemus accedere ad Dei laudes concinendas. Non secùs &* Symbolum Apostolorum *in Prima, & Completorio secretè pronunciamus: cum tamen* Symbolum Patrum *publicè, & alta voce decantetur in Missa. Cuius ratio discriminis est; quia enim* Symbolum R Patrum est declaratiuum symboli Apostolorum, & etiam fuit conditum fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente; propter hoc publicè in Ecclesia cantatur. Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occultè dicitur in *Prima* & in *Completorio*; quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum. *Vel* quasi S in principio diei, & noctis, in signum, quòd omnis nostra operatio à fide debet accipere initium: & quia per ipsam contra aduersa & in prosperis protegimur. *Verùm alta voce singulis diurnis horis per diuini inuocationem auxilii initium facimus, dicentes*: Deus in adiutorium meum intende, *à Christo ita edocti, qui ait Io. 15.* Sine me nihil potestis facere. *Et ideò per* Deus in adiutorium &c. *incipiuntur, & terminantur per* Deo gratias: *vt sic initium, & finis referatur ad Deum, qui est* Alpha, & Omega, Principium, & Finis, *Apoc. 1.* Illum T versiculum (*concludit Author*) dicit Ecclesia in principio omnium horarum: quia valet contra omnes tentationes. Cum autem incipimus orare, diabolus tentat nos: propter quod petit Ecclesia auxilium à Deo. *Ad Matutinum autem præmittitur*: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: *Et ad Completorium*: Conuerte nos Deus salutaris noster: *quia, vt notat præfatus Durandus*, contingit V tribus modis peccare: videlicet, corde, ore, & opere; ideò quæ tribus diuersis modis horæ inchoantur: scilicet Completorium per *Conuerte nos Deus &c.* contra peccatum cordis: Matutinum per *Domine labia mea &c.* contra peccatum oris: aliæ verò omnes diei horæ per *Deus in adiutorium meum &c.* contra peccatum operis. Et quoniam in peccatis cordis, & oris, est aliquid operis: ideò in omnibus horis tam diurnis, quàm nocturnis dicitur: *Deus in adiutorium &c.* contra peccatum operis. *Cum autem septem horæ canonicæ statutis congruenter temporibus sint dicendæ: quæri potest, an in recitatione diuini officii liceat tempus præuenire? Et Respondet Author, quòd* consideranda est X intentio eius, qui præuenit tempus. Si enim hoc facit propter lasciuiam, vt scilicet quietiùs somnolentiæ, aut voluptati vacet, non est absque peccato (*veniali utique.*) Si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum honestarum occupationum; putà si Clericus, aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi. licitè potest de sero dicere Matutinas, & in aliis horis tempus præuenire: sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesijs fit. Quia melius est, Deo vtrumque reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quàm quòd per vnum aliud impediatur. *Quoad matutinas verò preces illud obseruandum, quòd* quantùm Y ad contractus, & alia huiusmodi, dies incipit à media nocte, sed quantum ad Ecclesiasticum officium, & solemnitatum celebritates, incipit dies à Vesperis. Vnde si aliquis post dictas Vesperas, & Completorium dicat Matutinas, iam hoc pertinet ad diem sequentem. *Ex pœnitentia verò, quam taxat omittenti Author, clarè deducitur, quanti faciat huiusmodi recitationem. Docet proinde, quòd* in omni Z diuino Officio est hoc commune, quòd pertinet ad laudem Dei, & ad suffragium fidelium. Sed distinguitur vnum officium ab alio secundùm diuersitatem temporum, & locorum. Rationabiliter enim institutum est, vt diuersimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum, & locorum: & ideò, sicut in officiis diuinis exsoluendis obseruanda est congruentia loci: ita etiam congruitas temporis. Quæ quidem obseruari non posset, si oporteret iniungere omittenti, quòd horas diceret, quas omisit. Fortè enim in completorio diceret: *Iam lucis orto sidere*, & in tempore Paschali diceret *Officium Dominicæ Passionis*: quod esset absurdum. Et ideo non videtur esse iniungendum ei, qui omisit diuinum officium, quòd horas easdem repetat: sed aliquid ad diuinam laudem pertinens, putà, vt dicat septem Psalmos, vel vnum Psalterium; (*quod pro Psalmis vnius feriæ matutinalis vsurpasse crediderim*:) vel aliquid amplius secundum quantitatem delicti. *Aduertit porrò Author, quòd qui propter distributiones ad Eccle-* siam

Pater noster, & Credo cur submissè in officio dicantur.

R *2. 2. 1. 9. ad 6. In 3. d. 25. 1. 1. q. 3. ad 4.*

S *In 3. loc. cit.*

Quare in principio omnium horarum dicatur V. *Deus in adiutorium &c.*

T *Ps. 37. fin.*

Et ad Matutinum: *Domine labia mea aperies.* & in Completorio: *Conuerte nos &c.*

V *Lib. 5. c. 2. n. 8.*

X *Quol. 5. a. 28. c & Quol. 3. a. 29. c.*

An liceat in recitatione diuini officij tempora præuenire.

Y *Quol. 5. ibid. ad 1.*

Quoad matutinas præsertim.

Z *Quol. 3. a. 29. c.*

In officio diuino rationabiliter laudatur diuersimodè Deus secundùm congruentiam temporum, & locorum.

Qualis, & quanta satisfactio illud omittenti imponenda.

A 1. Cor. 9. l. 5. circ. fin.
B Quol. 8. a. 11. c.
An qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, mortaliter peccet: & simoniam committat.

siam vadunt, mortaliter peccant: si *tamen* solum A vel principaliter propter hoc vadant. *Immò*, si huiusmodi B distributiones recipit quis quasi finem sui operis principaliter intentum, nedum mortaliter peccat, sed & simoniam committit. (*Quantò magis, si, quis propter pecuniam munus hebdomadarii pro alio exercuerit? Videant qui aliter fortassè sibi suadent.*) Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiusmodi verò distributiones secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem: constat, quòd non vendit actum spiritualem; & ita simoniam non committit, nec peccat. *Ex quibus hucusque allatis deducere generaliter possumus, quòd (vt aiebat initio Author) quando-*

C 4. d. 19. 2. 2. q. 2. c. & d. 24. 1. 3. q. 5. c.

cumque C aliquis indignè vtitur officio suo, peccat: *& ab opposito, quicumque dignè vtitur, & meritum habet, & laudem. Hæc sunt, quæ ex Authore de vtrisque officiis collegimus. Quæ plura desiderantur, vide apud DD.* Durandum *præsertim &* Gauantum, *atque Summistas*. DISCE *diuinum Officium deuotè dicere, humanum prudenter agere. Vide* Cantus Ecclesiasticus *Tom. 1,* Oratio.

OMISSIO. *Vide* NEGLIGENTIA, OCIVM, PECCATVM.

OPPROBRIVM. *Vide* HONOR, LINGVA *Tom. 2.*

OPVS BONVM. *Vide* CHRISTIANVS *Tom. 1.* FIDES INFVSA *Tom. 2.* PECCATOR.

ORATIO.

III. Per orationem in nobis solicitudo excitatur, feruor accenditur, ad Dei seruitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, & auxilium in tribulatione promeremur. *Rom. 12. l. 2. ibi*, Orationi.

D 2. 2. 83. 2. c. Op. 3 p. 2. cap. 2. & 3 com. G. cap. 95. & 96.
Triplex antiquorum error circa orationem.

1 TRiplex fuit D circa orationem antiquorum error. Quidam enim posuerunt, quòd res humanæ non reguntur diuina prouidentia: ex quo sequitur, quòd vanum sit orare, & omninò Deum colere, & de his dicitur Mal. 2. *Dixistis: Vanus est qui seruit Deo*. Secunda fuit opinio ponentium omnia, etiam in rebus humanis, ex necessitate contingere, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum, siue ex connexione causarum. Et secundùm hos etiam excluditur orationis vtilitas. Tertia fuit opinio ponentium quidem, res humanas diuina prouidentia regi: & quòd res humanæ non proueniunt ex necessitate: sed dicebant similiter, dispositionem diuinæ prouidentiæ variabilem esse, & quòd orationibus, & alijs, quæ ad diuinum cultum pertinent, dispositio diuinæ prouidentiæ immutatur. (*De quorum falsitate vide* Tom. 2. *V.* Dei prouidentia) & ideò oportet sic inducere orationis vtilitatem, vt neq; rebus humanis diuinæ prouidentiæ subiectis necessitatem imponamus, neque etiam diuinam dispositionem mutabilem æstimemus. Ad huius ergo euidentiam, considerandum est, quòd ex diuina prouidentia non solùm disponitur, qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorundam causæ actus humani: vnde oportet homines agere aliqua, non vt per suos actus diuinam dispositionem immutent, sed vt per actus suos impleant quosdam effectus secundùm ordinem à Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis: & similiter etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, vt diuinam dispositionem immutemus: sed vt id impetremus quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum: vt scilicet *homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante secula disposuit donare*, vt dicit *Gregorius* in lib. Dialog.

Oratio non obstat diuinæ prouidentiæ immutabili dispositioni.

E 2. 2. loc. cit. a. 10 c. & a. 1. c. In 4. d. 15. 4. 1 q. 1. & 2. c.
Actus est rationis.

Est *autem* oratio E actus rationis, per quam aliquis Superiorem deprecatur: sicut imperium est actus rationis, quo inferior ad aliquid ordinatur. Illi enim propriè competit orare, cui conuenit rationem habere, & Superiorem, quem deprecari possit. (*Et quamuis dixerit Filius Dei Io.* 14. Ego rogabo Patrem &c. *Et Apostolus Rom.* 8. Spiritus postulat pro nobis &c. *Filius quidem* dicitur F rogare, vel orare, secundùm naturam assumptam, scilicet humanam, non secundùm diuinam. Spiritus Sanctus autem dicitur postulare, quia postulantes nos facit.) *Hinc & Sancti, & Angeli, quia rationales, pro nobis orare dicuntur: de quo vide V.* Angelus *Tom. 1. & infrà V.* Sanctorum intercessio.

F 2. 2. 83. 10. ad 1. Rom. 8. l. 5. ibi.

Orationis diffinitio, & etymon.
G 2. 2. l. c. a. 1. c. In 4. d. 15. 4. 1. q. 1.
H 2. 2. l. c. ad 2. & a. 17. c. & 3. p. 21. 1. arg. 3. & a. 2. c. In 4 l. c. a. 1. q. 2. ad 2. Mat. 26. lit. e. ibi, vtorem, & Ps. 38. lit. h.
I 2. 2. 83. 1. & c. & 3. p. l. c. a. 1. arg. 1 In 4. l. c. a. 1. q 1. c.
L 2. 2. l. c. ad 1.
M In 4. d. 15. 4. 1. q. 1. ad 1.

Ex quo secundùm Cassiodorum Oratio G dicitur quasi oris ratio: & *secundùm Damascenum* est H ascensus, *siue eleuatio*, mentis in Deum. *Nec refert quòd* Augustinus *diffiniat*: Oratio I petitio quædam est. Et idem *Damascenus*: Oratio est petitio decentium à Deo: *qui autem petit, exaudiri desiderat*; desiderium verò ad voluntatem pertinet, non ad rationem. *Non refert, inquam*: Desiderium *enim* pauperum L dicitur Dominus exaudire, vel quia desiderium est causa petendi, vel ad ostendendum exauditionis velocitatem. *Et in hoc sensu diffinit* Augustinus *orationem, quòd sit* purus affectus mentis, in Deum directus. *Etenim* dirigere M affectum mentis in Deum, contingit dupliciter. Vno modo, sicut in obiectum: & hoc modo affectus in Deum directus est amor Dei; & sic non loquitur *Augustinus*. Alio modo affectus in Deum dirigitur, vt in illum, quo affectus mentis desiderantis explendus est: & hanc quidem directionem affectus in Deum facit ratio, applicando ad ipsum illud, quod desiderat affectus: & ipsa directio affectus in Deum, oratio est. *Vnde & dicitur, quòd* Oratio N est quodammodò desiderij nostri interpres apud Deum. *Et alibi*: Oratio O est quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, vt eam impleat.

N 2. 2. 83. 9. c. & a. 1. ad 1. & in 4. l. c. ad 2.
Oratio, desiderij nostri interpres apud Deum.
O 3. p. 21. 1. initio c.
P 2. 2. 83. 3. c. In 4. l. c. a. 1. q. 2.

m *Quoniam verò* ad religionem P propriè pertinet, reuerentiam, & honorem Deo exhibere; per orationem autem homo Deo reuerentiam exhibet, in quantùm scilicet ei se subijcit, & profitetur orando se eo indigere, sicut authore suorum bonorum: manifestum est, quod oratio est propriè religionis actus. *Et quidem inter actus religionis ille est præci-*

puus

Q 2.2.l.c. ad 2.

Religionis est actus, & præcipuus.

tuus: Religio *enim* quæ Q est in voluntate, ordinat actus aliarum potentiarum ad Dei reuerentiam. Inter alias autem potentias animæ, intellectus altior est, & voluntati propinquior: & ideò post deuotionem, quæ pertinet ad ipsam voluntatem, oratio quæ pertinet ad partem intellectiuam, est præcipua inter actus religionis, per quam religio intellectum hominis mouet in Deum. *Mouet inquam in Deum: nam* voluntas R mouet rationem ad suum finem. Vnde nihil prohibet, mouente voluntate, actum rationis tendere in finem charitatis, qui est, Deo vniri. *Et quidem* per hoc S quòd nos oramus, ei appropinquamus: & quantò magis propinquamus ei, tantò magis possumus addiscere dona bonitatis eius. *Vnde dicitur in Ps.* 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, *secundùm illud Io.* 4. Adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. *Cæterùm* indicta est T hominibus oratio, per quam homines à Deo obtineant quod ab ipso consequi sperant. Aliter tamen necessaria est oratio ad obtinendum aliquid ab homine: aliter à Deo. Interponitur enim ad hominem: Primò quidem, vt desiderium orantis, & necessitas exprimatur. Secundò vt deprecati animus ad concedendum flectatur. Sed hæc in oratione, quæ ad Deum funditur, locum non habent. Non enim in orando intendimus, necessitates nostras, aut desideria Deo manifestare, qui omnium est cognitor, Ps. 37. *Domine, ante te omne desiderium meum*, & Mat. 6. *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis*. Nec etiam diuina voluntas verbis humanis flectitur ad volendum quod priùs noluerat: quia vt dicitur Num. 23. *Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur: nec vt Filius hominis, vt mutetur*. *Nec* vt dicitur 1. Reg. 15. *pœnitudine flectitur*. Sed oratio ad obtinendum à Deo est homini necessaria propter se ipsum, qui orat: vt scilicet ipsemet suos defectus consideret, & animum suum flectat ad feruenter, & piè desiderandum quod orando speret obtinere: per hoc enim ad recipiendum idoneus redditur. Est autem & alia differentia consideranda orationis, quæ ad Deum, & ad hominem fit. Nam ad orationem, quæ fit ad hominem, præexigitur familiaritas, per quam sibi deprecandi aditus pateat: sed ipsa oratio, quæ ad Deum emittitur, familiares nos Deo facit, dum mens nostra eleuatur ad ipsum, & quodam spirituali affectu Deo colloquitur, *in spiritu, & veritate* ipsum adorans: & sic familiaris affectus orando aditum sibi parat, vt iterum fiducialiter oret. Vnde dicitur in Ps. 87. *Ego clamaui*, scilicet fiducialiter orando, *quoniam exaudisti me Deus*: quasi per primam orationem in familiaritatem receptus, secundò fiducialiùs clamet. Et propter hoc in oratione diuina assiduitas, vel petitionum frequentia non est importuna, sed reputatur Deo accepta: *Oportet* enim *semper orare, & non deficere*, vt dicitur *Luc.* 18. Vnde & Dominus ad petendum inuitat, dicens Mat. 7. *Petite, & dabitur vobis*. In oratione verò, quæ ad hominem fit, petitionum assiduitas redditur importuna. *Verùm & præter orationes ad Deum, ad Diuos pariter* (*nec SS. Angelis exclusis*) *preces nostras dirigimus*. Oratio *tamen* porrigitur V alicui dupliciter. Vno modo, quasi per ipsum implenda: alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus:

R 2.2. 83.1. ad 2.

S De Diu. nom. c. 3. l. 1. ibi, oportet.

Per orationem Deo appropinquamus.

T Opusc. 3. p. 2. cap. 2.

Quorsum hominibus indicta oratio sit.

Differentia inter petitionem hominis ad hominem, & hominis ad Deum.

V 2.2. 83.4. c. In 4. d. 15. 4. 5. q. 1. Col. 1. l. 3.

quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, Ps. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Sed secundo modo orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum precibus, & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideò dicitur Apoc. 8. quod *ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia vtitur in orando: nam à Sanctissima Trinitate petimus, vt nostri misereatur; ab alijs autem Sanctis quibuscumque petimus, vt orent pro nobis. *Norunt proinde Sancti necessitates nostras*. Mortui *enim* ea X quæ in hoc Mundo aguntur, considerata eorum naturali conditione, non cognoscunt, & præcipuè interiores motus cordis: sed beatis ex *Greg. 12. Moral.* in verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantùm ad interiores motus cordis. Maximè autem excellentiam eorum decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde; & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt. *Non ita, qui in Purgatorio degunt, sunt à nobis orandi, quamuis in statu salutis reperiantur*. Qui *enim* sunt Y in Purgatorio, nondum fruuntur visione Verbi, vt possint cognoscere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus: & ideò eorum suffragia non imploramus orando. Etsi *namque* sint Z superiores nobis propter impeccabilitatem: sunt tamen inferiores quantùm ad pœnas, quas patiuntur. Et secundùm hoc non sunt in statu orandi, sed magis, vt oretur pro eis. *Vide Tom. 1. Verbo* Anima separata: *& Tomo 2. V.* Defuncti.

Differenter ad Deum, & ad Sanctos orationem dirigimus.

X 2.2.l.c. ad 2. F. A. 79. Ver. 8. a. 11. ad 12. & q. 9. 6. ad 5. & 1. p. 89. 8.

An Sancti in Cælis cognoscant vota, & preces nostras ad se directas.

Y 2.2. 83.4. ad 3. In 4. l. c. a. 5. q. 2.

Z 2.2. 83. 11. ad 3. In 4. l. c. in corp. & ad 3

n *Num verò Oratio, vocalis esse debeat: docet Author, quòd* duplex A est oratio: communis scilicet, & singularis. *Communis* quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur, & ideò oportet, quòd talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur: quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Et ideò rationabiliter institutum est, vt ministri Ecclesiæ huiusmodi orationes etiam alta voce pronuncient, vt ad notitiam omnium possint peruenire. *Oratio* verò *singularis* est, quæ offertur à singulari persona cuiuscumque, siue prose, siue pro alijs orantis: & de huiusmodi orationis necessitate non est, quòd sit vocalis. Adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. *Primò* quidem ad excitandum interiorem deuotionem, qua mens orantis eleuetur in Deum: quia per exteriora signa, siue vocum, siue etiam aliquorum factorum, mouetur mens hominis secundùm apprehensionem, & per consequens secundùm affectionem; & ideò in singulari oratione tantum est vocibus, & huiusmodi signis vtendum, quantum proficit ad excitandum interiùs mentem. Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est à talibus cessandum. Quod præcipuè contingit in his, quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad deuotionem parata. Vnde *Ps.* 29. dicebat Psalmista: *Tibi dixit cor meum: exquisiuit te facies mea*. Et de Anna legitur 1. *Reg.* 1. quòd *loquebatur in corde suo*. *Secundò* adiungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti, vt scilicet homo Deo seruiat secundùm illud to-

A 2.2. l. c. a. 12. c. & ad 1. In 3. d. 19. 1. 3. q. 3. ad 2. in 4. l. c. 2. q. 1.

Duplex oratio, communis, & singularis.

Num debeat esse vocalis.

Ex tribus congruenter vocaliter fit.

Y tum,

tum, quod ex Deo habet; idest non solùm mente, sed etiam corpore: quod præcipuè competit orationi, secundùm quod est satisfactoria. Vnde dicitur Ose. 14. *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* *Tertiò* adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, *secundùm illud Ps.* 15. Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea. *Nec oratio cum huiusmodi exterioribus signis opponitur diuinæ monito Mat.* 6. Tu autem, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum. *Nam eo* B *proposito ex Chrysostomo* Dominus vetat in conuentu orare, vt à conuentu videatur. Vnde orans nihil nouum facere debet, quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo. Nec tamen *ex Augustino* videri nefas est; sed ideò hoc agere, vt ab hominibus videaris: *quasi sit iste orationis finis, qualis hypocritarum*, qui amant in Synagogis orare, vt videantur ab hominibus, *vt dicitur eodem Mat. cap.* 6. *Vnde ad Philip.* 4. Petitiones vestræ innotescant apud Deum: *idest* approbentur C ante Deum, vt appareant quasi dignæ, & sanctæ: Vel *innotescant* nobis ipsis, quòd semper sint apud Deum. *Quasi dicat*: Non oretis propter fauorem populi. *Vtraque* autem Oratio D satisfactoria est, si in charitate fiat. Vocalis quidem, quia habet exteriorem laborem & sic pœnam quandam; & in quantùm in ea manet virtus præcedentis intentionis, habet etiam rationem boni meritorij: quæ duo ad opus satisfactorium requiruntur. Similiter etiam oratio mentalis satisfactoria est: quia quamuis habeat iucunditatem, habet tamen & pœnam admistam; dicit enim Gregorius: *Orare est, amaros gemitus in compunctione resonare, vel pro peccatis, vel pro dilectione Patriæ.* Et propterea ipsa mentis eleuatio est carnis afflictio, & afflictio carnis redundat in mentem, in quantùm ei vnita est. *Immò & inter* E satisfactionum opera; quasi præcipuum videtur esse oratio, *vt docemur ad illud Iob* 8. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus &c.

B 2.2. l. c. ad 3. Mat. 6. lit. b. ibi, cum oraueris.

C Philipp. 4. l. 1. ibi.

D 4. d. 15. q. 7. q. 2. ad 1. & in corp. & q. 1. 4. q. 3. ad 1.

Vtraque oratio satisfactoria est.

E Iob. 8. l. 1. ibi.

Inter opera satisfactoria præcipuum.

6 *Porrò orationis partes distinguuntur ab Apostolo* 1. ad Tim. 2. *cum ait*: Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c. *Cuius conuenientia distinctionis innotescet satis, si consideretur, quòd* ad Orationem F tria requiruntur. Quorum primum est, vt orans accedat ad Deum, quem orat: quod significatur nomine *orationis*; quia *Oratio est ascensus intellectus in Deum*. Secundò requiritur petitio, quæ significatur nomine *postulationis*; siuè petitio proponatur determinatè (quod quidam nominant propriè *postulationem*) siuè indeterminatè, vt cum quis petit iuuari à Deo (quod nominant *supplicationem*) siuè solùm factum narretur, secundùm illud Io. 11. *Ecce quem amas, infirmatur* (quod vocant *insinuationem*.) Tertiò requiritur ratio impetrandi, quod petitur; & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis. Ratio quidem impetrandi ex parte Dei, est eius sanctitas, propter quam petimus exaudiri, secundùm illud Dan. 9. *Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam*: & ad hoc pertinet *obsecratio*, quæ est per sacra contestatio, sicut cum dicimus: *Per natiuitatem tuam libera nos Domine.* Ratio verò impetrandi ex parte petentis, est *gratiarum actio*: quia de acceptis beneficijs gratias agentes, meremur accipere potiora, vt in Collecta dicitur. Et hæc quatuor in pluribus Ecclesiæ Collectis possunt attendi: sicut in Collecta Trinitatis, quod dicitur, *Omnipotens sempiterne Deus*, pertinet ad orationis ascensum in Deum: quod dicitur, *qui dedisti famulis tuis &c.* pertinet ad gratiarum actionem: quod dicitur, *præsta, quæsumus &c.* pertinet ad postulationem: quod in fine ponitur, *per Dominum N. I. C. &c.* pertinet ad obsecrationem. *Quoniam verò Apostolus* obsecrationes, orationes &c. fieri *vult* pro omnibus hominibus, *docemur vlteriùs, quòd* hæc quatuor G referuntur ad quatuor, quæ nos volumus in oratione obtinere: vt *Obsecratio* referatur ad difficilia impetranda, vt ad impiorum conuersionem: *Oratio*, quando iam conuersis imploramus gratiam, vt proficiant: *Postulatio*, vt præmia pro meritis retribuantur: & pro beneficijs iam acceptis est *Gratiarum actio*. *Ad erigendam verò spem nostram oratio instituta est: vnde &* affectus H orantis est, vt speret in Domino, *Eccli.* 2. Quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. *Et ideò dicebat Psalmista*: Domine Deus meus, in te speraui. *Et Ps.* 36. *coherenter dicitur*: Reuela Domino viam tuam, & spera in eo; *moxque sequitur desiderij impletio*: & ipse faciet. *Quia sic* I implebitur petitio tua, *quando petendo speras. Videtur autem petitio à supplicatione differre*: *ad illud namque Hebr.* 5. Preces, supplicationesque offerens exauditus est, *docemur, quòd* preces dicuntur L idest petitiones, Iac. 5. *Multùm valet deprecatio iusti assidua*: supplicationes verò dicuntur, quantùm ad humilitatem orantis, sicut genuflexiones, Mat. 26. *Procidit in faciem suam orans.*

Orationis partes secundùm Apostolum recensentur.

F 2. 2. 83. 17. c. & ad 3. & 4. d. 15. 4. 3. q. 1. Phil. 4 l. 1. ibi, in omni & 1. Tim. 2. l. 1. ibi.

Oratio.

Postulatio.

Obsecratio.

Gratiarum actio.

G 1. Tim. 2. l. 1. ibi, & Op. de or. Pr. in præfat.

H Ps. 7. lit. a. ibi.

I Ps. 36. lit. ibi.

L Hebr. 5. l. 1 ibi.

7 *Profectò* fidelibus M necessaria est oratio post baptismum: & ideò signanter dicitur *Luc.* 3. quòd *Iesu baptizato, & orante, apertum est Cælum*: & vt detur intelligi, quòd hoc ipsum, quòd per baptismum Cælum aperitur credentibus, ex virtute est orationis Christi. *Hinc Apostolus* 1. *ad Tim.* 2. *cit.* Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, &c. *Quibus verbis* apertè N ostendit, quòd inter omnia necessaria ad vitam Christianam præcipua est oratio; *vnde signanter dixit*: primùm omnium: *Et quamuis dicat*, obsecro, *quasi præmonens*: *inferiùs tamen, vt orandi necessitatem innuas, subiicit*: Volo ergo viros orare &c. *Et nedum pro se, sed & pro aliis necessaria est oratio, vnde dixit*: pro omnibus hominibus, pro Regibus &c. *Igitur* pro se O orare *ex Chrysostomo* necessitas cogit: pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Etsi enim spes nostra principaliter diuino auxilio innitatur; ad inuicem tamen iuuamur, vt faciliùs obtineamus quod petimus. Vnde dicitur 2. Cor. 1. *Eripiet nos, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis*. Et Iac. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*. Nec solùm P petere quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare, sub præcepto cadit. Sed desiderare quidem cadit sub præcepto charitatis; petere autem, sub præcepto Religionis. *Quod quidem præceptum, ponitur* Mat. 7. *Vbi dicitur*: Petite, & dabitur vobis. *Eapropter graui ingruente siue animi, siue corporis tribulatione, ad orationem confugiendum est*: quia Q inter tribulationes singulare refugium est oratio, Ps. 108. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi*:

M 3. p. 39. 5. fin. c.

Orationis necessitas.

N 1. Tim. 2. l. 1. initio.

Nedum pro se, sed & pro aliis.

O Op. 8 cap. 5.

P 2. 2. 83. 3 ad 2.

Q Ps. 16. lit. a. ibi.

Oratio, singulare inter tribulationes refugium.

mihi : ego autem orabam : Et Ps. 34. *Ego autem, cum mihi molesti essent induebar cilicio : humiliabam in ieiunio animam meam : & oratio mea in sinu meo conuertetur*. Spiritus *quippè* confortatur R per orationem, quæ in tribulatione est speciale præsidium, Iac. 5. *Tristatur aliquis vestrum ? oret æquo animo, & psallat* : dulcedine scilicet psalmorum tristitiam expellendo. *Ex quo benè promptserat initio Author* : Per orationem S in nobis sollicitudo excitatur, feruor accenditur, ad Dei seruitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, & auxilium in tribulatione promeremur : *eo quòd gratissima Deo est*. *Quod exprimitur Apoc.* 5. Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Phialas aureas*, idest T corda lata per virtutem dilectionis (phialæ enim sunt quædam vasa lata, & lucida, ab *hyalis* græcè, quod est *vitrum* latinè :) *plenas odoramentorum*, idest deuotarum orationum : Oratio enim maximè, & principaliter in corde est. Talis phiala multùm placet in oculis Dei, idest mens plena, & affluens orationis deuotione. Et ideò ipsa oratio, *odoramentum* dicitur, quia ad modum thuris odoriferi ascendit ad Deum, & in eius facie suauiter redolet, *Ps.* 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo. *Quo diuina signatur in oratione nostra complacentia. Vnde legitur Gen.* 8. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis. *Et cohærenter Apoc.* 8. Data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. *Fumus incensorum*, idest V compunctio, & deuotio, ad modum incensorum redolens : *de orationibus Sanctorum*, quæ scilicet sunt incensæ ex igne amoris operante interiùs in cogitationibus, & affectionibus. *In quo ad sacrificium alluditur, quale iusti oratio est ; vnde & illud de Christo ad Hebr.* 5. Preces, supplicationesque offerens &c. *exponitur* : hoc est X spirituale sacrificium, Ps. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. DISCE *in tribulatione ad orationem confugere, non eructare blasphemias. Vide* Angelus, Anima separata, Cantus Ecclesiasticus *Tom.* 1. Sanctorum intercessio.

R *Ps.* 34. *lit. i. ibi Iac.* 5. §. 8. *ibi*, oret.

S *Rom.* 12. *l.* 2. *ibi*.

Odoramentum Deo gratum.

T *Apoc.* 5. *com.* 1. & 2. *ibi Ps.* 49. *fin.*

V *Apoc.* 8. *com.* 1. & 2. *ibi.*

Et sacrificiũ.

X *Hebr.* 5. *l.* 1. *ibi.*



IV. Septem sunt conditiones orationis. Primò quòd sit perfecta. Secundò quòd sit humilis. Tertiò quòd sit continua. Quartò quòd sit deuota. Quintò quòd sit vigilans. Sextò quòd sit instans. Septimò quòd sit charitatiua. *Eph.* 6. *l.* 5. *initio*.

q PLuries pluribusque in locis recenset Author Orationis conditiones. In primis enim ad illud Mat. 15. Et ecce Mulier Chananæa &c. *docet, quòd tres sunt impetratoria orationis conditiones*. Primò est Y pietas, secundò fides, tertiò humilitas : & hæc necessaria sunt ad impetrandum. *Et alibi*. Ad ipsam Z orationem requiritur feruor charitatis, veritas fidei, & rectitudo intentionis : vnde dicitur Io: 4. *Spiritus est Deus : & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare* : adhoc enim, quòd homo mereatur quod petit accipere, ea debet petere, quæ non sint contra voluntatem dantis, & eo modo, quo acceptum est danti. Et ideò cum oramus Deum, esse debemus, quales Deus quærit. Deus autem tales quærit, qui scilicet eum *adorent in Spiritu, & veritate*, & in feruore charitatis, & veritate fidei. *Et alio in loco* : Oratio A tres habet conditiones : Primò quòd sit tempestiua : Secundò quòd sit continua : Tertiò quòd sit multiplex, & perfecta. *Et iterùm* : Debet Oratio B habere tria : scilicet, quòd sit assidua, grata, & vigilans. *Assidua*, idest cum perseuerantia : *vigilans*, vt animus non sit pressus : *grata*, idest in gratiarum actione : aliàs non mereretur beneficia noua, si quis de acceptis esset ingratus. *Item in epistola ad Timotheum* tria C exigit à viris Apostolus in orando. Primò quòd oratio sit assidua, secundò pura, tertiò quieta. *Vlteriùs* duo D sunt necessaria oranti : scilicet feruens affectio ; item dolor, & gemitus. Ita Christus dicitur orasse *Hebr.* 5. scilicet *cum clamore valido*, idest cum intentione efficacissima (*Luc.* 22. Factus in agonia prolixiùs orabat :) *& lacrymis* : per lacrymas enim exprimit Apostolus interiorem gemitum orantis. *Quo sensu orans & Psaltes, dicebat Ps.* 37. Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Et Ps. pariter* 38. *orabat* : Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas. *Siquidem* Tria E faciunt acceptam petitionem Deo. Primum est eleuatio mentis in Deum : & hæc est oratio ; vnde dicit : *Exaudi orationem meam, Domine*. Secundum est continuatio petendi ; & hoc, cum dicit : *& deprecationem meam*, Iac. 5. *Multùm valet deprecatio iusti assidua*. Tertium est lacrymarum multitudo ; & hoc ostendit, cum dicit : *auribus percipe lacrymas meas*. *Præterea ad illud Mat.* 8. Domine salua nos, perimus : *Sciendum, inquit, quòd* in oratione F Apostolorum tria fuerunt, quæ mouerunt Dominum ad auxiliandum. Primò quia instanter petierunt : Secundò quia humiliter : Tertiò quia rem vtilem. *Ad illa quoq; verba Psalmistæ Ps.* 3. Voce mea ad Dominum clamaui, *docemur, quòd* tria G debent esse in oratione. Nam debent esse attenta ; & ideò dicit, *Voce*, scilicet cordis,

Orationis conditiones variæ.

Y *Mat.* 15. *lit. b. ibi.*

Z *Io.* 4. *l.* 2. *lit. m. n.*

A *Coloss.* 1. *l.* 3. *ibi*, orantes.

B *Ibid. cap.* 4. *l.* 1. *ibi*, orationi.

C 1. *Tim.* 2. *l.* 2. *ibi*, orare.

D *Hebr.* 5. *l.* 1. *ibi*, preces *Is.* 38. *initio ibi*, conuersus.

E *Ps.* 38. *lit. b.*

F *Serm.* 1. *ex Eu. Dom.* 3. *post Epiph.*

G *Ps.* 3. *lit. e. ibi*, & *Ps.* 26. *lit. g.*

quæ ſonat Deo. Item debet eſſe recta: tunc autem eſt recta, quando tendit quò debet; & ideò dicit: *ad Dominum*. Item debet eſſe deuota; vnde ſubdit, *clamaui*: clamoſa namque dicitur oratio propter magnitudinem affectus. *Sed & ad illud 1. Pet. 4.* Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus, *docet, quòd Apoſtolus* Primò H monet orare prudenter, ideſt fideliter, *eſtote prudentes*. Secundò monet orare attentè, *& vigilate*. Tertiò monet orare frequenter, *in orationibus*. *Et alibi iterum*: Debet eſſe I Oratio ſecura, recta, ordinata, deuota, & humilis. *Inſuper ad illud Io. 16.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: *erudimur, quòd iis in verbis* ponit L Dominus ſeptem conditiones bonæ orationis. Prima eſt, vt petantur bona ſpiritualia: & quantùm adhoc dicit: *ſi quid*. Secunda conditio eſt, vt fiat cum perſeuerantia: & quantùm adhoc dicit, *petieritis*, quaſi perſeuerando. Tertia quòd fiat cum concordia, cum dicit, *petieritis*, in plurali. Quarta vt procedat ex filiali affectu, cum dicit, *Patrem*: qui enim ex timore petit, non Patrem, ſed Dominum petit, vel hoſtem. Quinta vt fiat cum pietate, ideſt cum humilitate, & ordinatè: & quantùm ad hoc dicit, *in nomine meo*. Sexta vt fiat tempore debito; & ideò dicit, *dabit*. Septima vt petat pro ſe, vnde dicit, *vobis*: quia aliquando pro alijs non exauditur, contrariantibus eorum demeritis. *Ad illud tandem Iſ. 23.* Bene cane, frequenta canticum, *monemur, quòd* debet homo M benè canere, primò hilariter, ſecundò attentè, tertiò deuotè. Canticum autem debet frequentari primò propter Dei magnitudinem; ſecundò propter bonorum interiorum multitudinem: tertiò propter peccatorum abundantiam. *Cui reſpondet illud Pſ. 46.* Quoniam Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter. *Sapienter* ideſt N diſcretè; nec ſolùm ore, ſed corde renouati interius: quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, ſicut dicitur Eccli. 15. Item, vt non cum mente turbata, Iac. 5. *Oret æquo animo*. Item continuè: *Bene cane, frequenta canticum*, Is. 23. cit. *His ſanè in orando conditionibus opportunè adhibitis, certò certiùs impetrabit Orator: quem docemur* his O veſtibus decorari oportere ad intrandum ad Regem, & obtinendum per orationem deſiderata: & ſic benè recipietur, & exaudietur. Quod ſignatur in Eſther, quæ regalibus indumentis intrauit ornata ad Regem, & obtinuit pro ſe, & pro populo, *quod exoptabat, vt habetur* Eſther 5. 6. & 7.

H Serm. 2. ex op. in Rogat. & 1. Pet. 4. §. 2. ibi.

I Op. 7. §. 1. initio.

L Io. 16. l. 6. lit. b. ibi. Dan. 9. ibi, ſequitur quarta pars & §. ſecundum eſt.

M Iſ. 23. fin.

N Pſ. 46. lit. d.

O Apoc. 7. com. 1 ibi, in conſpectu Agni.

§ *Verùm præfatas ſingillatim conditiones luculentiùs expendamus, oportet. Sanè* intentio P expreſſa per vocem non impedit aſcenſum intellectus ad Deum, niſi nimia cura in verbis proferendis fiat, ſicut illi, qui verba compoſita in oratione proferre nituntur. *Oratio quippè ſimplex eſſe debet, & pura* (1. ad Tim. 2. leuantes puras manus) *hoc eſt, ex cordis ſimplicitate promoniens*, 1 *Par.* 29. Scio, Deus meus, quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas: vnde & ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli &c. *Lætus obtuli*; Hilarem enim datorem diligit Deus, *vt dicitur* 2. Cor. 9. *Ex eo autem, quòd ſimplex, humilis proinde eſſe debet oratio*: humilitas *enim* neceſſaria Q eſt ex parte petentis, qui ſuam indigentiam recognoſcit. *Sic & homo, alterius hominis indigus opis, illi humiliatur demiſſus: quantò magis Deo?* Oratio *autem* redditur R exaudibilis per humilitatem, Pſ. 101. *Reſpexit in orationem humilium*; & mox ſubditur: *& non ſpreuit precem eorum*. Et ideò Apoſtolus orationem ſuam ab humilitate incipit, dicens Eph. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem D. N. I. C.* Quod eſt ſignum humilitatis propter duo. Primò quia qui genua flectit, quodammodò paruificat ſe, & ſubijcit ſe ei, cui genua flectit. Vnde per huiuſmodi oſtenditur recognitio propriæ fragilitatis. Secundò quia in genu eſt fortitudo corporis: quando ergo quis genua flectit, proteſtatur debilitatem ſuæ virtutis. *Hinc mirum non ſit, quòd ſeruus ille, debitor decem millium talentorum, plenam dimiſſionem à Domino obtinuerit: nam, vt dicitur Mat.* 18. Procidens, orabat eum. *Vbi Author*: Commendatur S eius humilitas, quia procidens orauit. *Ita Chriſtus D. vt hominum obtineret redemptionem, ad noſtrum vſque exemplum*, procidit in faciem ſuam, orans ad Patrem, *Mat.* 26. *Deo enim* humilium, & manſuetorum ſemper placuit deprecatio, *vt dicitur* Iudith. 9. *Ea propter orans Pſalmiſta, ex humilitate premebat ad Deum Pſ.* 30. Ego dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à facie oculorum tuorum. *Etenim* aliquando T homo conſiderat grauitatem peccatorum ſuorum, vel malorum imminentium, & ex hoc reputat ſe derelictum (ſicut Chriſtus in perſona ſuorum dixit Mat. 27. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*) *vſque per humilitatem*; & ita dicit: *proiectus ſum &c.* Ion. 2. *Abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum*; & ſubdit: *ideò exaudiſti orationem meam*. Quaſi diceret: ideò, quia hoc dixi, exaudiſti. Sic Publicanus *Luc.* 18. quoniam recognouit ſe peccatorem, *deſcendit iuſtificatus in domum ſuam*. Deus *enim* ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, *Iac. 4 & 1. Pet. 5. Vnde & Pſ.* 114. *idem Rex Propheta dicebat*: Humiliatus ſum, & liberauit me. *Non ſecus & mulier illa Chananæa quod petiit à Domino, humilitate impetrauit. Dicenti enim ſibi Domino Mat.* 15. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus, *humiliter reſpondit*: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. *Quibus in verbis* tangitur V mira humilitas mulieris. Viſus eſt enim calumniam inferre genti ſuæ: ſed humilitatis eſt, quod concedit contumeliam dictam; vnde dicit: *etiam Domine*. Item maior oſtenditur humilitas, quia ipſe Dominus dixerat *canes*, ſed iſta dicit *catellos*. Item Dominus vocauerat filios Iudæos; ſed iſta dominos, *dominorum ſuorum*. Ideò, quia *reſpicit in orationem humilium*, Dominus exaudiuit. *Et poterat tum Propheta veraciter dicere Pſ.* 141. Intende ad deprecationem meam, quia humiliata ſum nimis: *ab Abraham edocta, qui cum Domino locuturus, ſe puluerem reputabat, Gen.* 18. Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis. *Cæterùm in oratione vera* X humilitas eſt, quando aliquis nihil ex ſuis viribus præſumit, ſed totum ex diuina virtute impetrandum expectat. *Vel* quando homo Y non putat ſe exaudiri propter merita ſua, ſed propter miſericordiam diuinam.

P 4. d. 15. 4. 2. q. 1. ad 3.

Oratio ſimplex eſto & pura.

Humilis.

Q 2. 2. 83. 15. c.

R Eph. 3. l. 4. ibi.

Cur Deo genuflectamus.

S Mat. 18. lit. c. ibi.

T Pſ. 30. lit. s. u.

V Mat. 15. lit. b. ibi.

X Op. 7. §. 1 circa fin.

Y Eph. 6. l. 5. ibi, orationem.

§ *Tertiò pia debet eſſe oratio.* Eſt *enim* Z propriè pietas, dulcis & deuotus affectus ad Patrem, & ad omnem hominem in miſeria conſtitutum. Cum ergo Deus ſit Pater noſter, non ſolùm eum debemus reuereri, & timere, ſed etiam ad eum habere debemus dulcem, & pium affectum.

Pia.

Z Op. 7. Pet. 2. initio.

Hic

Hic autem affectus facit nos petere, quòd adueniat Regnum Dei, ad Tit. 2. *Iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Si ergo A quod petit aliquis pro se ipso, non sit ei ad beatitudinem vtile, non meretur illud; sed quandoque hoc petendo, & desiderando, meritum amittit, putà si petat à Deo complementum alicuius peccati, quod est non piè orare. Quandoque verò non est necessarium ad salutem, nec manifestè saluti contrarium; & tunc licèt orans possit orando mereri vitam æternam, non tamen meretur illud obtinere, quod petit. *Fideliter supplicans Deo*, ait Augustinus, *pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur.* Quid enim infirmo sit vtile, magis nouit Medicus, quàm ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoueri stimulum carnis, quia non expediebat. Si verò id, quod petitur, sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius salutem, meretur illud non solùm orando, sed etiam alia bona opera faciendo: & ideò indubitanter accipit quod petit, sed quando debet accipere. *Quædam enim non negantur; sed vt congruo dentur tempore, differuntur*, vt Augustinus dicit.

A 2.2.83.15. ad 2 & a. 16. c. In 4. d. 15. . 7. q. 3. c.

Deuota.
B 2.2.83.3. d 1. & a 1. c. 3. p. 21. 1. & c.

Quartò esse debet oratio deuota. Deuotio autem pertinet B ad voluntatem, sicut oratio pertinet ad partem intellectiuam: *voluntas enim intellectum mouet. Deuotio verò, non tantùm exterior exigitur, sed & potissimùm interior*, Ps. 27. Exaudi Domine vocem orationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad Templum Sanctum tuum. *Vbi Author*: Deuotio *inquit* in duobus C consistit: scilicet in interioribus cordis, & exterioribus operibus. In interioribus, quia Deus Spiritus est; & eos, qui adorant, oportet spirituales esse, Io. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Et ideò dicit. *Exaudi &c. dum oro ad te.* Sed debemus reuereri etiam in nostris effectibus, & signis exterioribus; vnde dicit: *dum extollo manus meas ad Templum*, idest ad Cœlum. Ergo non solùm in deuotione cordis orabo, sed etiam in signis exterioribus orabo, & aliquam deuotionem ostendam. *Et Ps. præcedenti expresserat*: Exaudi Dominem vocem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me: *nimirùm* ad hoc D quòd exaudiatur, inducit duas rationes: vnam ex deuotione propria, aliam ex sua miseria. Deuotio est causa, quòd audiatur aliquis à Deo: est enim clamor cordis, qui excitat Deum ad audiendum. Et ideò dicit, *Exaudi*, quia *clamaui* non exteriùs, sed interiùs, Iac. 5. *Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Item miseria nostra prouocat ad exaudiendum, Ex. 3. *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum.* Vnde dicit: *miserere mei, & exaudi me*; quasi dicat: Me miserum, & miseriam meam recognosco; vnde tuum est misereri, *Iudith. 9.* Exaudi me miseram deprecantem. Debet autem oratio E esse deuota; quia pinguedo deuotionis facit, sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundùm illud Ps. 62. *In nomine tuo leuabo manus meas: sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Consurgit verò deuotio ex charitate, quæ est amor Dei, & proximi. Nam ad insinuandum diuinum amorem, vocamus eum *Patrem*: ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus, dicentes. *Pater noster*; & iterum: *dimitte nobis debita nostra &c.* ad quod proximorum dilectio nos inducit. *Notandum igitur ad hanc deuotionem comparandam*: quando *enim* aliquis F deuotè orat, ad plures dies manet indeuotior. *Verumtamen, quanquam* deuotio G hominis est à Deo, potest tamen se disponere ad deuotionem habendam (*nota*) vel etiam deuotionem impedire; *proinde & orationis exauditionem, quæ ex deuotione pendet: non enim, vt plurimùm exaudimur, quia ex vsu potiùs (mulieres præsertim) quàm ex deuotione oramus.*

C Ps. 27. lit. ibi, lo. 4. l. 2. c. m. n.

D Ps. 26. lit. ibi, & Ps. 3. lit. c.

Deuotio excitat Deum ad audiendū, miseria nostra ad exaudiendum.

E Op. 7. §. 1.

F 2. d. 11. 1. 4. ad 5 & 2. 2. 83. 14. ad 4. Ver. 12. 1. ß. c.
G Ma. 11. 5. ad 7.

Attenta.
H 2. 2. 83. 13. c. & 1. Cor. 14. l. 3.

Quintò debet esse oratio attenta: de quo vide suprà Numero II. Non *tamen* ex necessitate H requiritur, quod attentio adsit orationi per totam; sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, & impetratiuam. Si autem prima intentio deficit, oratio nec meritoria est, nec impetratiua. *Profectò* mens I humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest (*Sap. 9.* Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem:) pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideò contingit, quòd quando mens orantis ascendit in Deum per contemplationem, subitò euagetur ex quadam infirmitate. Euagatio verò mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit. *Et ideò*

I 2. 2. l. c. ad 2. & 3.

Vigilans.

t *Sextò debet esse vigilans oratio; idest, ad orationem præexigitur vigilantia. Vnde Dominus ad discipulos Mat. 26.* Vigilate, & orate. *Vbi* præmittit L vigilantiam ad præparationem Eccli. 18. *Ante orationem præpara animam tuam*; idest, necessaria est prudentia, Mat. 10. *Estote prudentes.* Et subdit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Non tamen est necessaria oratio propter spiritum, sed propter carnem, quæ infirma est: ideo necessaria est vigilantia. *Cui consonat illud 1. Pet. 4.* Estote prudentes, & vigilate in orationibus. *Prudentes*, idest M futura præuidentes. Prudentiam autem præponit: quia prudentia *ex Bernardo* non tam est virtus, quam auriga virtutum. Et ponitur hic quasi ante custodiam: *Et vigilate*; idest, diligentes, & solliciti estote; non pigri, aut somnolenti: *in orationibus*; non in vna tantùm, sed pluribus; idest *ex glossa* frequentibus; & dicit, *vigilate*, ne aliud cogitet, quàm illud, quod quis deprecatur, Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea*; scilicet N vt animus non sit pressus. *Vnde dicitur Luc. 6. quòd & Dominus* erat pernoctans in oratione Dei.

L Mat. 26. lit. x. ibi.

M 1. Pet. 4. §. 2. ibi.

N Coloss. 4. l. 1. sub initio.

Cordi conformis.
O Ps. 3. lit. e. ibi.

Septimò debet cor, orantis vocibus respondere. Vnde Psaltes Ps. 3. Voce mea ad Dominum clamaui. *Voce*, scilicet O cordis, quæ sonat Deo; & addit, *mea*: vox enim, quæ non procedit ex corde, non est vox mea. *Et hoc est, quod dicitur Ps. 16.* Auribus percipe orationem meam non in labijs dolosis. *Vnde Sap. 1.* Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. *Et ita* Deus P non dicitur audire, nisi verba vera, & non quæ proueniunt ex labijs dolosis. Ps. 11. *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Pharisæus, qui dicebat, *non sum sicut cæteri hominum*, non fuit exauditus, sed alius, qui non in labijs dolosis, sed rectè orabat, fuit exauditus: quia descendit iustificatus in domum suam. *Ea propter orans idem Psalmista, dicebat Ps. 26.* Tibi dixit cor meum: Faciem

P Ps. 16. lit. a. ibi.

tuam

tuam Domine requiram. *Siquidem* aliquando Q homo aliquid petit ore, sed cor eius ad alia versatur, Is. 29. *Populus hic labris me honorat; cor autem eorum longè est à me*. Sed quando petitio est ex intimo desiderio cordis, tunc est Deo accepta. Tunc autem non os tantùm, immò cor petit, 2. *Reg*. 7. Inuenit seruus tuus cor tuum, vt oraret te oratione hac. *Et Ps*. 118. Clamaui in toto corde meo (*non in voce mea*) Exaudi me Domine. *Clamorem hunc ad orationem necessarium describit* Augustinus, *cum ait*. Clamor R fit ad Deum, non voce, sed corde; quia multi silentes labiis, corde clamauerunt: (*vt legitur de Anna* 1. *Reg*. 1. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur:) Multi ore strepentes, corde aduerso nihil impetrare potuerunt. *De hoc pariter clamore dicitur Rom*. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: *Abba Pater*. Profitemur enim S nos Patrem habere Deum, instructi à Domino cum dicimus: *Pater noster, qui es in Cælis*, vt habetur *Mat*. 6. Hoc autem dicitur, non tantùm sono vocis, quantùm intentione cordis; quæ quidem propter sui magnitudinem clamor dicitur. Sicut & ad Moysen tacentem dictum est Ex. 14. *Quid clamas ad me*? scilicet intentione cordis: sed ista magnitudo intentionis ex affectu filialis amoris procedit, quem in nobis scilicet facit. Et ideò dicit, *in quo*, scilicet Spiritu Sancto, *clamamus; Abba Pater*. Vnde Is. 6. dicitur, quòd *Seraphim*, (qui interpretantur *ardentes*, quasi igne Spiritus Sancti) *clamabant alter ad alterum*. Clamamus *inquam* Abba Pater. *Et hinc*

Q Ps. 26. lit. h. ibi.
R Ps. 30. lit. v.
S Rom. 8. l. 3. ibi, Ps. 3. lit. c. & Ps. 26. lit. g.

Fiducialis.

V *Octauò exigitur in oratione fiducia*. Vnde Dominus T nos orare docens, ea præmittit, ex quibus in nobis fiducia generetur: scilicet ex benignitate Patris; vnde *Pater noster* dicitur secundùm illud Luc. 11. *Si vos, cum sitis mali, nestis bona dare filiis vestris: quantò magis Pater vester cælestis de Cælo dabit Spiritum bonum petentibus se*? & ex magnitudine potestatis; vnde dicitur: *qui es in Cælis*. *Et alibi*. Duo V requiruntur ad dantem: scilicet quòd possit, & velit. Et vt velit, dicit, *Pater*: si enim est Pater, vult vtilitatem filiorum. Quòd possit, ostendit subdens: *qui es in Cælis*; si enim est in Cælis, potest quod vult, *Is*. 64. Pater noster es tu: nos verò lutum. *Hinc Apostolus ad Eph*. 3. Flecto genua mea ad Patrem D.N.I.C. &c. *Quibus in verbis* describit X orationis obiectum, quod est Deus; & describit eum ex duobus: scilicet ex affinitate, & ex authoritate. Ex affinitate enim erigimur ad orandum cum fiducia; & quantùm ad hoc dicit: *ad Patrem D.N.I.C.* cuius scilicet nos filii sumus. Ex authoritate autem confirmatur obtinendi quod petimus fiducia; quia ipse est, *ex quo omnis paternitas in Cælis, & in terra nominatur*. *Quod monet & Apostolus Iacobus cap*. 1. Postulet autem, in fide nihil hæsitans: *in fide*, idest Y in fideli nominis Christi confessione, sicut petit Ecclesia *per Dominum N. I. C.* (In quo *Eph*. 3. habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius:) Io. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Vel (*ad rem nostram*) *in fide*, idest in fiducia obtinendi illud, quod petit, *nihil hæsitans*, idest de impetratione non diffidens, *Mat*. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis &c. fiet. *Et hoc faciebat Dauid*, *Ps*. 24. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. *Quia nimirùm* dupliciter Z præparatur ad orandum. Vel per erectionem

T Op. 7. §. 4. initio Op. 3. p. 2. cap. 6.
V Mat. 6. lit. c. ibi, Pater noster.
X Eph. 3. l. 4. ibi, 2. 2. 83. 2. ad 3. In 4. d. 15. 4. 5. q. 2. ad 3. Op. 3. p. 2. c. 5. Op. 7. §. 2.
Y Iac. 1. §. 5. ibi.
Z Ps. 24. lit. a. ibi.

mentis in Deum, vel per fiduciam, quam quis habet de Deo. Quantùm ad primum, dicit: *Ad te Domine leuaui animam meam*, scilicet per contemplationem, bonitatem suam inspiciens: & per amorem, Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum*. Propter secundum, quia nullus impetrat, nisi confidenter oret; & ideò dicit: *Deus meus, in te confido*; ad Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ eius*, scilicet A in præsenti, quando est tempus miserendi; & ideò subdit: *vt misericordiam consequamur*, Is. 12. Ecce Deus Saluator meus; fiducialiter agam, & non timebo. *Quò facit illud Zach*. 4. Exæquabit gratiam gratiæ eius. *Cuius quidem misericordia dignam se reddidit Mat*. 9. *Mulier illa sanguinis flua, quæ ex magna, quam de Domino habebat, fiducia, dicebat intra se*: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero. *Vnde & orantium cordium scrutator Dominus*, conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia; fides tua te saluam fecit. *Conuersus*, scilicet B conuersione misericordiæ, vidit eam oculo pietatis: *& salua facta est mulier ex illa hora*. Non ex hora, qua Christus dixit; sed ex hora, qua tetigit, *vtique cum fiducia*: *de qua dicitur* 1. *Io*. 5. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos. *Hæc est fiducia*, quia C non tantùm in futuro *ex glossa* sperare debemus cælestia, sed etiam in hac vita impetrabimus quicquid salubriter petierimus. Et *hæc est fiducia* spei, *quam habemus ad Deum*, non ad hominem, Ps. 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum*. Sequitur: *quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius*; non secundùm desideria nostra carnalia. Sed secundùm voluntatem eius petitur dupliciter: Vno modo, vt quod velit, rogemus. Alio modo, vt quales nos esse desiderat ad rogandum, inueniamur. *Audit nos* petitionis effectum dando. *Ex quo sequitur*

Nullus impetrat, nisi confidenter oret.
A Hebr. 4. ...
B Matt. 9. lit. d. ibi.
C 1. Io. 5. ...

Nona orationis conditio, quòd sit diuinæ voluntati conformis: (*de quo fusè vide Tom. I. V.* Conformatio ad diuinam voluntatem.) *Quam ipse Dominus noster & docuit & fecit ad exemplum nostrum*. *Docuit quidem in Oratione Dominica, quam nobis tradidit, vbi exprimitur*. Fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra. *Fecit autem, vbi passurus orauit in horto ad Patrem*: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Sanè* secundùm voluntatem D rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod sciuit Deum velle; & ideò omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quæ fuit Deo conformis: & per consequens omnis eius oratio exaudita fuit, Nam & secundùm hoc aliorum orationes implentur, quòd sunt eorum voluntates Deo conformes, secundùm illud Rom. 8. *Qui autem scrutatur corda, scit*, idest approbat, *quid desideret Spiritus*, idest quid faciat Sanctos desiderare: *quoniam secundùm Deum*, idest secundùm conformitatem diuinæ voluntatis, *postulat pro Sanctis*, idest E postulare eos facit. *Et rationem quidem necessitatis ad ita orandum præmisit Apostolus ibidem, cum ait*: Nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus. *Vnde &* M. Valerius F refert, quòd Socrates nihil vltra petendum à dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia hi demum scirent, quid vnicuique esset vtile. Nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. *Hinc Dominus ad filios Zebedæi dicebat Mat*. 20.

Diuinæ conformetur voluntati.
D 3. p. 21. 4. c. In 3. d. 17. ... 3. q. 4. Op. 3. c. 233. Io. 11. ... lit. c. & c. ... l. 5. lit. b. Hebr. 5. l. 1. fin. Ps. 21. lit. b.
E Rom. 8. l. 4. ibi 2. 2. 83. 5. ad 1.
F 2. 2. loc. ... initio cap.

Nesci-

Nescitis, quid petatis. *Quasi diceret*: Temporalia G non debetis petere, sed excellentiam spiritualem. *Et quia*, cum H orando petimus aliqua, quæ pertinent ad nostram salutem, conformamus voluntatem nostram voluntati diuinæ, de qua dicitur 1. *ad Tim.* 2. Vult omnes homines saluos fieri: *Ideò*

G Mat. 20. lit. b. ibi.
H 2. 2. 83. 5. ad 2.

X *Decima orationis conditio est, vt per eam spiritualia petantur, & sempiterna; non vana, & temporalia. Propterea signanter dicebat ad Apostolos Dominus Io. 16.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Si quid*: quod *enim* I est penitùs terrenum, etsi in se sit aliquid; comparatum tamen ad spiritualia, nihil est, Sap. 7. *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, (scilicet cælestis sapientia.)* Et Ierem. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.* Et addit: *in nomine meo*, quod est nomen Saluatoris, in quo nomine petit qui pertinentia ad salutem petit, & eo modo, quo potest salutem consequi. *Cui respondet illud* 1. *Io.* 5. Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus. *Quicquid*, dicit L scilicet substantiale, & solidum, quod est quid; non accidentale, sicut temporale bonum. Et nota, quòd si aliquis peteret à Rege Franciæ vnam guttam aquæ, aut vnam picam, multùm indignaretur. *Quantò magis à Deo, quæ sua digna sunt munificentiâ, petenda sunt? Hinc illud Ps.* 21. Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorum meorum. Clamabo per diem, & non exaudies. Tu autem in Sancto habitas, laus Israel; *ita exponitur. Quare me dereliquisti?* Ideò scilicet. M quia *verba delictorum meorum* sunt *longè à salute mea* spirituali. Sed ego clamo, pro temporali. *Tu autem*, qui *in Sancto habitas*, vt sis *laus Israel*, *non exaudies*: quia non exaudis, quando quis non clamat pro spirituali salute. *Et hoc est quod dicitur Io.* 16. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit, *scilicet* frui N Deo, & Trinitate, vt *Augustinus* dicit, quo amplius non est, *Ps.* 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. *Exproptter Apoc.* 8. *signanter dicitur*: Vt daret de orationibus Sanctorum. *Vbi* dicit O partitionem, *de orationibus Sanctorum*: quia non omnes orationes iustorum exaudiuntur; sed illæ, quæ sunt vtiles ad salutem; quandoque enim petitur quod non est expediens dari. *Benè ergo aiebat Apostolus Iacobus cap.* 4. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis. *Petitis* aliquando P & tamen *non accipitis* quod petitis, *eo quod malè petatis*, petentes omninò transitoria, & non spiritualia. Contra quod dicitur Mat. 6. *Primùm quærite Regnum Dei.* Vel *eo quòd malè petatis*, idest ex malo amore, quo temporalia Deo præponitis. *Cæterùm, quia & temporalia quærere, simpliciter non prohibemur: nam in oratione Dominica petere docemur* panem nostrum quotidianum; ideò petenda quidem sunt temporalia, sed ordinatè, & eo modo, quo debemus. Hoc *enim* licet Q orare *ex Augustino* quod licet desiderare. Temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, vt in eis finem constituamus; sed sicut quædam adminicula, quibus adiuuamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur; & in quantum nobis organicè deseruiunt ad actus virtutum, vt etiam Philosophus dicit *in* 1. *Eth.* Et ideò pro temporalibus licet orare. *Vide fusiùs Tom. I. V.* Bona temporalia, *& Tom. II. V.* Diuitiæ.

Spiritualia & æterna petat, non temporalia.
I Io. 16. l. 6. lit. b. ibi.
L 1. Io. 5. §. 4. fin.
M Ps. 21. lit. c. fin.
N Io. 16. l. 6. fin. & c. 17. l. 5 per totum.
O Apoc. 8. com. 1. ibi.
P Iac. 4. §. 2. ibi, & 1. Io. 5. §. 4.
Num temporalia possimus à Deo petere, & quomodo.
Q 2. 2. 83. 6. c. In 4. d. 15. 4. 4. q. 2. c. Op. 3. p. 2. cap. 6.

Vndecima conditio est, in orando perseuerantia: vnde dicitur de Apostolis Act. 1. Erant perseuerantes vnanimiter in oratione. *Et cap.* 2. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo. *Quod quidem insinuare voluit Dominus Mat.* 7. *cum ait*: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. *Ita sanè orauit Chananæa* Mat. 15. *Nam primò petiit*: Miserere mei Domine &c. Qui non respondit ei verbum. *Secundò quæsiuit*: Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem &c. *Nec tamen destitit, sed tertiò pulsauit, dicens*: Etiam Domine: nam & catelli &c. *Et ita perseuerando impetrauit: audiuit enim à Domino*: Fiat tibi, sicut vis. *Vbi Author*. Promptè R noluit Dominus exaudire. Nihilominus tamen, quia multùm institit, accepit quod petiuit. *Et hoc est, quod dicitur Mat.* 7. Pulsate, *perseuerando scilicet*, & aperietur vobis. *Quasi dicat: Orantes* quærite S ad modum pulsantis; quia qui clamat ad ostium, si non exaudiatur, fortiter pulsat, *Ier.* 29. Cum quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis. *Cohæret hic quod Apostolus* 2. Cor. 12. *ter Dominum rogasse dicitur, idest perseueranter.* Vel *ter*, idest T multoties. *Et hoc Christi D. exemplo, qui ante passionem suam ter ad Patrem orasse legitur, Mat.* 26. eundem sermonem dicens: *hoc est, in eadem positione perseuerans. Id quod signatur & Mat.* 14. *vbi habetur, quòd* nauicula (*discipulorum*) in medio mari iactabatur fluctibus. Quartâ autem vigilia noctis venit ad eos Iesus ambulans supra mare. *Quarta vigilia noctis*: Vt videlicet discerent V quòd si statim non haberent auxilium, non ideò desisterent, quoniam *oportet semper orare, & non deficere*, vt dicitur *Luc.* 18. *Vbi* non intendit X Dominus, quòd orationis actus nunquam interrumpatur, sed quòd non interrumpatur, quasi nunquam resumendus: quod quidem faciunt aliqui, qui si statim non exaudiuntur, ab oratione cessant; orationis enim diuturnitate impetratur quod petitur. *Et quidem* meretur Y etiam qui non perseuerauerit: sed non impetrat, nisi perseuerans. *Et ita exponitur illud* 1. *Thess.* 5. Sine intermissione orate; *quia sicut* Augustinus *dicit*: Sine Z intermissione orare, nihil aliud est, quàm beatam vitam sine intermissione desiderare. Vel dicendum, quòd *sine intermissione orare* ibi accipit Apostolus, vt ab oratione statutis horis non desistamus. Vel, vt per beneficia pauperibus exhibita, eorum orationes nostras faciamus, etiam quando nos ab oratione desistimus: vt in *Vitis patrum* quidam Sanctus exponit. *Ex quo refelluntur heretici* Euthyciani A qui dicunt homines non posse saluari, nisi continuè orent, propter illud, quod Dominus dicit Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*: quod sic accipitur secundùm *Augustinum*, vt nullum diem prætermittant circa orandi operam. *Sanè* ipsa B oratio secundùm se considerata non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari. *Porrò, nisi maximus vigeat feruor charitatis, non plenè orationis prolixitas commendatur.* (*Exproptter de Christo legitur* Luc. 22. *quòd* prolixiùs orabat; *quia feruor charitatis in eo maximus erat.*) Deuotio *enim* plerumque C propter prolixitatem orationis obtunditur. Vnde Dominus superfluam orationis prolixitatem docuit vitare, dicens Mat. 6. *Orantes, nolite multùm loqui.* Conueniens *igitur* est

In oratione perseuerandum.
R Mat. 15. lit. b. ibi.
S Mat. 7. lit. a. ibi.
T 2. Cor. 12. l. 3. ibi.
V Mat. 14. lit. b. ibi.
X 4. d. 15. 4. 2. q. 3. ad 1.
Y In 4. l. c. a. 7. q. 3. ad 4.
Z Ibid. a. 2. q. 3. ad 2. & 2. 2. 83. 14. c. & ad 4. Rom. 1. l. 5. & 1. Thess. 5. l. 2. ibi.
Error Euthycianorum refellitur.
A Op. 5. §. 4.
B 2. 2. 83. 14. c.
C Op. 7. §. 1. Mat. 6. lit. b. ibi.

Orationis prolixitas an commendabilis.

D 2.2.83.14. c.In 4.d.15.4.2.q.2.

est D vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem. Cum verò hanc mensuram excedit, ita quòd sine tædio durare non possit, non est vlterius protendenda. Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari per comparationem ad intentionem orantis: ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi deuotionem. *Caterùm illud, quod ait Dominus*: Orantes, nolite multùm loqui; *exponens Augustinus*: Non est E hoc *inquit* orare in multiloquio, si diutiùs oretur: aliud est sermo multus; aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quòd *pernoctauerit in orando*, & quòd *prolixiùs orauerit*, (*vti prætactum est*) vt nobis præberet exemplum. *Et post ea subdit*: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam *multùm loqui* est, in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Plerumque autem hoc negocium plùs gemitibus, quàm sermonibus agitur. *Itaque frequentior sit oratio, sed breuis; & deuotior erit. Vnde & Dauid Ps.* 54. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam. *Et Ps.* 118. Septies in die laudem dixi tibi.

E 2.2. ibid. ad 1.

Locus orationis.

F 1.Tim.2.l.2. ibi.

y *Postremò quoad locum orationis, vult Apostolus* 1. *ad Tim.* 2. viros orare in omni loco; *videlicet*, non F in Ierusalem tantùm, vt Iudæi, nec in Monte Garizim, vt Samaritani, *Io.* 4. In omni loco potest homo spiritualiter, & moraliter orare. Sed quomodo Dominus reprehendit Pharisæos, *in angulis platearum stantes orare*? Mat. 6. *Et respondet*; Oratio mentalis vbique potest fieri: sed signa orationis exteriùs non debent fieri in omni loco: homo enim non debet singularis apparere in exterioribus, quia propter hoc posset haberi inanis gloria. Sed quare nunc factæ sunt Ecclesiæ? *Et respondet*. Non quòd locus sit de necessitate orationis, sed ad bene esse eius, quia oratio requirit solitudinem, & quietem: *vnde inter alias conditiones suprà diximus vnam esse, quòd* oratio sit quieta: *aliàs nimiùm distractioni animus foret obnoxius. Sed iam ablegatum est à Templis silentium, magisque inibi multiplicantur vana, & otiosa verba, quàm in apothecis, & plateis, contra illud Ps.* 64. Te decet hymnus Deus: *vbi alia litera habet*: Te decet silentium Deus. *Ex quibus omnibus satis firmatur quod initio dicebat Author*: Conditiones G orationis sunt, quòd sit perfecta, humilis, continua, deuota, vigilans, instans, charitatiua. Est autem oratio *perfecta*, cum in omnibus recurrit quis ad orationem: vel orat pro omni bono. *Et has quidem conditiones vbi induerit oratio, certò certiùs impetrabit. Quas immò, & alias superiùs pro impetrando necessitas, ad quatuor reducit Author*: Quatuor H ponuntur conditiones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. *At de virtute, & effectibus orationis* Num. seqq. DISCE adorare, *& orare* Patrem in spiritu, & veritate. *Vide* Bona temporalia, Conformatio ad diuinam voluntatem *Tom. I.* Diuitiæ, Ecclesia, Humilitas *Tom. II.*

G Eph.6.l.5. ibi., orationem.

Quatuor conditionibus concurrentibus, semper oratio impetrat.

H 2.2.83.15. ad 2. & a. 16. f.c.In 4. d.15. 4.7.q.3.

V. Oratio est meritoria, & impetratoria. Et potest esse meritoria, etiamsi non sit impetratoria. *Mat. 7. lit. a. ibi*, qui petit.

z M*Agna proculdubiò est vis Orationis, & virtus, Ps.* 105. Et dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius. *Et iterum*. Irritauerunt eum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees, & placauit. Et cessauit quassatio. *Quò facit illud Is.* 49. Posuit os meum Dominus, quasi gladium acutum. *Os meum* scilicet I orationem, *quasi gladium acutum*, penetrantem scilicet vsque ad aures Dei, & viscera misericordiæ, *Eccls.* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit; & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet (*in perseuerantia*) donec Altissimus aspiciat. *Sed & ipsum Deum quodammodo sibi debitorem reddit pius orator. Vnde & idem Dominus dicebat Mat.* 6. Ora Patrem tuum in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Vbi Author*. Non L dicit, *dabit*, quia iam se debitorem constituit. sed *reddet*, idest pro certo retribuet tibi mercedem. *Quin & Deum ipsum veluti ad gloriam impartiendam compellit. Quò facit mystica illa lucta Iacob cum Deo Gen.* 32. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane; cumque vidisset, quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me; iam enim ascendit aurora. *Quidnam mysterii hic latitat, vt dimitti peteret ab homine Deus?* Non M putes (*inquit Author*) quod eo modo luctaretur cum eo, quo communiter luctantes: sed potiùs, quòd Deus in specie hominis sibi apparens, precibus, & attractiuis manibus, & amplexibus, tenebatur à Iacob: dumque fingebat, se omninò velle discedere, impellendo se ad recessum, tunc Iacob firmiùs tenebat, & ad se trahebat, quasi nitens ipsum ad se retinere, usque quò preces, quas pro saluatione sui, & suorum ab Esau sibi porrigebat, exaudiret. Et hoc sonant verba, quæ Deus subdit *dicens*: Dimitte me, *quasi ad exaudiendum compelleretur. Cui pariter adscitur quod Moysi pro populo deprecanti, respondit idem Dominus. Exod.* 32. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos: *ea enim orationis vis est, vt de manu vlciscentis Dei, quasi violenter, sagittas eripiat, & flagella. Quod quidem præuidens Dominus, contumacis peccata populi vlturus, dicebat ad Ieremiam cap.* 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi. *Videlicet*, quia N oratio Sanctorum quodammodò detinet, & excludit Dei sententiam, Sap. 18. *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit.* (nota) *necessitati, ostendens, quoniam tuus est famulus*. Et Is. 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te* (scilicet O precibus, Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*) Sed contra dicitur *Iob.* 9. Deus, cuius iræ nemo resistere potest. *Et respondet*: Verum est, virtutis robore: non ita oratione, & humilitate,

Orationis vis.

I Is.49.initio.

Deus oranti se veluti debitorem constituit.

L Mat.6.lit. b. ibi.

Oratio quodammodo Deú ad gratiam impartiendã compellit: & ad iram deponendam.

M Gen. 32. ibi.

N Ierem. 7. §. 2. ibi.

O Is.64. ibi.

per

per quam non minori facilitate petita à manu Dei beneficia, vi quadam rapiuntur: quemadmodum mulieri contigit Chananaæ, quæ orans humiliter P sciuit compellere Dominum, *cum eam priùs à se abiecisset iis verbis*: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. *Et iterum*: Non est bonum sumere panem &c. *Et tamen oratione compulsus exaudiuit*: Fiat tibi, sicut vis.

P Mat. 15. lit. b. ibi, quæ cadunt.

a *Quòd si adeò efficax apud Deum iustorum est deprecatio, quantò magis contra dæmones, cæterosque aduersarios nostros quotidianis tentationibus impetentes, præualebit? Sanè deuota præcipuè* oratio Q valet contra pericula tentationis, & ad proficiendum in bono, *Iac*. 5. Multùm valet deprecatio iusti assidua. *Vnde & Dominus ad discipulos Mat*. 26. Orate, vt non intretis in tentationem. *Quasi dicat*: Vos R de vobis confiditis, sed debetis refugere ad suffragia orationis *contra tentationes omnes, dæmonum præsertim, validissima; quia* hoc genus dæmoniorum *Mat*. 17. non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium. *Vbi ly hoc*, non S demonstrat solùm genus lunatici, sed omne genus dæmoniorum, quod non eijcitur, nisi per orationem, & ieiunium. *Cuius rei figuram habemus in Iudith, quæ Holofernem, populi sui acerrimum hostem, expressum dæmonis typum, oratione sua deiecit, prostrauit, vt habetur* Iud. cap. 9. *Siquidem* dæmones T iustorum orationibus fugiunt; orationes iustorum eos de corde expellunt; & orationibus iustorum obediunt, *Mat*. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, & dixeritis monti huic (*idest diabolo*) Tolle, & iacta te in mare: fiet. *Nec reuocari in dubium potest, quin communis oratio, tum contra tentationes, tum ad quæcumque impetranda, quàm particularis, validior sit*: ad inuicem *namque* iuuamur V vt faciliùs obtineamus quod petimus, 2. Cor. 1. *Eripiet nos Deus, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: nimirùm*, quam X pro nobis facitis. Deus enim multa bona confert uni ad preces multorum. Cuius ratio est: quia Deus de bonis, quæ confert, vult exhiberi sibi gratias; & quòd multi ex hoc teneantur ad gratiarum actiones; hoc autem fit, quando ex eo, quòd dat vni ad preces multorum, obligat sibi omnes, ad quorum preces confert bonum aliquod; vt sic non solùm ille, qui confert, sed etiã ipsi rogantes gratias referant Deo. Et hoc est, quod subdit: *Vt ex multorum personis, eius quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis*. Orate pro inuicem, vt saluemini, *Iac*. 5. *Et expressiùs Mat*. 18. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. *Vbi Author*: Impossibile Y est enim, preces multorum non exaudiri, si ex multis orationibus fiat quasi vna. *Et iterum Rom*. 15. Vt adiuuetis me in orationibus vestris, *scilicet* pro me Z fusis: quia multi minimi, dum congregantur vnanimes, magis merentur. Et ideò impossibile est, vt multorum preces non impetrent. *Impossibile est*, idest A valde difficile, preces multorum non exaudiri. *Et hinc est, quòd orationes Ecclesiæ valdè impetratoriæ sunt: sicuti & Rosarianum* psalterium, *quod consueuit in Templis communiter recitari*; (*de quo vide superiùs V.* Maria Deipara.) *Imperium profectò exercet oratio super creaturas omnes: quia* multùm, *& plùs quàm credimus*, valet deprecatio iusti assidua, *vt præmissum est. Sanè* ostensa est B virtus orationis in quatuor elementis, in Cælo, & in Inferno. In terra, Act. 4. *Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati*. In mari, vt patet exemplo Ionæ cap. 2. In aere, vt patet in retentione pluuiarum, Elia orante 3. *Reg*. 17. In igne, vt patet in tribus pueris *Dan*. 2. & in Aaron *Num*. 16. Item

Q 1. Tim. 2. l. 1. sub initio.
Valet contra tentationes omnes, dæmonum præsertim.
R Mat. 26. lit. e. ibi.
S Mat. 17. lit. b. ibi.
T Serm. 1. ex Ep. in Reg.
V Op. 13. p. 2. cap. 5.
Oratio communis, quàm particularis, validior.
X 2. Cor. 1. l. 3. ibi.
Y Mat. 18. lit. b. ibi.
Z Rom. 15. l. 3. fi. Hebr. 13. l. 3. ibi orate Dan. 2. §. Indicauit.
A Hebr. 13. loc. cit.
B Luc. 5. §. 9. Serm. 1. ex Ep. in Rogat.
Vis orationis in elementis, in Cælo, & in Inferno.

in Cælo, vt patet in statione Solis, *Ios*. 10. & in retrogradatione *Is*. 38. Item in Inferno, Eccli. 48. *Qui sustulisti mortuum ab inferis &c*. Multùm *inquam* valet; *quia Deum erga nos ad misericordiam excitat. Vnde seruus ille*, qui debebat Domino decem millia talenta, *per orationem remissionis misericordiam obtinuit*: procidens *enim* orabat eum, *Mat*. 18. Quod enim C multùm prouocat misericordiam, est oratio. Vnde quando homo sentit se in periculo, debet recurrere ad orationem, Eccli. 21. *Fili peccasti? non adiicias iterùm; sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur*.

Deum ad misericordiam excitat.
C Mat. 18. lit. c. ibi.

b Multùm *inquam* valet deprecatio iusti; *quia* præter D effectum spiritualis consolationis, quam præsenti aliter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus; scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem, sicut & quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi, in quantùm procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fruitionem meremur. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit. *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: Oratio E est meritoria, & impetratoria. *Et quamuis in oratione habeatur oculus & ad id, quod petitur, præter Deum; non ideò tollitur meritum: quia* habere F oculum ad aliud, quàm ad Deum, sicut ad principalem finem, euacuat rationem meriti, non autem si respiciat aliud, sicut quo ad Deum citò perueniendum. Et hoc modo oratio releuationem propriarum indigentiarum respicit. *Igitur* si illud G quod petit aliquis pro se ipso, non sit ei ad beatitudinem vtile, non meretur illud; sed quandoque hoc petendo, & desiderando, meritum amittit, putà si petat à Deo complementum alicuius peccati: quod est non *piè orare*. Quandoque verò non est necessarium ad salutem, nec manifestè saluti contrarium: & tunc licèt orans possit orando mereri vitam æternam; non tamen meretur illud obtinere, quod petit: (*quia non expedit: ex quo adiecit ab initio Author*: & potest esse meritoria, etiam si non sit impetratoria.) Si verò id, quod petitur, sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius salutem, meretur illud non solùm orando, sed etiam alia bona opera faciendo; & ideò indubitanter accipit, quod petit, sed quando debet accipere. *Quædam enim non negantur* (ait Augustinus) *sed vt congruo dentur tempore, differuntur*. Quod tamen potest impediri, si in petendo non perseueret. *Radix autem differentiæ, inter meritum, & impetrationem, est: quia* meritum H importat ordinem iustitiæ ad præmium; impetratio verò importat ordinem misericordiæ vel liberalitatis ex parte donantis: & ideò meritum ex se ipso habet, vnde perueniatur ad præmium, sed oratio impetrare volentis non habet ex se ipsa, vnde impetret, sed ex proposito, vel liberalitate dantis. Vnde patet, quod oratio ex charitate semper habet efficaciam merendi, sed non habet semper efficaciam impetrandi, quia aliquid est, quod repugnat impetrationi, in prouidentia Dei, ad quẽ oratur. Et ad hæc impedimenta tollenda ponuntur quatuor conditiones (*vt scilicet quis pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter*) quibus positis, oratio semper habet efficaciam impetrandi; *vt Num. præced. prætactum est. Sic igitur Deo accepta est Oratio, & certissimè exauditur. Et quidem* Deus I orationem acceptat, & de eo, quod dare vult, & interdum de eo, quod dare nõ vult, vt idonei simus ab ipso accipere: quod nõ esset, si ab eo non speraremus quod desideramus. Nec esse durũ homini debet, se Deo per orationẽ

D 2. 2. 83. 15. c. In 4. d. 15. 4. 7. q. 2. c. lo. 19. l. 3. fin.
In ea virtus merendi, & impetrandi.
E Mat. 7. lit. a. ibi qui petit
F 4. d. 15. 4. 7. q. 2. ad 1.
G 2. 2. 83. 15. ad 2. In 4. l. c. a. 7. q. 3. ad 2.
Potest quis orando mereri, & non impetrare, quia non expedit.
Differentiæ huius radix.
H In 4. loc. cit. in corp. & d. 45. 2. 1. q. 1. c. & 2. 2. loc. cit.
Quandonam certè impetret oratio.
I In 4. d. 15. 4. 1. q. 3. ad 3.
Accepta Deo oratio etiam de eo, quod dare non vult

sub jcere, sicut homini per preces; quia in hoc totum bonum nostrum consistit, quòd Deo subditi simus; non autem in hoc, quòd homini subdamur. De eo autem, quod dare non vult: quia ipse vult, piè nos velle quod ipse iustè non vult.

Acceptat Deus orationes nostras, promptusque exaudit.

L Ps. 33. lit. e.

L *Acceptat inquam Deus, tanquam sibi gratissimas, orationes nostras, simulque promptus exaudit, Ps. 33.* Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. *scilicet* vt sit L intentus ad exaudiendum. Qui enim vult exaudire, libenter audit precantes; vnde per hoc signat, quòd voluntarius est ad exaudiendum. Et dicit, *in preces*: quia adhuc loquentibus exaudit, *Is. 65. Adhuc illis loquentibus, ego audiam*: hoc est, *priusquàm orationem terminet, desideria orantis implet Dominus. Et Ier. 29.* Orabitis me, & ego exaudiam vos; quæretis me, & inuenietis, *scilicet* paratum M ad auxilium. Quasi dicat, me ipsum offeram. *Et hoc est, quod Psaltes dicebat* Ps. 5. Manè exaudies vocem meam: *manè* secundùm literam N idest celeriter; quasi dicat, tempestiuè: hoc enim sperare debemus de Deo, quòd citò exaudiet. Is. 30. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Dominus enim prope est, *inquit Apostolus ad Philip. 4.* Est *enim* Dominus O prope pœnitenti, vt indulgeat: oranti, vt exaudiat: tribulationes patienti, vt subueniat, *Ps. 144.* Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum &c. *Quin & antequàm oret iustus, vel ipsum desiderium exaudit oraturi, Is. 65.* Antequàm clament, ego exaudiam. *Et Ps. 9.* Desiderium pauperum exaudiuit Dominus (idest P velociter) præparationem cordis eorum, *scilicet ad orandum*; audiuit auris tua. *Et Ps. 20.* Desiderium cordis eius tribuisti ei &c. *Vbi notat Author, quòd* duplex Q est desiderium. Vnum, quod est tantùm in corde; aliud, quod exprimitur ore. Et vtrumque impletur; quia Deus, antequam oretur, exaudit. Quantùm ad primum dicit: *Desiderium cordis eius tribuisti ei*; quantùm ad secundum dicit: *& voluntate labiorum eius*, idest quam expressit per labia, *non fraudasti eum*, quia eum exaudisti. *Ex quo Author ad illud Io. 11.* Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me: In hoc *inquit* argumentum R habemus, quòd Deus facilis est ad largiendum, ita vt desiderium etiam, ante quam proferat quis verba, exaudiat. *Nec solùm promptè exaudit, & solicitè, sed & vltrà desiderium precantis. Vnde & Centurioni, pro salute pueri sui roganti, mox respondit*: Ego veniam, & curabo eum. *Idest* non S loquar, sed faciam. Nullus enim auderet tantum petere, quantum Dominus dare dicit. *Consueuit enim* præmium dare, *vt dicunt*, vltra condignum; *vnde ait Io. 10.* Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. *Quò facit illud serui debitoris domino suo Mat. 18.* cuius misertus Dominus dimisit eum, & debitum dimisit ei; *hoc est, & culpam, & pœnam misericorditer remisit, quia procidens rogauit*: *siquidem* T plura dat, quàm homo audeat petere; *vnde & in Collecta dicitur*: Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita supplicum excedis, & vota. *Sed & pro peccatoribus* multùm valet iusti deprecatio, *Iac. 5.* Orate pro inuicem, vt saluemini. *Quò collimant verba Domini Iob 42.* Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis &c. *Ite ad seruum meum Iob*, vt scilicet V eo mediante reconciliemini mihi: *& offeres pro vobis holocaustum*, vt scilicet vos satisfaciatis, qui perdistis: sed vestra satisfactio indiget fide-

M Ier. 29. ibi.

N Ps. 5. lit. b. ibi.

Et citò.

O Serm. 2 ex Ep. Dom. 4. Adu.

P Ps. 9. 6. & 2. 2. 83. 1. ad 1.

Quin vel ipsum exaudit desiderium, priùs quàm oremus.

Q Ps. 20. lit. b.

Immò & vltra desideriū;

R Io. 11. l. 6. lit. c.

S Mat. 8. lit. b. ibi.

T Mat. 18. lit. e ibi.

Valet & pro peccatoribus ad pœnitentiam oratio.

V Iob 42. l. 2. ibi.

lis viri patrocinio; vnde subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis*: qui scilicet dignus est exaudiri propter suam fidem. Vnde subdit: *Faciem eius suscipiam*, exaudiendo scilicet eius orationem, *vt non vobis imputetur stultitia*, scilicet infidelis dogmatis. *Sanè* merito X congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo, in gratia constitutus Y implet Dei voluntatem, congruum est secundùm amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in saluatione alterius: licèt quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cuius aliquis Sanctus iustificationem *orando* desiderat. *Et alibi*; Dominus Y donat aliquando veniam peccatoribus precibus Sanctorum, in quantùm impetratur eis peccatorum venia, & donum gratiæ: quia homo potest mereri ex congruo alteri primam gratiam; alias pro nihilo oraret Ecclesia pro peccatoribus. (Non *ità* merito Z condigni potest quis mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus.) *Nec mirum*: *nam* impetratio A orationis innititur misericordiæ, meritum autem condigni innititur iustitiæ: & ideò multa orando impetrat homo ex diuina misericordia; quæ tamen non meretur secundùm iustitiam, *secundùm illud Dan. 9.* Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Et quidem preces pro inimicis orantium potissimùm à Deo impetrant*: *specialiùs enim* illi B exaudiuntur à Deo, qui nouerunt pro inimicis orare, vt Ecclesia facit. Vnde dicitur Ier. 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram me &c.* quia isti in veteri testamento orauerunt pro inimicis.

d *Quare autem quandoque à Deo non exaudiatur oratio, causam assignat Apostolus Iacobus cap. 4. cum ait*: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis: *videlicet*, petentes C transitoria, & non spiritualia; vel ex amore, quo temporalia Deo præponitis. *Item* contingit D quandoque, quòd aliquis ex amicitia denegat quod petitur ab amico, quia cognoscit hoc ei esse nociuum, vel contrarium ei magis expedire; vt Medicus infirmanti quandoque denegat quod petit, considerans, quòd non expedit ei ad salutem corporis consequendam. Vnde cum Deus ex amore, quem ad creaturam rationalem habet, eius desideria impleat per orationem sibi propositam: non est mirandum, si quandoque eorum etiam, quos præcipuè diligit, petitionem non implet, vt impleat quod petenti magis expedit ad salutem. Propter quod à Paulo stimulum carnis non amouit, quamuis hoc ter peteret: prouidens hoc ei esse vtile ad humilitatis conseruationem, vt habetur 2. Cor. 12. *Quinimmò ita denegando* Deus magis E audit illos, quibus non dat quod petunt; si sit impediens à beatitudine, quàm eos, quibus dat. Vnde talis impletio orationis, quæ fit cū Dei indignatione, non dicitur impetratio propriè loquendo. *Sic etiam falsò dicitur, quòd Paulus orans pro stimulo carnis non fuerit exauditus, cum immò exauditus sit.* Deus enim E qui ordinauerat hoc ad bonum humilitatis suæ, non exaudiuit eum quantùm ad eius voluntatem; quod tamen sciens postmodum Apostolus, gloriabatur, cum diceret: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis &c.* Et licèt non exaudierit eum quantùm ad voluntatem, exaudiuit tamen eum (*& exaudit Sanctos suos*) quantùm ad eius vtilitatem. Vnde *Hieronymus in Epistola ad Paulinum*: Bonus Dominus, qui sæpè non tribuit quod volumus, vt tribuat quod mallemus. *Ideircò ad filios Zebedæi* dice-

Merito congrui potest quis alteri mereri primam gratiam.

X 1. 2. 114. 6. fi. c. In 2. d. 27. 1. 6. In 3. d. 14. 1. 5. q. 3. ad 5. In 4. d. 45. 2. 1. q. 1. c. Gen. 20. ibi, orabit.

Y 1. Tim. 4. l. 2. fi.

Non ita merito condigni

Z 1. 2. loc. cit.

Adducitur ratio.

A Ibid. ad 1. & 4. 9. ad 1. & locis cit. lit. X

B Ps. 37. lit. 1. Ier. 15. initio

Pro inimicis orantes specialiùs exaudiuntur.

Cur quandoque non exaudiatur oratio.

C Iac. 4. §. 2.

D 3 con. G. c. 96. & 2. 2. 83. 15. ad 2. In 4. d. 15. 4. 7. q. 2. Mat. 18 lit. A ibi, iterum & c. 20. lit. b. ibi, nescitis Io. 14. lec. 3. lit. f. Iob 9. l. 3. ibi audierit.

E 4. d. 15. 4. 7. q. 3. ad 5. & 2. & 2. 2. ...

E 2. Cor. 12. l. 3. ibi, ... Rom. 8 l. 5. ibi adiuuat & 3. con. G. loc. cit. Io. 14. loc. cit.

Deus interdum non exaudit, vt feruentius desideretur.

dicebat Mat. 20. Nescitis quid petatis. *Et Apostolus Rom.*8. Quid oremus, sicut oportet, nescimus. *Praeterea amicorum dilectorum suorum deuotè petentium Deus exauditionem differt quandoque, vt opportunius gratiam impertiatur: vel, vt iterùm deuotiùs orent, & ipse feruentius desideretur. Igitur* si quid petieritis Patrem (*Io.* 16.) in nomine meo, dabit vobis; *opportune videlicet tempore.* Non enim F oportet statim decidere, si quis non accipiat: sed profectò dabitur; etsi vt congruo tempore detur, differatur, vt magis crescat desiderium. *Quod facit illud Cant.*5. Quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? *Etenim frequenter* quasi G ad tempus declinat, dum quæritur, vt ad maius desiderium ad se sequendum nos excitet. Ad hoc enim plerumque differuntur vota, & orationes Sanctorum, vt ardentiùs eum desiderare incipiant. Sicut & quondam Mariæ se quærenti non statim se ostendit, sed in specie hortulani apparens: tandem, quòd ipse esset, qui quærebatur, aperuit. *Et hinc est, quòd antequam se illi manifestaret, rogauit eam:* Mulier quid ploras? Quem quæris? *Io.* 20. *Nempè* quem quærit H interrogat, vt augeatur desiderium, quatenùs cum nominaret, quem quæreret, in amorem eius ardentiùs æstuaret; & sic semper quæreret. *Sic periclitantibus in mari discipulis, non primà, sed quarta solùm* vigiliâ noctis venit Iesus ad eos, ambulans supra mare. *Et quare tandiù distulit? nempè* tantùm *ex Chrysostome* tardauit I vt magis desideraretur, *Is.*26. Anima mea desiderauit te in nocte; & *Cant.*3. Per noctes quæsiui quem diligit anima mea. *Caeterùm qualis debeat esse Orator, vt eum Deus exaudiat, docet Psaltes Ps.*4. *cum ita:* Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ. *Vbi* quatuor L consideranda sunt. Primò ponit orationem, & exauditionem; vnde dicit: *exaudiuit me*; sed non *exaudiuit* non clamantem (*saltem corde*) vnde dicit, *cum inuocarem*, quod est implorare auxilium in necessitate, Ps.119. *Ad Dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me* (*manifestò dictum contra* Quietistas.) Item requiritur, quòd homo sit iustus: quia si audit peccatores, est ex misericordia, non ex iustitia; & ideò dicit, *iustitiæ meæ*, idest *ex glossa* dator iustitiæ, vel iustificationis meæ. Ps. 33. *Oculi Domini super iustos.* Aliud, quod est primum, quòd iustitiam suam homo attribuat Deo, & non sibi; & ideò dicit, *Deus:* Contra quod Rom. 10. dicitur: *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quaerentes statuere &c.* Primò ergo debet bonum suum attribuere Deo. Secundò habere iustitiam. Tertiò clamare. Quartò exaudiri.

F *Io.* 16. *l.* 6. *lit. b. fin.*

G *Cant.* 5. *com.* 1. *ibi.*

H *Io.*20. *l.* 3. *lit. b.*

I *Mat.*14. *lit. b. ibi.*

Quatuor in oratione consideranda.

L *Ps.*4. *lit. a. ibi.*

Oratio peccatoris ex se infructuosa; sed potest esse fructuosa aliis ex eorum deuotione, vel vt in persona Ecclesiæ.

c *Nihilominùs vel ipsius peccatoris vacua non regreditur oratio. Quae circa sciendum, quòd in* oratione M orans est sicut principale agens, non solùm sicut instrumentale; & ideò requiritur ad efficaciam orationis, quòd ex opere operante effectum sortiatur, non solùm ex opere operato, sicut est in Sacramentis. Et ideò malorum orationes infructuosæ sunt, quantùm ex eis est; sed possunt esse fructuosæ aliis, pro quibus oratur, propter eorum deuotionem, vel in quantùm orant in persona Ecclesiæ. *Quin nedum aliis, sed & sibi ipsi potest esse fructuosa peccatoris oratio. Aduertendum tamen, quòd* in peccatore N duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, in quantùm peccator, idest secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus permittit peccatorem adhuc ampliùs ruere in peccata. *Deus enim quadam*

M 4. *d.* 5. 2. 2. *q.* 2. *ad* 2. & 4. 19. 1. 2. *q.* 2. *ad* 4. & 3. *p.* 82. 6. *c.* & *a.* 7. *ad* 3.

N 2. 2. 83. 16. *c.*

negat propitiùs (ait Augustinus) *qua concedit iratus*. Orationem verò peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit: non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur sed ex pura misericordia; obseruatis tamen quatuor præmissis conditionibus vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter. *Nec dicas, quòd qui in peccato est, pias non potest preces effundere. Nam* peccator O non potest piè orare, quasi eius oratio ex habitu virtutis informetur; potest tamen eius oratio esse pia, quantùm ad hoc, quòd petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum iustitiæ, potest aliquid iustum velle; *aliàs iudices peccatores semper iniustitiam iudicando committerent.*) Et quamuis eius oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetratiua; quia meritum innititur iustitiæ, sed impetratio innititur gratiæ: *vt & superiùs praetactum est. Neque his contrariatur verbum caeci nati Io.*9. Scimus autem, quòd peccatores Deus non audit: *quia enim* oratio P in impetrando non innititur merito, sed diuinæ misericordiæ, quæ etiam ad malos se extendit; ideò etiam quandoque peccatorum oratio à Deo exauditur, Vnde *Augustinus* dicit *super Io.* quòd illud verbum cæcus locutus est, quasi adhuc inunctus, idest nondum perfectè illuminatus: nam peccatores exaudit Deus. Quod autem dicitur Prou.28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*: intelligendum est; quantùm est ex merito peccatoris; sed interdum impetrat ex misericordia Dei, vel propter salutem eius, qui orat; sicut auditus est Publicanus *Luc.* 18. Vel etiam propter salutem aliorum, & gloriam Dei. *Ita* Mat. 18. *Seruus ille debitor, qui peccatoris figuram gerit*, procidens rogabat Dominum, *vt sibi debitum dimitteretur*; quod & misericorditer, non ex merito, obtinuit. *Sequitur enim*: Misertus autem Dominus, dimisit eum, & omne debitum dimisit ei. *Sic caeci duo illi* Mat. 20. (*qui peccatores gratia luminis priuatos referunt*) *quaerentes Domine*: Quid vultis, vt faciam vobis? *Quibus verbis* non petijt Q vt ipse sciret, sed vt daret intelligere, quòd piè petentibus satisfacit; *dicunt illi Domine, vt aperiantur oculi nostri*: & hoc iustum est, vt quilibet peccator petat, *Ps.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. *Et mox sequitur*: Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim viderunt. *Quid ergo blaterant aliqui, peccatorum vota Deum non audire, maximè si pro animae salute ad eum confugiant? (Profectò* Deus R homines etiam in peccatis amat: nisi enim eos amasset, non vtique diceret: *Non veni vocare iustos, sed peccatores* Matth. 9. *vtique ad paenitentiam.*) *Certum quippe est, hoc ex merito non posse obtinere, cum gratiâ careant, qua vitam aeternam meremur: sed ex misericordia possunt. Ex quo falsum est, peccatoris orationes, & id genus bona opera, ad nihil sibi valere: vt quidam ignoranter asserunt, & docent. Nam oratio quidem &* opera omnia S extra charitatem facta, non sunt meritoria ex condigno neque æterni, neque temporalis alicuius boni apud Deum. Sed quia diuinam bonitatem decet, vt vbicumque dispositionem inuenit, perfectionem adijciat: ideò ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra charitatem facta. Et secundùm hoc opera ista valent ad triplex bonum: scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispo-

Oratio eiusdem ex bono naturæ desiderio procedens, auditur à Deo ex misericordia, non ex Iustitia.

O *Ibid. ad* 2. *in* 4. *d.* 15. 4. 7. *q.* 3. *ad* 1. *Pet.*6. 9. *ad* 5.

P 2. 2. 178. 2. *ad* 1. & *q.* 83. 16. *ad* 1. *l.* 9. *l.* 3. *lit. h.* & *locis cit.*

Auditur à Deo, & quandoque exauditur.

Q *Mat.* 20. *lit. b. ibi.*

R *Io.* 11. *l.* 5. *lit. K.*

Ad quid orationes, & opera bona peccatoris sibi valeant.

S 4. *d.* 15. 1. 3. *q.* 4. *fi. c.* & *quaestiuncula* 3. *ad* 1. & *q.* 5. *c.* & 3. *p.* 89. 6. *ad* 3. *Pet* 6. 9. *c. sub initio.*

positionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum; (*Nihil enim boni Deus irremuneratum relinquit.*) Quia tamen hoc meritum non propriè meritum dicitur: ideò magis concedendum est, quòd huiusmodi opera non sint alicuius boni meritoria, quàm quod sint: *Soli etenim Dei misericordiæ innituntur; cui & Regius Propheta innixus dicebat* Ps. 4. Miserere mei, & exaudi orationem meam. *Et Ps. 6.* Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. *Quo loci:* si T aliquis (*inquit Author*) compeditus traheretur ad suspendium, & videret aliquem de quo confideret, rogaret attentè, & diceret: *Eripe me.* Hoc modo orat & iste, dicens: *Eripe Domine animam meam.* Quasi dicat: Eripe me tractum ad peccatum, ductum ad mortem, Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.* Item *saluum me fac*; idest, postquàm liberaueris me à malis, perduc ad salutem, Ps. 61. *In Deo salutare meum*; & hoc non propter merita mea, sed *propter misericordiam tuam, ad Tit.* 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. *Quòd si* verbum V cæci, *peccatores Deus non audit*, saluare volumus: dicendum est, quòd Deus non exaudit peccatores in peccatis persistentes; exaudit tamen peccatores de peccatis pœnitentes, qui magis sunt computandi in numero pœnitentium, quàm peccatorum; *quando scilicet ad Deum, cum peccati detestatione confugiunt. Igitur* peccatores Deus non audit; *scilicet* volentes X remanere in peccatis. *Num verò valeat magis oratio, pro se ad Deum effusa, quàm pro aliis? Respondet Author, quòd* duplex est Y valor orationis. Vnus, qui est orationis proprius, secundùm quem dicitur valere oratio ad impetrandum illud, quod petitur: sicut oratio Petri valuit ad suscitationem Tabithæ. Alius valor est communis orationi, & alijs operibus virtutum, secundùm quod oratio valere dicitur ad merendum aliquid ipsi oranti, prout charitate informatur: sicut oratio eiusdem Petri, qua suscitationem Tabithæ impetrauit, fuit Petro meritoria vitæ æternæ, in quantùm erat actus charitate informatus. Loquendo ergo de primo valore, cæteris paribus plus valet oratio facta pro se, quàm pro alio: quia efficacia orationis in impetrando potest amittere suum effectum, quando pro alio fit, ex aliquo impedimento, quod inuenitur in eo, pro quo oratur. Vnde vna de conditionibus orationis, quæ faciunt eam efficacem ad impetrandum, est vt aliquis pro se oret. Quantùm autem ad secundum valorem oratio magis valet, quæ ex maiori charitate procedit, siue pro se, siue pro alio fiat. Si autem de interiori charitate per exteriora opera debeat iudicari, tunc ista comparatio potest dupliciter intelligi. *Vno modo*, vt aliquis ita oret pro alio, quòd etiam pro se ipso; & tunc maioris meriti est pro alio orare, & pro se ipso, quàm pro se tantùm. Maioris enim meriti est amicum beneuolum, & beneficum esse, scilicet alij, quàm sibi tantùm. *Alio modo* potest intelligi, vt aliquis oret pro alio, & non pro se; & sic ostenderetur esse alteri beneuolus magis, quàm sibi: & ita peccaret inordine charitatis, magis alium, quàm se diligens. Et hoc modo intelligendo comparationem, melius est orare pro se, quàm pro alio.

Qualis debeat esse peccatoris oratio.

T Ps. 6. lit. b. fin.

V Io. 9. l. 3. lit. b. ibi ...

X Mat. 7. lit. a. ibi, omnis qui petit.

Y Quol. 8. a. 8. c. & 22. 83. 7. ad 2. Ps. 34. lit. 1. Mat. 10. lit. 4. ibi, remittetur.

Num oratio magis valeat pro se, quàm pro aliis effusa.

§ *Vis demùm orationis ad animas in Purgatorio extenditur, cuius virtute à pœnis illis liberantur*: quia *nimirùm* potest Z mortuos de Purgatorio educere: (*de quo satis Tom. 2. V. Defuncti.*) *Consequenter ianuam aperit omnibus Paradisi. Quod innuitur Luc. 3. vbi* signanter A dicitur, quòd *Iesu baptizato, & orante apertum est Cælum*: quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum. Vel, vt detur intelligi, quòd hoc ipsum quòd per baptismum Cælum aperitur credentibus, est ex virtute orationis Christi. *Vnde & Stephanus orans Act. 7.* Ecce video *inquit* Cælos apertos. *Hinc ad cælestem gloriam adipiscendam; disposuit Altissimus per orationem virtutes comparari, & dona, tanquam per medium necessarium, quo cuncta à Deo obtinentur, vt visum est.* Vult B Deus, vt recipiamus dona petendo, & orando. Et hoc exemplum voluit ostendere per Christum: quia voluit, quòd peteret quod sibi iure hæreditario competebat: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, vt dicitur in Ps. 2. *Ex his omnibus colligit Author, quòd* triplex C est effectus orationis. *Primus* quidem communis omnibus actibus charitate informatis; quod est mereri (*si iustus sit Orator.*) *Secundus* effectus orationis est ei proprius, quod est impetrare. *Tertius* effectus est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis. *Quam quidem* nemo nouit, nisi qui accipit. *Cæterum* tria bona D facit oratio. Primò enim est efficax, & vtile remedium contra mala. Liberat enim à peccatis commissis, Ps. 31. *Tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis Sanctus.* Sic Latro in Cruce orauit, & remissionem obtinuit, Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sic Publicanus orauit: *& descendit iustificatus in domum suam*, Luc. 18. Liberat etiam à timore peccatorum superuenientium, à tribulationibus, & tristitijs, Iac. 5. *Tristatur quis in vobis? oret æquo animo.* Liberat etiam à persecutoribus, & inimicis, Ps. 108. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Secundò est efficax, & vtilis ad omnia desiderata obtinenda, Mat. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et, si non exaudimur, hoc est, quia non instanter petimus: vel quia non petimus id, quod magis expedit ad salutem. Tertiò est vtilis, quia facit nos familiares Deo, à quo bona cuncta procedunt, *vt orat Ecclesia in Collecta; & Iac. 1.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, *media nimirùm oratione, per quam petimus, & impetramus.* DISCE, *Deum piè orare vt benè ores.*

Z Serm. 1. in Ep. in Rogat. Et Iac. 5. §. 9. fin.

Vis orationis & ad animas in Purgatorio detentas extenditur.

A 3. p. 39. 5. fi. c. & q. 49. 5. ad 3.

Et ad dona cælestia comparanda.

B Ps. 2. lit. f.

C 2. 2. 83. 13. c. & 1. Cor. 14. l. 3.

Triplex eius effectus.

D Op. 7. §. 1. fin.

Tria bona facit.

VI. Oratio Dominica habet tria. Est enim *breuis*, perfecta, & efficax. *Breuis* est, vt omnes possent capere, tam docti, quàm indocti. Item, vt daret fiduciam de facilè impetrando. Item *perfecta* est: ipse enim Deus hanc tradidit; *& Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. Item *efficax* est: vnde Apostoli dicebant Luc. 11. *Doce nos orare*. Ipse autem dixit: *Sic orabitis*. Pater noster &c. *Mat.* 6. *lit. c. ibi*.

g *CVm oratio, vt hucusque visum est, tot habeat ad nostram defensionem præsidia, totque ad vtilitatem nostram prærogatiuas, orandum communiter nobis est: nec qualitercumque, sed quomodo fideles decet, ante diuina conspectum Maiestatis prouolutos: hominem enim oratio Deo propinquum facit vt iam tactum est*. At heu! quàm rarò à nobis oratur Deus, quàm *indeuotè*! *Neque enim, vt plurimùm, si quando oramus, supplicamus Deo, sed præsumptuosè tentamus. Siquidem ad tam excelsum opus quædam exigitur præparatio*: Ante orationem præpara animam tuam; & noli esse quasi homo, qui tentat Deum, *Eccli.* 18. Ille E qui ante orationem, animam suam non præparat, dimittendo si quid aduersùs aliquem habet, vel aliàs ad deuotionem se non disponendo, non facit quod in se est, vt audiatur à Deo; & ideò quasi interpretatiuè tentat Deum. Et quamuis huiusmodi interpretatiua tentatio videatur ex præsumptione, seu indiscretione prouenire: tamen hoc ipsum ad irreuerentiam Dei pertinet, vt homo præsumptuosè, & sine debita diligentia se habeat in his, quæ ad Deum pertinent. *Et hinc Sacra Templa ex vsu potiùs, quàm ex deuotione adimus, non vt Deum colamus orando, sed vt immo peccande speluncam latronum faciamus*, *Mat.* 21. Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum. *Sanè* Templum F non dicitur domus Domini, quia ibi corporaliter inhabitet; sed quia locus est, deputatus ad orandum Deum. Sicut aliquis dominus habet locum (*vulgò* Camera d'udienza) vbi petitiones recipit, & exaudit: sic Templum est locus, vbi Dominus vota fidelium audit, 3. Reg. 8. *Si Cælum, & Cæli Cælorum te capere non possunt; quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* Ecclesia autem nostra specialiter dicitur domus Dei, quia ibi habitat corporaliter in Sacramento Christus Deus. Vnde in Regula *Augustinus*: In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. *Et vt homines ad orandum in Templo fortiùs excitaret, subiicit ibidem Dominus, & promittit*: Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Et significanter quidem addit*, credentes; *ex eo enim rarò ex corde oramus, quia de re obtinenda fiduciam non habemus. Eapropter, vbi ex defectu nostro, quas effundimus preces, sunt ad impetrandum inefficaces, adhibendæ sunt orationes iustorum, quibus ad impetrandum iuuemur. Hinc enim roganti Chananææ Dominus* non respondit verbum, *videlicet* vt G daret occasionem discipulis, vt & ipsi intercederent pro ea: quia quantumcumque aliquis sit bonus, indiget tamen orationibus aliorum. *Id quod docuit Apostolus Iacobus cap.* 5. Orate pro inuicem, vt saluemini. *Pro inuicem, inquam: nisi enim & nos aliorum cooperemur precibus, & corrogemus, parùm, aut nihil, aliorum proderit deprecatio. Quò facit illud Iob* 33. Si fuerit pro eo Angelus loquens &c. deprecabitur Deum, & placabilis ei erit. *Quasi dicat*. Non sufficit H quòd Angelus (*vel alter iustus*) pro eo loquatur: sed ad hoc, quòd quis liberetur, oportet, quòd ipse etiam pro se oret. *Quod innui videtur Apoc.* 14. *iis verbis*: Vocem, quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. *In citharis suis*: idest I in mortificationibus, siue austeritatibus, & orationibus proprijs, non alienis: contra illos, qui semper petunt communicationem meritorum, & suffragia (*nota*) orationum: & ipsi citharizare nolunt.

h *Pro nostris autem proximis orare, Christiana suadet charitas*. Pro te L orare (*aiebat Chrysostomus*) necessitas cogit: pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. *Et hæc spiritualis quædam eleemosyna est, quam impendere vnusquisque valet. Idcircò* Mat. 6. *dicebat Dominus in singulari*: Cum facis eleemosynam &c. *Et ratio adducitur*: Pluraliter M dicit, *cum oratis*: quia omnium est orare: ad hoc enim non exigitur res corporalis, nisi cordis intentio. Sed eleemosynam dare non est omnium. *Et alibi docemur, quod aliquod* N beneficium est, quod possumus omnibus impendere, si non in speciali, saltem in generali: sicut cum oramus pro omnibus. *Ex quo nulla potest excusatio admitti*: *Vnde Apostolus* 1. *Tim* 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes &c. pro omnibus hominibus &c. *in generali: in speciali autem* pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt &c. *Bar.* 1. Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius vt sint dies eorum sicut dies Cæli super terram. *Et ratio affertur*: subiecti quippè O oportet, quòd impendant dominis suis de suis officijs. Vtilitas autem est: quia per hoc etiam procuramus bonū nostrū. In pace enim eorum est pax nostra. *Vnde subdit*: Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: *quantò magis pro summo Pontifice, omnibusque S. R. E. Prælatis orandum? Insuper & pro inimicis*. Necessitatis P est, vt in communibus nostris orationibus, quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus. Quòd autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est: non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali. *De quo vide Tom.* 2. *V.* Dilectio inimicorum. *Vlteriùs* etiam Q pro peccatoribus orandum est, vt conuertantur: & pro iustis, vt perseuerent, & proficiant. *Hic enim præcipuus est fraternæ charitatis finis, vt proximi nostri ad Deum conuertantur. Et quidem de peccatoribus loquens Apostolus Iudas in sua Can.* Illos *inquit* saluate, de igne rapientes: alijs autem misereminí &c. *Saluate*, scilicet R quantùm in vobis est, vt saluentur, orate; *de igne*, scilicet peccati (*vel Inferni, cui destinantur*) *rapientes*, quasi extrahentes. *Alijs autem*, quos *ex glossa* in peccato videtis, *miserémini* condolendo, quòd non potestis eos saluare. *Sed & pro infidelibus* S oratur: sed ipsi

E 2. 2. 97. 3. ad 2.

Interpretatiuè Deum tentat qui sine vlla præparatione orat.

F Mat. 21. lit. a. ibi.

Templum locus est, vbi Dominus petitiones nostras audit & exaudit.

Vbi oratio ex defectu nostro non impetrat, adhibendæ sunt aliorum preces.

G Mat. 15. lit. b. ibi.

Quibus vnusquisque, quantùuis bonus, indiget.

Nisi & nos oremus, parum aliorum iuuabit oratio.

H Iob 33. l. ... ibi.

I Apoc. 14. nom. 1 ibi.

L 2. 2. 83. 7. c. & 3. p. 21. 3. ad 3. in 4. d. 15. 4. 4. q. 3. & 1 Tim 2. l. 1

Pro nostris proximis orare, charitas suadet; pro nobis, necessitas cogit.

M Mat. 6. lit. a. ibi.

Orare omnes possunt, non ita eleemosynam dare.

N 2. 2. 83. 2. ad 1.

Orãdum pro omnibus generaliter.

Specialiter pro Regibus, & Dominis temporalibus, & eò magis spiritualibus.

O 1. Tim. 2. l. 1. ibi.

Pro inimicis, & qualiter.

P 2. 2. 83. 8. fin. c. In 3. d. 30. 1. 2. c. Virt. 2. 8 f. c.

Pro peccatoribus, infidelibus, & excommunicatis.

Q 2. 2. 83. 7. ad 3 In 4. d. 46. 2. 3. q. 2. ad 2. Ma. 3. 15. ad 3. Ver. 24. 1. ad 8

R Ep. Iud. 5. 7. ibi.

S 4. d. ... 1. ... ad ... & Rom. 10 ... ibi, in ...

ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem conuertantur: (*vnde Apostolus Rom. 10.* Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro illis, *scilicet Iudæis*, in salutem.) Similiter & pro excommunicatis orari potest, quamuis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt. Et tamen fructum non participant, quandiù in excommunicatione manent. Sed oratur, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione soluantur. *Tandem pet ieri iure pro defunctis fidelibus preces effundimus ad eorum leuamen: de quo satis Tom. 2. V.* Defuncti.

Peccatum, fructum impedit orationis.

T 4.d.5.2.2. q.2.ad 2.

i *Verùm, siue pro nobis, siue pro aliis oremus, fructus omnis tollitur orationum, & impetratio, si in mortali Orator existat;* (quamuis, *vt præmissum est*, possunt T esse fructuosæ alijs, pro quibus oratur, propter eorum deuotionem: vel in quantùm orant in persona Ecclesiæ.) *Thren. 3.* Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. *Nubem*, idest V peccata, opponens ea contra orationem, *Is. 59.* Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: *in quem mentis ascensus est oratio.* Quandoque homo orat (*ex Origene*) & non exaudit Deus: quia ipse non audit eum præcipientem, *Prou. 28.* Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Et quidem peccator vt plurimùm in prosperis Deum penitùs obliuiscitur, Ps. 49.* Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum. *Cum verò flagellis, & quidem iustè caditur, ad eum recurrit, Ps. 105.* Cum occideret eos, quærebant eum. *Ex quorum persona apprimè dicitur Bar. 2.* Non secundùm iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster: sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos. *Cum tamen in prosperis, & in aduersis sit Deus inuocandus: in illis, ne intumescamus: in istis, ne desperemus. Nec tamen semper repellit clementissimus Dominus: sed & iustos ex merito, & peccatores ex misericordia plenitudine non rarò exaudit, cui proprium est, infinita sua dona bonitatis in bonos, & in malos effundere, Mat. 5.* Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos; *& longè magis in fideles suos deuotè orantes. Hinc ex illo Iac. 5.* Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit, vt non plueret &c. *deducit Author: Orauit*, scilicet X semel. Si Elias *ex glossa* vna oratione tanta impetrauit, quid multi fideles multis orationibus? *Nec mirum, si & fideles peccatores orando quandoque impetrant, quando, & infidelium, ac Gentilium preces in iustis petitionibus Deus exaudit: vti magno contigit* Alexandro: qui Y cum venisset ad montes Caspios, & petijssent filij captiuitatis decem tribuum ab eo licentiam egrediendi: ipse, cognita causa inclusionis eorum, quòd scilicet apertè recessissent à Deo Israel, vitulis aureis immolando, & per Prophetas Dei prædictum eis, quòd à captiuitate non essent redituri: respondit, quòd arctiùs includeret eos. Cumque angustas vias eorum obstruere vellet molibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, orauit Deum Israel, vt opus illud compleret. Et accesserunt ad se inuicem prærupta montium: & factus est locus immeabilis (vt dicit *Iosephus*.) *Et subdit Author*: Quid facturus est Deus pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infideli? *Frequenter igitur fidelibus orandum est, quando & orantibus Z Angeli assistunt, Dan. 9. Adhuc me loquente in oratione: ecce Vir Gabriel, citò volans, tetigit me: (ex quo aiebat Ps. 137. Regius Propheta:* In conspectu Angelorum psallam tibi:) & orationes A nostras ad Deum deportant, & præsentant, *Apoc. 8.* Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo, *vt videlicet suo nos adiuuent ad impetrandum interuentu, Iob 33.* Si fuerit pro eo Angelus loquens &c. *Nec promptè cunctantur, quin exauditionem B orationis referant, Tob. 12.* Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & vxorem filij tui à dæmonio liberarem. *Ita & pio contigit Centurioni, qui vidit Act. 10.* in visu manifestè Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Orationes tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. *Et iterum:* Exaudita est oratio tua: *vti & Gabriel Zachariæ Luc. 1.* Exaudita est deprecatio tua. *Hinc vides, quali & quanta debeas reuerentia, & deuotione orare, vbi tali honore fidelium dignatur oratio. Atqui labia Deum exprimunt, cor ad mundana dirigitur; ne dicam, ad obscœna conuertitur: lingua Deo obsequitur, animus seruit mammonæ. Sic autem orantibus abest procul dubio Angelus, Satan adest.*

Deum in aduersis inuocamus: in prosperis obliuiscimur.

V Thren. 3. lit.p.ibi, Matth 17.lit.b.ibi, hoc autem.

In bonos, & malos suæ dona bonitatis Deus effundit.

In fideles præsertim piè orantes.

X Iac.5.§.9. ß.

Deus etiam infideles exaudit.

Y Op. de er. Pr.l.2.c.2 circa fin.

Historia notabilis de Alexandro.

Angeli orantibus assistūt, & orationes nostras ad Deum deportant.

Z Serm. 1. ex Ep. in Rogat.

A Mat. 18. lit. a. ibi, Angeli Phil. 4. l. 1. Iob 33. l. 2. ibi, Angelus Serm. cit.

B Serm. cit. Et exauditionem referunt.

Malè orantibus abest Angelus, Satan adest.

k *Verum porrò modum orandi tradit Dominus Mat. 6.* Tu autem, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum. *Vbi docemur, quòd* modus C orandi consistit in tribus. Primò in secreto meditationis. Secundò in exclusione prauæ affectionis. Tertiò in rectitudine intentionis. Dicit ergo: *intra in cubiculum tuum*, idest in secretum mentis, & arcanum, per actum secretæ meditationis: *& clauso ostio*, idest exclusa omni praua affectione, & mundana, vel sensibus exterioribus causis, Is. 26. *Intra in cubicula tua, claude ostia tua super te: & tunc ora Patrem tuum*, qui scilicet oratur in spiritu, & veritate, quod est intentionis rectitudo: *& ita securus esto, quòd* Pater, qui videt in abscondito (*idest* qui intuetur cor) *reddet tibi*, quod postulas. *Et Mat. 7.* Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. *Quibus in verbis* amouet D opinionem multorum (*quales moderni* Quietistæ) qui dicunt, quòd Deus non curat de orationibus, & quòd non impetrarent, si peterent; ideò dicit: *Petite, & dabitur vobis.* Item *quærite*, idest orate, vel petite, sicut qui aliquid quærunt, totam intentionem ibi ponunt; *& inuenietis*, Ps. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Item *pulsate*, idest quærite ad modum pulsantis, quia qui clamat ad ostium, si non exaudiatur, fortiter pulsat: quod perseuerantiam in orando innuit: *& ita aperietur vobis*, Cant. 7. Veni, dilecte mi. Egrediamur in agrum, commoremur. *At quid modum orandi inquirimus, quando ipsemet Dominus claram alibi orandi formam nobis dignatus est tradere? Nam Mat. 6.* Sic vos *inquit* orabitis. Pater noster, qui es in Cælis &c *Vnde &* Dominica *vocatur* Oratio. *Et quidem* Dominus E dicit: *sic orabitis*; non dicit: *hoc orabitis*; non enim prohibet aliud ab hoc orare, sed docet sic orare. *Ex quo orationis huius perfectio, efficacia, & vtilitas innotescit. In primis enim* Saluator F noster hanc nobis formam orandi tradidit, per quam maximè spes nostra in Deum erigitur, dum ab ipso Deo edocemur, quid ab ipso petendum sit. Non enim ad petendum induceret, nisi proponeret exaudire: nullusque ab alio petit, nisi de quo sperat; & ea ipse petit, quæ sperat, 1. Io. 5. *Scimus, quia*

audit

C Mat.6.lit. b. ibi, & cap. 14. lit. b. ibi, solus orare lit. 11. l. 6. lit. c. ibi, eleuatis, & cap. 17. l. 1. lit. a. ibi, subleuatis.

Modus orandi in tribus cōsistit.

D Mat.7.lit. a. ibi.

Forma orandi nobis à Christo tradita in oratione dominica. Quæ perfecta, efficax, & vtilis est.

E Mat.6.lit. c. ibi.

F Op.3. p.2. cap.3.

audit nos, quicquid petierimus. Scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Habemus *petitiones*, scilicet G à Deo nobis traditas traditione manifesta, quando docuit discipulos orare *Mat. 6.* Pater noster &c. *Quam quidem si Deo sincero corde expresserimus, fiduciam impetrandi habemus, & securitatem, 1. Io. 3.* Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. *Si cor nostrum non reprehenderit nos*, scilicet H in oratione dominica, cum dicemus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c.* tunc *fiduciam habemus ad Deum*; idest confidimus in Deo: *& quicquid petierimus*, digna scilicet petitione, *accipiemus ab eo*, vel illud quod petimus, vel magis expediens. *Et alibi*. Datur I securitas impetrandi, si tales fuerimus, quòd dimittamus debitoribus nostris. *Dominus enim rogantibus dimittit: qui ergo paratus est rogantibus dimittere, fructum recipit orationis. Ita Christus Dominus exauditus est, cum in Cruce orauit*; Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt, *Luc. 23.* Occidentium enim Christum L aliqui sunt saluati, ipso orante. *Super cæteras autem orationes* hæc oratio M est securissima: est enim ab Aduocato nostro formata, qui est sapientissimus petitor, *in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ*, vt ait Apostolus ad Coloss. 2. de quo dicitur 1. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem*. Vlterius securior apparet ex hoc, quòd ipse, qui orationem exaudit cum Patre; docuit nos orare. Vndè ab hac oratione nunquam sine fructu receditur: nam per eam venialia dimittuntur, vt *Augustinus* dicit (*& ad mortalium remissionem disponimur, si quæ sunt.*) Oratio etiam est petitio decentium à Deo. Scire autem, quid sit petendum, difficillimum est, nam Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Ea ergo, quæ ipse orare docuit, rectissimè postulantur. Debet etiam oratio esse ordinata, sicut desiderium; cum oratio sit desiderij interpres. Est autem hic debitus ordo, vt spiritualia carnalibus, cælestia terrenis, desiderando, & orando præferamus, secundùm illud Mat. 6. *Primùm quærite Regnum Dei &c.* Hoc Dominus in hac oratione seruari docuit: in qua primò petuntur cælestia, & postmodùm terrena. Debet etiam oratio esse deuota: quia pinguedo deuotionis facit Sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundùm illud Ps. 62. *In nomine tuo leuabo manus meas: sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Deuotio autem plerunque propter prolixitatem orationis obtunditur: vnde Dominus superfluam orationis prolixitatem docuit vitare, dicens Mat. 6. *Orantes autem, nolite multùm loqui: (quod & ipse, ad Patrem orans in horto, legitur in exemplum præstitisse.)* Consurgit autem deuotio ex charitate, quæ est amor Dei, & proximi, quorum vtrumque in hac oratione ostenditur: nam ad insinuandum diuinum amorem, vocamus eum *Patrem*; ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus, dicentes: *Pater noster &c.* Et iterum: *Dimitte nobis debita nostra &c.* ad quod proximorum dilectio nos inducit. Debet etiam oratio esse humilis, secundùm illud Ps. 101. *Respexit in orationem humilium*: quæ quidem humilitas in hac oratione seruatur; nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus præsumit, sed totum ex diuina virtute impetrandum expectat. *Ex quibus deducitur veritas, quam ab initio Author expressit: quòd scilicet* Oratio N dominica habet tria: est enim breuis, perfecta, & efficax. *Cuius luculentissimam expositionem vide* O.

m *Quid ergo nouas orandi formas, & pueriles preculas, quas in dies eliminare studet Ecclesia, moderni aliqui imprudenter deuoti comminiscuntur? Et quod deterius est, quid in ipso orandi modo impiè excogitarunt Neoterici quidam, pias ad Deum vocales preces omninò excludentes, quas Christus Dominus admittit, & vult, cum* Mat. 7. *expressè dicat*: Petite, & dabitur vobis? *Et Rom. 8.* Ipse Spiritus postulat pro nobis, *idest* postulantes P nos facit; *sicut Gen. 22.* Nunc cognoui, quòd timeas Dominum; *idest*, cognoscere feci. *Quietis orationem, non tam ignoranter, quàm malitiosè dicunt; cum maxima sit immò inquietudinis animæ fideli. De his verum habet quod legitur Ier. 6.* Curabant contritionem filiæ populi mei, cum ignominia (*nota*) dicentes: *Pax, pax*; & non erat pax. *Quin de pace hæc videmur moneri Ps. 33.* Inquire pacem, & persequere eam: *quemadmodum iustè, & piè, Sancta inquisiuit Ecclesia: & persecuta est, vt eam penitus dissipet, destruat, euertat. Quies verera diabolica, cui somnus spiritualis mortis frater germanus est*: quies, *quæ non modicam turbationem minitatur Ecclesiæ, non secus ac nimia maris tranquillitas imminentem indicat tempestatem, Is. 57.* Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. *At vide quid sequitur*: & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum. *Enimuerò quid stultius, quàm animam inoperosam statuere, neque in actus virtutum erumpentem, quibus meretur? Quid dementius, quàm Christi Domini humanitatem, passionem, heroicas virtutes è cogitatione ablegare, per quem pia Mater Ecclesia omnia impetrat, omnia sperat?* Recogitate (*inquit Apostolus ad Hebr. 12.*) eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùm semetipsum contradictionem. *Quasi diceret: Non semel, sed pluries cogitate*. Recogitate, *idest*, iterum Q cogitate, Prou. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*. Et quid cogitandum? Tria; scilicet genus passionis: *qui sustinuit contradictionem*, idest afflictionem in verbis, *& talem contradictionem*, idest, tam grauem, & ignominiosam, Mat. 26. *Vah, qui destruis Templum Dei &c.* (*præter ignominiam Crucis, Sap. 2.* Morte turpissima condemnemus eum.) Secundò à quibus passus est, quia *à peccatoribus*, pro quibus patiebatur, 1. Pet. 3 *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*. Tertiò persona patientis: ante passionem enim ab origine Mundi passus est in membris suis; sed tunc in propria persona Deus & homo, *Ps. 68.* Quæ non rapui, tunc exsoluebam. *Hæc inquam cogitanda sunt, non è cogitatione abiicienda, cum quibus à morte redempti, & vitam sumus æternam adepturi. Et priùs præmiserat Apostolus*: Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. *Quibus verbis* ostendit R quare passio Christi habenda est in exemplum, & quid in ipsa

G *1. Io. 5. §. 5. ibi.*

Securè impetramus, si inimicis dimittimus.

H *1. Io. 3. §. 8 ibi.*

I *Mat. 6. lit. c. fin. Op. 4. de dol. atrox. §. 4.*

L *Rom. 5. l. 2 circ. fi. Hebr. 5. l. 1. fi.*

M *Op. 7. §. 1. & Op. 3. p. 2. à cap. 3.*

Oratio dominica securissima oratio.

Per eam venialia dimittuntur.

Docet quæ petenda sunt.

Ordinata est.

Et deuota.

Breuis.

Humilis.

N *Mat. 6. lit. c. initio.*

O *2. 2. 83. 9. In 3. d. 34. 1. 6. c. Op. 3 p. 2. à cap. 4. & Op. 9.*

Exploditur quietis oratio

P *Rom. 8. l. 5. ibi.*

Q *Hebr. 12. l. 1. ibi.*

R *Ibid. ibi.*

in ipsa desiderandum est: (*vt videlicet pia eius meditatione & consideratione & nos ad patiendum pro ipso; sicut ille pro nobis, inducamur*, 1. *Pet.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.) *Aspicientes* (*non oculis certè corporeis, sed oculo mentis*) *in Iesum*, scilicet passum. In passione autem Christi tria consideranda sunt. Primò quid contempsit. Secundò quid sustinuit. Tertiò quid promeruit. Quantum ad primum, dicit: *Qui proposito sibi gaudio*: illud autem gaudium, fuit gaudium terrenum, quo à turba, quam pauerat, quærebatur, vt facerent eum Regem: quod ipse contempsit *Io.* 6. Vel *proposito sibi gaudio* æternæ vitæ *pro præmio sustinuit Crucem*: hoc est secundum, scilicet quid sustinuit, quia Crucem. Quantùm ad tertium, scilicet, quid promeruit: quia sessionem ad dexteram Patris; vnde dicit: *atque in dextera &c.* Exaltatio enim humanitatis Christi fuit præmium passionis eius. *Ex quorum consideratione, & meditatione percipit proculdubio anima fidelis fructus vberrimos: & ex opposito sterilis efficitur ager mentis nostræ* (*Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum) *& si quid reddit, non triticum reddit, sed zizania. Quæ apprimè facit parabola* Mat. 13. *de seminatore*, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines (*in oratione scilicet quietis, intellectu, & voluntate, vt in dormiente, nihil agentibus*) venit inimicus eius, & superseminauit zizania. *Vbi Author*. Hæretici S per zizaniam significantur: zizania autem habet similitudinem cum tritico. Sic isti prætendunt speciem boni; *vtique vt decipiant. De quibus Apostolus Iudas*: Subintroierunt quidam homines impij, Dei nostri gratiam transferentes (*vt satis de his constat*) in luxuriam: quam solam pro fine sibi constituunt. *Et Diuus Paulus* 2. *ad Tim.* 3. Voluptatum (*nota*) amatores magis, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, *idest*, veritatem T non habentes: *siquidem* veniunt in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces; *innocentum videlicet ouium seductores, & raptores. Sub hoc sanè pietatis velamine impij hi Quietistæ suam obtexere malitiam: at non multùm latere potuit, vnde sequitur*: Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. *Satis nihilominùs ab Ecclesiæ vigilibus operarijs zizania hæc* eradicata sunt, & alligata in fasciculos ad comburendum. DISCE *ex Apostolo* sine intermissione orare, *non quiescere. Vide* Christi Oratio & Passio *Tomo* I.

Christi passio præ mentis oculis habenda.

S *Mat.* 13. *lit. b. ibi.*

T 2. *Tim.* 3. *l.* 1. *fin.*



ORDO SACRAMENTVM.

VII. In promouendis ad Ordinem præexigitur gratia, quæ sufficiebat ad hoc, quòd dignè connumerarentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei. *In* 4. *d.* 24. 1. 2. *q.* 1. *ad* 3.

a INter *Sacramenta Ecclesiæ, summa proculdubio excellentia Sacramentum, & quidem conuenienter, Ordo statuitur*. Deus *enim* sua V opera in sui similitudinem producere voluit, inquantùm possibile fuit, vt perfecta essent, & per ea cognosci posset. Et ideò, vt in suis operibus repræsentaretur non solùm quod in se est, sed etiam secundùm quod alijs influit, hanc legem naturalem posuit omnibus, vt vltima per media perficerentur, & media per prima, vt *Dionysius* dicit *de Eccles. Hier.* Et ideò, vt ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit Ordinem in ea, vt quidam alijs sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes: sicut etiam in corpore naturali quædam membra alijs influunt. *Et hæc veritas clariùs innotescet, si consideremus, quòd* Sacramentorum X institutio, & virtus à Christo initium habet: de ipso enim dicit Apostolus ad Eph. 5. quòd *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*. Manifestum est etiam, quòd Christus Sacramentum sui Corporis, & Sanguinis in Cœna dedit, & frequentandum instituit: quæ sunt principalia Sacramenta. Quia igitur Christus corporalem sui præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, necessarium fuit, vt alios institueret sibi Ministros, qui Sacramenta fidelibus dispensarent, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*. Vnde discipulis consecrationem sui Corporis, & Sanguinis commisit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, & eisdem tribuit potestatem peccata remittendi, secundùm illud Io. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Eisdem etiam docendi, & baptizandi iniunxit officium, dicens Mat. 28. *Euntes, docete omnes gentes; baptizantes eos*. Minister autem comparatur ad dominum, sicut instrumentum ad principale agens. Sicut enim instrumentum mouetur ab agente ad aliquid efficiendum: sic minister mouetur imperio domini ad aliquid exequendum. Oportet autem instrumentum esse proportionatum agenti: vnde & Ministros Christi oportet esse ei conformes: Christus autem, vt Dominus, authoritate, & virtute propria nostram salutem operatus est, inquantùm fuit Deus, & homo: vt secundùm id, quod homo est, ad redemptionem nostram pateretur; secundùm quod Deus, passio eius nobis fieret salutaris. Oportet igitur Ministros Christi homines esse, & aliquid diuinitatis eius participare secundùm aliquam spiritualem potestatem:

Ordinis Sacramentum conuenienter institutum.

V 4. *d.* 24. 1. 1. *q.* 1. *c.*

X 4. *con. G. cap.* 74. & 76. & 3. *p.* 63. 3. *a.*

tatem: nam & instrumentum aliquid participat de virtute principalis agentis. De hac autem potestate dicit Apostolus 2. ad Cor. vlt. quòd *potestatem dedit ei Dominus in ædificationem, & non in destructionem*. Quia igitur hæc spiritualis potestas à Christo in ministros Ecclesiæ deriuatur; spirituales autem effectus, in nos à Christo deriuati, sub quibusdam sensibilibus signis explentur: oportuit etiam, quòd hæc spiritualis potestas sub quibusdam sensibilibus signis hominibus traderetur. Huiusmodi autem sunt certæ formæ verborum, & determinati actus: putà impositio manuum, inunctio, & porrectio libri, vel Calicis, aut alicuius huiusmodi, quod ad executionem spiritualis pertinet potestatis. Quandocumque autem aliquid spirituale sub signo corporali traditur, hoc dicitur Sacramentum: manifestum est igitur, quòd in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum peragitur, quod dicitur *Ordinis* Sacramentum. *Et hinc est, quòd quia* in Sacramento Y Ordinis confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs: *ideò benè traditur à Magistro diffinitio*: Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato. *Siquidem* hæc Z diffinitio conuenit Ordini, secundùm quod est Ecclesiæ Sacramentum; & ideò duo ponit: signum exterius, cum dicit, *signaculum quoddam*, idest quoddam signum; & effectum interiorem, cum dicit: *quo spiritualis potestas &c.*

Y 3.p.84.4.c.

Z 4. d.24.1. 1. q. 2.c. & 4. con G. c.74.

Ordinis diffinitio conueniens.

O *Et hoc, vnum ex tribus est Sacramentis, quæ characterem imprimunt. Est autem* character A propriè signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, vt ordinatum in aliquem finem: sicut charactere insignitur denarius ad vsum commutationum; & milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Homo autem fidelis ad duo deputatur. Primò quidem, & principaliter, ad fruitionem gloriæ: & ad hoc insignitur signaculo gratiæ, secundùm illud Apoc. 7. *Nolite nocere &c.* quoad vsque signemus seruos Dei nostri *in frontibus eorum*. Secundò autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad cultum Dei: & ad hoc propriè deputatur character Sacramentalis. *Vnde & alibi dicitur*: Character B est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel alijs tradendum ea, quæ sunt diuini cultus. Diuinus *autem* cultus C consistit in recipiendo aliqua diuina, vel tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia; nam ad tradendum aliquid alijs requiritur potentia actiua; ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideò character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. *Et hinc differentia elucet characterum in tribus, quæ illum imprimunt, Sacramentis. Nam* ad spirituale D potest aliquis tripliciter deputari. *Vno modo*, vt aliquis in se spiritualia participet: & ad hoc quis deputatur in baptismo, quia iam baptizatus potest esse particeps omnis spiritualis receptionis. Vnde character baptismalis est quasi quædam spiritualis potentia passiua. *Alio modo*, vt spiritualia quis in notitiam ducat per eorum fortem confessionem: & ad hoc quis deputatur in Confirmatione. Vnde etiam tempore persecutionis eligebantur aliqui, qui deberent in loco persecutionis remanere ad publicè nomen Christi confitendum, alijs occultè credentibus: sicut patet in legenda Beati Sebastiani. *Tertio modo*, vt etiam spiritualia credentibus tradat: & ad hoc deputatur aliquis per Sacramentum Ordinis. *Et hæc quidem differentia in veteri lege adumbrata est*. In distinctione enim E filiorum Israel ab Ægyptijs significabatur character Baptismalis: in distinctione timidorum à fortibus in bellis, character Confirmationis: in distinctione Leuitarum à fratribus suis, character Ordinis. *Vlteriùs* character F est signum conformans nos Trinitati. In Baptismo autem imprimitur character fidei, conformans nos diuinæ sapientiæ: in Ordine character potestatis, conformans nos diuinæ potentiæ: in Confirmatione character plenitudinis Spiritussancti, conformans nos diuinæ bonitati. *Præterea, cum Christus Dominus Pater noster sit, Sacerdos, & Rex*, per characterem G baptismalem adscribimur ei, quasi Patri filij, regenerati per baptismum: per characterem Ordinis, quasi ministri Sacerdoti summo: per characterem Confirmationis conformamur ei, quasi milites Regi. *Quòd autem præfata* huiusmodi H potentia sit character, patet, si quis diligenter consideret verba *Dionysii*, à quo prima traditio characteris nobis aduenit. Assignans enim ministerium ritus cuiusdam, qui in primitiua Ecclesia erat, quando adulti baptizabantur, quòd accedenti ad baptismum hierarchia, idest Pontifex, manum imponebat, & signabat eum signo Crucis, & præcipiebat eum describi inter nomina Christianorum, vt de cætero ad diuina cum alijs admitteretur, dicit: quòd *sic accedentem*, scilicet ad vitam spiritualem, *diuina beatitudo in sui participationem recipit, sicut Sacerdos* baptizandum, in proprio lumine, quasi quoddam signum *ipsi tradit*, scilicet sui participationem, *perficiens eum* scilicet diuinum, *& communicantem diuinorum &c.* Patet ergo, quòd ipse per hoc signum nihil aliud intendit, quàm illud, quod facit eum participatiuum diuinarum operationum. Vnde hoc signum nihil aliud est, quàm quædam potentia, qua potest in actiones hierarchicas, quæ sunt ministrationes & receptiones Sacramentorum, & aliorum, quæ ad fideles pertinent. *Ex quo* character I Sacramentalis, est quædam participatio Sacerdotij Christi in fidelibus eius. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem: sed potestas Sacerdotij eius comparatur ad characterem, sicut id, quod est plenum, & perfectum, ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est æternum, secundùm illud Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: & inde est, quòd omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam Ecclesiæ vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundùm intellectiuam partem, in qua est fides: manifestum est, quòd sicut intellectus perpetuus est, & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima: *Et ita nedum in beatis, sed in damnatis quoque perpetuò manebit. In beatis quidem: quia* Ecclesiasticæ L hierarchiæ succedit cælestis; & ideò communionem fidelium in Ecclesia triumphante, & participationem actionum cælestis hierarchiæ character in Patria perficiet: & sic erit ad alios actus, sicut virtutes, & dona. *In damnatis* etiam manet: sed hoc est per accidens præter intentionem imprimentis characterem, quòd recipiens damnetur. Et ideò non est ibi ordinatus ad aliquem finem: quia quæ præter intentio-

Ordo characterem imprimit.

A 3.p.63.3.c. & a. 1.c. In 4. d. 4. 1. a.1. & 2. & d.7.2. 1.q.1.c.

Quid character.

B 3.p.l.c.a.4.c. & a. 2.c. & q.72.5.c.

C 3.p.63.2.c. In 4.d.4.1.4. q.3. & d.24.1. 1.q.2. ad 3.

Potentia actiua, & passiua.

D 4.d.7.2.1. q.1.c. & 3.p. 63.6.c.

Differentia inter characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis.

Adumbrata in veteri lege.

E In 4. l.c. ad 2.

F Ibid. in 1. arg. sed contra.

G Ibid. in 2. Arg. sed contra.

H 4.d.4. 1. 1.f.c. & a. 2. q. 1. c.

Potentia ad recipiendum spiritualia, vel ad tradendum: character est.

Prima characteris traditio à Dionysio.

I 3.p.63.5.c. & a. 2.3. 4. c. & ad 3. & q. 82.8.c. In 4.d. 4.1.3. Rom.7. l.1.

Character huiusmodi est quædam participatio Sacerdotij Christi.

Qui tamen characterem non habuit.

Hinc manet character indelebiliter in anima secundùm partem intellectiuã.

L In 4. d. 4. 1.3.q.4. ad 2.

Tam in beatis, quàm in damnatis; nec superfluet.

nem accidunt, carent ordine ad finem: Tamen Deus, qui nihil inordinatum relinquit, elicit ex hoc aliquod bonum, scilicet, quòd appareat iustior eorum damnatio, qui tantum munus neglexerunt. *Notent Ecclesiastici.*

M 4 d. 24. 2. 1 q 1 c.

Ordinis Sacramentum in plures distinguitur Ordines; & hoc propter tria.

P *Hocce verò Ordinis Sacramentum in plures distinguitur Ordines. Quæ quidem* Ordinum M multitudo inducta est in Ecclesia propter tria. *Primò* propter sapientiam Dei commendandam, quæ in distinctione ordinata rerum maximè relucet, tam in naturalibus, quàm in spiritualibus. Quod significabatur 3. *Reg.* 10. in eo, quòd Regina Saba videns *ordinem ministrantium* Salomoni (*ecce plusquam Salomon hic*, Mat. 12.) *non habebat vltra spiritum* in admiratione Sapientiæ ipsius. *Secundò* ad subueniendum humanæ infirmitati: quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina mysteria pertinebant, expleri sine magno grauamine; & ideò distinguuntur ordines diuersi ad diuersa officia. Et hoc patet per hoc, quòd Dominus *Num.* 11. dedit Moysi 70. senes populi in adiutorium. *Tertiò* vt via proficiendi hominibus amplior daretur, dum plures in diuersis officijs distribuuntur, vt omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est diuinius, vt *Dionysius* dicit de Eccl. hier. *Verumtamen hæc* Ordinum N distinctio non est totius integralis in partes, neque totius vniuersalis, sed totius potestatiui: cuius hæc est natura, quòd totum secundùm completam rationem est in vno: in alijs autem est aliqua participatio ipsius, Et ita est hic. Tota enim plenitudo huius Sacramenti est in vno ordine, scilicet Sacerdotio: sed in alijs est quædam participatio Ordinis. Et hoc significatum est in hoc, quòd Dominus dixit Moysi Nu. 11. cit. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Et ideò omnes ordines sunt vnum Sacramentum, *vnitate scilicet finis.* Quia verò O Sacerdotalis potestas (*ad quam cæterorum ordinum potestates ordinantur*) se extendit ad duo, scilicet ad corporis Christi consecrationem, & ad reddendum fideles idoneos per absolutionem à peccatis ad Eucharistiæ perceptionem: oportet, quòd inferiores ordines ei deseruiant, vel in vtroque, vel in altero tantùm. Et manifestum est, quòd tantò aliquis inter inferiores ordines superior est, quantò Sacerdotali Ordini deseruit in pluribus, vel in aliquo digniori. Infimi igitur Ordines deseruiunt *Sacerdotali Ordini*, solùm in populi præparatione. *Ostiarii* quidem arcendo infideles à cœtu fidelium. *Lectores* autem instruendo catechumenos de fidei rudimentis; vnde eis Scriptura veteris testamenti committitur legenda. *Exorcistæ* autem purgando eos, qui iam instructi sunt, si aliqualiter à dæmone impediantur à perceptione Sacramentorum. Superiores verò ordines Sacerdotali deseruiunt & in præparatione populi, & ad consummationem Sacramenti. Nam *Acolythi* habent ministerium super vasa non sacra, in quibus Sacramenti materia præparatur; vnde eis vrceoli in sua ordinatione traduntur. *Subdiaconi* autem habent ministerium super vasa sacra, & super dispositionem materiæ nondum consecratæ. *Diaconi* autem vlteriùs habent aliquod ministerium super materiam iam consecratam, prout Sanguinem Christi dispensant fidelibus. Deseruiunt etiam superiores ordines in præparatione populi; vnde & *Diaconibus* committitur Euangelica doctrina populo tradenda: *Subdiaconibus* Apostolica: *Acolythis*, vt circa vtrumque exhibeant quod pertinet ad solemnitatem doctrinæ, vt scilicet luminaria deferant, & alia huiusmodi administrent. *Et hoc quidem Ordinis Sacramentum non dum, vt fide tenemus, Christus instituit; sed & per semetipsum singulorum actus Ordinum personaliter exercuisse videtur, vt tradit* Portecta noster P. *Actum quidem* Ostiariatus, *quando funiculis eiecit de Templo venditores & emptores, Io.* 2. Lectoratus *verò, quando in synagoga Capharnaum accipiens Librum legit*: Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me &c. *Luc.* 4. Exorcistatus *autem, quando plures à dæmonibus liberauit, vt pluries legitur.* Acolythatus *autem quando dixit*: Ego sum lux Mundi, *Io.* 8 Subdiaconatus *quoque, quando misit aquam in peluim, & accepto linteo præcinxit se, pedes lauans discipulorum, Io.* 13. Diaconatus *postea, quando dispensauit Eucharistiam, dicens*: Accipite & comedite &c. *Matth.* 26. Sacerdotis *tandem, quando consecrauit Eucharistiam, dicens*: Hoc est corpus meum; & Hic est sanguis meus, *Matth.* 26. *Cæterùm* in cultu Q diuino quædam sunt, quæ per potentias determinatas sunt exercenda: & ad hoc datur spiritualis potestas Ordinis. Quædam autem sunt, quæ communiter à toto Ministrorum Collegio fiunt, sicut dicere diuinas laudes: & ad hoc non præexigitur aliqua potestas Ordinis, sed solùm quædam deputatio ad tale officium; & hoc fit per coronam (*quam primam tonsuram vocant*:) & ideò corona non est ordo, sed præambulum ad ordinem. *Et quamuis* per coronam R non imprimatur character: tamen per eam deputatur homo ad diuinum cultum. Et ideò talis deputatio debet fieri per summum ministrorum, scilicet Episcopum, qui etiam vestes benedicit, & vasa, & omnia, quæ ad cultum diuinum applicantur. *Et quidem* eis S qui ad diuina ministeria applicantur, competit tonsura, & rasura in modum coronæ, & ratione figuræ, quia corona est signum Regni: & perfectionis, cum sit circularis. Illi autem, qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obuoluantur.

N Ibid. ad 2. & 4. con. G. c. 74.

Talis distinctio non est totius integralis, nec Vniuersalis, sed potestatiui.

O 4 con. G. c. 75. In 4. d. 24. 2 1 q. 2 c. & exp. te. c. fin.

Sacerdotalis potestas ad duo se extendit.

Septem ordinum conuenientia.

P Supplem. 3. p. Q. 37. ad a. 2.

Singulorum actus ordinum Christus institutor exercuit.

Q 4. d. 24. 3. 1. q. 1.

R Ibid. ad 2.

Prima Tonsura non est Ordo, sed præambulum ad ipsum.

S 4. d. 24. 3 1 q 1 c.

Conuenit eis, qui ad diuina ministeria applicantur.

q *Porrò præfatorum ordinum tres tantummodò sacri dicuntur, & maiores: non quod cæteri minores sacrum quid non sint; sed quia illi sunt Sacramento Eucharistia propinquiores.* Ex quo Ordo dicitur Sacer dupliciter. Vno modo secundùm se: & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam. Alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum: & sic ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et ita sunt tantùm tres Ordines Sacri: scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa corpus Christi, & Sanguinem consecratum; & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata. Et ideò etiam eis continentia indicitur, vt sancti, & mundi sint, qui sancta tractant. (*Aduertant sacri ministri.*) *Hoc verò inter sacros ordines, & minores intercedit discrimen, quod minorum actus* licitè T & ab alijs fieri possunt, sed non ex officio, quamuis illi non habeant ad hoc, officium: sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa, quamuis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, vt in ea Missa dicatur. *Non ita maiorum actus; quamuis Subdiaconi munus, quod non ita proximi circa Sacramentum Eucharistia*

Cur & ordinibus tres sacri dicantur, non cæteri, cum quilibet Sacramentū sit.

Continentia sacris ordinibus adnexa.

T 4. d. 24. 2. 1. q. 3. c. & 4. con. G. c. 75.

charistia versetur, sine stola exercere, & ad Subdiaconatum permittatur non ordinatus. Circa Ordinum autem ministerium (sacrorum præsertim) illud notandum, quòd lex V præcipit, vt homo iustè ea, quæ sunt iusta, exequatur; & ideò quicumque quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod iustum est, iniustè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod Sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat; vnde patet, quòd mortaliter peccat. Sanctitas *præterea* requiritur X in susceptione Ordinis, vt sit idoneus ad exequendum; sed peccat mortaliter qui cum peccato mortali ad ordines accedit: ergo multò fortiùs peccat mortaliter in qualibet executione sui ordinis. *In singulis porrò ordinibus, tam maioribus, quàm minoribus, imprimitur ex præfatis character*, cum quilibet ordo, *vt vidimus*, verum sit Sacramentum. *Et ratio adducitur*: quia per quemlibet Y ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis, ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem: vnde cum character sit signum distinctiuum ab alijs, oportet, quòd in omnibus character imprimatur. *Nec præfato ordinum numero aduersum est, quòd Apostolus* 1. Tim. 3. *nonnisi Episcopos nominat, & Diaconos*: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. Diaconos similiter &c. *Vbi Author*: Cum Z secundùm *Dionysium* tres sint ordines, scilicet Episcoporum, qui perficiunt; præsbyterorum qui illuminant; Diaconorum, qui purgant: quare Apostolus non facit mentionem de præsbyteris? *Et respondet, quòd* præsbyteri intelliguntur cum Episcopis: non quòd sit indistinctio inter ordines quantùm ad rem, sed quantùm ad nomina. Et ideò Præsbyteri & Episcopi, quantùm ad nomen vocabantur & Episcopi, & Præsbyteri. *Vnde & cap. 5. idem Apostolus inquit*: Qui benè præsunt præsbyteri &c. *idest Episcopi, quorum est præesse. Tres autem dumtaxat ordines* Dionysius *recenset: quia* in primitiua A Ecclesia solùm erant tres ordines, scilicet Episcoporum, præsbyterorum, & ministrorum: & non diuidebantur per diuersos gradus. *Verùm* propter paucitatem B ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur (*vnde* & Diaconi C in græco idem est, quod *ministri*) vt patet per *Dionysium cap. 3. Eccl. Hier.* Nihilominùs erant omnes potestates, sed implicitè, in vna diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus diuinus: & Ecclesia, quod implicitè habebat in vno ordine, explicitè tradidit in diuersis. Et secundùm hoc Magister dicit, quòd Ecclesia alios ordines sibi instituit. *Porrò* sicut gratia D gratum faciens est necessaria ad hoc, quòd homo dignè recipiat sacramenta: ita etiam ad hoc quòd homo dignè dispenset. Et ideò sicut in baptismo, per quem homo fit susceptiuus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens: ita in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem. *Immò in ordinandis* præexigitur *quidem* gratia E quæ sufficiebat ad hoc, quòd dignè connumerarentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei: (*quod aiebat initio Author*:) *& consequenter* in quolibet F ordine omnia dona Spiritus Sancti dantur.

¶ *Quoniam verò, vt præmissum est*, hoc G Sacramentum principaliter consistit in potestate tradita: potestas autem à potestate traducitur; sicut simile ex simili: & iterum potestas per vsum innotescit, quia potentiæ notificantur per actus: Ideò in forma Ordinis exprimitur vsus Ordinis per actum, qui imperatur, & exprimitur traductio potestatis per imperatiuum modum, *vt cum dicit Ordinator*: Accipe potestatem &c. (*Duplex tamen potestas consideranda est in ordinato, quoad vsum clauium præsertim: nam* ad absolutionem H à peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & iurisdictionis. Prima est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda: *quæ immò post ordinationem suspensa intelligitur, nisi à superiori potestate relaxetur: neque enim Sacerdos quis ordinatus valet suam exercere potestatem, nisi subditos habeat, in quos eam exerceat: & hi à superiori potestate sunt ei subiiciendi.*) Adhibetur præterea, in collatione huius Sacramenti *benedictio, manuum impositio, & vnctio*. Per benedictionem I diuinis obsequijs mancipantur, & ideò benedictio omnibus datur. Per manus impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sint idonei: & ita solis Diaconis, & Sacerdotibus fit manus impositio, quia eis competit dispensatio Sacramentorum; quamuis vni, vt principali, & alteri, sicut ministro. Sed vnctione ad aliquod Sacramentum tractandum consecrantur: & ideò vnctio solis Sacerdotibus fit, qui proprijs manibus Corpus Christi tangunt; sicut etiam calix inungitur, qui continet sanguinem, & patena, quæ continet corpus. *Verùm* in impositione L manuum non datur character Sacerdotalis ordinis; sed gratia (*vt dictum est*:) & quia indigent amplissima gratia, ideò Sacerdotes cum Episcopo manus imponunt eis, qui in Sacerdotes promouentur: sed diaconis solus Episcopus. *Quod autem spectat ad materiam huius Sacramẽti, sciendum, quòd* efficacia M huius Sacramenti principaliter residet penes eum, qui Sacramentum dispensat. Materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem, quæ traditur particulariter ab habente eam completè, quàm ad potestatem causandum: quod patet ex hoc, quòd materia competit vsui potestatis. *Eapropter*, quia N Potestas ordinis non accipitur à materia, sed à ministro principaliter: ideò porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quàm tactus. Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti; quia dicitur: Accipe hoc, vel illud: *& ita vtrumque requiritur. Est autem materia singulorum ordinum sensibile illud, circa quod est vsus potestatis, quæ ordinandis in quolibet ordine traditur. Plura verò sunt impedimenta ad ordinis Sacramentum suscipiendum. Sciendum idcircò quòd aliqua exiguntur ad ordinem; vel de necessitate Sacramenti, vt sexus virilis: vel de necessitate præcepti Ecclesiæ, vt esse liberum, non homicidam, non malæ famæ, non publicè pœnitentem, non illegitimum, non rationis vsus expertem quoad ordines sacros, siue maiores: vel de honestate, vt ætas quoad minores, & huiusmodi, sine quibus vel inualidè, vel illicitè potest quis promoueri. At de his, alijsque pluribus, Vide* O. *& apud Summistas.*

¶ *Porrò illud præ cæteris minimè prætereundum, quòd* cum P in quolibet ordine aliquis constituatur dux alijs in rebus diuinis, in quolibet quasi præsumptuosus mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordinem accedit: & ideò sanctitas vitæ requiritur ad ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti. Vnde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato. *Sanctitas itaquam vitæ requiritur: nam* ad idoneam

V 4.d.24.1. 3.q.5.c.
Exercens actum Ordinis in peccato mortali, an mortaliter peccet.
X In 4.l.c. in 2. & 1. sed contra, & 3. p.64. 6.c. & ad 1.
Y In 4.l.c.a. 2.q.2.f.c.
In singulis ordinibus imprimitur character.
Z 1.Tim.3.l.1 initio, & l.2. ibi, Diaconos & cap.4. l.3. ibi, manuum & cap.5. l.3. ibi præsbyteri Tit.1.l.2. & 2.2.184.6.ad 1.
Nomine præsbyterorum in primitiua Ecclesia veniebant & Episcopi.
A 1.Tim.3. l.2.ibi, Diaconos. Phil.1.l. 1.ibi, cum Episcopis.
Et tunc propter paucitatem ministrorum tres tantùm in Ecclesia erant ordines, scilicet.
B 4.d.24.2. 1.q.2. & ad 2. & ad Tim. l.c.
Episcoporum presbyterorũ, & diaconorum, siue ministrorum.
C Ad Tim. l.c.
D 4.d.24.1. 2.q.1.c. & 4. con G. c.74.
In Sacramento Ordinis ne dum gratia confertur, sed amplius gratiæ munus, & omnia Spiritus sancti dona.
E Ibidem ad 3.
F In 4.d.24. exp.tex.
G In 4.d.24. 1.1.q.4.c.
Ordinis forma, quæ.

H 4.d.19.1. 3.q.1 ad 1. & q.3.ad 3.
Duplex potestas, Ordinis, & iurisdictionis.
I Ibid.q.2.3.c.
Cur ordinandis omnibus detur benedictio: manuum impositio Diaconis, & Sacerdotibus: vnctio solis Sacerdotibus fiat.
L 4.d.25.1. 1.ad 2.
Cur diaconis in ordinatione solus Episcopus: Sacerdotibus verò & alij cum Episcopo Sacerdotes manus imponat.
M 4.d.24.1. 1.q.5.f.c.
N Ibid. ad 3.
Ordinis materia.
Impedimentum ad ordines, licitè, & validè suscipiendos multiplex.
O 4.d.25.4. 2. & exp. tex. & d.37.q.1.
Suscipiens Ordinem in peccato mortali mortaliter peccat, sed ordinem habet.
P 4.d.24.1. 1.q.1.f.c.

Q Ibid a. 2. q. 1. ad 3.

Non qualiscumque bonitas, sed excellens in suscipiente requiritur:

Et iuxta gradum Ordinis literatura.

Q executionem Ordinum non sufficit bonitas quantacumque, sed requiritur bonitas excellens (*nota*) vt sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita & superiores sint merito sanctitatis. *Talis præterea exigitur literatura, qualis muneri conuenit, quod suscipitur: quod & cautum est* in Trid. sess. 23. de ref. cap. 5. & 7. *Ordinis siquidem Sacramentum* dicitur R contra ignorantiam dari: non quòd per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente; sed quia suscipiens Ordinem præficitur ad pellendum ignorantiam in plebe; *ad quod præstandum, non doctum solummodò, sed & doctorem esse oportet*; & sic S contra ignorantiam ordo datur, vt scilicet ordinati, sint docti, & etiam doctores aliorum. *Episcoporum verò est, Ordinis Sacramentum conferre.* Cum *enim* Episcopi T in Ecclesiastica hierarchia teneant supremum locum (Episcopus *quippe* est V nomen græcum: scopos enim idem est, quod *intendens*, & Epi idest *super*; Episcopus ergo dicitur quasi super intendens;) illud, quod est vltimum in actionibus hierarchicis, eis reseruandum fuit. Et quia perficere aliquem hoc modo, quòd sit supra communem statum aliorum, est supremum in actionibus hierarchicis: ideò Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quibus hoc efficitur, solis Episcopis dispensanda reseruantur. *Sanè* Sacerdos X repræsentat Christum in hoc, quòd per se ipsum aliquod ministerium impleuit: sed Episcopus in hoc, quod alios ministros instituit, & Ecc etiam fundauit. Vnde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid diuinis obsequijs, quasi cultum diuinum ad similitudinem Christi statuens. Et per hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut Christus: *in cuius signum, annulum in digito defert. Videant idcircò Sacri Antistites, quos & quales ad sacros præsertim ordines promoueant: nam à* Domino Y describitur fidelis, qui est seruus constitutus super familiam, vt det illis tritici mensuram: & ideò infidelitatis reus est, qui aliter supra mensuram eius diuina tradit. Hoc autem facit quicumque indignum promouet; & ideò mortale crimen committit; quasi summo Domino infidelis: & præcipuè, cum hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat, & honoris diuini, qui per bonos ministros promouetur. Esset enim infidelis domino terreno, qui in eius officio aliquos inutiles poneret; *ad sacrum quantò magis ministerium? Profectò quæcumque scandala in Ecclesiasticis quotidie cernimus, Episcopis promouentibus imputantur. Et ideò* 1. ad Tim. 5. *scribebat Apostolus*: Manus citò nemini imposueris: *hoc est*, non debes Z citò promouere, idest ordinare, de facili ad sacros Ordines. *Et priùs* 1. *ad eundem Tim.* 3. *de Ecclesiasticis ministris loquens*: Et hi *inquit* probentur primò; deinde ministrent, nullum crimen habentes. *Vbi & bonitatem vitæ requisitam includit, & literarum sufficientiam.* Probentur *inquam* idest A examinarentur. Posset enim aliquis dicere: *Puto omnes bonos* (hoc enim debet esse in sua reputatione) sed quantùm ad eorum promotionem, omnes sunt examinandi. Alioquin hoc esset derogare clauibus Ecclesiæ.

R Ibid ad 1.

Ideò dicitur Ordo contra ignorantiam dari, & quo sensu.

S 4. d. 4. 2. 2. q. 3. ad 2.

T 4. d. 7. 3. 1. q. 2. & 3. c. & d. 25. [illegible]

V [illegible]

Ab Episcopo confertur.

X 4. d. 24. 3. 2. q. 1. ad 3. &

In quo Episcopum Christum expressiùs, quàm Sacerdos, repræsentet.

Y 4. d. 24. 1. 3. q. 4.

Videant Episcopi, quos & quales ad ordinem promoueant.

Z 1. Tim. 5. l. 3. ibi.

Promouendos strictè examinent, & de vitæ bonitate inquirant.

A 1. Tim. 3. l. 2. ibi.

t *Quoniam verò* Dionysius *tres distinctos Ordines ponit, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, siue ministrorum, vt præmissum est, potest rationabiliter in dubium reuocari, num Episcopatus sit Ordo? Pro quo illud in primis sciendum, quòd* dicere B presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæreticanumerat Augustinus *in lib. de Hæres.* vbi dicit, quòd Africani dicebant, præsbyterum ab Episcopo nulla differentia debere decerni. *Quem quidem errorem cæca suscitauit ambitio. Nam ex illo Apostoli*: Vt constituas per ciuitates præsbyteros &c. *ad Tit.* 1. sumpsit C occasionem hæreticus, qui ambiuit Episcopatum; quem quia non poterat adipisci, diuisit se ab alijs, & multa falsa docuit; inter quæ dixit, quòd Episcopi in nullo differunt à Sacerdotibus: quod est contra *Dionysium* in lib. de Eccles. hier. *Nec tamen distinguitur Episcopus à Sacerdote per ordinem à presbyteratu distinctum, vt est Sacramentum.* Ordo *enim* potest D dupliciter accipi. *Vno modo* secundùm quod est Sacramentum; & sic ordinatur omnis ordo ad Eucharistiæ Sacramentum. Vnde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantùm ad hoc, non erit Episcopatus Ordo. *Alio modo* potest considerari Ordo, secundùm quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum: & sic, cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit Ordo. *Et secundùm hoc loquitur authoritas* Dionysij, *qui ponit Episcopatum ordinem. Et ita*, quamuis E Episcopus non habeat aliquem ordinem supra Sacerdotem, secundùm quod ordines distinguuntur per actus relatos ad corpus Domini verum: tamen habet aliquem ordinem supra Sacerdotem secundùm quod ordines distinguuntur per actus supra corpus mysticum. Vnde & cum quadam consecratione dignitas Episcopalis confertur. *Igitur in* promotione F Episcopi datur sibi potestas, quæ perpetuò manet in eo; (*semel enim Episcopus, semper Episcopus*:) Quamuis dici non possit character: & tamen indelebiliter manet sicut character, quia per consecrationem datur. *At verò, cum Archiepiscopatus maior dignitas Episcopatu sit, summusque multò maior Pontificatus, quomodo Episcopus Archiepiscopum consecrat, immò Episcopus Hostiensis & Papam? Respondet Author, quòd* nec Episcopus G consecrat Papam, nec suffraganei Archiepiscopum; sed hunc hominem, vt sit Papa, vel Archiepiscopus. Item facit hoc, vt Minister Dei, qui maior est, quàm Papa. *Demum, non ideò, quòd Episcopus ordinem confert, eadem potest ipsum tollere potestate. Nam* character H quia cum quadam consecratione datur, indelebilis est, sicut & quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti nec reiterari possunt: vnde nec potestas consecrandi per degradationem amittitur. *Et ratio adducitur: quia* Episcopus I non dat potestatem Sacerdotalis ordinis propria virtute, sed instrumentaliter, sicut minister Dei, cuius effectus per hominem tolli non potest: Et ideò Episcopus non potest hanc potestatem auferre: sicut nec ille, qui baptizat, potest auferre characterem baptismalem. *Ex his omnibus deducitur, quantum sibi ad Ordinis Sacramentum promouendi cauere debeant; & promotores.* DISCE *in susceptis Ordinibus non inordinatè ministrare. Vide fusiùs V.* Clericus *Tom.* 1. Ecclesia, Episcopus *Tom.* 2. Missa, Sacerdos; Sacramentum.

B 2. 2. 184. 6. ad 1 & in ad Tit. 1. l. 2. ibi, presbyteros.

Episcopum à præsbytero non differre, hæresis est ex Augustino.

C Ad Tit. loc. cit.

Num Episcopatus sit ordo.

D 4. d. 24. 3. 2. q. 2. c. & ad 2 & d. 25. 1. 3. q. 3. ad 1. & 3. p. 67. 2. ad 2. & q. 82. 1. ad 4. & 4. con. G. c. 76. Quol. 11. a. 7.

Ordo dupliciter sumitur, & in ordine ad corpus Christi verũ, & ad mysticum.

E 4. d. 7. 3. 1. q. 2. ad 3. & d. 24. 3. 2. q. 2. ad 2.

Semel Episcopus; semper Episcopus.

F 4. d. 25. 1. 2. ad 2. & d. 24. 3. 2. q. 2. ad 2.

Quomodo Episcopus Archiepiscopum consecret & Papam, cum sit eis inferior.

G Hebr. 7. l. 2. ibi, quod minus.

H 3 p. 82. 8. c. & q. 63. 5. In 4. d. 4. 1. 3. q. 4. & d. 13. 1. 1. q. 4.

Cur Episcopus quam confert potestatem tollere nequeat.

I 3. p. 82. 8. ad 2. In 4. d. 13. 1. ad 2.

ORNA-

ORNATVS. *Vide* Cultus exterior *Tom. I.*

ECCLESIA. *Vide Tom. II.* Missa.

P

PAPA.

I. Papa vtriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & secularis: & hoc illo disponente, qui est Sacerdos, & Rex in æternum secundùm ordinem Melchisedech, Rex Regum, & Dominus Dominantium. *In 2. d. 44. exp. tex. fin.*

a S*Vpremus Sanctæ Ecclesiæ Hierarcha, Sacerdos Dei summus, & Pontifex, Christi Dei, & Domini Nostri in terris Ministrorum primarius, cuius quòd vices gerit & Vicarius dicitur* (Vicarius autem facit L idem consistorium cum Episcopo, *secundùm glossam in Cle.* Etsi principalis, *de Rescr.*) *communi vocabulo* PAPA *à fidelibus nuncupatur. Pro quo ferendum* ex Thoma Illyrico de potest. Sum. Pont. *quòd hoc nomen* Papa *idem sonat, ac* Pater Patrum, *scilicet Episcoporum, qui passim* (*apud Concilia præsertim*) Patres *appellantur. Nec non præterea eandem Papa nomenclaturam posse à* Papæ, *interiectione admirantis, deriuari: ex quo admirabiles sanctitate, ac doctrina viros,* Papas *dictos fuisse, & Sanctos Patres: ex inde,* Eusebio Cæsariensi *referente, Nicænam Synodum decreuisse, vt sicut Romanorum Rex præ cæteris appellatur* Augustus: *Ita Rom. Pontifex præ cæteris Episcopis* Papa *diceretur. Sed & ab Authore* (*ex Hieronymo & Augustino*) Papa M idest Pater, dicitur. *In Amaltheo Onomastico:* Papa, idest Pater, venerationis gratia: *Ex Calepino tandem* a Papa, nomen venerationis à Syracusijs tractum. *Et benè Pater, & Sanctissimus* Pater *à fidelibus dicitur, seu qui Christum repræsentat, & cui suas legauit vices idem Christus Dominus, Pater noster, Is. 63.* Tu Domine, Pater noster. *Et quòd de Christo intelligatur, immediatè subiicitur:* Redemptor noster; *de quo pariter dicitur:* Tu Solus Sanctus. *Papa autem, siue Pontifex Summus,* in totam N Ecclesiam Christi vniuersalem prælationem obtinet. Legitur enim in Chalcedonensi Concilio, quòd tota Synodus clamauit Leoni Papæ: *Leo Sanctissimus Apostolicus, & Oecumenicus* (idest vniuersalis) *Patriarcha per multos annos viuat.* Et Chrysostomus super Act. Apost. *Petrus à Filio super omnes, qui filii sunt, potestatem accepit, non vt Moyses in gente vna, sed in vniuerso Orbe.* Hoc etiam trahitur ex authoritate Sac. Scripturæ: nam Io. 10. dicitur: *Vt sit vnum ouile, & vnus Pastor.* Et cap. 21. Petro indistinctè oues suas Christus commisit, dicens: *Pasce oues meas*; idest O loco mei. Quasi diceret (*ex Chrysostomo*) Præpositus, & Caput esto fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment. *Et ratio adducitur. Nam* vbicumque P sunt multa regimina ordinata in vnum, oportet esse aliquod vniuersale regimen supra particularia regimina; quia in omnibus virtutibus, & artibus (vt dicitur in 1. *Ethic.*) est ordo secundùm ordinem finium. Bonum autem commune diuinius est, quàm bonum speciale: & ideò super potestatem regitiuam, quæ coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitiuam vniuersalem respectu boni communis; aliàs non posset esse colligatio ad vnum. Et ideò, cum tota Ecclesia sit vnum corpus, oportet, si ista vnitas debet conseruari, quòd sit aliqua potestas regitiua respectu totius Ecclesiæ supra potestatem Episcopalem, qua vnaquæque specialis Ecclesia regitur: & hæc est potestas Papæ. Et ideò, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi diuisores Ecclesiasticæ vnitatis: *Schisma enim diuisio est. Ex quo deducitur, quòd* subesse Q Romano Pontifici, est de necessitate salutis. Dicit enim Maximus *in Ep. Orientalibus directa:* Coadunatam, & fundatam super petram Confessionis Petri dicimus vniuersalem Ecclesiam, secundùm diffinitionem Saluatoris, in qua necessariò salutis animarum nostrarum est remanere, & ei est obedire, suam seruantes fidem, & confessionem. *Enimverò qui ab obedientia recedit Romani Pontificis, Christianus dici non potest. Petro siquidem dictum est à Domino Io. 21.* Pasce Agnos meos, *scilicet* à me R Agno (*Ecce Agnus Dei,* Io. 1.) agnos vocatos, vt sic non possit dici Christianus qui dicit, se non esse sub cura istius Pastoris, scilicet Petri, Ezech. 37. *Pastor vnus erit omnium eorum,* Et Ose 1. *Ponent sibimet caput vnum.* Caput *inquam* vnum. *Hinc ad illud Apostoli 1. Tim. 3.* Vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, *subiicit Author*: Qui sunt S in Collegio Domus, reguntur ab uno, qui vocatur Pater familias. *Sic Ecclesia ab vno Pontifice Summo.* Si quis T autem (*subdit alibi Author*) dicat, quòd vnum Caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus vnius Ecclesiæ Sponsus: non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quòd omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est, qui baptizat; ipse est, qui peccata remittit; ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur. Et tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit Ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, vt alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est, quòd Petro dixit ante ascensionem: *Pasce oues meas Io. 21.* & ante passionem: *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22.* & ei soli promisit: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. Mat. 16.* vt ostenderetur potestas clauium, per eum ad alios deriuanda, ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. *Ea verò est Summi Pontificis in totam Ecclesiam potestas, quòd* sicut se V habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam: sic etiam se habet potestas Papæ ad omnem spiritualem potestatem in Ecclesia; quia ab ipso Papa gradus dignitatum diuersi in Ecclesia & dispo-

L Silu. V. Vicarius, n. 4.

Papa nomen vnde & quid significet.

Ex Nycænæ Synodi decreto Summus Pontifex *Papa* nuncupatus

M Op 19. c. 2. post med.

N Op. 1. c. 65.

Eius potestas in totâ Christi Ecclesiam vniuersalem.

O 4. d. 24. 3. 2. q. 3. ad 1.

Vnius Pontificis summi totam Ecclesiam regentis necessitas.

P In 4. l. c. in corp.

Schismatici qui, & vnde dicantur.

Q Op. 1. c. 68. §. 3. fin.

Necessarium ad salutem Romano subesse Pontifici; aliàs Christianus quis dici non potest.

R Io. 21. l. 3. lit. c.

Præter Christum, inuisibile Ecclesiæ Caput, requiritur & caput visibile.

S Eph. 2. l. 6. sub initio.

T 4. con. G. cap. 76. n. 4. & cap. 74.

V 2. d. 44. exp. t. in corp. Dur. In 4 d. 24. 3. 2. q 3. c. & c. 7. 3. 1. q. 3. c. & 2. 2. 89. 9. ad 3. & 3 p. 72. 11. ad 1. Quol. 4. a. 13. initio c & fine Op. 20. l. 3. c. 10.

Pontificalis dignitas super omnes dignitates.

disponuntur, & ordinantur. Vnde eius potestas est quoddam Ecclesiæ fundamentum, vt patet *Mat. 16. Igitur super omnes Ecclesiæ dignitates Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & huiusmodi, Summi Pontificis præminet dignitas, & potestas, vti suprema. Vnde & docemur, quod* Papa X habet plenitudinem pontificalis Potestatis, quasi Rex in Regno: sed Episcopi assumuntur in partem solicitudinis, quasi Iudices singulis Ciuitatibus Præpositi; propter quod etiam solos eos in suis literis *fratres* vocat: reliquos autem omnes vocat *filios*.

X 4.d.20.1.4. q.3.c.& 2.Cor. 1.l.1.ibi,frater

Cur Episcopi *Fratres* à Pontifice vocentur.

b *Et hoc significari videtur* Num. 11. *vbi legitur ad Moysen dixisse Dominus*: Congrega mihi 70. viros de senibus Israel, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. *Clariùs autem exprimitur dignitas Papæ, & authoritas in veteris legis Pontifice: Episcopi verò per Principes Sacerdotum, qui & ipsi subdebantur Pontifici, significantur. Ea autem erat Iudæorum Pontificis authoritas iniis decernendis, quæ ad diuinum spectabant cultum, vt in legis ambiguis, solius Pontificis decreto, Deo ita mandante, standum esset.* Vnde *ad illud Deut. 17.* Si difficile, & ambiguum &c. *docemur, lege statutum esse*, vt omnes Y recurrerent ad locum principalem à Deo electum, in quo Summus Sacerdos esset, qui determinaret dubia circa cæremonias diuini cultus. *Cui cohæret quod legitur 2. Paral. 19.* Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit. *Nec mirùm, à populo Dei tantùm summo tunc Pontifici deferretur, cum & Gentilium Pontifex à populo Romano in eo haberetur honore, vt in notis Io. Isaaci Pontani ad L. Flor. lib. 1. cap. 2. legatur*: Pontifices de cæremoniis, ac religione cognoscebant: Leges ferebant de Sacris, quæ non erant scripta, aut moribus populi Romani recepta: Sacerdotes examinabant: ipsi nulli iudicio, nullique mulctæ erant obnoxij; neque senatui, neque populo, dictorum, factorumque rationes reddebant. *Quantò magis suprema, & vniuersali in tota Christi Ecclesia credendus est authoritate fulgere Romanus Pontifex, in quo verum, non vmbratile, Christi Domini sacerdotium locatum est? Ex quo in Ecclesia Christum Dominum, cuius vices obit, specialiùs repræsentat Pontifex Summus; Episcopi verò Apostolos eius*: Quorum Z personas (*inquit Author*) gerunt Episcopi, sicut discipulorum locum sacerdotes tenent.

Papa in Pontifice Iudæorum figuratus in Principibus Sacerdotum Episcopi.

Y 1.2.105.2. ad 7.

Pontifices Gentiliū quali honore, & priuilegio decorati apud Romanos.

Z Phil. 1 l.1. ibi, Episcopis. Eph. 4.l.4.ibi, Doctores. 2. Cor. 1. l. 1. initio.

c *Hæc porrò spiritualis potestas exprimitur per claues.* In corporalibus *enim* dicitur clauis A instrumentum, quo ostium aperitur. Regni autem ostium nobis clauditur per peccatum, & quantùm ad maculam, & quantùm ad reatum pœnæ: & ideò potestas, qua tale obstaculum Regni remouetur, dicitur clauis. *Verùm* idem est B clauis Inferni, & Cæli; quia ex hoc ipso, quòd alicui aperitur vnum, clauditur alterum; sed denominatur à digniori, *cum dictum est Petro Mat. 16.* Tibi dabo claues Regni Cælorum. *Dicuntur autem in plurali* Claues: *quia duplex clauis distinguitur. Nam* ad iudiciariam C potestatem duo requiruntur; scilicet authoritas cognoscendi de culpa, & potestas absoluendi, vel condemnandi. Et hæc duo dicuntur duæ claues Ecclesiæ; scilicet scientia discernendi, & potentia ligandi, & soluendi, quas Dominus Petro commisit Mat. 16. cit. *Tibi dabo claues &c.* Non autem sic intelligitur Petro commisisse, vt ipse solus haberet: sed vt per eum deriuarentur ad alios (*tanquam ab Ecclesiæ Capite*) aliàs non esset sufficienter fidelium saluti prouisum. *Vel duplicem clauem, dic potestatem Ordinis, & iurisdictionis; vtraque enim ad absolutionem exigitur.* Prima *autem* potestas D est æqualiter in omnibus Sacerdotibus; non autem secunda. Et ideo vbi Dominus *Io. 20.* dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata; *Quorum remiseritis peccata &c.* intelligitur de potestate, quæ consequitur Ordinem; vnde & Sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata Mat. 16. *Quodcumque ligaueris &c.* Vt intelligatur, quòd ipse præ alijs habet potestatem iurisdictionis. *De clauibus vide suprà* E. *Caterùm in verbis Domini ad Petrum*: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. *Mat. 16.* Quatuor F ponuntur clausulæ, omnes significatiuæ Dominij Petri suorumque successorum super omnes fideles, & propter quas meritò Summus Pontifex, Romanus Episcopus, dici potest Rex, & Sacerdos. Si enim Dominus N.I.C. sic appellatur, non videtur incongruum, suum sic vocare successorem. Quarum prima sumitur ex nominis impositi magnitudine, cum Dominus dicit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus.* In hoc enim nomine *ex Hilario, & Augustino* Dominus potentiam Petri insinuat, quia à *Petra*, quæ est Christus, vt dicit Apostolus, cuius confessionem præmiserat, *Petrus* est appellatus, vt secundùm etiam quandam participationem nomen acquirat, & potestatem, & audire mereatur: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quasi totum dominium inter fideles ex Petro dependeat in eius successores. *Secunda* verò clausula, dominij importat fortitudinem: *Et portæ Inferi non prævalebunt aduersùs eam.* Quæ sunt curiæ tyrannorum, & persecutores Ecclesiæ, vt Sacri D.D. tradunt: sic dictæ, quia sunt causa omnium peccatorum intra Ecclesiam militantem; ad tales enim Principes omnes scelerati recurrunt. Sed tales *non præualuerunt aduersùs Ecclesiam Romanam*: immò omnes mala morte extirpati sunt, quia vt dicitur Sap. 3. *Nationis iniquæ diræ sunt consummationes.* Dominij verò amplitudo ostenditur, cum subiungit Dominus: *Et tibi dabo claues Regni Cælorum.* In hoc enim insinuatur nobis potestas Petri, & successorum suorum, quæ se extendit ad totam Ecclesiam, scilicet militantem, & triumphantem, quæ per Regnum Cælorum designantur, & quæ clauduntur clauibus Petri. *Sed* dominij plenitudo ostenditur, cum vltimò dicitur: *Et quodcumque ligaueris &c. & quodcumque solueris &c.* Cum enim summus Pontifex sit Caput in corpore mystico omnium fidelium Christi, & à Capite fit omnis motus, & sensus in corpore vero: sic erit in proposito. Propter quod oportet dicere, in summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum: quia ipse solus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum, vt competat sibi quod de primo Principe & Domino dicimus: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, vt habetur Io. 1. *Reges proinde omnes, cunctique in vniuerso Domini temporales, vni Pontifici summo (quippe qui Christi Domini Nostri, Supremi Regis, & Sacerdotis personam exhibet, & potestatem) christiana pietate subduntur.* Sicut *enim* illa G quæ pertinent ad Dei cultum, excedunt temporalia: ita dignitas Pontificalis excedit omnes alias dignitates. *Nec mirum*: quia *enim* Sacerdotium H Gentilium, & totus diuinorum cultus, erat propter temporalia bona conquirenda,

Christum Papa repræsentat, & Episcopi Apostolos, quibus succedunt in Ecclesia.

Cur spiritualis hæc potestas dicatur clauis.

A 4.d. 18. 1. 1.q. 1. initio c.
B Ibid. ad 3.
C 4.con. G.c. 72. & 76. In 4. d.18.2. 2. q.1. ad 1.

Quid duplex clauis.

Spiritualis duplex potestas, ordinis scilicet, & iurisdictionis.

D 4.d. 19. 1. 3.q.1. ad 1. & d.24.3.2.q.3. ad 1.

E 4.d.18. q. 1. & d.19.q.1.

Vtraque Petro data est singulariter, alis Apostolis prima tantùm, cum Sacerdotes instituti sunt.

F Op 20.l.3. cap. 10.

Pontificis summi plenè exponitur authoritas, & potestas.

Summus Pontifex, Rex, & Sacerdos, cuius dignitas omnes excellit dignitates.

G Hebr. 5.l.1. ibi, constituitur.

H Op. 20.l.1. c.14. & l.2. cap. 16. & l.3. cap. 10.

Sacerdotium nouæ legis altius, quàm Gentilium, & Iudæorum: vnde Summo Pontifici & Reges subdũtur; illorum autem summi Sacerdotes Regibus subdebantur.

Roma populi Christiani princeps sedes.

I 3.p 35.7.ad 3.Is.26.ibi, & Rom.1.l.4.ibi, & vos.

tenda, quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cuius Regi cura incumbit: conuenienter sacerdotes Gentilium Regibus subdebantur. Sed & quia in veteri lege promittebantur bona terrena, non à dæmonibus, sed à Deo vero, religioso populo exhibenda: inde & in lege veteri Sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti. Sed in noua lege est sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cælestia. Vnde in lege Christi, Reges debent Sacerdotibus esse subiecti. Propter quod mirabiliter ex diuina prouidentia factum est, vt in Romana Vrbe, quam Deus præuiderat Christiani populi principalem sedem futuram (in ipsa *enim* Roma I quæ caput Mundi erat, etiam caput Ecclesiæ suæ statuit Christus, in signum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum Mundum, secundùm illud Is. 26. *Ciuitatem sublimem humiliabit*, Romam scilicet, *conculcabit eam pes, pes pauperis*, scilicet Christi, *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri, & Pauli. *Quò facit & illud Apostoli* ad Rom. 1. *de Romanorum fide*. Gratias ago Deo meo, quia fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo. *Quo loci* commendantur L Romani de fide, quia fidem de facili susceperant, & in eadem firmiter permanebant. Gaudet autem, & gratias agit Deo de eorum fide, non solùm propter eos, sed propter vtilitatem inde sequentem: quia scilicet eorum exemplo, qui erant domini gentium, aliæ gentes prouocabantur ad fidem:) Factum est, inquam, vt in Romana Vrbe hic mos paulatim inolesceret, vt ciuitatum Rectores Sacerdotibus subiacerent. Sicut enim *Valerius maximus* refert. *Omnia post religionem ponenda, semper nostra Ciuitas duxit, etiam in quibus summæ Maiestatis decus conspici voluit. Quapropter non dubitauerunt Sacris Imperia seruire; ita se humanarum rerum habitura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ benè atque constanter fuissent famulata.* Quia verò etiam futurum erat, vt in Gallia Christiani Sacerdotij plurimùm vigeret religio, diuinitus permissum est: *Vt etiam apud Gallos, Gentiles Sacerdotes, quos Druydas nominabant, totius Galliæ ius diffinirent*, vt refert Iulius Cæsar in libro, quem *de bello Gallico* scripsit. (*Nec refert, quòd Imperatorum Pontifex quispiam iudicium subierit, vt habetur* 2.q.7. cap. Nos si incompetenter: *hoc enim voluntariè factum est*. Et *autem* qui M habet publicam potestatem, licet se committere iudicio aliorum. Sic N & Christus propria sponte humano iudicio se subdidit: sicut etiam & Leo Papa se iudicio subdidit Imperatoris.)

L Rom. 1. l. 5. ibi.

Valerius Maximus.

Druydæ qui:

M 2.2.64.5. ad 2.

N 2.2.67.1. ad 2.

Et hinc 1. Pet. 2. *coharenter dicitur*: Vos autem genus electum, regale sacerdotium &c. *Vbi Author*: Cum O dicatur Exod. 19. *Vos eritis mihi in Regnum sacerdotale*: quare dicitur hic *regale sacerdotium? Et Respondet*; ad innuendam prærogatiuam noui testamenti respectu veteris. In nouo enim testamento Sacerdotium præeminet Regno, sicut spiritus præeminet corpori: regnum enim consistit in regimine corporali; Sacerdotium verò in regimine spirituali. Ideò potestas sacerdotalis ponitur in substantiuo; regalis autem in adiectiuo. *Eapropter docebat initio Author, quòd* Papa P vtriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & secularis; & hoc illo disponente, qui est Sacerdos, & Rex *in æternum secundùm ordinem Melchisedech, Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

O 1.Pet.2.l. 3.ibi.

Cum in veteri lege dicatur *Regnum Sacerdotale*: in noua verò, *Sacerdotium regale*.

P In 2.d.44. exp.tex.fi. Op. 20.l.3.cap.16.

d *Cum autem Pastoralis baculus, spiritualis huius potestatis indicium sit, cur suprema gaudens in spiritualibus potestate, tali baculo Papa non vtitur? Et respondetur: quòd* Romanus Q Pontifex non vtitur baculo, quia Petrus misit ipsum Euchetio (*primo Treuirorum Episcopo*) ad suscitandum quendam discipulum suum (*nomine Maternum*) qui postea factus est Episcopus Treuirensis; & ideò in Diœcesi Treuirensi Papa baculum portat, & non in alijs. Vel etiam in signum, quòd non habet coarctatam potestatem; quod curuatio baculi significat. *Vide* Durandum *lib. 1. cap. 15. Verumtamen ex hoc, quòd vniuersali hac authoritate, ac dominio Pontifex gaudet, non ideò verum Ecclesiæ dicendus est Dominus; sed Domini fidelis tantummodò dispensator. Docemur enim, quòd* quamuis R res Ecclesiæ sint eius, vt principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, vt Domini, & possessoris. Et ideò si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesiæ alicuius, non careret vitio simoniæ. *Certum nihilominus est, quòd* Papa S potest ab vna Ecclesia accipere in subsidium aliarum; non autem sine quacumque causa. *Et ad illud* 2. Cor. 11. Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium vestrum; *instruimur pariter, quòd* Dominus Papa T pro necessitate vnius Patriæ potest accipere subsidium ab alijs partibus Mundi. Ratio est: quia Ecclesia est sicut vnum corpus. Videmus autem in corpore naturali, quòd natura, quando deficit virtus in vno membro, subministrat humores, & virtutem, accipiens ab alijs membris. *Cæterùm ea, quæ ad fidem spectant, determinare, & decernere, Pontificiæ solummodò potestatis est, secundùm illud Christi Domini ad Petrum Luc. 22.* Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. *Ex quo erudimur, quòd* postquàm V authoritate vniuersalis Ecclesiæ essent aliqua ad fidem pertinentia determinata; si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem authoritas principaliter residet in summo Pontifice. *Dicitur enim* Dist. 24. q. 1. cap. *Quotiens*: Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & coepiscopos nonnisi ad Petrum, idest ad sui nominis authoritatem, referri debere: contra cuius authoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. *Vnde dicit Hieronymus ad Damasum Papam*: Hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia; in qua si minus peritè aut parùm cautè, fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes. *Et ratio adducitur*: quia X vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. Cor. 1. *Vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*; quòd seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. *Vnde & in Apostolico Concilio considentibus omnibus*, surgens Petrus, *tanquam Ecclesiæ Caput*, dixit ad eos *Act.* 15. Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes Verbum Euangelij & credere. *Verùm quæ de iure diuino ab Ecclesia decreta sunt, non potest immutare Pontifex, nec auferre.* Non *enim* potest Y destruere Canonicam scripturam Apostolorum, & Prophetarum, quæ est Ecclesiasticæ fidei fundamentum. Quæ *verò* SS. Patres determinauerunt esse de iure positiuo, sunt relicta sub dispositione Papæ, vt possit ea mutare, vel dispensare secundùm opportunitatem temporum, vel negociorum. Sancti enim Patres in Concilijs congregati nihil statuere possunt, nisi authoritate Romani Pontificis inter-

Romanus Pontifex cur pastorali baculo non vtatur.

Q 4.d.24.3. 3.ad 8,

Rerum Ecclesiæ dispensator, non Dominus.

R 2.2.100 1. ad 7. & 63.2. ad 1. In 4.d.25. 3.3 ad 2.

S Phil.4.l.2. ibi, nulla Ecclesia

Potest esse simoniacus.

T 2.Cor.11. l.2.ibi.

Accipere potest ab vna Ecclesia in subsidium aliarum.

V 2 2. 11.2. ad 3. & q.1.10 c. Op. 1. c.68.

Eius est quæ ad fidem spectant determinare.

X 2.2.1.10.c.

Non potest Sac. Scripturã destruere, nec quæ sunt de iure diuino, immutare: cætera de iure positiuo potest.

Y Op.19.c.4. & 2.2. 1. 10. fi. c.

Sine eius authoritate nihil statuitur in Concilijs; neque Concilium congregatur.

interueniente: (Cuius *immò* authoritate Z sola, Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur.) Nec tamen Papa, quando aliquid aliter facit, quàm à Sanctis Patribus statutum sit, contra eorum statuta facit: quia seruatur intentio statuentium, etiam si non seruentur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus, & temporibus obseruari, seruata intentione statuentium, quæ est vtilitas Ecclesiæ, sicut & in omni iure positiuo accidit. Derogatur enim prioribus statutis per statuta sequentia.

Z Pet.10.4. ad 13. & 1. p. 36.2.ad 2. & 2.2.1.10.c.& ad 2. & 4.con. G.c.25.Et Op. 19. loc. cit.

Statuta in Concilijs ab eo confirmantur, & à Concilio ad ipsū appellatur.

Potest Papa facere quod vult legitima ex causa.

c *Potest igitur Papa modo præfato, & sensu noua statuta condere, & in conditis dispensare: nec tamen sine rationabili causa. Et sic* Papa A potest *quidem* facere quod vult, causa tamen existente legitima. Est *autem* dispensatio B (vt Iuristæ dicunt) communis iuris relaxatio. Dispensatio *enim* importat C commensurationem alicuius communis ad singula: vnde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantùm vnicuique de familia cum pondere & mensura distribuit & operationes & necessaria vitæ. Sic igitur & in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum, sit à singulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quòd aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, vt in pluribus non est conueniens huic personæ, vel in hoc casu; quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum. Periculosum autem esset, vt hoc, iudicio cuiuslibet committeretur, nisi fortè propter euidens & subitum periculum: (ipsa *enim* necessitas D dispensationem habet adnexam, quia necessitas non subditur legi.) Et ideò ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ authoritati innititur, vt scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, vt præceptum legis non seruetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. Propter quod Dominus dicit *Luc.* 12. Quis putas est *fidelis* dispensator, & *prudens*, quem constituit Dominus super familiam suam? *Et benè docemur, quòd* omnis E dispensatio petita, à Prælato debet fieri ad honorem Christi, in cuius persona dispensat: vel ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus. *Et alibi:* Infideles F dispensatores sunt, qui in dispensandis diuinis ministerijs non intendunt vtilitatem populi, & honorem Christi, & vtilitatem membrorum eius, secundùm illud Luc. 16. *In inique mammona fideles non fuistis.* Fideles autem, qui in omnibus intendunt honorem Dei, & vtilitatem membrorum eius, secundùm illud Luc. 12. cit. *Quis putas est fidelis dispensator &c.* Habet *igitur* Papa G plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet, quòd quæcumque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia à Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positiui. Circa ea verò, quæ sunt iuris diuini, vel iuris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione diuina. *Quin & in ijs* H quæ sunt de institutione Apostolorum (cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi & destruendi, quam tunc habuit) potest per eum, qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari: *Sicuti de facto, vt ordinari possit*, dispensat I cum bigamo, & in pœna, quam Canones Apostolorum statuerunt præsbytero fornicanti, *& huiusmodi. Denique* potest L iuris infamiam abolere. Quod autem dicit *Gelasius* Papa 2. *q.* 3 *cap.* Euphemum: *Quamquam animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus*; intelligendum est de infamia facti; vel quia eam abolere aliquando non expedit. Vel etiam loquitur de infamia irrogata per iudicem ciuilem, sicut dicit *Gratianus*.

A 4.d.20.1. 4.q.3.c.

B 4.d.44.1. 3.q.4.ad 1.

C 1.2.97.4. c.& ad 1 & q. 96.6.c.& 100 8.c.& 2.2.88. 10. In 3.d.37. 1.4. In 4.d.15. 3.2.q.1.& 3. con.G.c.125.fi.

Dispensatio quid, & vnde licita.

D 1.2.96.6. fi.c.

Sine causa dispensans, aut infidelis, aut imprudens.

E 2.2.88.12. fi. c.

Omnis dispensatio debet fieri ad honorem Christi, & Ecclesiæ vtilitatem.

F 1.Cor.4. l. 1. ibi, fidelis.

G Quol.4.a. 13.initio c.

Papa in ijs omnibus dispensat, quæ sunt iuris positiui; non ita quæ sunt diuini iuris, vel naturalis.

H 4.d.27.3. 3.ad 2.

Dispensat etiam in ijs, quæ de institutione Apostolorū sunt.

I Op.19.c.4. In 4. loc. cit. corp. & ad 3. Quol.4.a.13. fi.c.

L 2.2.68.4. ad 3.

Abolet & iuris infamiam.

f *Cæterùm per certos ornatus, qui sacris ministris, ac Pontificibus in veteri lege adhibebantur, qualis summorum Pontificum debeat esse vita figuraliter signatur.* Per ornamenta M designantur virtutes Ministrorum Dei. Sunt autem quatuor, quæ sunt necessariæ omnibus ministris; idest castitas, quæ significatur per femoralia; puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam: moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum; & rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram protegentem caput. Sed præ his, Pontifices debent quatuor habere. Primò quidem iugem Dei memoriam in contemplatione; & hoc significat *lamina aurea*, habens nomen Dei, in fronte. Secundò quòd supportent infirmitates populi: quod significat *superhumerale*. Tertiò quòd habeant populum in corde, & visceribus per sollicitudinem charitatis: quod significatur per *Rationale*. Quartò quòd habeant conuersationem cælestem per opera perfectionis: quod significatur per *tunicam hyacinthinam* (*quæ est coloris cælestis*.) Vnde & tunicæ hyacinthinæ adiungebantur in extremitate *tintinabula aurea*, per quæ significatur doctrina diuinorum, quæ debet coniungi cælesti conuersationi Pontificis. Adiungebantur etiam *mala punica*: per quæ significatur vnitas fidei, & concordia in bonis moribus: quia sic coniuncta debet esse eius doctrina, vt per eam fidei, & pacis, vnitas non rumpatur. *Vt verò ad hæc plenè habenda faciliùs perueniat*, consideret *Pontifex summus* Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum, ad Hebr. 3. *Vt nimirùm fidelis Domino sit, vti Christus fidelis extitit Patri.* Fidelis autem N fuit Deo Patri. Primò non attribuens sibi quod habebat, sed Patri, Io. 7. *Mea Doctrina non est mea &c.* Secundò, quia eius gloriam quærebat, non suam, Io. 8. *Ego non quæro gloriam meam.* Tertiò quia perfectè obediuit Patri, Phil. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Fidelis ergo fuit Christus ei, *qui fecit illum*, scilicet Apostolum, & Pontificem: non *enim* (*vt dicitur cap.* 5.) semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret. *Sic itaque Christo Domino fidelis oportet Pontifex sit, quemadmodum & ille Patri. Et hac potissimùm de causa Petrus ad summum Pontificatus gradum euectus à Christo est; quia videlicet Domini amantissimus, eique fidelissimus fuit; vnde & ad eum Chrysostomus:* Feruenti spiritu Dominum dilexisti, omnium Apostolorum fidelissimus. *Et Author noster*: Congruè *inquit* hoc O officium, omnibus intermissis, Christus Petro commisit: qui *secundùm Chrysostomum* eximius Apostolorum erat, & os discipulorum, & vertex Collegij. *Vnde discat qualis esse debeat, qui in excelsa Petri cathedra sedet, tanquam* lucerna super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in Ecclesiæ Domo sunt. DISCE *vnam sanctam Ecclesiam credere, vnum Ecclesiæ Caput venerari. Vide* Clericus *Tom. I.* Ecclesia, Episcopus, Indulgentia, *Tom. II.* Lex, Petrus Apostolus; *& fusè apud Authorem* Opusc. 20. à cap. 13.

Qualem esse debeant Pontifices summi.

M 1.2.102. 5.ad 10.fin.

Fidelis summus Pontifex sit, exemplo Christi Sacerdotis summi.

N. Hebr.3.l. 1. ibi.

Petro conuenienter data Pontificia potestas.

O Io.21.l.3. lit. e.

PA-

PARABOLA. *Vide* Christi Doctrina *Tom. I.*
PARADISVS TERRESTRIS. *Vide* Adam *Tom. I.*
PARASCEVE. *Vide* Christi Passio, Mors *Tom. I.*

PARENTES.

II. Nullius benefactoris beneficium est tantum, sicut parentum: & ideò parentes in recompensandis beneficijs sunt omnibus alijs præferendi 2. 2. 31. 3. ad 3. fin.

Inter Deum, & hominem, & inter patrem & filiū, non datur propriè commutatiua iustitia.

T 4.d.46.1. 1.q.1.fi.c.& ad 4. & locis infra citandis.

V 2.2.57.4. c.& ad arg.& 58.7.ad 3. & 3.p.85.3.c.& 1.2.114.1.c. In 2.d.44.2.1. 9.c.In 3.d.9.1. 1.q.4.c.In 4.d. 15.1.1.q.5.c. & d.46.1.c. ad 4.

Ius, siue iustum dicitur ad alterum. Alterum autem dupliciter dicitur.

X 4.d.15.1. 2.c.& 4.46.1. c.In 1.d.17.1. 1 ad 7.& 2.2. 57.1.ad 3.& 81.5.ad 3.

Deo & parentibus parnon possumus reddere secundū quantitatem, sed tantùm secundùm æqualitatem proportionis.

Y 1.2.100.7. ad 1. fi.

EA est, adeoque grauis filiorum G ad parentes obligatio & debitum, vt sicut inter Deum & hominem, ita inter patrem & filium commutatiua propriè iustitia non admittatur. Sanè quoad Deum iustitia T commutatiua, per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem, & creaturam recipientem, Deo competere non potest secundùm propriam acceptionem: quia beneficia Dei semper excedunt meritum creaturæ; sed tamen seruatur etiam quædam proportionis æqualitas inter Deum dantem, & creaturam recipientem, inquantùm scilicet ita se habet ad suam superabundantiam, sicut creatura ad id, quod competit ei secundùm suam paruitatem. Et sic etiam quidam modus commutatiuæ iustitiæ inuenitur in Deo respectu creaturæ, sicut inuenitur inter patrem & filium: *inter quos pariter simpliciter iustitia esse non potest.* *Nam* ius V siue iustum dicitur per commensurationem ad alterum. Alterum autem potest dici dupliciter. *Vno modo* quod simpliciter est alterum, sicut quod est omninò distinctum: vt apparet in duobus hominibus, quorum vnus non est sub altero, sed ambo sunt sub vno Principe Ciuitatis. Et inter tales secundùm Philosophum *in* 5. *Ethic.* est simpliciter iustum. *Alio modo* dicitur aliquid alterum, non simpliciter, sed quasi aliquid eius existens. Et hoc modo in rebus humanis filius est aliquid Patris, quia quodammodò est pars eius; vt dicitur *in* 8. *Ethic.* Et seruus est aliquid domini, quia est instrumentum eius, vt dicitur *in* 8. *Politic.* Et ideò patris ad filium non est comparatio, sicut ad simpliciter alterum: & propter hoc non est ibi simpliciter iustum, sed quoddam iustum, scilicet paternum. Et eadem ratione, nec inter dominum, & seruum; sed est inter eos dominatiuum iustum. *Ideircò* in honoribus X qui sunt ad parentes, & Deos, etiam secundùm Philosophum, impossibile est æquiualens reddere secundùm quantitatem; sed sufficit, vt homo reddat quod potest; quia amicitia non exigit æquiualens, nisi secundùm quod possibile est: & hoc etiam, æquale est aliqualiter, scilicet secundùm proportionalitatem. *Igitur* duo Y sunt, quorum beneficiis sufficienter nullus recompensare potest, scilicet Deus & pater, vt dicitur *in* 8. *Ethic.* Et ideò sola duo præcepta affirmatiua (*in Decalogo*) ponuntur: vnum de honoratione parentum, aliud de celebratione Sabbati, in commemorationem diuini beneficii. *Enimuerò* debitum Z filii ad patrem adeò est manifestum, quod nulla tergiuersatione potest negari, eo quòd pater est principium generationis & esse, & insuper educationis, & doctrinæ. Et ideò non ponitur sub præcepto Decalogi, vt aliquod beneficium vel obsequium alicui impendatur, nisi parentibus. Parentes autem non videntur esse debitores filiis propter aliqua beneficia suscepta, sed potiùs è conuerso. Filius etiam est aliquid Patris, & patres amant filios vt aliquid ipsorum, sicut dicit Philosophus *in* 8. *Ethic.* Vnde eisdem rationibus non ponuntur aliqua præcepta decalogi pertinentia ad amorem filiorum, sicut nec etiam aliqua ordinantia hominem ad se ipsum. *Et hinc deducitur, qualis & quantus debeat esse ad parentes præ cæteris amor filiorum. Et quidem post Deum & se ipsum debet homo parentes diligere.* Intentio *enim* dilectionis A est ex coniunctione dilecti ad diligentem: & ideò diuersorum dilectio est mensuranda secundùm diuersam rationem coniunctionis, vt scilicet vnusquisque magis diligatur in eo, quod pertinet ad illam coniunctionem, secundùm quam diligitur. Amicitia autem consanguineorum fundatur in coniunctione naturalis originis: amicitia conciuium in communione ciuili: & amicitia commilitantium in communicatione bellica. Et ideò in his, quæ pertinent ad naturam, plùs debemus diligere consanguineos: in his autem quæ pertinent ad ciuilem conuersationem, plùs debemus diligere conciues: & in bellicis plùs commilitones. Coniunctio autem naturalis originis est prior, & immobilior, quia est secundùm id, quod pertinet ad substantiam: aliæ autem coniunctiones sunt superuenientes, & remoueri possunt. Et ideò amicitia consanguineorum est stabilior. *Quia ergo secundùm coniunctionem naturalis originis* inter omnes B propinquos sunt nobis propinquiores pater & mater: ideò (*dicit Ambrosius*) primò debemus diligere Deum, secundò patrem, & matrem, *tum ordo sit charitatis seruandus. Verumtamen hac in re ad maiorem distinctione opus est caritatem.* Gradus *enim* dilectionis C ex duobus pensari potest. *Vno modo* ex parte obiecti; & secundùm hoc, id quod habet maiorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius. Et sic pater est magis diligendus, quàm filius, quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. *Alio modo* computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis; & sic magis diligitur quod est coniunctius. Et secundùm hoc filius est magis diligendus quàm Pater, vt Philosophus dicit *in* 8. *Ethic. Primò* quidem, quia parentes diligunt filios, vt aliquid sui existentes: pater autem non est aliquid filii; & ideò dilectio, secundùm quam pater diligit filium, similior est dilectioni, qua quis diligit se ipsum. *Secundò* quia parentes magis sciunt, aliquos esse suos filios, quàm è conuerso. *Tertiò* quia filius est magis propinquus parenti, vt potè pars existens, quàm pater filio, ad quem habet habitudinem principii. *Quartò* quia parentes diutiùs amauerunt; nam statim pater incipit diligere filium: filius autem tempore procedente incipit diligere patrem. Dilectio autem quantò est diuturnior, tantò est for-

Cur duo solā præcepta affirmatiua in decalogo.

Z Ibid. a. 5. ad 4. Eph. 6. l. 1.

Quale & quātum ad parentes filiorum debitum.

A 2.2.26.8. c. In 3.d.29.1. 6.c.

Post Dei amorem & sui ipsius, consanguinei præ cæteris amandi, & inter hos primùm parentes.

B Op.4.de 4. præc. §.1.

C 2.2.26.9. c.& ad arg. In 3.d.29.1.7.c. & ad 1. & 2. & 1.p.96.3.ad 2 Virt.2.9.ad 18. Mat. 10. lis.b.ibi, recipit.

An magis diligendus Pater, quàm filius.

Gradus dilectionis dupliciter consideratur.

fortior, *secundùm illud Eccli. 9.* Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi. *Cæterùm si ad patrem, & matrem habeatur respectus, plus diligendus pater est, quàm Mater.* Amantur enim D pater & mater, vt principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principij, quàm mater, quia pater est principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis; & ideò per se loquendo, pater magis est diligendus. *Et quamuis* plus E de suo ponat mater in filio, quàm pater; plus tamen de eo, quod est filij, ponitur à patre, quàm à matre, quia pater dat formam, & mater dat materiam. Et ideò naturaliter homo plùs diligit patrem, & consanguineos ex parte patris, quàm ex parte matris. *Quod verò philosophus dicit in 9. Ethic.* quòd matres sunt magis amantes filiorum; *ex quo videtur, eò quòd magis diligunt, magis esse diligendas, quàm patres. Respondet Author, quòd* hoc F pertinet ad aliam rationem dilectionis: alia enim est species amicitiæ, qua diligimus amantem, & qua diligimus generantem. Loquimur autem de amicitia, quæ debetur patri, & matri, secundùm generationis rationem.

D 2.2.26.10. fi c. In 3.d.29. 1.7.ad 4.

An pater plùs quàm mater, amandus.

E In 3.l.c.fi.

F 2.2.l.c.ad2.

h *Igitur* quia G pater comparatur ad nos in habitudine principij, sicut & Deus: ad patrem propriè pertinet, vtei à filijs honor impendatur: ad filium autem, vt eius vtilitati à parentibus prouideatur; quamuis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, vt parentibus maximè prouideat: *adeò vt quamuis* amor H parentum sit ad benefaciendum; amor autem filiorum ad honorandum parentes; tamen in necessitatis extremæ articulo, magis liceret deserere filios, quàm parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum, vt patet per Philosophum *in 8. Ethic. cap. vlt. Sanè* facilius I homo expellit à se filium, quàm patrem; quem non expellit, nisi propter abundantem malitiam, vt idem Philosophus dicit *in 8. Ethic. Specialiùs autem* in his L, quæ ad conseruationem naturæ pertinent, magis sumus debitores parentibus, à quibus naturam accepimus, quàm aliquibus alijs: & ideò magis liberare debemus patrem à morte, quàm extraneum, etiam si ille nos in casu simili liberasset; priùs enim quàm illis, vitam parentibus debemus. *Idcircò dicebat initio Author:* Quia nullius M benefactoris beneficium est tantum, sicut parentum: ideò parentes, in recompensandis beneficijs sunt omnibus alijs præferendi. *Et hoc quidem docuit nos Dominus, iam iam moriturus.* Christus *enim* in Cruce N pendens, se habuit *ex Augustino*, sicut Magister in Cathedra. Vnde & docuit nos parentibus existentibus in necessitate subuenire, & de eis curam habere, *cum ad Ioannem dixit:* Ecce Mater tua, *1. ad Tim. 5.* Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. *Fidem negauit,* scilicet O per opera; quia si non seruat fidem his, quos sibi natura copulauit, consequens est, quòd nec aliis, *Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Subdit autem: *& est infideli deterior;* fidelis enim & infidelis, si v.g. mœchentur, plùs peccat fidelis, quia facit iniuriam fidei. Et sic, si fidelis contemnit curam parentum, grauiùs peccat, quàm si hoc faceret infidelis. *Et hinc deducitur*, quòd si pater P nullo modo posset viuere, nisi adiutus à filio, filius non debet intrare Religionem. Et quia hic casus non erat in Zebedæo, quia poterat se iuuare, & habebat necessariâ: *ideò Iacobus, & Ioannes* relicto patre secuti sunt Dominum, *vt dicitur Mat. 4.* Si verò Q sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei desertis parentibus religionem intrare: quia filij non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis: Ille verò qui iam est in religione professus, reputatur iam quasi mortuus Mundo: vnde non debet, occasione sustentationis parentum, exire claustrum, in quo Christo consepelitur, & se iterum secularibus negociis implicare. Tenetur tamen, salua sui Prælati obedientia, & suæ religionis statu, pium studium adhibere, qualiter eius parentibus subueniatur. *Cæterùm extra talis necessitatis casum*, possunt R prætermisso parentum obsequio, filii religionem intrare, etiam contra præceptum parentum: quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantùm ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui status; præsertim in his, quæ sunt diuini obsequii: & magis est obtemperandum Patri spirituum, vt viuamus, quàm parentibus carnis, vt Apostolus dicit *ad Hebr. 12.* Vnde Dominus, vt legitur *Luc. 9.* reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ. Erant enim alii (*inquit Chrysostomus*) per quos illud opus impleri poterat.

G 2.2.26.9.ad 3.& 122.5.ad 2. Mat. 4. lit. b. ibi, patre.

Præ cæteris in articulo necessitatis parentibus subueniendũ.

H 2.2.31.3.ad 4.

Et priùs parentibus, quã filiis, & quibuscumque aliis, etiamsi nos a morte liberassent.

I 3.d.29.1.7. fi. c. Op. 4. de 4. prac. §. 1.

L In 3. l.c.a. 6. ad 5.

M 2.2.31.3. ad 3. fi. & 62. 5. ad 4. & 1.2. 100.7. ad 1.

Christus nos docuit in Cruce, de parentibus curam habere.

N Io. 19. l. 4. lit. i.

O 1. Tim. 5. l. 1. ibi.

P Mat. 4. lit. b. ibi. 2.2.101. 4 ad 4. & 189. 6. c.

Si pater non posset viuere nisi adiutus à filio, non posset hic religionem intrare: secus si absque eo vitam transigere posset.

Q 2.2.101.4. ad 4. In 4. d. 38 2.4 q.2. ad 2. Quol. 3. a. 16. Quol. 10 a. 9.

Quid de Religioso iam professo?

R 2.2.189.6. c. Quol. 4. a. 23 c. & locis cit.

Possunt filii, si parentes in necessitate non sint, etiã contra eorũ præceptum religionem intrare.

i *Porrò amari debent parentes potissimùm ex charitate; vnde carnaliter tantùm amantes, inordinatè amant. Idcircò Christus Dominus* Mat. 12. *Cum diceret ei quidam:* Ecce Mater tua, & fratres tui, foris stant, quærentes te; *respondit:* Quæ est Mater mea? *Vbi* non eam S Matrem esse negat, sed intendit prohibere inordinatum affectum; vnde dixit *Mat. 10.* Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus. *Quo pariter sensu dicebat Luc. 18.* Si quis venit ad me, & non odit Patrem & Matrem &c. *Vbi* in propinquis T nostris non præcipimur odire quòd propinqui nostri sunt, sed solùm, quòd impediunt nos à Deo. Et in hoc non sunt propinqui, sed inimici, secundùm illud Mat. 10. *Inimici hominis domestici eius.* Secundùm V culpam igitur, quæ Deo aduersatur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater & mater, & propinqui. Debemus enim in peccatoribus odire, quòd peccatores sunt, & diligere, quòd hominis sunt, beatitudinis capaces. Et hoc est, eos ex charitate diligere: *quod pariter non esset, si amorem etiam parentum diuino præponeremus amori, cum sit contra ordinem charitatis.* Sunt *autem* parentes X honorandi propter participationem diuinæ bonitatis, qui est omnium pater, *Mal. 1.* Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? *Et quidem* parentibus Y in quantùm huiusmodi debetur reuerentiæ honor: sed sustentatio, & alia huiusmodi debentur eis ratione alicuius accidentis, in quantùm sunt indigentes, vel serui, vel aliquid huiusmodi. Et quia quod est per se, prius est eo, quod est per accidens: Ideò inter prima etiam præcepta legis, quæ sunt præcepta Decalogi, specialiter præcipitur honoratio parentum: in quo sicut in quodam principali, intelligitur mandari sustentatio, & quidquid aliud parentibus debetur. *Et hoc quidem præceptum ratione dignitatis dicitur primum, ad Ephes. 6.* Honora patrem tuum, & matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione &c. *Non quòd sit primum* in

Amor ad parentes inordinatus esse non debet.

S Mat. 12. lit. d. ibi, quæ est mater.

T 2.2.26.7. ad 1. In 3. d. 28 1.4. Virt. 2. 8. ad 8. Mat. 4 lit b. & e. 10. lit. b. ibi, qui amat, & e. 19. circa fin. Io. 19 l. 4. lit. i. Eph. 5. l. 6. Col. 3. l. 4 ibi, filij.

Quo sensu præcipiamur odisse parentes.

V 2.2.25.6.c. & q.34.3. ad 1

X 2.2.63.3.c.

Vnde præcipuè honorandi.

Y 2.2.122.5. ad 3. & 106 2.c.

Honor eis debetur per se, subuentio per accidens.

Huiusmodi præceptum cur dicatur primum

in Decalogo, quia sic primum est, quòd unus colatur Deus: sed hoc dicitur, quia Mandata Z continentur in duabus tabulis. Prima continet ea, quæ ordinantur ad Deum. Secunda ea, quæ ad proximum. Et in hac secunda primum mandatum est de honore parentum. Et hoc duplici de causa. *Primò* quia in illa secunda tabula nullum est præceptum affirmatiuum, nisi illud: quia naturale est nobis vt parentibus seruiamus; non autem sic alijs proximis: ideò nullum est aliud affirmatiuum. Sed natura dictat, vt non inferat homo proximis nocumentum; & ideò prohibetur. Quia ergo primum, plus, & prius habet de debito, ideò primum. *Secundò* quia Deus honorandus est, sicut principium nostri esse: & quia parentes sunt etiam principium nostri esse, ideò conueniens est, vt post mandata, ordinata ad Deum, primum esset ordinatum ad parentes. *Quasi voluerit ita monstrare Deus post honorem suum debere præ cæteris honorem parentibus impendi: seu à quibus maiora beneficia suscepimus.*

Z Eph. 6. l. 1. ibi In 3. d. 37. 1. 2. q. 1. ad 5. & 1. 2. 100. 6. ad 2. & a. 7. ad 1.

l Dant autem A parentes filio tria. Primò stabilimentum quoad esse, Eccli. 7. *Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secundò nutrimentum, siue fulcimentum quoad necessaria vitæ: nudus enim intrat filius in hunc Mundum, vt dicitur *Iob* 1. sed à parentibus sustentatur. Tertiò documentum, Hebr. 12. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos.* Igitur quia esse habemus ab eis, debemus magis reuereri, quàm dominos, à quibus solùm res præter quam Deum, à quo habemus animam, Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. In opere & sermone, & omni patientia* (notent filij & filiæ, in patrem, vel in matrem exardescentes) *honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio ab eo.* Et in hoc etiam honoras te ipsum: quia sicut ibidem dicitur: *Gloria hominis ex honore patris sui, & dedecus filii, pater sine honore.* Item, quia dant nobis nutrimentum in pueritia, & nos debemus eis date in senectute, Eccli. 3. cit. *Fili suscipe senectam Patris tui, & non contristes eum in vita illius. Et, si defecerit sensu, veniam da: & ne spernas eum in virtute tua. Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* Ad confusionem illorum, qui contra faciunt, ponit *Cassiodorus in Epist. lib.* 2. quòd ciconiæ, cum parentes earum pennas senio cogente laxauerunt, nec ad proprios cibos idonei possunt inueniri, plumis suis genitorum membra fouentes, escis corpora lassa reficiunt, & pia vicissitudine iuuenes reddunt quod à parentibus paruuli susceperunt. Item terciò; quia docuerunt nos, debemus eis obedire, Coloss. 3. *Filii obedite parentibus per omnia.* Et Eph. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* Patres enim B debent naturaliter instruere filios moribus: filij autem instruentibus parentibus naturaliter debent obedire, sicut infirmi obediunt Medicis: vnde proprium filiorum est obedientia. *Hoc enim iustum est: Honora patrem tuum, & matrem tuam &c.* Honor autem importat exhibitionem reuerentiæ his, qui supra nos sunt. Et quia parentes habemus supra nos, vtitur nomine honoris. Hoc autem, quòd filij debent parentes honorare, intelligitur tripliciter: quia debent eis reuerentiam, sicut maioribus; obedientiam, sicut instructoribus; sustentamenta, sicut nutrientibus, cum fortes erant. Dicit etiam, *obedite in Domino*: quia non

A Op. 4. de 4. præc. §. 1. In 3. d. 29. 1. 7. fi. c.

Quia parentes dant nobis esse, debemus reuereri eos.

Quia dant nutrimentum in pueritia, debemus subuenire in senecta.

Ciconiarum proprietas erga parentes.

Quia docuerunt nos, debemus eis obedire.

B Eph. 6. l. 1. ibi, filij Coloss. 3. l. 4. ibid.

est obediendum parentibus, nec alicui in his, quæ sunt contra Deum, *Act.* 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. *Et hinc docemur, quòd* ex duobus C potest contingere, quòd subditus suo superiori non teneatur in omnibus obedire. *Vno modo*, propter præceptum maioris potestatis. *Alio modo*, si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subdatur. Et ideò in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solùm Deo. Tenetur autem homini obedire in his, quæ exteriùs per corpus sunt agenda: in quibus tamen secundùm ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo (quia omnes homines natura sunt pares) putà in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Vnde non tenentur nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, aut aliquo alio huiusmodi. Sed in his, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundùm rationem superioritatis: sicut miles duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum: seruus domino in his, quæ pertinent ad seruilia opera exequenda: filius Patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam: & sic de alijs. *Porrò in obedientia ad parentes Christus Dominus exemplar nostrum imitandus est, de quo legitur Luc.* 2. Et erat subditus illis, *Mariæ videlicet Matri, & Ioseph patri putatiuo, & nutritiuo. Ex quo Dionysius*: Subdebatur *inquit* paternis dispositionibus, mediantibus Angelis. *Vbi Author*: Dicitur D subdi paternis dispositionibus per Angelos quodammodo indirectè, in quantùm Angeli instruebant Ioseph, & Matrem eius de his, quæ circa ipsum puerum existentem agenda erant. *Quantùm verò ad Patrem æternum, in quantùm homo, se illi in omnibus subiectum fatebatur, vbi aiebat*: Quæ placita sunt ei, facio semper, *Io.* 8. Et hæc E est subiectio obedientiæ, *de qua ad Phil.* 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. *Nimirùm*, quia F si fuisset passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis: quia obedientia dat meritum passionibus nostris. Obediens *inquam* voluntate humana, quæ regulata est in omnibus secundùm voluntatem paternam, *Mat.* 26. *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et conuenienter introducit in passione obedientiam, quia prima præuaricatio est facta per inobedientiam, Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi.* Obedientia G Christi hic dicitur, secundùm quam præcepto Patris obediens; mortem sustinuit pro salute nostra. *Et ita victor extitit gloriosus, de quo Prou.* 21. Vir obediens loquetur victoriam.

C 2. 2. 104. 5. c. & 64. 3. ad 3. Quol. 2. a. 9. c. Op. 4. de 4. præc. §. 1. fin.

Quandonam & in quibus non teneantur filii parentibus obedire

Christus Dominus in obedientia ad parentes imitandus.

D 2. d. 11. 1. 3. ad 6.

E 3. p. 20. 1. fi. c.

F Philip. 2. l. 2. ibi.

Ex qua plenè fuit commendabilis.

G Rom. 5. l. 5. ibi.

m *Quàm verò vtile sit, de parentum honoratione præceptum exequi, ex promissione ad illud superaddita coniicitur, Eph.* 6. Honora patrem tuũ, & matrem tuam, quod est mandatùm primum in promissione, vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram. *Mandatum primum*, scilicet H ad promissionem: quia isti soli additur promissio. Et huius est duplex ratio. *Vna est*: quia homines in alijs, quæ agunt, quærunt vtilitatem propriam: à parẽtibus autẽ iam senibus nullam expectãt vtilitatẽ, nisi à Deo prouenientem. *Secunda ratio est*: ne aliquis credat, quòd honoratio parentum non sit meritoria, quia naturalis est; & ideò addit: *vt sis longæuus super terram. Ad hoc autem*

Cur præceptum de honoratione habeat promissionem adnexam.

H Eph. 6. l. 1. ibi, & 1. 2. 100. 7. ad 3. In 3. d. 37. 1. 2. q. 1. ad 5. Op. 4. de 4. præc. §. 2.

Honoratio hæc ad pietatem pertinet.

I 2.2.101.1.c.in 3.d.33.3.q.4.1.c. Pietas quid. L Ad Tit 2.l.3.ibi, impietatem, & 1.2.68.4.ad 2. Promissa longæuitas exponitur & quoad futuram, & quoad præsentem vitam. M 1.Tim.4.l.2.ibi. N 2.2.122.5.ad 4.Eph.6.l.1. Vnde fit, quòd aliquándo pij in parentes citiùs moriuntur, & impij diutiùs viuunt. O 1.Tim 4.l.2.ibi, quæ nunc est.

præstandum datur pietatis virtus. Sicut *enim* ad religionem I pertinet, cultum Deo exhibere: ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus & patriæ. *Et alibi*: Pietas L propriè est, secundùm quam colimus parentes & patriam: & quia Deus est principalis *Pater noster*; ideò pertinet pietas & ad cultum Dei. *Et in hoc sensu loquitur Apostolus 1. ad Tim.* 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. *Vbi Author*: Hoc M est solum præceptum inter ea, quæ sunt ad proximum, habens promissionem, scilicet *vt sis longæuus super terram*, Exod. 20. & Apostolus interpretatur *longæuus* secundùm vitam præsentem, & futuram. *Et alibi*: Longæuitas N promittitur honorantibus parentes non solùm quantùm ad futuram vitam, sed etiam quantùm ad præsentem. Quia tamen præsentia bona, vel mala non cadunt sub merito, vel demerito, nisi in quantùm ordinantur ad futuram remunerationem: ideò quandoque secundùm occultam rationem diuinorum iudiciorum, quæ maximè futuram remunerationem respiciunt, aliqui qui sunt pij in parentes, citiùs vita priuantur: alij verò, qui sunt in parentes impij, diutiùs viuunt. *Nec mirùm, quòd* aliquando O inueniatur aliquis pietatem sequens, qui tamen non est *longæuus*. Nam & secundùm Philosophum bona hæc temporalia in tantùm sunt bona, in quantùm vtilia ad felicitatem. Vnde si quis haberet tantum de temporalibus, quòd propter ipsa impediretur à bono virtutis, & felicitatis, hoc non esset sibi ad bonam fortunam, sed ad malam, vt dicitur *in* 10. *Ethic*. Et longitudo vitæ est vnum de temporalibus, in tantùm bonum, in quantùm coadiuuat ad virtutem. Aliquando autem est occasio ad peccandum. Et ideò Deus aliquando subtrahit eam homini, non quia deficiat à promissione, sed quia dat quod melius est, *Vnde dicitur Sap.* 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. *Vt verò quæ proueniant parentes ex pietate honorantibus vtilitates, clariùs innotescant*: Sciendum P quòd honorantibus parentes quinque desiderabilia promittuntur. *Et primùm* est gratia in præsenti, & gloria in futuro, quæ maximè desiderantur, Eccli. 3. *Honora patrem suum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat*. Contrarium debetur maledicentibus, & etiam in lege maledicuntur, Deut. 27. *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem*. Sed vita naturalis quasi nihil est in comparatione ad vitam gratiæ. Si ergo non recognoscis beneficium vitæ naturalis, quam habes à parentibus, indignus es vitâ gratiæ, quæ maior est, & per consequens vitâ gloriæ, quæ maxima est. *Secundum* desiderabile est vita; vnde dicitur: *Vt sis longæuus super terram*, Eccli. 3. *Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore*. Et nota, quòd vita longa est, quando est plena; & quæ non mensuratur tempore, sed actione, secundùm Philosophum. Tunc autem plena est vita, quando est virtuosa; & ideò virtuosus & Sanctus diu viuit, quamuis citò moriatur corporaliter: propter quod dicitur Sap. 4. *Consummatus in breui, expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius*. Optimè autem mercatur ille, qui tantum facit in vna die, quantum alius in vno anno. Et nota, quòd aliquando accidit, quòd longior vita causa est mortis corporalis, & spiritualis, sicut accidit Iudæ. Præmium ergo est vita corporalis: sed contrarium, scilicet mortem, acquirunt illi, qui iniuriant parentibus. Habemus enim ab eis vitam, sicut milites à Rege feudum: & ideò, sicut dignum est, quòd illi amittant pro proditione feudum; ita isti propter iniuriam illatam parentibus vitam, Prou. 30. *Oculum, qui subsannat patrem; & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*. Per filios aquilæ intelliguntur Reges, & Principes: per coruos officiales. Et, si aliquando non puniuntur corporaliter, mortem tamen spiritualem effugere non possunt. Præterea pater non debet potestatem multam dare filiis: *Filio & mulieri, fratri & amico, non des potestatem super te in vita tua, ne fortè pœniteat te*, Eccli. 33. *Tertium est* habere filios sibi gratos, & acceptos: naturaliter enim pater thesaurizat filijs, sed non è conuerso: *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filiis*, Eccli. 3. *Quartum est* habere famam laudabilem: *Gloria hominis ex honore patris sui*. Ex opposito *quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem*, Eccli. 3. cit. *Quintum est* habere diuitias, Eccli. loco cit. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta*.

P Op.4.de 4.praç.§.2.Eph.6.l.2. Vtilitas multiplex parentum honorate prouenient & damnum non honorantibus. Vita verè longa quæ.

Filij paternã disciplinam libenter suscipiant.

n *Ex his edifcant filii paternam libenter suscipere disciplinam, seu à supremo omnium Patre Deo prouenientem*: Quem enim diligit Dominus (*Prou.* 3.) corripit: & quasi pater in filio complacet sibi. *Et Apoc.* 3. Ego, quos amo, arguo & castigo. *Monet idcircò Sapiens Prou.* 23. Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas, cum senuerit mater tua. *Et ad Hebr.* 12 Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, *quam per patrem habes*: neque fatigeris, dum ab eo argueris. *Etenim* sunt Q quidam, qui oderunt disciplinam, Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt*; & subdit: *neque fatigeris &c.* Quidam enim etsi correctionem duram non odiant, tamen impatienter portant. Tunc autem homo spiritualiter fatigatur, quando contristatur in tantùm, quòd deficit. *At stultè irascimur medicanti*. *Profectò* amari R & chara debent haberi, quæ à patre amantissimo dantur. Nihil sinistrum suspicari debemus in eo, quod ab eo recipimus; Hinc *Augustinus*: Qui phræneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat. Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*. Virga S disciplinæ non est projicienda: projecta enim vertitur in colubrum, qui occidit, *Ex.* 4. Virga disciplinæ stultitiam fugat, & sapientiam inducit Prou. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam*; & cap. 29. *Virga atque correptio tribuit sapientiam*. Eccli. 22. *Flagella & doctrina in omni tempore sapientia*, idest causa sapientiæ. Si sapientia habeatur, amittitur, si disciplina abijciatur, vt patet in Salomone, de quo *Gregorius in Pastor*. Cor Salomonis idcircò sapientia funditus deseruit, quoniam ipsam nulla disciplina exteriùs custodiuit. Ideò dicitur Sapient. 3. *Sapientiam, & disciplinam qui abiicit, infelix est*. Disciplina vitia extinguit, virtutes perficit. Item virtutem ad viriliter agendum prouocat.

Q Hebr. 12 l.2. ibi.

R Op. de erud. Prin. l.5 c.32 & cap. 1.

S Ibid. c.33.

cat. *Senec*: Multum addit sibi virtus lacessita. *Augustinus*: Noli esse iniquo sensu & puerili, vt dicas: *Plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quàm me: quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio*. Potiùs gaude in flagellis, quia tibi seruatur hereditas. Habet disciplina amaritudinem, propter quam aliqui eam proijciunt, sicut simia proijcit nucem propter corticis amaritudinem; & ideò non peruenit ad nuclei dulcedinem: vir autem sapiens non proijcit, Prou. 4. *Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quoniam ipsa est vita tua*. Et ad Hebr. 12. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ*. Pacatissimum *inquam* fructum exercitatus per eam reddet *sibi & parentibus filius benè moratus: qualis fuit Noe* (qui T interpretatur requies) *de quo Lamech pater dixit Gen. 5.* Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus: *videlicet* quia V ipse bonus, & iustus, solatium erat inter malos parentibus suis. *Vnde & cap. 6. dicitur*: Noe vir iustus atque perfectus &c. *Siquidem* filius sapiens lætificat patrem, *Prou. 10. & 15. Et iterum cap. 17.* Corona senum filij filiorum. *At heu! Eiusmodi boni filij, & sapientes in Domino, aut non inueniuntur, aut rarissimi sunt. Vnde Ioannes in sua secunda Can. ad Dominam illam electam scribens*: Gauisus sum *inquit* valdè, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate &c. *De filiis tuis*, aliquos scilicet X non omnes, *inueni*, tanquam solicitè tales quærens, & rarò inueniens, *ambulantes*, idest de bono in melius proficientes, *in veritate*, scilicet fidei, Io. 12. *Ambulate, dum lucem habetis*. Et Ps. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*.

T Gen. 5. ibi.

Filius sapiens, solatiũ patris: qualis Noe.

V Ibid. ibi.

Boni filij, rari.

X 2. Io. 5. 2. ibi.

O *Rari inquam inueniuntur boni filij, & pij: plurimi verò inobedientes, impij, parentibus non obsequentes: quos tamen suum manet supplicium, & iusta pœna. Et quamuis pater peccet, & eius exemplo filius* (*de quo* Num. seqq.) *filius tamen magis punitur, quàm pater. Docemur enim, quòd* in filio Y imitante peccatum patris, est duplex ratio, quare temporaliter puniatur: tum quia ipsemet peccat imitando patrem; tum quia res patris est, & decet, vt pro peccato patris puniatur, in quantùm est res eius. In patre autem erat vna ratio tantùm; & ideò magis punitur filius, quàm pater: & præcipuè, quia contingit, quòd filij, qui peccata patrum imitantur, liberiùs peccent, quasi in his nutriti, & in plura peccata se præcipitant cum minori conscientiæ remorsu, propter consuetudinem, & authoritatem maiorum suorum. *Quoniam verò per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, vt dicitur*, Sap. 11. *diuino plerunque iudicio euenit, vt malus filius malos & ipse filios, posterosque sortiatur malos, in quos & paterna maledictio descendit, & diuina. Quod satis exemplo liquet* Gen. 9. *Vbi legitur, quòd* cum didicisset Noe, quæ fecerat ei Cham pater Chanaan (*quòd scilicet* cum vidisset, verenda patris sui esse nudata, nunciauit fratribus suis &c.) ait: Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis. *Vbi Author*: Quare Z Noe *inquit* huic primùm maledicit, & non potiùs patri eius, qui eum deriserat? *Et respondet*: quòd plus fuit hoc, quàm maledicere patrem solum: quia perinde est, ac si diceret: *Tu & tua generatio estis maledicti à Deo*.

Y 2. d. 33. 1. 2. ad 3.

Quamuis & pater peccet, & filius imitando patrem: plus tamen punitur filius, quã pater.

Malus filius malos filios habebit, & à Deo maledictos.

Z Gen. 9. ibi.

Fuit enim decens, quòd sicut malum filium se fecerat, sic filios malos, & maledictos haberet. *Vide, quanti faciat Deus filij in parentes contemptum & derisionem! &, quod impijssimum est, maledictionem: vt non rarò de sceleratis filiis auditum est, & auditur. Hinc & in veteri lege eiusmodi filij morte censebantur digni, Ex. 21.* Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. (*Et Leu. 20. adijcitur*: Patri matrique maledixit, sanguis eius sit super eum.) Ex hoc A habetur, *scribit Author*, quòd si qui detrahunt patri & matri, digni sunt morte. *Quantò magis, si proternè percutere ausint? Ex. 21.* Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. *Et nihilominùs qui hoc impijssimè attentet, reperitur nec semel. (De irrisione parentum, & maledictione Vide B.) Verumtamen tales filii parentibus inobedientes, & non honorantes, eorumque monita contemnentes, infelices erunt, nec diuina euadent iræ flagella, Prou. 19.* Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix. *Exemplo sunt filii Heli, Ophni & Phinees, de quibus dicitur 1. Reg. 2. quòd* non audierunt vocem patris sui; *ex quo à Samuele dictum est ad Heli*: In die vno morientur ambo, *vt miserabiliter euenisse legitur* cap. 4. *Erubescant ergo execrabile adeò crimen admittere, quod vel ipsi reprobi peccatores non audent: qualis fuit Esau, qui in Iacob germanum fratrem odio exardescens, eum volebat occidere: Atqui, ex sola reuerentiali ad genitorem respectu, id agere non est ausus; dicebat enim:* Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum, *Gen. 27. Quia nimirùm* Patre C viuente hoc non audebat: tum quia timebat exheredari & maledici ab eo: tum quia non erat in omnibus ita reprobus, quin ipse adhuc vereretur offendere patrem suum. *Tandem de filio contumaci audi quid lex vetus, vt dignè puniretur, statuerit Deut. 21.* Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus, obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos: Filius noster iste, proteruus, & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxurijs, atque conuiuijs. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis: & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat. *Vt videlicet innotesceret, quantùm omnium Patri displiceat contumacium inobedientia filiorum, quæ & in ipsum redundat Deum. Ad hoc autem, vt magis ad obediendum excitentur, è memoria eorum non excidat Sapientis monitum salutare Eccli. 7.* In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi: *si non tantum in effectu, quia reddere par non potes; tantum saltem in affectu & veneratione. Quantum parentibus debemus!* DISCE, *Deo & parentibus nunquam satis reddi. Vide* Acedia, Adolescentia, Amor proximi, Beneficium *Tomo 1*.

Digni morte qui maledicunt, immò & qui detrahunt parentibus.

A Mat. 15. lit. a

Quantò magis qui percusserint.

B 2. 2. 75. 2. c. & 76. 3. c.

Mali filij & hic à Deo puniuntur.

C Gen. 27. circa fin.

Filij contumacis qualis in veteri lege animaduersio.

III. Plu-

III. Pluries qui parentes habent malos, promptiones sunt ad malum, *Mat.* 12. *lit.* 6. *ibi*, progenies.

Naturà spectata, æqualis est ad filios amor paternus.

p *Hvcusque de filiorum in parentes obligatione: nunc de parentum debito ad filios agendum est. Quod autem ad amorem spectat, vidimus, quòd licèt secundùm rationem principii sit magis pater diligendus, quàm filii: ex alia tamen consideratione plùs diligendi filii sunt, quàm pater. Et quidem; si naturam spectemus, æqualis est ad filios paternus amor.* Nec tamen *inquit Ambrosius* libertatem auferre possumus parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri: nec filijs resecare debemus studium plus placendi. Illum Jacob plus amabat (*scilicet Ioseph*) in quo maiora virtutum insignia præuidebat. *Et quamuis dicatur Gen.* 37. Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quòd in senectute genuisset eum: *siquidem* senes D cæteris paribus prædiligunt filios in senectute genitos, quia omni homini absolutè rememoratio, seu imaginatio præstantis adhuc virtutis in se ipso, est delectabilis; & ideò seni est delectabile, quòd videt se habuisse virtutem ad procreandam prolem; & nouitas prolis opposita vetustati quandam recompensationem iucunditatis affert menti ex vetustate languenti. Principalis tamen causa prædilectionis Ioseph fuit æstimatio præcellentioris bonitatis eius, & prælectionis eius à Deo. Et ad hoc æstimandum inducebatur Iacob ex eo, quòd post omnes genuerat eum, & de vxore prima facta postrema. Ipse autem tam in Isaac, quàm in se ipso probauerat, Deum frequenter præeligere posteriores; sciebatque, Christum ex se in nouissimo tempore nasciturum, esse omnibus prioribus filijs præferendum. *Cæterùm* matres E naturaliter plus diligunt filios, quàm patres, propter tres rationes. *Primò* quia magis laborant in eorum generatione, vnde ponunt magis ibi de suo. *Secundò* quia magis sciunt, quòd sunt sui filij, quàm patres. *Tertiò* quia statim natos secum tenent & nutriunt: non autem patres. *Id quod in ipsis innotescit brutis. Vnde & docemur, quòd* matres F quæ maximè amant, plus quærunt amare, quàm amari: quædam enim (vt Philosophus dicit *in* 8. *Ethic.*) filios suos dant nutrici, & amant quidem: redamari autem non quærunt, si non contingat. *Amant etiam parentes naturaliter filios, quia vt plurimùm sibi nascuntur similes, siue ex parte patris, siue ex parte matris; at patri præsertim.* Similitudo *autem* est causa amoris, *vt* 1. *Tom. visum est. Ex quo in parentibus naturale inest filios procreandi desiderium.* Quia *enim* homo G non potest durare in se, ideò consolatio est ei, quòd maneat in suo simili, scilicet in filio: & hoc natura desiderat, vt quod non potest in se saluari, saluetur in suo simili.

Cur senes magis diligant filios in senectute genitos.
D Gen. 37. *ibi.*

Quænam principalis causa Iacob prædiligendi filium suú Ioseph super cæteros.
E 3.*d*.29.1.7.*ad* 4. & 2.2.26.10.

F 2.27.1.*fi.c.*
Matres naturaliter plus diligút filios, quàm Patres, propter tria.

Vnde sit desiderium in parentibus filios procreandi.
G Mat. 22. *lit.c. ibi*, filium.

q *Quoniam verò, qui dat esse, dat consequentia ad esse; ex eo quòd parentes filios progenerant, debent eis, vt vidimus, nutrimentum: quod quidem duplex est, corporale nimirum, & spirituale; & hoc magis necessarium, moralis videlicet instructio.* A' Patre *enim* filij H accipere debent non solùm esse per generationem, sed disciplinam per instructionem; *vnde dicitur Eccli.* 7. Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. *Et hinc lex vetus* circa I filios instituit, vt patres eis disciplinam adhiberent, instruendo eos in fide; vnde dicitur Ex. 12. *Cum dixerint vobis filii vestri:* Quæ est ista Religio? *dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Et quòd etiam instruerent eos in moribus; vnde dicitur *Deut.* 21. quòd patres dicere debent: *Monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat & luxuriis atque conuiuiis &c.* Non L solùm *enim* sunt erudiendi pueri ignorantiæ expulsione, sed etiam morum informatione. De prima eruditione exemplum habemus *Prou.* 4. in Salomone loquente de se ipso: *Et ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat.* Suscipiat verba mea cor tuum (*non auris tantùm.*) De alia legitur *Tob.* 1. quòd *ab infantia filium suum timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Et hoc est M contra illos, qui delectantur in malitijs filiorum: sed sicut dicitur *Sap.* 4. Ex iniquis omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersùs parentes. *Ab infantia quippe instruendi sunt filii in fide optimisque moribus cum timore Domini: quia, vt dicitur Thren.* 3. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. *Hinc Anna filium suum Samuelem à natiuitate Domino obtulit & consecrauit*; 1. *Reg.* 1. Commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. *Ex quo de illo dicitur c.* 2. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus. *Sanè à pueritia Deo filios offerre, optimum est*: quia illud N ad quod à pueritia assuescimus, semper perfectiùs & firmiùs tenemus, secundùm illud Prou. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et ideò Apostoli instituerunt, vt pueri etiam infantes ad Christianam religionem reciperentur, vt in ea nutriti, firmiùs & perfectiùs ei inhærerent. Et hoc est, quod *Dionysius dicit* cap. vlt. Eccl. Hier. *Secundùm legem sanctam confirmati infantes ad habitum sanctum; habebunt consuetudinem, ab omni remoti errore, & immunda vita expertes: hoc diuinis nostris ducibus*, idest Apostolis, *ad mentem venit, & visum est suscipere infantes*. Multò autem magis excedit Christiana infidelium vitam, quàm vita religiosorum vitam secularium. Et ideò Religionum institutores ex eadem causa, qua Apostoli, moti sunt ad recipiendum infantes in religione, vt patet de B. Benedicto, qui vt *in* 2. *Dialog.* legitur, recepit nutriendum in religione Maurum duodennem, & Placidum septennem. *De quo luculentissimè vide* O. *Quòd si modò grandæuos filios religioni, aut Ecclesiæ alicui, ad Deo inseruiendum parentes offerunt; meminerint optima Deo offerenda cum Abel; qui obtulit Sacrificium de primogenitis gregis sui, non imperfecta cum Cain*; qui P optimas fruges retinuit, & minùs bonas Deo obtulit: sicut multi faciunt, qui nunquam Deo offerunt, nisi deterius. *Sic filium distortum, vel hebetem Deo in religione offerunt, optimum ad propriam vtilitatem sibi retinent: talium postea religiosorum scandala iniustè exaggerantes, cum ipsi in causa sint, Mal.* 1. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & immolat debile Domino. Deridendum *proinde* est Q prouerbium stultorum, quo dicitur: *Sanctum iuuenem futurum diabolum senem.* Differunt stultorum, & sapientum prouerbia. Stultorum prouerbia sunt noxia, & rarò contingentia: Sapientum

verò

Duplex nutrimentum debent filijs, corporale, & spirituale.
*H Ver.*18.4.*c.*

Quid circa filios statuerit vetus lex.
I 1.2.105.4. *fi. c.*

In fide & moribus potissimùm instruat.

*L Op. de er. Pr. l.*5.*c.*1.*fi.* & *Op.* 4. *de* 4. *prec.* §. 1.

Et à pueritia.

*M Op.*4. *loc. cit.*

Optimú est, filios adhuc tenellos Domino consecrare.

*N Quol.*4.*a.* 23.*c. Mat.*23. *lit.b. ibi*, testimonio.

O Ibid. per tot. art. & 2.2. 189. 1. *Et Op.* 17. *à cap.* 2. vsque *ad* 10. *inclus.*

*P Gen.*4. *ibi.*

Deridendum prouerbium stultorum: *Sanctum iuuenem futurum diabolum senem.*

*Q Op. de er. Pr. l.*5. *c.*12.

Deo optima offerēda, non imperfecta.

Imperfectiores filios religioni, aut Ecclesiæ non offerant.

verò prouerbia sunt vtilia, & semper valent, in pluribus veritatem habentia. Contingere potest, quòd pueri, in quibus apparuerunt bonæ conuersationis initia, mali fiant, vel societate praua, vel educatione remissa, vel seueritate nimia. Bonitas enim eorum est modica, & quasi tenera, & nondum firma: infirmis autem causa pusilla nocet. Aliquando verò in pueris non est vera simplicitas, vel bonitas, sed simulata vel ob parentum, aut magistri fauorem, vel flagellorum timorem: quibus cessantibus, malitia quæ latebat, erumpit. Tullius: *Nemo personam fictam ferre diu potest*. Ex virga recta speramus trabem rectam, licet virgula, dum tenera est, torqueri possit, & fieri torta. Non est periti medici ex signis bonis præsumere mortem infirmantis: nec sapientis est ex bono initio præsumere malum finem. Non est sapientis agricolæ ex zizania, quam in agro videt pullulare, frumentum sperare, nec zizaniam ex frumento. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*, Mat. 7. Cum dispositioni respondeat habitus, fatuissimum est, ex hoc quòd homo facit opera virtutum in iuuentute, præsumere, quòd vitiosus futurus sit in senectute. Prouerbio improbabili & stulto præponendum est Sapientiæ prouerbium, quo dicitur: *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius*, Prou. 20. Opera puerorum faciunt munda timor Dei, & hominum pudor.

Filios parentes instruant in fide & moribus: præsertim, vbi ad vsum rationis peruenerint, vt se ad Deū conuertant.

R 1.2. 89. 6. ad 3. In 2. d. 28. 1. 3. ad 5. & d. 42. 1. 5. ad 7. Ver. 24. 12. ad 2. & 28. 3. ad 4. Ma. 5. 2. ad 8. & q. 7. 10. ad 8.

S Op. de er. Pr. l. 5. c. 11.

5 *Igitur quò teneriùs filios parentes diligunt, eò diligentiùs in fide primùm erudiant; deinde in moribus. Præ cæteris autem curent, vt vbi ad vsum rationis peruenerint, se ad Deum conuertant*. Puer namque incipiens R habere vsum rationis, à peccato omissionis non liberatur, nisi quàm citò potest, se conuertat ad Deum. Primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti est, quòd de se ipso cogitet, ad quem alia ordinet, sicut ad finem: finis enim est prior in intentione. Et ideò hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmatiuo, quo Dominus dicit Zach. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. Ostendenda sunt S ei Dei beneficia & mandata, iuxta illud Deut. 6. & 32. *Narrabis ea filiis tuis*: & Apostoli Eph. 6. *Educate illos in disciplina & correptione Domini*. Ad morum informationem pertinet coercitio à malo, & exhortatio ad bonum. Iustitia correctoris sunt increpationes & comminationes, virgæ, ferulæ: *Quibus* secundùm Augustinum *imperitia debellatur, & praua cupiditas refrænatur*, Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Ideò in pueris huic pronitati occurrendum est, ne in actum exeat: sed diuersimodè secundùm puerorum diuersitatem. Aliqui enim sunt habiles ad suscipiendam disciplinam: quos non oportet trahere, vel cogere; sed sufficit eos ducere. Alios verò oportet trahere, vel cogere: &, si à principio profectus non appareat, non est propter hoc diffidendum, Prou. 19. *Erudi filium tuum, ne desperes*. Præcedere debet disciplinam comminatio; sicut excommunicationem præcedit admonitio: & aliquando vtilior est comminatio, quàm flagellatio: quia pueri timidi sunt, & ideò sola comminatione à suis voluptatibus coercentur. *Hinc* puerorum T eruditor, volens eos in bonis moribus informare, primò debet disciplinæ correctionis corporis intendere, quæ circa sex attenditur: & sunt gestus, habitus, loquela, sumptio cibi & potus, continentia coniugalis, vel maioris perfectionis. Ad monendi etiam sunt pueri ad humilitatem & sapientiam, & specialiter ad patientiam disciplinæ, & ad filialem obedientiam, sociabilitatem, puerilium euacuationem: accedente virili ætate, perseuerantiam; siue stabilitatem. De quibus singulis vide fusius V. *Quòd si hortatoria, & instructoria Parentum verba non prosint, ad verbera deueniendum, & flagella, Dei summi & optimi parentis exemplo*: Quem enim diligit Dominus (*ad Hebr. 12.*) castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Castigat, inquam*: Verbum autem X castigationis communiter accipitur in pueris, & in concupiscentia: dicimus enim castum, cuius concupiscentia castigata est. Similiter puer dicitur castigatus, qui est benè disciplinatus: quòd enim de se habet pronitatem ad malum, indiget refrænante. Talis autem est concupiscentia, & pueri, qui de se sequuntur impetus suos; ideò indigent castigante. Ille ergo, qui castigat, ideò hoc facit, ne tendant in malum, Et quia sensus nostri, & cogitatio nostra prona sunt ad malum; ideò Dominus castigat nos, vt retrahat nos à malo, Ier. 31. *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus*. In hoc autem castigat, quia flagellat; non quidem ad condemnationem, sed ad salutem. Vnde dicit; *Flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Et ideò qui non flagellantur, non sunt de numero filiorum, Ps. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Nec mirum, si flagellat omnem filium, quem recipit per adoptionem: quia & proprio filio suo non pepercit*, vt dicitur Rom. 8. *Quod & pater quisque agere debet cum filiis suis ad eorum salutem, vbi & quando oportet, paternè flagellans. Etenim verò* flagella Y magnæ efficaciæ sunt in erudiendo, & corrigendo. His erudiuntur & corriguntur etiam animalia irrationabilia; & non solùm flagellis proprijs, sed etiam alienis, vt patet in Leone, cui timor incutitur, flagellato coram eo catulo. In hominibus etiam sunt magnæ efficaciæ. Qui enim verbis erudiri non potest, eruditur verberibus, *Prou. 22.* Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. *Et cap. 29.* Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. *Et quamuis* principatus Z paternus (sicut dicitur *in 10. Ethic.*) habeat solùm admonendi potestatem, non autem vim coactiuam, per quam rebelles & contumaces comprimi possunt: vnde & lex mandabat, vt filius contumax à principibus ciuitatis puniretur (*vt Num. præced. visum est.*) *Nihilominus ad correctionem & disciplinam licitè potest pater filium verberare, cum ei in hoc subijciatur*. Nullus *enim* iustè A punit aliquem, nisi sit eius iurisdictioni subiectus: & ideò verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur licitè. Et quia filius subditur potestati patris, licitè potest verberare filium, causa correctionis & disciplinæ. *Et quidem*, sicut B licitum est aliquem verberare causa disciplinæ; ita etiam & causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conuitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocauit stultos *Luc. 24.* Et Apostolus Galatas insensatos *ad Gal. 3.* Rarò tamen (*ex Augustino*) & ex magna necessitate obiurgationes sunt adhibendæ, in quibus non nobis, sed vt domino seruiatur, instemus. *Neque hoc est contra Apostolum* Ephes. 6. *dicentem*: Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. *Nam* per hoc C non prohibetur patribus, quin filios ver-

T Ibid. cap. 13.

Quibusnam circa mores informent.

V Ibid. à cap. 14. seqq.

Non iuuantibus verbis, ad verbera deueniendum, exemplo Dei

X Hebr. 12. l. 2. ibi.

Qui non flagellantur, de numero filiorum non sunt.

Y Op. de er. pr. l. 5. c. 1.

Flagella magnæ sunt efficaciæ.

Z 1. 2. 105. 4. ad 5.

A 2. 2. 65. 2. in c.

Licitè possūt parentes filios verberare ad correctionem, & disciplinam non vltra.

B 2. 2. 72. 2. ad 2.

Et verbum aliquod conuitiosum ad reprimendum dicere.

C 2. 2. 65. 2. ad 1.

Moderatè verberent. D Eph. 6. l. 1. ibi.

verberent, causâ disciplinæ, sed quòd non immoderatè eos affligant verberibus. Vel *nolite ad iracundiam prouocare &c.* non D quòd in omnibus assentiatis voluntati eorum. Sed alius est principatus patris ad filium, & domini ad seruum: quia dominus vtitur seruo suo ad vtilitatem propriam, sed pater vtitur filio ad vtilitatem filij. (*Hinc Prou. 23. monetur* : Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgà, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de Inferno liberabis.) Et ideò est necesse, quòd patres instruant filios propter vtilitatem eorum; & sic non nimis attendo, aut subijciendo. Vnde subdit: *sed educate illos in disciplina; & correctione Domini. In disciplina,* scilicet verberum, *& correctione,* scilicet verborum, *in Domino,* vt scilicet seruiant Domino. *Hinc & ad Coloss. 3. reperit Apostolus*: Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant: *idest*, vt E non pusillanimes fiant. Cuius ratio est: quia homines retinent impressionem, quam à pueritia habuerunt. Naturale autem est, quòd qui in seruitute nutriuntur, semper sint pusillanimes. Vnde ratio est cuiusdam, quare filij Israel non statim in terram promissionis sunt perducti: quia fuerunt nutriti in seruitute, & non habuissent audaciam contra inimicos pugnandi, If. 35. *Dicite pusillanimis*: Confortamini, & nolite timere. *Ex quo non tantùm timor filiis est incutiendus, siue verbo, siue verbere, ne nimiùm pusillanimi fiant.*

Differentia inter dominum respectu serui, & patrem respectu filij.

E Coloss. 3. l. 4. ibi.

Nimium timorem filijs non incutiat.

Videant quibuscum conuersentur.

¶ *Videant vlteriùs parentes, & benè videant, quibuscum filii conuersentur: nam ex familiari malorum consortio innocentum puerorum inficiuntur mores. Vnde legimus Gen. 21.* Quòd cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius. *Quo loci*: Aliqui (*ait Author*) dicunt F quòd Ismael idola ludo fecit, iuxta illud Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, idest idola venerari, ludendo scilicet coram eis. Et hi dicunt, quòd ludendo, Isaac idola colere docebat. *Non ita iunior Sara, quæ ideò orans ad Dominum, dicebat Tob. 3.* Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. *Et quia peccata* G lasciuiæ magis abstrahunt à virtute, *quàm cætera: ideò potissimùm parentes inuigilent, vt à luxuria peccato, ad quam concupiscentia in ea in ætate magis inclinat, filios omninò abducant, ad Tit. 1.* Filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ: (*cui respondet illud 1. Tim. 3.* Filios habentem subditos cum omni castitate:) *nam* Heli H condemnatur, quia filios de hoc non correxit, *de quibus dicitur 1. Reg. 2. quòd* dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. *Quare autem frænare in hoc debeant filios, ratio adducitur*: Iuuenum enim I corpora feruent naturali calore, ex quo concitatur iuuentus ad delectationes corporales, quæ præcipuè consistunt in cibis & potibus, & venereis. *Ad hoc verò cautiùs vigilandum est circa filias, quàm circa filios. Et quamuis ad vtrumque hoc parentem attineat, conuenientiùs tamen matribus, quàm patribus, id cura esse debet, quæ diutiùs domi morantur. Monentur idcircò Eccli. 7.* Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. *Profectò magna* L diligentia adhibenda est circa filiarum custodiam: quia vt dicit Hieronymus: *Tenera res impudicitiæ fama quasi flos ad leuem marcescit auram.* Cohibendæ sunt

F Gen. 21. ibi.

G Tit. 1. l. 2. ibi, luxuriæ.

A peccato luxuriæ præsertim abducant.

H ibid. & 1. Tim. 3. l. 2. ibi.

Heli in hoc negligens condemnatur.

I Tit. 2. l. 1. ibi, senes.

Magis hac in re vigilandū circa filias, quàm circa filios, plusque matribus quàm patribus.

L Op. de er. Pr. l. 5. c. 49. Gen. 24. ibi puella Tit. 2. l. 1. ibi, adolescentulas.

filiæ ab euagatione, & discursu, ne accidat eis, sicut Dinæ, quæ *egressa est, vt videret mulieres regionis illius*, & occasione ista à Sichem corrupta est, *Gen. 34.* Reprehensibile est in muliere, quòd *garrula sit & vaga; quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis*, vt dicitur Prou. 7. Exemplum absconsionis habent in B. Virgine, de qua legitur If. 7. *Ecce Virgo concipiet: & secundùm Hier.* pro Virgine habetur in Hæbreo, *Alma*, quæ grecè dicitur *Apocrypha*, latinè *Virgo abscondita*: videlicet quæ nunquam aspectibus viri apparuit, sed magna parentum diligentia custodita fit. *Mariam*, sicut idem *Hieronymus* ait, *Angelus in penetralibus inuenit*. Maria verebatur etiam Angeli salutationem. Timeat virgo exire in publicum, si vult mundum seruare cor suum. Maximè custodiendæ sunt filiæ nobilium, quarum parentes magis debent timere & cauere opprobrium, quod frequenter ex negligentia circa custodiam illarum incurritur, *Eccli. 42.* Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis. *Et cap. 26.* In filia non auertente se firma custodiam, ne inuenta occasione vtatur se. *Absconditam verò, in pia, non amatoria lectione occupet mater, aut acus pictione, & huiusmodi exerceat: non ociosè degere sinat, superfluit, vanisque sublatis concinna mentis: nam in quiete* M *sedens inclusa, facilè in peccatum carnis labitur; maximè quia vitium hoc é vacatione. & ocio facilè nascitur. In Sponsi verò siue cælestis siue terreni electione, ne vel in minimo lædat tum mater tum pater libertatem, ne grauia spiritualiter ac temporaliter detrimenta, tam parentes quàm filia experiantur in teste patiantur.* (*De quibus omnibus fusè vide Tom. 1. V.* Cælibatus, Cultus exterior, Curiositas: *Tom. 2. V.* Matrimonium, & N.) *Qualiter autem ab aspectibus virorum matres modò filias abscondant, vel ipsi ditant amasii, quibus immò non rarò matres ad colloquia, & vltrà, commodum præstant: ex quo stupra frequenter, & familiarum opprobria, vt passim fama dispergit. Quia nimirùm quales ipsæ in iuuentute fuerunt, tales optant & filias esse. Vnde & parœmia*: Quales matres, tales filiæ, *Ezech. 16.* Sicut mater, ita & filia eius: *vt plurimùm enim fœminæ matrescunt, sicut patrizant masculi, ceu quos potissimùm generans intendit. Id quod in Herodiade & filia eius manifestum est: vtraque enim procax, impudica, crudelis fuit. De matre Remigius*. Impudica O mulier impudicè filiam suam nutriuit, quam non docuit pudorem, sed saltationem. *Vnde & dicitur Matt. 14. quòd impudenter saltauit filia Herodiadis in medio, hoc est, in publica regia aula*: omnes meretrices *ex Chrysostomo* virgo impudentia superans. *An non modò in puellis similia vidimus, ne dicam, abominationes maiores?*

¶ *Itaque à vitiis, quantum fieri potest, filii & filiæ à parentibus compescantur; non verò, vt præmissum est*, delectentur in malitijs filiorum; *sicut non pauci, quod fortè sibi similes in peccando cernant. Qua de causa & inter mates deteriorem consueuerunt vtplurimùm diligere: ex opposito ad Iacob, qui (vt ex Authore superiùs docuimus) propter* præcellentiorem bonitatem *Ioseph præ cæteris diligebat. At hi gloriantur in filiis pessimis, contra illud Eccli. 16.* Ne iucunderis in filijs impijs, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij: & vtile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios. *Quid si auertere non*

curent

Puellæ custodiendæ, exemplo B. Virginis.

Absconditæ occupentur ne faciat ocium vitiosas.

M Op. cit. cap. 50. inim.

In statu electione vis aut metus eis non incutiatur.

N. Ibid. vsque ad cap. 60.

Qualis mater, talis filia.

O Mat. 14. lit. b. in Cat. Aur.

Non delectentur parentes in malitijs filiorum.

Negligentes in instruendo excidium filiorum sunt.

P Iob 5. l. 1. ibi.

curent à vitiis, aut priusquàm culpis inficiantur, instruere in bonis moribus negligant, excidium spirituale, ac temporale filiorum sunt. Quo sensu dicitur Iob 5. Longè fient filij eius à salute &c. Etenim frequenter P contingit, quòd quando aliquis diues & potens filios sine disciplina nutrit, filij eius in multa pericula incidunt: & quandoque quidem propter odia, quæ in se concitant, absque iudicio perimuntur: vel etiam, dum ipsi non cauent, inordinatè delectamento vtentes, vitam amittunt. Et quantùm ad hoc, dicit: Longè fient filii eius à salute. Quandoque verò, dum calumnias & iniurias alijs inferunt, coram iudicibus conueniunt, & ibi condemnantur. Et quantùm ad hoc, dicit: & conterentur in porta; idest, per sententias iudicum: nam Iudices olim in portis sedere solebant. Et quia homines stulti in prosperitatibus nullum dubitant offendere, in aduersitatibus non inueniunt adiutorem. Et ideò subdit: Et non est qui eruat. Et c. 27. Si multiplicati fuerint filii eius, in gladio erunt, idest Q occidentur. Quotidiana habemus exempla. Sanè diligentes R quidam sunt circa pecora sua custodienda, & opportuno tempore edomanda. Chariores videntur habere multi porcos suos, quàm filios. Dixit Cæsar Augustus de Herode, qui proprios filios suos occiderat: Mallem esse porcus Herodis, quàm filius; quia cum ipse sit porcus, pascit porcos, & filios occidit. Quodammodò filios occidunt qui defectu custodiæ & disciplinæ eos perire permittunt. In animalibus brutis naturalis est amor ad foetus suos, & habent curam de eorum custodia & eruditione. Gallina, vt pullos suos custodiat, sub alis suis eos congregat, iuxta verbum Saluatoris Mat. 23. & de Aquila dicitur Deut. 32. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Plùs videntur pueri indigere custodia, & eruditione, quàm animalia irrationabilia. Illa enim sibi nociua timent & fugiunt, & salutem suam appetunt: pueri verò noxia cupiunt, & salubria negligunt, Prou. 1. Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient? Ideò multùm damnosa est negligentia circa eruditionem filiorum: bona enim, quæ non agnoscuntur, non desiderantur, non quæruntur, non obtinentur. Econtrario verò, si agnoscantur, desiderantur, quæruntur, & obtinentur. Negligentia ista multùm est exosa Deo, vt patet in Heli. 1. Reg. 3. Suscitabo aduersùm Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius &c. eo quòd nouerat, indignè agere filios suos, & non corripuerit eos (vt & superiùs prætactum est.) Vnde & cap. 4. legitur, quòd in bello Filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees: & ipse cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. Vt nimirùm hinc Patres ediscant, grauiter & hìc puniri à Deo ipsorum segnitiem in educatione filiorum, & conniuentiam in correctione; nec quamcumque sufficere ad euadendum flagellum: nam & de ipso Heli scriptum est, filios corripuisse, ibid. cap. 2. Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filij mei &c. cum iis, quæ sequuntur. Et tamen, quia, vti debuerat, non acriter, non efficaciter, non repetitò verbo & verbere corripuit, dicitur: eo quòd non corripuerit eos. Non secus & quidam patres faciunt, qui adeò leniter filios corripiunt, vt potiùs in malo foueant, quàm retrahant; vnde & tempore suo iustè propter eos contristantur, Eccli. 30. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, & non des illi potestatem &c. Neque enim in vitio palpandi filii sunt, neque nimiùm familiariter cum eis tractandum: familiaritas enim, paternæ correptionis parit contemptum.

Q Iob. 27. l. c. ibi, in gladio.

Quidam custodiunt magis pecora, quàm filios.

R Op. de er. Pr. l. 5 cap. 2.

Non custodientes, occidunt eos.

Naturaliter parentes brutorum, filiorum curam habent.

Negligentia in filiorum cura punitur à Deo.

Non palpandi filij, sed acriter corrigendi.

u Quòd si correptionis subtractum verbum, excidium filiorum est: quantò magis exemplum prauum? Oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego, protestatur Dominus Osee 4. Filij quippè liberiùs S imitantur peccata parentum, vtpotè à pueritia in eis nutriti. Nam vt in pluribus filii, sicut in naturalibus, ita & in moralibus, parentibus assimilantur. Hinc ad illud Io. 8. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, docemur, quòd signum T filiationis alicuius est, quòd assimiletur ei, cuius est filius. Sicut enim filij carnales, vt plurimùm parentibus carnalibus assimilantur: ita & filij spirituales, si sint verè filij, debent spirituales parentes imitari, Eph. 5. Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Et ex opposito eodem cap. subiicitur: Vos ex patre diabolo estis, scilicet per V imitationem, Ezech. 16. Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Cethæa. Non enim Iudæi, vt mali, dicuntur filij diaboli natura, sed imitatione. Quò facit illud Domini ad Pharisæos Mat. 23. Testimonio estis vobis metipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Vbi Author: Aliquando inquit accidit X quòd filius habet bonum patrem & malam matrem; & è conuerso: & sequitur bonitatem patris, vel matris. Sed si vterque sit malus, rarò accidit, quin imitetur malitiam eorum. Et ratio est: quia filij malorum assuescunt malo à principio; & ei, ad quod assuescunt in iuuentute, fortiùs adhærent: & ideò magis sunt procliues ad malum. Item parentes mali, cum vident filios aliquod malum agere, non castigant eos: quare peccatum eorum aggrauatur, ita quòd peccata parentum redundant in filios. Et ideò dicit: quia filii estis eorum, quia habetis malitiam eorum, Sap. 3. Nequissimi filii eorum. Possunt sanè peccata Y actualia proximorum parentum deriuari ad filios per imitationem propter conuersationem assiduam filiorum cum eis. Ex malo ergo parentum viru, & exemplo, mali efficiuntur & filii. Non enim potest arbor mala bonos fructus facere, Mat. 7. Parentum exemplum est veluti humor in plantis: In Z arboribus quippè mittit truncus ad ramos & fructus humorem, vnde nutriuntur, & augentur. Si bonus est humor, bonos fructus arbor facit; si malus, malos. Ita & parentum exemplum respectu filiorum. Ex quo vt plurimùm malorum parentum mali sunt filii. Quo eodem sensu dicitur Ps. 16. Saturati sunt filijs, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis. Filiis, idest A peccatis, vel malis operibus. Mala enim opera dicuntur filij malorum, sicut bona opera filij bonorum. Et dimiserunt reliquias suas paruulis suis. Quasi dicat: deriuantur ad filios, qui imitati sunt peccata eorum, Sap. 4. Ex iniquis omnes filii, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersùs parentes. Vel saturati sunt filiis, idest ad vtilitatem filiorum: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis, qui eos ad peccatum, quantùm in eis fuit, obligauerunt, Mat. 27. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vel saturati sunt filiis, idest pro filijs: quasi ita saturati sunt peccatis, quòd sufficit eis, & filijs suis: idest, reliqua peccata, quæ non fecerunt ipsi, dimiserunt facienda filijs suis. Ea propter Mat. 12. Progenies viperarum vocabat Dominus Pharisæos. Ex quo loco deducit Author, quòd pluries B qui parentes habent malos, promptiores sunt ad malum, vt ab initio expressit. Et huc respexit Sapiens, cum prompsit Eccli. 11. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs suis agnoscitur vir. Cui respondet illud Math. 7. Ex fructibus

Prauum parentum exemplum quàm damnosum filijs.

S Hann. 2. d. 34. 1. 2. fi. Et in alio d. 33. 1. 2. ad 3. & 1. 2. 87.

Quorum liberiùs peccata imitantur.

T Io. 8. l. 5. lit. b. ibi.

V Ibid. l. 4. lit. a.

X Mat. 23. lit. b. ibi, Quol. 4. a. 23. c.

Peccata parentum deriuantur ad filios per imitationem.

Y Ma. 4. 8. fi. c.

Z Op. de er. Pr. l. 5. c. 2.

Eorũ exemplum velut humor in plantis.

A Ps 16. lit. e. ibi Apoc. 16. com. 1. ibi, Ruben.

Quales parentes, tales & filij.

B Mat. 12. lit. b. ibi.

eorum cognoscetis eos. *Et vniuersaliter verum habet* (*siue in bonum, siue in malum sumatur*) *quod de filio legimus Eccli.* 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. *Quid plura? Non desunt ex plebe parentes, qui filios innocentes & filias* (*horrendum dictu!*) *ad ebrietatem & comessationes in tabernis domique souendum, impiè non minùs, quàm ignominiosè prostituunt. Id quod ad literam traditur Ioel.* 3. Posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.

Mali parentes in filiis & per filios à Deo puniuntur.

C Ps. 6. lit. a. & Ps. 3. lit. a. sub initio.

X *Quoniam verò Sap.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, *nedum in filiis, sed & per filios, quos male exemplo corrumpunt, non rarò parentes puniuntur. Patens habemus exemplum in Dauid, qui ad* crimen C adulterij addidit crimen homicidij. Vnde Vriam virum Bersabeæ proditoriè iussit occidi: pro quibus peccatis grauissimis iusto Dei iudicio passus est à filio persecutionem, *cui adeò graue scandalum attulerat. Et filius præterea ex adulterio natus, ei iustè per mortem sublatus est. Vnde* 2. Reg. 12. *à Nathan dictum est ei*: Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur. *De Rege etiam Assyriorum Sennacherib legimus* 2. *Paral.* 32. *quòd* locutus est contra Deum Ierusalem. Orauerunt igitur Ezechias Rex, & Isaias filius Amos prophetes, aduersùm hanc blasphemiam, ac vociferati sunt vsque in Cælum. Et misit Dominus Angelum suum, qui percussit omnem virum robustum & bellatorem & principem exercitus Assyriorum: reuersusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset Domum Dei sui, filij qui ingressi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. *Quos enim malo paterno exemplo blasphemare docuerat, iustum erat, vt per eos à Domino puniretur. Tale quidpiam legimus* ex Diuo Gregorio *apud Authorem, quòd* quidam D puer propter peccatum blasphemiæ à diabolo extinctus est, *hoc pacto & patrem Deo iustè in filio puniente, à quo fortè blasphemare didicerat* (*vt & nostro tempore audimus, malitia ætatem vincente*:) *vnde & subdit Gregorius*: Pater pueri, animam paruuli negligens, non paruum peccatorem gehennæ ignibus nutriuit, *malo vtique exemplo. Punit igitur Deus & in filiis peccata patrum, adeò sibi abominabilia sunt; vnde legimus Exod.* 20. *&* 34. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertia & quartam generationem eorum. *Et ad hoc sunt vt plurimùm aduersitates, infortunia, naufragia, submersiones, vredo, grandines, ægritudines, interitus, & huiusmodi, quibus filij & nepotes sceleratorum hominum* (*causam ignorantes, vel considerare nolentes*) *sæpè sæpiùs obnoxij sunt, etiam interdum innocentes, quia patrès eorum prauo suo exemplo* ad peccatum, quantum in eis fuit, obligauerunt (*vt præfatum est*) *quamuis non admiserint imitando*, Thren. 5. *Patres nostri peccauerunt*: vbi E exaggerat seruitutem, quia pro peccatis aliorum puniuntur: *& non sunt*, quia sunt mortui, *& nos iniquitatem eorum portauimus*, pœnas scilicet eorum sustinentes. *Pro cuius pleniori notitia sciendum, quòd* vnus homo F pœna spirituali nunquam punitur pro peccato alterius: quia pœna spiritualis pertinet ad animam, secundùm quam quilibet est liber sui. Pœna autem temporali quandoque vnus punitur pro peccato alterius triplici ratione. *Primò* quidem, quia vnus homo temporaliter est res alterius: & ita in pœnam eius etiam ipse punitur. Sicut filij secundùm corpus sunt quædam res patris, & serui quædam res dominorum. *Alio modo*, in quantùm peccatum vnius deriuatur in alterum, vel per imitationem, sicut filij imitantur peccata parentum, & serui peccata dominorum, vt audaciùs peccent; vel per modum meriti, sicut peccata subditorum merentur peccatorem Prælatum, secundùm illud Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Vnde & pro peccato Dauid populum numerantis populus Israel punitus est, vt habetur 2. *Reg. vlt.* Siuè etiam per aliqualem consensum, seu dissimulationem: sicut etiam interdum boni simul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt, vt *Augustinus* dicit in 1. de Ciu. Dei. *Tertiò* ad commendandum vnitatem societatis, ex qua vnus debet pro alio solicitus esse, ne peccet: & ad detestationem peccati, dum pœna vnius redundat in omnes, quasi omnes essent vnum corpus, vt *Augustinus* dicit de peccato Achan. Quod autem Dominus dicit: *Visitans peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*; magis videtur ad misericordiam, quàm ad seueritatem pertinere, dum non statim vindictam adhibet, sed expectat in posterum, vt vel saltem posteri corrigantur: sed crescente malitia posterorum, quasi necesse est vltionem inferri. *Igitur, ad rem nostram*, duplex G est pœna. Vna, qua quis punitur in bonis animæ: & quia animam filius à patre non trahit, sed habet immediatè à Deo; ideò tali pœna filij pro peccato patris nullo modo puniuntur. Et hoc est, quod significatur Ezech. 18. *Omnes animæ meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filii, mea est.* Alia pœna est, qua quis punitur in bonis corporis, vel exterioribus, quæ vel filius habet à patre, vel per ea debet patri prouidere: Et tali pœna quandoque punitur filius pro peccato patris, quasi res quædam patris existens: sicut occiduntur pecora, & diruuntur domus, in quibus nulla est culpa, pro eo quòd sunt res peccatoris, qui in eis punitur. *Dicitur autem Deus* visitans iniquitates patrum in filios in tertia & quarta generationem, *videlicet* quia H tantum consueuerunt homines viuere, vt tertiam & quartam generationem videant: & sic mutuò videre possunt & filij peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum. *Coherenter pariter ad hæc, alibi instruimur, quòd* pœna I duo habet, læsionem scilicet, & remedium. Nam aliquando abscinditur membrum, vt totum corpus conseruetur. Et sic pœna huius læsionem infert, inquantùm absciditur: sed remedium habet, in quantùm conseruat corpus. Nunquam tamen medicus nobilius membrum abscindit propter conseruationem minùs nobilis: sed è conuerso. In rebus autem humanis anima nobilior est corpore, & corpus nobilius exterioribus rebus: & ideò nunquam fit, vt aliquis pro peccato alterius in anima puniatur; sed potiùs in corpore propter remedium animæ. Et tunc huiusmodi pœnæ non inferuntur, vt læsiuæ tantùm, sed vt purgatiuæ in remedium. Vnde & ipsa puerorum Sodomitarum occisio *Gen.* 19. fuit ad bonum animarum; non quidem ad meritum, sed ne paternæ malitiæ imitatores, viuendo peccata cumulantes, atrociùs punirentur. Sic etiam pro peccatis parentum plures aliqui puniuntur. *Et huc facit quod habetur Iob* 21. Deus seruabit filijs illius dolorem patris: & cum

Cur sine iniustitiæ læsione puniantur filii pro peccatis parentum.

Punitur quis pro peccato alterius temporali pœna triplici ex causa: nunquam tamen pœna spirituali.

G Hann. 2. d. 34. 1. 2. c.

H 1. 2. 87. 8. ad 1.

I Io. 9. l. 1. lit. b. & locis cit.

Punitur corpus in remedium animæ, non è conuerso.

D 4. d. 44. 2. 2. art. 2. & in resp.

E Thren. 5. ibi.

F 2. 2. 108. 4. ad 1. & 1. 2. 87. 8. & in 2. d. 33. 1. 2. 0. Ma. 4. 8. ad 6. & 7. Dan. 6. dub. 4. Mat. 23. lit. b. ibi, testimonio. Io. 9. l. 1. lit. b.

L Iob. 21. l. 1. ibi.

Viuens adhuc pater videt punitionem suæ culpæ in filijs.

cum rediderit, tunc sciet. Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? *Seruabit filiis illius dolorem Patris*: scilicet L quia peccata patris pertingunt vsque ad filios, imitatores paternæ malitiæ. Nec differtur hoc vsque post mortem patris, sed viuente, & cognoscente patre hoc erit. Vnde subdit: *Et cum reddiderit*, scilicet Deus pœnam filijs; *tunc sciet*, scilicet pater; vnde subdit: *videbunt oculi eius interfectionem suam*, idest filiorum suorum, vel quamcumque aduersitatem. Et in hoc ipso *de furore Omnipotentis bibet*: quia hoc ipsum pertinet ad pœnam patris, quòd filij eo viuente puniuntur; non autem, si punirentur post eius mortem; vnde subdit: *Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se?* idest, non affligeretur à futuris infortunijs posterorum, maximè cum peccator post mortem hoc ignoret. *Quod & cap. 14. innuitur*: Siuè nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget: attamen caro eius, dum viuet, dolebit.

Plerumque filij parentum peccata imitantur.

y *Cæterùm, licèt quandoque filius paterna non sit malitia imitator.*: *vtplurimùm tamen, quia multa est exemplum efficacia, filii peccata parentum imitantur. Si enim pater turpiloquus est & blasphemus, nunquid filius orationibus vacabit? Impudicum scortum (ad vxoris tormentum) vel domi detinet ille: & hic* non dissipabit substantiam suam, viuendo luxuriosè? *Ecclesiam frequentabit filius, dum tabernam quotidie visitat pater? Floribus & rosis adornat mater caput: & filia spinosa cilicio lumbos pracinget? illa tripudiis vacat saliendo: hac meditationibus genua flectendo? Veneri Mater corpus immolat suum: Virgini filia suam commendabit puritatem? Ergo malorum parentum vitia, ob prauum exemplum, filii plerumque imitantur; nisi speciali Deì dono reddantur immunes. Quòd si filius quispiam, ex bona indolè, & magis diuino fultus auxilio, paterna malitia imitator non fuerit, pro peccato patris non flagellatur vtplurimùm, nisi fortè ad virtutis probationem maiorem, vt contigit Iob, & Apostolo Paulo, Ezech.* 18. Quare non portauit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa, viuet vita. *Ex opposito, si boni patris, neque in corrigendo segnis, discoli euaserint filii: punientur quidem, at non adeò grauia sentient diuina ultionis flagella, intuitu patris. Hinc legimus, deprauato per mulieres Salomoni dixisse Dominum 3. Reg.* 11. Quia non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum. *Nihilominùs, sicut rarò contingit, ut parentes praui bonos filios habeant*; neque enim progenerant aquilæ columbam: *ita infrequenter accidit, ut parentes optimi filios uideant à paterna degeneres bonitate. Sed & ipsi viuentes, in filiorum innocentia beantur, & in morte filios relinquunt in terris beatos, Prou.* 20. Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet. *Beati inquam sunt in filiis adhuc viuentes optimi patres: quod innui videtur Ps.* 127. Beatus es, & benè tibi erit: *beatus*! *scilicet pater in præsenti, beatior in futuro beatus in se, beatior in filiis; vnde subditur*: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. *Cui respondet illud Eccli.* 50. Et circa illum corona fratrum; *& Prou.* 17. Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum. *Quàm felix, quàm beata domus, vbi ex parentum, & filiorum innocentia gaudium tantum, & pax! cuius quidem* Oliua *Symbolum præfert*. Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum *cum charis parentibus in Domino*! *Nam* qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, *vt dicitur* 1. *Io.* 4. *Et ad ad hoc singulas hortatur familias Apostolus Petrus in sua* 1. *Cap.* 3. In fide autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores. *In fide vnanimes*, vnum M scilicet de fide sentientes: vel *unanimes*; idest cor vnum, & animam vnam habentes, non dissentientes: *compatientes*, vt sic vos ostendatis vnius corporis esse membra: *si quid* enim *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* 1. ad Cor. 12. *fraternitatis amatores*, fraternæ scilicet vnitatis & concordiæ conseruatores. *Et iterum* 2. *Pet.* 1. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem (*quæ propriè ad parentes est*) in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem: *idest* Dei N amorem, *ad Coloss.* 3. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: *sine qua nullum bonum, per quam omnia habentur bona: sine qua familia vtplurimùm destruuntur, per quam diu feliciter conseruantur*. DISCE, *in bona filiorum educatione humanam stabiliri felicitatem. Vide* Exemplum Maiorum *Tomo* 2.

Boni filij vtplurimùm pro peccato patris non flagellantur; nisi ad maiorem probationem virtutis.

Optimi parentes in filiorum innocentia & in terris beatur, filiosque felices relinquunt.

Felix familia in pace & charitate manens

M 1. Pet. 3. §. 4. ibi.

N 2. Pet. 1. §. 2. ibi.



PASCHA. *Vide* Agnus Paſchalis, Chriſti Paſſio *Tom.* 1.

PASSIO. *Vide* Amor, Chriſti Conceptio, Paſſio *Tomo* 1. Peccator, Peccatum.

PATER. *Vide* Parentes.

PATER DIVINVS. *Vide* Deus Trinus *Tom.* 2.

PATIENTIA. *Vide* Chriſti Paſſio *Tomo* 1. Fortitudo *Tomo* 2. Tribulatio.

PATRONVS. *Vide* Aduocatus *Tomo* 1.

PAULUS APOSTOLUS,

IV. Nullus Apoſtolorum per tot loca prædicauit, & annunciauit Chriſtum, ſicut Paulus: nullus tot perſecutiones, & tribulationes ſuſtinuit, vt ipſe 2. Cor. 11. enumerat. 1. *ad Cor.* 15. *lect.* 1. *fin.*

Chryſoſtomi encomium de Apoſtolo Paulo.
O Chryſ. hom. 8. de laud. Pauſ.

Z DE *Apoſtolo Paulo ſermonem inſtituturus, non poſſum aurea Chryſoſtomi verba non vſurpare, ex intimo cordis pronuncians*: Sæpè O fulgido Cæli globo delectatus oculus, ad ſpectaculum oppoſiti è regione luminis ſeſe violenter intendit: & licèt ſentiat, aciem ſuam imparem radiorum eſſe certamini; deſiderio tamen pulcherrimi illius luminis intuendi, libenter inacceſſibilis radiantis orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quidpiam ego ipſe perpetior: qui cum videam, propriæ mentis oculos ex radijs Apoſtolici ſplendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam, miro fulgore virtutum rutilantem, velut eminùs intueri, & contra importabiles Solis micatus contentioſa ſubire certamina. Sol enim quidam eſt hominibus Paulus: qui totum prorsùs Orbem fulgentibus linguæ ſuæ radijs illuminauit, quique vniuerſas circumeundo Gentes, curſum omninò Solis imitatus eſt: *ita vt vel vni Paulo conueniat quod Dominus ad Apoſtolus ait Mat.* 5. Vos eſtis lux mundi: *quippè qui ſpecialiter à Chriſto electus*, vt nomen eius portaret coram Gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael, *ut dicitur Act. 9. Verè Mundi lumen, & Gentium: quod quidem in illum à Chriſto Domino deriuatum eſt, quando ab ipſo vocatum* circumfulſit eum lux de Cælo; *tunc enim lux de luce effectus vere nae ſt, & lumen de lumine, ſcilicet Chriſto, de quo dictum eſt Luc.* 2. Lumen ad reuelationem Gentium: *quibus, participatione primi luminis, Paulus nomen eius prædicando reuelauit: ut ex ſeqq. magis patebit. Fuit autem Paulus, vt ipſe teſtatur Act. 21. & 22.* Vir Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ. *Vnde & ad Philip. 3.* Si quis alius (*inquit*) videtur confidere in carne: ego magis, circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus &c. *Per quæ verba* oſtendit P eminentiam ſuam in ſtatu illo. Et primò quantùm ad genus: ſecundò quantùm ad conuerſationem. Quantùm ad primum tripliciter. *Primò* quantùm ad generis Sacramentum, quia *circumciſus octauo die*: hæc enim erat differentia inter proſelytos (*hoc eſt*, qui Q ex Gentibus à Iudæis conuertebantur ad fidem eorum) & eos, qui erant de genere Abraham: quia illi non circumcidebantur octauo die, ſed iam adulti, quando conuertebantur: ſed iſti ſecundùm legem octauo die, Gen. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*. Sic ergo non vt proſelytus, ſed vt verè Iſraelita, circumciſus fuit. *Secundò* quantùm ad ipſum genus. Et primò quantùm ad gentem, cum dicit, *ex genere Iſrael*. Ex Abraham enim duæ gentes deſcenderunt: vna per Iſaac, & alia per Iſmael. De primo duæ: vna per Eſau, & alia per Iacob. Sed duæ, ſcilicet quæ ex Eſau, & Iſmaelitæ, non ſunt conſecutæ hæreditatem, ſed ſolus Iacob, qui & Iſraeli ideò dicit, *ex genere Iſrael*, 2. ad Cor. 11. *Iſraelitæ ſunt, & ego*. Item quantùm ad tribum: quia in tribu Iſrael erant quidam de ancillis, ſcilicet de Bala & Zelpha: quidam de liberis, ſcilicet de Lia & Rachel. Et inter ipſos quædam ſemper erant in cultu Dei, ſcilicet Leui, Iuda, & Beniamin: aliæ tempore Ieroboam conuerſæ ſunt ad idola. Et ideò tribus Beniamin priuilegiata erat, Gen. 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia*. Quo figurabatur Paulus, qui fuit quandoque contra Eccleſiam: (*vnde & hic ſubdit*: ſecundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei. *De Beniamin porrò natu minimo inter filios Iacob, legitur* Gen. 45. *Quòd cum Ioſeph eorum frater, iam à Rege* ſuper vniuerſam terram Ægypti conſtitutus eſſet, *voluit fratribus incognitus, Beniamin coram ſe adduci: & tunc cohiberi non potuit, quin teneritudinis fletu ſe illis manifeſtaret*. Per Beniamin R deſignatur Paulus, qui ad literam de tribu Beniamin fuit; qui etiam nouiſſimus fuit Apoſtolorum; & clamat ſe illorum minimum, ſeu maximum peccatorum. Vſquequò autem ipſe fuit clare adductus ad Chriſtum, non ſe reuelauit Chriſtus ad plenum gentibus: ſed in huius aduentu, fracto cæremonialium velo, reuelata eſt myſtica ſapientia Scripturarum. Nam Beniamin iſte in mentis exceſſu *raptus eſt vſque ad tertium Cælum*. Et ideò ex tunc Chriſtus non ſe potuit cohibere, quin per os Pauli prædicaretur Orbi.) *Tertiò* quantùm ad nomen & linguam, cum dicit *Hebræus*. Aliqui dicunt, quòd Hebræus dicitur ab Abraham; & hoc dicit *Auguſtinus*: ſed poſtea retractat. Sed dicitur ab Heber, de quo *Gen.* 11. Quòd autem non ab Abraham, patet: quia etiam Abraham dicitur Hebræus, Gen. 14. *Nunciauit Abrahæ Hebræo*. Dicit autem *Gloſſa ſuper Gen. 11. cit.* quòd tempore Heber diuiſum eſt labium gentium omnium, & illa lingua, quæ priùs erat, remanſit in familia Heber, & in cultu vnius Dei, & inter omnes Hebræos. Natus eſt etiam Paulus ex parentibus Hebræis; & ideò dicit, *ex Hebræis*. Deinde oſtendit ſuam eminentiam quoad conuerſationem quantùm ad ſectam, cum dicit: *ſecundùm legem Phariſæus*. Apud Iudæos ſiquidem erant tres ſectæ, ſcilicet Phariſæorum, Sadducæorum, & Heſſæorum. Sed Phariſæi magis ad veritatem accedebant: quia Sadducæi negabant reſurrectionem, neque credebant eſſe Angelos, neque Spiritus. Phariſæi autem vtrumque confitebantur, vt dicitur *Act.* 23. Et ideò in hoc

Paulus vbi natus.

P Phil. 3. l. 1. ibi Rom. 11. l. 1. ibi, Iſraelita, *Prol. ad Eph. & ad Gal. 1. l. 4. ibi*, ſegregauit.

Proſelyti quinam eſſent.

Q Mat. 23. lit. b. ſub initio Rom. 11. loc. cit.

Paulus Iſraelita.

De tribu Beniamin ad literam.

Myſticè per Beniamin Paulus.

R Gen. 45. fin.

Hebræi vnde dicantur.

Paulus Hebræus.

Et Phariſæus.

Tres Iudæorum ſectæ.

hoc commendabilior est secta Pharisæorum. Quomodo autem Pharisæus fuerit, dicit Act. 26. *Quoniam secundùm certissimam sectam nostra religionis vixi Pharisæus. De quibus* Augustinus *Serm. 15 de verb. Apost.* Pharisæi primarij erant, & quasi ad nobilitatem Iudaicam segregati, non commisti plebi: quomodo in latina lingua egregius dicitur quasi à grege separatus. *Ex quo & Pauli nobilitas elucescit. Sed & ciuem Romanum apertè se facit Act. 22.*

Nobilis, & Ciuis Romanus.

Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? *Neque ex eo, quòd dicenti ad se Tribuno:* Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum, *Paulus responderit*: Ego autem & natus sum; *deducendum est, quòd Romæ fuerit natus, non in Tarso Ciliciæ, ut dicebamus: nam his verbis voluit innuere Paulus, se natum Ciuem Romanum, quia ex patre, Romano ciue*: sicut Tribunus se multa summa ciuitatem Romanam consecutum fuisse, *idest ordinem ciuilem Romanorum* (vulgo Cittadinanza:) *unde & in pluribus exemplaribus legitur*, ciuilitatem hanc, *non* ciuitatem. *Quo sensu scripsit & Author, cum ait*: Aliqui S inter Apostolos nobiles fuerunt, sicut ipse Paulus, qui in Ciuitate Romana se natum dicit *Act. 22.* idest natum Romanum Ciuem. *Et quòd ita sit, confirmat Author ad illud 2. Tim. 4.* Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum: *instruimur enim ibi, quòd secundùm Hieronymum* Penula T erat volumen legis, quod habebat in charta per modum rotuli, & hoc vocat penulam. Vel penula dicitur vestis aliqua (*aliis vestis densa, itineraria, vilis, loco pallii tempore pluuio*:) & ideò *secundùm Chrysostomum* erat vestis communis. Et quia Apostolus Romæ erat pauper, non accipiens ab alijs: ideò voluit, ut sibi vestis portaretur. *Haymo* dicit, quòd erat specialis vestis in signum nobilitatis. Pater enim Pauli seruierat Romanis in Tarso Ciciliæ: & ex hoc factus fuit Ciuis Romanus. Penula autem erat vestis in signum Consulis: & fortè pater suus erat ibi Consul.

S *1. Cor. 1. l. 4. ibi*, nobiles *2. Tim. 4. l. 3 ibi*, penulam.

Penula quid. T *2. Tim. 4. l. 3. ibi.*

Paulus filius Consulis.

a *Cum autem* abundantiùs *esset* æmulator paternarum traditionum (*ut ipse ait ad Gal. 1.*) adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas: ut si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de Cælo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule quid me persequeris?* Qui dixit: *Quis es Domine?* Et ille: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Et tremens, ac stupens dixit: *Domine, quid me vis facere? cum iis quæ sequuntur* Act. 9. *Hoc autem accidit non multo tempore ante mortem Tiberii Cæsaris.* Paulus *enim* conuersus V fuit ad Christum anno, quo Christus passus est. Christus autem passus est circa finem Tiberij Cæsaris: & nondum mortuus erat, quando Paulus fuit conuersus. *Et quidem tunc Paulus, adhuc tempus adolescentiæ non expleuerat: nam eodem anno in lapidatione Stephani describitur adolescens, Act. 7.* Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. *Ex quo Author ad illa verba Apostoli ad Philemonem*, ut Paulus senex, *docet, quòd conuersus* X fuit adolescens (*apud Ganantum ætatis 34.*) nunc dicit, *ut senex. De qua sui à Christo vocatione, ac cælesti visione ipsemet ait 1. Cor. 15.* Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi. *Tanquam abortiuo* dicit Y propter tria. Abortiuus enim dicitur aliquis foetus: vel quia nascitur extra tempus debitum; vel quia cum violentia educitur; vel quia non perducitur ad debitam quantitatem. *Primò* enim ipse extra tempus aliorum Apostolorum renatus est in Christo: nam alij Apostoli renati sunt in Christo ante aduentum Spiritus Sancti; Paulus verò post. *Secundò* quia alij Apostoli spontaneè conuersi sunt ad Christum, sed Paulus coactus, cum ad terram prostratus est, *Act. 9.* Et hoc multùm valet contra hæreticos, qui dicunt, quod nullus debet cogi ad fidem; quia Paulus coactus fuit: & sicut dicit *Augustinus*, plus profecit in fide Paulus, cum coactè conuersus est, quàm multi, qui spontaneè venerunt. *Tertiò* quia reputat se alijs minorem, & non peruenisse ad virtutem aliorum Apostolorum. Et ideò, quasi rationem assignans, *subdit*: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. *Ex quo Pauli humilitatem disce. Neque ex eo, quòd ad fidem dicitur Paulus coactus, impiè asserendum est, non voluntariè conuersum*: licèt *enim* Paulus Z antequam iustificatus esset, immediatè gratiam fidei impugnaret, tamen in ipso instanti iustificationis suæ consensit per lib. arbitrium, diuina gratia commotum. Motum enim gratuitæ voluntatis in instanti potest Deus alicui mittere, sine quo non est iustificatio: sed sine præparatione præcedenti iustificatio esse potest. *Quo sensu petit & à Deo Ecclesia in quadam secreta*: Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. *Enimuerò* iustificatio A semper est cum cooperatione voluntatis, quæ præparatio dicitur. Sed hæc cooperatio quandoque diu ante incipit, quàm gratia infundatur. Quandoque autem, quia perfecta est, statim iustificationem adnexam habet. Vnde potest contingere, quod aliquis, dum est in proposito & intentione peccandi, subitò eius voluntas conuertatur ad Deum, vel ex aliquo exteriori occasionem accipiens, sicut fuit in Paulo: vel etiam ex aliquo interiori instinctu, quo cor hominis mouetur à Deo. *Et hoc modo dici potest Pauli conuersio miraculosa, in quantùm miraculum etiam dicitur*, quando B in operibus miraculosis inuenitur aliquid præter solitum & consuetum ordinem causandi effectum: sicut cum aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subitò præter solitum cursum sanationis, quæ fit à natura, vel arte. Et quantùm ad hoc, iustificatio impij quandoque est miraculosa, quandoque non. Est enim iste communis & consuetus cursus iustificationis, ut Deo mouente interiùs animam, homo conuertatur ad Deum, primò quidem conuersione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deueniat: quia *charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, sicut dicit *Augustinus*; Quandoque verò tam vehementer Deus animam mouet, ut statim quandam perfectionem iustitiæ assequatur, sicut fuit in conuersione Pauli, adhibita etiam exteriùs miraculosa prostratione: & ideò conuersio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur celebriter: *ut & salutis exinde spes peccatoribus augeatur. Per hoc enim Paulus in magnum diuinæ misericordiæ exemplum datus est, 1. Tim. 1.* Ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. *Et quidem* primò C propter

Quandonam à Christo vocatus, & qua ætate.

V *2. Cor. 12. l. 1. ibi*, quatuordecim *Gal. 2. l. 1. ibid.*

X *Ad Philem. l. 1. fin.*

Cur se abortiuum dicat.

Y *1. Cor. 15. l. 1. ibi.*

Foetus abortiuus ex triplici causa.

Paulus ad fidem coactus.

Nec tamen sine liberi arbitrii consensu.

Z *Ver. 28. 3. ad 19. Ma. 6. c. & ad 3.*

A *4. d. 17. 1. 2. q. 1. & 1. 2. 112. 2. ad 2.*

Conuersio eius miraculosa.

B *1. 2. 113. 10. fi. c. In 2. d. 18. 1. 3. ad 2.*

Paulus diuinæ exemplum misericordiæ.

C *1. Tim. 1. l. 4. ibi.*

pter gloriam suam: secundò ad vtilitatem nostram. Ideò dicit *omnem patientiam*, idest perfectam, quia prouocatus non puniuit, sed potiùs aduersarium exaltauit: *ad informationem eorum &c.* scilicet ad exemplum, & eruditionem. Quasi dicat: vt non diffidant peccantes ad eum accedere. *Si enim recedentem à se Paulum vocauit, multò magis fiducialiter accedentes misericorditer excipiet. Et hinc est, quòd* in nouo D testamento frequentantur Epistolæ Pauli, qui misericordiam consecutus est, vt ex hoc peccatores ad spem erigantur. *Cæterùm corporaliter Christus persequenti se Saulo manifestauit, non imaginariè; vnde* 1. Cor. 9. *dicebat*: Non sum Apostolus? Nonne Christum Dominum nostrum vidi? *Et quidem* hoc E dicit propter pseudoapostolos, qui dicebant, ipsum non esse Apostolum, quia non fuerat in societate Domini, sicut cæteri Apostoli. Ipse autem vidit eum iam Immortalem, *secundùm glossam* vel in via *Act.* 9. Vel in Templo *Act.* 22. Et ne F quis credat, hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente: contrarium apparet per hoc, quod ipse Apostolus dicit 1. Cor. 15. *Nouissimè omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* Quæ quidam visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi Corpus visum fuisset ab eo; *sicuti verè visum est & ab aliis Apostolis post resurrectionem. Et hoc est, quod ait ad Gal.* 1. Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis. *Siquidem* Galatæ G derogabant Apostolo, quòd non fuisset conuersatus cum Christo, sicut alij, nec missus ab eo. Ideò in hoc specialiter magnificat se, quia illi fuerunt missi per Christum adhuc viuentem in carne mortali: ipse vero à Christo iam glorificato missus est. *Quasi dicat*: Apostolus sum *non ab hominibus*, sicut à Collegio Apostolorum, *neque per hominem*, scilicet Christum in mortali carne viuentem: sed sum Apostolus per Christum iam suscitatum & glorificatum. Et quia præsens vita significatur per sinistram, futura verò per dexteram, in quantùm ista est cælestis, & spiritualis; illa verò temporalis: ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo, adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte: Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo iam glorificato, ponitur in parte dextera. *Quamuis modò contrarium fiat, ad primatum nempe Petri in Ecclesia significandum. Verùm & illud præter cætera in hac Pauli vocatione: obseruandum, quòd vbi à Christo prostratus est*, surrexit de terra, apertisque oculis nihil videbat. *Quanquam enim literaliter ob percutientis excellentiam luminis id accidisse putandum est: magnum adhuc mysterium res ipsa portendit. Et quidem ad nouam vocatus fidem (nouam inquam explicitè, non implicitè) lumine debuit oculorum priuari, quod nimirùm à lumine fidei, lumen rationis, vt impar, excluditur, cum fides sit de non visis. Quo & nos Disticho allusimus* H.

D *Prol. in Ep. D. Pauli.*

Cur eius Epistolæ in Ecclesia frequententur.

Christus corporaliter ei apparuit, non imaginariè.

E *1. Cor. 9. l. 1. ibi.*

F *3. p. 57. 6. ad 3.*

G *Ad Gal. 1. l. 1. ibi.*

Cur olim in Bullis Pontificijs Paulus in dextera Petrus in sinistra parte locaretur.

H *Cent. 2. Dist. 61.*

> Sternitur è Cælo; captus post lumine Saulus,
>
> Capturus Fidei mox documenta nouæ.

a *Hinc haud perperam subiicitur, quod Damascum introductus, erat ibi tribus diebus non videns, ad significandam præcipuè fidem Trinitatis, quæ tunc primò ipsi infusa est.*

Pauli raptus.

b *A Christo inquam glorificato missus est Paulus; vnde & coherenter legitur ad tertium esse Cælum raptus, ut cælestia mysteria clarius apprehenderet, Orbi vniuerso sua prædicatione manifestanda. Id quod de se ipse fatetur* 2. *Cor.* 12. Si gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium Cælum &c. *Quid autem propriè raptus importet, docet Author, cum ait*: Raptus I violentiam quandam importat. Violentum autem dicitur, cuius principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur, vt dicitur *in 3. Ethic.* Confert autem vnumquodque ad id, in quod tendit secundùm propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem: & ideò oportet, quòd ille, qui rapitur ab aliquo exteriori, rapiatur in aliquid, quod est diuersum ab eo, in quod eius inclinatio tendit. Quæ quidem diuersitas attenditur dupliciter. Vno quidem modo, quantùm ad finem inclinationis, putà si lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc, quòd feratur deorsum, proijciatur sursum. Alio modo, quantùm ad modum tendendi, putà si lapis velociùs proijciatur deorsum, quàm sit motus eius naturalis. Sic igitur & anima hominis dicitur rapi in id, quod est præter naturam. Vno modo, quantùm ad terminum raptus, putà quando rapitur ad pœnas, secundùm illud Ps. 49. *Nequando rapiat, & non sit qui eripiat.* Alio modo quantùm ad modum homini connaturalem, qui est, vt per sensibilia intelligat veritatem: & ideò quando abstrahitur à sensibilium apprehensione, dicitur rapi, etiamsi eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur: (dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, sicut accidit in somno, qui est secundùm naturam; vnde non potest propriè raptus dici.) Huiusmodi autem abstractio, ad quæcumque fiat, potest ex triplici causa contingere. *Vno modo* ex causa corporali, sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem, alienationem patiuntur. *Secundo modo* ex virtute dæmonum: sicut patet in arreptitijs. *Tertio modo* ex virtute diuina; & sic loquimur nunc de raptu, prout scilicet aliquis spiritu diuino eleuatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione à sensibus, secundùm illud Ezech. 8. *Eleuauit me Spiritus inter terram & Cælum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Sciendum tamen, quòd rapi quandoque dicitur aliquis non solùm propter alienationem à sensibus, sed etiam propter alienationem ab his, quibus intendebat; sicut cum aliquis patitur euagationem mentis præter propositum: sed hoc non ita propriè dicitur. *Verùm humana mens potest ad diuinam contemplandam veritatem rapi tripliciter.* Vno L modo, vt contempletur eam per similitudines quasdam imaginarias; & talis fuit excessus mentis, qui cecidit supra Petrum, vt legitur Act. 10. *Alio modo* vt contempletur veritatem diuinam per intelligibiles effectus; sicut fuit excessus Dauid dicentis Ps. 115. *Ego dixi in excessu meo*: Omnis homo mendax. *Tertio modo*, vt contempletur eam in sua essentia; & talis fuit raptus Pauli, & etiam Moysi. Et satis congruenter: nam sicut Moyses fuit primus Doctor Iudæorum; ita Paulus fuit primus Doctor Gentium. *Quòd autem dicitur Paulus* raptus vsque ad tertium Cœlum: *notat Author, quòd* nomine M tertij Cæli potest *Vno modo* intelligi aliquid corporeum: & sic tertium Cælum dicitur Cælum Empyreum, quod dicitur tertium respectu Cæli aerei, & Cæli Syderei; vel potiùs respectu Cæli Syderei, & respectu Cæli aquei, siue Chrystallini (*de quo vide* Tom. 1. V. *Beatus* B. 12. p.) Et dicitur *raptus ad tertium Cælum*,

Quid & quotuplex raptus.

I *2. 2. 175. 1. c. Ver. 13 1. c. & 2. Cor. 12. l. 1. ibi*, raptum *Gal. 1. l. 3.*

Violentum quid.

Ex triplici causa potest quis à sensibus abstrahi.

Tripliciter potest quis ad diuina contemplanda rapi.

L *2. 2. l. c. a. 3. ad 1. In 4. d. 49. 2. 7. ad 1. & 5. Ver. 10. 11. ad 1.*

Qualis fuerit Pauli raptus, & Moysi.

Moyses primus Doctor Iudæorum, Paulus Gentium.

Nomine tertij Cæli, ad quod dicitur Paulus raptus, quid intelligatur.

M *2. 2. l. c. a. 4. & 2. Cor. 12. l. 1.*

Cælum, non quia raptus sit ad videndum similitudinem alicuius rei corporeæ, sed propter hoc, quòd locus ille est contemplationis Beatorum. Vnde Cælum tertium *ex Glossa* est spirituale Cælum, vbi Angeli, & Sanctæ animæ fruuntur Dei contemplatione. Ad quod cum Paulus dicit se raptum, signat, quòd Deus ostendit ei vitam, in qua videndus est in æternum. *Alio modo* per tertium Cælum potest intelligi aliqua visio supermundana, quæ potest dici tertium Cælum triplici ratione. *Vno modo* secundùm ordinem potentiarum cognoscitiuarum: vt primum Cælum dicatur visio supermundana corporalis, quæ fit per sensum; sicut visa est manus scribentis in pariete *Dan.* 5. Secundum autem Cælum sit visio imaginaria: putà quam vidit Isaias, & Ioannes in Apocalypsi: Tertium verò Cælum dicatur visio intellectualis, vt *Augustinus* exponit 12. super Genes. ad literam. *Secundo modo* potest dici tertium Cælum secundùm ordinem cognoscibilium, vt primum Cælum dicatur cognitio cælestium corporum: secundum cognitio Cælestium spirituum: tertium cognitio ipsius Dei. *Tertio modo* potest dici tertium Cælum contemplatio Dei secundùm gradum cognitionis, qua Deus videtur. Quorum primus pertinet ad Angelos infimæ hierarchiæ: secundus ad Angelos mediæ: tertius ad Angelos supremæ, *vt dicit Glossa* 2. *ad Cor.* 12. Et quia visio Dei non potest esse sine delectatione, propterea non solùm se dicit *raptum ad tertium Cælum* ratione contemplationis: sed etiam *in Paradisum* ratione delectationis consequentis. *Paradisus enim locum deliciarum designat; vnde dicitur Gen.* 2. Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis.

An in raptu diuinam essentiam viderit. Q. 2. 2. l. c. a. 3 Ver. 13. 2. & ad Cor. l. c.

Quid autem in raptu viderit Apostolus, docemur, quòd quidam N dicunt, Paulum in raptu non vidisse ipsam Dei essentiam, sed quandam refulgentiam claritatis ipsius. Sed contrarium manifestè *Augustinus* determinat non solùm in lib. *de vid. Deum*, sed etiam 12. *super Genes. ad literam*: & habetur in Glossa 2. *ad Cor.* 12. Et hoc etiam ipsa verba Apostoli designant. Dicit enim se audisse ineffabilia verba, *quæ non licet homini loqui*. Huiusmodi autem videntur ea, quæ pertinent ad visionem beatam, quæ excedit statum viæ, secundùm illud Is. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ praeparasti expectantibus te*. Et ideò conuenientiùs dicitur, quòd Deum per essentiam vidit. *Nec tamen fuit tunc Paulus simpliciter beatus*: *Nam* visio O Dei per essentiam fit per lumen aliquod, scilicet per lumen gloriæ, de quo dicitur in Ps. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Sed aliquod lumen communicatur alicui per modum passionis, alicui verò per modum formæ inhærentis. Sicut lumen Solis inuenitur in carbunculo, & in Stellis, vt forma inhærens, idest connaturalis effecta: sed in aere inuenitur vt forma transiens, & non permanens, quia transit abeunte Sole. Similiter & lumen gloriæ dupliciter menti infunditur: *Vno modo* per modum formæ connaturalis factæ, & permanentis; & sic facit mentem simpliciter beatam: & hoc modo infunditur Beatis in Patria; & ideò dicuntur Comprehensores, & (*vt ita dicam*) visores. *Alio modo* contingit lumen gloriæ mentem humanam, sicut quædam passio transiens: & sic mens Pauli fuit in raptu lumine gloriæ illustrata, vnde & ipsum nomen *rapius* ostendit, transeundo hoc esse factum: & ideò non fuit simpliciter glorificatus, nec habuit dotem gloriæ, cum illa claritas non fuerit effecta proprietas; & propter hoc non fuit deriuata ab anima in corpus, nec in hoc statu perpetuò permansit. Vnde solum actum Beati habuit in ipso raptu, sed non fuit beatus. *Exinde* quia P Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed solùm habuit actum beatorum, consequens est, vt simul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen simul in eo fidei habitus.

Licèt viderit, non fuit tamen simpliciter beatus. O 2. Cor. 12. l. 1. & 2. 2. ibid. ad 2.

P 2. 2. l. c. ad 3. Ver. 13. 2. ad 5.

An raptus ad partem appetitiuum pertineat. Q 2. 2. l. c. a. 2. c.

c *Num verò & ad partem appetitiuam raptus pertineat*: *docemur*, *quòd* de raptu Q dupliciter loqui possumus. *Vno modo* quantùm ad id, in quod aliquis rapitur: & sic, propriè loquendo, raptus non potest pertinere ad vim appetitiuam, sed solùm ad cognoscitiuam. Raptus enim est præter propriam inclinationem eius, quod rapitur: ipse autem motus appetitiuæ virtutis est quædam inclinatio ad bonum appetibile; vnde, propriè loquendo, ex hoc quòd homo appetit aliquid, non rapitur: sed per se mouetur. *Alio modo* potest considerari raptus quantùm ad suam causam; & sic potest habere causam ex parte appetitiuæ virtutis: ex hoc enim ipso, quòd appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere, quòd ex violentia affectus homo ab omnibus alijs alienetur. Habet etiam effectum in appetitiua virtute; cum scilicet aliquis delectatur in his, ad quæ rapitur. Vnde & Apostolus dixit, se raptum non solùm *ad tertium Cælum*, quod pertinet ad contemplationem intellectus, sed etiam *in Paradisum*, quod pertinet ad affectum, *vt prætactum est*, 2. *Cor.* 12. Scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum &c. *Ex quo tollitur aliquorum opinio, duplicem fuisse Pauli raptum, existimantium*: *nam Act.* 9. legitur R de eo, quòd fuerit *tribus diebus non videns* (*nec mirum*, *quia vocatus ad fidem*, quæ est de non visis) *& non manducauit, neque bibit*; & ad hoc potest referri primus raptus, vt scilicet tunc fuerit *raptus vsque ad tertium Cælum*. Sed *Act.* 22. legitur, quòd factus est in Templo *in stupore mentis*: & ad hoc refertur iste secundus raptus *in Paradisum*. Sed oportet non aliud intelligere per Cælum, & aliud per Paradisum, sed vnum & idem per vtrumque; scilicet gloriam Sanctorum: sed secundùm aliud, & aliud. Cælum enim dicit altitudinem quandam cum claritate. Paradisus verò quandam iucundam suauitatem. In Sanctis autem Beatis, & Angelis, Deum videntibus, sunt excellenter hæc duo; quia est in eis excellentissima claritas, qua Deum vident: & summa suauitas, qua Deo fruuntur. Et ideò dicuntur esse in Cælo quantùm ad claritatem, & in Paradiso quantùm ad suauitatem, Is. 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum*. Fuit ergo vtrumque collatum Apostolo, vt scilicet sublimaretur ad illam altissimam claritatem cognitionis; & hoc significat, cum dicit, *ad tertium Cælum*: & vt sentiret suauitatem diuinæ dulcedinis; vnde dicit, *in Paradisum*. *Qualiter autem intelligendum sit quod ait*, siue in corpore, siue extra corpus, nescio: *ex Authore* dicendum S quòd simpliciter nesciuit, an anima esset corpori coniuncta, vel non. Et hoc est, quod *Augustinus* 12. *super Gen. ad lit.* post longam inquisitionem concludit, *dicens*: Restat ergo fortasse, vt hoc ipsum eum intelligamus ignorasse, vtrùm quando in tertium Cælum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus viuere dicitur, siuè vigilantis, siuè dormientis; siuè in extasi à sensibus corporeis alienata: an omninò de corpore exiret, & vt mor-

Num vnus, an duplex Pauli raptus. R 2. Cor. 12. l. 2. sub initio.

Quid per *Cælum*, quid per *Paradisum*.

S Ver. 13. 5. ß. c. & 2. 2. 175. 6. ß. c. & 2. Cor. 12. l. 1. ß

An Paulus ignorauerit, num in eo raptu anima esset in corpore, vel ab eo separata.

mortuum corpus iaceret, donec peracta illa demonstratione, membris mortuis anima redderetur; & non quasi dormiens euigilaret, aut extasi alienatus rediret in sensus: sed mortuus omninò reuiuisceret. *Porrò ex præfatis deducitur, idem non esse extasim, & raptum: quamuis utrumque pro eodem frequenter vsurpetur.* *Nam* extasis T importat simpliciter excessum à se ipso, secundùm quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur: sed raptus super hoc addit violentiam quandam. Et potest extasis ad vim appetitiuam pertinere, putà cum alicuius appetitus tendit in ea, quæ extra ipsum sunt. Et secundùm hoc *Dionysius* 4. de Diu. Nom. dicit. *Est autem extasim faciens diuinus amor*, in quantùm scilicet facit appetitum hominis tendere ad res amatas. Vnde & subdit, quod etiam *ipse Deus, qui est omnium causa, per abundantiam amatoriæ bonitatis extra se ipsum fit per prouidentiam ad omnia existentia.* Quamuis etiam si expressè hoc diceretur de raptu, non designaretur, nisi quòd amor esset causa raptus, *vt præmissum est. Et alibi*: Aliquando V aliquis dicitur rapi à se ipso, quando propter aliquid homo efficitur extra se ipsum: & hoc est idem, quod extasis. Per appetitiuam autem virtutem homo est solùm in se ipso, quando curat quæ sua sunt tantùm: efficitur vero extra se ipsum, quando non curat quæ sua sunt, sed quæ perueniunt ad bona aliorum; & hoc facit charitas, 1. Cor. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt*. Et de hac extasi dicit *Dionysius* loco cit. *Est autem extasim faciens diuinus amor, non sinens amatorem sui ipsius esse, sed rerum amatarum.* Et propter hoc X quòd amor non permittit, amatorem esse sui ipsius, sed amati: magnus Paulus constitutus in diuino amore, sicut in quodam continente & virtute diuini amoris, faciente ipsum totaliter extra se exire, quasi diuino ore loquens, dicit ad Gal. 2. *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus*: scilicet quia à se exiens, totum se in Deum proiecerat, non quærens quod sui est, sed quod Dei, sicut verus amator, & passus extasim, Deo viuens, & non viuens vita sui ipsius, sed vita Christi vt amati. (*De extasi vide fusè* Y.) *Restat, vt eorum verborum Apostoli* ante annos 14. *sensum explicemus. Exponit autem Author, id Apostolum præmisisse: quia* quatuordecim Z anni transacti erant ab eo tempore, quo viderat visionem, vsque ad tempus, quo scripsit hanc Epistolam) *secundam ad Corinthios*.) Quando enim hanc Epistolam scripsit, nondum Apostolus positus erat in carcerem. Et sic videtur, quòd fuit circa primum annum Neronis, à quo post multum tempus occisus fuit. Vnde si computemus annos descendentes à principio Imperij Neronis vsque ad 14. annos, manifestè apparet, quòd Apostolus habuit has visiones in principio suæ conuersionis. Ipse enim conuersus fuit ad Christum anno, quo Christus passus est. Christus autem passus est circa finem Tiberij Cæsaris, quo mortuo, successit ei Caius Imperator, qui vixit quatuor annos, post quem Nero factus est Imperator. Vnde inter Tiberium & Neronem fluxerunt quatuor anni. Et sic additis duobus annis de tempore Tiberij (quia nondum mortuus erat, quando Paulus fuit conuersus) & 8. de tempore Neronis, quod fluxerat vsque ad tempus, quando scripsit hanc Epistolam, relinquitur, quòd à tempore suæ conuersionis vsque ad tempus, quo hanc Epistolam scripsit, fuerunt anni 14. Et ideò quidam dicunt satis probabiliter, quòd Apostolus has visiones habuit (*vt præmissum est*) in illo triduo, quo post prostrationem suam à Domino stetit neque videns, neque manducans, neque bibens. *Act.* 9. Commemorat autem tempus suæ conuersionis Apostolus, vt ostendat, quòd si à tempore suæ conuersionis tantùm erat gratus Christo, vt talia sibi ostenderet: quantò magis post quatuordecim annos, cum profecerit & in authoritate apud Deum & in virtutibus & gratia.

In quo extasis differat à raptu.

T 2. 2. 175. 2. ad 1.

Amor extasim facit.

V 2. Cor. 12. l. 1.

X 4. de Diu. Nom. l. 10.

Qualis in Paulo.

Y 1. p 20. 2. ad 1 & 1. 2. 28. 3. In 3. d. 32 s. 1. ad 3. In 4. d. 49 2. 7. ad 1 Ver. 13. 2. ad 9. de diu. Nom. l. c. Ps. 30. initio.

Z 2. Cor. 12. l. 1. ibi, quatuordecim.

Exponitur illud Apostoli: *ante annos 14.*

d *In virtutibus, inquam: quarum proculdubio fundamentum est humilitas: quam vel ipso nomine voluit Apostolus expressam. Pro quo notandum, quòd* hoc A nomen *Paulus* secundùm quod potest esse Hebræum (non enim potest esse hebraicum, quia apud Hebræos non inuenitur hoc elementum P.) si videlicet sumatur aliquod elementum ei propinquum, quod est P. idem est, quod *mirabilis*, vel *electus*: secundùm autem, quod est Græcum, idem est, quod *quietus*: secundùm verò, quod est latinum, idem est, quod *modicus*. Et hæc quidem ei conueniunt. Electus enim fuit quantùm ad gratiam, *Act.* 9. *Vas electionis est mihi iste &c.* Mirabilis etiam fuit in opere, Eccli. 43. *Vas admirabile, opus excelsi*. Quietus in contemplatione, Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa*. Modicus per humilitatem, 1. Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum*. Quando autem fit hoc nomen Apostolo impositum, cum ante vocaretur Saul, vt patet *Act.* 9. Triplex est opinio. *Hieronymus* dicit, quòd cum priùs vocaretur *Saulus*, postmodum voluit vocari *Paulus* propter quoddam insigne factum, quod fecit, quia scilicet conuertit Sergium Paulum Proconsolem, (*vnde & ab eo capite* Paulus *deinceps in Actibus nominatur:*) sicut & Scipio dictus est Africanus, quia deuicit Africam. Alij verò dicunt, quòd hoc nomen impositum est sibi propter profectum virtutum, qui ex hoc nomine significatur. Imponuntur enim diuinitus quibusdam nomina à principio natiuitatis ad designandum gratiam, quam à principio consequuntur; sicut patet de Io. Baptista *Luc.* 1. Quibusdam verò mutantur nomina ad designandum profectum virtutis eorum, vt *Chrysostomus* dicit: sicut patet de Abraham *Gen.* 17. & de Petro *Mat.* 16. Alij vero dicunt, & meliùs, quod Paulus fuit ab initio binomius. Consuetum enim erat apud Iudæos, vt simul cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum Gentium, quibus seruiebant: sicut Græcis seruientes nominabantur nominibus Græcorum, vt patet de Iasone, & Menelao 2. *Machab.* 4. Hoc autem nomen *Paulus* ab antiquo celebre fuit apud Romanos: & ideò, cum diceretur *Saulus* secundùm Hebræos, vocatus est etiam *Paulus* secundùm Romanos (*eò vel maximè, quod, vt vidimus, ciuis Romanus esset.*) Quo nomine non videtur vsus, nisi post quam cœpit Gentibus prædicare: vnde Act. 13. dicitur: *Saulus, qui & Paulus*. Et hoc magis approbat *Augustinus*. *Paulus igitur inter alia* modicum *latinè significat: nam* paulùm, & paululùm *latinè idem reddunt quod* modicum, *vel* paruum. (*Quod & ei congruit, quia* ex Nicephoro *breuis statura fuit, & quantitate paruus: at virtute sublimis, siuè in naturalibus donis, siuè in gratuitis; vnde & ab Ecclesia* Magni *nomen obtinuit*, Magnus Sanctus Paulus.) *Ex quo, regio relicto nomine* (Saul, *vel* Saulus) hoc nomen B in Epistolis præmittit in signum humilitatis: nam Paulus, idem est quod *modicus*: quod ad humilitatem

Huius nominis *Paulus* multiplex expositio.

A Rom. 1. l. 1. ibi, Paulus.

Triplex opinio circa hoc nomen, cum antea *Saulus* vocaretur.

Paulum se nominat ex humilitate.

B 1. Cor. 1. l. 1. ibid. & 2. Cor. 1. l. 1. ibid. Phil. 1. l. 1. ibid.

C Gal. 1. l. 1. ibid.
Et ex tribulatione, quæ hominem paruũ facit.
D 2. Tim. 1. l. 1. ibid.

tatem pertinet, 1. Reg. 15. Cum paruulus esses in oculis tuis, Caput in tribubus Israel factus es. *Et alibi*. Hoc C nomen congruit humilitati suæ, quia interpretatur *humilis*. Vel sonat D modicitatem: quod ei competit propter humilitatem mentis, & tribulationes, quæ faciunt hominem paruum, in tantum quòd Christus dicitur *minoratus* propter passiones, *Hebr.* 2. Eum, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis &c. *Et hinc est, quòd modò se* abortiuũ *dicit* 1. *Cor.* 15. *modò* peccatorum primũ, 1. *Tim.* 1 *modò* minimum Apostolorum, nec dignũ vocari Apostolum, 1. *Cor.* 15. *Vbi Author*: Sed E posset quis dicere: O Apostole, propter humilitatẽ nullus debet dicere falsum; cũ ergo tu sis magnus, quare vocas te minimum? Minimũ se dicit considerando præterita facta sua, & dicit: *Non sum dignus vocari Apostolus*. Quare? *quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*: quod alii Apostoli non fecerunt. Licèt tamen in me sim minimus, ex Deo non sum minimus: (*& sic de eo dici poterat, quod de Ioanne Luc.* 1. Magnus coram Domino, *quamuis minimus in se*:) vnde dicit: *Gratia Dei sum id quod sum*. Quasi dicat: ex me nihil sum, sed id quod sum, Gratia Dei sum, idest ex Deo, non ex me, Eph. 3. *Cuius factus sum ego minister secundùm donum gratiæ Dei*: qua scilicet F idoneus efficior ad executionem diuinorũ mysteriorum, qui fui priùs persecutor. *Vnde & subdit*: sed abundantiùs illis omnibus laboraui. *Ad quod quidem ministerium specialiter electus est*, *Act.* 9. Vas electionis &c, est mihi iste, vt portet nomen meum &c.

Magna simul humilitas Apostoli, & dignitas.
E 1. Cor. 15. l. 1. ibi.

F Eph. 3. l. 2. ibi.

Quale fuerit Paulus vas electionis.
G Prol. in Ep. Paul. Serm. in Conuers. eiusd. Hebr. 9. l. 4. ibi, vasa.

e *Sanè* quale G vas fuerit Paulus, patet per id, quod dicitur Eccli. 50. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Aureum quidem vas fuit propter fulgorem Sapientiæ: solidum virtute charitatis; ornatum omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus. Et talia quoque propinauit: docuit enim excellentissimè diuinitatis mysteria, quæ ad sapientiam pertinent, vt patet 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Commendauit etiam excellentissimè charitatem, vt patet 1. Cor. 13. Instruxit homines de diuersis virtutibus, Coloss. 3. *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem &c.* Ad vasa etiam pertinere videtur, vt liquore aliquo impleantur. Hoc autem vas plenum fuit pretioso liquore, scilicet nomine Christi, de quo dicitur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*. Totus enim videtur fuisse hoc nomine plenus, secundùm illud Apoc. 3. *Scribam super eum nomen Dei mei*. Habuit enim hoc nomen in cognitione intellectus, secundùm illud 1. Cor. 2. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum*. Habuit etiam hoc nomen in dilectione affectus, secundùm illud Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Christi?* Habuit etiam ipsum in tota vitæ suæ conuersatione, vnde dicebat ad Gal. 2. *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Christus*. Quantùm verò ad huius vasis vsum, considerandum est, quòd omnia vasa alicui vsui deputantur: sed quædam ad honorabiliorem, quædam ad viliorem, secundùm illud Rom. 9. *Aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*. Sic etiam homines secundùm diuinam ordinationem diuersis vsibus deputantur, secundùm illud Eccli. 33. *Ex ipsis benedixit, & exaltauit; & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit; & ex ipsis maledixit, & humiliauit*. Hoc autem vas ad nobilem vsum est deputatum: est enim vas portatorium diuini nominis. Dicitur enim: *Vt portet nomen meum*. *Quod quidem nomen necessarium erat portari*, quia longè erat ab hominibus, secundùm illud Is. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo*. Portauit autem B. Paulus nomen Christi. Primò quidem in corpore, conuersationem & passionem eius imitando, secundùm illud ad Gal. 6. *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Secundò in ore: quod patet in hoc, quòd in Epistolis suis frequentissimè Christum nominat (*deprehenditur quippè in illis* Christum *vel* Iesum Christum *ducentis quinquaginta vicibus nominare*:) *ex abundantia enim cordis os loquitur*, vt dicitur *Mat.* 12. Vnde potest significari per columbam, de qua dicitur *Gen.* 8. quòd venit ad arcam *portans ramum oliuæ in ore suo*. Quia enim oliua misericordiam significat, congruè per ramum Oliuæ accipitur nomen Iesu Christi, quod etiam misericordiam significat, secundùm illud Mat. 1. *Vocabis nomen eius* Iesum: *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Hunc autem ramum virentibus folijs detulit ad arcam, scilicet Ecclesiam, Paulus: quando eius virtutem & significationem multipliciter expressit, Christi gratiam & misericordiam ostendendo. *Hinc ad Rom.* 1. Paulus *inquit* seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus: *videlicet* ad designandum H excellentiam: vt sicut Vrbs antonomasicè vocatur ipsa Roma, ita Apostolus vocetur Paulus. *Vnde Act.* 9. *dicitur*: Vas electionis est mihi iste: *hoc est*, quasi I præ alijs singulariter. *Et quia præ aliis* specialiter K Paulus in omnes Gentes Apostolatum acceperat, vt ei competere possit quod dicitur Is. 49. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium*. Et eod. Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*. Tamen ab eius Apostolatu exclusi non erant Iudæi, præsertim qui inter Gentes habitabant, ad Rom. 11. *Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis*. *Quò facit & illud Act.* 1. Vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus; *addit que*: & filijs Israel; *nempe* contra L quos de Christo disputabat, *Act.* 9. Saulus autem multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. *Specialiùs tamen ad Gentes missus est*. *Vnde & de se ipso dicit* 1. *Tim.* 2. Prædicator, & Apostolus, & Doctor Gentium: *consequenter Christi Legatus*, quasi M eius authoritatem & vicem gerens, idest cum plenitudine authoritatis, 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur*; idest N sumus Christi Legati. *Et Eph.* 6. Pro quo (*Christo*) legatione fungor in catena. *Quantùm autem summi Pontificis Legatorum valeat authoritas, satis notum*. *In eo præterea authoritas Pauli emicuit & zelus*, quòd excommunicatio O Apostoli tantæ virtutis fuit, quòd excommunicati mox corripiebantur à diabolo, & corporaliter vexabantur, 1. *Cor.* 5. Iudicaui tradere huiusmodi hominem (*fornicarium*) Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit. *Porrò quandonam, & à quibus Apostolatus in Gentes munus & officium Paulus susceperit, tradit* Hieronymus *ex catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quòd scilicet* iuncto sibi Barnaba, multis vrbibus peragratis, reuertens Ierosolymam, à Petro, Iacoboque, & Ioanne, Gentium Apostolus ordinatus est.

Paulus Columba, oliuã ad Arcam, hoc est, Ecclesiam deferens.

Antonomasicè Apostolus.
H Rom. 1. l. 1. ibi.
I Prol. in Ep. Paul.
K Ibid. l. 4. ibi, gentibus. Gal. 1. l. 4. ibid & c. 2. l. 2. ibi, gentes. Et Ro. 11. l. 2. ibi, carnem.
Quia specialiter missus ad omnes gentes, nec tamen Iudæis exclusis.

L Prol. in Ep. Paul.

Christi Legatus.
M Rom. 1. l. 4. ibi, Apostolatum.

N 2. Cor. 5. l. 5. ibi.

O 1. Tim. 1. l. 4. fi. ad Gal. 3. l. 2. initio 1. Cor. 5. l. 1. ibi, Satanæ. In 4. d. 18. 2. 1. q. 2. ad 3.
Qualis & quantæ virtutis excommunicatio Pauli.

f *Cæterùm ad hoc excellens prædicationis munus obeundum, instructus satis erat Apostolus in humana Sapientia*. *Vnde* 2. Cor. 11. *de se ipso dicebat*: Etsi imperitus sermone, sed non scientia. *Imperitus sermone*, idest P impeditæ linguæ, quia ad literam Apostolus fuit balbus, *Exod.* 4. Impeditioris, & tardioris linguæ sum: *vt aquè*

In humana sapientia instructus, licèt balbus lingua, sicut Moyses.
P 2. Cor. 11. l. 2. ibi.

aquè in hoc se haberent Moyses primus Doctor Iudæorum, & Paulus primus Doctor Gentium: exinde diuina magis in eis emicaret virtus. In humana inquam sapientia eruditus erat Apostolus. Ad illud enim 1. Cor. 1. Non multi sapientes &c. *docemur, quòd* dicit Q *non multi*: quia aliqui pauci erant etiam in sapientia humana instructi, sicut ipse, & Barnabas, vel vt Moyses in veteri testamento, de quo dicitur *Act.* 7. Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum. *Præcipuum tamen Apostoli studium in sacrarum lectione Scripturarum versabatur. Id quod deducitur ex illo* 2. *ad Tim.* 4. Veniens affer tecum & libros, maxime autem membranas. *Vbi Author*: Sed R quid *inquit* Apostolo de libris pleno Spiritu Sancto? Item instabat sua resolutio, ibid. *Tempus resolutionis meæ instat*. Et Respondet, quòd propter duo. Primò vt in legendo haberet solatium, 1. Machab. 12. *Habentes solatio sanctos libros*: in libris enim est remedium contra tribulationes. Vel dicit hoc, ne perderentur, sed remanerent fidelibus. Item quantò magis appropinquabat morti, tanto magis instabat seruitio Scripturarum; sicut de *Ambrosio* dicitur, quòd vsque ad vltimam ægritudinem non cessauit scribere. Vnde scribens super Ps. 47. *Magnus Dominus &c.* mortuus est. *Maximè autem membranas*. Membranæ sunt chartæ non scriptæ, vel schedulæ, vbi scripserat Epistolas, vel prædicationes suas. *Sanè quantùm* S *ad quædam, quæ superadduntur humana arte ad ornatum, & elegantiam locutionis, Apostolus instructus erat in propria lingua, non autem in aliena. Ad quod coharentur, in Epistola ad Hebræos hebraicè scripta, quàm in cæteris, quas græcè composuit*, est T elegantior in stylo, quia etsi sciebat omnem linguam (1. *Cor.* 14 *Omnium vestrum lingua loquor*) tamen meliùs sciebat Hebræam, tanquam sibi magis connaturalem, in qua scripsit Epistolam istam; & ideò magis ornatè potuit loqui in idiomate suo, quàm in aliquo alio. Lucas autem, qui fuit optimus prolocutor, istum ornatum transtulit de Hebræo in Græcum. *Apostoli vlteriùs peritia adiicitur ex magno pro Ecclesia zelo solicitudo animarum*, 2. *Cor.* 11. Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum: *non vnius, aut alterius, sed omnium. Et Coloss.* 2. Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro his, qui sunt Laodiceæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne. *Qualem solicitudinem*, scilicet V magnã. Et hoc pertinet ad bonum Prælatum, Rom. 12. *Qui præest in solicitudine*. Et non solùm pro à se conuersis, & sibi præsentibus, sed etiam pro alijs; vnde dicit, *pro vobis*, quos scilicet non vidi corpore, sed mente. Et non solùm pro istis, sed etiam pro illis *qui non viderunt faciem meam in carne*: solicitus quippè erat pro toto Mundo, Sap. 18. *In veste poderis, quam habebat* (Aaron) *totus erat Orbis terrarum*. Sic in mente Apostoli. *Ex quo celer prædicationis eius profectus fuit, & fructus copiosus. Hinc ad illud ad Gal.* 2. Ne in vacuum currerem *&c.* Cursum *inquit Author* vocat X prædicationem suam propter velocitatẽ suæ doctrinæ, quia in modico tempore ab Ierusalem vsq; in Illyricum, & vsq; in Hispaniam prædicauit Euangelium (*vt colligitur ex Epistola* ad Rom. c. 15.) vnde posset dici de eo illud Ps. 147. *Velociter currit sermo eius*. Et 2. Thess. 3. *Orate pro nobis, vt sermo Dei currat*.

Præcipuum eius studium in Scripturis sacris.

Q 1. *Cor.* 1. *l.* 4. *ibi*, & *c.* 2. *l.* 1. *ibi*, Sapientiæ.

R 2. *Tim.* 4. *l.* 3. *ibi*.

Et vsque ad mortem, sicut & de Ambrosio legitur.

S 2. 2. 176. 1. *ad* 1. In iis, quæ superadduntur ad ornatum locutionis, instructus erat in propria lingua, non in aliena.

T *Prol. ad Hebr. fi.* Epistola ad Hebræos hebraicè ab eo scripta, ideò elegantius; cæteræ græco idiomate.

Magna in eo animarum solicitudo pro toto Mundo.

V *Coloss.* 2. *l.* 1. *ibi* & 2. *Cor.* 11. *l.* 6.

Celer prædicationis eius profectus, & fructus copiosus.

X *Gal.* 2. *l.* 1. *ibi*.

g *Verùm ergo dicebat* 1. *Cor.* 15. Abundantiùs illis omnibus (*Apostolis*) laboraui. *Siquidem prædicauit* Thomas Y in India maiori, Bartholomæus in India minori, Simon & Iudas in Persia, Philippus in Samatia, Matthæus in Æthiopia, Matthias in Alexandria, Ioannes in Asia, Andreas in Achaia, duo Iacobi in Iudæa, Petrus in Cappadocia, & in Italia: *vbi, præter narrata loca prædicauit & Paulus. Et ita abundantius illis omnibus, idest* Apostolis Z singillatim, *laborauit* prædicando, quia nullus per tot loca prædicauit, & annunciauit Christum. Et tribulationes sustinendo: nullus enim Apostolorum tot persecutiones & tribulationes sustinuit, vt ipse enumerat 2. *Cor.* 11. Ministri Christi sunt, & ego: vt minùs sapiens dico, plùs ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, *cum iis quæ sequuntur, de quo vide fusiùs* A. *Et tales quidem, adeoque graues tribulationes fuit passus, vt etiam propria vita eum tæderet*, 2. *Cor.* 1. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem; ita vt tæderet nos etiam viuere. *Quasi diceret*: sic B erat grauis persecutio, vt etiam vita esset nobis tædiosa, *Iob* 10. Tædet animam meam vitæ meæ. *Et hoc est, quod initio Author expressit. Quæ tamen cuncta, exteriùs quidem vexabant Apostolum, atqui intus ad pacem animæ & serenitatem turbandam minimè penetrabant. Idcircò dicebat ad Eph.* 6. Vt autem sciatis: quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus &c. *Quasi dicat Apostolus*: Pro Mysterio C Euangelii, pro quo catenatus sum, volo quòd sciatis, quòd catena, & omnes tribulationes, & omnia supplicia, quæ in credito officio inferuntur, non me angunt, nec cor mutant, nec peruertunt interiùs, nec attingunt. sed certè sic ago de istis, quod omnia *circa me sunt*, non intrà. *Quinimmò* scire vos volo, fratres (*repetit ad Philipp.* 1.) quia quæ circa me sunt; magis ad profectum venerunt Euangelii; *nimirùm*, quia *quæ circa me sunt*, scilicet D tribulationes, etsi exteriùs essent, non immutabant interiùs; *sed magis ad profectum venerunt*, quia ex eis fides prædicata magis profecit; *vnde immò interiùs consolabatur*, 2. *Cor.* 1. Siue tribulamur *exteriùs* pro vestra exhortatione & salute: siuè consolamur *interiùs* pro vestra consolatione &c. *Et quamuis in veteri lege plurimùm laborauerit & Moyses; nulla tamen est cum Apostolo comparatio: tum quia ille Iudæorum tantùm dux erat & Doctor: Paulus autem in toto Mundo*. Dux *erat* verbi. *Tum etiam quia* etsi E Moyses possit dici Apostolus, quia à Domino missus, vt patet *Ex.* 4. non tamen in spem vitæ æternæ, sed Terræ Hethæi & Amorrhæi. Sed Paulus est Apostolus in spem vitæ æternæ, Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Sanè* cum Moyses E alijs præfertur, intelligendum est de Prophetis veteris Testamenti. In nouo autem facta est manifestior reuelatio, vnde dicitur 2. Cor. 2. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes &c.* vbi expressè Apostolus se & alios Apostolos Moysi præfert. *Talis porrò fuit prædicationis eius adeò; copiosus fructus, vt veritatem, quã docebat, credentibus daretur Spiritus Sanctus*, 1. *Cor.* 2. Sermo meus & prædicatio mea, nõ in persuasibilibus humanæ scientiæ verbis, sed in ostẽsione Spiritus & virtutis. *Quod quidem* potest F intelligi dupliciter: Vno modo quãtùm ad hoc, quòd ipse per Spiritum loquebatur: quod sublimitas & affluentia doctrinæ ostendit, 2 Reg. 23. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*. Alio modo quantùm ad hoc, quòd credentibus prædicationi eius dabatur Spiritus S. secundùm illud Act. 10. *Cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebãt verbũ*.

h *Quòd si prædicando, Spiritum Sanctum tribue-*

Y *Apoc.* 12. *Com.* 2. & 1. *ibi*, stellarum, *Rom.* 10. *l.* 3. *ibi*, in omnẽ.

Per plura loca prædicauit, pluresque tribulationes passus est, quàm cæteri Apostoli.

Z 1. *Cor.* 15. *l.* 1. *ibi*.

A 2. *Cor.* 11. *l.* 5. & 6.

B 2. *Cor.* 1. *l.* 3. *ibi*.

Tribulationes externæ vexabant illum, non interiùs.

C *Eph.* 6. *l.* 5. *ibi*.

D *Philip.* 1. *l.* 2. *ibi*.

Moysi præfertur.

E *Ad Tit.* 1. *l.* 1. *ibi*, promisit.

E *Ver.* 12. 14 *ad* 5. & 2. 2. 174. 4. *ad* 3. & 2. *Cor.* 3. *l.* 2. & 3.

Eius prædicationi credentibus dabatur Spiritus Sanctus.

F 1. *Cor.* 2. *l.* 1. *ibi*, *Gal.* 3. *l.* 2. *ibi*, Spiritũ Sanctum & 1. *Thess.* 1. *l.* 1. *ibi*, in Spiritu Sancto.

Excellens Pauli charitas.

G Rom. 8. l. 7. ibi.

Tres charitatis gradus.

H Vers. 2. 11. ad 6.

tribuebat audientibus, quasi exarsisse, putandus est charitate? Hinc Rom. 8. dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? *videlicet* qua G Christum diligimus & proximum, secundùm quod ipse præcepit Io. 13. *Mandatum nouum do vobis &c.* Tres *autem* gradus H considerare possumus in charitate. Sunt enim quidam, qui libenter, vel sine molestia separantur à vacatione diuinæ contemplationis, vt terrenis negociis implicentur: & in his (*nota*) vel nihil, vel modicum charitatis apparet. Quidam verò in tantùm delectantur in vacatione diuinæ contemplationis, quòd eam deserere nolunt, etiam vt diuinis obsequiis mancipentur ad salutem proximorum. Quidam verò ad tantum culmen charitatis ascendunt, quòd etiam diuinam contemplationem, licèt in ea maximè delectentur, prætermittunt, vt Deo seruiant in salutem proximorum. Et hæc perfectio in Paulo dignoscitur, qui dicebat Rom. 8. *Optabam ego ipse anathema esse*, idest separatus, *à Christo pro fratribus meis*. Optabat *quinimmò vlterius* (*præter separationem à Dei contemplatione, in hac vita*) anathema esse à Christo, *idest* à fruitione I Christi, quæ habetur in gloria; hoc est separatus à gloria vel simpliciter, vel ad tempus, propter honorem Christi, qui est ex conuersione Iudæorum, *qui sunt cognati mei secundùm carnem*, secundùm illud Prou. 14. *In multitudine populi dignitas Regis*. Vnde *Chrysostomus in lib. de compunctione cordis*: Ita totam eius mentem deuicit amor, vt etiam, eo quòd præ cæteris omnibus amabilius erat esse cum Christo, rursùm idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret: sed & Cælorum regna, quod videbatur laborum esse remuneratio pro Christo, nihilominus cedere pateretur. *Et hoc confirmat Paulus ad Philip. 1. cum ait*: Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. *Quem ad locum notat Author, quòd* duplex L est dilectio Dei: scilicet dilectio concupiscentiæ, qua vult homo frui Deo, & delectari in ipso: & hoc est bonum hominis. Item est dilectio amicitiæ, qua homo præponit honorem Dei etiam huic delectationi, qua fruitur Deo; & hæc est perfecta charitas. Vnde Rom. 8. dicebat: *Neque mors, neque vita, neque Angeli &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Christi*. Hoc ergo dixit, vt ostendat, se esse perfectioris charitatis, quasi sit paratus propter amorem & gloriam Dei, carere delectatione visionis Dei. Et ideò hoc elegit, & benè, tanquam magis perfectum. *Quò facit illud, quod ipse aiebat 2. Cor. 5.* Charitas enim Christi vrget nos: *ad omnia scilicet propter illius nominis gloriam fortiter, & hilariter perferenda. Idcircò & Christo confixum se dicit, & vita Christi viuere, non sua, ad Gal. 2.* Christo confixus sum Cruci. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus. *Siquidem* homo M quantùm ad illud dicitur viuere, in quo principaliter firmat suum affectum, & in quo maximè delectatur. Vnde & homines, qui in studio, seu in venationibus maximè delectantur, dicunt, hoc eorum vitam esse. Quilibet autem homo habet quendam priuatum affectum, quo quærit quod suum est. Dum ergo aliquis viuit, quærens tamen quod suũ est, soli sibi viuit: cum verò quærit bona aliorum, dicitur etiam illis viuere. Quia ego Apostolus proprium affectum deposuerat per Crucem Christi; dicebat se mortuum proprio affectui, dicens: *Christo confixus sum Cruci*; idest per cru-

I Rom. 9. l. 1. ibi.

Duplex Dei dilectio.

L Philip. 1. l. 3. fi.

Pauli ad Christum dilectio maxima.

M Gal. 2. l. 6. ibi, & Cap. 6. l. 4. ibi, & 1. Cor. 11. l. 1. ibi, imitatores.

cem Christi remotus est à me proprius affectus siue priuatus. Vnde & dicebat c. 6. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce D. N. I. C.* Et subdit: *Viuo autem iam non ego*, scilicet viuo, quasi in affectu habens propriũ bonum, sed *viuit in me Christus*: idest, tantùm Christum habeo in affectu: & ipse Christus est vita mea, Philip. 1. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Quilibet *enim* N sibi ad lucrum reputat, quando vitam, quam habet imperfectam, potest perficere: sic infirmus ad lucrũ reputat sanam vitam. Vita nostra Christus est, Coloss. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: sed hic est imperfecta, 2. Cor. 5. *Quandiu sumus in corpore peregrinamur à Domino*. Et ideò, quando morimur corpore, perficitur nobis vita nostra, scilicet Christus, cui tunc præsentes sumus. Et ideò viuere *Apostolo* Christus erat, & mori lucrum. *Igitur* viuebat O Paulus, sed non in semet ipso, sed in alio, scilicet Christo, per quem viuebat: sicut & corpus viuit, sed non habet vitam in semetipso, sed in anima, per quam viuit, ad Gal. 2. *Quòd autem nunc viuo in in carne, in fide viuo filii Dei, qui dilexit me &c.* In carne; *idest* in vita P carnis: sed quantùm ad relationem ad Deum, Christus viuebat in Paulo; & ideò dicit: *in fide viuo filii Dei*, per quam habitat in me, & mouet me: *qui dilexit me*, quia amor Christi, quem ostendit mihi in Cruce moriens pro me, facit vt semper ei configar. *Et ideò* cap. 6. *dicit, se insignia Christi portare in corpore suo*: Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. *Pro quo sciendum, quòd* stigmata Q propriè sunt quædam notæ impressæ alicui cum ferro candenti: sicut cum seruus ab aliquo Domino signatur in facie, vt nullus eum sibi vendicet, sed quietè dimittat domino suo, cuius stigmata portat. Hoc etiam modo, dicit Apostolus, se stigmata Domini (*ferro candenti charitatis impressa*) portare, quasi insignitus sit vt seruus Christi; & hoc, quia portabat insignia passionis Christi, patiens pro eo multas tribulationes in corpore suo, secundùm illud 2. Cor. 4. *Semper mortificationem Domini Iesu in corpore nostro circumferentes &c.* Et subdit: *Nemo mihi molestus sit*. Quasi dicat: Ego porto insignia D. N. I. C. in corpore meo: & sic nullus super me ius habet, nisi Christus. *Et ita solum Christum in ore habebat, solum in mente, solum in corde, solum in opere. Propterea Mundo pramortuus, in Cælo viuebat, Philip. 3.* Nostra conuersatio in Cælis est: *idest* perficitur R per contemplationem, 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur*. Item per affectionem, quia sola cælestia diligimus. Item per operationem, in qua est cælestis repræsentatio, 1. Cor. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis*. Sed quare est ibi conuersatio? Quia Mat. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*.

Tali charitatis perfectione pollebat Apostolus: ex quo non mirum, datus sit illi stimulus carnis, qui eum colaphizaret, *vel magis nimirũ in probandam virtutem eius: &, vt ipse fatetur, ne tot, tantisque donis excellens intumesceret, aut cælestibus in raptu reuelationibus superbiret, 2. Cor. 12.* Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus &c. *Quo loci erudimur, quòd* quia S in bonis est maximè materia vitii superbiæ (nam eius materia est bonum) permittit aliquãdo Deus, electos suos impediri ex aliqua sui parte, vt per infirmitatem, vel per aliquem defectũ (& aliquando etiam per peccatũ mortale) ab huiusmodi bono: vt sic ex hac parte humilientur, quòd ex illa non superbiant, & homo sic humiliatus recognoscat se suis viribus stare non posse. Quia igitur Apostolus magnam habebat superbiendi mate-

Vita Christi viuebat.

N Philip. 1. l. 1. l. 3. ibi.

O Io. 5. l. 5. initio.

P ad Gal. 2. l. 6. ibi.

Cuius stigmata in suo corpore.

Q Ibid. cap. 6. l. 4. ibi.

Stigma quid.

R Philip. 3. l. 3.

Ne tot donis superbiret datus ei stimulus carnis.

S 2. Cor. 12. l. 3. ibi.

Dona præcipua Apostoli.

riam, & quantùm ad specialem electionem, qua à Domino electus est, Act. 9. *Vas electionis est mihi iste &c.* Et quantùm ad secretorum Dei cognitionem, quia hic dicit se *raptum vsque ad tertium Cælum & in Paradisum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; Et quantùm ad malorum perpessionem, quia *in laboribus plurimis, in carceribus, in plagis &c.* Et quantùm ad virginalem integritatem, vt habetur 1. *Cor.* 7. Et quantùm ad bonorum operationem, *quia abundantiùs omnibus laborauit*: & specialiter quantùm ad maximam scientiam, qua emicuit, quæ specialiter inflat, 1. Cor. 8. *scientia inflat*. Ideo Dominus adhibuit ei remedium, ne in superbiam extolleretur. Et ideò dicit: *Datus est mihi*, idest ad meam vtilitatem, & humilitatem, *stimulus carnis meæ*, crucians scilicet corpus meum per infirmitatem corporis, vt anima sanctur: quia ad literam dicitur, quòd fuit vehementer afflictus dolore iliaco. Vel *stimulus carnis meæ*, idest concupiscentiæ, surgens ex carne mea, à qua multùm infestabatur, Rom. 7. *Non enim, quod volo bonum, hoc facio &c. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*. Vnde dicit *Augustinus*, quòd inerant ei motus concupiscentiæ: quos tamen diuina gratia refrænabat. Iste in quantum stimulus est *Angelus Satanæ* idest Angelus malignus. Est autem Angelus à Deo missus, seu permissus, sed *Satanæ*, quia Satanæ intentio est, vt subuertat: Dei verò, vt humiliet & probatum reddat. Timeat peccator, si Apostolus & Vas electionis securus non erat, *quia videlicet Deus permiserat, se in peccatum cadere: non de finali salute, de qua per reuelationem securus erat*.

Quidnam esset *stimulus carnis* in Paulo.

Timeant peccatores, si Apostolus securus non erat.

De sua salute securus.

I *Securus inquam erat de finali sua salute Apostolus. Idcircò* 2. *ad Tim.* 1. Scio, *inquit* cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. *Et apertiùs cap* 4. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. *Hæc autem corona dicitur* corona iustitiæ, *tametsi ex gratia: quia est* T ibi *gratia* quantùm ad radicem merendi; *iustitia* quantùm ad actum, qui procedit ex voluntate. Vel *corona iustitiæ* est, quæ datur ex iustitia, quia datur iustis secundùm opera iusta. Hæc corona duplex est: quædam principalis, quædam secundaria. Prima est præmium essentiale, quæ nihil aliud est, quàm gaudium de Veritate, Is. 28. *In die illa erit Dominus Exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*. Deus est ergo corona nostra. Secunda est corona, quæ debetur specialibus operibus: & hæc est aureola. Et vna debetur Martyribus, 2. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. Et hoc est, quod Apostolus dicit: *Bonum certamen certaui*. Alia debetur virginibus, Sap. 4. *In perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens*. Et ad hoc est; *Cursum consummaui*. Tertia est Doctorum, Prou. 4. *Dabit* (Sapientia) *capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te*. Et ad hoc dicit: *Fidem seruaui*, 1. Tim. 1. Fidelem me existimauit, ponens in ministerio, *Euangelicæ nimirùm prædicationis. Et alibi*. Beatus V Paulus meruit coronam auream, & aureolam. Auream pro labore charitatis, 1. Cor. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*: *Illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem*

T 2. *Tim.* 4. *l.* 2. *ibi.*

Corona gloriæ, cur *corona iustitiæ* dicatur, cum sit ex gratia.

Corona duplex, Aurea & aureola.

Triplex Apostoli aureola, virginitatis scilicet, martyrij, & prædicationis.

V Serm. in Commem. S. Pauli.

incorruptam. Aureolam meruit triplicem, virginitatis scilicet, martyrij, & prædicationis. Prima est meritum concupiscibilis, secunda iracibilis, tertia rationalis. Fuit enim virgo 1. *Cor.* 7. prædicator, hoc est Magister Gentium, 2. *Tim.* 1. Fuit & Martyr, sicut patet in legenda sua. *Passus est autem Romæ secundùm Gauantum, & alios ætatis anno 68. eadem die (vt traditur) qua coapostolus eius Petrus, impio Nerone imperante, capite truncatus; & eo quidem prodigio, vt lac cum sanguine dederit venerandum caput illud, ex cuius ore Gentes omnes*, quasi tunc geniti infantes, *sacro Euangelij lacte nutritæ sunt. Vnde Chrysostomus*: Quisnam X locus *inquit* tuum sanguinem excepit, lactis specie in eius, qui te percussit, tunica apparentem? qui animam illius Barbari supra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum socijs. *Quin ex eodem abscisso capite clarè* IESV *nomen resonuisse; terquè à solo resiliente, tres inibi erupisse fontes, tradit ex Sacris Authoribus idem Gauantus in vita eiusdem Apostoli. De quo pariter sequentia (ex Nicephoro præsertim) subiicit*: Statura illius tricubitalis erat, facies candida, caput modicum: oculis inerat gratia multa; supercilia deorsum versis vergebant: nasus pulchrè inflexus, idemque longior: barba densior, & satis prolixa; eaque non minus, quàm capitis coma, canis asperia erat; corpus incuruum, & paulo inflexum. *Enimuerò quis celeberrimum non appellet martyrem Apostolum, omnibus Ecclesiæ operarijs merito præminentem, dum eiusmodi (omnia tamen Deo attribuens) manifestè se facit* 2. *Cor.* 11. *cum ait*: Ministri Christi sunt, & ego. Vt minus sapiens dico, plùs ego. *Vbi* præfert Y se omnibus Apostolis: *quantò magis cæteris omnibus? Vita siquidem Pauli perpetuum martyrium fuit: nam liuoribus (vt ait idem Chrysostomus)* quos ei verbera sæpiùs inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis: tribulationibus vt delicijs vtebatur: squalore carceris vt Paradisi amœnitate gaudebat, *propter fidei videlicet zelum & feruentissimum Christi amorem: cum quo & flagellatus, passus in siti, in laboribus plurimis, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, corde crucifixus, corpore mortuus, vt in æternum viueret. Quis specialiùs, vt virginem non commendet, qui tot de virginitate & monita dedit & præcepta, de promptus, se se in exemplum virginibus exhibens*, 1. *Cor.* 7. Volo omnes vos esse sicut me ipsum: *scilicet*, vt Z contineant, sicut ego contineo. *Et iterum*: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. *Vt in hoc dilecta Ecclesia, quæ Virgo est, similaretur & Christo, cuius est Sponsa. Qualis proculdubio esse debet, qui Christum sequitur, vt ipse præ alijs sequax erat, Apoc.* 14. Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit. *Quis demum Doctorem non asserat præcellentissimum, qui extitit* Prædicator veritatis *non in hac, vel illa Ciuitate, aut regione, sicut cæteri, sed in* Vniuerso Mundo? *Quem sanè in omni ætate, sexu, statu, professione, dignitate, circa omnia & singula, quæ vel vtilia ad salutem, vel necessaria sunt, aut verbo edocuit, aut doctis suis Epistolis erudiuit*.

Non sine prodigio Romæ capite plectitur, eadem die qua Petrus.

X Chrysost. apud Metaph.

Lac reddit cum sanguine caput eius abscissum.

Pauli qualitates corporez.

Martyr.

Y 2. Cor. 11 l. 5. ibi.

Virgo.

Z 1. Cor. 7. l. 1. ibi.

Doctor.

m *Doctis inquam Epistolis suis*: *quarum quidem mirabilis ordo manifestè elucescit*. Scripsit enim A quatuordecim Epistolas. Quarum nouem instruunt Ecclesiam Gentium; quatuor Prælatos, & Principes Ecclesiæ, idest Reges: Vna populum Israel, scilicet quæ est ad Hebræos. Est enim earum doctrina tota de gratia Christi, quæ

Quatuordecim Pauli Epistolarũ rerus ordo, & materia.

A Prol. in Ep. Paul. & ad Philem. l. 2. f.

quæ quidem potest tripliciter considerari. Vno modo, secundùm quod est in ipso Capite, scilicet Christo. Et sic commendatur in Epistola *ad Hebræos*. Alio modo, secundùm quod est in membris principalibus corporis mystici: & sic commendatur in Epistolis, quæ sunt ad Prælatos. Tertio modo, secundùm quod in ipso corpore mystico, quod est Ecclesia: & sic commendatur in Epistolis, quæ mittuntur ad Gentiles, quarum hæc est distinctio. Nam ipsa gratia Christi potest tripliciter considerari. Vno modo secundùm se: & sic commendatur in Epistola *ad Romanos*. Alio modo, secundùm quod est in Sacramentis gratiæ: & sic commendatur in duabus Epistolis *ad Corinthios*. In quarum prima agitur de ipsis Sacramentis: In secunda de dignitate Ministrorum: & in Epistola *ad Galatas*, in qua excluduntur superflua Sacramenta, contra illos, qui volebant vetera Sacramenta nouis adiungere. Tertiò consideratur gratia Christi secundùm effectum vnitatis, quem in Ecclesia fecit. Agit ergo Apostolus primò quidem de institutione Ecclesiasticæ vnitatis in Epistola *ad Ephesios*. Secundo de eius confirmatione, & profectu in Epistola *ad Philippenses*. Tertiò de eius defensione, contra errores quidem in Epistola *ad Colossenses*: contra persecutiones verò præsentes in 1. *ad Thessalonicenses*: contra futuras verò, & præcipuè tempore Antichristi, *in secunda*. Prælatos verò Ecclesiarum instruit & spirituales, & temporales. Spirituales quidem de institutione, instructione, & gubernatione Ecclesiasticæ vnitatis in prima *ad Timotheum*: de firmitate contra persecutores *in secunda*: de defensione contra hæreticos in Epistola *ad Titum*. Dominos verò temporales instruit in Epistola *ad Philemonem*. Et sic patet ratio distinctionis, & ordinis omnium Epistolarum. *Notandum* verò, quòd Epistola ad Corinthios prior est tempore Scripturæ: sed Epistola ad Romanos præmittitur, tum propter dignitatem Romanorum, qui alijs Gentibus dominabantur: quia hic confutabatur *superbia*, quæ est *initium omnis peccati*, vt dicitur *Eccli.* 10. Tum quia etiam hoc exigit ordo doctrinæ, vt priùs gratia consideretur in se, quàm vt est in Sacramentis. *Quemadmodum & Epistola* B ad Philemonem fuit ante vltimam ad Timotheum: & præmittitur illa propter materiam; quia est de digniori. *Et hinc est, quòd* sicut C inter Scripturas veteris testamenti maximè frequentantur in Ecclesia Psalmi Dauid: ita in nouo testamento frequentantur Epistolæ Pauli: quia in vtraque Scriptura ferè tota Theologiæ continetur doctrina. *Illud verò sciendum, quòd præter Epistolas prænotatas duæ aliæ memorantur, quas non habemus, vt patet* ad Coloss. 4. *vbi inquit Apostolus*: Cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. *Vbi Author*: Ex quo *inquit* habetur D quòd Apostolus scripsit alias Epistolas: quia istam, de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, & vnam aliam ad Corinthios præter primam, & secundam. Nam in prima cap. 5. dicit: *Scripsi vobis in Epistola: Ne commisceamini fornicariis*. Sed ratio est duplex, quare non sunt in Canone. Quia

Epistola ad Romanos non est prior tempore scripturæ, sed ordine doctrinæ. prius enim scripta est Epistola ad Corinthios.

B Ad Philem. loc. cit.

Sicut & vltima ad Timotheum præmittitur ratione materiæ: cum tamen Epistola ad Philemonem prius scripta sit.

C Prol. in Epist. Paul.

Cur Epistolæ Pauli, & Psalmi Dauid frequententur in Ecclesia.

Duæ aliæ sunt Epistolæ Pauli, quas in Canone non habemus.

D Coloss. 4. & 1. Cor. 5. l. 3. initio & 2. Cor. 1. l. 5. initio.

scilicet non constabat de earum authoritate, quia fortè erant deprauatæ, & perierant in Ecclesijs. Vel quia non continebant aliud, quàm illæ. *Sed &* ante E Synodum Nicænam quidam dubitauerunt, an Epistola ad Hebræos esset Pauli. Et quòd non probant duobus argumentis. Vnum est, quia non tenet eum modum, quem in alijs Epistolis. Non enim præmittit hic salutationem, nec nomen suum. Aliud est, quia non sapit stylum aliarum; immò habet elegantiorem: nec est aliqua Scriptura, quæ sic ordinatè procedat in ordine verborum, & in sententijs, sicut ista. Vndè dicebant, ipsam esse vel Lucæ Euangelistæ, vel Barnabæ, vel Clementis Papæ: ipse enim scripsit Atheniensibus, quasi per omnia secundùm stylum istum. Sed antiqui DD. præcipuè *Dionysius*, & aliqui alij, accipiunt verba huius Epistolæ pro testimonijs Pauli. Et *Hieronymus* illam inter Epistolas Pauli recipit. Dicendum ergo, quòd triplex ratio fuit, quare non posuit nomen suum. *Vna est*, quia non erat Apostolus Iudæorum, sed Gentium. Et ideò non fecit mentionem de Apostolatu suo in principio huius Epistolæ: quia nolebat officium sui apostolatus insinuare, nisi ipsis Gentibus. *Secunda* quia nomen suum Iudæis erat odiosum, cum diceret, legalia non debere seruari, vt patet *Act.* 21. Et ipsum tacuit, ne sic lubertima doctrina huius Epistolæ abijceretur. *Tertia* quia Iudæus erat, 2. Cor. 11. *Hebræi sunt, & ego*: & domestici non benè sustinent excellentiam suorum. *Non est propheta sine honore, nisi in Patria sua, & in domo sua*, Mat. 13. *Quare autem ornatiùs & elegantiùs eam scripserit, in superioribus dictum est, propter hebraicæ scilicet linguæ, quàm cæterarum, maiorem peritiam.*

DISCE


cum

Paulo soli Christo viuere, Mundo mori. Vide fusiùs V. Apostoli *Tomo* 1. Et Iudæi *Tomo* 2.

E Prol. ad Hebr. ff.

Inter Canonicas est etiã Epistola ad Hebræos, quamuis olim dubitatum sit.

Quare in ea nomen suum non præmittat.



PAV-

PAVPERTAS. *Vide* Christi educatio *Tom.* 1. Religiosus.

PAX.

V. Constituere pacem vel in se ipso, vel inter alios, manifestat hominem esse Dei imitatorem, qui est Deus vnitatis & pacis. 1. 2. 69. 4. *fi. corp.*

n PAx F omnium rerum (*ex Augustino* 19. *de Ciu. Dei*) est tranquillitas ordinis. Ex quo patet, quod ex hoc ratio pacis assumitur, quòd aliquid non impeditur à recto ordine: tranquillitas enim perturbationem impedimenti excludit. Pax autem præcipuè respicit illud ordinem, quo voluntas in aliquid ordinatur; vnde & tunc dicimus hominem pacem habere, quando nihil est, quod impediat ordinem suæ voluntatis in aliquid. Et similiter dicimus, pacem esse in Ciuitate, quando nihil est, quod perturbet rectum ordinem ciuitatis, qui est ex voluntate Gubernatoris. Et secundùm etiam quòd inanima a appetitum naturalem habere dicuntur, ponimus, vnamquamque rem habere pacem, secundùm quod non impeditur ab inclinatione, quam habet in suum finem, quem naturaliter appetit. *Ex quo* necesse est G quòd omne appetens appetat pacem, in quantùm scilicet omne appetens appetit tranquillè & sine impedimento peruenire ad id, quod appetit: in quo consistit ratio pacis. *Verumtamen* pacem H omnia desiderant, non sicut finem, sed sicut id, sine quo finis haberi non potest. *Et taliter quidem omnes pacem appetunt*, *quòd* illi etiam I qui bella quærunt & dissensiones, non desiderant nisi pacem, quam se habere non æstimant. Non enim est pax, si quis cum alio concordet contra id, quod ipse magis vellet: ideò homines quærunt hanc concordiam rumpere bellando, tanquam defectum pacis habentem, vt ad pacem perueniant, in qua nihil eorum voluntati repugnet. Et propter hoc omnes bellantes quærunt per bella ad pacem aliquam peruenire perfectiorem, quàm priùs haberent. *Et ita vel ipsius belli finis est pax. Hinc infertur, quòd non idem pax est & concordia.* Vbicumque *enim* est L pax, ibi est concordia: non tamen vbicumque est concordia, ibi est pax, si nomen pacis propriè sumatur. Concordia enim propriè sumpta est ad alterum, in quantùm scilicet diuersorum cordium voluntates simul in vnum consensum conueniunt. Contingit etiam, vnius hominis cor tendere in diuersa: & hoc dupliciter. Vno quidem modo secundùm diuersas potentias appetitiuas: sicut appetitus sensitiuus plerumque tendit in contrarium rationalis appetitus, secundùm illud ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersùs spiritum.* Alio modo, in quantùm vna & eadem vis appetitiua in diuersa appetibilia tendit, quæ simul assequi non potest; vnde necesse est, esse repugnantiam motuum appetitus. Vnio autem horum motuum est quidem de ratione pacis; non enim homo habet pacatum cor, quandiu non habet id quod vult: &, si habeat aliquid, quod vult; tamen adhuc restat ei aliquid volendum, quod simul habere non potest. Hæc autem vnio non est de ratione concordiæ. Vnde concordia importat vnionem appetituum diuersorum appetentium: pax autem supra hanc vnionem importat etiam appetituum vnius appetentis vnionem. *Et sic* paci M opponitur duplex dissensio: scilicet dissensio hominis ad se ipsum, & dissensio hominis ad alterum. Concordiæ autem opponitur hæc sola secunda dissensio.

F 4. *d.* 49. 1. 2. 4. *c.*
Pax quid, & in quo consistat.
Pacem omnes & omnia appetunt.

G 2. 2. 29. 2. *c. In* 4 *l. c. Ver.* 22. 1. *ad* 12.

H In 4. *l. c. ad* 3.
Non sicut finem, sed sicut id sine quo finis haberi non potest.

I 2. 2. 29. 2. *ad* 2.
Etiam per bella homines pacem quærunt.

L Ibid. a. 1. *c. In* 3. *d.* 27. 1. 3. *ad* 5. & *q.* 2. 1. *ad* 6. *de Diu. Nom. c.* 11. *l.* 1.
Concordia idem non est, quod pax.
Quid concordia.

o Pax *igitur* nihil N aliud est, quàm tranquillitas ordinis: tunc enim aliqua dicuntur pacem habere, quando eorum ordo inturbatus manet. In homine autem est triplex ordo: scilicet hominis ad se ipsum, hominis ad Deum, & hominis ad proximum. Et sic triplex pax in homine: quædam intrinseca, secundùm quam pacificatur sibi ipsi absque perturbatione virium, Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Alia est, per quam homo pacificatur Deo, totaliter eius ordinationi subiectus, Rom. 5. *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Tertia pax est ad proximum, Hebr. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.* Sed notandum, quòd in nobis tria ordinari debent, scilicet Intellectus, voluntas, & appetitus sensitiuus; vt videlicet voluntas dirigatur secundùm mentem, seu rationem: appetitus verò sensitiuus secundùm intellectum & voluntatem. Et ideò *Augustinus in lib. de Verb. Dom.* pacem Sanctorum diffiniens, dicit: *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis.* Vt *serenitas mentis* referatur ad rationem, quæ debet esse libera, non ligata, nec absorpta aliqua inordinata affectione: *tranquillitas animi* referatur ad vim sensitiuam, quæ debet à molestatione passionum quiescere: *simplicitas cordis* referatur ad voluntatem, quæ debet in Deum obiectum suum totaliter ferri: *amoris vinculum* referatur ad proximum: *consortium charitatis* ad Deum. *Et hinc deducitur, quòd pax, actus proprius, siue effectus est charitatis. Nam* duplex O vnio est de ratione pacis. Quarum vna est secundùm ordinationem propriorum appetituum in vnum: alia verò est secundùm vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius. Et vtramque vnionem efficit charitas. Primam quidem vnionem, secundùm quod Deus diligitur ex toto corde, vt scilicet omnia referamus in ipsum: & sic omnes appetitus nostri referuntur in vnum. Aliam verò, prout diligimus proximum, sicut nos ipsos; ex quo contingit, quod homo vult implere voluntatem proximi, sicut & sui ipsius. *Proinde pax non statuitur virtus à charitate distincta.* Cum *enim* omnes P actus se inuicem consequuntur, secundùm eandem rationem ab agente procedentes, omnes huiusmodi actus ab vna virtute procedunt, nec habent singuli singulas virtutes, à quibus procedant, vt patet in rebus corporalibus. Quia enim ignis calefaciendo liquefacit, & rarefacit, non est in igne alia virtus liquefactiua, & alia rarefactiua: sed omnes actus hos operatur ignis per vnam suam virtutem calefactiuam. Cum ergo pax causetur ex charitate secundùm ipsam rationem dilectionis Dei, & proximi; non est alia virtus, cuius pax sit actus proprius, nisi charitatis. *Sicut & gaudium* Q non est aliqua virtus à charitate distincta, sed est quidam charitatis actus, siue effectus; & propter hoc connumeratur inter fructus; inter R quos ponitur etiam pax, in quantùm est quoddam finale bonum, spiritualem dulcedinem habens, Gal. 5. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium,*

M 2. 2. *l. c. ad* 3.
Verum discrimen inter concordiam & pacem.

N Io. 14. *l.* 7. *lit. a. ibi*, pacem *Mat.* 5. *lit. b. ibi*, pacifici 2. *Thess.* 3. *l.* 2. *fi.*
Pax triplex.

Tria in homine ordinanda.

Pacis descriptio ex Augustino.

O 2. 2. 29. 3. *c.* & *Col* 3. *l.* 3. *ibi*, & pax.
Duplex vnio de ratione pacis, & vtraque effectus est charitatis.

P 2. 2. *l. c. a.* 4. *Mat.* 5 *lit. b. ibi*, pacifici.
Pax non est virtus à charitate distincta.

Q 2. 2. 28. 4 *fi. c.*
R 2. 2. 29. 4 *ad* 1.
Sed charitatis actus, siue effectus: & fructus, sicut est gaudium.

S Gal. 5. l. 6. in, & 1. 2. 70.

dium, pax. Gaudium autem S istud debet esse perfectiuum. Et ad hoc duo requiruntur. Primò, vt res amata sufficiens sit amanti propter suam perfectionem; & quantùm ad hoc dicit, *pax*: tunc enim amans pacem habet, quando rem amatam sufficienter possidet, Cant. 8. *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Secundò requiritur, vt adsit perfecta fruitio rei amatæ; quod similiter per pacem habetur: quia, quicquid superueniat, si perfectè aliquis fruatur re amata, putà Deo, non potest impediri ab eius fruitione. Sic ergo gaudium dicit charitatis fruitionem, sed pax charitatis perfectionem.

Gaudium dicit charitatis fruitionem: pax verò charitatis perfectionem.

T 2. 2. 29. 4. ad 3.

p *Quoniam verò* vni T virtuti multa vitia opponuntur secundùm diuersos actus eius: secundùm hoc charitati non solùm opponitur odium ratione actus dilectionis, sed etiam acedia, vel inuidia ratione gaudij, & dissensio ratione pacis, *siue discordia.* Discordia V concordiæ opponitur. Concordia autem ex charitate causatur (*vt visum est*) in quantùm scilicet charitas multorum corda coniungit in aliquid vnum: quod est principaliter quidem bonum diuinum, secundariò autem bonum proximi. Concordia autem per discordiam tollitur dupliciter. Vno quidem modo per se: alio verò modo per accidens. Per se quidem discordat aliquis à proximo, quando scienter & ex intentione dissentit à bono diuino, & à proximi bono, in quo debet consentire. Cum verò intentio aliquorum est ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi; sed vnus æstimat hoc esse bonum, alius autem habet contrariam opinionem: discordia tunc est per accidens contra bonum diuinum, vel proximi. Et talis discordia non repugnat charitati: nisi huiusmodi discordia sit vel cum errore circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, vel pertinacia indebita adhibeatur. *Et hoc sensu dicitur Act.* 15. Facta est dissensio inter Paulum & Barnabam, ita ut discederent ab inuicem. Talis *quippè* discordia X fuit per accidens, & non per se: vterque enim intendebat bonum; sed vni videbatur hoc esse bonum, alij aliud: quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controuersia in his, quæ sunt de necessitate salutis: quamuis hoc ipsum fuerit ex diuina prouidentia ordinatum propter vtilitatem inde consequentem. *Quàm graue autem malum sit in communitate dissensio, docet Author ad illud* 1. *Cor.* 11. Primùm quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos &c. *Scilicet* per contentiones Y quas exercebant. Quod quidem Ecclesiæ non conuenit, secundum illud Ephes. 4. *Vnum corpus & vnus spiritus &c.* Hoc tamen prædicitur Is. 22. *Scissuras Ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ sunt.* Dicendo autem, *primum*, ostendit *ex glossa*, quòd primum malum est dissensio, vnde cætera oriuntur: vbi enim est dissensio, nihil rectum est. Nec refert quòd dicatur Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Et 2. Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Hæ namque authoritates loquuntur quantùm ad peccata personalia singularium hominum, quorum primum est superbia ex parte auersionis, & cupiditas ex parte conuersionis. Sed *Glossa* hic loquitur de peccatis multitudinis; inter quæ primum est dissensio, per quam soluitur rigor disciplinæ (*declamans claustra*) *Iac.* 3. Vbi zelus (idest Z indignatio animi, vel inuidia) & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. *Idcircò dicitur Eccle.* 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, eum scilicet, qui seminat inter fratres discordias. *Et hæc est radix, vnde schismata & hæreses in Ecclesia pullularunt. Propterea haud perperam subdit ibidem Apostolus*: Nam oportet & hæreses esse. *Quemadmodum ab opposito, communitatis vnica salus est pax.* Bonum (*ait alibi Author*) & salus A consociatæ multitudinis est, vt eius vnitas conseruetur, quæ dicitur pax: qua remota, socialis vitæ perit vtilitas. Quinimmò multitudo dissentiens sibi ipsi fit onerosa. Hoc igitur est, ad quod maximè Rector multitudinis intendere debet, vt pacis vnitatem procuret. *Hac de causa promebat Dominus Mat.* 12. Omne regnum diuisum contra se desolabitur: & omnis Ciuitas, vel domus, diuisa contra se non stabit. *Quod exponens Author*: Sicut B vita *inquit* in quolibet homine: ita pax in regno. Et sicut sanitas nihil aliud est, nisi temperantia humorum: sic pax est cum vnumquodque retinet ordinem suum. Et sicut recedente sanitate, tendit homo ad interitum: sic de pace, si à regno discedit, tendit ad interitum, Ose. 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Ideò vltimum, quod attenditur, est pax. Vnde *Philosophus*: Sicut Medicus *inquit* ad sanitatem, sic defensor Reipublicæ ad pacem.

Charitati opponitur dissensio ratione pacis.

V 2. 2. 37. 1. c. & q. 29. 3. ad 2.

Concordia dupliciter per discordiam tollitur.

X Ibid. ad 3.

Y 1. Cor. 11. l. 4. ibi.

Primum malum in communitatibus est dissensio, vnde cætera oriuntur.

Vbi dissensio, nihil rectum.

Z Ia. 3. 5. 7. ibi.

A Op. 20. li. 1. c. 2. initio.

Salus vnica communitatum, concordia & pax.

B Mat. 12. lit. b. ibi.

Pax, communitatis vita: dissensio mors.

q *Verùm, quia* pax C consistit in quietatione & vnione appetitus, sicut appetitus potest esse simpliciter boni, vel mali apparentis: ita etiam & pax potest esse & vera & apparens. Vera quidem pax non potest esse, nisi circa appetitum veri boni: quia omne malum, etsi secundùm aliquid appareat bonum, vnde ex aliqua parte appetitum quietet; habet tamen multos defectus, ex quibus appetitus remanet inquietus, & perturbatus. Vnde pax vera non potest esse, nisi in bonis, & bonorum. Pax autem, quæ malorum est, est pax apparens, & non vera. Vnde dicitur Sap. 14. *In magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Duplex *item* est C Pax: videlicet bona, & mala. Est pax mala, de qua *Sap.* 14. *cit.* Ista pax est carnalium affectuum. Vnde Apoc. 6. *Datum est ei, vt sumeret pacem de terra.* Est & pax bona, de qua Eph. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Et ideò Angeli cecinerunt Luc. 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Pax *autem mala, siue terrena, triplex est.* Quædam *enim* est D pax falsa, *Sap.* 14. *cit.* Quædam fraudulenta, Ps. 27. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorum.* Quædam transitoria, 1. Thess. 5. *Cum dixerint, pax & securitas: Tunc repentinus eis superueniet interitus.* *Et ad illud* 2. *Cor.* 13. Salutate inuicem in osculo sancto, *docemur, quòd* osculum E est signum pacis: nam per os, in quo datur osculum, homo respirat. Et ideò quando homines dant sibi mutuò oscula, signum est, quòd vniunt spiritum suum ad pacem. Est autem pax simulata, quæ quidem fit per osculi fraudulentiam, Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* (Tale fuit impijssimi osculum Iudæ, Christo Domino impudenter & proditoriè impressum, Ps. 40. *Homo pacis meæ*, scilicet F Iudas, qui inter amicos reputabatur, *magnificauit super me supplantationem.*) Est & pax turpis, quando scilicet conueniunt ad malum faciendum. Et hæc fit per osculum libidinosum, Prou. 7. *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur &c.* Est & pax sancta, quam facit Deus, Philip. 4. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c.* Et hæc fit per osculum sanctum, quia vnit spiritum ad sanctitatem. Et de hoc

C 2. 2. 29. 2. ad 3.

Pax duplex, vera scilicet & apparens.

Vera nonnisi in bonis & bonorum: in malis tantùm apparens.

D Mat. 10. lit. b. ibi, pacem.

Pax item duplex, bona scilicet & mala.

Pax mala triplex.

D Ier. 14 circa fin.

E 2. Cor. 13. l. 3 ibi, Ps. 4. lit. g. ibi, in pace.

Cur osculum signum pacis.

Pax simulata.

F Ps. 40. lit. f. ibi.

Turpis.

Sancta.

hoc dicitur hic: *In osculo sancto*. Et ex hoc inoleuit consuetudo, quòd fideles & sancti viri in signum charitatis & vnionis se inuicem osculantur: & datur pax in Ecclesijs in osculo sancto. *Denique* cum vera G pax non sit, nisi de bono; sicut dupliciter habetur verum bonum, scilicet perfectè & imperfectè: ita est duplex pax vera. Quædam perfecta, quæ consistit in perfecta fruitione summi boni, per quam omnes appetitus vniuntur quietati in vno: & hic est vltimus finis creaturæ rationalis, secundùm illud Ps. 147. *Qui posuit fines tuos pacem*. Alia est pax imperfecta, quæ habetur in hoc Mundo: quia etsi principalis animæ motus quiescat in Deo; sunt tamen aliqua repugnantia & intùs & extrà, quæ perturbant hanc pacem. *Veram igitur* hanc H pacem hic Sancti habent, & habebunt in futuro: sed hic quidem imperfectè, quia nec ad nos, nec ad Deum, nec ad proximum pacem sine perturbatione aliqua possumus habere. Sed in futuro habebimus eam perfectè, quando sine hoste regnabimus, vbi nunquam poterimus dissentire. Et vtramque Dominus promittit *Io.* 14. Primam, cum dicit: *Pacem relinquo vobis*, in hoc scilicet seculo, vt hostem vincatis, & inuicem diligatis, Io. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In Mundo pressuram habebitis*. Secundam verò, cum dicit: *Pacem meam do vobis*, scilicet in futuro, Is. 66. *Declinabo super eam*, scilicet Ierusalem Cælestem, *quasi fluuium pacis*. *Et hæc est plenè desiderabilis, quam quidem in omnibus ferè Epistolis suis Apostolus iis, ad quos dirigebat, adprecatur, Rom.* 1. Omnibus, qui sunt Romæ &c. gratia vobis & pax. *Gratia & pax*: quorum I vnum, scilicet gratia, est primum inter Dei bona, quia per eam iustificatur impius, Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Aliud autem, scilicet pax, est vltimum, quod in beatitudine perficitur. Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni, consequens immunitatem ab omni malo, Is. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Et sic per hæc duo, bona alia media intelliguntur. *Et alibi*: Ponit L ista duo extrema bona, vt in eis intelligantur media. Primum enim bonum est gratia, quæ est principium omnium bonorum: nam ante gratiam nihil est, nisi diminutum in nobis. Vltimum autem omnium bonorum est pax: quia pax est generalis finis mentis. Nam qualitercumque pax accipiatur, habet rationem finis: & in gloria æterna & in regimine, & in côuersatione finis est pax, Ps. 147. *Qui posuit fines tuos pacem*. *Et Mat.* 5. *dicebat Dominus*: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Vera *igitur* pax M erit in vita æterna, Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*; & Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c.* Pax (*vt ex Augustino afferebamus*) est N tranquillitas ordinis: perturbatio enim ordinis est destructio pacis. Hæc ordinis tranquillitas tripliciter consideratur. Primò prout est in principio ordinis, scilicet in Deo, Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*. Ab hoc profundo, in quo est, pax deriuatur primò, & perfectiùs in beatos, in quibus nulla perturbatio nec culpæ nec pœnæ; & consequenter deriuatur ad sanctos viros, Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam &c.* sed perfecta est in beatis. Quia vero cor nostrum ab omni perturbatione non potest esse alienum, nisi per Deum, oportet, quòd per ipsum fiat; vnde dicit, *pax Dei*. Et hoc, secundùm quod consideratur in ipso principio, *exuperat omnem sensum* creatum; quia vt dicitur 1. Tim. 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem*; & Iob 36. *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Et secundùm quod est in Patria, exuperat omnem sensum Angelorum: sed secundùm quod est in Sanctis in via, *exuperat omnem sensum* humanum non habentium gratiam, Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum &c.*

G 2.2.29.2. ad 4. Ps. 33. lit. m. ibi, pacem.

Pax vera & sancta duplex perfecta scilicet & imperfecta. Prima in Patria, secunda in via.

H Io. 14. l. 7. lit. a. Ps. 36. lit. h. ibi, pacis.

I Rom. 1 l. 4. ibi, & cap. 2. l. 2. ibi, pax, & 1. Cor. 1. Gal. 1. Phil. 1. Col. 1. & 1. & 2. Thess. 1. vbique lect. 1. ibi, pax.

Perfecta plenè est desiderabilis: quam perpetuò Paulus in suis Epistolis adprecatur.

L 2. Cor. 1. l. 1. ibi, pax.

M Mat. 5. lit. b. ibi, pacifici. Op. 3. 92 c. 9. Io. 14. l. 7. lit. a.

N Philip. 4. l. 1. ibi.

Perturbatio ordinis, destructio pacis.

Igitur vera pax à solo Deo est. Hæc O diuina pax ad omnia transit, omnia vniendo per hoc, quòd reducit omnia in quendam ordinem: qui quidem ordo consistit in hoc, quòd quædam extrema coniunguntur alijs extremis per media. Nam suprema influunt infimis per media, & infima conuertuntur ad recipiendum à supremis per media: & sic omnia coniunguntur secundùm vnam connaturalem amicitiam. Et non solùm diuina pax coniungit extrema extremis per media, sed etiam vlteriùs omnia coniungit sibi ipsi, in quantùm dat omnibus suo modo, vt ipsa diuina pace fruantur, & infimæ creaturæ, & quicquid est infimum in quacumque creatura: *vt nimirùm omnia, tam suprema, quàm infima, de diuina pace participent*. *Quòd verò à Deo solo pax nostra sit, satis indicant verba Domini apud Ier. cap. 16.* Abstuli pacem meam à populo isto: *scilicet* quam P ad eos habebam, indignatus eis: vel quam me Authore ad inuicem, & ad alios habebant. *Hinc non minùs, quàm pax Dei, ipse dicitur ad Hebr.* 13. Deus pacis: *Siquidem* propriùs Q effectus pacē Dei est facere *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis*, vt dicitur 1. Cor. 14. Pax enim nihil aliud est, nisi vnitas affectuum: quos vnire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quæ à solo Deo est, vniuntur corda. Deus etiam nouit colligare & vnire, quia *Deus charitas est*, quæ est *vinculum perfectionis*. Vnde ipse *habitare facit vnius moris*, siue vnanimes, *in Domo*, Ps. 67. Homo autem inter se & Deum pacem fecit per Mysterium Christi: *idcircò per Christum pax nobis à Deo data est*. *Docemur enim, quòd* pietas Dei R effudit pacem in Mundum per Christum: secundùm quam pacem iam liberati à peccato, didicimus non facere bellum peccando, *Ephes.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. *Pax nostra*, idest S causa pacis nostræ; vnde dicebat Io. 14. *Pacem meam do vobis*. Hic autem modus loquendi fieri consueuit, quando totum, quod est in effectu, dependet ex causa: sicut cum dicimus de Deo, quòd ipse est salus nostra: quia quicquid salutis est in nobis, causatur à Deo. Quia ergo quicquid pacis est in nobis, causatur à Christo, ideò dicit, quòd est *pax nostra*. Nam in eius natiuitate Angeli annunciauerunt pacem, Luc. 2. *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax*. Ipso etiam Christo in corpore existente, Mundus maximam pacem habuit, qualem antea non habuerat, Ps. 71. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*. Ipse etiam resurgens pacem annunciauit, Luc. 24. *Dixit eis: Pax vobis*. Sequitur: *Qui fecit vtraque vnum*: quia scilicet Christus vtrumque populum, videlicet Iudæorum colentium Deum verum, & Gentilium ab huiusmodi Dei cultura alienatorum, coniunxit in vnum, *Io.* 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: & fiet vnum Ouile, & vnus Pastor. *Id quod & Regius præcinuit Psaltes Ps.* 45. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. *Et quidem* hæc T significabant pacem, quam

O De Diu. Nom. cap. 11. l. 2. ibi, vniens omnia.

Vera pax à solo Deo.

P Ier. 16. l. 1. ibi.

Q Hebr. 13. l. 3. ibi. Pacem facere, proprius effectus Dei.

A quo per Christum nobis data est.

R De Diu. Nom. cap. 11. l. 3.

S Eph. 2. l. 5. ibi, & 3. p. 35. 8. ad 1.

T Ps. 45. lit. g. ibi.

venit

venit facere Christus inter Deum & humanam naturam. Magnitudo autem pacis ostenditur, quantùm ad locum, quia *vsque ad finem terræ*, quia fuit quasi vniuersalis pax ad literam tempore natiuitatis Christi, quia iam quiescentibus bellis ciuilibus, Octauianus dominabatur toti Mundo. Et hæc pax portendebat, quòd pax Christi deriuari debebat in omnibus hominibus. Secundò quantùm ad tempus, quia diuturna. Et hanc diuturnitatem describit: quia si homo timet bellum, conseruat arma. Et ideò dicit: *arcum conteret, & confringet arma &c.* Quasi dicat: Tandiu durabit pax, quòd omnes tradent obliuioni arma, *Is.* 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Et hæc significabant perpetuitatem pacis fiendæ per Christum, *Is.* 9. *Multiplicabitur eius imperium*, & pacis non erit finis. *Et quia vbi pax, ibi Deus: ideò Christi pacem seruanti Christus in præmium promittitur, & Deus*, 2. *Cor.* 13. Pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. *Quasi diceret*: Si seruabitis V pacem inter vos, *Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*. Circa quod notandum, quòd apud Gentiles consuetum erat, quòd aliqui ex donis nominabant Deos, sicut ex dono pacis, denominabant Deum pacis: & ex dono salutis, Deum salutis. Huic vocabulo alludens Apostolus, dicit: *Deus pacis.* Non quòd pax sit vnus Deus, sicut illi dicebant: sed ideò Christus dicitur *Deus pacis*, quia est dator pacis, & amator, Io. 14. *Pacem meam do vobis*. Ipse etiam est Author pacis, Io. 16. *Vt in me pacem habeatis*. Ipse in pace habitat, *Ps.* 75. *Factus est in pace locus eius*. Item non solùm est *Deus pacis*, sed etiam *dilectionis*: & hoc ideò, quia qui est in vera pace cordis & corporis, est in charitate. *Qui autem manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, vt dicitur 1. Io. 4. *Et vt locum innueret Dominus, vbi hac pax inuenitur, dicitur* Io. 20. *quòd post resurrectionem* stetit in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis; *moxque subiicitur*: Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus, *quasi locum demonstrans, vbi sit vera pax, sine fons pacis nostræ, nimirùm in vulneribus & latere Christi pro nobis crucifixi*. Hanc enim X pacem per passionem fecit, *Coloss.* 1. Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in Cælis sunt. *Hinc benè infertur ab Euangelista*: Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino: *Ad gaudium autem sequitur pax, Gal.* 5. Charitas, gaudium, pax. *Id quod ex sequentibus clarius innotescit: postquam enim iterùm dixit eis*: Pax vobis; *Thomæ subiecit*: Infer digitum tuum huc, & mitte in latus meum. *Quasi dicat: Inquire pacem, quam incredulus amiseras: & statim reperies. Quo sensu dicebat ad sponsam Cant.* 2. Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. *Pacifera siquidem columba est, vnde & ramum oliuæ, pacem indicantis, ad arcam detulit. Vt ergo pacem conseruet, & quietè, ac securè ab omni immunis perturbatione moretur, ad Christi vulnera inuitatur & latus*. Si Y petra secundùm Apostolum est Christus, foramina petræ sunt vulnera, quæ pro salute nostra in Cruce suscepit, fixuram videlicet clauorum, & lanceæ percussuram. In his ergo foraminibus Columba, idest Ecclesia (*vel anima fidelis*) moratur, vbi ab insidijs malignorum spirituum, quasi à raptu accipitris, secura delitescit: *quæ quidem securitas, propria pacis est, vt præmisimus*.

Christus idcircò dicitur Deus pacis.

V 1. *Cor.* 13. *l.* 3. *ibi*.

Ex donis Gentiles suos nominabant Deos.

Vera pax in solo Christi latere reperitur.

X *Io.* 20. *l.* 4. *bi*.

Y *Cant.* 2. *Com.* 1. *ibi*.

¶ *At verò, cum dixerimus, hanc nobis per Christum datam pacem, perpetuam esse, ex illo Is.* 9. Et pacis non erit finis: *vnde est, quotidianis iustos persecutionibus esse obnoxios?* Oportet ergo Y prædicta ad pacem pectoris reducere, non corporis. Vnde ipse Dominus, quando pacem offert discipulis Io. 14. *Pacem meam do vobis, non quemodo Mundus dat, ego do vobis*: de tali pace loquitur. Manifestum est enim, illa verba discipulis imminente passione dicta esse. Tunc autem constat, ipsos persecutionem passos. Vnde dictum est eis in eodem temporis momento: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Hanc ergo pacem electi Christi fideles perdere non possunt, nisi velint. Quòd si licuit Stoicis dicere, bona hominis, quæ virtutes appellant, in homine semper manere, nec auferri posse, virtuosis (vt refert *A. Gellius* in lib. Noct. Attic. de Dione Stoico, & *Augustinus* lib. 5. de Ciu. Dei) quare non magis dicemus de mentibus fidelium, quòd *pacis eorum non erit finis*, cum inhæreant fini, qui sine fine viuit? *Et de hac pace loquitur pariter Apostolus* 2. *Thess.* 3. Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. *Quocirca notandum, quòd* Deus Z dicitur esse pacis quantùm ad duo. Pax enim consistit in duobus, vt scilicet homo concordet ad se ipsum, & ad alios. Et neutrum potest haberi sufficienter, nisi in Deo: quia sibi non concordat ad se ipsum in se ipso, quando quod appetitur secundùm vnum, sufficit quantùm ad omnes. Quod nihil potest esse præter Deum, *Ps.* 102. *Qui replet in bonis desiderium tuũ*. Quæcumque enim alia præter Deum non sufficiunt ad omnes, sed Deus sufficit. Item homines non vniuntur inter se, nisi in eo, quod est commune inter eos: & hoc est maximè Deus; & ideò dicit: *Deus pacis det nobis*, non *pacem* temporalem, sed *sempiternam*, idest spiritualem, quæ hìc incipit, & ibi perficitur, *Ps.* 147. *Posuit fines tuos pacem*: & hoc *in omni loco*, idest in toto Mundo apud fideles. *Quæ mirificè faciunt & verba Domini ad discipulos, postquam eos de pluribus monuisset Io.* 17. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. *Siquidem* finis A Euangelij est pax in Christo, *Ps.* 118. *Pax multa diligentibus legem tuam*: (*Hinc Rom.* 10. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem!) Cuius ratio est, quia pax cordis opponitur eius perturbationi, quæ oritur ex malis superuenientibus & crescentibus. Si quis autem habeat aliquando luctum, vel gaudium superexcedens illa mala, patet quòd perturbatio non manet. Et inde est, quòd homines mundani, qui Deo per amorem non sunt coniuncti, habent tribulationes absque pace: sed Sancti, qui Deum per amorem habent in corde; etsi ex Mundo habeant tribulationes, in Christo habent pacem: *ut in me pacem habeatis*. Finis enim noster hìc esse debet, vt pacem habeamus in Deo, *Ps.* 76. *Renuit consolari anima mea*, scilicet in rebus Mundi: sed vbi *memor fui Dei, delectatus sum*. *Et hac est vera pax animæ, idest* quies B à vitijs & tranquillans conscientiam, *Is.* 26. Domine, dabis pacem nobis. *Sanè* secundùm hoc C peccatum nobis remitti dicitur, quòd Deus nobis pacatur: quæ quidem pax consistit in dilectione, qua Deus diligit nos: *est enim pax, vt vidimus, effectus charitatis. Vnde & Mat.* 11. *dicebat Dominus*: Venite ad me omnes, qui labora-

Y *Op.* 20. *l.* 3. *c.* 16. *fi. Mat.* 5. *lit. b. fi.*

Pax iustorũ interior, non exterior.

Pacem Christi non perdimus, nisi volumus.

Z 2. *Thess.* 3. *fi. ibi*.

A *Io.* 16. *l.* 8. *lit. c. ibi*.

B *Apoc.* 1. *Com.* 1. *ibi*. Pax vera, animæ requies.

C 1. 2. 113. 2. *c.*

Ee tis

D Mat. 11. lit. c. ibi.

tis, & onerati estis (*more scilicet* D peccatorum) & ego reficiam vos: & inuenietis requiem animabus vestris. *Requiem, hoc est, pacem*. Et hæc requies, est requies animæ, *Eccli.* 51. Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem: *imperfectam scilicet hic per gratiam, perfectam in æterna gloria, ut præmissum est*.

E 2.2. 29.3. ad 1.

Sine gratia non potest haberi vera pax animæ.

t *Ex quo coherenter decemur, quòd* sine gratia E gratum faciente non potest esse vera pax, sed solùm apparens. *Idcircò de vera pace dicitur Is.* 48. *&* 57. Non est pax impijs, dicit Dominus. *De apparente verò Ier.* 6. *&* 8. Dicentes; Pax, pax; & non erat pax. *Et hoc est, quod dicitur, Apoc.* 6. Datum est ei, vt sumeret pacem de terra. *Ei, scilicet* F diabolo, *vt sumeret pacem de terra*; idest, tolleret pacem temporalem, & pacem animi de cordibus terræ deditis. *Allicit enim Sathanas ad peccandum: deinceps animum turbat, & diuexat. Quia ergo pax est tranquillitas ordinis*, ista G ordinatio non potest esse, nisi in hominibus Sanctis, non impijs: hi enim pacem interiorem habere non possunt. *Idcircò post admissum peccatum, dicebat Ps.* 37. *David*: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. *Proinde in cassum eam impii peccando quærunt*. Putant H aliqui, quòd possint habere interiorem pacem implendo superflua & inordinata sua desideria, quæ incitantur secundùm varias passiones: sed per hoc magis perturbantur, dum non possunt consequi delectationes, à quibus detinentur. Impossibile est enim, quòd homo superfluis & inordinatis desiderijs subiacens, omnia desiderata consequi possit: & ideò tales, quærentes pacem, lites commouent, vt sua desideria impleant. Et quia varijs desiderijs subiacent, variationibus gaudent. Sapienter autem hanc impugnationem passionum sedarent, si multa desideria reprimentes, ad vnum desiderium veræ pacis conuerterentur. *Eapropter, quamuis teneamur cum omnibus pacem habere, Hebr.* 12. Pacem sequimini cum omnibus: *idest*, non solùm I habete, sed quæratis, quomodo cum alijs habeatis: *Tamen cum impiis haberi non potest*. Non *enim* potest L esse pax inter bonos & malos, quia pax dicit concordiam, quæ non potest haberi cum malis, Sap. 2. *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris. Et ideò* 2. ad Tim. 2. *dicebat Apostolus*: Sectare pacem cum his, qui inuocant Dominum de corde puro, *qui & pacem Dei in corde habent. Vnde non perperam ad* Rom. 12. *illud promebat*: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Si fieri* inquam *potest*: quandoque enim M malitia aliorum impedit, ne cum eis pacem habere possimus: quia scilicet cum eis pax haberi non potest, nisi eorum malitiæ consentiatur; quam quidem pacem constat esse illicitam. Addit autem, *quod ex vobis est*: scilicet, etsi ipsi contra pacem agant, tamen quod in nobis est, facere nos debemus, vt eorum pacem quæramus, *Ps.* 119. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. *Non est igitur in mundanis & peccatoribus vera pax, sed apparens: in solis autem iustis vera pax est, Ps.* 84. Loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. *Et Bar.* 3. Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna. *Et hanc quidem veram pacem diuidit ipse Dominus contra pacem Mundi* Io. 14. *cum ait*: Pacem meam do vobis: non quomodo

F Apoc. 6. tom. 1. ibi.

G Mat. 5. lit. b. ibi, pacifici. Ps. 13 lit. e. ibi, pacis.

H De Diu. Nom. c. 11. l. 3. circ. fin. Ps. 37. lit. b. ibi, non est pax.

Impius verá pacem interiorem habere non potest.

I Hebr. 12. l. 3. ibi.

Inter bonos & malos non potest esse pax.

L 2. Tim. 2. l. 4. ibi, & pacem.

M Rom. 12. l. 3. ibi.

Pax Sanctorum distinguitur à pace Mūdi quoad tria.

Mundus dat, ego do vobis. *Et enim* distinguitur N pax Sanctorum à pace Mundi, quantùm ad tria. *Primò* quantùm ad intentionem: nam pax Mundi ordinatur ad quietam & pacificam fruitionem temporalium; quo fit, vt quandoque cooperetur hominibus ad peccandum: sed pax Sanctorum ordinatur ad bona æterna. Est ergo sensus. *Non quomodo Mundus dat, ego do*; idest, non ad eundem finem: quia Mundus dat quantùm ad exteriora quietè possidenda; ego verò do quantùm ad æterna adipiscenda. *Secundò* quantùm ad simulationem, & veritatem: quia pax Mundi est simulata, quia tantùm exteriùs: pax verò Christi est vera, quia est interiùs, & exteriùs: & sic *Non quomodo Mundus dat*, idest simulatam pacem do, sicut Mundus, sed veram. *Tertiò* quantùm ad perfectionem; quia pax Mundi est imperfecta, cum sit tantùm quantum ad quietem exterioris hominis, & non interioris: sed pax Christi quietat interiùs & exteriùs. Et est sensus; *Non quomodo Mundus dat*; idest, non ita imperfectam.

N Io. 14. l. 7. ∫. ibi.

u *Porrò* tripliciter O est nobis necessaria pax. Primò cum Deo, Io: 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: in Mundo pressuram habebitis*. Secundò pax in nobis, Iob 5. *Scies, quòd pacem habeat tabernaculum tuum*. Tertiò cum proximis, Rom. 12. *Cum omnibus hominibus pacem habentes*. Circa primam pacem, tria sunt ei necessaria, qui vult habere pacem cum Deo. Primò vt Deum timeat, Eccli. 1. *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem & salutis fructum*. Secundò vt in eodem spem suam habeat, Is. 26. *Seruabis pacem: pacem, quia in te sperauimus*. Tertiò vt mandatis eius obediat, Is. 48. *Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua*. Circa secundam pacem, tria sunt necessaria homini, qui vult habere pacem secum. Primò vt Deo se totum subijciat, Iob 22. *Acquiesce ei, & habeto pacem*. Secundò vt bonam voluntatem semper custodiat, Luc. 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Tertiò, vt omnes motus animi & corporis secundùm prudentiam spiritus regat, Rom. 8. *Prudentia Spiritus, vita & pax*. Circa tertiam pacem, tria sunt homini necessaria, qui vult habere pacem cum proximis. Primò, vt quæ placita sunt Deo, faciat, Prou. 16. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem*. Secundò vt nulli iniuriam faciat, 2. Cor. 6. *Nemini dantes vllam offensionem*; & Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam*. Lex Dei est, vt quæ nolumus fieri nobis, alijs non faciamus: quæ autem nobis fieri volumus, similiter alijs faciamus. Tertiò vt omnibus benefaciat, Rom. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. Et sub his P tribus continentur omnia, quæ in hac vita sunt vtilia ad salutem, vel quantùm ad Deum, vel quantùm ad proximum, vel quantùm ad semetipsum. *Et quidem in præsenti vita pax cum proximis nostris necessaria potissimùm est, nedum ex mandato, sed & ex testamento Christi Domini Nostri. Hinc illud Io.* 14. Pacem relinquo vobis, *exponitur*: scilicet Q in hoc sæculo, vt hostem vincatis, & vt inuicem diligatis; quod est quasi testamentum seruandum nobis, statutum à Christo, Eccli. 45. *Statuit illi testamentum pacis*. Vnde sicut *Augustinus* dicit, non poterit ad hereditatem Domini peruenire, qui testamentum eius noluerit obseruare. Nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano. *Eapropter, morti iam proximus*,

O Serm. in Eu. in Oct. Pasch. Rom. 10. l. 2. ibi, pacem Io. 14. l. 7. lit. a.

Tripliciter nobis pax necessaria.

Tria necessaria ad pacem cum Deo.

Tria ad pacem cum nobis.

Tria ad pacem cum proximo.

Quæ ex mandato est, & testamento Christi.

P Rom. 10. loc. cit.

Q Io. 14. l. 7. lit. a. ibi.

Sacra-

Sacramentum Corporis & Sanguinis sui fidelibus dereliquit, quod est præ cæteris Sacramentum pacis. Vnde & Ecclesia in secreta oratione: Ecclesiæ tuæ Q quæsumus, Domine, vnitatis est pacis propitius dona concede: quæ sub oblatis muneribus mysticè designantur. *Ex opposito hoc* R facit discordia in Corpore Ecclesiæ, quod facit diuisio continuitatis in corpore humano, ex qua sequitur dolor magnus, & quandoque mors. *Et alibi.* Sicut S in corpore naturali membra diuersa continentur in vnitate per virtutem spiritus viuificantis, quo abscedente membra corporis separantur: ita etiam in corpore Ecclesiæ conseruatur pax diuersorum membrorum virtute Spiritus Sancti, qui corpus Ecclesiæ viuificat, Io. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Discedit autem aliquis ab hac vnitate Spiritus, dum quærit quæ sibi sunt propria; sicut etiam in terrena Ciuitate pax tollitur ex hoc, quòd Ciues singuli quæ sunt sua quærunt. *Et ideò pro sua Ecclesiæ vnitate orabat Dominus Io. 17.* Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Quod *quidem* potest T dupliciter continuari ad præcedentia. Vno modo vt designet modum conseruationis, vt sit sensus: Ita seruabuntur, *vt sint vnum*: nam quælibet res conseruatur in esse quandiu est vna, quæ desinit esse per diuisionem, Mat. 12. *Omne regnum contra se diuisum, desolabitur.* Et ideò Ecclesia potest conseruari, & homines, si *sint vnum.* Alio modo, vt sit finis conseruationis, *vt sit sensus*: & ad hoc conseruentur, *ut sint vnum.* Nam in vnitate spiritus consistit nostra perfectio tota, Ps. 132. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Sed addit, *sicut & nos*; supple, *vnum sumus*: non quidem per æquiparationem, sed per similitudinem quandam. Pater enim & Filius sunt eiusdem naturæ numero: nos autem *vnum sumus* in natura secundùm speciem. Item ipsi *sunt vnum* per amorem, non participatum ex dono alicuius; sed ab eis procedentem: nam Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Nos autem *vnum sumus* per amorem participatum ex aliquo superiori. *Subdit autem inferiùs*: Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, *videlicet per amorem, ut expositum est.* Fructus autem V vnitatis ponitur, cum subdit: *ut credat Mundus, quia tu me misisti.* Per nihil aliud enim sic manifestatur veritas Euangelij, sicut per charitatem fidelium, Io. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Erit ergo hic vnitatis fructus, quia per hoc quòd *sint vnum, Mundus credat*, quòd doctrina, quam dedi eis, sit à me, & cognoscat, *quia tu me misisti.* Non enim est Deus dissensionis causa, sed pacis.

X *Porrò loquens de diuina pace* Dionysius, *dicit, quòd Deus* quiescit & silentium agit (*secundùm illud Ps. 64.* Te decet hymnus Deus in Sion: *vbi alia litera habet*: Te decet silentium, Deus:) *Quo loci notat Author, quòd Dionysius* adiungit X silentium paci, quia pax quietem animi importat. Coniungitur autem quies & immobilitas paci, sicut & silentium, quia ea, quæ pacem habent, ex hoc ipso quietem quandam habere videntur. Vnde & signum perturbatæ pacis solet esse strepitus & clamor. (*Notent Claustrales.*)

Et hinc est, quòd contentio, quæ est Y impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, *huic paci opponitur, Iac. 3.* Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia. *Vbi zelus & contentio*, idest Z indignatio animi, & dissensio in verbis: *ibi inconstantia*; idest instabilitas in bono, *& inquietudo, quæ paci repugnat.* *Ex quo docemur, quòd* tria A sunt, quæ maximè destruunt pacem. *Primò* superbia, Iob 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Secundò iracundia, Eccli. 28. *Homo iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Tertiò quælibet iniquitas, Is. 48. *Non est pax impiis*, dicit Dominus. *Nec tamen dissensio qualibet in opinionibus, pacem tollit. Quia*, sicut B Philosophus dicit *in 9. Ethic.* Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, sed concordia in bonis conferentibus ad vitam, præcipuè in magnis: dissentire enim in aliquibus paruis, quasi non videtur esse dissensus. Et propter hoc nihil prohibet, aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire. Nec hoc repugnat paci: quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur. Similiter etiam, existente concordia in principalibus bonis, dissensio in aliquibus paruis non est contra charitatem: procedit enim talis dissensio ex diuersitate opinionum, dum vnus æstimat hoc, de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum, in quo conueniunt: & alius æstimat, non pertinere. Et secundùm hoc talis dissensio de minimis & opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua planè veritas cognoscetur, & omnis appetitus complebitur: non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via: *quod & superiùs præuisum est.* *Cæterùm* tria sunt C quæ faciunt pacem in præsenti. Primò contemptus temporalis opulentiæ, Is. 57. *Impii quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Secundò subiugatio carnalis concupiscentiæ, Eccli. 44. *Pacificantes in domibus suis.* Tertiò contemplatio diuinæ sapientiæ, Ps. 75. *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Item tria sunt, quæ facient pacem in futuro. Primò bonorum vbertas, Ps. 147. *Posuit fines tuos pacem.* Secundò malorum securitas, Is. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ.* Tertiò immobilitas: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, Ps. 4. *Ad habendam autem hanc pacis æternitatem, hic animorum vnitatem seruare monet Apostolus* Eph. 4. *cum ait*: Soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. *Pro quo sciendum, quòd* duplex D est vnitas. Vna ad malefaciendum, quæ est mala, & potest dici vnitas carnis, Eccli. 11. *A scintilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis.* Alia est vnitas spiritus, quæ est bona, ad faciendum bonum, Io. 17. *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Modus autem seruandæ vnitatis est *in vinculo pacis.* Charitas enim est coniunctio animorum. Nulla autem rerum materialium coniunctio stare potest, nisi ligetur aliquo vinculo. Eodem modo, neque coniunctio animorum per charitatem stare potest, nisi ligetur. Huiusmodi autem verum ligamen est pax, quæ est *secundùm Augustinum* tranquillitas modi, speciei, & ordinis, quando scilicet vnusquisque habet quod suum est. Propter quod dicit, *in vinculo pacis.* Quæ quidem pax seruatur per iusti-

Ee 2

Q Op. 57. ad Missam.
R Op. dec. Pr. l. 2. cap. 12.
S 2. 2. 183. 2. ad 3.
Discordiæ damna in Ecclesia.
Quomodo tollatur Ecclesiæ vnitas & pax.
T Io. 17. l. 3. lit. a. ibi, & l. 5. lit. b. ibi vnum sint.
Quælibet res conseruatur in esse, quandiu est vna.
V Io. 17. l. 5. lit. b. ibi.
Veritas Euangelij manifestatur per vnitatem & pacem inter fideles Christi.
Cur paci adiungat & silentiū Dionysius.
X De Diu. Nom. c. 11. l. 2. ibi.
Y Rom. 13. l. 3. ibi, in contentione 2. Tim. 2. l. 2. ibi, contendere & 2. 2. 38. 1. c
Contentio quid.
Z Iac. 3. §. 7. ibi.
Tria pacem destruunt.
A Serm. ex Eu. in Oct Pasch. fin.
B 2. 2. 29. 3. ad 2. & q. 37. 1
Non quælibet in opinionibus dissensio pacem & amicitiā tollit.
Tria faciunt pacem in præsenti, & tria in futuro.
C Is. 26. ibi, pacem
D Ephes. 4. l. 1. circa fin.
Pax, vinculum vnitatis.

iustitiam, Is. 32. *Opus iustitiæ, pax.* Quia verò in homine est duplex vnitas: vna scilicet membrorum ad inuicem simul ordinatorum; alia corporis & animæ, tertium constituentium: Apostolus autem loquitur hic de vnitate Ecclesiæ, ad modum vnitatis, quæ est in homine: ideò subiungit; *Vnum Corpus.* Quasi dicat: Ligamini vinculo pacis, vt sitis *vnum corpus* quantùm ad primam vnitatem: vt scilicet omnes fideles sint ordinati ad inuicem, sicut membra *vnum corpus* constituentia, Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo &c.* Quantùm ad secundam dicit: *& vnus spiritus*; vt videlicet vnum habeatis spiritualem consensum per vnitatem fidei & charitatis. Vel *vnum Corpus*, quoad proximum: *& vnus spiritus* quoad Deum: quia *qui adhæret Domino, vnus spiritus est*, 1. Cor. 6. *Sed vnitatem seruare debemus* in vinculo pacis, *vt perseueret.*

y Porrò qui hanc vnitatem vinculo pacis firmatam procurant, nobilissimum opus peragunt, Dei imitatores effecti, *Mat.* 5. Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. *Et hoc* triplici E ratione. Prima est, quia habent officium filij Dei ad hoc enim Filius dicitur venisse in Mundum, vt congregaret dispersos, vt habetur Io. 11. & Eph. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Secundò quia per pacem cum charitate peruenitur ad Regnum æternum, in quo omnes *filii Dei vocabuntur*, Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Tertiò quia per hoc homo assimilatur Deo: vbi enim est pax, nulla est resistentia; Deo autem nullus resistere potest, *Iob* 9. Quis restitit ei, & pacem habuit? *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: Constituere F pacem vel in seipso, vel inter alios, manifestat hominem esse Dei imitatorem, qui est Deus vnitatis & pacis. Et ideò pro præmijs redditur ei gloria diuinæ filiationis, quæ est in perfecta coniunctione ad Deum per sapientiam consummatam. *Et reuera Christi Dei, ac Domini nostri imitator existit, qui* in vinculo pacis *proximorum animos iungit, & vnit.* Christus *enim* noluit G nasci in Mundo isto, donec per totum Mundum pax fuit. Ipso nato, multitudo Angelorum pacem hominibus commendauit, Luc. 2. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Prædicans verò ait: *Beati pacifici &c.* Mat. 5. Mittens prædicatores, voluit vt ad pacem monerent, Mat. 10. *Intrantes domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.* In die cœnæ relicturus discipulos, pacem, tanquam hereditatem eis reliquit, Io. 14. *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis.* Apparens eis post resurrectionem, ad pacem monuit, *Io.* 20. Pacem nostram carissimè emit. Mori enim voluit, vt reconciliaret nos Deo. Adhuc & pacem peccatoris carè paratus est emere: quicumque enim peccauerit, si pœniteat, Deus paratus est remittere omnem offensam, & emere pacem eius regno æterno. Honorabilis est pax ista peccatori. Si enim haberet Deum in carcere suo, non deberet (*nec posset*) honorabiliorem pacem requirere ab eo. *Vnde Apostolus ad Ephes.* 2. Veniens, euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem his, qui propè. *Euangelizauit* inquam *vobis*, scilicet H Gentilibus, *qui longè fuistis*: quibus si non in persona propria, tamen per Apostolos suos annunciauit pacem: *& pacem his, qui propè*, supple, annunciauit Christus in persona propria. *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem. Ambo*, idest duo populi, *in vno spiritu*, idest vniti vnione Spiritus Sancti, *cuius fructus sunt charitas, gaudium, pax*, ad Gal. 5. *Illud postremò notandum, quòd sicut diuinum opus habetur, veram inter homines procurare pacem & stabilire: ita non minùs commendabile est, falsam impiorum pacem destruere, & discordiam immittere inter concordes in malo, secundùm illud Is.* 58. Dissolue colligationes impietatis. *Docemur enim, quòd* sicut I voluntas hominis adhærens Deo, est quædam regula recta, à qua peccatum est discordare: ita etiam voluntas hominis, Deo contraria, est quædam peruersa regula, à qua bonum est discordare. Facere ergo discordiam, per quam tollitur bona concordia, quam charitas facit, est graue peccatum. Sed causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile. Et hoc modo laudabile fuit, quòd Paulus posuit dissensionem inter Sadducæos & Pharisæos, qui erant concordes in malo; Act. 23. Facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos &c. Nam & Dominus dete dicit Mat. 10. *Non veni pacem mittere; sed gladium.* Non *pacem*, scilicet L carnalium affectuum: *sed gladium*, de cuius ratione est diuidere, *ad tollendam scilicet à corde hominum pacem hanc carnalem, & ad separandos in carnalibus concordes, discordes verò à Deo: à quo vera pax nostra hic per gratiam, & futuro per gloriam.*

DISCE *in pace viuere, vt in pace requiescas. Vide* Amicitia, Amor, Christi resurrectio, Collegium *Tomo* 1.

E Mat. 5. lit. b. ibi, circa fin.

F 1 2. 69. 4. ff. c.

Pacem procurare assimilat Deo.

Christus in omnibus pacis cultor & amator.


G Op. de er. Pr. l. 7. cap. 9.

H Eph. 2. l. 5. ibi.

Sicut causare discordiam inter concordes in bono, est graue peccatum: ita inter concordes in malo discordiam immittere, laudabile est.

I 2. 2. 37. 1. ad 2.

L Mat. 10. lit. b. ibi.



PECCATVM ORIGINALE.

VI. Quamuis peccatum Adæ deletum fuerit per suam pœnitentiam, iuxta illud Sap. 10. *Eduxit illum à delicto suo*: non tamen eius pœnitentia delere potuit peccatum posterorum, quia eius pœnitentia fuit per actum personalem, qui vltrà eius personam non se extendebat. *Rom.* 5. *l.* 3.

M In 2.d.30 exp. tex. & 3. p.27.3.c.

Varia peccati originalis nomina, & vnde sint.

z ORiginalis M peccati octo ponuntur nomina, quorum differentia sic accipi potest. Potest enim hoc peccatum nominari vel per comparationem ad modum, quo causatur in nobis; vel per comparationem ad subiectum, in quo est, vel per comparationem ad peccatum actuale, in quod inclinat: & quia per originem vitiatam in nos peruenit; ideò ex modo, quo causatur in nobis, nominatum, dicitur *originale peccatum*. In peccato autem actuali duo considerantur: scilicet defectus, seu deformitas peccati; & secundùm hoc nominatur *fomes peccati*, quasi fomentum præbens ad peccandum, sicut siccitate lignorum fouetur ignis: & iterum delectatio, quæ consistit in conuersione ad bonum commutabile; & sic dicitur *concupiscentia* quantùm ad deordinationem actu existentem in partibus animæ, subtracto retinaculo iustitiæ originalis: vel in ordine ad actum concupiscentiæ, ad quem peccatum originale inclinat; & sic dicitur *concupiscibilitas*. Subiectum autem, in quo originale peccatum consistit, est homo, qui ex duabus naturis constat, rationali & sensitiua. Potest ergo originale peccatum nominari vel per comparationem ad rationalem, vel per comparationem ad sensitiuam. Si primo modo, sic ex parte eius, quod est formale in originali peccato, scilicet debitæ iustitiæ carentia, dicitur *languor naturæ*: ex parte verò eius, quod est materiale, scilicet inordinatio inferiorum virium dicitur tyrannus, in quantùm per inordinationem inferiorum virium, iniustè & quodammodo tyrannicè ratio in seruitutem peccati trahitur. Ex parte autem sensitivæ, quæ est potentia organis affixa, dicitur *lex carnis*, ex eo, quòd per traductionem carnis traducitur: & dicitur *lex membrorum*, inquantùm in membris completis dominatur, & quodammodò secundùm conditionem eorum inclinat in actum, vt scilicet in delectabile membris homo inclinetur, quod est eis conueniens. *Dicitur autem originale peccatum specialiter* iniquitas, *secundùm illud Ps.* 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: *nimirùm* quia N est carentia originalis iustitiæ, per quam secundùm æquitatem ratio hominis subijciebatur Deo, inferiores vires rationi, & corpus animæ. Sed per peccatum originale hæc æquitas tollitur: quia, postquàm ratio desijt esse subiecta Deo, inferiores vires rationi rebellant, & corpus ab obedientia animæ subducitur per corruptionem & mortem. Pluraliter autem peccatum originale significatur, vel propter plures homines, in quibus multiplicatur: vel potiùs quia virtute continet in se quodammodo omnia peccata. (*vel* quia O in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicet superbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia huiusmodi: vel quia multæ partes animæ inficiuntur per peccatum originale.) Huiusmodi autem peccatum originale remitti dicitur, Ps. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates*: quia transit reatu, superueniente gratia: sed remanet actu, remanente fomite, siuè concupiscentia, quæ non tollitur totaliter in hac vita, sed remittitur, siuè mitigatur. *Hinc & propter sui vniuersalitatem* peccatum Mundi *dicitur* Io. 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. *Vbi ex Glossa Author*: Peccatum P Mundi dicitur peccatum originale, quod est commune toti Mundo. *Sanè ad omnia etiam peccata actualia tollenda venit Christus*: *nihilominùs* tantò Q principaliùs ad alicuius peccati deletionem venit, quantò illud peccatum maius est. Dicitur autem aliquid maius dupliciter: Vno modo intensiuè: sicut est maior albedo, quæ est intensior; & per hunc modum maius est peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarij. Alio modo dicitur aliquid maius extensiuè, sicut dicitur maior albedo, quæ est in maiori superficie; & hoc modo peccatum originale (per quod totum genus humanum inficitur) est maius peccato actuali, quod est proprium singularis personæ. Et quantùm ad hoc Christus principaliter venit ad tollendum originale peccatum, in quantùm bonum gentis diuinius & eminentius est, quàm bonum vnius, vt dicitur in 1. *Ethic.* Licèt *igitur* peccatum R originale (*respectu actualis*) sit minus grauitate & reatu pœnæ: est tamen maximum communitate, secundùm illud Apostoli Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*. *Peccatum immò*, pro quo S facta est *per hominem Deum* satisfactio, infinitatem quandam habebat ex tribus. Primò ex infinitate diuinæ Maiestatis, in quantùm offensa fuerat per contemptum inobedientiæ: quantò enim maior est, in quem peccatur, tantò grauior est culpa. Secundò ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum, scilicet ipse Deus; cuius participatione fiunt homines beati. Tertiò ex ipsa natura, quæ corrupta erat: quæ quidem infinitatem quandam habet, in quantùm in ea possunt supposita in infinitum multiplicari.

Cur specialiter dicatur iniquitas.

N Rom.4. l. 1.ibi, iniquitates, & c.5.l.3. Ps.31. lit. a. Ps.50 lit.c. & 1.2.82.2.ad 1 Mal.4.8.ad 1.

Originalis iustitia quid.

Originale cur pluraliter dicatur.

O 1.2.82.2. ad 1 In 2.d 22 1.1. & d.33.1. 3. ad 1. & d. 43.1.6.ad 6. In 4. d.22. exp. tex. Op. 3. c. 190. & locis c.

Transit reatu, sed remanet actu.

Quare remitti dicatur.

P Op.10.a 28 Op.11.a.23. Io. 1.lit.a. ibi.

Q 3.p.1 4.c. Op. 10. & 11. & Io.1.loc.cit. Mt.5.1.ad 9. In 2.d.33 2.1. ad 2. In 3. d.1. 1.2. ad 6.

Maius actuali peccato extensiuè, non ita intensiuè.

Principaliùs ad tollendum originale Christus venit, quàm actuale.

R Op. 10. a. 28 cit.

Quandam habet infinitatem.

S 3.d.20.1. 2. c.

a *Porrò ad probandum, omnes cum originali homines nasci*, Primò T quidem assumendum est, quod dicitur Gen. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis; præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Sed quia Adam nec eo die, quo comedit, actu mortuus est, oportet sic intelligi, quod dicitur, *morte morieris*, idest necessitati mortis eris addictus. Quod quidem frustra diceretur, si homo ex institutione suæ naturæ necessitatem moriendi haberet: (*quod intellige, non ex principijs essentialibus ipsius naturæ secundùm se, sed quantùm ad statum illum, in quo primò Deus ipsum instituit; licèt enim homo ex conditione sui corporis necessitatem moriendi haberet; quia tamen cum dono originalis iustitiæ ipsum creauit, per*

T 4. con. G c. 50. Ps.50 lit.c

Omnes homines nasci cum originali, ex Scriptura probatur.

Ex Genesi.

hanc

hanc ab huiusmodi necessitate moriendi liberabatur.) Oportet igitur dicere, quòd mors & necessitas moriendi sit pœna homini pro peccato inflicta. Pœna autem non infligitur iustè, nisi pro culpa. In quibuscumque igitur inuenitur hæc pœna, necesse est, vt in eis inueniatur aliqua culpa: sed in omni homine inuenitur hæc pœna, etiam à principio suæ natiuitatis, ex tunc enim nascitur necessitati mortis addictus, vnde & aliqui mox post natiuitatem moriuntur, *de vtero translati ad tumulum*: ergo in eis est aliquod peccatum, sed non peccatum actuale, quia non habent pueri vsum liberi arbitrij, sine quo nihil imputatur homini ad peccatum: necesse est igitur dicere, quòd in eis sit peccatum per originem traductum. Hoc etiam expressè apparet ex verbis Apostoli Rom. 5. *Sicut per vnum hominem in hunc Mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Non potest autem dici, quòd *per vnum hominem in hunc Mundum peccatum intrauit* per modum imitationis: quia sic peccatum non peruenisset, nisi ad eos, qui peccando primum hominem imitantur: & cum mors per peccatum in Mundum intrauerit, non perueniret mors, nisi ad eos, qui peccant, in similitudinem primi hominis peccantis. Sed ad hoc excludendum Apostolus subdit, quòd *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen* (idest V peccatum omnimodam suam potestatem exercuit *vsque ad Moysen*: nam per Moysen data est lex, quæ incepit regnum peccati diminuere &c.) *etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Non ergo intellexit Apostolus, quòd per vnum hominem peccatum in Mundum intrauerit, per modum imitationis, sed per modum originis. Si enim tantùm secundùm imitationem loqueretur, potiùs dixisset per diabolum peccatum intrasse in Mundum, quàm per vnum hominem, sicut expressè dicitur Sap. 2. *Inuidia Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Adhuc Dauid in Ps. 50. dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Quod non potest intelligi de peccato actuali, cum Dauid ex legitimo matrimonio conceptus, & natus dicatur. Oportet igitur, vt hoc ad peccatum originale referatur. Ampliùs Iob 14. dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Ex quo manifestè accipi potest, quòd ex immunditia humani seminis aliqua immunditia ad hominem ex semine conceptum perueniat. Quod oportet intelligi de immunditia peccati, pro qua sola homo in iudicium deducitur; præmittitur enim: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.* Sic igitur aliquod peccatum est, quod homo contrahit ab ipsa sui origine, quod originale dicitur. Item baptismus & alia Sacramenta Ecclesiæ sunt quædam remedia contra peccatum. Exhibetur autem baptismus secundùm communem Ecclesiæ consuetudinem pueris recenter natis: frustrà igitur exhiberetur, nisi in eis esset aliquod peccatum; non actuale, quia carent vsu liberi arbitrij, sine quo nullus actus homini ad culpam imputatur; oportet igitur dicere in eis esse peccatum per originem traductum, cum in operibus Dei & Ecclesiæ nihil sit vanum & frustra. Si autem dicatur, quòd baptismus infantibus datur, non vt à peccato mundentur, sed vt ad regnum Dei perueniant, quo perueniri non potest sine baptismo, Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* hoc vanum est; nullus enim à Regno Dei excluditur, nisi propter aliquam culpam. Finis enim omnis rationalis creaturæ est, vt ad beatitudinem perueniat: nihil autem à fine suo deficit, nisi propter aliquod peccatum. Si igitur pueri nondum baptizati ad regnum Dei peruenire non possunt, oportet dicere, esse in eis aliquod peccatum. Et sic secundùm catholicæ fidei traditionem tenendum est, homines nasci cum peccato originali.

Ex Apostolo.

V. Rom. 5. l. 4. ibi.

Ex Psalm. 50.

Ex Iob.

Ex institutione Sacramentorum, Baptismi præsertim.

b *Oppositum nihilominùs cum Iudæis impiè senserunt heretici.* Et quidem circa hanc X materiam duplex error tangitur in littera Magistri. Vnus est eorum, qui simpliciter peccatum originale negabant, sicut error Iuliani & Pelagii (*vt pluribus locis Augustinus tradit*) & hic error veritati fidei non consonat: quia Sacramentorum (*baptismi præsertim*) necessitatem, & redemptionis tollit, quæ contra seruitutem peccati, in qua nascimur, ordinata sunt. Alius est error eorum, qui peccatum originale nomine concedentes, secundùm rem negabant, dicentes, in puero nato nullam culpam esse, sed solùm obligationem ad pœnam. Et hoc manifestè iustitiæ diuinæ repugnat; vt scilicet aliquis obligetur ad pœnam, qui culpam non habet, cùm pœna iustè nonnisi culpæ debeatur. Et ideò, his euitatis, simpliciter concedendum est, etiam culpam per originem trahi ex parentibus vitiatis in pueris natis (*vt definit speciali Decreto Tridentinum Sess. 5.*) Quod qualiter sit, inuestigandum est. Sciendum est igitur, quòd hæc tria, defectus, malum, & culpa, ex superadditione se habent. Defectus enim simplicem negationem alicuius boni importat; sed malum nomen priuationis est; vnde carentia alicuius, etiam si non sit natum habere, defectus potest dici: sed non potest dici malum, nisi sit defectus eius boni, quod natum est habere. Vnde carentia vitæ in lapide, potest dici defectus, sed non malum: homini verò mors est & defectus & malum. Culpa autem super hoc addit rationem voluntarii: ex hoc enim aliquis culpatur, quòd deficit in eo, quod per suam voluntatem habere potuit. Vnde oportet, quòd secundùm hoc, quòd aliquid rationem culpæ habet, secundùm hoc ratio voluntarij in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, & quoddam, quod respicit personam: ita etiam est quædam culpa naturæ, & quædam personæ; vnde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur: ad culpam verò naturæ non requiritur nisi voluntas in natura illa. Sic ergo dicendum est, quòd defectus illius originalis iustitiæ, quæ homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit: & sicut illud naturæ donum fuit, & fuisset in totam naturam propagatum, homine in iustitia persistente; ita etiam & priuatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi priuatio & vitium naturæ (ad idem enim genus priuatio & habitus referuntur) & in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, quòd per voluntatem principij naturæ, idest primi hominis, inductus est talis defectus. *Hinc Apostolus ad Eph. 2.* Eramus natura filij iræ. *Natura*, idest Y per originem naturæ non quidem naturæ, vt natura est, quia sic bona est, & à Deo; sed naturæ, vt vitiata est: *filii iræ*, idest vindictæ, pœnæ, & gehennæ. *Ex quo* peccatum Z actuale Adæ fuit causa originalis in ipso, & in alijs.

Pelagianorũ error & aliorum in hac materia confutatur.

X 2. d. 30. 1. 2. c. & cap. seq. & d. 31. 1. 1. & 2. & d. 35. 1. 1. c. Ma. 4. 4. 1. 2. & 8. & 2. 2. 81. 1. 2. & 3. c. & 4. con. G. c. 50. & 52. Rom. 5. l. 3.

Defectus, malum, & culpa in quo differant.

Y Eph. 2. l. 1. fi.

Z 3. d. 13. 3. 2. q. 2. ad 4. In 2. d. 31. 1. 1. c.

A 3. p. 8. 5. ad 1.

Persona Adę corrupit naturam: in posteris natura corrumpit personam.

B 3. p. 69. 3. ad 3. In 4. d. 4. 1. 1. q. 3. c. Ma. 4. 4. ad 5. Iser. 15. 6. ad 5.

C Ma. 5. 4. ad 8. & 1. p. 100. 2. Quol. 5. a. 8. D 1. p. l. c. ad 2.

alijs. *Etenim* peccatum A originale in Adam, quod est peccatum naturæ, deriuatum est à peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale; quia in eo persona corrupit naturam, qua corruptione mediante peccatum primi hominis deriuatur ad posteros, secundùm quod natura corrupta corrupit personam. *Et alibi*. Peccatum B originale hoc modo processit, quòd primò persona infecit naturam; postmodùm verò natura infecit personam. *Cuius occasione Doctrinæ illud notandum, quòd quamuis Adam non peccante iustitia originalis traducta fuisset in posteros simul cum natura, vt 1. Toma visum est V. Adam: non tamen nascerentur in iustitia confirmati: Nihilominùs* secundùm C quosdam (*inter quos recensetur & D. Anselmus: qui tamen* hoc D non dicit asserendo, sed opinando; quod patet ex ipso modo loquendi, cum dicit: *Videtur, quòd si primi parentes sic vixissent, vt tentati non peccassent, ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt vlterà peccare non possent.*) Secundùm quosdam *inquam*, si Adam non peccasset tentatus, statim confirmatus fuisset in iustitia, & omnes posteri eius confirmati in iustitia nascerentur. Sed hoc (*subiicit Author*) credo esse falsum: quia corporis conditio in primo statu respondebat conditioni animæ: vnde quandiu corpus erat animale, & anima erat mutabilis, nondum perfectè spiritualis effecta. Generare autem pertinet ad animalem vitam: vnde sequitur, quòd filij Adam non nascerentur in iustitia confirmati. Si ergo aliquis ex posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem (*nota*) propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit: sed posteri eius morerentur propter peccatum originale: *quia videlicet* per peccatum mors.

An Adam non peccante, si quis ex posteris peccasset, mortuus esset, & inficeret filios.

Quid formale in peccato originali, quid materiale.

E 1. 2. 82. 3. c. In 2. d. 30. 1. 3. c. & d. 31. 2. 1. ad 3. Ma. 3. 7. fi. c. & q. 4. 2.

c *Quid verò formale, quid materiale in originali culpa sit, ex eo dignoscitur, quòd* tota E ordinatio originalis iustitiæ ex hoc est, quòd voluntas hominis erat Deo subiecta; quæ quidem subiectio primò & principaliter erat per voluntatem, cuius est mouere omnes alias partes in finem: vnde ex auersione voluntatis à Deo consecuta est inordinatio in omnibus alijs animæ viribus: (*non secus ac deordinata principe horologij rota & inferiores cateræ deordinantur.*) Sic ergo priuatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali, sicut quidda materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipuè in hoc attēditur, quòd inordinatè conuertuntur ad bonū cōmutabile: quæ quidem inordinatio cōmuni nomine potest dici *concupiscentia*. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia: formaliter verò est defectus originalis iustitiæ. *Nec valet, quòd concupiscentia naturalis sit, cum sit actus virtutis concupiscibilis, quæ est potentia naturalis. Nam* in tantum F concupiscere est homini naturale, inquantùm est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam: & talis est concupiscentia originalis peccati, *de qua sermo est*. *Quoniam verò per baptismum homo ab originali purgatur, videtur baptizatus non posse in filium eam culpam transmittere, quam non habet. At dicendum, quòd* per baptismum G homo liberatur à peccato originali quantùm ad mentem, sed remanet peccati infectio quantùm ad carnem. Vnde Apostolus Rom. 7. dicit: *Ego ipse mente seruio legi Dei, carni autem, legi peccati*. Homo autem non generat mente carnales filios, sed carne: & ideò non transmittit nouitatem Christi, sed vetustatem Adæ. *Et alibi*: Per baptismum H gratia confertur, cuius virtute illa infectio ab homine tollitur, quæ ex natura in personam deuoluebatur: & secundùm hoc anima purgatur à macula culpæ, & per consequens tollitur reatus pœnæ. Illa autem dispositio ad malum, quæ fomes & concupiscentia dicitur, non ex toto tollitur, quia illa dispositio sequitur conditionem naturæ. Baptismus autem non purgat naturam, nisi quantùm pertinet ad infectionem personæ; & ideò illa dispositio ex toto non tollitur vsque ad statum beatitudinis, quo natura perfectè curabitur. Sed tamen per baptismum minuitur, in quantùm gratia, quam quis in baptismo consequitur, in contrarium inclinat ei, ad quod fomes disponebat. *Et ita* peccatum I originale per baptismum aufertur reatu, in quantùm anima recuperat gratiam quantùm ad mentem: remanet tamen actu quantùm ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ & ipsius corporis, secundùm quod homo generat, & non secundùm mentem: & ideò baptizati traducunt peccatum originale: Non enim parentes generant, in quantùm sunt renouati per baptismum, sed in quantùm retinent adhuc aliquid de vetustate primi peccati. *Vno verbo, co harenter ad præmissa, tollitur per baptismum quod in originali culpa formale est, non quod materiale.* Quamuis ergo L non restituatur originalis iustitia quantùm ad id, quod materiale in ipsa erat: restituitur tamen quantùm ad rectitudinem voluntatis, ex cuius priuatione ratio culpæ inerat. Et propter hoc, id quod culpæ est, tollitur per baptismum: sed aliud pœnale remanet. *Vt enim præmissum est*, peccatum M originale hoc modo processit, quod primò persona infecit naturam, postmodùm verò natura infecit personam. Christus verò conuersò ordine priùs reparat id, quod personæ est, & postmodùm simul in omnibus reparabit id, quod naturæ est. Et ideò culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ visionis diuinæ, quæ respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine: sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cuius principijs causantur, prout est destituta originali iustitia; & ideò isti defectus non tollentur, nisi in vltima reparatione naturæ, per resurrectionem gloriosam. *Quod & de concupiscentia asserendum. Dicitur autem peccatum originale materialiter concupiscentia magis, quàm ignorantia: quia* sicut N in bonis, intellectus, & ratio principalitatem habent: ita è conuerso in malis inferior pars animæ principalior inuenitur, quæ obnubilat & trahit rationem. Et propter hoc peccatum originale magis dicitur esse concupiscentia, quàm ignorantia, licèt & ignorantia inter defectus materiales peccati originalis contineatur. *Etenim propter originalem culpam* omnes O vires animæ (*vt præcautum est*) remanent quodammodò destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; & ipsa destitutio, vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subiecta virtutum; scilicet ratio, in qua est prudentia: voluntas, in qua est iustitia: irascibilis, in qua est fortitudo: concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantùm ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quantùm verò voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: in

F 1. 2. l. c. ad 1.

G Rom. 5. l. 3. fi.

Quomodo possit homo per baptismū ab originali purgatus, eam culpam in filiū transmittere, quam non habet.

H 2. d. 32. 1. 1. fi. c. In 4. d. 1. 2. 4. q. 2. c.

Per baptismū fomes non tollitur.

Sed tamen per eum minuitur concupiscentia.

Originale aufertur reatu, sed remanet actu.

I 1. 2. 81. 3. ad 2. Ps. 31. lit. a.

Hoc est; tollitur quoad formale, manet quoad materiale.

L 2. d. 32. 1. 1. ad 1.

M 3. p. 69. 3. ad 3.

Cur originale potiùs, concupiscentia, quàm ignorantia dicatur.

N 1. 2. 82. 3. ad 3.

Quatuor ex eo humanæ naturæ vulnera.

O 1. 2. 85. 3. & 5. c. Ma. 2. 11. fi. c. & q. 3. 7. fi. c. Ver. 25. 6. fi. c. Gal. 3. l. 7. initio.

in quantùm verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantùm verò concupiscentia destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. *Et his quidem vulneribus Adam obnexium signat homo ille Luc.* 10. *qui descendebat ab Ierusalem, hoc est* à felici eo paradisi statu, in Iericho (Iericho P defectus dicitur, & significat defectum Mundi:) & incidit in latrones, *scilicet dæmones*, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. *Refert siquidem personam* hominis Q per peccatum spoliati gratia, & vulnerati in naturalibus.

P *Mat.* 20. *lit. b. &* 1. 2. 85. 1. in sed contra.

Q *Prol. In* 1. *Sent. exp. tex. In* 2. *d.* 30. 1 1. *ad* 3 *&* 1. 2. *l. c.*

d *Quòd si ad huius culpæ spectetur subiectum*, peccatum R originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam, sicut in prima causa principali, secundùm illud Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*. In semine autem corporali est peccatum originale, sicut in causa instrumentali, eo quòd per virtutem actiuam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana. Sed sicut in subiecto peccatum originale nullo modo potest esse in carne, sed solùm in anima. Cuius ratio est; quia hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generatiuam motionem, sicut à voluntate alicuius hominis deriuatur peccatum actuale ad alias partes eius. In qua quidem deriuatione potest attendi, quòd quicquid peruenit ex motione voluntatis peccati ad quamcumque partem hominis, quæ quocumque modo potest esse particeps peccati, vel per modum subiecti, vel per modum instrumenti, habet rationem culpæ: sicut ex voluntate gulæ peruenit concupiscentia cibi ad concupiscibilem, & sumptio cibi ad manus, & os: quæ in quantùm mouentur à voluntate ad peccandum, sunt instrumenta peccati. Quod verò vlteriùs deriuatur ad vim nutritiuam, & ad interiora membra, quæ non sunt nata moueri à voluntate, non habet rationem culpæ. Sic igitur, cum anima possit esse subiectum culpæ; caro autem de se non habeat, quòd sit subiectum culpæ: quicquid peruenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem peruenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ. *Et quidem humanum* semen S non est actu subiectum culpæ; sed virtute tantùm: hoc enim modo se habet semen ad peccatum originale, sicut ad naturam humanam; vnde sicut in semine non est natura humana, nisi in virtute, ita etiam nec originalis culpa: quia per virtutem, quæ est in semine, generatio ad naturam humanam terminatur, infectam originali peccato. *Cæterùm, quoad animæ potentias*, culpa T originalis dupliciter esse dicitur in aliqua potentia animæ: vno modo essentialiter, alio modo causaliter. Essentialiter quidem est, vel in ipsa essentia animæ, vel in parte intellectiua, vbi erat originalis iustitia, quæ per peccatum originale priuatur. Causaliter autem est in illis potentijs, quæ attingunt actum generationis humanæ, per quam originale peccatum traducitur: quem quidem attingit vis generatiua, sicut ipsum exequens: vis concupiscibilis, sicut ipsum imperans ratione delectationis: sensus tactus, sicut delectationem percipiens. Et ideò ista infectio attribuitur inter sensus tactui, inter appetitiuas concupiscibili, inter omnes potentias animæ, generatiuæ, quæ dicitur esse infecta, & corrupta. *Verùm* animæ V infectio non est ex operatione animæ, sed ex vnione eius ad corpus infectum. *Quòd si obiicias, Solem ex luci irradiatione non infici, ergo multò fortiùs nec animam ex vnione ad corpus. Respondet Author: quod* ratio X quare Sol non inficitur ex hoc, quòd radios suos per fæces spargit, hæc est: quia non communicat cum alijs corporibus in materia, vt simul agens patiatur: sicut ea, quæ in materia communicant, dum agunt, patiuntur, vt dicitur *in* 1. *de gener.* Anima autem communicat corpori in materia, non ex qua fit anima (*quia non educitur*) sed in qua fit: & ideò ex coniunctione ad corpus inficitur. *Num verò hoc peccatum originis, habitus quidam sit?* Dicendum Y quòd duplex est habitus. Vnus quidem, quo inclinatur potentia ad agendum; sicut scientiæ & virtutes dicuntur habitus: & hoc modo peccatum originale non est habitus. Alio modo dicitur habitus, dispositio alicuius naturæ ex multis compositæ, secundùm quam benè se habet, vel malè ad aliquid, & præcipuè cum talis dispositio fuerit quasi in naturam versa, vt patet de ægritudine & sanitate: & hoc modo peccatum originale est habitus. Est enim quædam inordinata dispositio, proueniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis iustitiæ; sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundùm quam soluitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis. Vnde peccatum originale, languor naturæ dicitur. *Verùm* sicut Z ægritudo corporalis habet aliquid de priuatione, in quantùm tollitur æqualitas sanitatis; & aliquid habet positiuè, scilicet ipsos humores inordinatè dispositos: ita etiam peccatum originale habet priuationem originalis iustitiæ, & cum hac inordinatam dispositionem partium animæ. Vnde non est priuatio pura, sed est quidam habitus corruptus. *Nec ideò peccatum actuale potest dici habitus, sicut originale: quia* actuale A peccatum est inordinatio quædam actus: originale verò, cum sit peccatum animæ, est quædam inordinata dispositio ipsius naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantùm deriuatur ex primo parente, *vt visum est*.

R 1. 2. 83. 1. & 2. c. *In* 3. *d* 30. 2. 1. *Ver.* 25. 6. c. *Ma.* 4. a 2 3. 4. *Rom.* 5. *l.* 3.

In quo, sicut in causa & subiecto, sit originale peccatum.

Tanquam in subiecto non potest esse in carne, sed in anima.

S 2. *d.* 31. 1. 1. *ad* 2. & 4. & *d.* 30. 1. 2. *ad* 4.

T *Ver.* 25. 6. c. *Ma.* 4. 4. c. & 1. 2. 83. 4. c.

Qualiter dicatur esse in eius potentiis.

V *Ma.* 16. 2. *ad* 5. & a. 4. *ad* 21. *Ver.* 28. 3. *ad* 14.

X 3. *d.* 2. *exp. tex. fi.*

Anima inficitur ex vnione ad corpus, & quomodo.

Y 1. 2. 82. 1. c. *In* 2. *d.* 30. 1 3. *ad* 2. *Ma.* 4. 2. *ad* 4.

Peccatum originale an sit habitus.

Z 1 2. *l. ad* 1. *In* 2. *l. c. Ma. l. c. in corp.*

A 1. 2. *l. c. ad* 2. *Ma. l. c. ad* 4.

e *Cæterùm debita culpæ originali pœna est, diuinæ carentia visionis: quia donum, siue* auxilium B originalis iustitiæ subtrahitur per peccatum originale. Cum autem aliquis peccando abijcit à se illud, per quod disponebatur ad aliquod bonum acquirendum, meretur vt ei subtrahatur illud bonum, ad quod obtinendum disponebatur; & ipsa subtractio illius boni est conueniens pœna eius. Et ideò conueniens pœna peccati originalis est subtractio gratiæ, & per consequens visionis diuinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur. *Verùm huiusmodi pœnæ perpetuitas* peccato C originali non debetur ratione suæ grauitatis, sed ratione conditionis subiecti, hominis scilicet, qui sine gratia inuenitur, per quam solùm fit remissio pœnæ. *Quemadmodum autem originali debetur pœna damni, non ita pœna sensus, quæ soli debetur culpæ actuali*. Quòd *enim* detrimentum D aliquod patiatur aliqua persona in his, quæ sunt supra naturam, potest contingere vel ex vitio naturæ, vel ex vitio personæ: quòd autem detrimentum patiatur in his, quæ sunt naturæ, hoc non videtur posse contingere, nisi propter vitium proprium personæ. Peccatum autem originale est vitium naturæ; actuale autem, est vitium personæ: gratia autem, & visio diuina, sunt supra naturam humanam. Et ideò priuatio gratiæ, & carentia diuinæ visionis debentur alicui personæ non solùm propter actuale peccatum, sed etiam propter originale. Pœna autem sensus opponitur integritati naturæ, & bonæ eius habitudini: & ideò pœna sensus non debetur alicui, nisi propter peccatum actuale. Secundò quia

Pœna debita originali peccato, diuinæ est visiona carentia.

B *Ma.* 5. 1. *fi. c. In* 2. *d.* 32. 1. 2. c. & *d.* 33. 1. 3. *ad* 3 & q. 2. 1. c. *In* 3. *d.* 19. 1. 3. q. 1. c. *In* 4. *d.* 46. 2. 2. q. 1. *ad* 3.

C 1. 2. 87. 5. *ad* 2. *In* 2. *d.* 33. 2. 1. *ad* 2. *In* 3. *d* 19. 1. 3. q. 1. *Ma.* 5. 1 *ad* 10.

Non ita pœna sensus ex triplici ratione.

D *Ma.* 5. 2. & 3. c. *In* 2. *l. c. in Corp. In* 4. 4. *exp. tex.* & *d.* 6. 1. 1. q. 1. c. & *d.* 16. 1. 2. q. 2. c.

pœna proportionatur culpæ: & ideò peccato actuali mortali, in quo inuenitur auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad bonum commutabile, debetur & pœna damni, scilicet carentia visionis diuinæ, respondens auersioni; & pœna sensus, respondens conuersioni. Sed in peccato originali non est conuersio, sed sola auersio, vel aliquid auersioni respondens, scilicet destitutio animæ à iustitia originali: & ideò peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis diuinæ. *Tertiò* quia pœna sensus nunquam debetur habituali dispositioni: non enim aliquis punitur ex hoc, quòd est habilis ad furandum, sed ex hoc, quòd actu furatur: sed habituali priuationi absque omni actu debetur aliquod damnum; putà qui non habet scientiam literarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. In peccato autem originali inuenitur quidem concupiscentia per modum habitualis dispositionis, quæ paruulum, facit habilem ad concupiscendum (vt *Augustinus* dicit) adultum autem actu concupiscentem: & ideò paruulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni; quia scilicet non est idoneus perduci aduisionem diuinam propter priuationem originalis iustitiæ. *Quòdsi casum adducas, aliquem pati perpetuò pœnam sensus, si videlicet cum peccato originali, & veniali; simul decedat pœna autem perpetua non debetur veniali culpæ (vt hic supponimus) ergo originali debetur pœna sensus perpetua.*

Soluitur obiectio in casu.

E Ma.5.2.ad 8. & q. 7. 10. ad 8. & 1.2.87 5.ad 2. & 89.6 In 2. d.33.2.1. ad 2. In 3.d.19. 1.3.q.1.c. In 4. d.46. 2. 2. q.1. ad 3.

Respondet Author, quòd hæc E positio non videtur multis esse possibilis, quòd scilicet aliquis decedat cum peccato originali, & veniali tantùm: quia defectus ætatis, quandiu excusat à peccato mortali, multò magis excusat à veniali, propter defectum vsus rationis. Postquam verò vsum rationis habent, tenentur salutis suæ curam agere. Quod si fecerint, iam absque peccato originali erunt, gratia superueniente: si autem non fecerint, talis omissio est eis peccatum mortale. Si tamen esset possibile, quòd aliquis cum peccato originali, & veniali decederet; dico, quòd puniretur pœna sensus æterna: æternitas enim pœnæ concomitatur carentiam gratiæ, ex qua prouenit æternitas culpæ. Et inde est, quòd peccatum veniale in eo, qui decedit cum mortali, quia nunquam remittitur, æterna pœna punitur propter gratiæ carentiam. Et similis ratio esset, si quis decederet cum originali & veniali peccato. *Hinc ad parentes pro filiis salubre monitum esto, quòd* ab alijs F peccatis mortalibus potest puer incipiens habere vsum rationis per aliquod tempus abstinere: sed à peccato omissionis prædictæ non liberatur, nisi quàm citò potest, se conuertat ad Deum. Primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti, est quòd de se ipso cogitet, ad quem alia ordinet, sicut ad finem: finis enim est prior in intentione. Et ideò hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmatiuo, quo Dominus, dicit: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, Zach. 1. *Quod & Confessariis cordi sit, vt accedentes pueros instruant, hoc negligentes.*

Ad parentes monitum pro filiis.

F 1.2. 89. 6. ad 3. & loc. cit.

G Ma.5.4.c. & ad 5.

Quo sensu mors & alii defectus huiusmodi, dicantur pœna originalis peccati.

¶ *Præterea & hominis* mors G & omnes huiusmodi defectus præsentis vitæ sunt pœna peccati originalis. Sed sciendum, quòd duplex est pœna. Vna quidam quasi taxata pro peccato: alia verò concomitans. Sicut videmus, quòd iudex pro aliquo crimine facit aliquem hominem excæcari; sed ad cæcitatem eius consequuntur multa incommoda, putà, quòd mendicat, & alia huiusmodi; sed ipsa cæcitas est pœna taxata pro peccato: ad hoc enim Iudex intendit, vt peccantem, visu priuet. Sed defectus consequentes non ponderat; vnde contingit, quòd si plures propter idem peccatum excæcentur, in vno consequuntur plura incommoda quàm in alio: nec tamen hoc redundat in iniustitiam Iudicis, quia huiusmodi incommoda non erant ab eo pro peccato inflicta, sed consequebantur per accidens, quantùm ad eius intentionem. Et similiter potest dici in proposito. Nam homini in primordio suæ conditionis fuerat à Deo datum quoddam auxilium originalis iustitiæ, per quod præseruabatur ab omnibus huiusmodi defectibus: quo quidem auxilio priuata est tota humana natura propter peccatum primi parentis, ad cuius auxilij priuationem consequuntur diuersa incommoda, quæ diuersimodè inueniuntur in diuersis, licèt habeant æqualem culpam originalis peccati. Hoc tamen interesse videtur inter Deum punientem, & hominem iudicem: quòd homo iudex non potest præuidere euentus sequentes; vnde nec eos potest ponderare, dum infert pœnam pro culpa: propter quod rationabiliter huiusmodi incommodorum inæqualitas eius iustitiæ non derogat. Sed Deus omnes euentus futuros prænoscit: vnde videretur ad eius iniustitiam pertinere, si æqualiter subiacentibus culpæ, inæqualiter huiusmodi incommoda prouenirent. Et ideò dicendum, quòd huiusmodi diuersitas, quæ circa hos defectus accidit in hominibus, est à Deo præuisa & ordinata; non quidem propter aliqua merita in alia vita existentia: sed quandoque quidem propter aliqua peccata parentum: quandoque verò ordinantur, non vt pœna peccati alicuius, sed vt remedium contra peccatum sequens, vel propter profectum virtutis, aut eius, qui hos patitur, aut alterius, sicut Dominus dicit *Io.9* de cæco nato: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo*: quod expediens erat ad humanam salutem. Sed hoc ipsum, quòd homo talis conditionis est, vt ei subueniatur, vel ad vitandum peccatum, vel ad profectum virtutis per huiusmodi incommoda siuè defectus, ad infirmitatem humanæ naturæ pertinet, quæ ex peccato primi parentis deriuatur. Sicut quòd corpus hominis sit sic dispositum, quòd ad eum sanandum indigeat sectione, ad eius infirmitatem pertinet. Et ideò omnes isti defectus respondent peccato originali, vt pœna concomitans. *Alibi quoque coharenter*: Peccatum H primi parentis est causa, non per se, sed per accidens (*tanquam remouens prohibens*) mortis, & omnium huiusmodi defectuum in natura humana, in quantùm per peccatum primi parentis sublata est originalis iustitia, per quam non solùm inferiores animæ vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima absque omni defectu. Et ideò, subtracta hac originali iustitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantùm ad animam per deordinationem potentiarum (*vt visum est*:) ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: vnde etiam mors, & omnes defectus corporales consequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati. Et quamuis huiusmodi defectus non sint intenti à peccante: sunt tamen ordinati secun-

Diuersa incommoda corporalia ex originali consequentia, cur diuersimodè in hominibus reperiantur.

H 1.2.85. 5. c. In 2. d.33. 1. 3. ad 3. & 3. p. 1.4. ad 2. & q. 14. 1.

I 4.d.46.2.2. q.1. ad 3. in 2. d.32.1.2.c. In 3.d.19.1.3.q. 2.c.

Originalem culpam duplex pœna consequitur.

dum iustitiam Dei punientis. *Igitur* peccatum I originale sequitur duplex pœna. *Vna* secundùm quod est infectiuum personæ: & sic est pœna eius, carentia visionis diuinæ. *Alia* secundùm quod est vitium naturæ: & sic sequuntur ipsum pœnæ, quæ ex principijs naturæ causantur, vt mors, quæ causatur ex contrarietate principiorum naturæ, & alia huiusmodi quæ ad mortem ordinantur; vel quæ ex deordinatione principiorum naturæ consequuntur, vt febris, & huiusmodi.

Obiectiones & solutiones de originalis traductione in posteros.

L Rom.5.l.3 & 1.2.81.1.c. & ad 2. & a.3 4.5. Ma.4.4.1. & 6. In 2. d. 31.1.1.

g *Vt verò plenius planiùsque huiusmodi peccati traductio percipiatur: quæ ad Rom. 5. sibi obiicit Author, & resoluit, audiamus.* Videtur *inquit* hoc L esse impossibile, quòd per originem carnis peccatum ab vno in alium traducatur. Peccatum enim est in anima rationali, quæ non traducitur per originem carnis; tum quia intellectus non est alicuius corporis actus, & ita non potest per virtutem corporalis seminis causari, vt Philosophus dicit *in lib. de gener. anim.* Tum etiam, quia cum anima rationalis sit quædam res subsistens, vt putà per se operationem habens, & corpore corrupto non corrumpatur, consequens est, quòd non generetur corpore generato, sicut aliæ formæ, quæ non possunt per se subsistere, sed potiùs causatur (*siue creatur*) à Deo. Consequens igitur videtur, quòd nec peccatum, quod est accidens animæ, possit per carnis originem traduci. Ad hoc autem rationabiliter *Respondetur*, quòd licèt in semine non sit anima, est tamen in semine virtus dispositiua corporis ad animæ receptionem, quæ cum corpori infunditur, etiam ei suo modo conformatur, eo quòd omne receptum est in recipiente per modum recipientis. Et exinde videmus, quòd filij similantur parentibus, non solùm in defectibus corporalibus, sicut leprosus generat leprosum, & podagricus podagricum, sed etiam in defectibus animæ, sicut iracundus iracundum, & amentes ex amentibus nascuntur. Quamuis enim pes, qui est subiectum podagræ, non sit in semine; nec anima, quæ est subiectum iræ vel amentiæ: est tamen in semine virtus formatiua corporalium membrorum, & dispositiua ad animam. Sed adhuc remanet *Dubitatio*: quia defectus, qui ex vitiata origine trahuntur, non habent rationem culpæ: non enim merentur pœnam, sed magis misericordiam, sicut Philosophus dicit de eo, qui nascitur cæcus, vel quocumque alio modo aliter orbatus. Et hoc ideò, quia de ratione culpæ est, quòd sit voluntaria, & in potestate hominis, cui culpa imputatur. Sic igitur, si aliquis defectus in nos peruenit per originem primi parentis, non videtur in nobis habere rationem culpæ, sed pœnæ. Et ideò *Dicendum est*, quòd sicut peccatum actuale est peccatum personæ, quia per voluntatem personæ peccantis committitur; ita peccatum originale est peccatum naturæ, quod per voluntatem principij humanæ naturæ commissum est. Est enim considerandum, quòd sicut diuersa corporis membra partes sunt personæ vnius hominis: ita omnes homines sunt partes, & quasi quædam membra humanæ naturæ; vnde & Porphyrius dicit, quòd *participatione speciei plures homines sunt vnus homo.* Videmus autem, quòd actus peccati exercitus per aliquod membrum, putà per manum, vel pedem, non habet rationem culpæ ex voluntate manus, vel pedis, sed ex voluntate totius hominis, à qua sicut à quodam principio deriuatur motus peccati ad singula membra. Et similiter à voluntate Adæ, qui fuit principium humanæ naturæ, tota inordinatio naturæ habet culpæ rationem in omnibus, ad quos peruenit, quantùm ad hoc, quòd susceptiui sicut culpæ. Et sicut peccatum actuale, quod est peccatum personæ, trahitur ad singula membra per aliquem actum personalem: ita peccatum originale trahitur ad singulos homines per actum naturæ, qui est generatio. Et ita, sicut per generationem humana natura trahitur; ita etiam per generationem traducitur defectus humanæ naturæ, qui est consecutus ex peccato primi parentis. Et propter hoc est vnum tantùm originale peccatum, quia solus defectus, consequens primùm peccatum, originaliter deriuatur ad posteros. Et ideò Apostolus *ad Rom.* 5. singulariter dicit: *Per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit.* Non autem dixit pluraliter, *peccata*: quod fuisset dicendum, si de actualibus loqueretur. *Sed videtur, quòd* peccatum originale non intrauerit in hunc Mundum per vnum hominem, scilicet Adam, sed magis per vnam mulierem, scilicet Euam, quæ primò peccauit, secundùm illud Eccli. 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Ad hoc *Respondetur* ex glossa dupliciter. *Vno modo*, quia consuetudo Scripturæ est, vt genealogiæ non per mulieres, sed per viros texantur, sicut patet *Mat. 1. & Luc. 3.* Et ideò Apostolus hic volens, quasi genealogiam quandam peccati ostendere, non fecit mentionem de muliere, sed solùm de viro. *Alio modo*, quia etiam mulier de viro sumpta est: & ideò, quod est mulieris, attribuitur viro. Potest etiam *alio modo* dici, & meliùs: quòd cum peccatum originale traducatur simul cum natura, sicut per virtutem actiuam viri, muliere materiam ministrante, natura traducitur, ita & peccatum originale. Vnde si Adam non peccasset; Eua peccante, non per hoc fuisset peccatum traductum ad posteros. Illa enim est causa, quare Christus peccatum originale non traxit, quia ex sola fœmina sine virili semine carnem accepit. (*Vide Tomo 1. V. Adam*) Per hoc verbum Apostoli *Augustinus* respondet Iuliano hæretico, in hunc modum quærenti: *Non peccat iste, qui nascitur, non peccat iste, qui genuit, non peccat ille, qui condidit; per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Sed Augustinus respondet: *Quid quæris latentem rimam cum habeas apertissimam ianuam? Nam secundùm Apostolum* per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit.

Obiectio ad verba Apostoli, *Per vnũ hominem peccatum in hunc mundum intrauit*, tripliciter soluitur.

Augustini responsio ad Iulianum hæreticum.

M 4.d.1.2.2. q.2. c. In 3. d. 15.1.3. ad 5. & 3.p.70.2. ad 4.

Peccatum quoad culpã descendit à patre in filios: quoad pœnalitates à matre.

h *Ex præfatis autem duo sequuntur. Primùm, quòd* quia M pater est efficiens in generatione, & mater materiam ministrat; peccatum originale, quantùm ad culpam & reatum, descendit à patre in filios: quantùm verò ad pœnalitates descendit à fœmina. Secundum, *quòd quia originalis culpa peccatum est naturæ*: quamuis (*vt aiebat initio Author*) peccatum N Adæ deletum fuerit per suam pœnitentiam, iuxta illud Sap. 10. *Eduxit illum à delicto suo*; non tamen eius pœnitentia delere potuit peccatum posterorum, quia eius pœnitentia fuit per actum personalem, qui vltra eius personam non se extendebat. *Et quidem* principium O peccati est ex nobis: principium autem boni meritorij est ex Deo. Vnde in Adam fuit aliquod bonum, quod potuit omnibus communicari, scilicet originalis iustitia, quam tamen à Deo habuit: sed malum, quod in alios transmittit, habuit ex se ipso, vt potiùs dici possit, quòd Deus fuisset transfusor boni; homo autem transfusor mali. Bonum autem pœnitentiæ ipsius non est transfusum ad alios; quia

N Rom.5 l. 3. ad med. Ma. 4.6. ad 19. & 1 p. 97. 1. ad 3. Op.3 c.198 & 4 con. G. c. 52. fi.

O Ma. loc. cit.

Pœnitentia Adæ non potuit posterorum peccati delere.

eius

eius principium fuit gratia personaliter illi homini data, *vtique ad pœnitendum. Quæ plura in hac materia desiderantur, vide* P. *Et ô Adæ culpa quàm noxia! ex qua vniuersum humanum genus miserabiliter infectum, tot hìc ærumnis factum est obnoxium, & post mortem æterna beatitate priuatum. Atqui aliunde ex parte quàm* felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem, *Deum & hominem Christum*! Ex cuius Q latere dormientis in Cruce fluxit sanguis & aqua, quæ significant Sacramenta; *præsertim verò sacrum baptisma, per quod in vitam regeneramur æternam*. Per R passionem *siquidem* Christi plenam ablutionem consequimur, a peccatis scilicet, & à maculis: à peccatis quidem per sanguinem, qui est pretium nostræ redemptionis; à maculis verò per aquam, quæ est lauacrum nostræ regenerationis. Et ideo hæc duo specialiter pertinent ad duo Sacramenta: Aqua ad Sacramentum baptismi, ad Eucharistiam sanguis. *His nihilominùs adeò efficacibus, adeò proficuis remediis abutimur, & ab originali emundati per gratiam Christi, in deteriora actualia peccata prolabimur, tali ac tanto ingrati Dei beneficio: ex quo, per peccatum antea exclusi, ad æterna ius hæreditatis redintegramur. Hinc bene infert Apostolus ad Hebr.* 11. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? *Quandoquidem*, si quis S ex surreptione peccat, minùs punitur: sed si ex contemptu, magis peccat: quia cum sit in statu altiori, magis contemnit. Et de talibus loquitur hìc Apostolus, qui sunt magis ingrati. Grauitatem autem culpæ eorum, qui peccant in nouo testamento, ostendit ex beneficijs nobis à Deo in illo collatis. Deus enim nobis dedit *ad redemptionem nostram* quicquid maximum & pretiosum habebat, scilicet Filium suum vnigenitum. Et ideò dicit: *Qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit*: qui scilicet virtute eius in baptismo ablutus, peccat redeundo ad vomitum. *Et hoc est, quod præmittit Apostolus*: Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij. *Voluntariè peccantibus*, idest T ex certa malitia, *post acceptam notitiam veritatis*, idest post acceptam gratiam, *iam non est pro peccatis hostia*, ante enim reparationem, quæ facta est per Christum, relinquebatur hostia ista (*videlicet immolatio Christi*) quæ expectabatur: sed nunc iam non expectatur alia mors eius, sed *terribilis quædam expectatio iudicii*, tum propter conscientiam peccatorum, tum etiam propter imperfectionem iustitiarum nostrarum. Et concludit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*: quantò enim Iudex iustior, & fortior est, tantò magis timendum. *Caueat sibi ex electione peccator*. DISCE *originalis vinculis absolutus, actualis peccati laqueis non irretiri. Vide* Adam *Tom.* 1. Damnatus, Defuncti *Tomo* 2. Mors, Peccatum mortale.

P Mt. 4. & 5. & 1. 2. q. 81. 82. 83. & 4. con G. c. 50. 51 52. in 2 d. 31. 32. 33. Op. 3. à c. 192.

Q Rom. 5. l. 4. fi. Ps. 3. lit. c.

R Io. 19. l. 5. lit. d. fi.

Ab originali per baptismũ abluti, in actualia peccata prolabimur ingrati: grauiùs idcircò nos manet supplicium.

S Hebr. 10. l. 3. ibi. In 4. d. 9. a. 3. q. 3. initio c.

T Ibid. sub initio & fi. lect.

Dei iudiciũ, peccatori præsertim, timendum.

PECCATVM MORTALE.

VII. Quamuis omnia præcepta legis possit quis transgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad superbiam: non tamen semper ex contemptu aliquis præcepta diuina transgreditur, sed quandoque ex ignorantia, quandóque ex infirmitate, 2. 2. 172. 2. *fi. corp.*

i PEccatum originale illud esse diximus, quod inficit naturam: actuale verò, quod inficit personam. Et hoc duplex est. veniale *scilicet dictum, quasi venia dignum* (*de quo in seqq.*) & mortale, *quasi morte dignum æterna; & de hoc in præsenti, quale fuit primum Adæ peccatum: Non enim propter originalis iustitiæ donum (per quam ratio Deo, inferiores vires rationi, & corpus animæ ordinatè subdebantur) peccare primò venialiter poterat, vt suo loco visum est. Et quamuis priùs fuerit & consideretur in Adam peccatum actuale, prout personale ipsius, quàm originale, prout idem erat in eo, tanquam principio totius humanæ naturæ: ex originali nihilominùs actuale in posteris maius fomentum habet. Ex eo si quidem originale* fomes *dicitur* (*vt præmisimus*) *quia ad peccandum nedum venialiter, sed etiam mortaliter, veluti* fomentum *præbet. Neque ideò astruimus cum hæreticis peccandi in homine necessitatem*. Quidam *enim* V æstimantes naturam mentis humanæ ad modum corporalium naturarum, opinati sunt, omne illud, in quod videbant mentis humanæ inclinationem esse, hominem ex necessitate operari: & ex hoc in contrarios errores inciderunt. Habet enim humana mens duas contrarias inclinationes. Vnam quidem in bonum ex instinctu rationis, quam considerans *Iouinianus* dixit, hominem non posse peccare. Alia inclinatio inest humanæ menti ex inferioribus viribus (& præcipuè secundùm quod sunt ex originali peccato corruptæ) qua scilicet inclinatur mens ad ea eligenda, quæ sunt secundùm carnalem sensum delectabilia. Et hanc inclinationem considerantes *Manichæi*, dixerunt, quòd homo necessariò peccat, nec aliquo modo peccatum vitare potest. Et sic vtrique, licèt vijs contrarijs, in idem inconueniens inciderunt, vt liberum arbitrium denegarent. Non enim homo erit liberi arbitrij, si vel ad bonum, vel ad malum necessitate impellitur. Quod esse inconueniens, & experimento, & Philosophorum doctrinis, & diuinis authoritatibus probatur. Vnde è contrario surrexit *Pelagius*, qui volens liberum arbitrium defendere, gratiæ Dei aduersatus est, dicens, absque Dei gratia hominem peccatum euitare. Fides autem catholica, media via incedit, ita libertatem arbitrij saluans, quòd necessitatem gratiæ non excludit.

Peccatum originale naturam inficit, actuale personam. Actuale duplex, veniale & mortale.

V Ver. 24. 12. initio c.

Hæreticorũ error circa peccatum.

Duplex humanæ mentis inclinatio.

Iouinianĩ opinio.

Manichæorum.

Pelagij.

Catholicus de hoc sensus.

X 1.2. q. 109. Ver. q. 24. in 2. Diſt. 28. & 3. con. 6. cap. 147.

Y 2. d. 35. 1. 1. c. & d. 41. 2. 1. fi. c. in 1. d. 48. 1. 3. c. & 1.2. 21. 2. c. Ma. 2. 2. c.

De quo, cum reſpectu ad hominem in vtroque naturæ ſtatu, ſcilicet integræ, & corruptæ, Vide Tomo 2. Verbo, Gratia Dei, & X. *Sciendum autem quòd* malum Y per ſe loquendo, priuatio quædam eſt alicuius boni. Bonum autem in perfectione, & actu conſiſtit: vnde oportet, ſecundùm diſtinctionem perfectionum diſtinctionem malorum eſſe. Eſt autem duplex actus, vel perfectio, ſcilicet actus primus & ſecundus. Actus primus eſt ipſa prima forma. Actus ſecundus eſt operatio. Et ideò ex priuatione vtriuſque perfectionis diuerſæ mali differentiæ conſurgunt. Si enim priuetur aliqua forma, vel perfectio alicuius rei naturalis, dicetur eſſe malum naturæ. Si autem priuetur perfectio operationis, dicetur eſſe peccatum; Sed bonum & malum, vt *in 5. Metaph.* dicitur quodam ſpeciali modo eſt in his, quæ per electionem agunt, quæ rationem finis cognoſcunt, & finem ſibi determinare poſſunt: Et ideò peccatum in talibus quâdam ſpecialem mali rationem accipit, vt ſcilicet peccatum in eis etiam culpa dicatur. Vnde peccatum in pluribus, quàm culpa, eſt: quia, *vt ex ſecundo Phyſic.* habetur, peccatum eſt & in his, quæ ſecundùm materiam ſunt, & in his, quæ ſunt ſecundùm artem: ſed culpa non poteſt eſſe, niſi in his, quæ per voluntatem ſunt. Nihil enim culpæ rationem obtinet, niſi quod vituperabile eſt; neque vituperium alicui debetur propter inordinatum actum, niſi ille actus ſuo dominio ſubiaceat: habere autem dominium ſuper ſuos actus, vt ſcilicet poſſit facere, & non facere, voluntatis proprium eſt. Vnde culpa ſuper peccatum addit, vt ſit voluntatis actus.

In quo differat malum à peccato.

Quod in naturalibus & artificialibus *peccatum* eſt, in rationalibus *culpa* dicitur.

Vitium quoque non idem dicit, ac peccatum; ſed vitium & peccatum ſe habent, ſicut habitus, & actus mali. Vitium enim Z directè contrariatur virtuti, ſicut & peccatum actui virtuoſo. *Ex quo vitium dicitur peccatum habituale, ad differentiam actus peccaminoſi, qui dicitur actuale peccatum. Nonnulli enim peccant ex habitu vitioſo, eo quòd laborant vitio, luxuria v. g. aut blaſphemia &c. & hinc frequentiùs in actum peccati illius generis prorumpunt; quod non contingit in omnibus peccantibus; non enim omnes ex habitu peccant, ſed ex paſſione &c. Vocantur præterea peccata iniquitates, ſcelera, delicta, Iob 13.* Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates, & peccata: ſcelera mea, & delicta oſtende mihi. *Quorum hæc traditur differentia.*

Z 1.2.71.4. ad 2.

Vitium & peccatū idem quod habitus & actus malus.

Habituale peccatum quid, & peccatū actuale.

A Iob 13. l. 2. ibi & c. 7. l. 4. & 33. l. 1. Rom 6. l. 4. ibi, iniquitati. Hebr. 8. l. 3. ibi, iniquitatibus.

Tripliciter contra legis præcepta peccatur.

Iniquitas quid.

B 2.2.59.1. ad 1. Rom. 2. l. 8. ibi, iniquitate.

Peccatum.

Scelus.

Delictum.

Peccatorum *enim* quædam A ſunt commiſſa, quæ contra præcepta legis negatiua fiunt: quædam omiſſa, quibus præcepta affirmatiua negliguntur. Committitur autem aliquid contra præceptum legis tripliciter. *Vno modo*, quia eſt in nocumentum proximi, vt furtum, homicidium, & huiuſmodi: quæ propriè *iniquitates* dicuntur, quia æquitati iuſtitiæ, quæ eſt ad alterum, contrariantur. (*Nihilominùs quia* ſicut B iuſtitia legalis dicitur per comparationem ad bonum commune humanum, ita iuſtitia diuina per comparationem ad bonum diuinum: ſecundùm hoc omne peccatum dicitur eſſe *iniquitas*.) *Alio modo*, ſecundùm quod homo peccat in ſe ipſo per deordinationem ſui actus, vt apparet in peccatis præcipuè gulæ & luxuriæ: & hæc dicuntur *peccata*, quaſi deordinationes quædam hominis. *Tertio modo* committuntur aliqua directè contra Deum, vt blaſphemia, ſacrilegium, & huiuſmodi: & hæc propter ſui grauitatem *ſcelera* dicuntur. Omiſſiones autem propriè denominantur *delicta*. Peccata etiam C quæ ſunt directè contra Deum, dicuntur peccata *impietatis*. Pietas enim propriè eſt, ſecundùm quam colimus parentes, & Patriam: & quia Deus eſt principalis *Pater noſter*, ideò pietas pertinet ad cultum Dei. *Hinc Iſ. 55.* Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas. *Impius*, ſcilicet D peccans in Deum: *iniquus*, peccans in proximum. *Similiter, vt præmiſſum eſt*, delictum E communiter ſumptum ſignificat quamcumque omiſſionem. Quandoque tamen ſtrictè accipitur pro eo, quòd omittitur aliquid de his, quæ pertinent ad Deum: vel quando ſcienter, & quaſi cum quodam contemptu derelinquit homo id, quod facere debet. *Vel, vt alibi*: Delictum F reſpicit (*quod prætactum eſt*) præcepta affirmatiua, & peccatum præcepta negatiua. Vel, aut peccans deficit à præceptis ſecundùm rationem per ignorantiam (*culpabilem vtique*) & ſic eſt *delictum*: vel ſecundùm voluntatem per contemptum, & ſic eſt *peccatum*. *Vlteriùs* aliud G eſt *crimen*, aliud eſt *peccatum*. *Peccatum* dicitur quodcumque, ſiuè magnum, ſiuè paruum, ſiuè occultum: *crimen* autem, magnum & infame. *Vnde & Alio in loco*: Crimen H eſt culpa, quæ eſt digna accuſatione in iudicio. *Tranſgreſſio denique* propriè I dicitur ex eo, quòd aliquis agit aliquid contra præceptum negatiuum, quod quidem materialiter poteſt eſſe commune in omnibus ſpeciebus peccatorum: ſed ſi accipiatur formaliter, ſcilicet ſecundùm hanc ſpecialem rationem, quod eſt facere contra præceptum negatiuum, ſic eſt ſpeciale peccatum dupliciter. *Vno quidem modo*, ſecundùm quod opponitur ad genera peccatorum oppoſita alijs virtutibus; ſicut enim ad propriam rationem iuſtitiæ legalis pertinet attendere debitum præcepti: ita ad propriam rationem tranſgreſſionis pertinet attendere contemptum præcepti. *Alio modo*, ſecundùm quod diſtinguitur ab omiſſione, quæ contrariatur præcepto affirmatiuo. *Similiter & de omiſſione dicimus*: eo *enim* modo L quo iuſtitia eſt ſpecialis virtus, etiam omiſſio eſt ſpeciale peccatum, diſtinctum à peccatis, quæ opponuntur alijs virtutibus. Eo verò modo, quo facere bonum, cui opponitur omiſſio, eſt quædam ſpecialis pars iuſtitiæ, diſtincta à declinatione mali, cui opponitur tranſgreſſio, etiam omiſſio à tranſgreſſione diſtinguitur.

C Ad Tit. 2. l. 3. & 1. Tim. 4. l. 2. ibi, pietas.

Impietas.

D Iſ. 55. ibi.

E 2.2.79.4. ad 1.

Delictum ſtrictè acceptum, quid.

F 2. d. 42. 1. 2. q. 3. fi. c. Gal 6. l. 1. ibi, delicto. Pſ. 18. lit. h. Pſ. 24. lit. f. Pſ. 31. lit. e.

Crimen.

G Tit. 1. l. 2. ibi, crimine, & 1. Tim. 3. l. 2. ibi, crimen.

H 4. d. 14. exp. tex.

I 2.2.79.2. c. & a. 3. ad 1. & a. 4. ad 3.

Tranſgreſſio, ſiuè commiſſio, & omiſſio.

L 2.2.79.3. c. & 1.2.71.5. c. In 2. d. 35. 1. 3. Ma. 2. 1. c.

¶ *Cæterùm* peccare M non eſt actus naturalis liberi arbitrij, ſed magis contra naturam, *cum ſit contra rationem*. *Quod ſignatur* Apoc. 12. *Vbi de Dracone dicitur, quòd* cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum. *Trahebat*: per N hoc *enim* intelligitur motus violentior, quia motus, quo declinauerunt aliqui poſt ipſum, fuit contra naturam: potiùs enim naturale eſt conuerti ad ſuum Factorem. Vnde *Auguſtinus* de homine loquens, dicit *in 2. lib. contra Fauſtum*: Sed nec ipſe homo contra naturam facit quidquam, niſi cum peccat. *Hinc ad illud 1. Tim. 1.* Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, *docemur, quòd* quia O vt dicitur 1. Io. 3. *Omne peccatum eſt iniquitas*, ideò repugnat alicui iuri. Cum autem ſit duplex ius, ſcilicet naturale & poſitiuum, naturali repugnat quod ſecundùm

M Hann. in 2. d. 3. 2. 1. ad 2. & a. 2. ad 2. & 1.2.94.3. ad 2.

Peccare non eſt actus naturalis liberi arbitrij, ſed contra naturam.

N Apoc. 12. com. 1. ibi.

O 1. Tim. 1. l. 3. ibi.

ſe

se est malum; positiuo autem repugnat quod est malum, quia prohibitum. Quantùm ad primum dicit, *sed iniustis*: qui scilicet agunt contra ius naturale, Is. 24. *Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum*. Quantùm ad secundum dicit, *non subditis*, scilicet præcepto humano. *Et alibi cohærenter*. Ille P qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem diuinam. *Generaliter enim* quandocumque Q actus hominis procedit in finem secundùm ordinem rationis & legis æternæ, tunc actus est rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum. Est *igitur* peccare R voluntate auerti à Deo: *siquidem* defectus S voluntatis ab eo, ad quod ordinata est, non solùm habet rationem peccati. (*vt vidimus*) sed etiam culpæ. *Item* peccare T nihil aliud est, quàm deficere à bono, quod conuenit alicui secundum naturam suam. *Adhuc* ex hoc V aliquid est peccatum, quòd repugnat virtuti. *Secundùm Augustinum in* 1. *de lib. arb.* Peccare X nihil est aliud, quàm neglectis rebus æternis, temporalia sectari. *Et in lib.* 83. *Quæst.* Omnis humana peruersitas est, vti fruendis, & frui vtendis. Item *in lib. de duabus Animabus*: Peccatum *inquit* est Y voluntas retinendi, vel acquirendi, quod iustitia vetat. *Secundùm* Ambrosium *in lib. de Paradiso*: Quid est Z peccatum, nisi præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia mandatorum? *Has tamen, & consimiles diffinitiones ad vnam reducit idem* Augustinus contra Faustum, *cum ait*: Peccatum A est omne dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, siue æternam. *Et optimè quidem diffinitur. Nam* peccatum B nihil aliud est, quàm actus humanus malus. Quòd autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc, quòd est voluntarius: siue sit voluntarius, quasi à voluntate elicitus, vt ipsum velle, vel eligere: siue quasi à voluntate imperatus, vt exteriores actus vel locutionis, vel operationis. Habet autem actus humanus, quòd sit malus, ex eo quòd caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cuiuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si diuertat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex. Vna propinqua, & homogenea, scilicet ipsa humana ratio: alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. Et ideò *Augustinus* in diffinitione peccati posuit duo: vnum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit: *Dictum, vel factum, vel concupitum*: aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit: *contra legem æternam*. Peccatum *idcircò* est C quoddam obstaculum interpositum inter animam & Deum, secundùm illud Is. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*. Cuius ratio est: quia sicut interior aer domus non illuminatur à Sole, nisi directè aspiciat Solem; & hoc dicitur illuminationis obstaculum, quod huiusmodi respectus rectitudinem impedit: ita anima non potest illuminari à Deo per gratiæ susceptionem, nisi directè conuertatur in ipsum. Hanc autem conuersionem impedit peccatum, quod conuertit animam in oppositum, quod scilicet est contra legem Dei. *Et hinc liquet*, *quòd* in peccato D duo attenduntur, scilicet conuersio ad commutabile bonum, quod materialiter se habet in peccato: & auersio à bono incommutabili, quæ est formalis & completiua ratio peccati.

P 1.2.87.1. fi. c.

Q 1.2.21.1. c. & 1.p.63.1. c. & 2.2.162. 1. c. & 3. con. G. c.109. Ma. 2. 1. & q.3.1. & q.7.1. & q. 14.1. Ver. 24. 7. & q.25.5.

Peccare, siue peccatú quid.

R 1.p.94.1.c.

S 1. d. 48.1. 3. c.

T 1. 2. 109. 2. ad 2.

V 2.2.107. 1.c.

X 1.2.71.6. arg.3.

Y Ma. 2. 2. arg. 2. In 2. d. 35. 1.2.c. & 1. 2. l.c.arg.2.

Z Mag. in 2. d.35. & ibid.q. 1.2.c. & ad 5. & 1. 2. 109.4. c.& 2.2.79. 2. ad 1.

Communior peccati diffinitio, *ex Augustino*.

A Ma. 2. 1. arg.1. & locis mox citandis.

B 1.2.71.6. c.& 76.2.ad 1. In 2. d. 35.1.2. c. & ad 3. Ma. l. c. corp. & ad 1.

Voluntatis humanæ duplex regula.

C Ma.2.11.c.

Peccatum, obstaculum inter Deum & animam.

D 2.2.162. 6.initio c.& 1. 2.87.4.c. & 3. p.86.4.Ver.27. 5.ad 8. In 3. d. 36. 1.5.c. Ma. 2. 12.

m *Verumtamen* vnum E peccatum est secundùm rem auersio & conuersio, differens secundùm comparationem ad diuersos terminos. *Id verò de mortali peccato intellige* (*de quo loquimur in præsenti*) *non de veniali, in quo sine auersione à Deo est conuersio ad creaturam*. Quando *enim* anima F deordinatur per peccatum vsque ad auersionem ab vltimo fine, scilicet Deo, cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quando verò fit deordinatio citra auersionem à Deo, tunc est peccatum veniale. *Siquidem* finis G habet rationem termini, non autem id quod est ad finem. Veniale autem non conuertitur ad bonum commutabile vt ad finem: & ideò non conuertitur ad ipsum, vt ad alium terminum à Deo, vt propter hoc sit necessarium à Deo auerti. Ille enim, qui peccat venialiter, non fruitur creatura, sed vtitur ea; refert enim eam habitu in Deum, licèt non actu. Neque in hoc contra præceptum facit, quia non tenetur semper actu referre in Deum. *Num verò in peccato actuali mortali priùs auersio sit, quàm conuersio*. *Respondet Author, quòd* in peccatis H in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, sicut in luxuria, auaritia, & similibus, priùs est naturaliter conuersio, quàm auersio, quæ non est principaliter intenta, sed præter intentionem consequitur ex inordinata conuersione. In peccatis autem, in quibus directè intenditur auersio à Deo, sicut est infidelitas, desperatio, & aliæ huiusmodi (*quæ sunt contra virtutes theologicas*) priùs est auersio ab incommutabili bono, & postea est conuersio ad commutabile bonum, sicut patet in illis, *qui desperantes semetipsos tradunt impudicitiæ*, vt dicitur ad Eph. 4. *Et hinc est*, *quòd* peccatis I ex parte conuersionis virtutes opponuntur: & sic diuersa peccata diuersis virtutibus expelluntur, sicut diuersæ ignorantiæ diuersis scientijs. Ex parte verò auersionis omnia remittuntur per vnum, quod est gratia, *cui peccatum ex parte auersionis opponitur*. *Proinde* omnia L peccata ex parte auersionis inferunt vnum vulnus: & sic per vnum donum gratiæ sanantur. Sed ex parte conuersionis inferunt diuersa vulnera, quæ sanantur per diuersas virtutes; & per diuersos Sacramentorum effectus. *Ex quo* secundùm conuersionem M peccata ab inuicem distinguuntur: sed in auersione sunt connexa, in quantùm homo per quodlibet peccatum mortale à bono incommutabili auertitur. *Et ratio affertur*: *quia* ad rationem N peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio eius, quæ est per recessum à lege Dei. Horum autem duorum, vnum per se comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum voluntarium exercere in tali materia. Aliud autem, scilicet inordinatio actus, per accidens se habet ad intentionem peccantis; nullus enim intendens ad malum operatur, vt *Dionysius* dicit *cap.* 4. *de Diu. Nom.* Manifestum est autem, quòd vnumquodque consequitur speciem secundùm illud, quod est per se; non autem secundùm id, quod est per accidens: quia ea, quæ sunt per accidens, sunt extra rationem speciei. Et ideò peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum; magis quàm ex parte inordinationis in peccato existentis: (*quæ quidem inordinatio ex parte auersionis est.*) Actus autem voluntarij distinguuntur specie secundùm obiecta: vnde sequitur, quòd peccata

E 2. d.42.2. 1. ad 7.

Auersio & conuersio in quolibet peccato mortali.

Quæ secundùm rem vnú sunt peccatum.

F 1.2.72.5.c. 3.p.86.4.c. In 4.d.16.2.1.q. 1. & 2. c. Ma. 7.2.fi.c.

In veniali peccato sine auersione conuersio.

G Ma. 7. 1. ad 3. & 4 In 2. d.42.1.3.ad 5. & 1. 2. 88.1. ad 3.

H Quol.6.a. 16. c. & 2. 2. 20. 1. ad 1. & a.3.& q.34.2.c

An in peccato mortali priùs auersio sit, quàm conuersio.

I Ver. 27. 5. ad 8. In 2. d. 42. 1.2. ad 4. & q. 2.5. ad 5.

Ex parte conuersionis virtutes peccatis opponuntur: ex parte auersionis peccatis omnibus vna gratia.

L Ver. l.c. ad 15.

M Ver. l. c. ad 8.

N 1.2.72.1. c. & q.71. 6.c. & q.9. ad 1.& q.73.1.c. & 2. 2. 10. 5. ad 1. In 4.d.16.3.2. q. 4. ad 5. Mat. 2.6 c.

Ex illa distinguuntur, ex hac verò omnia sunt connexa.

cata propriè distinguãtur specie secundùm obiecta: *quod est ex parte conuersionis*. *Sed* & in peccatis N inueniuntur duplex differentia: vna materialis, & alia formalis. Materialis quidem attenditur secundùm naturalem speciem actuum peccati: formalis autem secundùm ordinem ad vnum finem proprium, quod etiam est obiectum proprium. Vnde inueniuntur aliqui actus materialiter specie differentes, qui tamen formaliter sunt in eadem specie peccati, quia ad idem ordinantur: sicut ad eandem speciem homicidij pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio, quamuis actus sint specie differentes secundùm speciem naturæ.

N 1.2.72.6.a. Duplex peccatorum differentia, materialis & formalis.

n *Consideranda vlteriùs est ex parte finis & obiecti circumstantia. Quia licèt* in rebus O naturalibus, quod est accidens alicui rei, non possit accipi, vt differentia, constituens speciem: processus tamen rationis non est determinatus ad aliquid vnum, sed quolibet dato, potest vlteriùs procedere. Et ideò, quod in actu vno accipitur, vt circumstantia superaddita obiecto, quod determinat speciem actus, potest iterum accipi à ratione ordinante, vt principalis conditio obiecti determinantis speciem actus. Et per hunc modum, quandocumque circumstantia respicit specialem ordinem rationis vel pro vel contra, oportet, quòd det speciem actui morali bono, vel malo. *Ex quo circumstantia augens solummodò bonitatem, vel malitiam actus, non dat speciem illi*: neque enim P respicit ordinem rationis in bono vel malo, nisi præsupposita alia circumstantia, à qua actus moralis habet speciem boni, vel mali; vnde nec diuersificat speciem peccati: tamen potest aggrauare, vel diminuere peccatum. *Quocirca sciendum, quòd* circumstantia Q tripliciter se habet ad actum peccati. Quandoque enim neque variat speciem, neque aggrauat, sicut percutere hominem, indutum veste alba, vel rubea. Quandoque verò speciem peccati constituit, siue actus, cui aduenit circumstantia, ex suo genere indifferens sit; sicut cum aliquis leuat festucam de terra in contemptum alterius: siue sit bonus ex genere; sicut cum aliquis dat eleemosynam propter laudem humanam: siue sit malus ex genere, & addatur sibi alia species malitiæ ex circumstantia, sicut cum aliquis furatur rem sacram. Aliquando verò aggrauat quidem peccatum, non tamen constituit peccati speciem; sicut cum aliquis furatur multum. Et huius diuersitatis ratio est: quia si circumstantia aduenïens actui, indifferenter se habeat quantum ad rationem, talis circumstantia nec dat speciem peccato, nec aggrauat; nihil enim ad rationem pertinet, vtrùm ille, qui percutitur, tali, vel tali veste induatur. Si verò differentiam aliquam habeat per comparationem ad rationem: aut importat aliquid repugnans rationi primò, & per se; & tunc dat peccato speciem: aut primò, & per se non importat aliquid rationi repugnans, sed per comparationem ad id, quod primò, & per se rationi repugnat, aliquam repugnantiam habet ad rationem; sicut accipere aliquid in magna quantitate, nihil repugnans rationi potest dici: sed accipere alienum in magna quantitate dicit maiorem repugnantiam ad rationem. Vnde ista circumstantia aggrauat peccatum, in quantùm est determinatiua illius circumstantiæ, quæ dabat speciem peccato. Quartum autem membrum non potest esse, vt circumstantia det speciem peccato, & non aggrauet. *Et hinc deducitur, ipsas etiam peccati circumstantias esse confitendas. Verùm*

Circumstantia dat speciem peccato.

O 1.2.18.10. c. Ma. 2. a. 6. & 7. c. & 9. 7. 4. c. In 2. d. 36. 1. 5. c. In 4. d. 16. 3. 2. q. 3. & d. 41. 1. 4. q. 1. c.

Augens tamen solummodò bonitatem, vel malitiã, non dat speciem actui.

P 1.2. 18 11. c. Ma. 2. 7. In 4. d. 16. l. c.

Q Ma. 2. 7. c. & 6. ad 2. & 1. 2. 73. 7. c. In 4. d. 16. 3. 2. q. 4. Op. 12. 4. 6.

Circumstantia tripliciter se habet ad peccatum.

Quasnam circumstantias confiteri teneamur.

circumstantias R peccati trahentes in alterum genus peccati (*intellige, mortalis*) omninò debet homo confiteri; non enim homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circumstantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum specificatur. Circumstantias verò aggrauantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licèt sit laudabile, quòd homo ea confiteatur. *De circumstantiis vide fusiùs* S.

R Opusc. 12. l. c. In 4. d. 16. 3. 2. q. 5. c. & ad 3. & d. 41. 1. 4. q. 1. fi. c. Ma. 2. 6. ad 2.

S 1. 2. q. 7. 18. 72. & 78. In 4. d. 16. 4. 3. Ma. 2. art. 6. 7. 8.

o *Porrò* quando T homo in peccato mortali consistit, hoc quadam deliberatione rationis agitur: quia sine deliberato consensu, non est peccatum mortale. *Ex quo primi motus rationem mortalis culpæ non induunt*. *Pro quo tamen sciendum, quòd* motus V importat inclinationem quandam ad terminum; quæ quidem inclinatio pertinet ad appetitum in humanis actibus. Est autem in homine triplex appetitus: *Vnus* quidem naturalis, secundùm quod vis appetitiua pertinet ad animam vegetabilem, sicut & vis digestiua & expulsiua, & retentiua. *Secundus appetitus* est sensualitatis, qui mouetur secundùm apprehensionem sensus. *Tertius appetitus* est voluntatis, qui mouetur secundùm iudicium rationis. Peccatum, quod habet rationem culpæ, de quo nunc loquimur, non potest esse, nisi in actu voluntario, qui scilicet est aliqualiter in potestate peccantis. Actus autem appetitus naturalis non subiacet imperio rationis, sicut nec actus aliarum potentiarum vegetabilis animæ; & ideò in actu talis appetitus non potest consistere culpa: sicut quòd homo esuriat, vel sitiat, absque culpa est. Et idem dicendum est in alijs huiusmodi. Sed actus appetitus sensitiui subiacet imperio rationis: quia ratio præueniens ipsum, potest eum imperare, vel etiam impedire. Et ideò talis motus potest iam habere rationem culpæ. Et si sequatur iudicium rationis, poterit etiam esse peccatum mortale, sicut & motus exteriorum membrorum imperati à ratione. Si autem præueniat iudicium rationis: est quidem peccatum, si tendat in aliquid illicitum, quia in potestate hominis fuit ipsum cohibere: est tamen veniale peccatum & leuissimum (*vt patet per Augustinum 12. de Trin.*) & hoc dicitur primus motus peccati. Motus autem superioris appetitus, idest voluntatis, consequens iudicium rationis, iam potest esse peccatum mortale. *Et hoc est, quod Augustinus dicit*: Nonnullum X vitium est, cum caro aduersùs spiritum concupiscit. *Sciendum tamen, quòd* motus Y vis concupiscibilis potest dupliciter insurgere, vel ex qualitate organi, sicut calefacto corpore insurgit motus libidinis sine aliqua imagine, & ille motus est purè naturalis, nec rationem peccati habens. Alius motus concupiscibilis est, qui insurgit ex apprehensione delectabilis: & ex parte illa, appetitus concupiscibilis habet quandam libertatem, ad minus in homine, secundùm quòd potest obedire imperio rationis prohibentis; & sic in concupiscibili potest esse peccatum. *Itaque* omnes Z primi motus, qui sensualitati adscribuntur, vt verba *Augustini* asserunt, peccatum sunt: sed motus præcedentes (quos suprà *naturales* diximus) qui imaginem non sequuntur, sed solùm naturalium qualitatum actionem, ratione peccati carent. Secundùm quod potest verificari quorundam dictum, qui dicunt, quòd *motus primò primi* non sunt peccatum, sed *motus secundò primi* sunt

T Virt. 2. 12. ad 14. Ver. 15. 4. ad 2. & a. 5. c. & q. 24. 12. ad 26. & 1. 2. 15. 4. c. & 74. 5. ad 1. & 2. 2. 35. 3. c. In 2. d. 24. 3. 4. c. & d. 42. 1. 4. fi. c.

Sine deliberato consensu non est peccatũ mortale.

V Quol. 4. 21. & 22. c. In 2. d. 24. 3. 2. c. & d. 41. 2. 1. ad 5. & 2. 2. 154. 5. c. Rom. 8. l. 1.

Primi motus, an peccata.

Triplex in homine appetitus.

X 2. d. 24. 3. 2. in sed contra.

Duplex motus vis concupiscibilis.

Y 2. d. 21. 1. 2. ad 5. Quol. 4. a. 21. c.

Motus primò primi, & secundò primi.

Z 2. d. 24. 3. 2. c. & d. 41. 2. 1. ad 5. Quol. 4. l. c.

ſunt peccatum: ita ut per primò primos, motus naturales: per ſecundò primos, motus ſenſualitatis intelligamus, in qua peccatum eſt, etiam ſicut in ſubiecto. Voluntas autem incompletum dominium habet in his actibus, qui non per imperium rationis procedunt; ſed tamen voluntas eos impedire poterat, vt ſic quodammodò voluntati ſubiaceant, quantùm adhoc, quod eſt impediri, vel non impediri: & ideò in his actibus peccatum veniale eſt. Completum verò dominium habet in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt; & hi ſunt actus, deliberationem ſequentes, qui rationi adſcribuntur. *Et in his actibus eſt peccatum mortale, ex quo per deliberatum conſenſum admiſſo, progreditur vtplurimùm peccans ad actum peccaminoſum externum, ſiuè ad exterius opus. Hinc Iac. 1. dicitur*: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cum conſummatum fuerit, generat mortem. *Tentatur à concupiſcentia ſua*, ideſt A à fomite originaliter: hæc eſt lex membrorum, de qua *Rom.* 7. Hæc autem appellatur *caro concupiſcens aduersùs ſpiritum*, ad Gal. 5. *abſtractus* à bono, *illectus* ad malum. *Deinde concupiſcentia, cum conceperit* per conſenſum operis, aut moroſè delectationis, quod eſt occulta formatio maligni fœtus, *parit peccatum*, ideſt *ex gloſſa* perducit ad actum: *peccatum verò, cum conſummatum fuerit, generat mortem*, reatus ſcilicet, & damnationis æternæ, *Rom.* 6. Stipendia peccati, mors. *Ad illud pariter Iob.* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, *ordinem actuum in peccando docemur. Vbi traditur, quòd* primum B in peccato luxuriæ eſt aſpectus oculorum, quo mulier pulchra aſpicitur, & præcipuè virgo. Secundum autem eſt cogitatio: tertium delectatio: quartum conſenſus: quintum opus. Voluit igitur Iob principia huius peccati excludere, vt eo non inuolueretur. Vnde dicit: *Pepigi fœdus*; ideſt, in corde meo firmaui, ſicut pacta firmantur: *cum oculis meis*, ex quorum ſcilicet aſpectu peruenitur in concupiſcentiam mulierum; & ita ab inſpiciendis mulieribus abſtinere: *vt ne cogitarem quidem de virgine*; ideſt, vt nec primum gradum interiorem attingerem, ſcilicet cogitationem; videbat enim eſſe difficile, ſi in primum incideret, ſcilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, ſcilicet in delectationem & conſenſum. *Cautè idcircò ambulet vnuſquiſque, peccati principia euitando, ne cadat: ſicut infeliciter contigit primæ parenti noſtræ, de qua legitur Gen.* 3. Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit. *Quibus in verbis* ponuntur C tria per ordinem. Primò *vidit*, poſtea *tulit*: deinde *comedit*: propter tria, ſcilicet, quæ ſunt in peccato; ſcilicet cogitatus, cum dicit, *vidit*: ideò ſummè cauendum eſt, quid homo in corde reuoluat, quia omne malum intrat per ſenſus & cogitatus, ſecundùm illud Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*. Et ponuntur tria, quæ ſunt in cogitatu, quæ ſolent mouere affectum: ſcilicet bonum vtile, quod ponitur, cum dicitur, *bonum ad veſcendum*; bonum honeſtum, cum dicitur *pulchrum oculis*, bonum delectabile, cum dicitur, *aſpectuque delectabile*. Et cum iſta affectum moueant, ſequitur: *& tulit de fructu illius*. Niſi conſenſiſſet, non tuliſſet. Tertiò poſt cogitatum & conſenſum ſequitur effectus, *& comedit*, in quo fuit completum peccatum. *Peccatum autem (vt præmiſſum eſt) cum conſummatum fuerit, generat mortem, vtique animæ, quæ nihil aliud eſt, quàm diuinæ priuatio gratiæ.*

Margin notes (left column): x deliberato consensu progreditur peccans & ad actus externum. — Quo ordine procedatur peccando. — Iac. 1. §. 8. 9. — B Iob 31. l. 1. — C Gen. 3. ibi.

P *Verum tamen* peccatum D non eſt priuatio pura, ſicut tenebra, ſed eſt aliquid poſitiuè. Et ideò ſe habet vt quoddam obſtaculum gratiæ: ſed ipſa priuatio gratiæ ſe habet vt tenebra. Præſertim *verò* in peccato E tranſgreſſionis non eſt verum, quòd peccatum ſit priuatio: ſed quòd peccatum eſt actus priuatus debito ordine: ſicut furtum vel adulterium eſt quidam actus inordinatus. Eo enim modo peccatum nihil eſt, quo nihil fiunt homines, cum peccant: non quidem ita, quòd ſint ipſum nihil: ſed quia, in quantùm peccant, priuantur quodam bono; & ipſa priuatio eſt non ens in ſubiecto. Et ſimiliter peccatum eſt actus priuatus ordine debito, & ſecundùm ipſam priuationem, dicitur nihil. (Peccatum, *inquam*, ex parte F auerſionis nihil eſt: ſed ex parte conuerſionis aliquid eſt. *Et cum dicitur, quòd peccatum eſt mors animæ*: mors G animæ eſt priuatio gratiæ, per quam anima Deo vniebatur. Priuatio autem gratiæ non eſt eſſentialiter, ipſa culpa, ſed effectus culpæ, & pœna. Vnde peccatum dicitur *mors animæ*, non eſſentialiter, ſed effectiuè: eſſentialiter verò peccatum eſt actus deformis vel inordinatus.) Sed in peccato omiſſionis, per ſe loquendo, verum eſt, quòd eſt ſola priuatio. Subiectum autem priuationis non eſt habitus, ſed potentia: ſicut ſubiectum cæcitatis non eſt viſio, ſed id, quod eſt natum aptum videre. Omiſſionis ergo ſubiectum eſt, non quidem actus aliquis, ſed poteſtas voluntatis. *Verùm (ad clariorem peccati omiſſionis intelligentiam) quia* quidam H dicunt, quòd in omni peccato omiſſionis eſt aliquis actus vel interior, vel exterior: Alij verò dicunt, quòd in peccato omiſſionis non requiritur aliquis actus; ipſum enim non facere, quod quis facere tenetur, peccatum eſt: Vtraque opinio (*inquit Author*) ſecundum aliquid veritatem habet. Si enim intelligatur in peccato omiſſionis illud ſolum, quod per ſe pertinet ad rationem peccati, ſic quandoque omiſſionis peccatum eſt cum actu interiori; vt cum aliquis vult non ire ad Eccleſiam: quandoque verò abſque omni actu vel interiori, vel exteriori, ſicut cum aliquis hora, qua tenetur ire ad Eccleſiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Eccleſiam. Si verò in peccato omiſſionis intelligantur etiam cauſæ, vel occaſiones omittendi: ſic neceſſe eſt, in peccato omiſſionis aliquem actum eſſe. Non enim eſt peccatum omiſſionis, niſi cum aliquis prætermittit quod poteſt facere, & non facere. Quòd autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod poteſt facere & non facere, non eſt niſi ex aliqua cauſa vel occaſione, coniuncta vel præcedente. Et ſi quidem cauſa illa non ſit in poteſtate hominis, omiſſio non habet rationem peccati; ſicut cum aliquis propter infirmitatem prætermittit ad Eccleſiam ire. Si verò cauſa, vel occaſio omittendi ſubiacet voluntati, omiſſio habet rationem peccati: & tunc ſemper oportet, quòd iſta cauſa, in quantùm eſt voluntaria, habeat aliquem actum ad minùs interiorem voluntatis: qui quidem actus quandoque directè fertur in ipſam omiſſionem, putà cum aliquis vult non ire ad Eccleſiam, vitans laborem; & tunc talis actus per ſe pertinet ad omiſſionem. Voluntas enim cuiuſcumque peccati per ſe pertinet ad peccatum illud, eo quòd voluntarium eſt de ratione peccati.

Margin notes (right column): D Ma. 2. 11. ad 13. — Peccatum non eſt pura priuatio, ſed actus priuatus ordine debito. — E Ma. 2. 1. ad 4. & in corp & a. 9. c. & a. 12. ad 2. Ver. 28. 6. c. In 2. d. 35. 1. 3. c. & d. 37. 1. 1. & 1. 2. 21. 1. & 71. 5. & 72. 1. ad 2. & 75. 1. c. & ad 1. & 2. 2. 79. a. 1. 2. 3. Quol. 1. a. 17. Io. 1. l. 2. lit. b. — F 2. d. 36. 1. 1. ad 1. & d. 42. 2. 1 ad 1. — Quo ſenſu peccatum dicatur *nihil*. — G Ma. 2. 9. ad 2. 6. & 14. & q. 4. 2 ad 10. — Peccatum omiſſionis an ſit priuatio. — H 1. 2. 71. 5. c. Ma. 2. 1. c. In 2. d. 35. 1. 3. — Notabilis de peccato omiſſionis doctrina.

peccati. Quandoque autem actus voluntatis directè fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito; siue illud, in quod fertur voluntas, sit coniunctum omissioni, putà cum aliquis vult ludere, quando ad Ecclesiam deberet ire: siue etiam sit præcedens, putà cum aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur, quòd non vadat hora matutinali ad Ecclesiam: & tunc actus iste interior, vel exterior, per accidens se habet ad omissionem, quia omissio sequitur præter intentionem. Hoc autem dicimus per accidens esse, quod est præter intentionem, vt patet *in 2. Phys.* Vnde manifestum est, quòd tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum vel præcedentem, qui tamen per accidens se habet ad peccatum omissionis. Iudicium autem de rebus dandum est secundùm illud, quod est per se, & non secundùm illud, quod est per accidens. Vnde veriùs dici potest, quòd aliquod peccatum possit esse absque omni actu: alioquin etiam ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus & occasiones circumstantes. *Quòd verò nedum transgressio, sed & omissio culpa sit pœna digna, habetur ex illo Mat. 3.* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Vbi primò ponit* I culpam, quia non facit fructum: propter solam enim omissionem fit punitio. Deinde ponit duplicem pœnam: scilicet temporalem, *excidetur*, scilicet ex hac vita, Luc. 13. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Et hoc est, *excidetur*, scilicet cum prosperitate terrena. Item ponit pœnam æternam, *& in ignem mittetur*: Ite maledicti in ignem æternum, *Mat.* 25. Cui consonat & illud Domini Io. 15. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Omnem palmitem*, idest L omnem fidelem *non ferentem fructum*, scilicet in vite, *in me*, sine quo nihil fructificare potest, *tollet eum*, scilicet à vite. Ex quo apparet, quòd non solùm à Christo exciduntur aliqui, quia mala faciunt, sed & quia bona facere negligunt, 2. Cor. 6. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et *Mat.* 25. dicitur, quòd ablatum est talentum ei, qui ex eo non fructificauit, sed abscondit illud. *Et Luc.* 13. Dominus ficum sterilem præcepit abscindi. *Eapropter Apostolus* ad Hebr. 12. *hortabatur illos*: Remissas manus erigite &c. *Quibus verbis* monet M ad dimittendum peccatum omissionis. *Manus* enim, cum sit organum organorum, *remissa* dicitur, quando vacat à bonis operibus; & ideò erigenda est per rectam intentionem ad operandum quæ Deo placent: *Manus enim remissa inducit egestatem & seruitutem*, Prou. 19. (*seruitutem vtique peccati*.) In huius signum, quando Moyses eleuabat manus, vincebat Israel: quando verò remittebat, superabat Amalec, *Exod.* 17.

Nedum transgressio, sed & omissio, culpa est pœna digna.

I Mat. 3. lit. b. ibi.

L Io. 15. l. 1. lit. a. ibi.

M Hebr. 12. l. 3. ibi. Tit. 1. l. 2. ibi, desunt.

q *Ex his deducitur, quòd quia* peccatum N quidam actus est (*licet deordinatus*) actuum quidam transeunt in exteriorem materiam, vt vrere, secare: & huiusmodi actus habent pro materia, & subiecto id, in quod transit actio. Quidam verò actus sunt non transeuntes in exteriorem materiam, sed manentes in agente, sicut appetere, & cognoscere; & tales actus sunt omnes actus morales, siue sint actus virtutum, siue peccatorum: Ideò oportet, quod proprium subiectum actus peccati sit potentia, quæ est principium actus. Cum autem proprium sit actuum moralium, quòd sint voluntarij, sequitur, quòd voluntas, quæ est principium actuum voluntariorum, siue bonorum, siue malorum, quæ sunt peccata, sit principium peccatorum; & ideò sequitur, quòd peccatum sit in voluntate, sicut in subiecto. *Quoniam verò* actus O voluntarij dicuntur non solùm illi, qui eliciuntur à voluntate, sed etiam illi, qui à voluntate imperantur: non solùm voluntas potest esse subiectum peccati, sed omnes illæ potentiæ, quæ possunt moueri ad suos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem. Et eædem etiam potentiæ sunt subiecta habituum moralium bonorum, vel malorum: quia eiusdem est actus & habitus. *Et quamuis* Augustinus in lib. de duabus animabus *dicat, quòd* nonnisi voluntate peccatur: *in sola igitur voluntate erit peccatum, quia peccatum est, sicut in subiecto, in potentia, qua peccatur. Dicimus nihilominùs, quòd* in sola P voluntate est peccatum, sicut in primo mouente: in alijs autem viribus, sicut in imperatis & motis. *Nec eadem ratio est de membris exterioribus: quia* membra Q corporis non sunt principia actuum, sed solùm organa. Vnde & comparantur ad animam mouentem, sicut seruus, qui agitur & non agit. Potentiæ autem appetitiuæ interiores comparantur ad rationem quasi liberæ, quia agunt quodammodo, & aguntur, vt patet 1. *Polit.* Et præterea actus exteriorum membrorum sunt actiones in exteriorem materiam transeuntes, sicut patet de percussione in peccato homicidij. *Proinde, quia* actus R sensualitatis potest esse voluntarius, in quantùm sensualitas (idest appetitus sensitiuus) nata est à voluntate moueri, inde relinquitur, quòd in sensualitate potest esse peccatum. *Peccatum inquam veniale; vt præmisimus; non ita mortale: quandoquidem* sicut S inordinatio, corrumpens principium vitæ corporalis, causat corporalem mortem: ita etiam inordinatio, corrumpens principium spiritualis vitæ, quod est finis vltimus, causat mortem spiritualem peccati mortalis. Ordinare autem aliquid in finem, non est sensualitatis; sed solùm rationis. Inordinatio autem à fine, non est nisi eius, cuius est ordinare in finem. Vnde peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solùm in ratione. *Quæ quidem* ratio T habet duplicem actum: Vnum quidem secundùm se in comparatione ad proprium obiectum, quod est cognoscere aliquod verum. Alius autem actus rationis est, in quantùm est directiua aliarum virium. Vtroque igitur modo contingit esse peccatum in ratione. Et primò quidem, in quantùm errat in cognitione veri: quod quidem tunc imputatur ei ad peccatum, quando habet ignorantiam vel errorem circa id, quod potest, & debet scire. (*De quo vide V.* Ignorantia.) Secundò, quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet. *Neque his contrariatur, quòd voluntas præcipuum dicatur peccati principium: Nam* voluntas V quodammodo mouet & præcedit rationem, & ratio quodammodo voluntatem. Vnde & motus voluntatis dici potest rationalis, & actus rationis potest dici voluntarius. Et secundùm hoc in ratione inuenitur peccatum, vel prout est defectus eius voluntarius, vel prout actus rationis est principium actus voluntatis.

N 1.2.74.1. c. In 4. d. 18. 1. 2. q. 1. ad 2. & 3. con. G. c. 109

Peccati subiectum voluntas.

O 1.2.l.[illegible] 2. c. & q. 8[illegible] c. Ma. 2. a. 2[illegible] 3. In 2. d. [illegible] exp. tex.[illegible]

Et aliæ potentiæ nat[illegible] moueri à voluntate.

P Ma. 7[illegible] ad 16. & 1.2. 74. 2. ad 1.

Q 1.2.l.c. ad 3. Ma. 2. 2. ad 6.

Non ita exteriora corporis membra.

R 1.2.l.[illegible] 3. fi. c. In 2. [illegible] 24. 3. 2. Ma. 6. Ver. 15. 3.

In sensualitate non potest esse peccatum mortale, sed solùm veniale.

S 1.2.l.c.a. 4. c. & q. 89.[illegible] In 2. l. c. a[illegible] Ver. 25. 5.

T 1.2.l.c.a. 5. & 6. In 2. d. [illegible] c. a. 3. Ver. 15[illegible]

Ratio duplicem habet actum.

Hinc dupliciter potest esse in ea peccatum.

V 1.2.74.5. ad 2. Ver. l. c. ad 3.

r Sunt *autem* in peccato X tria. Quorum vnum est offensa Dei: aliud autem est ipse actus inordinatus culpæ: tertium verò est reatus pœnæ. *Et alibi distinctiùs.* Tria Y sunt ex

X Rom. 4. l. 1. circa fi.

In peccato tria.

Y Ver. 28. 2[illegible]

parte

parte auersionis sese concomitantia: scilicet auersio, offensa, & reatus. *Auersio* namque intelligitur à bono incommutabili, quod quis poterat habere, respectu cuius se impotentem fecit: aliàs auersio non esset culpabilis. *Secundò offensa*, quæ ex peccato sequitur, siue accipiatur ex parte hominis, in quantùm homo peccando Deum offendit; siue ex parte Dei, secundùm quod peccatori est offensus, secundùm illud Ps. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*. Quicumque enim rem aliquam digniorem indigniori postponit, iniuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituit (quod facit omnis mortaliter peccans) ex hoc ipso quantùm ad affectum suum, præponit creaturam Creatori, diligens plùs creaturam, quàm Creatorem: finis enim est quod maximè diligitur. Ipse etiam Deus dicitur peccatori offensus, vel eum odire, non odio, quod opponitur amori, quo diligit omnia: sic enim *nihil odit eorum, quæ fecit*, vt dicitur *Sap.* 11. sed quod opponitur amori, quo diligit Sanctos, bona æterna eis præparando. *Tertiò reatus peccati*, qui non solùm est obligatio ad pœnam sensibilem, sed præcipuè ad pœnam damni, quæ est carentia gloriæ. *Ex quo* incurrit Z homo triplex damnum peccando: scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. Maculam quidem incurrit, in quantùm priuatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Bonum autem naturæ corrumpitur, in quantùm natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subiecta: hoc enim ordine sublato, consequens est, vt tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus verò pœnæ est, per quem homo, peccando mortaliter, meretur damnationem æternam. *De quibus singulis* Vide A. Et Num. seqq.) *Illud tantùm de peccati reatu subiicimus, quod ait* Augustinus *in lib. de Nupt. & concupisc.* Si B à peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret, vt hoc moneret Scriptura (*Eccli.* 21.) *Fili peccasti? Non adiicias iterum*. Hoc autem non sufficit, sed additur: *sed & de pristinis deprecare, vt tibi remittantur*. Transit enim peccatum actu, & remanet reatu. Et ideò cum aliquis à peccato vnius vitij transijt in peccatum contrarij vitij, desinit quidem habere actum præteriti, sed non desinit habere reatum; vnde simul habet reatum vtriusque peccati: non enim peccata sunt sibi contraria ex parte auersionis à Deo, ex qua parte peccatum reatum habet. *Enimuerò* reatus, idest C obligatio ad pœnam, est quidam effectus consequens ad peccatum. Vnde cum dicitur, quòd peccatum transit actu, & manet reatu; idem est ac si diceretur, quòd transit per suam essentiam, & manet in effectu. *Et alibi*: Quamuis D peccatum sit præteritum, quantùm ad actum: manet tamen quantùm ad effectum vel reatus, vel maculæ, vel offensæ diuinæ. Et sic potest aliquis de peccato dolere, in quantùm est præsens: dolor enim de præsenti est.

Auersio quid

Quid offensa.

In quo peccatum mortale cõsistat.

Quid peccati reatus.

Z 1.2.109.7. c. & q.87.4. ad 3. & 4.6. c. in 4. d. 14.2.4. c. & 3. p.22.3. c. & 4. c. & c.72. Ps 31. lit. a.

Triplex ex peccato detrimentum peccanti.

A 1.2.q.85. 86.87. Ma. 2. 11. in 2. d. 42. 1.5. in 3. d.19. 1.3. in 4. d 18. 1.2. q. 1. & d. 46. 1.3. & 3. con. G.c.144.

B 1.2.113.2. ad 3. Ver.28.2. initio c. & 3 p. 62.2. ad 2. & 89.4. ad 1.

Desistere à peccato non tollit reatum peccati, qui manet post peccati actũ.

C Ma 2.2 ad 14. & 4. 1. ad 11. & q. 7.10. ad 6.

D 4. d.14 1. 1.q. 6. ad 3. & d. 17.2.1. q.1. ad 1.

¶ *At verò peccatorum omnium* tres E assignantur radices: scilicet *concupiscentia carnis* circa bonum delectabile sensus, *concupiscentia oculorum* circa bona exteriora in vsum ordinata, & *superbia vitæ* circa bona secundùm opinionem, vt est honor, dignitas, & huiusmodi. *Et quidem* omnes F res mundanæ ad tria reducuntur: scilicet ad honores, diuitias & delicias, secundùm illud 1. Io. 2. *Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est*, quod pertinet ad delicias carnis: *& concupiscentia oculorum*, quod pertinet ad diuitias: *& superbia vitæ*, quod pertinet ad ambitum gloriæ, & honoris. *Vlteriùs* peccatum G diuiditur per hæc tria, scilicet peccatum cordis, oris, & operis; non sicut per diuersas species completas. Nam consummatio peccati est in opere; vnde peccatum operis habet speciem completam: sed prima inchoatio eius est quasi fundatio in corde. Secundus autem gradus eius est in ore, secundùm quod homo prorumpit facilè ad manifestandum conceptum cordis. Tertius autem gradus iam est in consummatione operis. Et sic hæc tria differunt secundùm diuersos gradus peccati. Patet tamen quòd hæc tria pertinent ad vnam perfectam peccati speciem, cum ab eodem motiuo procedant. Iracundus enim, ex hoc, quòd appetit vindictam, primò quidem perturbatur in corde, secundò in verba contumeliosa prorumpit, tertiò verò procedit vsque ad facta iniuriosa. Et idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato. *Cæterùm* omne H peccatum cordis conuenit in ratione occulti; & secundùm hoc ponitur vnus gradus: qui tamen per tres gradus distinguitur, scilicet cogitationis, delectationis, & consensus, *vt præmissum est*. *Quoad peccatum verò linguæ, illud aduertendum, quòd* peccata I verborum præcipuè pensanda sunt secundùm intentionem proferentis: & ideò secundùm diuersa, quæ quis intendit contra alium loquens, huiusmodi peccata distinguuntur: sicut cum aliquis conuitiando intendit conuitiati honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam &c. *Et alibi*: Contingit L verbum ex. gr. maledictionis prolatum, esse peccatum veniale vel propter paruitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur: vel etiam propter affectum eius, qui profert maledictionis verba: dum ex leui motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua, talia verba profert: quia peccata verborum maximè ex affectu pensantur. *De his videfusiùs*. V. Lingua. *Quoad operis verò peccatum, an addat nouam malitiam ad actum voluntatis*: *Dicendum, quòd* cum actus M exterior habeat rationem peccati ab actu voluntatis, idem peccatum est actus voluntatis, & actus exterior coniunctus. Sed si aliquis primò v. lit tantùm, & postea volens faciat, sunt duo peccata: quia iteratur voluntatis actus. *Et alibi*: Cum quæritur N vtrùm voluntas & actus exterior sint diuersa peccata: aut intelligitur de voluntate coniuncta actui exteriori, aut de voluntate præcedente. Si de coniuncta, sic oportet, quòd peccatum vnum sit voluntas interior, & actus exterior: quia voluntatis non multiplicatur actus. Si autem de voluntate separata, sic est aliud peccatum: quia actus voluntatis multiplicatur. Quando enim peccans actum explet exteriorem, etiam actum voluntatis iterat: & ideò oportet, quòd sint duo peccata. (*Vide nihilominùs luculenter* O.) *Verùm* cæteris P paribus, actu v. g. luxuriam exercens, plùs peccat, quàm qui solùm in actum consentit: quia in ipso actu voluntas augetur. *Tres autem præfatos peccatorum gradus tangit Apostolus* 1. *Cor.* 10. Hæc autem (*quæ ibi præmiserat*) in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum: neque idololatræ efficiamini: neque murmuraueritis &c. *Hæc in figura facta sunt*: ideò scilicet Q facta sunt, vt cohibeamur à peccato: & primò à peccato cordis, *vt non simus concupiscentes malorum*: secundò à peccato operis, *neque idololatræ efficiamini*: tertiò à peccato oris, *neque murmuraueritis &c.* *Subditur enim*: Scripta sunt autem ad correptionem

E 2.d.42.3. 1. fi. c. Ma. 8.1. ad 23.

Peccatorum omnium triplex radix, scilicet deliciæ, diuitiæ, & honores.

F 1.2 108.3. ad 4. & q.77.5. in 4 d 15.2.1. q.2. ad 3. & 1. Io. 2. 5.

G 1.2.72.7. c. in 2. d.42.2. 2. q 1. c. & 3. p. 90.3. ad 1. in 4. d 38.2.1. ad 3. Rom.13. l.2.

Tres peccati gradus, scilicet, cordis, oris, & operis: qui tamen ad vnam perfectam speciem peccati, pertinent.

H 1.2. l. c. ad 1. in 2 l. c. ad 2.

Gradus vnus peccati cordis in tres sub distinguitur gradus.

I 2.2.75.1. initio c.

Peccata verborum secundùm intentionem proferentis pensanda.

L 2.2.76.3. fi. c.

Et ex affectu pronunciantis.

M Ma. 2.2. ad 11.

N 2. d 42.1. 1. fi. c.

Num actus exterior nouam addat malitiam ad actum voluntatis.

O 1.2.20.4. in 2. d.40.1.3. Ma. 2.2. ad 8.

P 4. d. 49.5. 3. q. 2. ad 3.

Q 1. Cor.10. l. 2. ibi.

R 1.2.100.6. fi. c.

Grauius est peccare opere, quàm ore; & ore, quàm corde.

ptionem nostram. *Sanè* grauius est R & magis rationi repugnans, peccare opere, quàm ore: & ore, quàm corde: *Tum quia per uersa firmatur magis voluntas peccantis: tum quia exteriora peccata in damnum cedunt proximorum, & frequenter in scandalum.*

S 2.d.42 2.2. q.1 fi. c. In 4.d. 16. exp. tex.

Quartus gradus in peccatis, peccatum est consuetudinis.

t *Sed & præter tres assignatos peccatorũ gradus* additur S actus exterius actui exteriori: & hic est vltimus gradus, & quartum membrum, scilicet peccatum consuetudinis: quia cum post actum exteriorem, non sit aliquis actus alterius generis, oportet, quòd vltimus gradus peccati sit secundum multiplicationem huiusmodi actuum. *Quò facit illud Io. 11.* Venit itaque Iesus; & inuenit eum (*Lazarum*) quatuor dies iam in monumento habentem. *Quod exponens Author*; Per hos *inquit* quatuor T dies significantur *ex Augustino* quatuor dies quadruplicis mortis. Vnus dies est peccati originalis, quod homo trahit de mortis propagine, Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit.* Alij tres dies referuntur ad mortem peccati actualis. Nam quodlibet peccatum mortale quædam mors dicitur, Ps. 33. *Mors peccatorum pessima.* Et diuiduntur secundùm transgressionem triplicis legis. Primo quidem legis naturæ, quam homines transgrediuntur: & sic est secundus dies mortis, Is. 24. *Transgressi sunt leges, mutauerunt ius &c.* Secundo legis scriptæ, quam etiam homines transgrediuntur: & sic est tertius dies, Io. 7. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Tertiò legis Euangelij & gratiæ: & sic est quartus dies, & grauior cæteris, Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia &c.* Vel aliter (*ad rem nostram:*) Primus dies est peccatum cordis, Is. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum.* Secundus dies est peccatum oris, Eph. 4. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Tertius dies est peccatum operis, Is. 1. *Quiescite agere peruersè.* Quartus dies est peccatum peruersæ consuetudinis: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum,* Ierem. 13. *Et ibidem inferius; coherenter pro mysterio docemur*, Christum V tres mortuos suscitasse. Puellam Archisynagogi, vt habetur *Mat. 9.* Filium viduæ, qui efferebatur extra portam, vt habetur *Luc. 7.* Et Lazarum quatuor dies habentem in monumento, vt habetur *Io. 11.* Sed puellam quidem in domo: iuuenem extra portam: Lazarum in monumento. Item puellam paucis arbitris, scilicet habens videlicet patrem, & matrem puellæ; & tres ex discipulis suis, Petrum scilicet, Iacobum, & Ioannem: iuuenem verò magna turba præsente: sed Lazarum assistente multitudine, & cum gemitu. Nam per hos tres suscitatos tria genera peccatorum intelliguntur. Quidam enim peccant per consensum peccati mortalis in corde; & isti significantur per puellam mortuam in domo. Alij verò sunt, qui per exteriora signa & actus (*oris videlicet & operis*) peccant: & hi signantur per mortuum, qui effertur extra portam. Sed quando per consuetudinem in peccato firmantur, tunc signantur per Lazarum, qui clauditur in monumento. Et tamen Dominus omnes resuscitat, sed illi faciliùs suscitantur. *Vnde ad solam Christi vocem*: Puella surge: Adolescens, tibi dico, surge: *surrexerunt. At qui per consuetudinem peccant, difficiliùs excitantur. Vnde ad suscitationem Lazari, hos figurantis, legimus, quòd Christus* infremuit spiritu, & turbauit se-

T Io. 11. l. 4. lit. a. ibi.

Mystica de hoc expositio.

Alia ad idem.

V ibid. lit. d. & Mat. 9. lit. d. ibi, & vidisset.

ipsum: *item* lacrymatus est; & voce magna clamauit: Lazare veni foras; *quasi omnipotentiæ diuinæ exigatur plenitudo ad consuetudinarium suscitandum peccatorem. Non quod imperanti Domino aliquid difficile reddatur; sed vt ostenderet ex parte peccatoris eiusmodi, emergendi arduitatem. Peccatores quoque primi generis signare videtur* multitudo languentium, *varijs peccatorum morbis ad probaticam piscinam* expectantium aquæ motum *Io. 5.* Sed sunt X aliqui sic affecti languore peccati, quòd *non expectant aquæ motum*, in peccatis suis requiescentes (*vtique per consuetudinem*) secundum illud Sap. 14. *In magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Cuius ratio est: quia non abhorrent peccata, nec peccant ex ignorantia, seu infirmitate, sed ex certa malitia. Illi autem (vtpote non ex malitia peccantes) non quiescebant in peccatis, sed per desiderium, *expectabant aquæ motum*; vnde dicit: *expectantium*, Iob. 17. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.*

Alia.

X Io. 5. l. 1. lit. a. ibi.

u *Præterea peccari potest tripliciter: scilicet in Deum, in proximum, & in se ipsum.* Triplex *enim* ordo Y in homine debet esse. Vnus quidem secundùm comparationem ad regulam rationis, prout scilicet omnes actiones, & passiones nostræ debent secundum regulam rationis commensurari. Alius autem ordo est per comparationem ad regulam diuinæ legis, per quam homo in omnibus dirigi debet. Tertius ordo est, quo homo (quia est naturaliter animal politicum, & sociale, vt probatur *in 1. Polit.*) ordinatur ad alios homines, quibus conuiuere debet. Horum autem ordinum primus continet secundum, & excedit ipsum: quæcumque enim continentur sub ordine rationis, continentur sub ordine ipsius Dei: sed quædam continentur sub ordine ipsius Dei, quæ excedunt rationem humanam; sicut ea, quæ sunt fidei, & debentur soli Deo. Vnde qui in talibus peccat, dicitur in Deum peccare, sicut hæreticus & sacrilegus, & blasphemus. Similiter etiam secundus ordo includit tertium, & excedit ipsum: quia in omnibus, in quibus ordinamur ad proximum, oportet nos dirigi secundùm regulam rationis: sed in quibusdam dirigimur secundùm rationem, quantùm ad nos tantùm, non autem quantum ad proximum. Et quando in his peccatur, dicitur homo peccare in se ipsum, sicut patet de guloso, luxurioso, & prodigo. Quando verò peccat homo in his, quibus ad proximum ordinatur, est peccatum in proximum, sicut patet de fure, & homicida. Vnde hæc distinctio peccatorum est secundùm obiecta, secundùm quæ diuersificantur species peccatorum. *Item* homo Z aliquid debet Deo, sibi, & proximo. Deo debet amorem, & reuerentiam, & huiusmodi: vnde quando ab his deficit, dicitur peccare in Deum. Sibi debet munditiam, & ordinationem sui sub regimine rationis, & huiusmodi: & quando in his deficit, dicitur in se ipsum peccare. Proximo autem quæ debeat, planum est: & quando in his deficit, dicitur in proximum peccare. *Et hæc quidem peccandi diuersitas ex opposito tangitur* Iob cap. 1. *de quo dicitur, quòd* erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. *Siquidem* in proximum A quis peccat dupliciter: occultè, scilicet per dolum, & manifestè per vim. Hic autem vir non circumuenit per dolum proximum; vnde dicitur: *Erat vir ille simplex*; simplicitas enim propriè dolositati opponitur. Nulli etiam violentiam intulit; sequitur

Y 1.2.72.4.c. Iob 13. l. 2. ibi, iniquitates.

Tripliciter itidem peccatur in Deû, in proximum, in se ipsum.

Z 2.d.42.2.2. q.2. c.

A Iob 1. l. 1. ibi.

Dolositati opponitur simplicitas.

quitur enim: *& rectus*; rectitudo enim propriè ad iustitiam pertinet, quæ in æqualitate consistit, secundùm illud If. 26. *Semita iusti recta est: rectus callis iusti ad ambulandum.* Quòd autem in Deum non peccauerit, apertè ostenditur per hoc, quod sequitur: *ac timens Deum*; in quo reuerentia ad Deum designatur. Quòd etiam in se ipsum non peccauerit, ostenditur in hoc, quod subditur: *ac recedens à malo*; quia malum odio habuit propter se ipsum, non solùm propter nocumentum proximi, vel offensam Dei. *Qui autem ab hisce tribus abstinet, verè iustus est. Id quod & Psaltes expressit* Ps. 25. *cum ait*: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. *Quibus verbis* ostendit B innocentiam suam per recessum à malis.

B Ps. 25. lit. e. ibi.

Est autem triplex genus malorum, scilicet tria peccata. Aut enim est peccatum contra Deum, aut contra proximum, aut contra se. Contra se autem sunt vanitatis peccata, quibus homo vanè delectatur in terrenis; & de his dicit: *Non sedi cum concilio vanitatis*; quasi dicat: quin in aliquo fuerim cum eis: quia non potest fieri, quin homo vanè aliquando non delectetur in terrenis. Sed dicit; *non sedi*, Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me prabui*. Peccata, quæ sunt contra proximum, sunt peccata, quæ opere geruntur, vnde dicit: *& cum iniqua gerentibus non introibo*; idest non solùm, *non sedi*, sed *nec introiui*; idest nullo modo cum eis miscui me, Prou. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*. Item cogitantur prædicta peccata corde; vnde dicit: *Odiui Ecclesiam malignantium*, Ps. 118. *Iniquos hodio habui*, idest culpam & iniquitatem. Tertiò ponit peccatum contra Deum: & hæc est impietas; & ideò dicit: *& cum impiis*, idest hæreticis & schismaticis, *non sedebo*, idest eorum doctrinis non communicabo, *Hebr. 13.* Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. *Quod paucis* ad Tit. 2. *Apostolus expressit*: Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. *Sobriè*, quantùm C ad se, quasi mensuratè (bria enim mensura est: & hoc est, si homo cum mensura rationis vtatur exterioribus rebus, & proprijs passionibus:) *piè* ad Deum, *iustè* ad proximum. *Vnde &* peccata D quæ sunt in nocumentum proximi, propriè iniquitates dicuntur, quia æqualitati iustitiæ, quæ est ad alterum, contrariatur: *vt & superiùs visum est.*

C Tit. 2. l. 3. ibi, & 1. Tim. 4. l. 2. ibi, pietas.

D Iob 13. l. 2. ibi, iniquitates. Et cap. 31. l. 1. ibi, iniquitas.

x *Et hinc est, quòd quamuis peccatum omne sit Deo iniurium (ex quo infinitatem quandam sortitur) grauissima tamen sunt, quæ immediatè in ipsum Deum committuntur. Et quia* fines E principales humanorum actuum sunt Deus ipse, homo, & proximus (quicquid enim facimus, propter aliquod horum facimus) potest ex parte horum trium considerari maior, vel minor grauitas in peccato secundùm conditionem personæ, in quam peccatur. Primò quidem *ex parte Dei*, cui tantò magis aliquis homo coniungitur, quantò est virtuosior, vel Deo sacratior: & ideò iniuria tali personæ illata, magis redundat in Deum, secundùm illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. Vnde peccatum fit grauius ex hoc, quòd peccatur in personam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij. *Ex parte etiam sui ipsius* manifestum est, quòd tantò aliquis grauiùs peccat,

E 1. 2. 73. 9. c. & 2. 2. 61. 2. ad 3. & 65. 4. c. & 3. p. 1. 2. ad 2. In 3 d 20. 1. 2. c. Rom. 2. l. 2. sub initio, & alibi.

Maior vel minor grauitas in peccato multiplici ex capite.

1. Ex persona, in quam peccatur.

quantò aliquis magis in coniunctam personam, seu naturali necessitudine, seu beneficij, seu quacumque coniunctione, peccauerit: quia videtur in se ipsum magis peccare, & pro tanto grauiùs peccat, secundùm illud: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Eccli. 14. *Ex parte verò proximi*, tanto grauiùs peccatur, quantò peccatum plures tangit: & ideò peccatum, quod fit in personam publicam, putà Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est grauius, quàm peccatum, quod committitur contra vnam personam priuatam. Vnde specialiter dicitur Ex. 22. *Principi populi tui non maledices*. Et similiter iniuria, quæ fit alicui famosæ personæ, videtur esse grauior ex hoc, quòd in scandalum, & in turbationem plurimorum redundat. *Sed & ex persona peccantis consueuit culpa grauari. At sciendum, quòd* duplex est F, peccatum. Quoddam ex subreptione proueniens propter infirmitatem humanæ naturæ: & tale peccatum minùs imputatur ei, qui est maior in virtute, eo quòd minùs negligit huiusmodi peccata reprimere, quæ tamen omninò subterfugere infirmitas humana non sinit. Alia verò peccata sunt ex deliberatione procedentia: & ista peccata tantò magis alicui imputantur, quantò maior est. Et hoc potest esse propter quatuor. Primò quidem, quia faciliùs possunt resistere peccato maiores, putà qui excedunt in scientia, & virtute. Vnde Dominus dicit Luc. 12. quòd *seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis*. Tertiò propter ingratitudinem: quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando. Et quantùm ad hoc, quælibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggrauat, secundùm illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur*. Secundò propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ: sicut si Princeps iustitiam violet, qui ponitur iustitiæ custos: et, si Sacerdos fornicetur (*nota*) qui castitatem vouit. Quartò propter exemplum, siue scandalum: quia vt *Gregorius* dicit in Pastorali: *In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honeratur*. Ad plurium etiam notitiam perueniunt peccata magnorum, & magis homines ea indignè ferunt. *Vnde & alibi instruimur, quòd* si nobilis G mulier, vel homo, aliquam turpitudinem faceret, est magis ignominiosum, quàm si faceret rusticus. *Ad quod maior facit & ætas, Idcircò dicebat David Ps.* 24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine. *Videlicet*: quia H quantò magis homo est præditus ratione, & est in maiori statu, tantò peccatum est grauius in eo. Et ideò peccata, quæ in iuuentute fiunt, minùs imputantur, quàm illa, quæ fiunt in senectute, *If.* 65. Peccator centum annorum maledictus erit. *Præterea peccata spiritualia grauiora sunt carnalibus: tametsi hæc turpiora sint & exprobrabiliora*. Quod I non est sic intelligendum, quasi quodlibet peccatum spirituale sit maioris culpæ quolibet peccato carnali; sed quia, considerata hac sola differentia spiritualitatis, & carnalitatis, grauiora sunt, quàm cætera peccata, cæteris paribus. Cuius ratio triplex potest assignari. *Prima* quidem ex parte subiecti: nam peccata spiritualia pertinent ad spiritum, cuius est conuerti ad Deum, & ab eo auerti: peccata verò carnalia consummantur in delectatione carnalis appetitus, ad quem principaliter pertinet, ad bonum corporale conuerti: & ideò pecca-

2. Ex persona peccantis.

F 1. 2. 73. 10. c. & 89. a 3. & 5. c. & 102. 3. ad 11. & 2. 2. 100. 1. ad 7. Io. 18. l. 6. lit. c.

G Ps. 12. lit. a. ibi, auertis.

H Ps. 24. lit. f. ibi.

Peccata in iuuentute minùs imputantur.

Spiritualia grauiora carnalibus, hæc tamen turpiora.

I 1. 2. 73. 5. c. & 2. 2. 116. 2. ad 2. & 162. 6. ad 3. In 4. d. 9. 1. 3. 4. 5. c. & ad 2. Ver. 25. 6. ad 2.

tum carnale, in quantùm huiusmodi, plus habet de conuersione, propter quod etiam est maioris adhæsionis: sed peccatum spirituale plus habet de auersione, ex qua procedit ratio culpæ. Et ideò peccatum spirituale, in quantùm huiusmodi, est maioris culpæ. *Secunda ratio* potest sumi ex parte eius, in quem peccatur. Nam peccatum carnale, in quantùm huiusmodi, est in corpus proprium, quod est minùs diligendum secundùm ordinem charitatis, quàm Deus & proximus, in quos peccatur per peccata spiritualia. Et ideò peccata spiritualia, in quantùm huiusmodi, sunt grauioris culpæ. *Tertia ratio* potest sumi ex parte motiui: quia quantò est grauius impulsiuum ad peccandum, tantò homo minùs peccat. Peccata autem carnalia habent vehementius impulsiuum, idest ipsam concupiscentiam carnis nobis innatam: & ideò peccata spiritualia, in quantùm huiusmodi, sunt maioris culpæ. *Aggrauat ulteriùs peccatum publicitas culpa, qua ipsi Deo redditur veluti intoleranda. Hinc illud Apostoli 2. Thess.* 2. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat; *exponitur*: idest L vt mysterium iniquitatis, idest iniquitas mystica; quæ detinet, detineat *donec fiat de medio*; idest donec iniquitas reducatur in publicum, & *fiat* quasi aliquid existens in publico *de medio*. Multi enim modò occultè peccant: sed tamen quandoque fiet in aperto. Quia Deus sustinet peccatores quandiù sunt occulti, donec publicè peccent; & tunc non sustinebit, vt patet de Sodomitis *Gen.* 19. *Sanè* peius est M peccare publicè, quàm occultè, tum quia peccator publicus videtur ex maiori contemptu peccare, tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. *Adhæc*: Grauiora N sunt peccata, quæ consistunt in transgressione, quàm quæ in omissione: quia illa opponuntur (*vt vidimus*) præceptis negatiuis, quæ obligant semper, & ad semper: hæc verò opponuntur præceptis affirmatiuis, quæ cùm non obligent ad semper, non potest sciri determinatè, quando obligant. Vnde dicitur Ps. 18, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine*. Et ideò Apostolus *ad Gal.* 6. Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto &c. (*quod pertinet ad omissionem.*) *Hinc & Dauid Ps.* 24. *dicebat*; Delicta iuuentutis meæ &c. ne memineris Domine. *Vbi* peccata O omissionis vocantur delicta, quasi leuiora, & aliquo modo magis veniâ digna, quia difficile est, quòd homo à delicto se totaliter custodiat. *Igitur* dupliciter P aliquod peccatum potest dici grauius alio. Vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem, secundùm rationem suæ speciei, quæ attenditur ex parte obiecti. Et secundùm hoc, quantò id, contra quod peccatur, est maius, tantò peccatum est grauius. Et inde est, quòd grauissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam diuinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blasphemiæ. Secundariò autem sunt grauia peccata, quæ committuntur in humanitatem Christi. Tertiò autē loco sunt peccata, quæ committuntur contra Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi. Et post hæc, sunt alia peccata contra puras creaturas. Inter Q cætera verò peccata, quæ committuntur in proximum (quæ per se pensanda sunt secundùm nocumenta, quæ proximo inferuntur) homicidium grauius est, per quod tollitur vita proximi iam actu existens: consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam: consequenter autem sunt exteriora bona; inter quæ fama præeminet diuitijs, eo quòd propinquior est spiritualibus bonis. *At verò per accidens* R vnum peccatum est grauius alio ex parte peccantis: putà peccatū, quod est ex ignorantia, vel infirmitate, est leuius peccato, quod est ex contemptu, vel ex certa scientia; & eadem ratio est de alijs circumstantijs.

Quocirca sciendum, quòd sicut pro eodem sumuntur ex fragilitate, ex passione, & ex infirmitate peccare: ita idem prorsus sunt peccare ex electione, ex malitia, ex industria, & ex certa scientia. Quòd autem ex ignorantia, vel ex infirmitate peccatur, ex eo est, quòd voluntas S semper tendit ad aliquid sub ratione boni: sed quòd aliquid appareat bonum quod non est bonum, quandoque quidem contingit ex hoc, quòd rationis iudicium est peruersum, etiam in vniuersali; & tunc est peccatum ex ignorantia: quandoque verò ex hoc quòd impeditur in particulari propter passionem; & tunc est peccatum ex infirmitate. *Ex electione autem, siue ex malitia peccatur: quia* peccatum T in humanis actibus contingit quandoque sicut ex defectu intellectus, putà cum aliquis per ignorantiam peccat; & ex defectu appetitus sensitiui, sicut cum aliquis ex passione peccat: Ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius. Est autem voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat. Consequens autem est, vt aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato ad hoc, quòd potiatur bono magis amato: sicut cùm homo vult pati abscissionem membri, etiam scienter, vt conseruet vitam, quam magis amat. Ita per hunc modum, quando aliqua inordinata voluntas aliquod bonum temporale plus amat, putà diuitias, vel voluptatem, quàm ordinem rationis, vel legis diuinæ, vel charitatem Dei, vel aliquid huiusmodi: sequitur, quòd velit dispendium pati in aliquo spiritualium bonorum, vt potiatur aliquo temporali bono. Nihil autem aliud est malum, quàm priuatio alicuius boni: & secundùm hoc aliquis scienter vult aliquod malum spirituale, quod est malum simpliciter, per quod bonum spirituale priuatur, vt bono temporali potiatur. Vnde dicitur ex certa malitia, vel industria peccare (*quod est ex electione*) quasi scienter malum eligens. *Et hinc sequitur, quòd* peccatum V quod est ex certa malitia, est grauius peccato, quod est ex passione, triplici ratione. *Primò* quidem, quia cum peccatum principaliter in voluntate consistat, quantò motus peccati est magis proprius voluntati, tantò peccatum est grauius, cæteris paribus. Cum autem ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius voluntati, quæ ex se ipsa in malum mouetur, quàm quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsu ad peccandum: vnde peccatum, ex hoc ipso, quòd est ex malitia, aggrauatur; & tantò magis, quantò fuerit vehementior malitia. Ex eo verò, quòd est ex passione, diminuitur tantò magis, quantò passio fuerit magis vehemens. *Secundò*, quia passio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, citò transit: & sic homo citò redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato. Sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens: & ideò qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. Vnde Philosophus *in* 7. *Ethic.* comparat intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo, qui continuè laborat: incontinentem autem, qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolatè. *Tertiò*,

Quantò grauiùs impulsiuum ad peccandum, tantò peccatum minus.

Aggrauat peccatum & publicitas culpæ.

L 2. Thess. 2. l. 2. ibi.

Occultos peccatores sustinet Deus: publicos non ita, sed apertè punit.

M 3. p. 84. 6. ad 1.

N Gal. 6. l. 1. ibi.

Peccata transgressionis grauiora peccatis omissionis.

O Ps. 24. lit. f. ibi.

P 3. p. 80. 5. c. & 2. 2. 21. 1. ad 1. & 39. 2. c. & 110. 2. c. & 148. 3. c. & 150. 3. c. In 4. d. 9. 1. 3. q. 3. c. & 1. Cor. 11. l. 7.

Peccatum dupliciter dicitur alio grauius.

Ordo peccatorum in grauitate.

Q 2. 2. 73. 3. c. & 74. 2. c. & 154. 3. c. & ad 3. Ma. 2. 10. c.

R 3. p. 80. 5. c. & 1. 2. 78. 1. c. & 2. 2. 73. c. & 162. 2. c. & ad 1. & 186. 9. ad 3. In 4. d. 19. 2. 3. 1. ad 2.

S Ma. 3. 9. ad 4. & in corp. & a. 10. c. In 2. d. 43. 1. 1. c.

Quid peccatum ex ignorantia.

Ex infirmitate.

T 1. 2. 78. 1. c. & 2. 2. 14. c. Ma. 3. 12. c. In 2. d. 43. 1. 2. c. Quol. 2. 15. & 1. Cor. 13. l. 2. ibi, non gaudet.

Ex electione, siuè ex malitia.

V 1. 2. 78. 4. c. Ma. 3. 13. c. & q. 13. 2. ad 8.

Peccatum ex malitia grauius peccato ex passione, triplici ex capite.

Intemperatus ex malitia, incontinens ex passione peccat.

tiò; quià ille, qui peccat ex certa malitia, est malè dispositus quantùm ad ipsum finem, qui est principium in operabilibus: & sic eius defectus est periculosior, quàm eius, qui ex passione peccat, cuius propositum tendit in bonum finem, licèt hoc propositum interrumpatur ad horam per passionem. Semper autem defectus principij est pessimus: vnde manifestum est, quòd grauius est peccatum, quod est ex malitia, quàm quod est ex passione. *Illud verò notandum, quòd sicut* non X est idem, peccare habentem habitum, & peccare ex habitu; vti enim habitu non est necessarium, sed subiacet voluntati habentis: *Ita* aliud est Y peccare eligentem, & aliud peccare ex electione. Ille enim, qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione: quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione (*nota*) ad eligendum id, quod extra passionem existens non eligeret. Sed ille, qui peccat ex certa malitia, secundùm se eligit malum: & ideò electio, quæ est in ipso, est principium peccati; & propter hoc dicitur ex electione peccare. *Vnde & quidam peccatum ex electione, siuè ex certa malitia, dixerunt peccatum esse in Spiritum Sanctum, de quo dicitur Mat. 12.* Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. *Nimirùm* quia Patri Z attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas: peccatum ex infirmitate est peccatum in Patrem; peccatum ex ignorantia est peccatum in Filium, peccatum ex certa malitia est peccatum in Spiritum Sanctum. Quia ergo ignorantia, vel infirmitas excusat peccatum, vel in toto, vel in parte, dicunt, quòd peccatum in Patrem, vel in Filium, remittitur, quia vel totaliter culpa caret, vel culpa diminuitur: malitia verò non excusat peccatum, sed aggrauat; & ideò peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur neque in toto, neque in parte, quia non habet in se aliquam rationem veniæ, per quam diminuatur culpa: & si aliquando remittatur, hoc magis est ex misericordia Dei remittentis, qui etiam morbos incurabiles curat, quàm ex remissibilitate peccati. (*Vide fusiùs Tomo* 1. *V.* Blasphemia) *Peccatorum idcircò ex ignorantia (quæ, si non à toto, saltem à tanto, sicut & passio, excusat) commissorum, petebat Dauid à Domino* Ps. 24. *vt potè minoris grauitatis, ne meminisset*: Ignorantias meas ne memineris, Domine: *videlicet* quia A peccata, quæ per ignorantiam committuntur, sunt minora. *Eo nimirùm modo, quo & homines huiusmodi peccata faciliùs remittere consueuerunt: quemadmodum Iudæis remisisse legitur Demetrius* 1. *Mach.* 13. Remittimus quoque vobis ignorantias; *idest* peccata B quæ ex ignorantia fecistis in nos, vt patet *cap.* 11. *Exclude tamen ignorantiam affectatam, quæ coincidit cum malitia, vt V.* Ignorantia *Tomo* 2. *visum est. Quoniam verò secundùm Philosophum in* 3. *Ethic.* Omnis malus est ignorans; *& Prou.* 14. *dicitur*: Errant qui operantur malum: *sciendum, quòd* ignorantia C quandoque quidem excludit scientiam, qua aliquis simpliciter scit, hoc esse malum, quod agitur: & tunc dicitur ex ignorantia peccare. *Quandoque* autem excludit scientiam, qua homo scit, hoc nunc esse malum: sicut cum ex passione peccatur. *Quandoque* autem excludit scientiam, qua aliquis scit, hoc malum non sustinendum esse propter consecutionem illius boni; scit tamen simpliciter, hoc esse malum: & sic dicitur ignorare qui ex certa malitia peccat.

X 1. 2. *l. c. a.* 2. *initio c.*

Y 1. 2. 78. 4. *ad* 3. *Ma.* 3. 12. *ad* 11. *& fi. art.*

Qui peccat ex malitia quo sensu dicatur peccare in Spiritum Sanctum.

Z *Quol.* 2. *a.* 15. *fi. c.* 2. 2. 14. 1. *c. in* 2. *d.* 43. *q.* 1. *Ma.* 3. 14. *& alibi.*

Ex infirmitate peccare dicimur in Patrem, ex ignorantia in Filium, ex malitia in Spiritū Sanctū: quia Patri potentia, Filio Sapientia, Spiritui Sancto bonitas attribuitur.

A *Ps.* 24. *lit. f. ibi.*

B 1. *Mac.* 13. *ibi.*

C 1. 2. 78. 1. *ad* 1.

2 *Porrò ex grauitate pœnarum non semper maior deducenda est grauitas peccatorum.* Non D solùm *enim* propter grauitatem culpæ, sed etiam propter alias causas grauis pœna infligitur. *Primò* quidem propter quantitatem peccati, quia maiori peccato, cæteris paribus, pœna grauior debetur. *Secundò* propter peccati consuetudinem: quia à peccatis consuetis non faciliter homines abstrahuntur, nisi per graues pœnas. *Tertiò* propter multam concupiscentiam, vel delectationem in peccato: ab his enim non de facili homines abstrahuntur, nisi propter graues pœnas. *Quartò* propter facilitatem committendi peccatum, & latendi in ipso: huiusmodi enim peccata, quando manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem. Circa ipsam etiam quantitatem peccati quadruplex gradus est attendendus etiam circa vnum, & idem factum. Quorum *primus est*, quando inuoluntarius quis peccatum committit: tunc enim, si omninò est inuoluntarius, totaliter excusatur à pœna. Dicitur enim *Deut.* 22. quòd puella, quæ opprimitur in agro, non est rea mortis, quia *clamauit, & nullus adfuit, qui liberaret eam.* Si verò aliquo modo fuerit voluntarius, sed tamen ex infirmitate peccat, putà cum quis peccat ex passione, minuitur peccatum; & pœna secundùm veritatem iudicij diminui debet: nisi fortè propter communem vtilitatem pœna aggrauetur ad abstrahendum homines ab huiusmodi peccatis. *Secundus* gradus est, quando quis per ignorantiam peccauit: & tunc aliquo modo reus reputabatur propter negligentiam addiscendi: sed tamen non puniebatur per iudices, sed expiabat peccatum suum per sacrificia. Vnde dicitur Leu. 4. *Anima, quæ peccauerit per ignorantiam &c.* Sed hoc intelligendum est de ignorantia facti, non autem de ignorantia præcepti diuini, quod omnes scire tenebantur. *Tertius* gradus est, quando aliquis ex superbia peccabat, idest ex certa electione, vel ex certa malitia: & tunc puniebatur secundùm quantitatem delicti. *Quartus* gradus est, quando peccabat per proteruiam, & pertinaciam: & tunc quasi rebellis, & destructor ordinationis legis, omninò occidendus erat. *Profectò* agere E aliquid ex ignorantia, vel ex passione, diminuit rationem iniuriæ, & est quodammodo prouocatiuum misericordiæ, & veniæ: illi autem, qui ex industria, ex contemptu peccare videntur. *Quocirca sciendum, quòd propriè loquendo* tunc F committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel Regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam. Quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, putà propter concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili, peccatum iteret. Frequentia tamen peccati (*notent Cœnobitæ*) dispositiuè inducit ad contemptum, *secundùm illud Prou.* 18. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. *Cæterùm*, sicut meritum G præcipuè consistit penes charitatem; ita demeritum præcipuè consistit penes contemptum Dei. Vnde secundùm quod aliquis Deum per actum peccati magis contemnit, secundùm hoc maiorem reatum incurrit. Et

D 1. 2. 105. 2. *ad* 9.

Ex grauitate pœnarū non semper maior deducitur grauitas peccatorum.

In quantitate peccati quadruplex gradus attendendus.

E 1. 2. 47. 2. *c.*

Peccare ex ignorantia vel passione, minuit iniuriam, & prouocat ad veniam.

Non ita ex industria, quæ contemptum indicat.

F 2. 2. 186. 9. *ad* 3.

Quandonam dicatur quis propriè ex contemptu peccare.

G 4. *d.* 9. 1. 3. *q.* 3. *initio c.* *Hebr.* 10. *l.* 3. *ibi*, deteriora.

Quò magis Deus in peccato contemnitur, magis peccatur.

Contemptus duplex, formalis & interpretatus.

Et ideò illa peccata, quæ in actuali contemptu consistunt (sicut peccatum blasphemiæ, quod in contemptu principaliter consistit, & huiusmodi) sunt grauiora illis, in quibus non est contemptus, nisi ex consequenti, & quasi interpretatus: sicut accidit in fruitione creaturæ, per quam aliquis delectationi intendit, ex cuius intentione à præceptis Dei discedit; & sic per consequens præcipientem contemnit. *Et hoc est, quod asseruit initio Author*: Quamuis H omnia præcepta legis possit quis transgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad superbiam: non tamen semper ex contemptu aliquis præcepta diuina transgreditur, sed quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate. *De præfatis Vide fusiùs* I.

H 2.2.162.2. ſt. 6.

I 1.2.q.76.77.78. In 2.d.22.q.2. In 4.d.9.1.3.q.2. Ma.q.3. Ver.26.7.

a Denique peccata quædam, Capitalia dicuntur, Capitale *autem* dicitur L à *capite*. Caput verò propriè quidem est quoddam membrum animalis, quod est principium, & directiuum totius animalis. Vnde metaphoricè omne principium directiuum, *Caput* vocatur: & etiam homines, qui alios dirigunt, & gubernant, *Capita* aliorum esse dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale vno modo à capite propriè dicto: & secundùm hoc, peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pœnâ punitur. Sed sic nunc non intendimus de capitalibus peccatis, sed secundùm quod alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphoricè significat principium, vel directiuum aliorum. Et sic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur, & præcipuè secundùm originem causæ finalis, quæ est formalis origo. Et ideò vitium capitale non solùm est principium aliorum, sed etiam est directiuum, & quodammodo ductiuum aliorum. Semper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principatur & imperat circa ea, quæ sunt ad finem. Vnde *Gregorius 31. Moral.* huiusmodi vitia capitalia Ducibus exercituum comparat. *Hæc autem, septem enumerantur, non secus, ac septem capita Hydræ Lernaæ, quæ immane peccati monstrum apprimè refert; videlicet superbia, auaritia, luxuria, ira, gula, inuidia, & accedia: de quibus suo loco singillatim. Quod verò hæc sufficienter eo comprehendantur numero, & distinguantur*: Vide luculenter M. *Contra quæ mysticè dictum est septem Angelis Apoc. 16.* Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram &c. *Vbi Author*: Per septem N phialas intelliguntur vniuersæ comminationes pœnarum, & per septem loca vniuersitas reproborum accipitur; & hoc secundùm distinctionem septem capitalium vitiorum: & per septem effusiones designantur damnationes reproborum. In prima effusione primæ phialæ *in terram* demonstratur damnatio gulosorum: in secunda *in mare* damnatio luxuriosorum: in tertia *in fontes* damnatio iracundorum: in quarta *in solem* damnatio superborum, siuè vanè gloriantium: in quinta *super sedem bestiæ* damnatio inuidorum (*Inuidia diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*, Sap. 2.) in sexta *in flumen magnum Ephraten* damnatio cupidorum, & auarorum: in septima *in aerem* damnatio accediosorum: (*quorum susam expositionem Vidi ibi*.) Et satis est conueniens hæc distinctio, quæ resoluit septem capitalia peccata ad tres primas concupiscentias, quæ sunt *concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum*, *& superbia vitæ*, 1. Io. 2. Nam ex concupiscentia carnis fluunt gula & luxuria: gula secundùm inordinationem nutritiuæ; luxuria secundùm inordinationem generatiuæ. Ira verò & inuidia, & vanagloria fluunt ex superbia vitæ. Ex concupiscentia oculorum fluunt auaritia, & acedia. *Per septem pariter simulacra, septem isthæc vitia exprimuntur. Quò facit illud 1. Cor. 12.* Cum gentes essetis, *ad simulacra* muta, prout ducebamini, euntes. *Quandoquidem* septem O simulacra adorabant Gentiles ad honorem septem planetarum: quæ significant septem vitia, quæ adorant in Mundo falsi Christiani. Primum erat simulacrum *Saturni*: & significat inuidiam propter tria. Primò quia dicitur esse maleuolus: sic inuidus, quia malum proximi desiderat, & in eo lætatur. Secundò, quia frigidus: sic inuidus per carentiam caloris charitatis. Tertiò, quia siccus: sic inuidus est siccus ab omni humore gratiæ; nihil enim plus euacuat hominem gratiâ, quàm inuidia. Secundum simulacrum erat *Iouis*: qui significat gulam propter tria. Primò quia (*vt dicebant*) patrem de regno expulit: sic gula primum Patrem humani generis expulit de regno, idest de Paradiso. Secundò, quia adulteria multa commisit: sic gula, causa est multorum adulteriorum, Iet. 5. *Saturaui eos, & mœchati sunt &c.* Tertiò, quia est planeta humidus: & gula generat & multiplicat humores, qui sunt causa putrefactionis, Ioel. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo*. Tertium est simulacrum *Martis*: quod significat iram propter tria. Primò, quia dicitur dominari in prælijs, & ita discordiam & bella concitat, Prou. 15. *Vir iracundus concitat rixas*. Secundò, quia est planeta igneus propter nimium calorem: & ira procedit ex inflammatione choleræ circa cor. Tertiò, quia exsiccando, & calefaciendo efficit hominem impetuosum, Prou. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* Quartum erat simulacrum *Solis*: quod significat superbiam propter tria. Primò, quia sol lucet: & superbus se lucere existimat, & appetit. Secundò propter ardorem ambitionis. Tertiò, quia sicut sol obscurat alia lumina, sic superbus vult omnes alios offuscare, vt solus (*quemadmodum Sol*) appareat, sicut patet de Pharisæo superbo Luc. 18. *Non sum, sicut cæteri hominum &c.* Quintum erat simulacrum *Veneris*: Venus autem significat luxuriam propter tria. Primò, quia est planeta calidus. Secundò, quia humidus. Et hæc duo maximè sunt causa luxuriæ. De Primo Osee 7. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente*. De Secundo Hieronymus: *Venter mero æstuans, citò spumat in libidinem*. Tertiò, quia est pulcherrimus planetarum: & pulcritudo est causa luxuriæ, Ezech. 16. *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Sextum erat simulacrum *Mercurii*: quòd significat auaritiam propter tria. Primò, quia erat Deus mercatorum: & auaritia maximè in mercatoribus exercetur, Prou. 26. *Qui mittit lapidem in aceruum Mercurii*. Secundò, quia est planeta frigidus: & auarus est frigidus propter carentiam fraternæ dilectionis. Tertiò, quia est maleuolus: & auaro quid nequius? Eccli. 10.

L 1.2.84.3. & 4.c. & 2.2.34.5. & q.35.4. In 2.d.42.2.3. Ma.8.1.

Vitium capitale, quid, & vnde dicatur.

Peccata capitalia quot & quænam sint.

Mysticè describuntur *Apoc. 16.*

M 1.2.84.4. c. & locis cit.

N Apoc. 16. com. 2. initio.

Per septem simulacra iisdem exprimuntur.

O Serm. 2. Ex Ep. Dom. 10. post Pent.

Simulacrum Saturni, inuidia.

Simulacrum Iouis, gula.

Simulacrum Martis, ira.

Simulacrum Solis, superbia.

Simulacrum Veneris, luxuria.

Simulacrum Mercurii, auaritia.

Nihil

Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.

ıulacrum
næ, acedia

Septimum erat simulacrum *Lunæ*; & significat acediam propter tria. Primò propter mutabilitatem, Eccli. 27. *Stultus, sicut Luna mutatur.* Secundò propter pigritiæ frigiditatem, *Prou.* 20. Propter frigus piger arare noluit. *Tertium deest, negligentia fortasse typographi. Dici tamen posset: Tertiò, quia Luna præsidet nocti, quo tempore homo non operatur: & ita acediosum signat, qui renuit operari bona, Io. 9.* Venit nox, quando nemo potest operari. *Sed & hæc eadem septem vitia per totidem febres significantur.* *Siquidem* peccatores P laborant septem febribus. Prima est *continua*, quæ est luxuria, Ose. 4. *Fornicati sunt, & non cessauerunt.* Secunda est *quotidiana*, quæ est gula, in qua quotidie peccatur, Is. 56. *Sumamus vinum, & impleamur ebrietate; & erit sicut hodie, sic & cras, & multò ampliùs.* Tertia est *Tertiana*, quæ significat iracundiam ex accensione caloris, Eccli. 28. *Secundùm ligna syluæ, sic ignis exardescit; & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit.* Quarta est febris *quartana*; & significat acediam, quæ prouenit ex melancholia, Prou. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.* Quinta *Ethica*, quæ est auaritia, quæ difficilè, vel nunquàm curatur. *Hieronymus.* Cum cætera vitia senescant in homine, sola auaritia iuuenescit. Sexta *Ephimera*, quæ est superbia, quia citò deficit, Ps. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Septima *putrida*, quæ est inuidia, *Prou.* 14. Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. *Vlteriùs, quia per peccatum, mentis cæcitatem incurrimus*: per septem Q quæ visum corporalem impediunt, significantur septem mortalia vitia, quæ spiritualiter excæcant. Primum est faciei inflatio, & hæc est superbia. Augustinus. *Nimis inflata facies mea me videre non sinit.* Secundum est aeris obtenebratio: hæc est inuidia; vnde inuidus dicitur quasi non videns, Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum*; & 1. Reg. 18. *Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid.* Tertium est oculorum conturbatio: hæc est ira, Ps. 30. *Conturbatus est in ira oculus meus &c.* Quartum est pulueris, vel alicuius grossi superiectio: hæc est auaritia. Puluis enim temporalia sunt, quæ excæcant. Augustinus: *Defluxi ad temporalia, & obscuratus sum.* Quintum est oculorum clausio; cum enim quis claudit oculos, aut non vult aperire, non videt: hæc est acedia, Acediosus enim ex sola pigritia aperiendi oculos intellectuales non potest videre spiritualia: Boetius. *Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem veritatis attollere: similesque sunt auibus, quarum nox intuitum illuminat, excæcat dies.* Sextum est, sanguinis, & humorum circa oculos multiplicatio: hæc est gula, Prou. 23. *Cui væ? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Ad literam, oculos etiam spirituales, & corporales, nimia vini potatio excæcat. Septimum est panniculi obumbratio. Nascitur enim aliquando quidam panniculus in oculo, siuè nubecula, qua excæcatur homo: & hoc fit per luxuriam. *Augustinus*: Ascendebant nubeculæ de limosa concupiscentia carnis; & obnubilabant, & offuscabant cor meum, vt non discerneretur sinceritas dilectionis à caligine libidinis. DISCE *à Deo nunquam auerti, ne semper auersatur à te. Vide* Actus *Tomo* 1. Ignorantia *Tomo* 2. Mors, Peccator Voluntas.

em septem
c vitia per
tem febres
ıificantur.
Serm. ex Dom. 21. Pent.
ris conti-
, luxuria.
otidiana,
a.
rtiana, ira.
uartana,
dia.
ica, aua-
ı.
ımera;
erbia.
rida, in-
ıa.

:r septem
ım, quæ
ım corpo-
m impe-
nt, expri-
ntur.
Serm. ex Dom. inq.

VIII. Per peccatum & ratiò hebetatur, præcipuè in agendis: & voluntas induratur ad bonum: & maior difficultas benè agendi accrescit: & concupiscentia magis exardescit 1. 2. 85. 3. *fi. corp.*

b HActenus de natura, quantitate, & qualitate mortalis culpæ: de illius impræsentiarum effectibus agendum est, Diximus autem, triplex peccando insurrere hominem detrimentum, scilicet* maculam R corruptionem naturalis boni, & reatum pœnæ. *Et quoad primum, certum est, detrimentum præcipuum ex peccato, respectu animæ, priuationem esse gratiæ, consequenter & charitatis*, sine qua nihil sum, *dicebat Apostolus* 1. ad Cor. 13. *Ex quo peccatum frigoris nomine exprimitur.* Deus *enim* ab Austro veniet, Habac. 3. Ab aquilone *autem* pandetur malum, *Ier.* 1. *Ex triplici verò capite* peccatum S dicitur frigus; quia scilicet extinguit calorem dilectionis, Mat. 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum*: quia congelat humorem deuotionis, Eccli. 43. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua*: quia retardat motum bonæ operationis, *Propter frigus piger arare noluit*, Prou. 20. *Huc facit quod de Petro post primam eius negationem, immediatè subiicit Euangelista Io.* 18. Dicit ille: *Non sum.* Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. *Vbi Author, culpam negationis Petri perpendens, inquit*: Ipsum etiam T tempus (*quia frigus erat*) congruit conditioni mentis eius, in qua refriguerat charitas. *Gratia porrò illa, quæ peccatum priuat, gratia ea adoptionis est, qua nos in Dei filios regenerat: per peccatum autem, à Dei filiatione excussi, in filios immò diaboli degeneramus, Io. 8.* Vos ex patre diabolo estis. *Quasi diceret*: Vos V facitis opera diaboli, ergo *ex Patre diabolo estis*; non natura, sed imitatione. *Nos semper quidem, eo instigante, sed & sola praua voluntate*, si qua X peccata absque instinctu diaboli perpetrantur: per ea tamen fiunt homines filii diaboli, in quantùm ipsum primò peccantem imitantur. *Nedum quinimmò filium diaboli per imitationem peccatum facit, sed & seruum, præsertim cum ab eo tentante superamur: nam, vt dicitur 2. Pet. 2.* A quo quis superatus est, huius & seruus est; *id est* ei Y subiectus. Et loquitur ad similitudinem seruitutis acquisitiuè, qua olim capti ab hostibus, eorum serui efficiebantur: similiter capti à diabolo, & à peccato, serui sunt & diaboli, & peccati, *Io.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. *Vbi docemur, quòd* vnumquodque Z est illud, quod conuenit ei secundùm naturam suam. Quando ergo mouetur ab aliquo extraneo, non operatur secundùm se, sed ab impressione alterius: quod est seruile. Homo autem secundùm suam naturam est rationalis. Quando ergo mouetur secundùm rationem, proprio motu mouetur, & secundùm se operatur: quod est libertatis. Quando verò peccat, operatur præter rationem; & tunc mouetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: quod est seruitutis. Et ideò *qui facit peccatum, seruus est peccati. Vndè Apostolus,*

tan-

R 1. 2. 109. 7. & 4. con. G. c. 72.

Præcipuum ex peccato animæ detrimentum, priuatio gratiæ, & charitatis.

S *Ier.* 6. *fi.*

Peccatum frigus.

T *Io.* 18. *l.* 3. *lit. h.*

Filium facit hominem diaboli.

V *Io.* 8. *l.* 6. *lit. d.*

X 1. *p.* 114. 3. *ad* 2.

Et seruum, nedum illius, sed & peccati.

Y 2. *Pet.* 2. §. 5 & 3 *p.* 48. 4 *c.* & *ad* 2. & *q.* 49. 2. *c.*

Z *Io.* 8. *l.* 4. *lit. c. Et Op.* 4. *de* 1. *Præc.* §. 2.

tanquam unus ex Ada posteris, Rom. 7. *dicebat*; Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, *scilicet* vel A primi parentis vel proprio. Et dicit, *venundatus*: quia peccator se ipsum vendit in seruum peccati, pretio propriæ voluntatis implendæ, Is. 50. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis. *Et de Esau, peccatoris typo, dicitur Hebr.* 12. *quòd* propter vnam escam vendidit primitiua sua. *In hoc primum parentem imitatur, qui propter vnius escam pomi vendidit primitiua originalis Iustitiæ.*

A Rom. 7. l. 3. ibi.

Peccatum laqueus & rete.

C *Ex quo verò peccatum, seruum & captiuum hominem facit, consequenter laqueus dicitur, & rete, funis, vinculum, & compes*, Eccli. 33. Seruo maleuolo tortura, & compedes. *Et Iob* 18. Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo &c. *Quod exponens Author*: Sicut *inquit* ille B qui sponte ponit pedem in rete, se præparat captioni: ita ille, qui se spontè ingerit ad peccandum, adhoc se disponit, vt processus eius impediatur, secundùm illud Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Et sicut in rete sunt diuersæ maculæ: ita etiam in peccato sunt multæ diuersitates, quibus homines diuersimode illaqueantur. Et ideò dicit: *& in maculis eius ambulat*; dum scilicet procedit de vno genere peccati in aliud, vel de vno modo peccandi in alium: quia ipse sponte ingerit se periculis; & non desistit, sed semper procedit vlteriùs. Ideò quandoque impedimentum sentiet; *vnde subditur*: Tenebitur planta illius laqueo. *Hinc Is.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. *Vbi notandum, quòd* peccatum C dicitur *funiculus*, quia trahit. Primò ad peccati exemplum, Prou. 7. *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur*. Secundò ad peccandi vsum, Ier. 2. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui*. Tertiò ad æternæ mortis interitum, Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*. Peccatum *etiam* dicitur D vinculum; & hoc quia nectit. Primò intellectum, ne videat, Sap. 17. *Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi Sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti &c.* Secundò manus, ne bona faciant: Tertiò pedes, ne proficiant. De his duobus *Mat.* 22. Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. *Idcircò dicitur Ps.* 19. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, *& Is.* 8. Cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. *Ita vinculis peccatorum irretitum, à solo Deo se euellendum, sperabat Dauid Ps.* 24. Quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos: *quia* quando E homo cadit in peccatum, tunc igatur laqueo affectus eius: & hunc laqueum soluit solus Deus, Ps. 123. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. *Vnde & Ps.* 56. *dicitur*: Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam. Incuruauerunt, *inquit, vt & graue innuat peccati onus, quod indeficienter peccatorem fatigat, vti de Sisypho ad perpetuam ingentis saxi baiulationem apud inferos damnato moraliter fabulantur*. Hinc Psaltes, postquam expresserat Ps. 37. Quoniam iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me, *subiecit*: Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. *Et ad illud Apostoli* 2. *Tim.* 3. Mulierculas oneratas peccatis, *docemur, quòd* peccatum F est onus, quia non permittit liberè incedere, nec erectum esse, & stare (1. Cor. 10. Qui se existimat stare, videat ne cadat:) sed incuruat. *Quòd si peccator incedit, nonnisi magna cum fatigatione ad malum progreditur*: vnde & equo & mulo comparatur Ps. 31. Nolite fieri sicut equus & mulus &c. *Siquidem* equus G portat sessorem indifferenter, & mulus onus quodcumque. Peccatori autem duo imponuntur: sessor, scilicet diabolus (Apoc. 6. Et ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi *Mors*, idest H diabolus, qui fuit primus Author mortis:) & onus, scilicet peccatum. *Et ad illud pariter Hebr.* 12. Deponentes omne pondus, *instruimur, quòd* per pondus I potest intelligi peccatum perpetratum: quod dicitur *pondus*, quia animam deprimit ad infima, & inclinat ad aliud. *Dicitur autem* onus *tripliciter*. Peccatum *enim*, quemadmodum L onus fatigat. Primo propter solicitudinem in excogitando, Prou. 4. *Non enim dormiunt, nisi malefecerint*. Secundò propter laborem in exequendo, Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis*. Tertiò propter confusionem in recogitando, Rom. 5. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quartò propter frustrationem in expectando, *Prou.* 11. Expectatio solicitorum peribit. *Quoniam verò ad terram deprimit, & incuruat, iugi pariter nomenclaturam sortitur*, 2. *Cor.* 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. *Vbi docemur, quòd* iugum M dicitur omne illud, quod ligat plures ad aliquid faciendum. Vnde quia aliqui aliquando conueniunt adfaciendum aliquid boni, quod est ex Deo; & aliqui ad faciendum aliquid mali, quod est ex diabolo: ideò dicitur iugum Dei, & iugum diaboli. Iugum quidem Dei est ipsa charitas, quæ ligat hominem ad seruiendum Deo, Mat. 11. *Tollite iugum meum super vos &c.* (*& hoc*, iugum suaue est, & onus leue.) Iugum verò diaboli est ipsa iniquitas, quæ ligat ad malum, & ad male faciendum (*quod grauissimum est*) *Is.* 9. Iugum oneris eius. *Adeò autem deorsum premit peccatum & grauat, vt iacere, præ impotentia sustinendi, peccatores compellat; vnde non sine mysterio, & allusione legitur* Io. 5. *quòd in probatica piscinæ porticibus* iacebat multitudo languentium: *quia nimirùm* iacebant N prostrati, per peccata inhærendo terrenis: qui enim iacet, ex toto inhæret terræ. Iusti autem non iacent, sed recti ad cælestia stant, Ps. 19. *Ipsi*, scilicet peccatores, *obligati sunt, & ceciderunt: nos autem*, scilicet iusti, *surreximus, & erecti sumus*.

B Iob 18. l. 1. ibi.

Funis & vinculum.

C Is. 5. §. 2. circa fin.

D Ibid.

E Ps. 24. lit. l. ibi.

Onus.

F 2. Tim. l. 2. ibi onustas. Iob 7. ibi, grauis 37. lit. b. c.

G Ps. 31. b. ibi.

H Apoc. Com. 2. §. ibi, & com. ibid.

Peccator equus, cuius sessor diabolus.

I Hebr. n. 12. 1. ibi.

L Is. 46. in ea fin.

Peccatum onus quod quadrupliciter fatigat.

Iugum.

M 2 Cor. 3. ibi, & Mat. 11. lit. c. in iugum.

Iugum duplex, Dei scilicet & diaboli.

N Io. 5. lit. ibi; & Ps. 19. lit. f.

d *Secundum detrimentum est* corruptio naturalis boni. *Pro quo sciendum, quòd* quando O alterum eorum, ad quæ aliquid est in potentia, simpliciter est ei debitum, & alterum indebitum: tunc acquisitio illius, quod est debitum sibi, dicitur perfectio eius: & amissio dicitur corruptio. V. G. potentia animæ est in potentia ad habitum virtutis, & vitij, sed habitus virtutis est debitus sibi, quia per eum ordinatur in finem proprium: habitus autem vitiosus est indebitus sibi, quia per eum discedit à rectitudine finis proprij. Et ideò quando aliquis acquirit virtutem, non dicitur simpliciter esse alteratus, sed magis perfectus, vt dicitur *in* 7. *Physic.* Et è contra, quando habitus vitij in eo acquiritur, dicitur corrumpi, quoniam mutatur ab eo, quod est sibi conueniens secundùm naturam, in id, quod est sibi non conueniens,

O 2. d. 35. 5. c. & d. ad 3. fin. & 2. 9. 1. 6. c. Ie. 24. 10. ad 1.

Homo per peccatum in aliam velut mutatur naturam.

vt

vt quodammodo in aliam naturam transeat, quia in conditionem & proprietatem alterius naturæ mutatur: sicut qui iracundus efficitur, transit in proprietatem canis. Et ideò *Boetius* dicit, quòd homines, dum peccant, naturam hominis quodammodo amittunt, & sic quædam bruta animalia fiunt. Homo enim est illud, quod est, per rationem. Vltima verò perfectio in brutis est secundùm partem sensibilem. Vnde, quando homo ab eo, quod est conueniens secundùm rationem, transit in id, quod parti sensitiuæ conuenit, mutatur à conditione humana in conditionem brutalem. Et per hunc modum peccatum, vel culpa, dicitur corrumpere animam, vel potentias. *Idcircò Ps. 48. benè dicitur:* Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Cum in honore esset*, scilicet P similis ad Deum: nam secundùm naturam rationalem, homo habet similitudinem cum Deo, & Angelis: *non intellexit*, quòd scilicet ad imaginem Dei sit factus, & aptus ad possidenda cælestia: *comparatus est iumentis*: bruta enim animalia operantur ex passione. Et hoc patet: quia canis statim cum irascitur, clamat; & equus, cum concupiscit, hinnit: sed non imputatur eis, quia carent ratione. Si ergo homo statim cum concupiscit, sequitur passionem, & iratus percutit, *comparatus est* in agendo *iumentis insipientibus*, Ps. 31. *Nolite fieri, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Subditur autem: *& similis factus est illis*: nam quando natura brutorum inclinatur ad aliquid, sic vtitur passione, & consuetudo vertitur in naturam. Quando ergo homo assuescit secundùm passionem viuere, iam vertitur in naturam. Et ideò dicit Philosophus, quòd *peior est malus homo, quàm mala bestia*, quia cum malitia habet intellectum, vt diuersa mala adinueniat. *Et hoc est, quod ad iustam pœnam dicitur Rom. 1.* Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. *Nam* sicut homo Q id, quod est Dei, mutauit vique ad bestias: ita Deus id, quod est diuinum in homine secundùm rationem, subdit ei, quod est brutale in ipso, scilicet desiderio sensualitatis. Dicit ergo: *propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, vt eorum ratio subderetur desiderijs cordis, scilicet sensualis affectus, de quibus dicitur Rom. 13. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Quod quidem est contra naturalem hominis ordinem, secundùm quem ratio appetit vi sensibili dominatur, Gen. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius* (Deus *tamen* non dicitur *tradere homines in immunditiam* directè inclinando affectum hominis ad malum: quia Deus omnia ordinat in se ipsum, Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*: peccatum autem est aliquid per auersionem à Deo. Sed indirectè tradit homines in peccatum, in quantùm subtrahit gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent. Sicut si aliquis alicuius sustentaculum tolleret, diceretur facere casum eius.) *Et hoc est, similitudinem Dei in homine deleri. Hinc* Gen. 5. *postquàm dictum est*, *quòd* in die, qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, *de Adam post peccatum progenitore signanter ibidem subiicitur*, *quòd* genuit filium ad imaginem & similitudinem suam. *Quo loci*: non R dicit *ad imaginem Dei*, sed *suam*; nam imago Dei viui erat in homine deturpata: similitudo autem ex toto erat deleta, quia similitudo attenditur quantùm ad gratuita: & posteritas Adæ concipitur in carentia gratiæ & originalis iustitiæ. Et ideò dicitur homo genitus ad imaginem & similitudinem primorum parentum, quia similis in natura ab eis etiam culpabiliter infectus processit. *Quod & in peccato actuali mortali verum habet. Idcircò* potest S à peccatoribus quæri: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* Et possunt respondere: *Cæsaris*, idest diaboli (interpretatur enim *possidens principes*, quia maximè nititur ad dominandum maioribus, & præcipuè eos possidet, *vtique per peccatum*:) *non autem Dei*, *quam peccando deturpant*, *& ferme delent*. *Nec mirùm*, *nam per deordinationem rationis à Deo*, *cessante primi gratuiti luminis irradiatione*, *mens hominis obtenebrata errat*: subducit *enim* se T ab ordinatione diuini intellectus, in quo malum culpæ consistit, secundùm quod ipsa peccata, falsitates, & mendacia dicuntur in Scripturis, secundùm illud Ps. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sicut per oppositum, operatio virtuosa, veritas vitæ nominatur, in quantùm subditur ordini diuini intellectus, sicut dicitur *Io. 3.* Qui facit veritatem, venit ad lucem. *Profectò* pulchritudo V animæ consistit in assimilatione ipsius ad Deum, ad quem formari debet per claritatem gratiæ ab eo susceptam. Sicut autem perceptio claritatis corporalis à sole prohibetur à nobis per aliquod obstaculum interpositum: ita etiam claritas gratiæ prohibetur ab anima per peccatum commissum, quod diuidit inter nos & Deum, vt dicitur Is. 59. *Et hinc peccatum tenebra dicitur. Ea propter infelicem proditoris Iudæ statum describens Euangelista Io.* 13. Cum accepisset *inquit* buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox, *Vbi Author*: Tempus X seu hora determinatur tenebrosa, ad designandam mentis qualitatem: quia mens Iudæ proditoris obscura erat à luce diuina. *Qua de causa nedum peccator brutis efficitur similis, sed & nihil esse dicitur*, *sicut & peccatum* ex Augustino *nihil est*, *Ps.* 72. Ad nihilum redactus sum, & nesciui. *Siquidem* eo Y modo peccatum nihil est, quo nihil fiunt homines, cum peccant: non quidem ita quòd sint ipsum nihil; sed quia, in quantùm peccant, priuantur quodam bono; & ipsa priuatio est non ens in subiecto. *Quo sensu dicitur Ps.* 103. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint, *scilicet in esse gratiæ, qua priuantur. Vnde subiicit Psaltes, postquam ad nihilum se per culpam redactum dixit*: Vt iumentum factus sum apud te.

c *Sed & voluntatis humanæ præfata deordinatio infectiua est. Nam* post peccatum Z remanet quidem & natura animæ, & libertas voluntatis: minuitur tamen habilitas ad bonum. *Quocirca sciendum*, *quòd* bonum A naturæ humanæ, potest tripliciter dici. *Primò* ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ, sicut potentiæ animæ, & alia huiusmodi. *Secundò*, quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem, ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturæ. *Tertio modo* potest dici bonum naturæ donum originalis iustitiæ; quod fuit in primo homine collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ nec tollitur, nec minuitur per peccatum. Terrium verò bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed medium

Marginalia (left): Et fit velut animal brutum. — P Ps. 48. lit. f. ibi. — Q Rom. 1. l. 7. ibi. — Vnde & diuinam amittit similitudinem. — R Gen. 5. ibi.

Marginalia (right): S Apoc. 7. Com. 1. ibi, in frontibus, & c. 13. ibi, imago. Et diabolicam induit. — T 1. p. 17. 1. c. & Ps. 4. lit. b — Peccatum mentis tenebra. V 4. d. 18. 1. 2. q. 1. c. In 2. d. 22 1. 2. ad 1. Op. 7. Pet. 1. — X Io. 13. l. 5. fi. Ex qua nihil dicitur sicut & peccator: & quo sensu. — Y Ma. 2. 1. ad 4. — Voluntatis humanæ per peccatum infectio. Z Ma. 2. 9. ad 17. — A 1. 2. 85. 1. c. In 2. d. 42. 2. 5. ad 5. Ma. 2. 11. c. & 3. con. G. c. 12. Humanæ naturæ bonum tripliciter dicitur.

bonum naturæ, ſcilicet ipſa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad ſimiles actus. Oportet autem, quod ex hoc, quòd aliquid inclinatur ad vnum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Vnde cum peccatum ſit contrarium virtuti, ex hoc ipſo, quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutem. *Conſequenter* peccatum A non ſolùm excludit gratiam, ſed etiam facit animam minùs aptam, vel habilem ad gratiæ ſuſceptionem, cum huiuſmodi habilitas ſit quoddam bonum naturæ. *Verumtamen, cum* natura B rationalis ſit incorruptibilis, & non deſinat eſſe, quantumcumque peccatum multiplicetur, conſequens eſt, quòd habilitas ad bonum gratiæ (*idem dic & ad virtutem*) ſemper quidem diminuatur per appoſitionem peccati: ita tamen, quòd nunquam totaliter tollatur. (*Quomodò autem per peccatorum multiplicationem, eiuſmodi tandem non deſtruatur habilitas: Vide* C.)

Per peccatũ diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutem.

A Ma.2 11. fi. c.

Et habilitas ad gratiæ ſuſceptionem.

B Ma.2. 12. fi. c.

Nunquam tamen hæc multiplicatis etiam culpis totaliter tollitur.

Peccatum exinde proniorem hominem ad iteratò peccandum reddit. Manifeſtum *quippe* eſt D quòd per peccatum præcedens fit quædam inordinatio in affectu humano, vt faciliùs poſtmodùm ad peccatum inclinetur. *Hinc Gregorius 25. moral.* Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. *At verò* non trahit E cogendo voluntatem, ſed inclinando: in quantùm ſcilicet priuat gratiam, per quam homo fortificabatur contra peccatum; & in quantùm ex actu peccati relinquitur diſpoſitio, & habitus in anima, inclinans ad ſequens peccatum. *Idcircò vbi legitur Petrus Chriſtum ſemel negaſſe* Mat. 26. *mox ſubiicitur*: Cœpit deteſtari & iurare &c. *Et ita* defectui F confeſſionis & mendacio addidit periurium & blaſphemiam: quia perſeuerare in peccato *ex gloſſa* dat incrementum ſcelerum. *Ita & Dauid adiecit adulterio homicidium. Hoc autem & ex parte auerſionis contingit, & ex parte conuerſionis. Ex ratione auerſionis quidem*, quia G gratia tollitur, quæ impetum concupiſcentiæ mitigabat: & quia per peccatum actuale pronitas in peccatum augetur: *quæ eſt* diſpoſitio H quædam ad ſimilem actum, quam actus peccati inducit ex ratione conuerſionis. § *Nec mirandum, ſi ex peccato actualiter animam inficiente præfata diſpoſitio cauſetur, cum & poſt illius per pœnitentiam deletionem, adhuc reliquiæ eiuſdem permaneant.* In ſanatione *enim* hoc I videmus accidere, quòd ſanitate reſtituta, adhuc reliquiæ morbi manent ante perfectæ ſanitatis reſtitutionem: ita etiam ante completam pœnitentiam, reliquiæ actualis peccati manent. *Hæ autem ſunt quædam* diſpoſitiones L ex prioribus actibus peccatorum cauſatæ: ex quibus præſtatur difficultas quædam pœnitentiam ad operandum opera virtutum. *Nec niſi ex ſpeciali priuilegio, immediatè per gratiam tolluntur, vti contigit Magdalenæ, ſed ſucceſſiuè.*) *Et ita nouum ipſum peccatum, præcedentis peccati effectus eſt. Adhæc, homini in peccatis perſeueranti mentis obuenit excæcatio, quæ & pœna & peccatum eſt: cui adde aggrauationem aurium, & cordis obdurationem.* Quæ *quidem* diſtinguuntur M ſecundùm effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono ſapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maximè deſeruiunt duo ſenſus, ſcilicet viſus & auditus: quorum vnus deſeruit inuentioni, ſcilicet viſus; alius diſciplinæ, ſcilicet auditus: ideò quantùm ad viſum, ponitur *excæcatio*: quantùm ad auditum, *aurium aggrauatio*: quantùm ad affectum, *obduratio*, *Iſ. 6.* Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. *Et Rom 9.* Cuius vult, miſeretur, & quem vult indurat. *De quo vide fuſiùs Tomo 1. V.* Conſcientia Numero 40. & N.

C Ma. loc. cit. & 1. p. 48. 4. & 1. 2. 85. 2. In 2. d. 34. 1. 5. & 3. con. G. c. 12.

D 3. con G. c. 141. fi. & lib. 4 c. 72 Op. 6. §. 6.

Pronior per peccatum homo ad iteratò peccandum.

E Ver. 22. 5. ad 6. & q 24 1 ad 7. & a 12. ad 5. Iob 27. l. 1 ibi, non deſeram.

Exemplum Petri Chriſtũ negantis.

F Quol. 9. a. 14. c. Mat. 26. circa fi. c.

G .... & Ver. 22. 5 ad 6

H In 2. d. 32. 1 1. initio c.

Peccati adhuc poſt pœnitentiam reliquiæ, & quid ſint.

I 4. d. 14. 2. 1. q. 3. ad 2.

L 3. p. 89. 1. ad 3. & 86. 5. c.

Cæcitas mentis, aggrauatio aurium, obduratio cordis ex peccato.

M 1. 2. 79. 3. c.

§ *Poteſt igitur peccatum eſſe alterius cauſa peccati*: Primò quidem O ſecundùm modum cauſæ efficientis, vel mouentis, & per ſe, & per accidens. *Per accidens* quidem, ſicut remouens prohibens dicitur mouens per accidens: cũ enim per vnum actum peccati homo amittit gratiam, vel charitatem, vel verecundiam, vel quodcumq; aliud retrahens à peccato, incidit ex hoc in aliud peccatum: & ſic primum peccatum eſt cauſa ſecundi per accidens. *Per ſe* autem, ſicut cum ex vno actu peccati homo diſponitur adhoc, quòd alium actum conſimilem faciliùs committit: ex actibus enim cauſantur diſpoſitiones, & habitus inclinantes ad ſimiles actus (*vt præcactum eſt.*) Secundùm verò genus cauſæ materialis vnũ peccatum eſt cauſa alterius, in quantùm præparat ei materiam: ſicut auaritia præparat materiam litigio, quod plerumque eſt de diuitijs congregatis. Secundùm verò genus cauſæ finalis, vnum peccatum eſt cauſa alterius, in quantùm propter finem vnius peccati, aliquis committit aliud peccatum: ſicut cum aliquis committit ſimoniã propter finem ambitionis, vel fornicationẽ propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, ex hoc etiã ſequitur, quòd vnũ peccatũ ſit formalis cauſa alterius: in actu enim fornicationis, quæ propter furtũ cõmittitur, eſt quidem fornicatio ſicut materiale; furtum verò ſicut formale. *Verùm nedum* primũ P peccatum eſt cauſa ſequẽtis peccati, *ſed &* ſequens eſt pœna prioris (*& veluti merces*, *2. Pet. 2.* In corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ; *& iterùm*, mercedem iniquitatis, *ideſt* ruinam Q in maioribus peccatis, *vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc* Apoc. 22.) Sed notandum, quòd peccatũ, in quantùm huiuſmodi, non poteſt eſſe pœna: quia pœna contra voluntatem patimur; peccatum autem eſt voluntarium. Sed quia peccatum habet quædam adiuncta, quæ ſunt contra voluntatem peccantis: ratione eorum, peccatum dicitur pœna præcedẽtis peccati. Hoc autem eſt *Vno modo* aliquid præcedens peccatum, ſicut ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur vt homo peccet. *Alio modo* eſt aliquid adiunctum ipſi peccato: ſiuè interius, ſicut eſt inordinatio animi; vnde *Auguſtinus* dicit in 1. Cõfeſs. *Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus*: ſiuè quantùm ad exteriores actus, quibus difficultates ac labores adiungũtur, ſecundùm illud, quod dicunt impij Sap. 5. *Ambulauimus vias difficiles &c. Tertiò* quantùm ad id, quod ſequitur peccatum, ſicut eſt remorſus conſcientiæ, infamia, & ſimilia. *Remorſus inquam conſcientiæ, immortalis ille vermis, qui peccatoris animum perpetuò torquet*, *Marc. 9.* Vermis eorum non moritur, *non ſecus ac de Tityo ad inceſſabilem vulturis morſum damnato ethicè fabulantur. Sanè peccatum poculum eſt peccatoribus amariſſimum, Iſ. 24.* Amara erit potio bibentibus illam. *Quod exponens Author*: Potio *inquit* peccati R eſt amara: Primò propter conſcientiæ remorſum, Prou. 5. *Nouiſſima illius amara, quaſi abſinthium.* Secundò propter mortis metum, Eccli. 41. *O mors, quàm amara eſt memoria tua!* Tertiò propter diuinæ dulcedinis defectum, Ier. 2. *Scito, & vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Quartò pro-

N 1. 2. loc. cit. & 2. 2. 15. 1. In 3. d. 40. 4. 2. & 3. con. G. c. ibi, 162. Ier. 24. 10. Iſ. 6. Rom. 9. l. 3. fi. Hebr. 3. l. 2 ibi.

O 1. 2. 75. 4. c. & q. 84. In 2. d. 36. 1. 1. Ma. 8. 1. c. Rom. 1. l. 7. circa fi.

Peccatum cauſa peccati ſecundùm quadruplex cauſarum genus.

Quo ſenſu peccatum pœna præcedentis peccati, & merces.

P Rom. 1. loc. cit. & 1. 2. 87. 2. & 2. 2. 36. 2. ad 4. In 1. d. 46. 1. 2. ad 4 In 2. d. 36. 1. 4. Ma. 1. 4. ad 1.

Q 2. Pet. 2. §. 4. ibi.

Conſcientiæ remorſus.

R Iſ. 24. fi. c.

Peccatum potio amara quadrupliciter.

propter pœnitentiæ planctum, Is. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* (*Vide fusius Tomo I. V.* Conscientia.) *Quidni ergo peccatum propter tot ac tanta hominis detrimenta, morbus dicatur animæ? Cui apprimè quidem alluditur per ægritudinem corporis*, Io. 5. *Vbi legimus, quòd apud probaticam piscinam* iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum. *Quibus in verbis* ponit S quatuor, quæ homo per peccatum incurrit. *Primò* enim homo ex hoc, quòd subijcitur passionibus peccatorum ei prædominantibus, efficitur languidus: & quantùm adhoc dicit, *languentium*. Vnde & à Tullio passiones animæ, putà iræ, concupiscentiæ, & huiusmodi, quædam ægritudines animæ dicuntur. *Secundò* verò ex dominio passionum, & victoria, in homine excæcatur ratio per consensum: & quantùm adhoc dicit, *cæcorum*, scilicet per peccata, secundùm illud Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum. Et* Ps. 57. *Supercecidit ignis*, scilicet iræ & concupiscentiæ, *& non viderunt Solem. Tertiò* homo languens, & cæcus, efficitur instabilis in suis operibus, & est quasi claudus; vnde dicitur Prou. 10. *Impius facit opus instabile*: & quantùm adhoc dicit, *claudorum*, 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Quartò* homo sic languidus, cæcus in intellectu, claudus in effectu, efficitur aridus in affectu, in quantùm exsiccatur in eo omnis pinguedo deuotionis: quam petebat Dauid Ps. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*: & quantùm adhoc dicit, *aridorum*, Ps. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.*

...rbus ani-
...atuor pro-
... pecca-
... incurrit
...no.
...5. l. 1. lit.
...li.

g *Et hac sanè de causa diuinam implorabat misericordiam idem Psaltes Ps. 6.* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, *scilicet* infirmitate T peccati. *Et expresiùs Ps. 41.* Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi. *Quocirca docemur, quòd* potest V dici infirmitas in anima ad similitudinem infirmitatis corporis. Dicitur autem corpus hominis esse infirmum, quando debilitatur, vel impeditur in executione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis, ita scilicet, quòd humores & mēbra hominis non subdantur virtuti regitiuæ & motiuæ corporis: vnde & membrum dicitur esse infirmū, quando non potest perficere operationem membri sani; sicut oculus quando non potest clarè videre, vt dicit Philosophus *in 10. de hist. animal.* Vnde & infirmitas animæ dicitur, quando impeditur anima in propria operatione propter inordinationem partium ipsius. Sicut autem partes corporis dicuntur esse inordinatæ, quando non sequuntur ordinem naturæ: ita & partes animæ dicuntur esse inordinatæ, quando non subduntur ordini rationis: ratio enim est vis regitiua partiū animæ. *Et quidem, cum non vna hominis virtus, & potentia, sed & omnes tam superiores, quàm inferiores animæ vires, & operationes per vnum peccatum deordinentur, & inficiantur: dicendum est, culpam morbum esse contagiosum. Eapropter fermento (quod spectat ad corruptionem, quam causat) non abs re ab Apostolo peccatum assimilatur*, 1. Cor. 5. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? *Vbi Author*: Per fermentum X potest intelligi peccatum: quia scilicet per vnum hominis peccatum, omnia opera eius corrupta redduntur. (Vel potest intelligi homo peccator: sicut enim per modicum fermentum tota massa pastæ corrumpitur, ita per vnum peccatorem tota societas inquinatur.) *At propriè magis, lepræ comparatur. Nam* lepra Y est corruptio humorum consumptio membrorum infectio aliorum, & separatio hominum. Ita peccatum corrumpit naturalia; vnde Augustinus: *Peccatum est*

T Ps. 6. lit. b.
Ps. 40. lit. c.
V 1. 2. 77. 3. c.
71. 1. ad 3.
om. 5. l. 2.
...itio.

Exponitur
...id sit ani-
...æ infirmi-
...s.

Peccatum
morbus contagiosus.

Fermentum.

X 1. Cor. 5. l.
2 ibi, Mat. 13.
lit. c. ibi, fermento.

Lepra.
Y Serm. 1. Ex
Fa. Dom. 2 post
Epiph.

corruptio modi, speciei, & ordinis. Aufert gratuita, quia gratiam non potest esse simul cum peccato mortali, Sap. 1. *Non habitabit in corpore subdito peccatis.* Inficit proximos, & creaturas insensibiles, Ier. 3. *Polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis.* Separat hominem à Deo, & Angelorum consortio, Sap. 1. *Peruersæ cogitationes separant à Deo.* De istis quatuor dicitur Ps. 13. *Corrupti sunt*, ecce naturalium corruptio: *abominabiles facti sunt*, ecce separatio (ponitur causa pro effectu: abominatio enim est causa separationis:) *non est qui faciat bonum*, ecce gratiæ amissio; amissa enim gratia, nemo potest bonum meritorium facere: *sepulchrum patens est guttur eorum*, ecce infectio: leprosus enim maximè anhelitu inficit, Ps. 105. *Contaminata est terra in operibus eorum.* Contaminata *inquam* terra est: *vnde & ipse Mūdus corporeus, ex peccato infectus, vniuersalis igne conflagrationis in die nouissimo purgari indigebit*, 2. *Pet.* 3. Adueniet autem dies Domini, vt fur: in quo Cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autē & quæ in ipsa sunt opera, exurentur: *non secus, ac per aquam purgatus est generalis diluuii.* Quamuis enim Z res corporalis, subiectum infectionis culpæ propriè esse non possit: tamen ex culpa quædam incongruitas in rebus corporalibus corruptis relinquitur adhoc, vt spiritualibus ditentur. Et inde videmus, quòd loca, in quibus sunt aliqua crimina commissa, non reputantur idonea ad aliqua Sacra in eis exercenda, nisi purgatione quadam præmissa. Et secundùm hoc ex peccatis hominum quandam inidoneitatem ad gloriæ susceptionem pars Mundi recipit, quæ in vsum nostrum cedit: vnde quantùm adhoc, mundatione indiget. Similiter etiam circa medium locum propter elementorum contactum multæ sunt corruptiones, & generationes, & alterationes elementorum, quæ puritati eorum derogant; & ideò ab his oportet elementa purgari adhoc, quòd decenter suscipiant nouitatem gloriæ. *An verò, & quomodo id contingere debeat, Vide.* A Profectò ex hoc animæ languore non rarò & corporalibus infirmitatibus sumus obnoxij. *In hac enim corruptionis via*, ex infirmitate B animæ, quæ est peccatum, interdum infirmitas deriuatur ad corpus: (*sicut ab opposito beatitudo animæ ad ipsū corpus redundabit in cælesti Patria*) *Quo sensu dicitur Eccli.* 38. Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici. *Et huc facit illud* Mat. 9. *de paralytico, quem obtulerunt Domino vt sanaret eum. Cui Dominus dixit*: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *At quærit Author*: Quid est C quòd ille petebat sanitatem corporis, & Dominus dat sanitatem animæ? Ratio est; quia peccatum erat causā ægritudinis. Vnde fecit Dominus, sicut bonus Medicus, qui causā curat. *Sed & ad languidum illum à se curatum, & in Templo inuentum, dixisse legitur Io.* 5. Ecce sanus factus es: iam noli peccare. *Quo loci*: Quare D Dominus, *ait Author*, isti & alijs quibusdam ab eo curatis, mētionem facit de peccatis, & non alijs? Ideò scilicet, vt ostēdat per hoc, infirmitates aliquibus ex peccatis prioribus prouenire, secundùm illud 1. Cor. 11. *Ideò inter vos multi imbecilles & infirmi, & dormiunt multi*: quia E propter peccatum huius Sacramenti (*Eucharistiæ*) indignè sumpti, aliqui in primitiua Ecclesia puniebantur à Deo infirmitate corporali, vel etiam morte. *Hinc P. Corn. à Lap. & cum eo P. Tirinus loco cit. ad Corinth. ex D. Anselmo, & aliis Patribus, tradunt, plures Christianos post Pascha ob indignam Eucharistiæ sumptionem fieri vel morbo obnoxios, vel morti, vt experientia comprobatur. Ex quibus omnibus deduc, quàm*

Mundus ab infectione peccatorum per ignem purgandus.

Z 4. d. 47 2.
1. q. 1. c.

Ex infirmitate animæ, non rarò ægritudines corporis

A Ibid. per tot. Quæst. 2.
& 2. Pet. 3. §.
1. 2. 3.
B 4. con. G. c.
73. initio.

C Mat. 9. lit.
a. ibi, & c. 8.
lit. c. ibi, infirmitates.

D Io. 5. l. 2.
lit. e. ibi.

E 1. Cor. 11.
l. 7. ibi.

F 1.2.85.3. fi. c.

veraciter initio ab Authore dictum sit: Per peccatum F & ratio hebetatur, præcipuè in agendis: & voluntas induratur ad bonum: & maior difficultas benè operandi accrescit: & concupiscentia magis exardescit.

Duplex mors animæ, sicut duplex corporis.

G Apoc. 2. com 2.§.2 ibi.

Prima mors animæ in quo assimiletur primæ corporis morti.

h *Et ò vtinam* infirmitas hæc non esset ad mortem! *Io. 11. At mortalis omninò est propter mortem animæ, de qua Apoc. 2.* Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. *Quocirca sciendum, quòd* duplex est G mors animæ: vna in culpa, alia in gehenna. Similiter duplex est mors corporis: vna est in dissolutione, alia in æterna damnatione. Assimilatur autem prima mors animæ primæ morti corporis in multis. Sicut enim Corpus primò distemperatur, postea infirmatur, deinde moritur, postea effertur, postea sepelitur, deinde lapide operitur: Ita anima primò distemperatur per malam cogitationem, postea infirmatur per noxiam delectationem, postea moritur per consensum, postea effertur per operis efficaciam, postea sepelitur per consuetudinem, ad vltimum operitur per obdurationem. Item mors corporis separat ipsum ab anima; & mors animæ separat ipsam à Deo, Is. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*. Item mors corporis separat à parentibus & amicis carnalibus: & mors animæ ab Angelis, & à Sanctis, 1. *Reg. 15. Siccine separat amara mors!* (*Et alibi*: Peccatum H diuidit à proximo per dissensionem; à se ipso per contrariam affectionem: à Deo per auersionem: à Sanctorum Collegio per dissimilitudinem.) Item mors corporis facit amittere diuitias Mundi: & mors animæ aufert diuitias Cæli. Item mors corporis priuat visum corporalem: Et mors animæ visum, & omnem sensum spiritualem, Ps. 48. Vsque in æternum non videbit lumen. *Ex quo peccatum, nedum animæ infirmitas ad mortem est, sed & mors ipsa; & inde mortiferum dicitur, siue mortale, quia nimirùm mortem animæ causat*, stipendia peccati mors, *Rom. 6.* Dicuntur autem I Stipendia mercedes militum à *stipe* pendenda, siuè ponderanda. Quia ergo peccatores peccato militant, *exhibentes membra sua arma peccato*, vt ibid. dicitur, mors dicitur esse stipendium peccati, idest retributio, quam retribuit sibi seruientibus. *Triplex hinc distinguitur opus in peccatore; scilicet opus mortiferum, mortuum, & mortificatum. Opus mortiferum, est omne mortale peccatum*. Opus *autem* aliquod L dicitur mortuum dupliciter. *Vno modo* effectiuè, quia scilicet est causa mortis: & secundùm hoc opera etiam peccati dicuntur mortua, secundùm illud Hebr. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (scilicet M peccatis, quæ tollunt Deum ab anima, cuius vita est per vnionem charitatis.) *Alio modo* dicuntur opera mortua priuatiuè, quia scilicet carent vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo viuit, sicut corpus per animam. Et per hunc modum omnia opera, quæ sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, in quantùm scilicet non procedunt ex principio vitæ; sicut si dicamus sonum citharæ, vocem mortuam. *Et huiusmodi sunt opera quæquæ bona, facta in peccato mortali. Opus verò mortificatum, est quodlibet bonum opus in charitate factum, cuius effectum impedit mortale peccatum adueniens. Etenim* res N viua per mortem perdit operationem vitæ; vnde per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur à proprio effectu vel operatione. Effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiunt, est perducere ad vitàm æternam; quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit (*Eccle. 9.* Qui in vno peccauerit, multa bona perdet, *videlicet* omnia O bona meritoria.) Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantùm per eam remittuntur peccata. Et ita opera priùs mortificata, per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi in vitam æternam: quod est reuiuiscere. Mors ergo peccàtum est: & ideò sanguis peccatum signat, *Apoc* 8. Facta est tertia pars maris, sanguis; *idest* peccatrix P: per sanguinem enim peccatum signatur ratione infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis. Quia peccatum turpiter inficit, horribile est, & signum est mortis spiritualis, immò & causa. *Nedum igitur infirmitas ad mortem peccatum est, sed & ipsa mors animæ. Diximus enim, infirmitatem animæ ex eo cōtingere, quòd partes illius ab ordine ad rationem deordinantur*. Duplex *autem* est Q inordinatio: vna per subtractionem principij ordinis: alia, qua etiam saluato principio ordinis, fit inordinatio circa ea, quæ sunt post principium. Sicut in corpore animalis quandoque quidem inordinatio complexionis procedit vsque ad destructionem principij vitalis: & hæc est mors. Quandoque verò, saluo principio vitæ, fit deordinatio quædam in humoribus: & tunc est ægritudo. Principium autem actus totius ordinis in moralibus est finis vltimus; qui ita se habet in operatiuis, sicut principium indemonstrabile in speculatiuis, vt dicitur in 7. *Ethic.* Vnde quando anima deordinatur per peccatum vsque ad auersionem ab vltimo fine, scilicet Deo, cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale. Quando verò fit deordinatio citra auersionem à Deo, tunc est peccatum veniale. Sicut enim in corporibus deordinatio mortis, quę est per remotionem principij vitæ, est irreparabilis secundùm naturam: inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id, quod saluatur principium vitæ: similiter est in his, quæ pertinent ad animam. Nam in speculatiuis, qui errat circa principia, impersuasibilis est: qui autem errat, saluatis principijs, per ipsa principia reuocari potest. Et similiter in operatiuis, qui peccando auertitur ab vltimo fine, quantùm est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem: & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus. Qui verò peccat citra auersionem à Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia saluatur principium: & ideò dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, vt mereatur interminabilem pœnam. *Et hinc liquet, quid sit animæ infirmitas, quid mors. Verùm, cum idem mortale peccatum & infirmitatem ad mortem, & mortem quoque dixerimus: sciendum, quòd* peccatum mortale R quantùm ad aliquid est simile morti; & quantùm ad aliquid ægritudini. In quantùm enim separat à Deo, qui vita est, mortis similitudinem habet: & hæc est mors prima. In quantùm autem adhuc manet possibilitas redeundi ad vitam, habet similitudinem ægritudinis ducentis ad mortem condemnationis: & hæc est mors secunda, quæ omninò similitudinem mortis retinet, dum per eā homo à Deo separatur, & ad vitam gratiæ possibilis reditus non est. *Et ita peccatum, mors, & Infernus se consequuntur, Ps. 17.* Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me: dolores Inferni circumdederunt me. *Vbi notat Author, quòd* ista tria S sic sunt ad inuicem ordinata: *iniquitas, mors, & Infernus;* quia ex iniquitate homo inducitur ad mortem, & per mor-

Peccatum nedum infirmitas animæ ad mortem, sed & ipsa mors: ex quo dicitur mortale.

I Rom. 6. l. 4. ibi.

Opus triplex in peccatore: mortiferum, mortuum, mortificatū.

L 3.p.89.6.c. In 4.d.14.2.3. q.1. Heb 6.l.1. & c.9 l.3. ibi, mortuis.

H Is. 59 fi.c. & initio Ma. 2.11.c.

M Hebr.9.l.c. Eph.2. l. 1. ibi, mortui Hebr.3. l.3.

N 3.p.89.5. & 6. In 4.d.14 2.3.q.2. Hebr. 6.l.c.

O Luc.2.5. fin.

Peccatum cur sanguis.

P Apoc. 8 com. 1. ibi.

Q 1.2 72.5. c. & 74.9.ad2. & 87.3. & 2.2.24.12 c. Virt.2.13.c. Ma.7.1.c. & a.3 fi.c. & 3.ci G. c.139.143.

Quomodo infirmitas animæ contingat & mors.

Quo sensu debeat intelligi infirmitas ad mortem, & mors animæ.

R 2.d.43.1 2. ad 5.

S Ps 17. c. ibi.

mortem deducitur ad Infernum (*quæ mors secunda est* :) & sicut primum est via ad secundum, ita secundum ad tertium.

i *Et ecce animæ vltimum ex peccato detrimentum, culpa videlicet reatus; hoc est, obligatio ad pœnam, non quamcumque, sed æternam. Et hæc vnica ratio est, quare peccatum dicitur debitum; vnde & in Oratione Dominica petimus*: Dimitte nobis debita nostra; *quæ videlicet cum Deo contraximus*. Debemus *autem* Deo T illud, quod auferimus de iure suo: ius autem Dei est, vt faciamus voluntatem suam, præferendo eam voluntati nostræ. Auferimus ergo Deo ius suum, cum præferimus voluntatem nostram voluntati suæ: & hoc est peccatum. Peccata ergo sunt debita nostra, *quæ nobis petimus dimitti: neque enim nos ex nobis possumus absque diuina gratia aut culpam, aut culpæ nostræ abolere reatum (vt suo loco V.* Gratia Dei, *visum est* :) Homo enim V peccando, quantum in se est, ponit se in tali statu, vt non surgat (sicut qui in puteum se proijcit) nisi ex diuina virtute. *Docemur namque, quòd* peccator X est causa peccati, quantum ad fieri; non autem est causa permanentiæ eorum, quæ ex peccato relinquuntur. Immò horum est causa partim iustitia diuina, per quam iustè ordinatum est, vt qui noluit stare in gratia dum posset, non possit etiam si velit: partim est defectus virium naturæ, quæ non sufficiunt ad expiationem. Sicut homo, cum se in foueam proijcit, est causa ipsius projectionis; sed quies, quæ consequitur, est ex natura. Vnde non potest à fouea exire, sicut potuit se in foueam proijcere. Et similiter est in proposito. *Quamuis igitur præfata cuncta homini in peccati pœnam, vt plurimùm contingant: præcipua tamen, & magis debita peccato, pœna est æterna, quæ ex reatu mortalis culpæ deriuatur: de qua* Num. seqq.

[Margin: x culpæ reatus peccatum dicitur debitum. — Op.7.Pet.5. — V Op.6.§.6. Homo sine gratia non potest à peccato resurgere. — X Ver.28.2. ad 7. — Homo est causa peccati, non omnium eorum, quæ ex peccato relinquuntur.]

l *Ex præmissis omnibus vides, qualis, ac quanti detrimenti peccatum sit. Nec tamen à mortalibus cauere student homines stulti, quinimmò quotidie peccata peccatis adiiciunt: &, quod deplorandum in summo est*, lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, *vt dicitur* Prou. 2. *Nec est, vnde peccatum excusemus*. Nihil *enim* imputatur Y alicui in peccatum, & culpam, nisi illud, cuius causa ipse est, quia non laudamur, neque vituperamur, nisi ex actibus nostris. *In confidentiam verò diuinæ misericordiæ peccare, maximæ præsumptionis est. Nam* cogitare Z de Dei misericordia cum proposito pœnitendi, & resiliendi à peccato, non facit præsumptionis peccatum. Sed cogitare de Dei misericordia sine proposito pœnitendi, hoc præsumptionis est, & contemptus diuinæ iustitiæ. *Neque enim diuina misericordia ad peccandum ansam debet præbere: summaque stultitia est, quòd Deus, eo quòd misericors, non sit peccata punitutus, putare*, Thren. 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta &c. *videlicet* quia A stultum erat credere, quòd Deus peccatores non puniret. *Caueat igitur homo à peccato: & adhoc* debet B videre, quàm breuis est ibi delectatio, & pœna æterna: *Momentaneum est (aiebat* Gregorius) *quod delectat: æternum, quod cruciat*. Item quàm vilis sit, Ier. 7. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas*. Item quàm damnosa, quia diminuit bona naturæ, priuat bonis gratiæ, aufert bona gloriæ: *Egressus est à filia Sion omnis decor eius*, Thren. 1. *Quæ tamen non obstante, quàm facilè mortalem culpam admittimus! Cuius nobis exemplum præbuit protoparens noster, qui pro vnius dulcedine mali mala omnia vniuersa humanæ soboli deriuauit. Petrus itidem ad vnius interrogatum muliercula in Magistri sui negationem prolapsus est*. Petrus C ex debili occasione motus est ad negandum: quia non armatus miles, non admirandus Pontifex; sed mulier, & ancilla ostiaria interrogauit. *O quot, & frequenter, ad leue vnius fœminæ verbum in mortalia ruunt! At verò* in omni D peccato, commune est hoc, quòd aliquis non facit quod in se est: quod si faceret, non peccaret. *Profectò* impugnatio E peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo. Fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentiuum, sicut est luxuria. Resistendo autem, quando cogitatio perseuerans tollit incentiuum peccati, quod prouenit ex aliqua leui apprehensione. *Et alibi*: Cætera F vitia vincuntur resistendo: quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minùs in eis inuenit, vnde delectetur, sed magis anxietur. Sed vitium fornicationis non vincitur resistendo: quia quantò magis ibi homo cogitat particulare, magis incenditur: sed vincitur fugiendo; idest totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones. *Vnde signanter Apostolus* 1. Cor. 6. *ait*: Fugite fornicationem. *Occasiones, inquam, & pericula peccandi euitanda. Parum siquidem* amare G puritatem suam conuincitur, qui puritatis pericula non euitat: *nam, vt dicitur Eccli.* 3. Qui amat periculum, in illo peribit. *Ita contigit duobus illis senioribus* Dan. 13. *de quibus dicitur, quòd* frequentabant domum Ioakim, & obseruabant quotidiè solicitiùs videre Susannam. *Nam* quia H frequentabant *domum Ioakim*, ex tali frequentatione exarserunt in vxorem eius: & quia attentè ipsam contemplabantur, proruperunt in impudicitiam. *Quod ideò vocat Apostolus ad Hebr.* 12. circumstans peccatum, *scilicet* occasionem I peccandi: *instat enim, & circumstat ex occasione peccatum: quod plenè fugere debemus*, 2. *Pet.* 2. Pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt: *idest* qui L non perfectè peccata fugiunt; fugiunt enim peccata, sed non pericula peccatorum. *Et hoc est, quod ait Dominus Mat.* 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. *Si oculus tuus*, idest M sensus & cogitatio, *dexter*, idest sub specie bonæ intentionis, *scandalizat te*, illicita concupiscendo: *erue eum*, scilicet malum vsum eius frangendo, *& proijce abs te*, scilicet ipsum ex toto annihilando. *Vnde Chrysostomus*: Erat mulier religiosa (*notent Ecclesiastici* :) & respexi, & dixi: *Debeo visitare illam assiduè, vt instruam illam, & confirmem in bono*. Bonus est iste respectus, *& oculus dexter*. Sed dum assiduè visito, decidi in laqueum desiderij eius. Ecce respectus bonus, & *dexter oculus* factus est mihi in scandalum. *At verò duplex est occasio peccandi: alia data, alia accepta. Dari quidem potest peccandi occasio per actionem scandalosam: atqui vt plurimùm occasiones peccandi accipiunt, vel quærunt homines, non ipsis datur. Quod innuit Apostolus ad Rom.* 7. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est omnem concupiscentiam &c. *Vbi Author*: Lex *inquit* rectum N aliquid fecit, quia peccatum prohibuit: vnde occasionem non dedit peccandi: sed homo occasionem ex lege accipit. *Idcirco subdit*: Lex quidem sancta, mandatum sanctum & iustum & bonum.

[Margin: Y 2.d.39.1. 1. initio c. Non imputatur nobis ad culpam, nisi illud cuius nos causa sumus. — Z Ibid. d.22. 2.3.ad 5. Præsumptio est, peccare in confidentiam diuinæ misericordiæ. — Stultum putare, peccata à Deo non puniri. — A Thren. 2. lit. ibi. — B Apoc. 1. com.2.fi.cap. — Peccati consideratio. — Quàm facilè peccamus. — C Io. 18. l. 3. lit. f. — D 2. d.22.1. 1. ad 6. Ver. 18. 6. ad 13. — Faciendum quod in nobis est, ne peccemus. — E 2.2. 35.1. ad 4. — Impugnatio peccati & fugiendo vincitur & resistendo. — F 1. Cor 6. l. 3. ibi, fugite. — G Quol. 3. a. 17. ad 3. — Occasiones vitandæ. — H Dan. 13. ibi. — I Hebr. 12. l. 1. ibi. — L 2. Pet. 2. §. 5. ibi. — M Mat. 5. lit. h. & cap. 18. lit. a. — Sub specie etiã bonæ intentionis, quandoque in peccatum ruimus. — Duplex occasio, data & accepta. — N Rem. 7. l. 2. ibi. in 4. d. 38. 2. 1. ad 4. Ma. 3. 1. ad 13. Quol. 4. 4. 23. ad 3.]

m Vo-

Cur Deus peccatú permittat.

m *Verùm, cum posset Deus per auxilium gratiæ suæ adeò immanis productionem monstri, quale peccatum est, vt hucusque vidimus, præpedire: cur per sapientiam & prouidentiam suam tot peccata permittit? At, licèt cum Apostolo nobis potiùs admirando exclamandum sit*: O' altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei &c. (Rom. 11.) *quàm curiosè de his vestigandum: Nihilominùs dicendum, quòd sicut monstra in naturalibus, ita peccata in voluntariis sinit esse Deus, naturæ simul Author & gratiæ, propter defectibilem vtrobique secundam causam. Et quemadmodum monstra ad pulchritudinem vniuersi: ita peccata ad ostensionem diuinæ iustitiæ permittit, ad plurimosque suæ bonitatis effectus demonstrandos. Ex quo instruimur, quòd* sicut O Augustinus dicit in Enchirid. *Deus, cum sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens, & bonus, vt benè faceret etiam de malo.* Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, vt esse permittat mala, & ex eis eliciat bona. *Non enim* P permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundùm illud Iob 34. *Conteret multos & innumerabiles* (neque enim pauci sunt, qui peccant) *& stare faciat alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines: & in locum Iudæorum Gentiles. Et Q quod adhuc mirabilius est, permittit aliquem Sanctum labi in peccatum propter instructionem. Vtquid enim permisit, aliquos Sanctos & iustos viros grauiter peccasse (sicut quòd Dauid adulter fuit & homicida) nisi quòd ex hoc instructi, cautiores simus & humiliores? Vt videlicet *qui se existimat stare, videat ne cadat*: & qui cecidit, adijciat vt resurgat. *Præ cunctis idcircò Petrum Apostolum, qui fidei, & Ecclesiæ petra futurus erat, culpa infidelitatis esse permisit obnoxium: vt hinc eruditus firmiùs in Ecclesia Dei Catholicam stabiliret fidem, exinde à Chrysostomo* Apostolorum fidelissimus *nuncupatus. Neque ideò Deum, siue per se, siue per accidens malum velle, asserendum est. Deus enim* neque R vult mala fieri, neque vult mala non fieri: sed vult permittere mala fieri. Et hoc est bonum.

O 1 p.2.3. ad 1. & 3. p. 1. 3. ad 3. Io. 9. l. 1. lit. c.

Plura bona ex permissione peccatorú à Deo elicita.

P 1. p.23.6. ad 1.

Q Io.20.l.5. lit. a. fi.

Sinit & sanctos viros cadere, vt cautiores resurgant.

Nec ideò Deum, malum velle, dicendum est.

R 1. p.19.9. ad 3.

S 1. p. l.c. in corp. & 1. 2. 39. 2. ad 3. & 87. 2. ad 1. in 1. d.46. 1.4. in 3. d.30.1.1. ad 5. Ver. 23. 2. c. & 1. con. G. c. 95. Rom. 9. l. 3. ubi, excitaui.

De quo Vide fusiùs S. DISCE *ad mortem animæ deuitandam, à peccato abstinere. Vide* Adoptio diuina, Amor Dei, Conscientia *Tomo 1.* Gratia Dei *Tomo 2.* Mors, Peccator, Pœnitentia, Voluntas,



IX. Cum Deus sit infinitè magnus, offensa contra ipsum commissa quodammodo infinita est: vnde & aliqualiter pœna infinita ei debetur. *Opusc. 3. cap. 183.*

n TRia sunt T de ratione pœnæ. Quorum *vnum est*, quòd habeat respectum ad culpam: dicitur enim aliquis propriè puniri, quando patitur malum pro aliquo, quod commisit. Habet autem hoc traditio Fidei, quòd nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantùm ad animam, neque quantùm ad corpus, neque quantùm ad aliqua exteriora, nisi peccato præcedente, vel in persona, vel saltem in natura. Et sic sequitur, quòd omnis talis boni priuatio, quo vti quis potest ad benè operandum, in hominibus pœna dicitur: & pari ratione in Angelis. Et sic omne malum rationalis creaturæ vel sub culpa, vel sub pœna continetur. *Secundum* quod pertinet ad rationem pœnæ est, quòd voluntati repugnet. Voluntas enim vniuscuiusque inclinationem habet in proprium bonum: vnde priuari proprio bono, voluntati repugnat. Sciendum tamen est, quòd pœna tripliciter repugnat voluntati. Quandoque quidem voluntati actuali: sicut cum quis, se sciente, sustinet aliquam pœnam. Quandoque verò est contra voluntatem tantùm habitualem: sicut cum alicui ignoranti subtrahitur aliquod bonum, de quo doleret, si sciret. Quandoque verò solùm contra naturalem inclinationem voluntatis: sicut cum quis priuatur habitu virtutis, qui virtutem habere non vult; sed tamen naturalis inclinatio voluntatis est ad bonum virtutis. *Tertium* verò esse videtur de ratione pœnæ, vt in quadam passione consistat. Ea enim, quæ contra voluntatem eueniunt, non sunt à principio intrinseco, quod est voluntas: sed à principio extrinseco, cuius effectus passio dicitur. Sic ergo tripliciter pœna & culpa differunt. *Primò* quidem, quia culpa est malum ipsius actionis; pœna autem est malum agentis. Sed hæc duo mala aliter ordinantur in naturalibus, & in voluntarijs. Nam in naturalibus ex malo agentis sequitur malum actionis: sicut ex tibia curua sequitur claudicatio. In voluntarijs autem è conuerso: ex malo actionis, quod est culpa, sequitur malum agentis, quod est pœna, diuina prouidentia culpam per pœnam ordinante. *Secundo* modo differt pœna à culpa per hoc, quod est, secundùm voluntatem & contra voluntatem esse. *Tertiò* verò per hoc quòd culpa est in agendo, pœna verò in patiendo, vt patet per *Augustinum in 1. de lib. arb.* vbi culpam nominat malum, quod agimus: pœnam verò malum, quod patimur. *Cæterùm* malum V pœnæ est quidem malum, in quantùm priuat aliquod particulare bonum: est tamen bonum simpliciter, in quantùm dependet ab ordine finis vltimi. Nihil *autem* prohibet X id quod est bonum simpliciter, esse malum alicuius: sicut forma ignis est bonum simpliciter, sed est malum aquæ. *Vno verbo*: Pœna Y secundùm quod comparatur ad subiectum, est malum, in quantùm priuat illud aliquo bono: sed secundùm quod comparatur ad agens, quod infert pœnam, sic interdum habet rationem boni, quando puniens, propter iustitiam punit. *Ex quo*

T Ma. 1.4.4. & 5. c. 1. p.48. 5. c. & 1. 2. 46. 6. ad 2. & 78. 6. c. & 2. 2. 18. 1. in 3. d. 34. 2. 3. q. 1. c. Op. 3. c. 121. & 122. & 4. c. G. c. 90. & alibi.

Tria de ratione pœnæ. 1. quòd habeat respectú ad culpam. Omne malum rationalis creaturæ, vel sub culpa, vel sub pœna continetur. 2. quòd repugnet voluntati. Quod tripliciter contingit.

3. vt in quadam passione consistat. Pœna & culpa tripliciter differunt.

In naturalibus ex malo agentis sequitur malum actionis: in voluntarijs ex malo actionis malum agentis.

Pœna, in quantùm punit, est bonum simpliciter; quamuis malum alicuius, vt pœna.

V 2. 2. 19.1. fi. c.

X Ma. 1.1. ad 18. & q. 16.2. initio c. in 2 d. 37.3. 1. c.

Y Ma. 1. 4. ad 9. & a. 5. ad 12.

Z Ma. 1. 1 ad 18.

Malū pœnæ duplex.

A Rom. 8. l. 5. ibi dicemus.

Et vtraque pœna, à Deo: sed differenter.

B 2. d. 32. 2. 1. c. & d. 36. 1. 3. ad 1. & d. 37. 3. 1. & 2. 2. 19. 1. ad 3. & 164. 1. ad 5. Op. 6. §. 3.

quo pœna Z in quantùm est pœna, est malum alicuius: in quantùm est iusta, est bonum simpliciter.

o *At verò* malum A pœnæ est duplex. Vnum quidem consistit in illatione malorum, aliud in subtractione bonorum. *Et vtraque sanè pœna à Deo est. Nam* pœna B quæ est per inflictionem alicuius contrarij affligentis, vel corrumpentis, est quidem à Deo agente, à quo omnis actio, secundùm quod ordinata est, & passio per consequens, principium sumit. Omnis autem pœna, cum iusta sit, ordinata est. Pœna verò, quæ simpliciter in ablatione, vel defectu consistit (sicut est subtractio gratiæ, & aliquid huiusmodi) à Deo quidem est; non tamen sicut ab agente aliquid, sed potiùs sicut à non influente talem perfectionem, quia in ipso est influere, & non influere: & vtriusque sua voluntas causa est. *Hinc illud Ezechiæ ægrotantis Is. 38.* Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? *exponitur*: cum ipse C fecerit me, vel pœnam meam. *Nec obstat, quòd Sap. 1. dicatur*: Deus mortem non fecit: *quæ pœna pœnarum est. Cum enim legitur, quòd Deus mortem non fecit*, intelligitur D quasi per se intentam. Ad ordinem enim vniuersi pertinet ordo iustitiæ, qui requirit, vt peccatoribus pœna inferatur. Et secundùm hoc, Deus est Author mali, quod est pœna; non autem mali, quod est culpa. *Mortem autem peccando sibi homo promeruit. Vnde & ibidem subditur*: Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam: *videlicet* pomum E vetitum contrectando. Homo ergo demerendo causa est mortis: sed Deus vt Iudex. *Et omnem quidem pœnam ordinat Deus ad aliquod bonum*. Si *enim* permittit F aliqua peccata fieri (*vt vidimus*) ex intentione boni, quod intendit; sicut permisit sæuire tyrannos, vt coronaret martyres: multò ergo magis debet dici, quòd malum pœnæ, quod ipse facit (Amos 3. *Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit*:) nunquam inducit, nisi ex intentione boni. Et inter alia bona, optimum est, quòd opera Dei manifestentur, & ex eis innotescat Deus (Ps. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum &c.*) Quocirca sciendum, quòd *ex Greg. 1. Moral.* quinque modis Deus hominibus immittit flagella pœnarum. Quandoque quidem ad initium damnationis, secundùm illud Ier. 17. *Duplici contritione contere eos*. Et hoc flagello percutitur peccator in hac vita sic, vt sine retractatione & sine puniatur in alia: sicut Herodes, qui occidit Iacobum, punitus est in hac vita, & in Inferno similiter, vt habetur *Act. 12.* Quandoque autem ad correctionem. Et de hac dicitur in Ps. 17. *Disciplina tua ipsa me docebit*. Quandoque autem flagellatur aliquis non propter peccatorum præteritorum correctionem, sed ad futurorum præseruationem, sicut de Paulo legitur 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Quandoque autem ad promotionem virtutis: vt scilicet, cùm in aliquo nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, dum inopinata salus persecutionem sequitur, saluantis virtute cognita, ardentiùs ametur, 2. Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*; & Iac. 1. *Patientia opus perfectum habet*. Quandoque verò ad manifestationem diuinæ gloriæ. *Vnde de cæco nato dictum est à Domino Io. 9.* Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo.

C Is. 38. ibi.

Deus author mali pœnæ non mali culpæ.

D 1. p. 49. 2. & i. c.

E Hebr. 9. l. 5 fi. & 2. 2. 19. 1 ad 3. Pot. 1. 6 ad 11. Serm. ex Epistola S. Agnetis.

Malum pœnæ ordinat, semper ad bonum.

F Io. 9. l. 1. lit. c.

Quinque modis flagella pœnarum Deus immittit.

p *His attamen non obstantibus, asserere pœnam quamcumque aliqualiter esse propter culpam, absurdum non est. Qua propter notandum, quòd* pœna G potest dupliciter considerari: scilicet simpliciter, & in quantùm satisfactoria. Pœna quidem satisfactoria, est quodammodo voluntaria; & quia contingit, eos qui differunt in reatu pœnæ, esse vnum secundùm voluntatem vnione amoris, inde est, quòd interdum aliquis, qui non peccauit, pœnam voluntarius pro alio portat: sicut etiam in rebus humanis videmus, quòd aliquis in se transfert alterius debitum. Si verò loquamur de pœna simpliciter secundùm quod habet rationem pœnæ, sic semper habet ordinem ad culpam propriam. Sed quandoque quidem ad culpam actualem, puta quando aliquis vel à Deo, vel ab homine pro peccato commisso punitur: quandoque verò ad culpam originalem. Et hoc quidem vel principaliter, vel consequenter. Principaliter quidem pœna originalis peccati est, quòd natura humana sibi relinquitur, destituta auxilio originalis iustitiæ: sed ad hoc consequuntur omnes pœnalitates, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt. Sciendum tamen est, quòd quandoque aliquid videtur esse pœnale, quod tamen non habet simpliciter rationem pęnæ: pęna enim est species mali, malum autem est priuatio boni. Cum autem sint plura hominis bona, scilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum, quòd homo patitur detrimentum in minori bono, vt augeatur in maiori. Sicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter sanitatem corporis, vel in vtroque horum propter salutem animæ, & propter gloriam Dei. Et tunc tale detrimentum non est simpliciter malum hominis, sed secundùm quid. Vnde non habet simpliciter rationem pęnæ, sed medicinæ. Nam & medici austeras potiones propinant infirmis, vt conferant sanitatem. (Et secundùm hoc H aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa.) Et quia huiusmodi non propriè habent rationem pęnæ, non reducuntur ad culpam, sicut ad causam, nisi pro tanto: quia hoc ipsum, quòd oportet humanæ naturæ medicinas pęnales exhibere, est ex corruptione naturæ, quæ est pęna originalis peccati. In statu enim innocentiæ non oportuisset aliquem ad profectum virtutis inducere per pęnalia exercitia: vnde hoc ipsum, quod est pęnale in talibus, reducitur ad originalem culpam, sicut ad causam.

q *Sanè ex peccati reatu, secundùm iustitiæ ordinem, pœna inducenda venit*. Planum *siquidem* est I quòd cessante actu peccati remanet reatus in omnibus peccatis actualibus. Actus autem peccati facit hominem reum pęnæ, in quantùm transgreditur ordinem diuinæ iustitiæ, ad quem non redit, nisi per quandam recompensationem pęnæ, quæ ad æqualitatem iustitiæ reducit: vt scilicet qui plus voluntati suæ indulsit, quàm debuit, contra mandatum Dei agens, secundùm ordinem diuinæ iustitiæ aliquid contra illud, quod vellet, spontaneus, vel inuitus patiatur. Quod etiam in iniurijs hominibus factis obseruatur, vt per recompensationem pęnæ redintegretur æqualitas iustitiæ, *secundùm illud Apoc. 18.* Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit tantum date illi tormentum: *& Deut. 25.* Pro mensura peccati erit & plagarum modus. *Quinimmò* conueniens L pęna pro culpa non redditur, nisi plùs contrarietur voluntati pęna, quàm placeat culpa. *Nec valet, quòd infirmo iam sanato medicina non adhibetur: cum ergo pœna medicina*

Pœna omnis aliqualiter ex culpa.

G 1. 2. 87. 7. c. In 2. d. 36. 1. 4. In 4. d. 46. 1. 2. q. 3. Ma. 1. 4. & 3 con. G. c. 141. & 2. 2. 108. 4. c.

Pœna dupliciter consideratur: & vt pœna simpliciter, & in quantùm satisfactoria.

Pœnalitates quædam simpliciter pænæ non sunt neque malum, sed secundùm quid: & pro tanto solùm in culpam, sicut in causā, reducuntur.

H 2. 2. 108. 4. c.

Peccati reatus per solam recompensationem pœnæ ad æqualitatem iustitiæ reducitur.

I 1. 2. 87. 6. c. & 2. 2. loc. cit. Et 3. p. 86. 4. Op. 3. cap. 121. Apoc. 18 com. 1. & 2. ibi, glorificauit.

Conueniens pœna non est, nisi plùs contrarietur voluntati, quàm placeat culpa.

L Opusc. 3. loc. cit.

diciná quadam sint, *remota culpa*, *pœna debitum non remanet*, *quod est reatus*. *Non valet*, *inquam: quia* remota M macula, sanatum est vulnus peccati, quantùm ad voluntatem: requiritur autem adhuc pœna ad sanitatem aliarum virium animæ, quæ per peccatum præcedens deordinatæ fuerunt, vt scilicet per contraria curentur. Requiritur etiam, ad restituendum æqualitatem iustitiæ, & ad remouendum *quandoque* scandalum aliorum, vt ædificentur in pœna qui sunt scandalizati in culpa. *Vnde signanter dixit Nathan ad Dauid 2. Reg. 12.* Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur: *vt nimirum innueret*, *etiam post peccati dimissionem reatum peccati remanere*, *quod est debitum pœnæ*. *Sit igitur malum per malum punitur*, *malum videlicet culpa per malum pœnæ*. *Et hac duo quidem mala duobus opponuntur bonis*. *Quia* enim bonum N vtile ordinatur in delectabile, & honestum sicut in finem: sic duo sunt principalia bona, scilicet honestum & delectabile, quibus opponuntur duo mala: culpa quidem honesto, pœna verò delectabili. *Quin & ipsum peccatum pœna est*. Vno *quidem* modo O ex parte auersionis, in quantùm scilicet per culpam quis priuatur gratia, & Deum amittit, & naturæ bonum in eo corrumpitur. Alio modo ex parte conuersionis; & hoc dupliciter: *Vno modo*, secundùm quod quædam peccata passionem quandam adnexam habent, vt ira & inuidia, & aliquod huiusmodi: quia ex inordinato vindictæ desiderio corpus imaginationi obediens & affectui, quadam passione concitatur, quæ ira dicitur, materialiter loquendo: & hoc afflictionem habet. *Alio modo* ex eo, quòd actus peccati sine labore non exercetur, propter quod *Sap. 5. dicitur*: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. *Et Ier. 9.* Vt iniquè agerent, laborauerunt. *Norunt pręceptoris ambitiosi, auari, alieni tori insidiatores*. *Verumtamen* cum P de ratione culpæ sit, quòd sit voluntaria; de ratione autem pœnæ, quòd sit contra voluntatem: impossibile est, quòd idem secundùm idem sit pœna & culpa: quia idem secundùm idem non potest esse voluntarium, & contra voluntatem: sed secundùm diuersa nihil prohibet. Ei enim, quod volumus, potest esse aliquid coniunctum, quod naturaliter voluntati repugnet: & quærendo quod volumus, incurrimus in id, quod nollemus. Et hoc in peccantibus accidit: dum enim inordinatè afficiuntur ad aliquod bonum creatum, incurrunt separationem à bono increato, & alia huiusmodi, quæ non vellent. *Porrò quia* ille Q qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & diuinam: triplicem pœnam incurrit; vnam quidem à se ipso, quæ est conscientiæ remorsus: aliam verò ab homine: tertiam verò à Deo.

M 1.2.87.6. ad 3.

N Ma. 1. 4. ad 12.

Malum culpæ, & malum pœnæ duobus opponuntur bonis: illud honesto, hoc delectabili.

O 2.d.36.1.3. c. & ad 1. & 1.2.87.2.c. Ma. 1 4. c. & ad arg. Rom. 1. l. 7. & cap. 9. l. 3.

Et ipsum peccatum tum ex parte auersionis, tum ex parte conuersionis, pœna est.

P Ma. loc. cit. ad 1.

Non tamen secundùm idem: quod est impossibile.

Q 1.2.87.1. fi. c. in 2.d.5.2. 2. ad 5. & d. 27. 1. 5. initio c. in 4.d.2 1.1. q.3.c. & d. 18. 1. 2 q 3. c.

Peccator triplicem pœnam incurrit.

r *Verùm* pœnæ R præsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ: *nimirùm* in quantùm S pœna est medicina, non solùm sanatiua peccati præteriti, sed etiam præseruatiua à peccato futuro, vel etiam promotiua in aliquod bonum, *vt præmissum est*. *At verò princeps pœna, quæ per se mortali culpa debetur*, *pœna exterminans est*: *& hac post mortem*, *nisi pœniteant*, *lethaliter peccantes infallibiliter manet*. *Quam quidem duplicem communiter statuunt*, *damni videlicet & sensus*: *primam ex parte auersionis*, *secundam ex parte conuersionis culpæ respondentem*. *Et ratio adducitur*: *quia*

R 2.2.66.6. ad 2.

Pœnæ præsentis vitæ magis medicinales, quàm retributiuæ.

S 2 2.108.4.c.

Pœna post mortem impœnitentis peccatoris exterminans est.

pœna T proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt; quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum: vnde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conuersio ad commutabile bonū: & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum; tum etiam, quia ipsa conuersio est finita: non enim possunt esse actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur auersionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita, est enim amissio infiniti boni, scilicet Dei: ex parte autem inordinatæ conuersionis respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita. *Et hoc signatur* 2. Thess. 1. *cum dicitur*: Qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio D. N. I. C. pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in Sanctis suis. *Quod quidem* potest V legi dupliciter, secundùm quod duplex est pœna, scilicet sensus & damni. De pœna sensus potest intelligi sic: *Dabunt*, idest sustinebunt, *pœnas æternas*, non finiendas: & hoc *in interitu*, quia semper morientur. Aliter enim est de pœnis huius vitæ, & de illis. Nam hic quantò plus acerbiores, tantò sunt breuiores, quia extinguuntur: sed illæ sunt grauissimæ; quia sunt pœnæ mortis, & sunt interminabiles. Vnde dicitur, quòd semper erunt quasi in morte, Ps. 48. *Mors depascet eos*, & Is. vlt. *Vermis eorum non morietur*. Pœna autem damni est duplex: quia separabuntur à visione Dei; vnde dicit, *à facie Domini*, scilicet remoti, Iob 13. *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita*. Alia est priuatio visionis gloriæ Sanctorum, Is. 26. v. 10. (*secundùm aliam literam*.) Tollatur impius, ne videat gloriam Sanctorum: *quod deducitur ex illo*, *quod sequitur*: & à gloria virtutis eius, *in ipsis videlicet beatis diffusa*. *Caterùm* duratio X pœnæ respondet durationi culpæ, non quidem ex parte actus, sed ex parte maculæ, qua manente, remanet reatus pœnæ: sed acerbitas pœnæ respondet grauitati culpæ. Culpa autem, quæ est irreparabilis, de se habet, quòd perpetuò duret; & ideò debetur ei pœna æterna. Non autem ex parte conuersionis habet infinitatem, & ideò non debetur ei ex hac parte pœna infinita secundùm quantitatem. *Sanè* cum homo Y peccat, legem Dei transgreditur; & sic, quantùm est in se, iniuriam Deo facit, qui est maiestatis infinitæ. Tantò autem est maior iniuria, quantò maior est is, in quem committitur. Habet ergo peccatum, contra legem Dei commissum, quodammodo iniuriam infinitam. *Hinc ad illud Rom. 15.* Improperia improperantium tibi ceciderunt super me, *docemur*, *quòd* omnia Z peccata quodammodo sunt improperia Dei, in quantùm per ea lex Dei contemnitur. *Et hanc quidem iniuriam vel vna mortali culpa*, *quantum in nobis est*, *Deo irrogamus*. *Vnde dicitur Iac. 2.* Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. *Etenim* qui A vnum præceptum contemnit, in tantùm omnia præcepta contemnit, in quantùm contemnit Deum, ex quo omnia præcepta authoritatem habent. Vnde & Apostolus statim subdit: *Qui enim dixit*, Non mœchaberis, *dixit &* Non occides. *Igitur si offendat in vno*, scilicet B in Deo datore omnium: vel *in uno*, idest in quolibet præcepto: *factus est omnium reus*, omnium, scilicet præceptorum, quia illa sibi inutilia reddit: vel *omnium*, scilicet peccatorum, quia pro vno, ac si pro omnibus, peribit. *Caterùm* à bono C infinito aliquis auertitur actu finito; & ideò

T 1.2.87.4. c. & 2.2.73.4. ad 4. in 4.d 15. exp. tex. & d. 44. 3.2. q.1. c. Ma. 5.2.c. & 3. con G. c. 145 & lib. 4. c. 90. Op. 6. §. vlt. & alibi.

Quæ duplex est, damni scilicet, & sensus.

Prima ex parte auersionis. Secunda ex parte conuersionis.

V 2. Thess. 1. l. 2. ibi.

X 1.2.87.4. ad 3. Op. 3. c. 183. & locis suprac.

Vnde sit pœnæ perpetuitas.

Duratio pœnæ respondet durationi culpæ, non ex parte actus, sed maculæ: acerbitas verò respondet culpæ grauitati.

Infinitas culpæ ex infinitate Dei offensi.

Y Op. 2. cap. 7. fin. & 3 p. 1. 2 ad 2. in 3. d. 1. 1. 2. ad 5. & alibi.

Peccata, improperia Dei.

Z Rom. 15. l. 1. ibi.

A Ma. 2. 9. ad 1.

Vel vna mortali culpa Deo iniuriam irrogamus, & pœna damnamur æterna.

B Iac. 2. § 4 ibi.

C Ma 2 9 ad 5.

A bono infinito auertimur actu finito, unde peccatum essentialiter finitũ est, sed cum habitudine ad bonum infinitum.

& ideò peccatum essentialiter finitum est, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum. Ex quo & infinita secundùm durationem pœnà mortalis culpa punitur.

Multiplici ex capite mortali culpæ æterna debetur pœna.

¶ *Et quidem conuenienter, & iustè, peccato mortali æterna debetur pœna. Primò*, quia ei D qui corrigi potest, pœna temporalis infertur ad eius correctionem, vel purgationem. Si igitur aliquis à peccato corrigi non potest, sed voluntas eius obstinatè firmata est in peccato, eius pœna terminari non debet. *Secundò* quia sicut E se habet præmium ad meritum, ita pœna ad culpam. Sed secundùm diuinam iustitiam merito temporali debetur præmium æternum, secundùm illud Io. 6. *Omnis, qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam*; ergo & culpæ temporali secundùm diuinam iustitiam debetur pœna æterna. *Tertiò* hoc F esse iustum, ex tribus apparet. *Primò* ex infinita dignitate Dei, in quem peccatur: tantò enim quis grauiùs peccat, quantò maior est dignitas personæ, in quam peccatur (*vt præmissum est*:) & sic, cum culpa peccati mortalis sit quodammodò infinita, oportet quod ei infinita pœna respondeat. Et cum non possit esse infinita secundùm intensionem, relinquitur, quòd sit infinita secundùm durationem. (*Hoc est autem, quod aiebat initio Author*: Cum Deus G sit infinitè magnus, offensa contra ipsum commissa, quodammodò infinita est, vnde & aliqualiter pœna infinita ei debetur.) *Secundò* apparet ex uoluntate, per quam peccatur. Quicumque enim mortaliter peccat, auersus ab incommutabili bono, finem constituit in bono commutabili: sicut fornicator in delectatione carnis, auarus in pecunia &c. Et quia finis per se appetitur, quicumque appetit finem, fertur in illud, volens illud semper obtinere, si aliquid aliud non obsistat. Vnde ille qui peccat mortaliter, voluntatem habet perpetuò in peccato manendi, nisi fortè per accidens, sicut quando timet pœnam, vel aliquod aliud impedimentum. Vnde conueniens est, vt ex quo homo secundùm suam voluntatem, peccatum perpetuò obtinendum appetit, æternaliter pro illo puniatur: Deus enim, qui est inspector cordis, præcipuè ad voluntatem peccantis attendit. *Tertiò* ex parte effectus peccati, qui est subtractio gratiæ: ex qua sequitur, quòd homo, quantùm est de se, perpetuò maneat in peccato, à quo exire non potest, nisi per auxilium gratiæ. Non est autem conueniens, vt durante culpa, cesset pœna; & ideò in perpetuum pœna durat. *Nec retributio videatur cuipiam iniusta, quòd peccato temporali, immò fermè instantaneo, pœna reddatur sempiterna. Nam* pœnà (*ut prætactum est*) peccato H proportionatur secundùm acerbitatem, tam in iudicio diuino, quàm in humano. Sed in nullo iudicio *secundùm Augustinum 21. de Ciu. Dei* requiritur, ut pœna adæquetur culpæ secundùm durationem. Non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœnà punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio; quandoque etiam morte: in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quòd in perpetuum auferatur à societate viuentium; & sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ diuinitus. Iustum tamen est, *secundùm Gregorium lib. 4. Dial.* quòd qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solùm secundùm continuationem actus in tota hominis vita durantis; sed quia ex hoc ipso, quòd finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi (*vt præmissum est*.) Vnde dicit *Gregorius* 4. Moral. 4. quòd *iniqui voluissent sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere*. Et ideò I non est mirum, si peccata commissa contra charitatem, per quam scilicet est societas inter Deum, & homines, æternaliter diuino iudicio puniuntur, *per æternam videlicet peccatorum separationem ab eo. Tandem idem* Gregorius *lib. 4. Dial. cap.* 44. *Sciscitanti Petro Diacono*: Scire velim, quomodo iustum sit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. *Respondet*: Hoc rectè diceretur, si districtus Iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine delinquunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, & potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam judicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. *Et quidem temerè miratur peccator, quòd pro temporali mortali culpa sibi à Deo pœna infligatur æterna, cum vel pro uno momentaneo luxuriæ peccato, à Mundo, à carne, à diabolo, sensibilem diuturnam pœnam, immò & in hac vita perpetuam (creaturà ipsà, Dei iniuriam vlciscente) non rarò recipiat, & experiatur.*

D *Op. 3. cap. 183. fin.*
E *4 d. 46. 1. 3 in 2* sed contra.
F *Rom. 2. l. 2. sub initio & 1. 2. 72. 5. & 87. 3. p. 86. 4. in 2. d. 42. 1. 5. in 4. loc. cit. in corp. Ma 1. 5. ad 15. & q 10. a. 1. & 10. c. Op. 3. c. 183. & alibi.*
G *Op. 3. cap. 183.*
H *1. 2. 87. 3. ad 1. Rom. 2. l. 2. & loc. sup. adduc.*
I *Rom. 2. l. c.*

Temporali, & momentaneæ culpæ cur sine iniustitia pœna retribuatur sempiterna.

Origenis error de terminabilitate pœnæ infernalis.

¶ *Non ergo ex consideratione vel humani vertibilitatis arbitrii, vel infinita Dei misericordia, allucinetur peccator, cum* Origene: *qui* sicut L ponebat, Angelos, & animas beatorum, quandoque à beatitudine in huius vitæ miserias deuoluendas: ita ponebat, dæmones, & animas damnatorum quandoque à pœna liberandas. *Hæc enim maxima deceptio est, tum ex adductis rationibus, tum ex irrefragabili sacrarum Scripturarum testimonio, præsertim* Mat. 25. *ubi apertè legimus, ad reprobos Christum iudicem dicturum*: Ite maledicti in ignem æternum. *Igitur, si à peccato non retrahit dulcis amor Patris, compescat saltem seueri iudicis timor. Si non abstrahit præmium virtutis, reuocet saltem peccati pœna. Si non reprimit Dei gloria, vel remoueat honor mundanus*: sicut *enim* proprium M præmium virtuosi est honor: ita pœna peccati est opprobrium, *Malach.* 2. Scandalizastis plurimos in lege. *Dei autem flagella pœnarum, vtique ob culpas nostras, hic infligentis, benedicamus humiliati dexteram, ad salutem nostram flagellantis*: *siquidem* pœna N corporalis, quæ cum patientia toleratur, est in remissionem peccatorum. *Et adeò quidem proficua est corporalis pœnalitas, libenter hic tolerata, vt purget magis, quàm post mortem à Deo immissa.* Pœna O in hac vita voluntariè suscepta multò plùs purgat, quàm pœna post mortem inflicta. *De quo fusiùs Vide V.* Tribulatio. *Illud tandem ad pœnæ necessitatem astruendam, ignorandum non est, quòd (ut præmisimus, & habetur in 2.* Ethic.) *ordinatur quidem pœna contra culpam, vt medicina*: *Verùm* non semper P ordinatur ut medicina illius, qui peccauit. Quod enim latro suspendatur, non est ad correctionem eius: similiter, quòd homo in Inferno damnetur.

L *4. d. 46. 2. 3. q. 1. fi. c. & 1. p. 64. 2. c. & 3. con. G. c. 144. & alibi.*
M *Ps. 38. lit. g. & Ps. 30. lit. 1. ibi*, opprobrium.

Pęna peccati, opprobrium.

N *Op. 4. §. de 6. præc. fi. & 1. 2. 87. 8. c.*

Pœna corporalis, patientèr hic tolerata, est in remissionem peccatorum.

O *4. d. 47. 2. 3. q. 2. ad 5.*

Et plùs purgat, quàm post mortem inflicta.

P *2. d. 36. 1. 3. d. 3.*

Pœna medicina est, non semper tamen peccantis, sed quandoque aliorum.

tur, Sed quandoque ordinatur ad culpam, vt medicina alterius: sicut fur suspenditur in bonum totius communitatis, ne passim furta committantur: & aliquis in Inferno damnatur ad decorem Vniuersi, ne aliquid inordinatum remaneat, si culpa per pœnam non ordinetur. DISCE *& ex propria, & aliorum pæna, culpam odisse. Vide* Consortium malorum *Tomo* 1. Damnatus *Tomo* 2. Parentes, Pœnitentia, Tribulatio.

X. Causa sufficienter complens peccatum, est sola voluntas. 1. 2. 75. 3. *fi. corp.*

Q 1.2.75.1. c. & 77.4.c.

Peccatum an & quomodo causam habeat.

u De *causa peccati, superest, vt ad vberiorem notitiam hic nonnulla adiiciamus*, Est *autem* peccatum Q quidam actus inordinatus. Ex parte igitur actus potest habere per se causam, sicut & quilibet alius actus, Ex parte autem inordinationis habet causam eo modo, quo negatio, vel priuatio potest habere causam. Sed cum inordinatio peccati, & quodlibet malum, non sit simplex negatio, sed priuatio eius, quod quidem natum est & debet habere, necesse est, quòd talis inordinatio habeat causam agentem per accidens. Quod enim natum est inesse, & debet, nunquam abesset, nisi propter aliquam causam impedientem: & secundùm hoc consueuit dici, quòd malum quod in quadam priuatione consistit, habet causam deficientem, vel agentem per accidens: omnis autem causa per accidens reducitur ad causam per se, Cum igitur peccatum ex parte inordinationis habeat causam agentem per accidens; ex parte autem actus habeat causam agentem per se: sequitur, quòd inordinatio peccati consequatur ex ipsa causa actus. Sic igitur voluntas carens directione regulæ rationis, & legis diuinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens, & præter intentionem. Prouenit enim defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. *Proinde, quia* peccatum R actus quidam est, hoc modo potest esse aliquid directè causa peccati, per quem modum aliquid directè est causa alicuius actus. Quod quidem non contingit, nisi per hoc, quòd proprium principium illius actus mouet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium. Vnde nihil potest directè esse causa peccati, nisi quod potest mouere voluntatem ad agendum. Sicut *autem* intellectus S mouetur ab obiecto, & ab eo, qui dedit virtutem intelligendi: ita voluntas mouetur ab obiecto, & ab eo, qui creat virtutem volendi. Potest autem moueri voluntas, sicut ab obiecto, à quocumque bono, non autem sufficienter, & efficaciter, nisi à Deo, Non enim sufficienter aliquid potest mouere aliquod mobile, nisi virtus actiua mouentis excedat, vel saltem adæquet virtutem passiuam mobilis, Virtus autem passiua voluntatis se extendit ad bonum in vniversali; est enim eius obiectum bonum vniversale, sicut & intellectus obiectum est ens vniversale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam particulare bonum; solus autem Deus est bonum vniversale: unde ipse solus implet voluntatem, & sufficienter eam mouet, ut obiectum. Similiter autem & virtus volendi à solo Deo causatur. Velle autem, nihil aliud est, quàm inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale. Inclinare autem in bonum vniuersale, est primi mouentis, cui proportionatur ultimus finis: sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune, est eius, qui præest multitudini. Vnde vtroque modo proprium est Dei mouere voluntatem, sed maximè *secundo modo* interiùs eam inclinando, *ex quo dicitur Prou.* 21. Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.

Nihil potest directè esse causa peccati, nisi quod potest mouere voluntatem R.

R 1.2.80.1.c.

S 1.p 105.4. c. & 111.2.c. & 1.2 9.6. & 80. 1. in 2. d. 15. 1. 3. & 3. con. G. c. 88. 89.

Voluntas dupliciter mouetur, ab obiecto scilicet & ab eo, qui creat virtutē volendi.

Mouetur sicut ab obiecto à quocumque bono: nō tamen efficaciter, nisi à Deo.

x *Nec ideò Deus, siue directè, siue indirectè, est aut esse causa peccati potest vel sui, vel alterius*. Non T directè, quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem. Deus autem omnia inclinat, & conuertit in seipsum, sicut in ultimum finem. Vnde impossibile est, quod sit sibi, vel alijs causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum: vnde non potest esse causa peccati. Similiter etiam neque indirectè. Contingit enim, quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad vitanda peccata; quod si præberet, non peccaret. Sed hoc totum facit secundùm ordinem suæ sapientiæ, & iustitiæ; cum ipse sit sapientia, & iustitia. Vnde non imputatur ei, quòd alius peccet, sicut causæ peccati. Sicut gubernator non dicitur causa submersionis nauis ex hoc, quòd non gubernat nauem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare. *Et quidem* sicut ars V non solùm est cognoscitiua, sed factiua eorum, quæ secundùm artem fiunt; eorum verò, quæ ab artis regulis deuiantur, est cognoscitiua; Ita etiam scientia Dei est factiua, & cognoscitiua omnium bonorum; malorum verò, siue peccatorum, quæ sunt deuiationes quædam ab æterna lege ipsius, scientia Dei est cognoscitiua, non autem causatiua. *Vlteriùs* effectus X causæ mediæ procedens ab ea, secundùm quod subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam: sed si procedat à causa media secundùm quod exit ab ordine causæ primæ, non reducitur in causam primam: sicut si minister faciat aliquid contra mandatum Domini, hoc non reducitur in Dominum, sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contra præceptum Dei, non reducitur in Deum, sicut in causam. *Cum igitur ex præmissis peccatum sit actus quidam inordinatus*, sicut quicquid Y est motus in claudicatione, causatur à virtute motiua, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiua, sed ex curuitute cruris: similiter quicquid est entitatis, & actionis in actione mala, reducitur in Deum, sicut in causam, sed quod est ibi defectus non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente. *Nec directè igitur nec indirectè Deus potest esse causa peccati. Vnde & dicitur Iac.* 1. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est.

y *Igitur sola voluntas nostra ex hac parte directè est causa peccati. Nam* per se causam Z peccati oportet accipere ex parte ipsius actus. Actus autem humani potest accipi causa interior, & mediata, & immediata. Immediata quidem causa humani actus est ratio & voluntas, secundùm quam homo est liber arbitrio: causa autem remota est apprehensio sensitiuæ partis, & etiam appetitus sensitiuus. Sicut enim

Qui & eam mouet solus, interiùs inclinando.

T 1.2.79.1. c. & 1.p.49.2. c. Ma. 3.1. c. con. G. c. 162. & alibi.

Nec tamen, siue directè, siue indirectè, potest esse causa peccati.

V Quol. 5. 1. 2. c.

Scientia Dei est cognoscitiua, & factiua bonorum: malorum autem cognoscitiua, non causatiua.

X 1. 2. 79.1. ad 3.

Y 1. p. 49.2. ad 2. & 1. 2. 79.2. c. Pu. 1. 6. ad 5. Ma. 3. 2. c. & 3. con. G. 71. & 162.

Duplex peccati causa interior, mediata & immediata.

Z 1. 2. 75. 2. c. & 4. 3. c. & 80. 1. c.

enim

enim ex iudicio rationis voluntas mouet ur ad aliquid secundùm rationem : ita etiam ex apprehensione sensus, appetitus sensitiuus in aliquid inclinatur. Quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem & rationem. Sic igitur duplex causa peccati interior potest assignari. Vna proxima ex parte rationis & voluntatis: Alia verò remota ex parte imaginationis, vel appetitus sensitiui. *Ex quo sequitur, quòd* aliquid A extrinsecum tripliciter potest esse causa peccati. Vel quia moueret immediatè ipsam voluntatem: vel quia moueret rationem: vel quia moueret appetitum sensitiuum. Voluntatem autem interiùs mouere non potest nisi Deus, qui non potest esse causa peccati (*vt visum est*.) Vnde relinquitur, quòd nihil exterius potest esse causa peccati, nisi vel in quantùm mouet rationem, sicut homo, vel dæmon persuadens peccatum (*vti primò suasisse contigit Euæ*:) vel sicut mouens appetitum sensitiuum, sicut aliqua sensibilia exteriora mouent appetitum sensitiuum. Sed neque persuasio exterior in rebus agendis ex necessitate mouet rationem: neque etiam res exteriùs propositæ ex necessitate mouent appetitum sensitiuum, nisi fortè aliquo modo dispositum: & tamen etiam appetitus sensitiuus non ex necessitate mouet rationem, & voluntatem. Vnde aliquid exterius potest esse aliqua causa mouens ad peccandum; non tamen sufficienter ad peccandum inducens; sed causa sufficienter complens peccatum (*quod aiebat initio Author*) est sola voluntas. *Quomodo autem sensitiuus appetitus voluntatem moueat, facilè apparet, si consideremus, quòd* id B quod apprehenditur sub ratione boni & conuenientis, mouet voluntatem per modum obiecti. Quòd autem aliquid videatur bonum, & conueniens, ex duobus contingit, scilicet ex conditione eius, quod proponitur, & eius cui proponitur: conueniens enim secundùm relationem dicitur; vnde ex vtroque extremorum dependet. Et inde est, quòd iustus diuersimodè dispositus, non eodem modo accipit aliquid ut conueniens, & vt non conueniens. *Qualis enim vnusquisque est* ex 3. Ethic. *talis finis videtur ei*. Manifestum est autem, quòd secundùm passionem appetitus sensitiui immutatur homo ad aliquam dispositionem. Vnde secundùm quod homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conueniens, quod non videtur ei extra passionem existenti: sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto. Et per hunc modum ex parte obiecti appetitus sensitiuus mouet voluntatem. *Et ita indirectè appetitus sensitiuus est causa peccati voluntatem mouens, nec tamen sufficienter & efficaciter ita ut reniti voluntas non possit, secundùm illud* Gen. 4. Sub te erit appetitus eius, *videlicet peccati*, & tu dominaberis illius. *Quòd autem frequentiùs & faciliter ab appetitu sensitiuo voluntas hominis ad peccandum moueatur, ex defectu prouenit natura corrupta*. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, *ut dicitur* Gen. 8. *Et quidem mirandum simul, & deplorandum est, quòd* in unaquaque C specie defectus naturæ accidit ut in paucioribus: in solis autem hominibus malum videtur esse vt in pluribus. Quia bonum hominis secundùm sensum corporis non est bonum hominis in quantum homo, sed secundùm rationem. Plures autem sequuntur sensum, quàm rationem.

A 1.2.75.3. c. & 80. l.c.

Dupliciter aliquid extrinsecum potest esse causa peccati.

Nec tamen ad illud voluntatem necessitare.

Sola voluntas per se directè causa peccati.

B 1.2.9.2.c. & 77.5. Ver.5. 10. & q.22.9. ad 3. & 6.

Quomodo appetitus sensitiuus voluntatem mouere intelligatur.

C 1.p.49.3. ad 5. & 1.2.71. 2. ad 3. in 1. d. 39.2.2. ad 4. in 2 d.1.1.1. ad 3. & 3. con. G. c. 6. ad 1. Pet. 3.6 ad 5. Ma. 3.5. ad 16.

In unaquaque specie defectus naturæ est ut in paucioribus: in solis autem hominibus ut in pluribus: quia plures sequuntur sensum, quàm rationem.

2 *Sed & diabolus* D interiùs persuadet peccatum, imprimendo in vires sensitiuas inferiores, vel exteriores. Per modum autem disponentis potest esse causa peccati, in quantùm per similes commotiones spirituum, & humorum, facit aliquos magis dispositos ad irascendum, vel ad concupiscendum, vel ad aliquid huiusmodi. Manifestum est enim, quòd corpore aliqualiter disposito est homo magis pronus ad concupiscentiam, & iram & huiusmodi passiones: quibus insurgentibus homo disponitur ad consensum. Sic ergo diabolus interiùs instigat ad peccatum persuadendo, & disponendo, non autem perficiendo peccatum: *quod sola voluntas facit. Cæterum* occasionaliter E quidem, & indirectè, diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, in quantùm induxit primum hominem ad peccandum: ex cuius peccato in tantùm vitiata est humana natura, vt omnes ad peccandum procliues simus (*vt prætactum est*:) sicut si diceretur esse causa combustionis lignorum qui ligna siccaret, ex quo sequeretur, quòd facilè incenderentur. *Nec tamen negandum est, quòd* diabolus F propria virtute, nisi refrænetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est: non autem potest inducere necessitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quòd homo motiuo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cuius vsum totaliter impedire potest mouendo imaginationem & appetitum sensitiuum, sicut in arreptitijs patet. Sed tunc ratione sic ligata quicquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum; sed si ratio non sit totaliter ligata, ex ea parte, qua est libera, potest resistere peccato. Vnde manifestum est, quòd Diabolus nullo modo potest necessitatem inducere ad peccandum, *aut eam cogere*. (*Nec mirum: quia & ipse* Deus G potest quidem immutare voluntatem de necessitate: non tamen potest eam cogere. Cum enim Deus voluntatem immutat, facit, vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ità quòd una aufertur, & alia manet. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi iam existenti, sed inclinationi, quæ priùs inerat: unde non est violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsum: hac autem inclinatione manente, si sursum projiciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis: tunc ferri sursum, non erit ei violentum; & ita immutatio motus potest esse sine violentia. Et per hunc modum intelligendum est, quòd Deus voluntatem immutat sine eo, quòd voluntatem cogat.) *Verumtamen* non est H aliquod genus peccati, quod interdum ex instinctu diaboli non proueniat: *cui & nos faciliter morem gerimus. Sanè* primum peccatum I diaboli (*qui ab initio peccat*, ut dicitur 1. Io. 3.) propositum est omnibus ad sequendum: quod quidam imitantur per suggestionem ipsius: quidam propria sponte absque ulla suggestione: & secundùm hoc omnium malorum caput est diabolus, in quantùm ipsum imitantur, secundùm illud Sap. 2. *Inuidia diaboli, mors introiuit in Orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*. Sponte *inquam ne-*

D Ma.3.4.fi. c. & q.16.11.c. & 1.2.75.3.c. & 80.1.c.

Diabolus instigat ad peccatum persuadendo & disponendo, non autem perficiendo.

Qui dicitur omnium peccatorum causa occasionaliter, & indirectè.

E 1.2.80.4.c. & 1.p.114.3. c. Ma.3.5.c.

F 3.p.80.3.c. & 77.7.

Potest inducere ex necessitate ad faciendũ actũ, qui sit peccatum; non tamen potest in ducere necessitatem peccandi, aut coactionem.

Nec Deus potest voluntatem cogere, quamuis de necessitate immutet.

G Ver.22.8. c. & 1.p.105.4

H Ma.3.5.fi. c. 1.p.114.3. & 1.2.80.4.

I 3.p.8.7. ad 2.

Quo sensu diabolus caput omnium malorum.

Nos illius immò tentationes præuenimus.

L Apoc. 13. com. 2. §. 3. ibi, cauda.

nostra peccantem diabolum imitamur: quod est ex malitia, non ex dæmonis suggestione peccare; cuius immò tentationes præuenimus. Diabolus L quosdam trahit violenter, quosdam fraudulenter: sunt & multi, qui, nullo istorum modorum trahuntur; sed ipsi secum trahunt peccata post se, & ad se, tentationes præueniendo, de quibus *dicitur Is.* 5. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. *Sed & friuola est de Satanæ tentatione quæcumque excusatio. Nam* cum liberum arbitrium M non possit cogi ad peccandum, quantumcumque sit dæmon fortis, homo resistere potest. Vnde dicitur, quòd *debilis est hostis, qui non potest vincere, nisi volentem*: & super hoc homini adest præsidium Angeli, & auxilium diuinum, si suscipere velit. *Tentat ergo Satanas hominem, vt ad peccatum inducat: nec tamen ad peccandum cogit. Hinc vbi assumpsit Dominum, statuitque super pinnaculum templi, dixit ei Mat.* 4. Mitte te deorsum. *Videlicet* quia N eius intentio est semper præcipitare, sicut & ipse præcipitatus est: at notat etiam infirmitatem suam, quia nullus nisi volens, ab eo vincitur. Vnde dicit: *Mittete (quasi ex voluntate tua)* non præcipitat, quasi cogendo. *Plura de causa peccati apud Authorem O.* DISCE *& peccatum ex nobis esse, & perditionem. Vide* Diabolus *Tomo* 2. Tentatio, Voluntas.

M 1. d. 11. exp 1. p. tex.

Diabolus non potest vincere, nisi volentem.

N Mat. 4. lit. a. ibi.

O 1. p. quæst. 105. 111. 115. & 1. 2. q. 9. & à q. 75. Ma. q. 3. Ver. q. 22. & 3. con. G. à cap. 80.

PECCATVM VENIALE.

XI. Ex hoc quòd aliquis consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subijcere, disponitur adhoc, quòd etiam voluntatem suam non subijciat ordini vltimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere. 1. 2. 88. 3. fi. corp.

a QVod *spectat ad nominis etymon*, peccatum P venialeà venia dicitur. Potest igitur aliquod peccatum dici veniale *Vno modo*, quia est veniam consecutum, & sic dicit, *Ambrosius*, quòd omne peccatum per pœnitentiam fit veniale: & hoc dicitur veniale *ex euentu*: (sicut *etiam* ex euentu Q dicitur peccatum veniale motus concupiscentiæ sine consensu.) *Alio modo* dicitur veniale, quia non habet in se, vnde veniam non consequatur vel totaliter, vel in parte. In parte quidem, sicut cum habet in se aliquid diminuens culpam, vt cum fit ex infirmitate, vel ignorantia: & hoc dicitur veniale *ex causa*. In toto autem ex eo, quòd non tollit ordinem ad vltimum finem, vnde non meretur pœnam æternam, sed temporalem: & de hoc veniali ad præsens intendimus. De primis enim duobus constat, quòd non habent genus determinatum: sed veniale, *tertio modo* dictum, potest habere genus determinatum, ita quòd aliquod peccatum dicatur veniale ex genere, & aliquod mortale ex genere, secundùm quod genus, vel species actus determinatur ex obiecto. Cum enim voluntas fertur in aliquid, quod secundùm se repugnat charitati, per quam homo ordinatur

P 1. 2. 88. 2. c. & 77. 8. ad 1. In 2. d. 21. 2. 3. ad 5. & d. 42. 1. 4. In 4. d. 17. 3. 5. q. 1. ad 2. Ma. 3. 15. ad 5. & q. 7. 1. c.

Vnde dicatur veniale peccatum, & quotupliciter.

Q Ma. 3. 15. ad 5. in 2. d. 42. 1. 4. fi. c.

in vltimum finem, illud peccatum ex suo obiecto habet, quòd sit mortale. Vnde est mortale ex genere, siue sit contra dilectionem Dei, sicut blasphemia, periurium, & huiusmodi: siue contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, & similia. Vnde huiusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque verò voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quandam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi; sicut verbum ociosum, risus superfluus, & alia huiusmodi. Et talia sunt peccata venialia ex suo genere. *Ex quo præmissa doctrina mox difficultas insurgit, num in superiori ratione possit esse veniale peccatum, cum inibi sit deliberatio. Cui plenè satisfit, si consideretur, quòd* ratio R superior, in quantùm inhæret rationibus æternis conspiciendis, quæ sunt proprium eius obiectum, potest habere & actum deliberatum, & actum non deliberatum, qui subreptio dicitur: (*Ex quo dicitur veniale* ex subreptione, *vt contradistinguitur à veniali* ex electione, *vt mox dicetur.*) Quamuis enim rationis sit deliberare: necesse est tamen, quòd in omni deliberatione includatur absoluta consideratio: nam deliberatio nihil aliud est, quàm quædam discussio & quodammodo mobilis consideratio. In omni autem motu inuenitur aliquid indiuisibile, sicut & in tempore inuenitur instans, & in linea punctus. Si ergo in superiori ratione circa proprium obiectum fuerit peccatum *ex subreptione*, erit peccatum veniale, putà cum aliquis subito apprehendit tanquam impossibile Deum trinum, & vnum. Non enim est hoc ante peccatum mortale, quàm ratio aduertat, hoc esse contra mandatum Dei: de ratione enim peccati mortalis est, quod sit contra præceptum Dei. Cum ergo per deliberationem perceperit ratio, quòd discedere est contra præceptum Dei, efficietur mortale, si discedat. In eo verò, quod inhæret rationibus æternis, tanquam medio, eas consulendo, non potest esse peccatum ex subreptione, quia ipsum consilium deliberationem importat. Potest tamen nihilominùs etiam hoc modo in ratione superiori esse peccatum veniale, & mortale. In consulendo enim quærimus & per quid aliquid fieri possit, & per quid aliquid melius fiat. Dupliciter ergo in consulendo rationes æternas potest esse peccatum. Vno modo, in quantùm secundùm huiusmodi deliberationes acceptatur aliquid, quod est omninò contrarium fini, vt eo posito non possit ad finem perueniri; & tunc est peccatum mortale, putà cum aliquis deliberans, fornicationem esse contra legem Dei, & nihilominus eam eligit, peccat mortaliter. Cum verò acceptatur aliquid, quod non excludit finem, sed tamen sine eo meliùs ad finem perueniri possit, quia in aliquo retardat à fine, vel disponit ad contrarium finis, tunc est peccatum veniale: putà cum aliquis dicit verbum ociosum, etiam deliberans, quòd est peccatum veniale, disponens ad mortale, & in aliquo deficiens à rectitudine iustitiæ, quæ ducit ad Deum. *Quod quidem veniale dicunt* ex electione. *Porrò* diuisio S peccati in veniale & mortale non est diuisio generis in species, quæ æqualiter participant rationem generis; sed analogi in ea, de quibus prædicatur secundùm prius & posterius. Et ideò perfecta ratio peccati, quam *Augustinus* ponit, conuenit peccato mortali; peccatum autem veniale, dicitur peccatum secundùm rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale: (sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam,

Num in superiori ratione possit esse veniale peccatum.

R Ma. 7. 5. Ver. 15. 5. & 1. 2. 74. 9. & 10. in 2. d. 24. 3. 5.

Subreptio quid, siue quid veniale ex subreptione.

Quid electione.

S 1. 2. 88. 1. ad 1. & a 3. ad 1. & 2. 2. 105. 1. ad 1. in 2. d. 3. 1. 2. ad 5. & 42. 1. 3 & exp. tex. in 4. d. exp. tex. Ma. 7. 1. ad 1.

Qualis peccati diuisio in mortale & veniale.

tiam, secundùm imperfectam rationem entis:) non enim est contra legem. Quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, sed facit præter legem, quia non obseruat modum rationis, quem lex intendit. *Enimuerò* peccatum T mortale & veniale differunt in infinitum ex parte auersionis, non autem ex parte conuersionis, per quam respicit obiectum, ex quo peccatum speciem habet; vnde nihil prohibet, in eadem specie inueniri aliquod peccatum mortale & veniale: sicut primus motus in genere adulterij est peccatum veniale.

Veniale non est cōtra, sed præter legem.

T 1.2. 72.5. ad 1. in 4. d. 16 3.2. q. 4. ad 5. & d. 21. 1. 2. q. 3. ad 1.

b *Hinc multiplex apparet à mortali venialis culpæ discrimen. Et quidem principaliter* à peccato V mortali veniale deficit ex hoc quòd non omninò à fine deordinat, sed aliquo modo à fine retardat, ordine ad finem saluato: vnde deficit ex parte illa, ex qua peccatum formaliter rationem mali habet, *in quo mortale peccatum consistit*. Auerti *enim* à fine X incommutabili est dupliciter: vel in habitu, vel in actu tantùm. Secundùm habitum auertitur qui sibi alium finem contrarium ponit; & hoc est in peccato mortali. Vnde qui peccat mortaliter, est sicut recedens à via. In actu vero tantùm aliquis auertitur, quando aliquis actum aliquem facit, quo in Deum non tendit ex eo, quòd inordinatè ei, quod est ad finem, inhæret; non tamen ita, vt illud quod est ad finem, quasi finem constituat: & hoc est in peccato veniali. Vnde peccans venialiter assimilatur ei, qui nimis moratur in via; & hoc non est auerti, nisi secundùm quid: sicut etiam quod retardat motum corporis grauis, non aufert grauitatem suam, & inclinationem in finem: auferret autem, si contrarium sibi motum daret, vt quando ex graui, leue generatur. *Item* peccatum Y, quod completam rationem culpæ habet, directè gratiæ opponitur: peccatum verò veniale, quod imperfectam rationem culpæ habet, non opponitur gratiæ, nisi indirectè, vt scilicet est dispositio quædam ad mortale. *Consequenter* quodlibet Z peccatum mortale contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum. Et ideò per vnum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, in quantùm sunt virtutes: (& hoc dicitur propter fidem & spem, quarum habitus remanent informes post peccatum mortale; & sic non sunt virtutes.) Sed peccatum veniale, quod non contrariatur charitati, nec excludit ipsam, per consequens etiam non excludit alias virtutes. Virtutes verò acquisitæ non tolluntur per vnum actum cuiuscumque peccati. Et sic peccatum mortale non potest simul esse cum virtutibus infusis: potest tamen simul esse cum virtutibus acquisitis. Peccatum verò veniale potest simul esse & cum virtutibus infusis & cum acquisitis. *Docemur proinde, quod cum peccatum, vt vidimus, sit quidam animæ morbus*: sicut sunt A quidam morbi curabiles, quidam incurabiles, qui dicuntur mortales: ita sunt quædam peccata quasi curabilia, quæ dicuntur venialia; & quædam, quantùm est de se, incurabilia (*licèt à Deo curari possint*) quę dicuntur mortalia. Dicitur autem morbus incurabilis & mortalis, per quem tollitur aliquod principium vitæ: hoc enim si tollatur, non remanet aliquid, per quod reparari possit. Et ideò talis morbus curari non potest, sed inducit mortem: (*vt Num. præced. visum est.*) Est autem aliquis morbus, qui non tollit aliquod principiorum vitæ, sed aliquod eorum consequentium ad principia vitæ, quia

Multiplex venialis à mortali discrimen.

V 2. d. 35. 1. 2 ad 2. & d. 42 1. 3. ad 5.

Duplex à fine auersio.

X 2. d. 42. 1. 3. ad 5.

Y Ibid. ad 4. in 4. d. 22. 1. 3. q. 1. ad 1.

Mortale opponitur directè gratiæ: veniale indirectè tantùm.

Z 1. 2. 71. 4. c. & 63. 2. ad 2 & 73. 1. ad 2. & 2. 2. 24. 12. Virt. 2. a 6. & 13. in 3. d. 31. 1. 1.

Primum excludit virtutes infusas, non ita secundum.

A Ma. 7. 1. c. & 1. 2. 88. 2. in 2. d. 42. 1. 4. c.

Peccatum veniale morbus curabilis: mortale incurabilis, mortem inducens.

per principia vitæ reparari possunt, putà febris tertiana, quæ consistit in superabundantia choleræ, quam virtus naturæ superare potest. Principium autem in operationibus est finis secundùm Philosophum, *in 6. Ethic.* Vnde principium spiritualis vitæ, quæ consistit in rectitudine actionis, est finis humanarum actionum, qui est charitas Dei, & proximi. *Finis enim præcepti est charitas*, vt dicitur *1. ad Tim. 1.* Per charitatem enim anima coniungitur Deo, qui est vita animæ, sicut anima est vita corporis; & ideò si charitas excludatur, est peccatum mortale: non enim remanet aliquod principium vitæ, per quod iste defectus reparetur. Sed reparari potest per Spiritum Sanctum, quia sicut dicitur Rom. 6. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Si autem sit talis defectus rectitudinis, qui charitatem non excludat, erit peccatum veniale: quia per charitatem remanentem, quasi per principium vitæ omnes defectus reparari possunt: *Vniuersa* enim *delicta operit charitas*, vt dicitur *Prou.* 10. Quod autem aliquod peccatum excludat charitatem, vel non excludat, potest contingere dupliciter. Vno modo ex parte peccantis, alio modo ex ipso genere operis. Ex parte quidem peccantis dupliciter. Vno modo, quia actus peccati est potentiæ talis, cuius non est ordinare ad finem; & ideò nec eius est auerti à fine; & ideò motus sensualitatis non potest esse peccatum mortale, sed veniale tantùm. Ordinare enim aliquid ad finem, pertinet ad rationem tantùm. Alio modo, ex eo quòd potentia, quæ potest ordinare in finem, & auerti à fine, actum aliquem, qui etiam de se non contrariatur fini, potest ordinare in contrarium finis; putà, si quis verbum ociosum dicat in contemptum Dei, quod contrariatur charitati, hoc erit peccatum mortale, sed non ex genere operis, sed ex peruersa voluntate facientis. Alio modo contingit, quòd aliquod peccatum contrarietur charitati, vel non contrarietur, ex ipso genere operis, quod est ex parte obiecti, vel materiæ, quæ est contraria charitati, vel non contraria: sicut enim aliquis cibus est ex se contrarius vitæ, puta cibus venenosus: aliquis autem cibus non est contrarius vitæ, licèt impedimentum aliquod afferat ad rectam habitudinem vitæ, putà cibus grossus, & non bonæ digestionis, vel etiam si sit bonæ digestionis, quia non sumitur secundùm mensuram debitam: Ita etiam in actibus humanis aliquid inuenitur, quod de se contrariatur charitati Dei & proximi: illa scilicet, per quæ tollitur subiectio, & reuerentia hominis ad Deum, vt blasphemia, idololatria, & huiusmodi: & etiam ea, quæ tollunt conuictum societatis humanæ, sicut furtum, homicidium, & huiusmodi: non enim possent homines conuiuere ad inuicem, vbi passim, & indifferenter ista perpetrarentur. Et ista sunt peccata mortalia ex suo genere, quacumque intentione, vel voluntate fiant. Quædam autem sunt, quæ licèt inordinationem aliquam contineant, non tamen directè excludunt alterum prædictorum. Sicut quòd homo dicat mendacium non in fide, neque ad nocendum proximo, sed ad delectandum, vel etiam ad iuuandum. Vel si quis excedat in cibo, vel potu, & alia huiusmodi. Vnde ista sunt venialia peccata ex suo genere.

Charitatis vis.

Quòd hæc excludatur ab anima, vel non, dupliciter potest contingere.

Motus sensualitatis non potest esse peccatū mortale, sed veniale tantùm.

Allegoria ciborum corporalium ad actus humanos, vitæ que corporalis ad vitam spiritualem.

c *Ex his deducitur*, quòd peccatum B veniale, cum non importet auersionem, propriè loquendo, non habet rationem offensæ. *Et quidem* ratio C peccati perfectè in mortali inueni-

B Ma. 7. 2. ad 10.

Veniale propriè non habet rationem offensæ & peccati simpliciter, sed secundùm quid.

C 2. d. 42. 1. 3. c. in 4. d. 4. 2. 1. q. 1. ad 3. & d. 43. 1. 1. q. 1. ad 3. Ver. 25. 5. fi. c. Ma. 7. 1. ad 1. & 1. 2. 88. 1. ad 1.

D Ma. 7. 5. ad 4. & a. 6. ad 7.

E Ma. 7. 1. ad 1.

Nec propriè habet maculam.

In p. m. peccatum, & peccans Deo displicent: in veniali peccatum, non persona.

F Ps. 14. lit. b. ibi.

G 4. d. 16. 2. 1. q. 2. ad 3.

uenitur: in veniali verò nonnisi imperfectè, & secundùm quid. Vnde minimum, quod potest esse de ratione peccati in aliquo actu, est in veniali: ficut minimum, quod potest esse de natura entis, est in ente in potentia, & in ente per accidens. *Et ita* peccatum D mortale est peruersitas, & malum simpliciter: peccatum autem veniale non propriè potest dici peruersitas, nec est malum, nisi secundùm quid. *Vt enim prætactum est*, peccatum E veniale non est contra legem, sed præter legem: quia etsi in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quæ est *plenitudo legis*, vt dicitur *Rom.* 12. *Hinc illud Ps.* 14. Qui ingreditur sine macula &c. *exponitur*, idest F sine mortali, quia peccatum veniale non habet maculam propriè, *Eccli.* 31. Beatus diues, qui inuentus est sine macula. *Ex quo sequitur, quòd* peccatum G mortale ita Deo displicet, quòd etiam facit ipsum peccantem Deo displicentem, in quantum pulchritudinem gratiæ, quam Deus in ipso amat, aufert (*Sap.* 14. Odio sunt Deo impius, & impietas eius.) Sed peccatum veniale, quamuis Deo displiceat, quia inordinatum est, non tamen facit peccantem Deo displicentem, quia non aufertur claritas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur: & ideò *Gregorius* dicit, quòd peccatum veniale obscurat, sed mortale obtenebrat. *Vnde & illum* H qui peccat venialiter, Deus punit, non tanquam odiens ipsum: sed tanquam filium, quem diligit, purgans, & emundans. *Hinc & coharenter docemur, quòd* sicut I venialia dicuntur peccata, quasi dispositiua ad peccandum, non quòd simpliciter habeant & perfectè rationem peccati: ita pœna, quæ eis redditur in purgatorio, non est simpliciter retributio, sed magis purgatio quædam, quæ seorsum fit in corpore per mortem, & incinerationem, & in anima per purgatorium ignem. *Porrò differentiam hanc venialis, & mortalis culpæ expressit satis Dominus* Io. 13. *cum ad Petrum, sibi pedes lauari renuentem, ait*: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. *Vbi considerat Author, quòd* Apostoli L post Christum perfectiores erant: & tamen lotione indigebant aliquas habentes immunditias. Vt sic detur intelligi, quòd quantumcumque homo sit perfectus; nihilominùs tamen magis perfici indiget, & aliquas immunditias contrahit, secundùm illud Prou. 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Sed tamen huiusmodi immunditias habent in pedibus tantùm. Quidam autem non solùm in pedibus, sed etiam totaliter sunt infecti. Illi enim totaliter terrenis immunditijs sordidantur, qui supra eas iacent. Vnde qui totaliter & secundùm affectum, & secundùm sensum amori terrenorum inhærent, totaliter immundi sunt. Sed illi, qui stant, idest mente & desiderio tendunt ad cœlestia, immunditiam contrahunt solùm in pedibus. Sicut enim hominem stantem oportet ad minus pedibus terram contingere: ita quandiu viuimus in hac vita mortali, quæ rebus terrenis ad sustentationem corporis indiget, ad minus ex parte sensualitatis aliquid contrahimus. *Sed & consonè ad hæc, super illud Petri respondentis*: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput, *subtiliter aduertit, quòd* in homine M tria sunt. Caput, quod est summum; pedes, qui sunt infimi; manus, quæ sunt mediæ. Et similiter in interiori homine, scilicet in anima, est caput, scilicet ratio superior, qua anima inhæret Deo, 1. Cor. 11. *Caput mulieris vir*, idest

H Ma. 7. 1. ad 23.

Venialiter peccantem punit Deus non tanquam odiens, sed tanquam filium purgans, & emundans.

I 4. d. 43. 1. 1. q. 1. ad 3.

L Io. 13. l. 2. lit. b. & h.

Venialia exprimútur per immunditias pedum: & quare.

M Ibid. lit. g. ibi.

Quid per caput, per manus, per pedes mysticè intelligatur.

superior ratio. Manus autem, idest inferior ratio, quæ vacat operibus actiuæ vitæ. Pedes autem sunt sensualitas. Sciebat Dominus discipulos suos mundos quantùm ad caput, quia Deo coniuncti erant per fidem & charitatem: & quantùm ad manus, quia eorum sancta opera: sed quantùm ad pedes aliquos affectus terrenorum ex sensualitate habebant. Petrus autem timens Christi comminationem: (*si non lauero te, non habebis partem mecum*: Nullus enim N æternæ hæreditatis particeps fieri potest, & Christi cohæres, nisi spiritualiter sit mundatus, quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, Apoc. 21.) consentit non solùm ad ablutionem pedum, sed & manuum, & capitis, dicens: *Domine, non tantùm pedes meos &c.* Quasi dicat: Nescio an indigeam ablutione manuum, & capitis: *Nihil enim mihi conscius sum &c.* Et ideò paratus sum lauare, *non tantùm pedes meos*, idest affectus inferiores, *Cant.* 5. Laui pedes meos &c. *Sed & manus*, idest opera, *Ps.* 25. Lauabo inter innocentes manus meas: *& caput*, idest rationem superiorem, *Mat.* 6. Faciem tuam laua. *Præterea ex allegatis Domini verbis*, qui lotus est &c. *utiliter instruimur, quòd* per hoc O datur intelligi, quòd Apostoli iam baptizati erant; sed cum baptismus abstergat etiam sordes pedum, videtur, quòd *qui lotus est*, idest baptizatus, *non indiget, vt pedes lauet*. Sed dicendum, quòd si statim post baptismum transirent de Mundo, non vtique indigerent hac ablutione: quia cum sint mundi toti, statim euolarent. Sed qui post baptismum viuunt in hac vita mortali, non possunt ad tantum culmen perfectionis ascendere, quin etiam inordinati motus sensualitatis de affectibus terrenis insurgant, & ideò oportet, *ut pedes lauent*, 1. *Io.* 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *Quod quidem* non est P intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis: sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus; *ita quòd* hoc Q verbum, *non habemus*, non determinatum, sed confusum præsens importat. *Et alibi*: Non fuit R intentio Apostoli dicere, quòd non sit aliquod momentum, in quo homo non sit sine peccato quoad culpam: sed quia vita ista à nullo sine peccato agitur; & quia, etiam dimissa culpa, reatus aliquis manet.

d *An verò, & quomodo venialis culpa fieri possit mortalis? Respondet Author, quòd* peccatum S veniale fieri mortale, potest tripliciter intelligi. *Vno modo* sic, quòd idem actus numero primò sit peccatum veniale, & postea mortale. Et hoc esse non potest: quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis; vnde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur, quamuis etiam actio secundùm naturam sit continua. Si autem voluntas non mutetur, non potest esse, quòd de veniali fiat mortale. *Alio modo* potest intelligi, vt id, quod est veniale ex genere, fiat mortale. Et hoc quidem possibile est, in quantùm constituitur in eo finis, vel in quantùm refertur ad mortale peccatum, sicut ad finem: (*sicut* cum aliquis T ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.) *Tertio modo* potest intelligi ita, quòd multa venialia peccata constituant vnum peccatum mortale. Quod si sic intelligatur, quòd ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur vnum peccatum mortale, falsum est;

non

N Ibid. lit. f.

O Ibid. lit. h.

P 3. p. 79. 4. ad 2. in 4. d. 12. 2. 2. q. 1. ad 1. & 1. Io. 1. §. 3. ibi.

Sine peccatis venialibus neque sancti hic vitam ducūt: licèt ad horā aliquam possint esse immunes.

Q 3. d. 3. ... ex.

R 4. d. 21. 1. 1. ad 4. Ma. 7. 12. ad 4.

S 1. 2. 88. 4. c. & a. 2. fi. c. in 2. d. 24. 3. 6. & d. 42. 1. 4. Ma. 7. 3. & q. 14. 2. c. & Ps. 31. lit. f. fin.

Peccatum veniale fieri mortale tripliciter intelligitur.

T 1. 2. 88. 2. fi. c.

non enim omnia peccata venialia de Mundo possunt habere tantum de reatu, quantum vnum mortale. Quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ; peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis. Patet etiam ex parte pœnæ damni: quia peccatum mortale meretur carentiam visionis diuinæ, cui nulla alia pœna comparari potest, vt *Chrysostomus* dicit. Patet etiam ex parte pœnæ sensus, quantùm ad vermem conscientiæ: licèt fortè quantùm ad pœnam ignis non sint improportionabiles pœnæ. Si verò intelligatur, quòd multa peccata venialia faciant unum mortale dispositiuè: sic verum est, secundùm duos modos dispositionis, quibus peccatum veniale disponit ad mortale: *de quo infrà*. *Caeterùm* nihil V prohibet, aliquid non esse peccatum mortale simpliciter, quod tamen in casu est peccatum mortale. Sicut non dare eleemosynam pauperi fame morienti est peccatum mortale, quod tamen aliàs peccatum mortale non esset. *Quemadmodum etiam* nihil X prohibet, ex peccato veniali oriri mortale (cum veniale sit dispositio ad mortale:) sicut inobedientia ex inani gloria: *& generaliter alia mortalia ex vitiis capitalibus, quæ vt plurimùm venialia sunt. Non ita ex opposito peccatum mortale fieri veniale potest*. Nam veniale Y & mortale differunt, sicut perfectum, & imperfectum, in genere peccati. Imperfectum autem per aliquam additionem potest ad perfectionem venire: vnde & veniale per hoc, quòd additur ei deformitas pertinens ad genus peccati mortalis, efficitur mortale: sicut cum aliquis dicit verbum ociosum, vt fornicetur. Sed id, quod est perfectum, non potest fieri imperfectum per additionem. Et ideò peccatum mortale non fit veniale per hoc, quòd additur ei aliqua deformitas pertinens ad genus peccati venialis. Non enim diminuitur peccatum eius, qui fornicatur, vt dicat verbum ociosum, sed magis aggrauatur propter deformitatem adiunctam: (*sicut* fit Z ex puero vir, sed non conuertitur.) Potest tamen id, quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus. Et hoc fit per subtractionem quandam, scilicet deliberatæ rationis: & quia à ratione deliberata habet speciem moralis actus, inde est, quod per talem subtractionem soluitur species.

Quod non est peccatū mortale simpliciter, potest tale esse in casu.
V Ma. 3. 10. ad 4.
X 2.2.105.1. ad 2.
An peccatum mortale fieri veniale possit.
Y 1.2.88.6.c. Ma. 7. 2. ad 8. & a. 3 ad 9.
Z 1.2. loc. cit. ad 1.

e *Ex his deducitur, quales sint culpæ venialis effectus in anima, ad differentiam mortalis*. *Etenim* per peccatum A mortale mens omninò auertitur à Deo, vtpotè contra charitatem agens: per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur. *Vnde* peccatum B veniale non contrariatur habituali gratiæ, vel charitati, sed retardat actum eius, in quantùm nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra Deum. *Eapropter quia* veniale C peccatum non habet contrarietatem ad charitatem (non enim est inordinatio circa vltimum finem, qui est obiectum charitatis) ideò nullo modo charitatem habitam diminuit. Potest tamen peccatum veniale esse aliqua causa, vt à principio minor charitas infundatur, in quantùm scilicet impedit actum liberi arbitrij, quo homo ad gratiam suscipiendam disponitur. Et per hunc etiam modum potest impedire, ne charitas habita crescat, impediendo scilicet actum meritorium, quo quis charitatis augmentum meretur. *Sanè* sicut D veniale non est peccatum simpliciter (*vt visum est*) sed solùm in quantùm est dispositio ad mortale: ita etiam priuat bonum, quod se habet, vt dispositio ad charitatem, idest feruorem, qui contingit in habilitate actus ex diligenti obedientia, vel subiectione inferiorum virium ad superiorem partem affectus, in qua est charitas. *Verumtamen* feruor E potest accipi dupliciter. *Vno modo* secundùm quod importat intensionem inclinationis amantis in amatum: & talis feruor est essentialis charitati, & non diminuitur per veniale peccatum. *Alio modo* dicitur feruor charitatis, secundùm quod redundat in motu dilectionis etiam in inferiores vires, vt quodammodo non solùm *Cor, sed etiam caro exultet in Deum*: & talis feruor diminuitur per veniale peccatum absque diminutione charitatis.

Quales culpæ venialis, effectus in anima.
A 3.p. 87.1. initio c.
B Ibid. a. 2. initio c. Ma. 7. 2 ad 14.
Retardat affectum hominis, ne promptè feratur in Deum.
C Ma. 7. 2 fi. c. & 2 2.24.10. c. in 1. d. 17. 2. 5.
Non tamen minuit charitatem habitam: licèt possit impedire, ne habita crescat, aut esse in causa, vt minor infundatur.
D 1. d. 17. 2. 5. ad 3. & 2.2. 1. c. ad 2.
Feruorem charitatis minuit, qui dupliciter accipitur.
E Ma. 7. 2. ad 12.

f *Differenter quoque ex mortali peccato aliquid homo patitur, & ex veniali*. Ex hoc *enim* quòd F aliquis actum peccati commisit, incurrit quandam boni minorationem. In peccato autem mortali patitur homo bonitatis minorationem per priuationem principij ducentis ad finem, scilicet per priuationem charitatis: sed in peccato veniali patitur homo minorationem, & impedimentum per quandam indecentiam actus, quasi impedimento existente in ipso actu, quo pergendum erat in finem: saluo tamen principio inclinante. Sicut etiam graue potest impediri, ne perueniat deorsùm vel propter corruptionem grauitatis in ipso, vel propter aliquod impedimentum occurrens, quo impeditur motus eius, ne ad finem naturalem perueniat. Ex parte etiam reatus pœnæ est differentia. Nam per peccatum mortale meretur, quasi inimicus effectus, pœnam exterminantem: per peccatum verò veniale pœnam corrigentem. *Et quidem cohærēter docemur, quòd* peccato mortali G respondet perpetua pœna, secundùm ordinem diuinæ iustitiæ, & ex ipsa specie peccati, & ex inhærentia ipsius ad subiectum. Ex specie quidem peccati: quia peccatum mortale est directè contra charitatem Dei, & proximi, per quam peccati pœna remittitur. Qui autem contra aliquid peccat, ex hoc ipso meretur eius beneficio priuari. Vnde & ille, qui mortaliter peccat, in quantùm contra charitatem peccat, hoc meretur, vt remissione priuetur, quæ est effectus charitatis: & si Dominus remittit, non est ex merito hominis, sed ex misericordia sua. Ex parte verò inhærentiæ ad subiectum, peccatum mortale pœnam perpetuam habet: quia priuat hominem gratia, per quam potest peccatum remitti. Peccato autem manente, non soluitur pœna; quia in operibus Dei nihil potest esse inordinatum. Et ideò, sicut homo, qui se in puteum proijceret, vnde per se non posset exire, quantum est in ipso, faceret, vt in perpetuum esset ibi: ita etiam, qui mortaliter peccat, quantum in ipso est, se in pœnam æternam inducit: (*ut & Num. præcedenti visum est*.) Veniale autem peccatum, cum non sit contra charitatem, non meretur pęnam æternam ex specie peccati; neque ex parte inhærentiæ ad subiectum per se loquendo, quia non priuat gratiam: sed per accidens fit irremissibile, peccato mortali coniunctum, in quantùm est in subiecto priuato gratia: & sic per accidens punitur pœna æterna. *Debetur igitur veniali culpæ pœna aliqua propter inordinationem actus in aliquali conuersione ad commutabile bonum, licèt non tanquam in finem*: veniale *enim* peccatum H ex nostro actu incurrimus, & ei pœna sensibilis debetur: *verumtamen*, cum I non habeat auersionem à Deo per se loquendo, non debetur

Quid ex mortali quid ex veniali patiatur homo.
F Ma. 7. 11. c. & a. 1 ad 23.
G Ma. 7. 10. c. & a. 1. ad 24. & q. 5. 2. ad 8. & 1.2.87.5. ad 3. in 2. d. 33 2. 1. ad 2. in 4. d. 21. 1. 2. q⁂ 3. & d. 22. 1. 1 ad 5. Op. 3. c. 182.
Peccato mortali respondet perpetua pœna & ex specie peccati, & ex inhærentia ipsius ad subiectum.
Non ita ex parte vtriusq; æternam pœnam meretur veniale: nisi per accidens, peccato scilicet mortali coniunctū, id sortiatur.
Peccato veniali nec simpliciter, nec ad tempus debetur pœna damni: sed per accidens retardantur aliqui à diuina visione, donec soluant debitam sensibilem pœnā.
H 4. d. 16. 1. 2. q. 3. c.
I Quol. 2. a. 14. ad 1.

tur ei pœna carentiæ visionis diuinæ nec simpliciter, nec ad tempus. Sed quòd ad tempus retardentur aliqui à diuina visione, hoc contingit per accidens: quia scilicet quandiu digni sunt aliqua pœna, non possunt participare summam fœlicitatem, quæ in visione consistit. Iustitia autem respicit pœnam per se debitam peccato: non autem eam, quæ per accidens consequitur. *Porrò maior pœna veniali debetur peccato, quàm originali*. Inter L omnia enim peccata minimum est originale, eo quòd minimum habet de voluntario. Non enim est voluntarium voluntate istius personæ, sed voluntate principij naturæ tantùm. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate eius, in quo est: & ideò minor pœna debetur originali, quàm veniali.

L 2.d.33.2.1. ad 2. & 4. & 3. p.1.4. ad 1. Ma. 5.1. ad 3. & a. 2. c.

Maior tamen pœna debetur ei, quàm originali.

§ *Quoad remissionem autem venialium, non leuis difficultas oritur, an & quomodo remittantur post mortem, quoad culpam*. Quandoque *enim* contingit M quòd aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium, vel in proposito venialiter peccandi occupantur somno, vel aliqua passione auferente vsum rationis, & præueniuntur morte, antequam possint habere rationis vsum. Quibus, manifestum est, quòd in hac vita peccata venialia non dimittuntur: & tamen propterea non impediuntur perpetuò à vita æterna, ad quam nullo modo perueniunt, nisi omninò immunes ab omni culpa effecti: *Sanè* remissio N venialis peccati in purgatorio, quantùm ad pœnam, est ex parte purgatorij: quia homo patiendo exsoluit quod debet, & ita cessat reatus. Sed quantùm ad culpam, non remittitur per pœnam, neque secundùm quod actu sustinetur, quia non est meritoria; neque secundùm quod recogitatur. Non enim esset motus charitatis, quòd aliquis detestaretur peccatum veniale propter pœnam; sed magis esset motus timoris seruilis, vel naturalis. Remittitur ergo in Purgatorio veniale quantùm ad culpam virtute gratiæ, non solùm secundùm quod est in habitu, quia sic compatitur peccatum veniale; sed prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum. *Hoc est*, venialia O remittuntur post hanc vitam, etiam quantùm ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis. Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus tollit quidem impedimentum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem pœnæ; sicut in hac vita. *Vel dicendum* (*vt alibi docemur*) *quòd* post hanc P vitam non potest esse meritum respectu præmij essentialis: sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viæ aliquo modo: & ideò in purgatorio potest esse actus meritorius, quantùm ad remissionem culpæ venialis. *Hic verò in statu viatorum* triplici Q ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. *Vno modo*, in quantùm in eis infunditur gratia; quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata. Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam vnctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundò* in quantùm sunt cum aliquo motu (*nota*) detestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem peccatorum. Nam in oratione Dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra*. *Tertio modo*, in quantùm sunt cum aliquo motu reuerentiæ in

An & quomodo venialia quoad culpã dimittantur post mortem.

M Ma. 7. 11. fi. c. & locis inf. citandis.

N Ma. l. c. ad 9.

Non remittuntur per pœnam purgatorij.

O Ma. 7. 11. fi. c. in 2. d. 43. exp. tex. in 4. d 16. 1. 2. q. 4. ad 1. & quæst. 2. 2. q. 2. ad 3. & d. 21. 1. 3. q. 1. c. & Ma. 12. lit. b. ibi, omne peccatum.

Sed virtute gratiæ, & charitatis, ut in hac vita.

P In 4. d. 21. loco cit. ad 4.

Non meritoriè.

Q 3. p. 87. 3. c. in 4 d. 16. 2. 2. q. 4. & d. 18. 2. 3. q. 1. ad 3. & d. 21. 2. a. 1. & 2. Ma. 7. 12.

Qualiter in hac vita remittatur veniale.

Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis vnctio, oratio in Ecclesia dedicata (*Immò* quidam R probabiliter dicunt, quòd & per ingressum Ecclesiæ consecratæ, homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ: inducentes quod dicitur in Ps. 84. *Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ*:) &, si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. *Ex quo instruimur, hæc & similia venialium remissionem non facere, nisi cum aliquo interiori actu coniungantur, ad quem solent excitare præfata. Sumere enim lustralem aquam ex sola consuetudine, vt plurimi faciunt, recitare orationem Dominicam verbaliter tantùm, & huiusmodi, materialiter dumtaxat exercere, non tollit ab anima venialem culpam*. *Ideirco* peccato S veniali non debetur pœna satisfactoria taxata. Et quòd aliqua satisfactio exterius iniungitur, hoc est magis ad deuotionem excitandam, vel contritionem, quàm ad satisfaciendum. *Cæterùm* vtrumque T peccatum (*mortale scilicet & veniale*) per pœnitentiam remittitur. Exigitur tamen ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, vt scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantùm in ipso est, vt scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, vt singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale: quod patet esse falsum. Vnde sequitur, quòd requiratur quædam virtualis displicentia, putà cum aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum, & res diuinas, vt quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret: (quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantùm ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.) Et quamuis V feruor charitatis possit esse, dum homo in Deum fertur motu charitatis, sine hoc, quòd actu de peccato veniali cogitet explicitè: tamen in illo motu implicitè continetur displicentia venialis peccati vel vnius vel omnium: quia si feruenter in Deum fertur, displicet ei omne, quod à Deo retardat. Vnde potest esse tam feruens motus charitatis in Deum, quòd omnia peccata venialia consumat, etiam sine actuali cognitione ipsorum. *Et hinc est, quòd* pœnitentia X de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus: sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur (*vt præmissum est*.) Debet tamen habere propositum (*bene nota*) se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. *Igitur* sicut Y peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret: ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa, manet effectus. *Et propter quamuis præfata omnia* operentur Z quantùm est de se, ad remissionem omnium peccatorum venialium; potest tamen impediri remissio quantùm ad aliqua peccata venialia, qui-

R 3. p. 83. 3. ad 3.

S 4. d. 16. 2. 2. q. 3. c.

T 3. p. 87. 1. & 3. c. in 4. d. 2. q. 2. c. & 21. 2. 1. c. M. 7. 11. ad 3. & 4. 12. c.

Singula peccata mortalia pœnitentia detestanda.

Quænam requiratur displicentia ad venialium remissionem.

V In 4. d. 16. l. c. ad 1. Ma. 7. 12. ad 4.

X 3. p. 87. 1. ad 1.

Quale propositum requiratur circa mortalia: quale circa venialia.

Y 3. p. 87. 1. c. & ad 1. & 2. ad 2. in 4. d. 16. 1. 2. q. 4. & q. 2. 1. q. 1. & 2. q. 2. ad 3. Ma. 7. 11. ad 3. & 4.

Venialia impediunt spiritualem profectum.

Z 3. p. 87. 3. ad.

Nec venialia, sicut mortalia remittuntur, quamdiu voluntas eis adhæret.

A Ma.7.12. ad 4.

B 4.d.21.1. q.3.c.

Quædam venialia, maioris sunt adhærentiæ, quàm alia: & ideò non tam faciè remittuntur, & diutiùs in alia vita purgantur.

quibus actualiter mens inhæret. *Siquidem* affectus A hominis aliquando habitualiter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quòd si in memoria haberentur, non displicerent, vel fortè, si opportunitas adesset, committerentur. *Nam* quædam B venialia sunt maioris adhærentiæ quàm alia, secundùm quod affectus magis ad ea inclinatur, & fortiùs in eis figitur: (& quia ea, quæ sunt maioris adhærentiæ, tardiùs purgantur: ideò quidam in purgatorio diutiùs, quàm alij, torquentur, secundùm quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.) *Et hæc sunt, quæ ex electione committuntur: quæ quidem periculosiùs frequentantur, cùm quæ ad mortale magis disponentia sunt, quàm cætera.*

Neque ad impediendū alterius mortale, veniale peccatum licet.

C 4.d.9.1.4. 2.ad 3. & d. 8.2.4.q.1.c. & ad 2. & 2.2. 6.4.c. & ad . & q.43.7. ad 5.

Aliquod peccatum aliàs veniale, desinit in casu esse peccatum: sicut verbum iocosum non semper ociosum est.

D 2.d.40.1. ad 8.

h *Quamuis autem leuis culpa, adeòque facilis remissionis veniale sit: nihilominus nullo modo nulloque in casu, illud committere licet, neque ad impediendum alterius mortale.* Quidam C dicunt (*scribit Author*) quòd homo debet peccare venialiter, vt alium à peccato mortali impediat. Sed hoc dictum contradictionem implicat, quia ex hoc ipso, quod dicitur peccatum, ponitur indebitum fieri. Vnde si aliquid fit, quod nullo modo possit non esse peccatum, non debet fieri, nec etiam bonum est fieri, nec licitum, ut alius à peccato mortali liberetur: quamuis ad hoc, ex quadam pietate animi, etiam multi boni inclinentur. Sed potest hoc contingere, ut aliquid, quod aliàs est peccatum veniale, ex tali causa factum desineret esse peccatum, sicut dicere aliquod verbum iocosum: quod non esset ociosum, si diceretur causa piæ vtilitatis. *Nam* ociosum D est *secundùm Gregorium* quod caret intentione piæ vtilitatis, aut ratione iustæ necessitatis. Vnde non omne verbum iocosum est ociosum, si ad recreationem referatur: quia etiam in iocis contingit esse virtutem Eutrapeliam, de qua Philosophus *in 4. Ethic. Hinc ad illud Gen. 19.* Educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, *docemur, quòd secundùm* Augustinum *in lib. contra mendacium* hoc E ex perturbatione credendus est dixisse Lot, non ex deliberato consilio: quia illud non potuit fieri sine culpa. Nullum enim quantumcumque minimum peccatum debet facere quis, ut vitet aliorum peccata, quantumcumque maiora. *Ex quo pariter* non est F licitum mendacium dicere, adhoc, quòd aliquis alium quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, *ut Augustinus* dicit in eod. lib. contra mendacium. *Quinimmò omnem debet quis sustinere pœnam, potiùs, quàm venialiter peccare. Nam* similis G ratio est de peccato mortali, & de veniali quantùm ad hoc: quia sicut peccatum mortale non potest benè fieri, ita nec veniale. Et sicut homo debet priùs sustinere mortem, quàm peccet mortaliter: ita etiam, quàm quòd peccet venialiter, illo modo debiti, quo debet veniale vitare, *ex electione præsertim.*

E Gen. 19. ibi.

F 2.2.110. 3. ad 4.

Non licet mendacium neque ad liberandum quempiam à quocumque periculo.

G 4.d.18.2. 4.q.3.ad 1. Quol.1.a.9. & Quol.11.a.9. ad 3.

Venialia, ex electione præsertim, vitanda: quia de se mala, & quia profectum salutis impediunt.

H 2.2.158. 2. ad 3.

i *Venialia inquam, ex electione præ cæteris, vitanda sunt, quia de se mala; potissimè verò quia profectum salutis impediunt:* (motus *quippè* qui H præueniunt iudicium rationis, non sunt in potestate hominis in generali, vt scilicet nullus eorum insurgat: quamuis ratio possit quemlibet singulariter impedire, ne insurgat.) *Docemur enim, quòd* aliquis I procedit in via Dei, non solùm quando ipsa charitas augetur in actu, sed etiam quando disponit ad augmentum charitatis. Sicuti puer non actu crescit toto tempore augmenti: sed quandoque crescit in actu, quandoque disponitur ad augmentum. Et similiter aliquis retrocedit in via Dei non solùm per diminutionem charitatis, sed etiam per hoc, quòd retardatur à proficiendo; vel etiam per hoc, quòd disponitur ad casum: quorum utrumque fit per veniale peccatum. *Disponitur inquam ad casum: quia veniale peccatum, dispositio quædam est ad mortale.* Sicut *enim* ea L quæ sunt ad finem, disponunt ad finem; ita inordinatio in eis, est dispositio ad inordinationem, quæ est circa finem, secundùm quod dicimus, quòd veniale peccatum est dispositio ad mortale. Vnde per huiusmodi venialia disponitur quis ad amissionem charitatis. *Et hoc quidem faciliùs contingit, si frequententur venialia, & iterentur. Nam* per negligentiam M & diuersa peccata venialia, disponitur quis, ut tandem labatur in peccatum mortale. *Porrò* dupliciter N aliquid disponit ad alterum. *Vno modo* secundùm ordinem necessarium, & naturalem, sicut calor disponit ad formam ignis: & talis dispositio semper præcedit id, ad quod disponit. *Alio modo* contingenter, & quasi per accidens, sicut ira disponit ad febrem: non tamen oportet, quòd semper ira febrem præcedat. *Sic igitur* dispositiuè O multa venialia inducunt ad mortale faciendum: quia ex multiplicatione actuum generatur habitus, & crescit auiditas & delectatio in peccato: & in tantum potest crescere, quòd faciliùs inclinatur ad peccandum mortaliter. Tamen ipsa dispositio non præexigitur ex necessitate ad peccatum mortale: quia, etiam venialibus non præcedentibus, potest homo peccare mortaliter; & prædicta dispositione venialium præcedente, per charitatem potest homo peccato mortali resistere. *Docemur namque, quòd* quælibet P charitas, quantumcumque parua, potest resistere cuilibet peccato. *De hac porrò frequentium venialium ad mortale dispositione experientiam manifestam habemus. Etenim, mulierem aspicere, nisi delectatio ex consensu adiiciatur, veniale est: cras quoque iterum iterumque intueri, veniale est. At si frequentiùs hi actus iterentur, facillimè in consensum peccati cadimus: proinde & in opus completum. Aspectum siquidem sequitur cogitatus, cogitatum delectatio, delectationem, consensus, consensum opus. Idcircò Iob c. 31.* Pepigi *inquit* fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: *idest* ut Q nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem. Videbat enim esse difficile, si in primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem & consensum. *Ex minutis quoque iteratis furtis, quæ venialia sunt, disponitur facillimè quis ad furandum cum graui proximi detrimento, hoc est, ad peccandum in ea materia mortaliter. Et hoc de omni peccato verum habet: nimirùm quia* ex multiplicatione actuum (*ut aiebat Author*) crescit auiditas & delectatio in peccato: *& hinc facillimè in mortale prolabimur. Et hoc est, quod expressit initio Author:*

I Ma 7.2. ad 11.

Non proficere in via Dei est retrocedere, quod fit per veniale peccatum.

L 1.d.17.2. 5.fi.c. & 2.2. 105.1. ad 2. & 132.4. ad 3. Ps.39. lit.f. & alibi.

Quod & ad mortale disponit, præsertim si frequentetur.

M Virt. 2.6. ad 1.

Dupliciter aliquid ad alterum disponit.

N Ma. 7.7. ad 3. & 1.2. 88. 3.c.

O Ma.7.3.fi. c. & a 7. ad 3. & 1.2.88.3.c. & a.4.fi. cap. in 4. d. 21. exp. tex. Virt. 2.6. ad 1.

Veniale non est dispositio necessaria ad mortale; quia minima charitas potest cuilibet peccato resistere

P Op.7. Pet. 6.fi. in 3.d.31. 1.3.c. Virt. 2. 10. ad 4.

Moralitas.

Q Iob. 31. l. 1. ibi.

R 1.2.80.3. ff. 6.

Ex hoc R quòd aliquis consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subijcere, disponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem suam non subijciat ordini vltimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere. *Caterùm plerunque facilius, citiusque ab exteriori prosterni consueuerunt homines, quàm ab interiori. Hinc super illud Iob 4.* Consumentur velut à tinea, de mane usque ad vesperam succidentur, *docemur, quòd* vita S iustitiæ in homine consumitur dupliciter. *Vno modo* ex interiori corruptione; quod significat, cum dicit: *Consumentur velut à tinea.* Sicut enim vestimentum consumitur à tinea, quæ ex eo nascitur: ita iustitia hominis consumitur ijs, quæ in homine sunt, sicut est corruptio fomitis, malæ cogitationes, & huiusmodi. *Alio modo* ex tentatione exteriori, quod videtur in hoc dici: *De mane usque ad vesperam succidentur.* Sed considerandum est, quòd exterior tentatio hominem plerunque subitò prosternit: sicut Dauid ad aspectum mulieris in adulterium prorupit; & etiam multi in tormentis fidem negauerunt. Interior autem tentatio non subitò hominem prosternit, sed paulatim, dum per negligentiam aliquis in se ipso peccati initia reprimere non curat, secundùm illud Eccli. 19. *Qui spernit modica* (scilicet venialia) *paulatim decidet* (scilicet in mortalia.) Sic etiam vestimentum, quod non excutitur, à tinea consumitur. *A nobis ergo venialium puluerem excutiamus, ne à tinea consumamur mortalis culpa. Qua quidem puluis contrahitur, ut vidimus, præsertim in pedibus (hoc est, in sensualitate, qua inferior hominis pars est) ut proficiamus in via*: in hac *enim* vita T mortali ad minus ex parte sensualitatis aliquid immunditiæ contrahimus. Et ideò Dominus præcepit discipulis *Luc. 9.* Etiam puluerem pedum vestrorum excutite &c. *Excusso quippè venialium puluere non tam facilè in nobis generabitur mortalis tinea peccati, qua virtutum vestimenta corrodit, gratia exclusa per culpam, & charitate.* DISCE *in huius vita cursu à fide in minimis deuiare. Vide* Pœnitentia.

Duplex tentatio: ab interiori, & ab exteriori.

S Iob. 4. l. 3. ibi.

Excutiendus à nobis venialium puluis, ne à tinea mortalis consumamur.

T Io. 13. l. 2. lit. b. ibi, pedes.

PECCATOR.

XII. Peccatori autem dixit Deus: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*, Ps. 49. Id est: Tu ipse te condemnabis. *Eod. Ps. lit. K.*

1 P*Eccator* malè V se habet ad Deum: malè se habet ad Angelum, sibi à Deo ad custodiam deputatum: & malè ad se ipsum. *Ad Deum*, cum Deus ipsum sibi habitationem facere cupiat, ipse verò diaboli habitatio esse prælegit, Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum &c.* Et Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Pascitur Deus puritate nostrorum operum, Cant. 2. *Qui pascitur inter lilia.* Fel est amaritudo peccati. Item ipse bona, quæ à Deo recipit, Deo contempto, in seruitium inimici eius expendit. *Ad Angelum* malè se habet, qui à tempore natiuitatis, eius custodiæ intendit, propter quam in hac valle miseriæ moram facit: ipse verò consilijs & exhortationibus eius non acquiescit; reuerentiam non exhibet: sed quod coram uno Gubernatore facere non auderet, coram Angelo facere audet (*de quo Vide* Angelus custos *Tomo 1.*) *Ad se ipsum* malè se habet: quoniam plus vult esse malum, quàm bonum; diaboli seruum, quàm Dei filium: in statu latronis, quàm in statu Regis. Qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adiudicatus: qui habet gratiam, in statu Regio est, ad cæleste regnum inunctus. *Hinc docemur, quòd* homo X per peccatum amittit, quantùm ad Deum, duplicem dignitatem. Vnam principalem, qua scilicet computatus erat inter filios Dei per gratiam: aliam secundariam, scilicet innocentiam. *Et vtramque videtur contemnere, dum voluntariè se à Deo absentat.* Deus enim Y quantùm in se est, nulli est absens: sed peccator absentat se à Deo; & ideò ipse sui peccati causa est, in quo periclitatur. *Sicut Sol omnes illuminat, quantùm est de se; at si fenestram claudas, tibi imputanda obscuritas est, non Soli. Eapropter Deus, impiorum videtur quodammodo Deus non esse. Vnde & illud Is. 7.* Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? *exponitur*: Deo Z meo, non vestro, cui non obedistis, *Ier.* 23. Si interrogauerit te populus iste, dicens: *Quod est onus Domini?* dices ad eos: *Vos estis onus*: proijciam quippe vos, dicit Dominus. *Ipsum enim, ut Deum suum repudiat, & abrenunciat peccator, vel non credit, Is.* 47. Fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti: Non est, qui videat me. *Fiduciam habuisti*, scilicet ut A securè peccares: *& non est, qui videat me* peccantem, ut puniat. *Idcircò & Psaltes peccatorem inducit, Deum negantem Ps.* 13. Dixit insipiens in corde suo: *Non est Deus.* Tunc enim B dicit, quòd *Non est Deus*, quando cogitat, quòd non est omnipotens, & quòd non habet curam rerum humanarum, Iob 21. *Quis est Omnipotens, ut seruiamus ei? Et ita ipsum Deū peccatores, si nō cre, saltem opere negāt,*

ad

V Op. de er. Pr. l. 5. c. 7.

Peccator malè se habet ad Deum, ad custodem Angelum, & ad se ipsum.

Qualiter malè se habeat ad Deum.

X 3. p. 84. initio c.

Per peccatum amittit homo quantùm ad Deum duplicem dignitatem.

Y 2 d. 37. 2. 1. ad 3.

Deus nulli absens est, sed peccator se ab eo absentat.

Z Is. 7. §. 2. ibi.

Deus peccatorum videtur Deus non esse.

A Is. 47. ibi.

Deum negant peccatores, saltem opere.

B Ps. 13. lit. a. ibi.

C Tit. 1. l. 4. ibi.

ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autè negant. *Etenim* qui C peccat, quantum est de se, negat Deum factis: quia qui confitetur Deum, confitetur & eius potestatem, scilicet, quòd est ei obediendum. Et ideò si quis non obedit peccando, negat factis quod confitetur ore, *Is.* 29. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Longè *inquam* est à Deo *cor peccatoris, qui Deum non amat, sed potiùs è conuerso odit.* Non tamen potest D Deum odire secundùm quod in se est, cum Deus sit ipsa essentia bonitatis. Sed secundùm hoc aliquis peccator Deum odit, quòd præceptum diuinæ legis est contrarium suæ voluntati: sicut adulter odit Deum, in quantum odit hoc præceptum: *Non mœchaberis.* Et sic omnes peccatores, in quantùm nolunt subijci legi Dei, sunt inimici Dei, 2. Paral. 19. *His qui oderunt Dominum, amicitià iungeris*: (& tamen E oportet, quòd illi, qui Deum quantùm ad aliquos effectus odiunt, in alijs effectibus diligant Deum: sicut ipsi dæmones, *secundùm Dionys. in 4. cap. de Diu. Nom.* appetunt esse, & viuere naturaliter; & in hoc ipsum Deum appetunt, & diligunt.) *Hinc Io.* 3. *benè dicebat Dominus*: Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem (*& hæc lux Deus est, Io.* 8. Ego sum lux Mundi:) *rationemque subiicit*: Erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, *Iob* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. *Ecce radix, unde oderint peccatores Deum lucem nostram. Et quia hanc oderunt, & tenebras diligunt, iustè duplex eis obuenit nox, Io.* 9. Venit nox, quando nemo potest operari. *Est* autem una F nox per subtractionem actualis gratiæ, quam inducit peccatum mortale 1. Thess. 5. *Qui dormiunt, nocte dormiunt.* Et quando hæc *nox venit, nemo potest operari* opera meritoria vitæ æternæ. Alia nox est consummata, quando non solùm priuatur quis actuali gratia per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi per æternam damnationem in Inferno. *Et quamuis Dei osor*, peccator G peccando, nihil Deo nocere effectiuè potest, tamen ex parte sua dupliciter contra Deum agit. Primò quidem, in quantum eum in suis mandatis contemnit. Secundò, in quantùm nocumentum aliquod infert alicui, vel sibi, vel alteri: quod ad Deum pertinet, prout ille, cui nocumentum infertur, sub Dei prouidentia, & tutela continetur. *Et alibi*: Etsi H Deo nullus possit nocere, quantùm ad eius substantiam: potest tamen nocumentum attentare in his, quæ Dei sunt, sicut extirpando fidem, violando Sacra &c. *Sanè* non dicitur I homo in Deum peccare, quia Deum in aliquo lædat: sed quia Deo subtrahit quod ei debet, & quantùm in ipso est, eius gloriam minuit, quamuis hoc facere non possit. *Et hac de causa (ut superiùs præmisimus) peccatum, quoddam debitum est.* Debemus *enim* Deo L illud, quod auferimus de iure suo. Ius autem Dei est, vt faciamus voluntatem suam, præferendo eam voluntati nostræ. Auferimus ergo Deo ius suum, cum præferimus voluntatem nostram voluntati suæ. Et hoc est peccatum. *Læserunt tamen homines corporaliter & effectiuè, quoad humanitatem, Deum hominem factum, videlicet Christum: corporales enim passiones omnes suis peccatores culpis ipsi intulerunt, ut dicitur Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: *scilicet* crucifixerunt M procurando, vt Iudæi; impetrando, vt Pilatus; faciendo, ut Gentiles; per causam, ut peccatores, *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. *Verùm unde est, quòd*

D Rom. 8. l. 2. ibi, legi enim Io. 15. l. 5. lit. e. & 2. 2. 34. 1. in 4. d. 50. 2. 1. q. 5. c. Ver. 22. 2. ad 3.

An & quo sensu oderit peccator Deum.

E Ver. loc. cit.

Duplex peccatoris nox.

F Io. 9. l. 1. lit. e.

G 1. 2. 47. 1. ad 1. & q. 21. 4. ad 1.

Dupliciter contra Deū agit.

H 1. 2. 73. 8. ad 2. 1 2. d. 42. 2. 2. q. 2. ad 1. in 4. d. 15. 1. 1. q. 3. ad 4. & a. 4. q. 1. c. Iob 35. l. 1. ibi, nocebis.

I Op. 7. Pet. 5. sub initio.

Subtrahunt peccatores gloriā Deo usque illius ex parte sua: licet lædere effectiuè non possint.

Deum tamen hominem factum, corporaliter, & effectiuè quantùm ad humanitatem læserunt.

M Apoc. 1. Com. 2. §. 2 ibi.

Cur soli Deo homo peccare dicatur.

ubi homo peccat, etiam in proximum, soli Deo dicitur peccare? Ita promebat post peccatum David Ps. 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Vbi Author.* Sed N nunquid non peccauit contra Vriam, quem occidit? Sic: sed dicit, *tibi soli*, idest Deo: quia ipse non est obnoxius famulo suo, sed sententiæ Dei. Cum enim peccat dominus, qui est super seruum, non peccat seruo, sed Deo, Sap. 6. *Data est à Domino potestas nobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Vel, *tibi soli*: idest per comparationem ad te solum peccaui: quia solus es sine peccato. *Tibi ergo soli peccaui*, contemnendo iudicium tuum. Item contempsi te testem: *quia malum coram te*, vidente & præsente *feci*, Prou. 15. *Infernus & perditio coram Domino: quantò magis corda filiorum hominum?*

N Ps. 50. lit. b. ibi.

m *Non igitur peccator Deum effectiuè lædit, sed affectiuè dumtaxat. Sibi potiùs reuera nocet, seque ipsum offendit*, *Ier.* 7. Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? *Nimirùm* quia O non Deum, sed seipsos offenderunt, *Iob* 35. Si peccaueris, quid ei nocebis? *Vnde & cap.* 10. *dicebat*: Si impius fuero, væ mihi est. *Et Ier.* 26. Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. *Cui consonat illud Ps.* 7. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. *Se ipsum inquam peccator offendit, dum sibi diuina auxilia voluntariè abiiciendo subtrahit*, *Iob* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini: *scilicet* ex proposito P agentes contra id, quod eis lumen rationis dictat, spirituali lumini Sapientiæ diuinæ repugnantes. Sicut autem Sapientia *præoccupat* (Sap. 6.) *qui se concupiscunt*: ita fugit ab eis, qui ei renittuntur. *Non secus & æger se ipsum offendit, & necat, ubi exhibita remedia contemnit, & medicinas abiicit salutares. Sic pariter magis, quàm Deum, se ipsum peccator odit*, *Ps.* 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Nec obstat, quòd dicat Apostolus ad Eph.* 5. Nemo unquam carnem suam odio habuit. *Hoc enim debet intelligi* per se Q loquendo: per accidens tamen contingit, quòd aliquis se ipsum odio habeat; & hoc dupliciter: *Vno modo* ex parte boni, quod sibi aliquis vult. Accidit enim quandoque illud, quod appetitur ut secundùm quid bonum, esse simpliciter malum: & secundùm hoc aliquis per accidens vult sibi malum, quod est odire. *Alio modo* ex parte sui ipsius, cui vult bonum. Vnumquodque enim maximè est id, quod est principalius in ipso: unde ciuitas dicitur facere id, quod Rex facit, quasi Rex sit tota Ciuitas. Manifestum est autem, quòd homo maximè est mens hominis. Contingit verò, quòd aliqui æstimant se maximè illud, quod sunt secundùm naturam corporalem, & sensitiuam, unde amant se secundùm id, quod æstimant se esse, sed odiunt secundùm id, quod verè sunt, dum volunt contraria rationi. Et utroque modo ille, *qui diligit iniquitatem, odit* non solùm *animam suam*, sed etiam seipsum. *Sanè quomodo se ipsum non odit peccator, cum tota die Deum contra se ad iram excitet & ad flagella? Quod innuitur Iob* 20. *iis verbis*: Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum: eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua &c. *Etenim* quandiu R arcus est in vagina, non percutit: & similiter ultio futuræ damnationis, quandiu est in Dei præsentia, quasi in quadam vagina, non damnat: sed educitur de hac vagina per malitiam prouocantem Deum: & tunc

Peccator malè se habet & ad se ipsum: seque, non Deum, reuera offendit.

O Ier. 7. ibi.

P Iob. 24. l. 1. ibi.

Se ipsum odit, & quo sensu.

Q 1. 2. 29. 4. c. Op. 18. c. 13. Ps 10. lit. d Eph. 5. l. 9. ibi.

R Iob. 20. l. 2. ibi.

Deum contra se ad flagella prouocat, & ad dānationem.

R 1.2. 80.3. ſt. 6.

Ex hoc R quòd aliquis conſueſcit voluntatem ſuam in minoribus debito ordini non ſubijcere, diſponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem ſuam non ſubijciat ordini vltimi finis, eligendo id, quod eſt peccatum mortale ex genere. *Caterùm plerunque facilius, citiuſque ab exteriori proſterni conſueuerunt homines, quàm ab interiori. Hinc ſuper illud Iob 4.* Conſumentur velut à tinea, de mane uſque ad veſperam ſuccidentur, *docemur, quòd* vita S iuſtitiæ in homine conſumitur dupliciter. *Vno modo* ex interiori corruptione; quod ſignificat, cum dicit: *Conſumentur velut à tinea*. Sicut enim veſtimentum conſumitur à tinea, quæ ex eo naſcitur: ita iuſtitia hominis conſumitur ijs, quæ in homine ſunt, ſicut eſt corruptio fomitis, malæ cogitationes, & huiuſmodi. *Alio modo* ex tentatione exteriori, quod videtur in hoc dici: *De mane uſque ad veſperam ſuccidentur*. Sed conſiderandum eſt, quòd exterior tentatio hominem plerunque ſubitò proſternit: ſicut Dauid ad aſpectum mulieris in adulterium prorupit; & etiam multi in tormentis fidem negauerunt. Interior autem tentatio non ſubitò hominem proſternit, ſed paulatim, dum per negligentiam aliquis in ſe ipſo peccati initia reprimere non curat, ſecundùm illud Eccli. 19. *Qui ſpernit modica* (ſcilicet venialia) *paulatim decidet* (ſcilicet in mortalia.) Sic etiam veſtimentum, quod non excutitur, à tinea conſumitur. *A nobis ergo venialium puluerem excutiamus, ne à tinea conſumamur mortalis culpæ. Qua quidem puluis contrahitur, ut vidimus, præſertim in pedibus (hoc eſt, in ſenſualitate, quæ inferior hominis pars eſt) ne proficiamus in via*: in hac *enim* vita T mortali ad minus ex parte ſenſualitatis aliquid immunditiæ contrahimus. Et ideò Dominus præcepit diſcipulis *Luc. 9.* Etiam puluerem pedum veſtrorum excutite &c. *Excuſſo quippè venialium puluere non tam facilè in nobis generabitur mortalis tinea peccati, quæ virtutum veſtimenta corrodit, gratia excluſa per culpam, & charitate.* DISCE *in huius vitæ curſu à ſub in minimis deuiare.* *Vide* Pœnitentia.

Duplex tentatio: ab interiori, & ab exteriori.

3 Iob. 4. l. 3. ibi.

Excutiendus à nobis venialium puluis, ne à tinea mortalis conſumamur.

T Io. 13. l. 2. lit. b. ibi, pedes.



PECCATOR.

XII. Peccatori autem dixit Deus: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*, Pſ. 49. Id eſt: Tu ipſe te condemnabis. *Eod. Pſ. lit. K.*

1 PEccater malè V ſe habet ad Deum: malè ſe habet ad Angelum, ſibi à Deo ad cuſtodiam deputatum: & malè ad ſe ipſum. *Ad Deum*, cum Deus ipſum ſibi habitationem facere cupiat, ipſe verò diaboli habitatio eſſe præelegit, Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum &c.* Et Prou. 8. *Delicia meæ eſſe cum filiis hominum*. Paſcitur Deus puritate noſtrorum operum, Cant. 2. *Qui paſcitur inter lilia*. Fil eſt amaritudo peccati. Item ipſe bona, quæ à Deo recipit, Deo contempto, in ſeruitium inimici eius expendit. *Ad Angelum* malè ſe habet, qui à tempore natiuitatis, eius cuſtodiæ intendit, propter quam in hac valle miſeriæ moram facit: ipſe verò conſilijs & exhortationibus eius non acquieſcit, reuerentiam non exhibet: ſed quod coram uno Gubernatore facere non auderet, coram Angelo facere audet (*de quo Vide* Angelus cuſtos *Tomo 1.*) *Ad ſe ipſum* malè ſe habet: quoniam plus vult eſſe malùm, quàm bonum; diaboli ſeruum, quàm Dei filium: in ſtatu latronis, quàm in ſtatu Regis. Qui in mortali eſt, in ſtatu latronis eſt, infernali patibulo adiudicatus: qui habet gratiam, in ſtatu Regio eſt, ad cæleſte regnum inunctus. *Hinc docemur, quòd* homo X per peccatum amittit, quantùm ad Deum, duplicem dignitatem. Vnam principalem, qua ſcilicet computatus erat inter filios Dei per gratiam: aliam ſecundariam, ſcilicet innocentiam. *Et vtramque videtur contemnere, dum voluntariè ſe à Deo abſentat*. Deus enim Y quantùm in ſe eſt, nulli eſt abſens: ſed peccator abſentat ſe à Deo; & ideò ipſe ſui peccati cauſa eſt, in quo periclitatur. *Sicut Sol omnes illuminat, quantùm eſt de ſe; at ſi feneſtram claudas, tibi imputanda obſcuritas eſt, non Soli. Eapreter Deus, impiorum videtur quodammodo Deus non eſſe. Vnde & illud Iſ. 7.* Nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? *exponitur*: Deo Z meo, non veſtro, cui non obediſtis, *Ier. 23.* Si interrogauerit te populus iſte, dicens: *Quod eſt onus Domini?* dices ad eos: *Vos eſtis onus*: proijciam quippe vos, dicit Dominus. *Ipſum enim, ut Deum ſuum repudiat, & abrenunciat peccator, vel non credit, Iſ. 47.* Fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti: Non eſt, qui videat me. *Fiduciam habuiſti*, ſcilicet ut A ſecurè peccares: *& non eſt, qui videat me* peccantem, ut puniat. *Idcircò & Pſaltes peccatorem inducit, Deum negantem Pſ. 13.* Dixit inſipiens in corde ſuo: *Non eſt Deus*. Tunc enim B dicit, quòd *Non eſt Deus*, quando cogitat, quòd non eſt omnipotens, & quòd non habet curam rerum humanarum, Iob 21. *Quis eſt Omnipotens, ut ſeruiamus ei? Et ita ipſum Deũ peccatores, ſi nõ ore, ſaltem opere negãt,*

V Op. de er. Pr. l. 5. c. 7.

Peccator malè ſe habet ad Deum, ad cuſtodem Angelum, & ad ſe ipſum.

Qualiter malè ſe habeat ad Deum.

X 3. p. 89. 1. initio.

Per peccatum amitt[it] homo quantùm ad De[um] duplicem di[g]nitatem.

Y 2 d. 37. 2. 1. ad 3.

Deus nulli abſens eſt, ſed peccator ſe ab eo abſentat.

Z Iſ. 7. §. 2. ibi.

Deus peccatorum videtur Deus non eſſe.

A Iſ. 47. in.

Deum negãt peccatores, ſaltem opere.

B Pſ. 13. lit. a. ibi.

ad

ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autē negant. *Etenim* qui C peccat, quantum est de se, negat Deum factis: quia qui confitetur Deum, confitetur & eius potestatem, scilicet, quòd est ei obediendum. Et ideò si quis non obedit peccando, negat factis quod confitetur ore, Is. 29. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me*. Longè *inquam* est à Deo *cor peccatoris, qui Deum non amat, sed potiùs è conuerso odit*. Non tamen potest D Deum odire secundùm quod in se est, cum Deus sit ipsa essentia bonitatis. Sed secundùm hoc aliquis peccator Deum odit, quòd præceptum diuinæ legis est contrarium suæ voluntati: sicut adulter odit Deum, in quantum odit hoc præceptum: *Non mœchaberis*. Et sic omnes peccatores, in quantùm nolunt subijci legi Dei, sunt inimici Dei, 2. Paral. 19. *His qui oderunt Dominum, amicitià iungeris*: (& tamen E oportet, quòd illi, qui Deum quantùm ad aliquos effectus odiunt, in alijs effectibus diligant Deum: sicut ipsi dæmones, *secundùm Dionys. in 4. cap. de Diu. Nom.* appetunt esse, & viuere naturaliter; & in hoc ipsum Deum appetunt, & diligunt.) *Hinc* Io. 3. *benè dicebat Dominus*: Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem (*& hæc lux Deus est*, Io. 8. Ego sum lux Mundi:) *rationemque subiicit*: Erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, Iob 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. *Ecce radix, unde oderint peccatores Deum lucem nostram*. *Et quia hanc oderunt, & tenebras diligunt, iustè duplex eis obuenit nox*, Io. 9. Venit nox, quando nemo potest operari. *Est* autem una F nox per subtractionem actualis gratiæ, quam inducit peccatum mortale 1. Thess. 5. *Qui dormiunt, nocte dormiunt*. Et quando hæc *nox venit, nemo potest operari* opera meritoria vitæ æternæ. Alia nox est consummata, quando non solùm priuatur quis actuali gratia per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi per æternam damnationem in Inferno. *Et quamuis Dei oser*, peccator G peccando, nihil Deo nocere effectiuè potest, tamen ex parte sua dupliciter contra Deum agit. Primò quidem, in quantum eum in suis mandatis contemnit. Secundò, in quantùm nocumentum aliquod infert alicui, vel sibi, vel alteri: quod ad Deum pertinet, prout ille, cui nocumentum infertur, sub Dei prouidentia, & tutela continetur. *Et alibi*: Etsi H Deo nullus possit nocere, quantùm ad eius substantiam: potest tamen nocumentum attentare in his, quæ Dei sunt, sicut extirpando fidem, violando Sacra &c. *Sanè* non dicitur I homo in Deum peccare, quia Deum in aliquo lædat: sed quia Deo subtrahit quod ei debet, & quantùm in ipso est, eius gloriam minuit, quamuis hoc facere non possit. *Et hac de causa* (*ut superiùs præmisimus*) *peccatum, quoddam debitum est*. Debemus *enim* Deo L illud, quod auferimus de iure suo. Ius autem Dei est, vt faciamus voluntatem suam, præferendo eam voluntati nostræ. Auferimus ergo Deo ius suum, cum præferimus voluntatem nostram voluntati suæ. Et hoc est peccatum. *Læserunt tamen homines corporaliter & effectiuè, quoad humanitatem, Deum hominem factum, videlicet Christum: corporales enim passiones omnes suis peccatores culpis ipsi intulerunt, ut dicitur Apoc.* 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: *scilicet* crucifixerunt M procurando, vt Iudæi; imperando, vt Pilatus; faciendo, ut Gentiles; per causam, ut peccatores, *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. *Verùm unde est, quòd*

ubi homo peccat, etiam in proximum, soli Deo dicitur peccare? Ita promebat post peccatum Dauid Ps. 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Vbi Author*. Sed N nunquid non peccauit contra Vriam, quem occidit? Sic: sed dicit, *tibi soli*, idest Deo: quia ipse non est obnoxius famulo suo, sed sententiæ Dei. Cum enim peccat dominus, qui est super seruum, non peccat seruo, sed Deo, Sap. 6. *Data est à Domino potestas nobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur*. Vel, *tibi soli*: idest per comparationem ad te solum peccaui: quia solus es sine peccato. *Tibi ergo soli peccaui*, contemnendo iudicium tuum. Item contempsi te testem: *quia malum coram te*, vidente & præsente *feci*, Prou. 15. *Infernus & perditio coram Domino: quantò magis corda filiorum hominum?*

m *Non igitur peccator Deum effectiuè lædit, sed affectiuè dumtaxat. Sibi potiùs reuera nocet, seque ipsum offendit*, Ier. 7. Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? *Nimirùm* quia O non Deum, sed seipsos offenderunt, *Iob* 35. Si peccaueris, quid ei nocebis? *Vnde & cap.* 10. *dicebat*: Si impius fuero, væ mihi est. *Et Ier.* 26. Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. *Cui consonat illud Ps.* 7. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. *Se ipsum inquam peccator offendit, dum sibi diuina auxilia voluntariè abiiciendo subtrahit, Iob* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini: *scilicet* ex proposito P agentes contra id, quod eis lumen rationis dictat, spirituali lumini Sapientiæ diuinæ repugnantes. Sicut autem Sapientia *præoccupat* (Sap. 6.) *qui se concupiscunt*: ita fugit ab eis, qui ei renituntur. *Non secus & æger se ipsum offendit, & necat, ubi exhibita remedia contemnit, & medicinas abiicit salutares. Sic pariter magis, quàm Deum, se ipsum peccator odit*, Ps. 10. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Nec obstat, quòd dicat Apostolus ad Eph.* 5. Nemo unquam carnem suam odio habuit. *Hoc enim debet intelligi* per se Q loquendo: per accidens tamen contingit, quòd aliquis se ipsum odio habeat; & hoc dupliciter: *Vno modo* ex parte boni, quod sibi aliquis vult. Accidit enim quandoque illud, quod appetitur ut secundùm quid bonum, esse simpliciter malum: & secundùm hoc aliquis per accidens vult sibi malum, quod est odire. *Alio modo* ex parte sui ipsius, cui vult bonum. Vnumquodque enim maximè est id, quod est principalius in ipso: unde ciuitas dicitur facere id, quod Rex facit, quasi Rex sit tota Ciuitas. Manifestum est autem, quòd homo maximè est mens hominis. Contingit verò, quòd aliqui æstimant se maximè illud, quod sunt secundùm naturam corporalem, & sensitiuam, unde amant se secundùm id, quod æstimant se esse, sed odiunt secundùm id, quod verè sunt, dum volunt contraria rationi. Et utroque modo ille, *qui diligit iniquitatem, odit* non solùm *animam suam*, sed etiam seipsum. *Sanè quomodo se ipsum non odit peccator, cum tota die Deum contra se ad iram excitet & ad flagella? Quod innuitur Iob* 20. *iis verbis*: Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum: eductus & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua &c. *Etenim* quandiu R arcus est in vagina, non percutit: & similiter ultio futuræ damnationis, quandiu est in Dei præsentia, quasi in quadam vagina, non damnat: sed educitur de hac vagina per malitiam prouocantem Deum: & tunc

[Left margin notes:]
C Tit. 1. l. 4. ibi.
D Rom. 8. l. 2. ibi, legi enim Io. 15. l. 5. lit. c. & 2. 2. 34. 1. in 4. d. 50. 2. 1. q. 5. c. Ver. 22. 2. ad 3.
An & quo sensu oderit peccator Deum.
E Ver. loc. cit.
Duplex peccatoris nox.
F Io. 9. l. 1. lit. e.
G 1. 2. 47. 2. ad 1. & q. 21. 4. ad 1
Dupliciter contra Deū agit.
H 1. 2. 73. 8. ad 2.
I 2. d. 42. 2. 2. q. 2. ad 1. in 4. d. 15. 1. 1. q. 3. ad 4. & a. 4. q. 1. c. Iob 35. l. 1. ibi, nocebis.
L Op. 7. Pet. 5. sub initio.
Subtrahunt peccatores gloriā Deo, ausque illius ex parte sua: licet lædere effectiuè non possint.
Deum tamen hominem factum, corporaliter, & effectiuè quantùm ad humanitatem læserunt.
M Apoc. 1. lit. 2. § 2. ibi.
Cur soli Deo homo peccare dicatur.

[Right margin notes:]
N Ps. 50. lit. b. ibi.
Peccator malè se habet & ad se ipsum: seque, non Deum, reuera offendit.
O Ier. 7. ibi.
P Iob. 24. l. 1. ibi.
Se ipsum odit, & quo sensu.
Q 1. 2. 29. 4. c. Op. 18. c. 13. Ps. 10. lit. d Eph. 5. l. 9. ibi.
R Iob. 20. l. 2. ibi.
Deum contra se ad flagella prouocat, & ad dānationem.

& tunc *egreditur* per dispositionem diuinam, *fulgurans in amaritudine sua &c. Quomodo se ipsum peccator non odit, dum multiplex (vt vidimus) ex peccato detrimentum voluntarius incurrit & corruptionem? Profectò* motus S voluntatis deliberatæ est corruptus in peccatoribus, qui ex toto relinquunt deliberationem rationis, & sequuntur impetum voluntatis naturalis, & sensitiuæ, murmurantes de Dei ordinatione. *Sed & alia facultates sunt in eis corruptioni obnoxia. Quam, & quidem triplicem corruptionem Paulus in Cretensibus ostendit, cum de illis ad Tit. 1. ait*: Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. *Quidam ex illis*, scilicet T Epimenides poeta, *proprius eorum propheta (vates enim & poeta dicuntur)* qui propriè descripsit eorum conditiones. Et notat eos de tribus: scilicet de corruptione rationalis, cum dicit: *semper mendaces*, Ps. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Item de corruptione irascibilis, cum dicit: *mala bestia*, idest crudeles. Et dicit, *mala*: quia secundùm Philosophum *in Polit.* homo, quando secundùm rationem operatur, est optimum animalium; sed quando declinat ad malitiam, est pessimum: quia si declinat propter crudelitatem, nulla bestia ita est crudelis. Vnde dicit, quòd decies millies est peior malus homo, quàm mala bestia. Item notat de corruptione concupiscibilis, cum dicit: *ventres pigri*; idest pigritiam habentes ex ventre: erant enim gulosi.

S 1. d. 48. 1. 4. c. circ. fin.
Motus voluntatis in peccatore corruptus.
Triplex peccatorum corruptio in Cretensibus apud Apostolum notatur.
T Addit. 1. l. 3. ibi.
Homo non secundùm rationem operans, pessimũ est animaliũ; ideò malus homo peior, quàm mala bestia.

n *Cæterùm princeps corruptio, partis est rationalis. Si enim cæcitas, magna quoad corpus reputatur pœna: longè magis quoad animam facienda est mentis excæcatio, in quam peccator incurrit. Hinc* moraliter V per cæcum illum (*qui Luc. 18.* sedebat secus viam; *Luc. 2.* Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent:) intelligitur peccator. Sicut enim cæcus non videt corporaliter, ita peccator non videt spiritualiter. (*Idcircò* peccatores X possunt quidem esse bene consiliatiui ad aliquem finem malum, vel ad aliquod particulare bonum. Ad finem autem bonum totius vitæ non sunt benè consiliatiui perfectè, quia consilium ad effectum non perducunt. Vnde non est in eis prudentia, quæ se habet solùm ad bonum: sed sicut Philosophus dicit in 6. *Ethic.* est in talibus *Dinotica*, idest naturalis industria, quæ se habet ad bonum, & malum: vel astutia, quæ se habet solùm ad malum, quam falsam prudentiam dicimus, vel *prudentiam carnis*.) *Ex quo* Omnis malus est ignorans, vt *dicitur in 3. & 7. Ethic.* Contingit enim Y aliquem habentem scientiam vniuersalem, in actu particulari, circa quem est opus, non habere scientiam, nisi in habitu, ligato per concupiscentiam, vel aliam passionem; ut sic iudicium rationis in particulari operatione non possit informari secundùm vniuersalem scientiam; & ita contingit errare rationem in electione. Et à tali errore electionis *omnis malus est ignorans*, quantumcunque habeat in vniuersali scientiam. Et per hunc modum ratio ad peccatum deducitur, in quantum per concupiscentiam ligatur. *Non secus & in speculatiuis* intellectus Z decipitur in conferendo, & applicando principia communia ad particulares conclusiones: & ita contingit, rationem sua rectitudine priuari. *Quocirca, cohærenter instruimur, quòd* æstimatio A rationis corrumpitur dupliciter. Vno modo in vniuersali, alio modo in particulari propter aliquam passionem. Corruptiò *V. G.*

Principalis in homine ex peccato corruptio est in parte rationali, quæ & cæcitas mentis dicitur.
V Serm. Ex Eu. Dom. in Quinq.
X 2. 2. 47. 13. ad 3. & in corp & q. 55. a. 1. & 2. in 2. d. 39. exp. tex.
Peccator, nec benè consiliatiuus simpliciter, nec prudens.
Dinotica, quid.
Quomodo verum sit, quòd omnis malus est ignorans.
Y Ver. 15. 3. ad 6. & q. 18. 6 ad 1. & q. 24. 8. c. Ma. 8. 4. ad 3. in 2. d. 5. 1. 1. c. & d. 21. 2. 1. ad 5. & d. 22. 2. 2. c. & d. 24. 3. 3. c. in 4. d. 18 exp. tex. ad Hebr. 3. l. 3.
Ignorantia, siue error electionis, quid.
Z Ver. 15. 3. ad 1.
A Ma. 8. 4. ad 1. & 1. 2. 77. 2. c. & 2. 2. 20. 2. c.

rectæ existimationis circa ea, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores, si sit quidem in vniuersali, pertinet ad peccatum hæresis: non autem, si sit in particulari propter passionem, secundùm quod *errant omnes, qui operantur malum, ut* dicitur *Prou. 14.* Sicut si aliquis sentiret in vniuersali, fornicationem non esse peccatum, esset infidelis. Non autem infidelis censetur fornicator, qui eligit fornicationem, tanquam bonum, propter concupiscentiæ passionem. *Et quidem peccator, tum in propria culpa ignorans est, tum in pœna. In culpa videlicet, quia peccati grauitatem ignorat, Ier. 16.* Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud! Quæ iniquitas nostra, & quod peccatum nostrum, quod peccauimus Domino? *Quasi non peccassent, vel leuissimè.* Talis est & via mulieris adulteræ (*ait Sapiens Prou. 30.*) quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum. *In pœna similiter ignorans peccator est; quia dum* miseros facit populos peccatum (*ut dicitur* Prou. 14.) *propriam ipse miseriam non cognoscit, Apoc. 3.* Nescis, quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Quasi dicat.* In B tantum *miser es*, quòd misericordia de te potest haberi, sed adhuc grauius est, quòd hanc ipsam miseriam *nescis*, *Ps. 81.* Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Et pauper*, scilicet virtutibus: *& cæcus*, ut tua vitia & damna agnoscas: *& nudus* meritis, vel operibus: vel innocentiæ vestimento. *Vel, ut alibi.* Nescis, quia *miser es* miseria C culpæ, *& miserabilis* miserijs pœnæ: *& pauper* paupertate virtutum: *& cæcus* cæcitate ignorantiæ: *& nudus* nuditate bonorum operum. *Nudus inquam peccator est, quia* pro peccato D vendit multa. Primò animi virtutem, Thren. 1. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo &c.* Secundò cælestem hereditatem. 3. Reg. 21. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem Patrum meorum.* Tertiò animæ libertatem, Eccli. 10. *Auaro nihil est scelestius: hic enim & animam suam venalem habet.* Quartò diuini amoris honorem, Ose. 3. *Diligit Dominus filios Israel: & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia uvarum.* Vide *hinc, quàm cæcus peccator sit. Vnde Ps. 34.* Fiat via illorum tenebræ & lubricum. *Et iterùm de peccatore subditur.* Veniat illi laqueus, quem ignorat: *quia scilicet* peccatori E non videtur, quòd sit ligatus, sed quòd faciat voluntatem suam: in veritate tamen laqueatus est, *Prou. 5.* Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum constringitur. *Et hoc nihilominùs ignorat. Magna profectò infelicitas, in miseria esse: maior, miserum non se nosse: maxima, miseriæ causam ignorare, Is. 42.* Combussit eum in circuitu, & non cognouit: *scilicet* se F à Deo pro peccatis punitum. *Quid si quæras: Quomodo malum agit peccator, si* nemo intendens ad malum operatur? *Respondet Author, quòd* malum G non potest esse secundùm se intentum ab aliquo: potest tamen esse intentum ad vitandum aliud malum, vel ad consequendum aliud bonum. Et in tali casu aliquis eligeret consequi bonum per se intentum, absque hoc quòd pateretur detrimentum alterius boni. Sicut aliquis lasciuus vellet frui delectatione absque offensa Dei: sed duobus propositis, magis vult peccando incurrere offensam Dei, quam delectatione priuetur. *Et ita bonum apparens prælegit vero bono. Et alibi*: Nihil H agit suam corruptionem, intendens illam, sed non est inconueniens, vt per actionem alicuius sequatur corruptio

Æstimatio rationis dupliciter corrumpitur, in vniuersali scilicet & in particulari.
Peccator in culpa ignorans & in pœna.
Suam non cognoscit miseriam, paupertatem, cæcitatem, & nuditatem.
B Apoc. 3. com. 1. ibi.
C Ibid. cõ. 2. §. 3. ibi.
D Is. 50. circ. fi. Apoc. 18. com. 1. ibi, negociatores.
Quatuor pro peccato vendit.
E Ps. 34. lec. f. ibi.
F Is. 42. fin.
Quomodo malè agat peccator, si nemo intendens ad malum operatur.
G 1. 2. 78. 1. ad 2. & 2. 2. 20 2. c. & 162. 4. ad 1. Ma. 3. 12 ad 3 de Diu Nom c. 4. l. 22.
H 2. d. 35. 1. 5. ad 4. & exp. tex.

ptio eius præter intentionem agentis. Et sic per accidens aliquid suæ corruptionis causa est. Sicut patet in infirmo, qui comedit nociua, ex quibus mortem incurrit: intendit enim delectationem in cibo; sed præter intentionem sequitur mors. Et similiter est in eo, qui peccat: intendit enim delectari in opere peccati; sed præter intentionem eius, corruptio animæ sequitur.

Peccator spiritualiter infirmus.

o *Ex præfatis autem corruptionibus dicitur peccator infirmus, vt & superiùs visum est. Vnde & Dauid post peccatum clamabat ad Dominum Ps. 6.* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum &c. *Vbi Author*: Peccatum I est spiritualis infirmitas. Nam infirmitas corporalis ex solutione debitæ proportionis humorum accidit. Sic quando affectiones animæ non sunt proportionatæ, est ibi spiritualis ægritudo. Et ideò dicit: *infirmus sum*. Deinde cum dicit, *sana me Domine &c.* exponit in speciali, quomodo sit infirmus. Quia si homo est liber à peccato, aptus est ad retinendum gratiam & virtutes, quæ sunt fortitudo hominis. Et ideò dicit: *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, idest fortitudo mea, animæ scilicet meæ virtus & fortitudo: *& anima mea turbata est valde*; quia peccator peruersum habet iudicium de agendis, ut scilicet, quod bonum est, iudicet esse malum: & è conuerso: *Quia verò spiritualiter infirmus, sequitur, quòd cælestia & spiritualia nauseat peccator, non secus, ac æger in corpore, optimos quosque cibos*, 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. *Sanè* quando homo L infirmus est, non appetit comedere: sed tunc appetere incipit, quando iam incipit sanari. Et ita est in spiritualibus, quòd quando homines sunt in peccato, non sentiunt famem spiritualem: sed quando dimittunt peccata, tunc sentiunt. *Idcircò dicebat Apostolus Petrus in sua* 1. *cap.* 2. Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. *Dulcis* palato M sano, quamuis amarus videatur palato febricitantis *ex peccato*. Palato *quippe* non sano pœna est panis, quæ sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux (*Io.* 3. *Qui malè agit, odit lucem*,) quæ puris est amabilis. *Et hinc est, quòd peccatores* sunt N prompti *quidem* & fortes ad mala, sed ad bona debiles, *Ps.* 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Et Ier.* 3. Fecisti mala, & potuisti? *Quasi diceret*: Potentiam O tuam in peccato iactasti, *Is.* 5. Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Et cap.* 49. In vacuum laboraui: sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. *Quò facit & illud Apostoli ad Rom.* 3. *ex Ps.* 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. *Quibus verbis* tangit P promptitudinem ad malè agendum; unde dicit: *Veloces*; idest prompti; *pedes eorum*, idest affectus illorum, *ad effundendum sanguinem*; idest ad faciendum quæcumque grauia peccata: quia inter peccata cætera, quæ committimus in proximum, homicidium est grauius, Prou. 1. *Pedes eorum ad malum currunt*.

I Ps. 6. lit. b. ibi.
Vnde utraq; infirmitas corporis & animæ.
Nauseat peccator spiritualia & cælestia
L Mat. 5 lit. b. ibi, saturabuntur.
M 1 Pet. 2. c. 1. ibi.
N Ps. 51. lit. a.
Peccatores debiles ad bona, prompti & fortes ad mala.
O Ier. 3. §. 2. ibi.
P Rom. 3. l. 2. ibi.

p *Ex his omnibus peccator dæmoniaco illi, cæco simul & muto, haud perperam comparatur: de quo Luc.* 11. & *Mat.* 12. Tria *enim* mala Q incurrit homo per peccatum. Primum est, quia cæcus efficitur, Soph. 1. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccauerunt*. Secundum est, quia efficitur mutus ad laudandum Deum, & confitendum peccata sua, Is. 56. *Canes muti, non valentes latrare*. Tertium est, quia à dæmonio possidetur, 2. Tim. 2. *Vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*; quia scilicet *qui facit peccatum* Io. 8. *seruus est peccati* (*ut fusè superiùs dicebamus*.) Et dicit, *ad ipsius voluntatem*, scilicet sectandam: vel, vt de homine faciat voluntatem suam. Solùm tamen adipiscitur quantum permittitur sibi: sed difficile est (*nota*) quòd ei auferatur id, quod tenet, Is. 49. *Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit*? A' R potestate *sanè* diaboli homo liberatus est per passionem Christi: quia suo peccato S meruit, ut in potestatem traderetur diaboli, per cuius tentationem fuerat superatus, 2. *Pet.* 2. *A' quo quis superatus est, huius & seruus est*. (Non T solùm tamen fit seruus alicuius qui ab eo superatur, sed etiam, qui ei voluntariè se subijcit: & hoc modo fit seruus diaboli qui motu proprio peccat, *ex malitia præsertim*.) *Quam quidem recuperat diabolus potestatem* (*licet non tantam, quantam ante Christi passionem*) *ubi homo mortaliter peccat*. Habet *enim* diabolus V potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso, quòd subditur originali peccato, vel etiam actuali. *Hinc ad illud Apoc.* 9. Solue quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate, *docemur, quòd* flumen X magnum *Euphrates*, quia fluuius profundus est, & impetuosus, currens per Babylonem, & interpretatur *humus*, vel *puluerulentus*, vel *crescens*, significat amatores huius Mundi, qui sunt profundi in astutia, & impetuosi in malitia. In hoc sunt alligati *angeli*, idest dæmones, quia in istis habitant, quasi in proprijs domicilijs. *Et illud pariter cap.* 18. Facta est (*Babylon*) custodia omnis spiritus immundi, & omnis volucris immundæ; *exponitur*, idest Y sedes & locus, seu receptaculum peccatorum carnalium, & spiritualium, per quæ dæmones habitant in homine, sicut Christus per gratiam. *Et priùs cap.* 2. Scio, ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. *Quasi dicat*: Tu Z habitas inter eos, in quibus diabolus sedet, tanquam dominans in eis. *Sedes inquam est Satanæ peccator: cui, equo veluti cum fræno, insidet. Vnde ad illud eiusdem Apoc.* 6. Et ecce equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei &c. *monemur, quòd* peccatores A dicuntur equus, quia veloces ad malum. Item portant diabolum insidentem eis. Item propter ineptitudinem: quia sicut equus est brutum animal, ita & ipsi facti sunt brutales, Ps. 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Et sic peruersi dicuntur equus, tum propter ineptitudinem ad bonum, tum propter velocitatem ad malum, tum propter subiectionem ad diabolum. *Equus inquam sunt peccatores, quia non secundùm rationem operantur, sed secundùm sensum: quod* (*ut superiùs vidimus*) *proprium brutorum est. Vnde & impudenter peccant, erubescentia nescii, sicut canes, Ier.* 3. In vijs sedebas, expectans eos, quasi latro insidians. *Quod exponitur*: sicut B meretrix expectans amasios, & latro, expectans quos spoliet. Et ostendit peccantium inuerecundiam, *cum subdit*: Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. *Et cap.* 8. Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: *sicuti & bruta nesciunt verecundari. Et hac de causa* impij in circuitu ambulare *dicuntur*, Ps. 11. *Quia enim & diabolus incessanter* circuit quærens quem deuoret, 1. *Pet.* 5. (*Vnde & dicebat ad Dominum Satan Iob.* 1. Circuiui terram &c.) *cum ipsis peccatoribus, quasi equo gesta-*

Q Serm. ex Eu. Dom. 3. Quadr. & Dom. 12. post Pent.
Tria incurrit mala peccator.
Cæcus, mutus, à dæmonio possessus.
A' quo difficulter liberatur.
R 3. p. 49. 2. initio c.
S 2. Tim. 2. l. 4. fin.
T 1. 2. 80. 4. ad 2.
V 3 p 71. 2 c.
X Apoc. 9. com. 2. §. 2. ibi.
Dæmonis habitaculum.
Y Apoc. 18. com. 2. §. 1. ibi.
Z Apoc. 2. com. 1. & 2. ibi.
Et sedes.
Et equus illius.
A Apoc. 6. com. 1. ibi, rufus, & com. 2. ibi, pallidus, & c. 14. com. 1. ibi, equorum. Et Ps. 31. lit. h.
B Ier. 3. §. 1. ibi.
Eius inuerecundia & impudentia in peccando, more brutorum.
Cur impius in circuitu, sicut diabolus ambulare dicatur.

Testatori, insideat, in circuitu *eos quoque* ambulare facit: *suo quippe equus gressu manum sequitur dirigentis. Quamuis & sponte peccator sua diabolum in processu imitetur*, Sap. 2. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. *Dicuntur autem & diabolus & impius* in circuitu ambulare, *eo quòd vterque non rectè, quia non rectè, incedit. Vnde docemur, quòd* per circuitionem C Satanæ calliditas eius ostenditur, ad explorandum, quos decipere possit. Conuenienter autem per circuitum calliditas designatur: sicut per rectum simplex & iustus. Nam rectum est, cuius medium non exit ab extremis: cum ergo actio iusti à suo principio, quod est Dei voluntas, & à fine illi intento, non discrepet, conuenienter iustis adscribitur rectitudo. Callidorum autem est, aliud prætendere, ac aliud intendere: & sic id, quod demonstrant de suo opere, exit ab extremis, dum nec principio concordant, nec fini. Vnde rectè callidi circuire dicuntur; propter quod scriptum est: *In circuitu impii ambulant*: in D circuitu scilicet vitiorum, non pertingentes ad medium virtutis, 1. Reg. 25. *Inimicorum tuorum anima rotabitur &c.*

C Iob. 1. l. 2. ibi, circuiui.

D Ps. 11. fi. & Iob 24. l. 1. ibi, nimium.

Diabolus peccatorem torquet.

q *Sub sua autem potestate constitutum, seu sibi captiuum, cruciat diabolus peccatorem, ac torquet. Pro quo sciendum, quòd* homo E peccando obligatus erat & Deo & diabolo. Quantùm enim ad culpam, Deum offenderat, & diabolo se subdiderat, ei consentiens: vnde ratione culpæ non erat factus seruus Dei; sed potiùs, à Dei seruitute recedens, diaboli seruitutem incurrerat, Deo iustè hoc permittente propter offensam in se commissam. Sed quantùm ad pęnam, principaliter homo erat Deo obligatus, sicut summo iudici: diabolo autem tanquam tortori, secundùm illud Mat. 5. *Ne fortè tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro*, idest angelo pęnarum crudeli, vt *Chrysostomus* dicit. *Vel (ut alibi) ministro*; idest F exactori diabolo, *Is.* 14. Quomodo cessauit exactor? *Hanc diaboli in peccatorem torturam & vexationem mysticè signat filia Chananæa, de qua Mater afflicta (sicut & Mater Ecclesia de anima peccatoris) dicebat ad Dominum Mat.* 15. Filia mea malè à dæmonio vexatur. *Malè inquam vexatur: quia* dæmonia G hominem, quem possident, vexant septem modis. Primò cæcum faciendo: secundò loquelam auferendo. De his duobus Mat. 12. *Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus*. Tertiò affligunt, ignem cupiditatis accendendo. Quartò in aqua luxuriæ submergendo. Quintò mutationes rerum mutabilium faciendo. De his tribus Mat. 17. *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam*. Peccator dicitur lunaticus, quia ut luna cum temporalibus crescit, & decrescit: & sæpè cadit in ignem cupiditatis, & in aquam luxuriæ. Sextò affligunt gelu spiritualium, indumenta virtutum auferendo, Luc. 8. *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur &c.* Septimò vexant doloribus & angustijs, quas sæpè patiuntur peccatores, Marc. 5. *Occurrit ei de monumentis homo in spiritu immundo &c.* Et post: *Concidens se lapidibus. Ita seruire cogitur Satanæ, tanquam captiuus, peccator; proinde seruiendo incessanter laborat. Seruit autem ei spetialiter, noua peccata committendo: in quo vera laborat*, *Ier.* 9. Vt iniquè agerent, laborauerunt, *utpotè* studiosi H ad mala opera, *Sap.* 5. Lassati sumus in via iniquitatis. *Sed & membra diaboli, peccatores sunt: Quemadmodum enim Christus Caput Ecclesiæ est, cuius corporis membra iusti fideles, Eph.* 5. Sicut Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius: *Ita mali homines & peccatores sunt* Synagoga Satanæ, *ut dicitur* Apoc. 2. *Et membra corporis eius, quorum ipse constituitur caput, Iob* 41. Ipse est Rex super universos filios superbiæ: *idest* super eos I qui superbiæ subijciuntur, qui omnes sequuntur eius ducatum. *Inducitur proinde corpus diaboli sub figura Leuiathan, hoc est ceti, Iob eodem cap. sub his verbis*: Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. *Vbi* comparatur L diabolus ad homines malos, sicut caput ad corpus. Vnde peccatores, qui alios in malitia defendunt, sunt quasi scuta corporis diaboli. Ostendit autem consequenter, quòd squamæ eius non solùm sunt magnæ, sed etiam compressæ ad modum piscium multas squamas habentium. Et hoc est, quod dicit: *Compactum squamis se prementibus*: per quod designatur multitudo malorum, & peruersa eorum concordia in malo. *Quid plura? Peccator, vel ipsemet diabolus est. Vnde & Dominus de impio proditore apertè dixit Io.* 6. Vnus ex vobis diabolus est: *hoc est*, non M per naturam, sed per imitationem diabolicæ malitiæ. *Ita & ad Petrum* Mat. 16. *sibi dicentem*: Absit à te Domine &c. *respondit*: Vade post me Satana. *Vbi notat Author*: Satanas N idem est, quòd aduersarius: unde qui consilio diuino contradicit (*ut omnis peccator facit*) Satanas dicitur. *Et alibi*: Homo O iniquus dicitur diabolus, secundùm illud *Mat.* 13. Inimicus homo hoc fecit. *At specialiùs peccator (ut præmisimus) diabolus dicitur* per imitationem diabolicæ malitiæ, *in hoc scilicet, quòd perseuerat in malo. Et hoc est, quod hominem in dæmonem quodammodò transmutat: quia*, quòd homo P peccet, hoc humanum est; sed si perseueret, hoc diabolicum est.

F Mat. 5. lit. g. ibi.

Et multipliciter.

G Serm. ex Eu. Dom. 2. Quadrag.

Peccatores peccando laborant.

H Ier. 9. §. 1. ibi.

Membra diaboli.

I Iob. 41. l. 2. ibi.

L Ibid. l. 1. ibi.

Immò peccator diabolus, & quo sensu.

M Io. 6. l. 8. lit. l.

N Mat. 16. lit. c. ibi.

O Ps. 42. lit. a ibi, iniquo & Mat. 13. lit. b. ibi, homo.

Peccare, humanum: diabolicum perseuerare.

P Mat. 18. lit. c. circa fin.

r *Eiusmodi peccator est: tale sub diaboli captiuitate sentit tormentum, talem pressuram. Et tamen multiplicem hanc voluntariè propter diabolum tolerat pœnam: nullam propter Deum vult pœnitendo sustinere*. Cum *tamen* satis Q reputetur quis facere, si tantum facit pro Deo (*bene nota*) quantum fecit pro peccato, *ad Rom.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: Ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *At verò præfata sunt* absque eo, quod intrinsecus latet: *pęna scilicet*, quam R à se ipso peccator incurrit, quæ est conscientiæ remorsus. *Quò mysticè facit illud de filia Chananæa ad Dominum dicentis Mat.* 15. Domine filia mea malè à dæmonio vexatur. *Filia mea*, idest S cuiuslibet conscientia, quæ à dæmonio vexatur, cum contra conscientiam operatur Ps. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Homo enim T etiam contra se pugnat per remorsum conscientiæ, *Ier.* 2. Arguet te malitia tua. *Cui adsonat illud Is.* 3. Agnitio vultus eorum respondebit eis: *idest* remorsus V conscientiæ *respondebit eis* sicut pęna. *Idcircò dicebat post admissam culpam Dauid Ps.* 31. Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. *In ærumna mea*, idest X in miseria, quam patior pro peccatis, *dum configitur spina*, dum scilicet remorsus conscientiæ infigitur, *velut pungentissima spina*, cordi meo. *Et inferiùs concludit*: Multa flagella peccatoris: *videlicet* à Y Deo, Ps. cit. *Arguam te &c.* à potestate, Rom. 13. *Vindex in iram ei, qui malum agit*: à

sua

Satis reputatur homo facere, si tantum facit pro Deo, quantum pro peccato fecit.

Q Op. 4. de b. Prac. §. 2.

R 1. 2. 87. 1. fi. c.

Pœna interior peccatoris, conscientiæ remorsus.

S Mat. 15. lit. b. ibi.

T Ps. 49. lit. K. ibi.

V Is. 3. §. 2. ibi, & 2. Pet. 2. §. 2. ibi, non cesset.

X Ps. 31. lit. b. ibi.

Y Ibid. lit. K.

sua conscientia; Quasi gladio pungitur conscientiæ, *Prou.* 12. & *Ps.* 37. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi &c. *cum iis, quæ ibidem sequuntur, de quibus Vide fusè Tomo 1. V.* Conscientia. *Hinc diuini timor iudicii peccatorum*

Et diuini timor iudicii.

inuadit corda, *Leu.* 26. Dabo pauorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folij volantis. *Cui adsonat illud Iob* 15. Sonitus terroris semper in auribus illius; & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum &c. *Ex quo impius promebat Cain*: Omnis, qui inuenerit me, occidet me: *quippè* qui Z timebat, quòd omnis, qui eum inueniret, sicut legens in eo sententiam mortis, & sicut executor diuinæ iustitiæ, mortem sibi inferret. Vel hoc dixit ex desiderio, sicut desperatus, ita quòd exponatur, *occidet me*; idest *occidat me*, *Ps.* 54. Timor & tremor venerunt super me. *Vnde legitur Gen. cit. loco, quòd* posuit Dominus Cain signum: *quod quidem* signum A fuit tremor capitis.

Z *Gen.* 4. *ibi*, *Iob.* 15. *l.* 2. *ibi*, annorum, & *cap.* 24. *lit.* 1. *ibi*, steterint.

A *Gen.* 4. *ibi.*

Duplicem peccator incurrit mortem.

¶ *Nec perperam mortem timebat fratricida Cain; peccator enim, in sui pœnam peccati, duplicem mortem incurrit*, *Rom.* 6. Finis illorum mors est, *scilicet* peccatorum B: quæ quidem mors etsi non sit finis operantis peccatum, quia peccando non intendit mortem incurrere: est tamen finis ipsorum peccatorum, quia de se nata sunt mortem inducere. Naturalem quidem: quia cum anima à se Deum separat, dignum est, ut ab ea corpus suum separetur: (vita *enim* corporis C anima: vita animæ *ex Isidoro* Deus est:) & æternam: quia cum aliquis ad tempus vult separari à Deo propter concupiscentiam peccati, dignum est ut ab eo æternaliter separetur: quod est mors æterna, *Rom.* 1. Qui talia agunt, digni sunt morte. *Ex quo duplex est temporalis peccatoris mors, corporalis scilicet & spiritualis; & hac terribilior, & damnosior illa. Quam quidem spiritualem mortem mysticè insinuat* Io. cap. 4. *ubi de quodam Regulo dicit, quòd* rogabat Iesum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. *Exponitur enim, quòd* quando D homo tentatur, incipit infirmari; sed quando tentatio præualet, ut inclinet ad consensum, est prope mortem: sed quando iam consentit, *incipit mori*. Cum verò consummat peccatum, moritur: quia (*ut dicitur Iac.* 1.) Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem (*quam satis descripsimus in superioribus*) de qua *Ps.* 33. Mors peccatorum pessima. *Quoniam verò peccator per culpam mortuus est, nec minas Dei audit, nec sentit flagella*, *Ier.* 2. Frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. *Nec enim Deum quærit, ira illius effectibus excitatus*, *Ps.* 9. Secundùm multitudinem iræ suæ non quæret, *scilicet* peccator E Deum. *Atqui caueat sibi peccator*: *nam* cum aliquis F pro peccato punitur, & ex ipsa pœna à peccato non retrahitur, iustum est, ut grauiùs puniatur. *Et ideò ad eum, quem sanauerat, languidum dicebat Dominus Io.* 5. Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ex quo pariter erudimur, quòd* qui G post beneficia recepta, ad peccata prolabitur, grauioris supplicij reus efficitur propter ingratitudinem. *Viuunt autem corporaliter peccatores, quamuis morti obnoxii, donec impleant peccata sua, ut dicitur* 1. Thess. 2. *Quia* si aliquis H sunt mali, non tamen quantum volunt, sed quantum Deus permittit. Et ideò tandiù viuunt, quandiù perueniunt adhoc, quod Deus permittit, Mat. 23. *Implete mensuram Patrum vestrorum*. In Dei enim I iudicio non statim soluitur pœna, donec totaliter exaggeretur, & veniat ad cumulum: unde quantùm ad iudicium Dei, non adhuc erat impleta culpa eorum, Iudæorum scilicet, in Christi occisione complenda.

B *Rom.* 6. *l.* 4. *ibi*, & *cap.* 1. *l.* 8. *fin.*

C *Apoc.* 8. *com.* 1. *ibi*, mortua est, & 1. 2. 1 10. 1. *ad* 2.

Temporalis eius mors duplex.

Spiritualis describitur ex peccato mors

D *Io.* 4. *l.* 7. *lit. b. ibi.*

Peccator, tanquam mortuus, Dei flagella non sentit, ut conuertatur.

E *Ps.* 9. *lit. p. ibi.*

F *Io.* 5. *l.* 2. *lit. e. ibi*, deterius.

Væ non resipiscenti.

G *Ibidem.*

Viuit corporaliter malus, donec impleat peccata sua.

H 1 *Thess.* 2. *l.* 2. *ibi.*

I *Mat.* 23. *lit. b. ibi.*

Tametsi viuat, ut plurimùm nō prosperatur diu.

¶ *Porrò tametsi viuat, non diu prosperatur in hac vita peccator*, *Iob* 8. Non porriget Deus manum malignis, *idest* non dabit L eis auxilium, ut eorum prosperitas confirmetur. *Et cap.* 20. Hoc scio à principio, ex quo est positus homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit usque ad Cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur; & qui eum viderant, dicent: Vbi est? Velut somnium auolans non inuenietur; transiet sicut visio nocturna. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultrà intuebitur eum locus suus. *Cui consonat illud Ps.* 36. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui: & ecce non erat. Et quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. *Vidi impium*, idest M quemcumque peccatorem, *superexaltatum*, idest super statum suæ conditionis, & super alios homines felicem, quantùm ad statum Mundi: & *eleuatum sicut cedros Libani*, quæ scilicet inter omnes arbores maiorem altitudinem habent. *Quasi dicat*: excellenter super alios vidi: *Altitudo cedrorum, altitudo eius*: & *fortis ipse, quasi quercus*, Amos 2. & *transiui* per considerationem: quandiù enim homo defigit oculum in rebus Mundi, videtur ei, quod mali sunt potentes: quando autem mente transit ad spiritualia, & ad Dei iudicia, pro nihilo reputat eos. Vnde sequitur: & *ecce non erat*, etiam in præsenti, quia nihil est gloria peccatorum, quæ videtur aliquid, 1. Mach. 2. *Gloria viri peccatoris, stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur.* Et Ier. 4. *Aspexi terram*, idest gloriam terrenam: & *ecce vacua erat, & nihil*. Sequitur: & *quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*, idest dignitates eius, vel familia, & domus eius. *Quasi dicat*: Non solùm ipse, sed quicquid ad eum pertinet, destruitur. Vel *locus eius*, idest Mundus, in quo quiescit, quia *Mundus transit & concupiscentia eius*, ut dicitur 1. Io. 2. *Præterit enim figura huius Mundi*, 1. ad Cor. 7. *Quòd si in aliquibus peccatoribus prosperitas diuturna sit, cedit eis in animæ exitium maius*. Hoc enim N quòd impij prosperitatem habent, frequenter in eorum malum est: *quia nimirùm* prosperantur O in hac vita, ut manifestior appareat in iudicio eorum animaduersio. *Vnde Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. *Et iterùm*. In diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. *Quasi dicat*: Quòd P in hac vita non punitur malus, sed prosperatur, hoc ideò est, quia reseruatur eius punitio in aliud tempus, quando grauiùs punietur. Vnde dicit: *ad diem furoris ducetur*. Quia enim furor est ira accensa, nomine furoris acrior vindicta significatur. *Id quod manifestè ostenditur* Ier. 12. *ubi quasi admiratus propheta, petit à Domino*: Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum &c. *Et postea subdit*: Congrega eos, quasi gregem ad victimam. *Quasi diceret*: Ideò ita Q eos in prosperitatibus exaltas, sicut qui impinguat gregem ad occisionem. Ergo ex quo impinguati

L *Iob* 8. *l.* 2. *ibi.*

M *Ps.* 36. *lit. a.* 2. *ibi*, & *lit. g. Iob* 20. *l.* 1.

N 2. *d.* 36. 1. 4. *ad* 5.

O 1. *d.* 39. 2. 2. *ad* 5. *fin.*

Quòd si diu prosperatur, in eius cedit spirituale detrimentum.

P *Iob.* 21. *l.* 2. & *c.* 24. *l.* 1. & *c.* 27. *l.* 1. & *c.* 28. *fi. cap.*

Q *Ier.* 12. *lit. a. ibi.*

guati sunt, & iniusti sunt, *congrega eos, quasi gregem ad victimam*: & loquitur per similitudinem animalium, quæ occidebantur ad immolandum. *Quò facit illud If. 34.* Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum & hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Inebriabitur terra eorum sanguine, quia dies ultionis Domini, annus retributionis iudicij Sion. *Et quidem* ad præmissa R inducit Haymo huiusmodi exempla. Vitulus, qui occisioni paratur, liberiùs pascuis saginari permittitur: qui verò ad usus necessarios reseruatur, iugo & loris domatur, stimulis pungitur, verberibus cæditur. Et ægro, cuius vita desperatur à medico, etiam saluti eius contrarium non negatur. Cuius autem recuperanda salus æstimatur, animo eius desiderabilia salutique contraria omninò negantur. *Quocirca docemur, quòd* secundùm doctrinam S fidei temporalia bona, quæ indignis proueniunt, ex iusta Dei ordinatione disponuntur vel ad eorum correctionem (*nota*) vel ad eorum damnationem. *Ad eorum quidem correctionem, ut beneficiis affecti, ad suum benefactorem pœnitendo recurrant: ad damnationem verò, quia utuntur eis ad multiplicanda peccata, quæ rectà ad damnationem perducunt.* (*Vide* Boni temporalia *Tome* 1.) *Et quamuis in luce prosperitatis ambulare sibi videantur exteriùs, similes tamen sunt* sedentibus in regione umbræ mortis, *Mat. 4. quia* stipendia peccati mors Rom. 6. *ne dum temporalis, sed æterna.* Vmbra mortis T est similitudo futuræ damnationis, quæ est in peccatoribus: (*peccator enim secundùm præsentem iustitiam iam damnatus est.*) Magna autem pœna eorum, qui in Inferno sunt, est separatio à Deo: & quia peccatores iam separati sunt à Deo; ideò similitudinem habent futuræ damnationis. *Et hanc sibi voluntariè parat impius extremam ruinam, Ps. 40.* Cor eius congregauit iniquitatem sibi, *idest* contra V se. *Et Ps. 36.* Gladium euaginauerunt peccatores, ut trucident rectos corde: *hoc est* vel X corporaliter, vel spiritualiter. Euentus autem conatus eorum est, quòd reuertetur in caput suum: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Tu enim eximis gladium contra alium, & fortè non percutis eum, quia fortè ei nocere non potes: tamen ex ipso spiritualiter tu es percussus. *Imminet hinc peccatoribus excidium, & præcipitium: ex quo hœdis haud perperam comparantur, Mat. 25.* Statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris. *Vbi* per hœdos Y intelligit peccatores, quia hœdus est animal per præcipitia vadens. *Neu secùs & isti ad præcipitium spontè properant, vel in vasto huius seculi Oceano ad certum naufragium*: confractum *enim* habent Z affectum; & ideò sicut nauis confracta, & sine velo, cum vento impellitur, immergitur undis tentationum, quia non habent secum Nautam, *videlicet Deum. Nam* longè est Dominus ab impijs, *Prou. 15.*

Haymonis ad hoc exépla.
R Apoc. 3. com. 1. ibi, castigo.
Malis dat Deus bona temporalia, vel ad correctionem, vel ad damnationem.
S 2.2.36.2 c.
Cuius damnationis in se similitudinem habent.
T Mat. 4. lit. b. ibi.
V Ps. 40. lit. d. ibi.
Et hanc sibi voluntariè darant ruinã.
X Ps. 36. lit. l. ibi.
Peccatores cur hœdi.
Y Mat. 25. lit. c. ibi.
Z Apoc. 6. com. 1. ibi, bestijs terræ.

u *Verùm, tametsi* peccatorem arguat malitia sua, *Ier. 2. Perpetuam habet de commissa culpa excusationem, quam à primis edidicit parentibus post diuini transgressionem præcepti. Eua namque ad increpantem Dominum respondit*: Serpens decepit me. *Adam verò*: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. *Vbi Author*: Ecce A quòd culpam suam refert refert & in mulierem, & in Deum per reductionem, quia Deus dederat mulierem. Hoc autem dixit, vt fortiùs se excusaret, credens, quòd Deus sibi citiùs remitteret, ex quo ab aliquo à Deo dato homo ad peccandum occasionem acceperat. *Sanè aliqualis esse potest excusatio culpa diabolica suggestio, cum aliquid minuat de peccato*: (*quamuis* non B omnia peccata nostra procedunt ex dæmonum suggestione, *sed frequentiùs ex malitia nostra. Plures enim sunt, qui non ex diaboli tentatione ad peccandum trahuntur, sed potiùs* trahunt C peccata ad se, tentationes præueniendo: de quibus dicitur If. 5. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.*) *Similiter, quòd ex concupiscentiæ fomite (quæ per sociam mulierem exprimi bene potest) post vitiatam naturam peccemus, qualisqualis potest esse excusatio: quamuis excuset à tanto, sed non à toto. At quòd in Deum culpa nostra retorqueatur, nimia profectè est impietas. Mos nihilominùs hereditarius quorumcumque peccantium hic est, ut in proximum suum, immò & in ipsum Deum reductiuè propriam referant culpam.* Quidam sunt D qui peccata sua in Deum retorquent, dicentes, quòd necessitate peccant, *illud subiicientes Iob 6.* Nec enim caro mea ænea est, *idest* sine E sensu: *nam &* sicut lutum fecisti me: pelle, & carnibus vestisti me: *ex quo ægrè possum, dicet quispiam, à peccato abstinere. At suam palliant ut plurimùm fragilitate malitiam, unde & excusationem non habent de peccato suo: quia voluntarium est peccatum omne, & diabolum vincere, & concupiscentiam superare, in nostro est arbitrio, nunquam (nisi abiiciamus) suum Deo auxilium retrahente. Hinc ad impium fratricidam dicebat Dominus Gen. 4,* Sub te erit appetitus eius, (*scilicet peccati*:) & tu dominaberis illius. *Nimirùm* ut F monstretur dominium, quod habet homo ad vitandum peccatum; & ideò inexcusabilis est, si peccet. *Proinde* cum homo G quærit excusationis suffugium, nunquam petit veniam: *eo quòd* excusatio H peccati *immò* est quædam circumstantia aggrauans omne peccatum, Ier. 8. *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens*: Quid feci? *At vero tantum abest, quòd possit suam peccator excusare culpam, vt immò ipsemet contra se iustam proferat mortis sententiam. Quò facit parabola de Agricolis* Mat. 21. *Qui nedum seruos sed & filium Domini vineæ interfecerunt. De quibus ab impiis principibus sacerdotibus, & senioribus quæsiuit Dominus*: Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? (*per quos nimirùm ipsimet primores Iudæi signabantur, qui & prophetas Dei, & Filium Dei occiderunt.*) *Et illi responderunt*: Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis &c. *Quippe* ita I subtiliter petit Dominus, vt ipsi iudicent contra se: sicut Nathan fecit Dauid, quando peccauit cum Bethsabee, 2. *Reg. 12. In seipsum siquidem Rex mortis sententiam protulit, cum ait*: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. *Dixit autem Nathan ad David*: Tu es ille vir. *Id quod ab initio expressit Author, ubi induxit illud Ps. 49.* Peccatori autem dixit Deus: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam*; idest L Tu ipse te condemnabis. *Sed & lethalem sententiam sponte sua peccatores exequuntur; & quidem primi: ut liquet ex verbis Euangelistæ* Mat. c. 25. *Vbi de reprobis & peccatoribus, postquàm sententia à supremo Iudice lata fuerit, illud subiicit*: Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. *Quòd enim iusti lubenter eant in vitam æternam, satis, superque credibile est.*

A Gen. 3. ibi.
Peccantes suam excusant culpam, in proximum referentes, immò & reductiuè in Deũ.
B 1. p. 114. 3. ad 3.
Diaboli tentationes præueniunt homines.
C Apoc. 12. com. 2. §. 2. fin.
D Ps. 35. sub initio.
Suam palliant fragilitate malitiam.
E Iob 6. l. 1. ibi.
F Gen. 4 ibi.
Homo ad vitandum peccatum dominium habet.
G Gen. 3. ibi, mulier quam dedisti.
H 2.2. 13. 3. ad 3.
Excusatio peccati, circumstantia est aggrauans omne peccatum.
Peccator contra se mortis sententiam pronunciat.
I Matth. 21. lit. b. ibi.
L Ps. 49. lit. K. ibi.
Et sponte à Deo fulminatam exequitur.

At

At quòd impii ex se ipsis vadant (cum paulo ante, & iterùm cap. 8. legatur: eijcientur in tenebras exteriores:) *& quod priùs quàm iusti, eant (cum naturaliter, quo fero magis potest, ad pœnam quisque subeundam procedat) imperceptibile penitùs videtur. Verùm, proprium hoc est peccantis, ut ipse de se ipso iustam vindictam faciat, quamprimùm potest, & spontaneè sententiam iudicis exequendo. Et ideo benè dicitur:* Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. DISCE, ne deterius tibi contingat, *peccato abstinere. Vide* Adam, Anima rationalis, Bona temporalia, Conscientia *Tomo 1.* & Peccatum mortale.

XIII. Quod recedere videtur à diuina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium. Sicut peccator, qui quantùm est in se, recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur, 1. *p.* 19. 6. *fi. corp.*

x H*Actenùs de peccatore culpa mortalis utcumque reo: nunc de contumaci & consuetudinario specialiùs. Est enim peccator quisque spiritualiter mortuus: & quidam nedum defuncti considerantur, sed & per consuetudinem peccandi tumulati. Et hoc mysticè facit quòd (ut legitur in Euangelio, & superiùs innuimus)* tres M mortuos suscitauit Dominus. Puellam in domo, iuuenem in porta, Lazarum in sepulchro. Quidam enim peccato moriuntur, sed non extra feruntur: & hoc est per consensum in peccatum, sed non exeunt ad extra per opera. Quidam verò extra feruntur ad actum: & hi significantur per eum, quem suscitat in porta. Quidam verò ex consuetudine jacent in sepulchro: qui significantur per Lazarum. *Idcircò & sepulchra hi dicuntur: nam* Sepulchrum N dicitur, quia mortuum continet: anima enim per peccatum moritur; & ideò mali sepulchrum dicuntur, *Ps.* 13. Sepulchrum patens est guttur eorum. *Quidam ergo per peccatum moriuntur, at non tumulantur per contumaciam, & consuetudinem. Mortuus erat David, ubi adulterium patrauit, & homicidium: atqui sepultus nondum erat: quia citò ad monitum Propheta per pœnitentiam surrexit* (*Eph.* 5. Exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.) 2. *Reg.* 12. Peccaui Domino; *moxque subiicit Nathan*: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. *Ex quo à morte peccati ad vitam gratia surrexit: quò facit illud de prodigo filio ad Patrem reuertente:* Mortuus erat, & reuixit, *Luc.* 15. *Profectò* finalis O impœnitentiæ prima causa est, longa consuetudo peccandi. *Qua quidem consuetudo mysticè exprimitur in præfato Lazaro quatriduano, Io.* 11. Iam fætet: quatriduanus enim est. *Et hoc* ad literam P factum est ad ostensionem veritatis miraculi, quasi iam per putrefactionem inciperent membra resolui. Mysticè autem intelligitur de illo, qui peccare consueuit: qui iam fœtet, scilicet per pessimam famam, cuius odor deterrimus per peccatum consurgit. Nam sicut ex bonis operibus, fragrat odor bonus, 1. Cor. 1. *Christi bonus odor sumus*: ita ex malis operibus fętor & lus odor euaporat. Qui etiã rectè quatriduanus dicitur, quasi pressus pondere terrenorũ peccatorũ, & cupiditatum carnalium terra enim est vltimũ de quatuor elementis (*unde & defunctus ille* Luc. 7. *qui portabatur ad tumulum*: in loculo, *inquit Ambrosius*, materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis.) *Ioel.* 2. Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius. *Quoniam verò consuetudo, altera dicitur natura; hinc est, quod consuetudinarius peccator quasi naturaliter peccat. Hoc enim inter incontinentem, & intemperatum, intercedit discrimen: quòd* in eo Q qui est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito. In eo autem, qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio citò transit, habitus autem est qualitas difficilè mobilis; inde est, quòd incontinens statim pęnitet transeunte passione: quod non accidit de intemperato, qui immò gaudet se peccasse, eo quòd operatio peccati est sibi facta connaturalis secundùm habitum. *Et ita* libido R voluntatis, quæ auget peccatum, maior est in intemperato, quàm in incontinente. Libido tamen concupiscentiæ appetitus sensitiui, quandoque maior est in incontinente, quia incontinens non peccat, nisi ex graui concupiscentia: sed intemperatus etiam ex leui concupiscentia peccat, & quandoque eam præuenit. Et ideò Philosophus dicit, *in 7. Ethic.* quòd intemperatum magis vituperamus, quia non concupiscens, vel quietè, idest remissè concupiscens, persequitur delectationes. Quid enim faceret, si adesset concupiscentia iuuenilis? Consuetudo *inquam* peccandi S quodammodo in naturam transit, Sap. 14. *Conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est.* Vnde *Augustinus*: Vocabas me, Domine (*inquit*) & suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea propria voluntate. Velle enim meum tenebat inimicus, & inde catenam fecerat, & constrinxerat me; quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. *Cui consonat & Author, cum ait:* Consuetudo T peccandi quandam necessitatem ingerit ad peccandum. *Hinc* Athanasius *in Epist. ad Serap. dicit*, quòd Arianos V qui non semel tantùm, sed pluries blasphemauerunt, impossibile est non blasphemare. Impossibile tamen hic pro difficili sumitur, quæ difficultas ex consuetudine prouenit, Ier. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum.* Quasi dicat. Difficiliter X potestis conuerti. Et dicit, *Æthiops*, propter naturalem infectionem peccati: *pardus* propter dolositatem, vel diuersitatem peccatorum: *cum didiceritis malum*, propter consuetudinem, & malum habitum acquisitum. *Proinde, sicut iustus procedit de virtute in virtutem ex habitu virtutis: ita consuetudinarius peccator de vitio in vitium ex habitu vitii quasi naturaliter progreditur. Quod innuitur* Thren. 1. *cum dicitur*: Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui. *Sordes*, scilicet Y peccatorum, *in pedibus eius*, scilicet in affectibus, quasi ad progrediendum in peccato: *nec recordata est finis sui*, scilicet mortis, vel iudicij diuini: *sicque tantùm in malo progreditur impius, quòd* cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, *Prou.* 18. Frequentia *enim* peccati dispositiuè Z inducit ad contemptum, & *ideò* solet A hoc proprium esse in peccatis perseuerare volen-

L l tium,

M *Mat.* 9. *lit. d. fi. & Io.* 11. *l.* 4 *Lit. d.*

Triplex peccatorum genus.

Consuetudinarij per Lazarum in Sepulchro significantur: qui & sepulchra dicuntur.

N *Mat.* 23. *lit. b. ibi*, sepulchris.

O *Op.* 58. *cap.* 12.

Finalis impœnitentiæ radix, consuetudo peccandi.

P *Io.* 11. *l.* 6. *lit. b. ibi.*

Quæ exprimitur in Lazaro quatriduano.

Quia consuetudo est altera natura: consuetudinarius quasi naturaliter peccat.

Q 2.2. 156. 3. c. & 1.2. 78. 2. *in* 2. d. 43. 1. 4. c. *Ver.* 24. 10 c. & *ad* 1. & 4. 12. *ad* 9. *in contrar.*

Differentia inter intemperatum, & incontinentem.

R 2. 2. *loco cit. ad* 3.

Consuetudinarius necessitatur quodammodo ad peccandum.

S *Op.* 58. *c.* 12. *post med.* & *c.* 32. *circa med.*

T *Rom.* 6. *l.* 2. *ibi*, vetus homo.

V *Op. c.* 28.

X *Ier.* 13. §. 2. *ibi.*

Sicut iustus procedit de virtute in virtutem: ita peccator consuetudinarius de vitio in vitium.

Y *Thren.* 1. *lit.* 1.

Z 2. 2. 186. 9. *ad* 3.

A *Iob* 34. *l.* 1. *ibi*, bibit.

tium, ut diuina contemnat iudicia. *Contemnit inquam ipsum Deum iudicem & testem.* Ego sum iudex & testis *Ier.* 29. Videtur autem A Deum iudicem contemnere, qui non timet peccare propter iudicium eius. Et similiter contemnit Deum testem, qui peccat in oculis eius. *Ex quo autem* homo B Deum contemnit, fit audax & praeceps ad omne periculum, & flagitium. *Contemnit insuper diuinam legem, & fidem, quae per diuturnam gratiae priuationem, & charitatis absentiam, penitus quandoque amittitur: nam* amissio C charitatis est via ad amittendam fidem. *Contemnit & verum bonum, malumque, tanquam summè bonum, ex proposito eligit, Is.* 5. Vae, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. *De eo exinde, quod turpe est, nedum impudens non erubescit, sed tanquam sibi gloriosum immò iactat. Vnde docemur, quòd* quia D ea, quae sunt erubescibilia, non apprehenduntur ut turpia; ideò verecundia carent homines in peccatis profundati: quibus sua peccata non displicent, sed magis de eis gloriantur. *Quò facit illud Is.* 3. Peccatum suum quasi Sodoma praedicauerunt, nec absconderunt. *Et Ier.* 3. Fecisti mala, & potuisti. *Quasi dicat:* Potentiam E tuam in peccato iactasti, *de ipsa gloriabundus malitia & iniquitate, Ps.* 51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? *Idcircò malignus tentator* Mat. 4. *legitur Christo ostendisse omnia Regna mundi, & gloriam eorum: videlicet* quia F quando diabolus perfectè regnat super homines, facit eos etiam gloriari de peccato, Prou. 2. *Laetantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis:* & hic est ultimus gradus peccati, *quò peruenit homo per consuetudinem peccans.*

A Ps. 50. lit. b. ibi, tibi soli, Rom. 3. l. 1.
Deum iudicem, & testem diuinamque legem contemnit, & fidem.
B 2. Pet. 2. §. 3. ibi, audaces.
C 2. 2. 39. 1. ad 3.
Amissio charitatis est via ad amittendam fidem.
D 2. 2. 144. 4. c.
De peccatis gloriatur.
E Ier. 3. §. 2. ibi.
F Mat. 4. lit. a. ibi.
Quod est ultimus peccati gradus.

Y Obtegunt hinc pallio charitatis in proximum, vel obsequii in Deum peccata sua. Ita impii Iudaei, persequendo Christum, & Apostolos eius, obsequium se Deo impendere iactabant, Io. 16. Vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequiũ se praestare Deo. *Et sacrilegus Iudas sub specie charitatis in proximos, sua celans auaritiae cupiditatem, de profuso à Magdalena unguento obmurmurabat Io.* 12. Quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis? *Cuius nempe fragrantia sibi erat* odor mortis in mortem, alijs autem odor vitae in vitam, *ut dicitur 2. Cor.* 2. *At non mirum (ait ibidem Apostolus* cap. 11.) Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiae. *Vnde & Iudas* iniquitatem G suam sub specie pietatis occultauit, dicens: *Et datum est egenis.* Cor eius (*Is* 32.) faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. *Vnde subditur, nec perperam, ab Ioanne:* Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quae mittebantur, portabat. *Ita Caiphas sub specie pietatis, & religionis, illud pronunciauit Io.* 11. Expedit vobis, ut vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. *Quae verba (inquit Author)* alium H intellectum habent secundùm prauam intentionem Caiphae, *qui ex inuidia, & odio contra Christum haec protulit:* & alium secundùm expositionem Euangelistae, vt scilicet proferret modum, quo salus populi impleretur. *Quoniam verò* passiua I propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium, unde propter corruptionem linguae infirmis dulcia amara videntur: *hinc est, quòd tam malè ab interiori dispositus, diuina redditur incapax impressionis peccator. Quinimmò, velut mortuus, nec bona apprehendit exhibita, nec propria (ut vidimus) sentit mala.* Peccatores L in peccatis mortui sunt, & non sentiunt mala sua; sed iusti inde dolent ex compassione, Ps. 34. *Quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.* Et hoc maximè fuit in Christo, quando *fleuit super ciuitatem* Luc. 19. Et dicit, *lugens:* luctus enim est planctus pro mortuis. Tunc ergo homo luget pro alijs, quando plorat mala eorum, quae ipsi non sentiunt velut mortui. *Lugent inquam ex compassione iusti: nec tamen quisque pro contumaci peccatore tenetur orare,* 1. Io. 5. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut quis roget. *Quocirca sciendum, quòd* si peccatum M ad mortem intelligatur peccatum in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum requirit finalem impoenitentiam secundùm unam opinionem, sic intelligendum est, ut nullus pro talibus oret: quia qui usque ad mortem in peccato mortali perdurat, postmodùm orationibus non iuuatur. Si autem sumatur pro peccato in Spiritum Sanctum secundùm aliam opinionem, prout non requirit finalem impoenitentiam, sic intelligendum est, *ut non roget pro illo quis*, idest quicumque: quia talium conuersio, quasi miraculosa est. Vnde sicut pro faciendis miraculis, non quilibet orat, sed magni, & Sancti viri: ita nec pro talium conuersione. Tamen secundùm formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri: sed ostenditur, quòd praeceptum de orando pro proximis fidelibus non se extendit ad tales peccatores, quia propter sui peccati enormitatem (*quod est ex certa malitia nedum peccare, sed & in peccatis perseuerare*) hoc merentur, ut à fidelibus relinquantur, sicut Ethnici, & Publicani. *Quod innuitur Apoc.* 11. Atrium autem, quod est foris Templum, eijce foras. *Quasi dicat:* Illos N qui sunt falsi Christiani, quia vel fide carent, vel si fidem habent, in moribus prauis obstinati sunt, manifesta esse extra Ecclesiam, vel praedicando, vel excommunicando, Ier. 15. *Eiice illos à facie mea.* Excommunicando, *inquam*, ostende O esse foras. Et est argumentum, quòd Episcopus potest excommunicare subditos suos, si post legitimam admonitionem noluerint dimittere peccatum suum (*exemplo Apostoli, qui fornicarium illum excommunicauit* 1. Cor. 5.) Vel *eiice foras*, idest, praedic, eijciendos in futùro cum diabolo, *Apoc.* 22. Foris canes &c. & *Luc.* 13. Cum videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei; vos autem expelli foras. *Sed & si magni, ac Sanctissimi viri pro talibus orent, Deus non exaudit: pluraque & hìc à Deo, iustè ad vindictam prouocato, eis imminent mala. Quod quidem satis exprimitur Ier.* 15. Et dixit Dominus ad me: Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: eijce illos à facie mea, & egrediantur. Quòd si dixerint ad te: *Quò egrediemur?* dices ad eos. Haec dicit Dominus: qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famen; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. *Si steterit Moyses, & Samuel,* qui P efficaces fuerunt in orando: *non est anima mea &c.* ac si dicat: Non est ex defectu orantis, quòd oratio non exaudiatur, sed ex defectu populi, pro quo oratur. *Qui ad mortem, ad mortem* &c. ubi ponit quadruplex periculum, scilicet pestilentiae, belli, famis, & captiuitatis. *Et priùs cap.* 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc: quia non exaudiam.

Peccator sub specie pietatis suam palliat iniquitatem.
G Io. 12. l. 1. lit. f.
In Iuda exemplum.
Et in Caipha.
H Io. 11. l. 7. lit. f. & lit. g. fin.
I 1. p. 17. 2. c.
Peccator ex sua indispositione diuinae impressionis redditur incapax.
L Ps. 34. lit. K.
Nec bona apprehendit exhibita, nec sentit velut mortuus mala.
M 2 d 43. exp. tex. O 1. Io. 5. §. 5. ibi.
An pro contumaci peccatore teneamur orare.
N Apoc. 11. com. 1. ibi
O Ibid. com. 2. ibi.
Pro eo si quis vir Sanctus orauerit, non exauditur.
P Ier. 15. lit. a. ibi.

Z Quin

Q Ver. 28. 2. ad 7.
Iterum volens videtur quodammodo pœnitere non posse.

Z Quin & ipse peccator consuetudinarius, & contumax videtur quodammodo, etiam volens, pœnitere non posse. Siquidem iustè Q per iustitiam diuinam ordinatum est, ut qui noluit stare in gratia dum posset, non possit etiam si velit, Ier. 6. Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Vnde & Augustinus de lib. arb. lib. 3. tract. 18. Illa est peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque, quo benè uti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cum posset noluit, amittat posse, cum velit. Profectò causa R subtractionis gratiæ est non solùm ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo iudicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa excæcationis, aggrauationis aurium, & obdurationis cordis: quippe qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, ut dicitur ad Rom. 9. Non tamen dicitur S indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam. Nec tamen omnipotentia Dei, & infinita pietati, eiusmodi peccatoris conuersio difficilis est: sed indispositio exaggeratur ex parte peccatoris. Plures immò sunt miserentis adinuentiones Dei ad saluandum, quàm impii hominis ad peccandum. De his Regius Propheta Ps. 27. Da illis secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum: quæ quidem adinuentiones T sunt viæ excogitatæ ad nocendum & peccandum: sed hi grauiùs puniuntur à Deo, quia non coacti, sed sua praua voluntate peccauerunt. Cui consonat illud Iob 20. Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. Adinuentionum, scilicet V peccatorum, quæ solicitè excogitat. Et Is. 3. Lingua eorum & adinuentiones eorum contra Dominum. Vbi aggrauat X culpam ex peccati specie, quia blasphemabant Deum; unde dicit, lingua eorum: & ex peccati nouitate; unde dicit, adinuentiones. Et hoc est, quod dicitur Ps. 13. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis: nimirùm quia Y per ea deueniunt ad abominabilia: vel quia studiosè faciunt, nouos peccandi modos malitiosa industria adinuenientes: quos licèt callidus suggerat aliquando tentator, sæpè tamen sæpiùs humana excogitat malitia. (Abominabiles dic pariter in studijs suis scriptores aliquos, non candidos, sed atramento nigriores, vel fidei dogmata nouis effictis doctrinis sub pietatis specie peruertentes, vel fidelium conscientias nimiùm laxantes.) At non minùs ex parte Dei miserentis legimus Is. 12. Notas facite in populis adinuentiones eius: videlicet, quia multa Z adinuenit ad saluandum. Et cap. 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum: & miserabitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Multus est, idest A multiplicis misericordiæ, ad ignoscendum, Ioel. 2. Benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ: (quod repetit & Psaltes Ps. 85.) Non enim cogitationes meæ &c. Quasi dicat: Vos impij, ego pius: vos ultionem cogitatis, ego misericordiam. Hinc Ier. 29. Ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos (ait Dominus) cogitationes pacis, & non afflictionis. Sed & sua adhibet studia, ad peccatorum salutionem, Ps. 9. Annunciate inter gentes studia eius. Inter gentes, idest B inter gentiliter viuentes, scilicet inter peccatores, studia eius, idest curam, siue solicitudinem de salute humani generis. Quid plura?

R 1. 2. 79. 3. c. & 2. 2. 15. 1. in 1. d. 40. 4. 2. & 3. con. G. c. 161. 162. Ver. 24. 10. Rom. 9. l. 3. Hebr. 3. l. 2.
Ipse sibi obdurationis causa; & etiã Deus gratiã subtrahendo.
S Rom. 9. l. 3. ibi.
Adinuentiones hominis ad peccandũ.
T Ps. 27. lit. d.
V Iob 20. l. 2. ibi.
X Is. 3. lit. b. ibi.
Y Ps. 13. lit. a. ibi.
Z Is. 12. ibi.
Plures tamen Dei miserentis ad saluandum.
A Is. 55. ibi.
B Ps. 9. lit. h.

Nonne diuinæ adinuentiones misericordiæ manifestè fuerunt, Saulum virus efflantem, in actu persecutionis amicum facere? Matthæum, terrenis lucris implexum, sibi lucrari? Augustinum de tenebris vocatum Gentium, sua lumen Ecclesiæ statuere? Valerianum, à Cæciliæ nuptiis ad nuptias agni immaculati transferre? Eustachium inter venandum suam ex venatore prædam facere? Genesij mimi cor prauum ex scenico ludo ad seriam fidei confessionem immutare? ut innumera exempla prætercam. Notas ergo facite adinuentiones eius: nimirùm quia multa adinuenit ad saluandum. Profectò nullum, vel enormissimum crimen est, quod diuina misericordia non tollat: quia diuina C misericordia superat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum. Hinc iustè reprobatur verbum Cain Gen. 4. dicentis: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Q. d. subiicit Author: Omne D meritum indulgentiæ, vel omnem dulcedinem parcentis, vel condonantis misericordiam, transcendit culpa mea. Quod quidem, si credidit simpliciter, non solum fuit desperatio, sed etiam infidelitatis error, & enormissima blasphemia in Deum, quippè cui proprium est misereri semper & parcere. Ex quo de nemine E desperandum est in hac vita, concludit Author, considerata Omnipotentia, & misericordia Dei: quamuis sceleratissimus peccator existat. Beneficiis idcircò Deus modò allicit peccatores: modò interiùs ad bonum inclinat: modò per Sacros Oratores ad benè operandum monet: modò auxilia subtrahit: flagellis tandem excitat, ut corrigantur: ne demum damnationi æternæ faciat obnoxios. Quoniam ira in indignatione eius (canebat Psaltes Ps. 29.) cum flagellat; at mox subditur: & vita in voluntate eius, secundùm illud Ezech. 33. Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à via sua, & viuat. Hinc ab Authore docemur, quòd Deus F multipliciter peccatores punit, ut eos ad bonum trahat. Vno modo flagellis castigando; alio modo hominem sibi relinquendo, ut auxilijs subtractis, quibus à malo præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, & humilis ad Deum redeat, à quo superbus abscessit. Ea propter dicitur Ps. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit arcum suum tetendit, & parauit illum; & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Duo autem sunt genera peccatorum. Aliqui enim ex ignorantia peccant, vel ex passione: & hi non longè recedunt à Deo, sed quodammodo propinqui sunt, quia citò conuertuntur. Alii ex malitia peccant, & in peccatis perseuerant: & hi à Deo dicuntur magis remoti. Vtrosque terret Deus flagellis, sed propinquos gladio, arcu remotos. Igitur, sicut homo G præparat se gladio contra hostes, qui sunt propè; sed arcu contra remotos: Ita diuina vindicta contra eos, qui videntur sibi adhærere, & possunt videre causam punitionis, dicitur gladius, quasi contra propinquos: sed arcus contra remotos. Et ideò non statim te punit, sed præparat se, ut conuertaris: Nisi conuersi fueritis, gladium suum, idest vindictam suam (Iob 19. Fugite à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius est:) vibrabit ad terrendum, & ad propinquos, ut fortiùs percutiat: quia nisi per comminationes homo conuertatur; fortiùs percutit. Max. Valer. Lento gradu ad vindi-

C 3. p. 84. 10. c.
D Gen. 4. ibi.
E 2. 2. 14. 3. ad 1.
Multipliciter excitat Deus peccatorem contumacem vt conuertatur.
F 4. d. 18. 2. 1. q. 2. initio. & d. 2. 1. 4. q. 2. ad 1.
Duo peccantium genera.
G Ps. 7. lit. g. ibi.
Quos diuersi modè flagellat Deus, ut corrigantur.

vindictam sui procedit diuina ira : tarditatemque supplicij grauitate compensat. Præparat etiam se *arcu* quasi ad remotos. Vnde dicit : *Arcum suum tetendit* , idest diuinam vindictam, quasi ex inopinato punientem : *& parauit illum* , scilicet ad puniendum , If. 30. *Præparata est ab heri Topheth , à Rege præparata, profunda , & dilatata* . Subdit autem (*pro talibus peccatoribus à Deo remotis* :) *& in eo parauit vasa mortis* ; idest instrumenta mortis , scilicet occidentia : *sagittas suas ardentibus* , quia ibi aliquid combustiuum , per quod intelligitur pœna ignis æterni . *Parauit tamen , non iecit : quippe qui dat nedum metuentibus se, sed & peccatoribus à se remotis* , significationem *monitionibus & flagellis* , ut fugiant à facie arcus , *in quo nimirùm parata sunt* vasa mortis *æterna* , *quo scilicet æterna fulmen damnationis iaculatur* . *Vnde Iob* 20. Fugiet arma ferrea , & irruet in arcum æreum . *Fugiet arma ferrea* , idest H pœnas præsentis vitæ , impatienter eas sustinendo , quæ ad modum gladij ferrei feriunt de propinquo : *& irruet in arcum æreum* , idest in pœnas futuræ vitæ , quæ quasi feriunt à remotis ad modum arcus ærei , qui est infrangibilis , vt futurarum pœnarum interminabilitas designetur . *Quid ultra ? Fatigatur quodammodo Deus contumacium peccatorum culpis: nec tamen eorum procurare salutem unquam desistit* , *If.* 43. Non me inuocasti Iacob , nec laborasti in me Israel . Non obtulisti mihi arietem holocausti tui , & victimis tuis non glorificasti me : non te seruire feci in oblatione , nec laborem tibi præbui in thure . Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis ; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis . Ego sum,ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me , & peccatorum tuorum non recordabor . *Seruire me fecisti* . Quasi dicat : seruilem I me ostendistis , cum me offendentes non puniebam , If. 1. *Laboraui sustinens* . Vbi loquitur L humano more de Deo : quia homini dicitur esse graue laborare in eo, quod non placet sibi . *Monet nihilominùs ad conuersionem pientissimus Dominus , ut in suam redeat gratiam præuaricator, cum ait* : Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas . *Quasi dicat : Cur non redis ad me , qui solus possum , qui & vehementer cupio eas delere* ? Redite *ergo* (*If.* 46.) præuaricatores ad cor . *Et iterum* : Audite me duro corde : *hoc est, ad repetitas intùs, & extra vocationes meas , emollimini tandem peccatores contumaces* . *Quò facit illud Ier.* 15. Laboraui rogans : *idest* , toties M rogaui , ut conuerteremini . Quasi dicat: laborassem,si possibile fuisset . O' *qualis & quanta Dei longanimitas in peccatorum culpis tolerandis* ! *Rom.* 2. An diuitias bonitatis eius & patientiæ,& longanimitatis eius contemnis.

H Iob. 20. l. 2. ibi.

I If. 43. ibi.

Monet eos ad conuersionem, & dulciter vocat.

L If. 1. lit. d. ibi.

M Ier. 15. lit. b. ibi.

a *His tamen externis , & internis excitationis non obstantibus , pertinaciores in culpa peccatores fiunt , diuino* rebelles lumini , *cælesti vocationi resistentes , de quibus dicitur Rom.* 2. Ijs autem , qui sunt ex contentione &c. ira & indignatio . *Quibus in verbis* tangitur N contentionis pertinacia : quæ quidem potest intelligi hominis ad Deum beneficijs ad se vocantem , contra quem homo contendere videtur , diuinis beneficijs resistendo , *Deut.* 31. Semper contentiosè egistis contra Dominum . *Idcircò inducit Psaltes Deum peccatori post exprobrata delicta dicentem Ps.* 49. Hæc fecisti & tacui . *Quasi dicat* : Non statim O te correxi & puniui : sed ex clementia & misericordia te ad pœnitentiam expectaui , If. 42. *Tacui semper , silui, patiens fui* . Rom. 2. *An ignoras , quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* ! *Sed peccator hac clementia* abutitur in superbiam , *ut dicitur Iob* 24. *& Rom.* 2. Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram &c. *Et ita nec misericordia dulcedo eum reuocat , nec iustitia flagellum retrahit* , *Ier.* 5. Percussisti eos , & non doluerunt : attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam : indurauerunt facies suas suprà petram , & noluerunt reuerti. *Percussisti eos* flagellis P & *non doluerunt* de peccatis suis : *indurauerunt facies suas* . Quasi dicat: non immutantur verecundia , *Ezech.* 3. Attrita fronte est , & duro corde . *Ex qua in peccato perseuerantia, & mala peccandi consuetudine , abominabilis omninò redditur Deo peccator* , *Ps.* 5. Odisti omnes , qui operantur iniquitatem ; perdes omnes , qui loquuntur mendacium . Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus . *Vbi* aduertendum Q quòd ordinatè procedit Psalmista. Quia primò homo simpliciter operatur malum cogitando : & hos Deus odit . Quando verò addunt malitiam exequendo , prouocant Deum ad puniendum : sed quando perdurant , tunc Deus abominatur, *Prou.* 15. Abominatio est Domino vita impij . *Et hoc est , quod inferiùs subdit* : Secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos , quoniam irritauerunt te Domine, *idest* ad iram R prouocauerunt: quod in Deo , non iram , sed voluntatem puniendi ostendit. Alia litera habet , *amaricauerunt* te , qui scilicet dulcis es , in te pertinaciter peccando. Peccatores enim primò peccant ; post aggrauant peccatum suum ex pertinacia : & tunc Deus non parcit , sed irritatur , idest inducitur ad vindictam. *Quod tangitur & Ps.* 13. Dixit insipiens in corde suo : *Non est Deus* . Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis . *Quibus verbis* reprehenditur S peccator . Primò de peccato cordis in consensu . Secundò de peccato operis . Tertiò de peccato consuetudinis . Primò vocat peccatorem insipientem, quia sapientiam non habet : item quia non sapiunt ei spiritualia, 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* . Et ideò , *dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* . Secundò ponitur processus malitiæ . *Corrupti sunt* . In corporibus sequitur corruptio per exaltationem naturalis caloris expulsi ab extraneo calore. Calor autem naturalis animæ est amor Dei . Quando ergo subintrat extraneus amor concupiscentiæ , & aliorum peccatorum , recedit Deus. Et ideò, cum dixit: *Non est Deus* ; statim subdit : *corrupti sunt* ; scilicet peccatores per malum actum : quia postquàm per consensum amittunt bona gratuita , corrumpuntur in eis naturalia . Item , quando corpus putrescit , redditur abominabile . Sic anima hominis , quandiu amor Dei est in ea , est Deo accepta: sed quando corrumpitur per peccatum , fit abominabilis . Abominabile est , quod humanus appetitus refugit ; & ideò dicit , *abominabiles facti sunt* , scilicet Deo , & hominibus peccatores per consuetudinem peccandi . *Vnde dicitur Ier.* 2. Quàm vilis facta es nimis , iterans vias tuas ! *scilicet malas , peccata videlicet iterando. Et Ose.* 9. Facti sunt abominabiles , sicut ea , quæ dilexerunt .

Diuinæ tamé vocationi resistit peccator.

N Rom. 2. l. 2. ibi, & Rom. 9. l. 3. ibi, excitauite.

Cui meritò exprobrat Dominus.

O Ps. 49. lit. K. ibi.

P Ier. 5. lit. a. & cap. 2. lit. g. ibi, frustra.

Consuetudinarius peccator Deo abominabilis.

Q Ps. 5. lit. i.

R Ibid. lit.

S Ps. 13. lit. a.

Et hominibus.

b *Vbi autem abominabiles facti sunt peccatores eiusmodi , illos quodammodo ignorat Deus , quia derelinquit* . *Quò facit illud Io.* 11. *De Lazaro, ad quem suscitandum Saluator accedens , astantes rogat* : Vbi posuistis eum ? *Verùm* non T ut ignorans interrogat : sed , dum à populo sibi

Eiusmodi peccatores quodammodo ignorat Deus, quia derelinquit.

T Io. 11. l. 5. lit. b.

sibi sepulchrum ostenditur, vult eos confiteri Lazarum mortuum, & sepultum: ut sic miraculum ab omnium suspicione eripiat. Est autem ad hoc ratio mystica: quia qui interrogat, videtur nescire ea, de quibus interrogat. Per Lazarum autem in monumento signantur mortui in peccatis. Ostendit ergo Dominus se ignorare locum Lazari, dans per hoc intelligere, quòd quasi nesciat peccatores, secundùm illud Gen. 3. *Adam, Adam ubi es*, & Mat. 7. *Non noui vos*: idest V non approbaui, 2. *Tim.* 2. Nouit Dominus, qui sunt eius, *quod est immò reprobari, unde & immediatè sequitur*: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. *Cui respondet illud Mat.* 25. Discedite à me maledicti &c. *Vnde & ad fatuas virgines dictum est*: Nescio vos; *idest*, non approbo X vos: sicut artifex non approbat opus, quod discordat ab arte sua.

V Mat. 7. lit. b. ibi.

X Mat. 25. lit. a. ibi.

Derelinqui à Deo, summa malorum est.

Derelinqui autem à Deo, summa hic malorum est, & dolorum initium æternorum. Quod signauit Dominus, quando Io. 8. abscondit se, & exiuit de Templo: *nam & Templum Dei anima est*, 1. *Cor.* 3. Nescitis, quia Templum Dei estis? *à quo propter peccatum recedit Deus*. Et *cap.* 12. *quando* abijt, & abscondit se ab eis, *à Iudæis scilicet eum blasphemantibus*. Debebat *enim* eos Y correctionem & veritatem non suspicientes relinquere, *Is.* 8. Qui abscondit faciem suam à domo Iacob. *Et Mich.* 3. Abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis. *Et clariùs Ier.* 9. Derelinquam populum meum, & recedam ab eis: *& rationem adducit propter peccatum ex consuetudine*: Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt (*Si quis autem ignorat, ignorabitur*, 1. Cor. 14.) *Confortati sunt in terra*, idest Z in terrenis peccatis: *quia de malo ad malum &c.* peccatum scilicet peccato addentes. *Nec tamen derelinquit Deus, nisi à nobis derelinquatur*. Deus A non dimittit aliquem, quantùm ad se pertinet; sed homo peccans, ipsum dimittit, 2. *Paral.* 15. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos. *Sanè tantum abest, nos relinquere velit, ut si aliter faceret, sua videretur iustitia derogare*. Iustum B est, vt si homo non velit relinquere Deum, non relinquatur ab eo, qui est æternus.

Y Io. 8. l. 5. fi. & cap. 12. l. 6. fi.

Nec tamen derelinquit, nisi derelinquatur.

Z Ier. 9. lit. a. ibi.

A Ier. 3. lit. c.

B Ps. 36. lit. t. ibi, non derelinquet.

Quamuis ex consuetudine peccantiũ, morbus sit insanabilis: non ita respectu omnipotentiæ, & misericordiç Dei, per quam tales quasi miraculosè sanantur.

Ex quo mirum non sit, eiusmodi consuetudinarios peccatores, & secundùm habitum ex electione delinquentes, nonnisi miraculosè conuerti, Ier. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum. *Quamuis enim, ex parte peccantis, morbus sit incurabilis, Ier.* 30. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: (quia *enim* per multa C opera diuinæ iustitiæ, homo prouocatur ad timorem, & per opera misericordiæ prouocatur ad spem; quandoque conuertitur ad pœnitentiam, & sanatur: sed si consuetudine induretur, & intellectum perdat, non est spes salutis:) per hoc tamen D non præcluditur via remittendi, & sanandi omnipotentiæ, & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales, quasi miraculosè (*nota*) spiritualiter sanantur. *Etenim* quod E hominibus est impossibile, Deo possibile est, ut non Æthiops, vel pardus, longæui scilicet peccatores, suam naturam per se mutare videantur, sed Deus, qui in illis operatur. *Et hos quidem peccatores signat Lazarus, quem Dominus Io.* 11. inuenit quatuor dies iam in monumento habentem. *Siquidem* primus F dies est peccatum cordis, secundus peccatum oris, tertius peccatum operis, quartus est peccatum peruersæ consuetudinis.

C Ps. 27. lit. e.

D 2. 2. 14. 3. fi. c. & ad 1. & 118. 5. ad 3. & 1. 2. 78. 4. c. Quol. 2. a. 15. fi. s. in 2. d. 43. 1. 4. & exp. tex. & 1. Io. 5. 9. 5.

E Op. 58. cap. 12.

Lazaro quatriduano cõparatur peccator ex consuetudine.

F Io. 11. l. 4. lit. a.

Qualitercumque tamen exponatur, Dominus quandoque sanat mortuos quatuor dies habentes; idest legem Euangelij transgredientes (*qua est quartus dies respectu originalis peccati, legis naturæ, & legis scriptæ, ut ibidem exponitur*:) & in consuetudine peccati detentos. *At vide, quali & quanta solemnitate respectu cæterorum Lazarus miraculosè suscitatur! Vt discas, peccatores consuetudinarios, & ex electione peccantes, euidenti tantùm solemnique miraculo ad pœnitentiam reduci. Non ita ex passione peccantes, vel ignorantia: tales enim videntur, ubi peccant, quasi gratiam non amittere, quia citò, & faciliter à peccato resurgunt. Vnde &* Bernardus *de Apostolo Petro, Christum ex timore negante, illud protulit*: charitatem in eo extinctam non fuisse, sed sopitam: *siquidem* charitas G amittitur dupliciter. Vno modo directè per actualem contemptum; & hoc modo Petrus charitatem non amisit. Alio modo indirectè, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiæ, vel timoris; & hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam citò recuperauit.

Non ita ex passione peccans, vel ignorantia.

G 2. 2. 24. 12. ad 2. Ver. 2. 6. ad 2. & a. 13. ad 2. Quol. 9. a. 14. Mat. 26. fi. c.

Charitas dupliciter amittitur.

Et hoc est, quod ait Apostolus ad Gal. 6. Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto &c. *Quibus in verbis peccata, quæ venia aliqualiter digna sunt, continentur*. Primum H est subreptio. Nam quando aliqui ex malitia peccant, minùs digni sunt venia, Iob 34. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo*. Sed quando aliquis *præoccupatur* tentationibus, & inducitur ad peccandum, faciliùs debet ei venia concedi. Et ideò dicit: *Etsi præoccupatus fueris*, idest improuidenter, & ex subreptione lapsus, vt quasi nequeat vitare. Secundum est, peccatorum paucitas: nam aliqui ex consuetudine peccant, Ose. 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*: & contra tales seueriùs est agendum. Et hoc excluditur, cum dicit, *in aliquo*, quasi non vsu quotidiano peccans. Tertium est peccatorum qualitas. Nam quædam peccata consistunt in transgressione, quædam verò in omissione. Grauiora autem sunt prima secundis, quia illa opponuntur præceptis negatiuis, quæ obligant semper & ad semper: hæc verò opponuntur præceptis affirmatiuis, quæ cum non obligent ad semper, non potest sciri determinatè quando obligant. Vnde dicitur in Ps. 18. *Delicta quis intelligit?* Et quantùm ad hoc dicit, *delicto*.

Quænam peccata, veniâ digna sint.

H Ad Gal. 6. l. 1. ibi.

Ex malitia verò per consuetudinem peccantes non sunt venia digni: quorum immò Deus seuerus est iudex & ultor, cuius iram incassum fugere contendunt, Iob 9. Deus, cuius iræ nemo resistere potest. *Etenim* quocumque I se vertat homo, nulla astutia, nulla potentia, Dei vindictam declinare potest, secundùm illud Ps. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Et cap. 11. *Oculi autem impiorum deficient*: quia bona L quæ exoptant, non obtinebunt. Tunc enim oculi alicuius deficere dicuntur, quando aspicit ad aliquid apprehendendum, ad quod attingere non valet. Et sicut bona desiderata non adipiscuntur: ita etiam mala, quæ patiuntur, vel timent, vitare non possunt. *Vnde & ibidem subditur*: Et effugium peribit ab eis. *Idcircò* horrendum est (*aiebat Apostolus ad Hebr.* 10.) incidere in manus Dei viuentis: *nimirùm* quia M eius iræ nemo resistere potest, cum sit omnipotens; nec ab eo fugere, cum sit ubique præsens; nec coram eo fallaciter se excusare, cum omnia sciat. *Et ita, velint, nolint, bi-*

Ex electione per consuetudinem peccantiũ Deus seuerus Iudex & ultor, cuius iram incassum euitare nituntur.

I Iob. 9. l. 3. ibi.

L Iob 11. l. 2. ibi.

M 4. d. 46. 2. 2. q. 3. ad 1.

bere

bere coguntur de vino iræ Dei, Ier. 25. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua, ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: *Bibentes bibentis*, idest N velitis, nolitis, *Apoc.* 14. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius &c. hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius.

N Ier. 25. lit. d. ibi. Apoc. 14. com. 1. & 2. ibi, de vino iræ.

Nedum in futura vita, sed & in præsenti corporaliter.

c *Et quamuis præcipua contumacis peccatoris pœna ea sit, quam debet post mortem perpetuò luere: nihilominus & in præsenti vita grauioris non est expers cælestis iræ flagelli, seu diuinæ patientiæ intolerandus. Quò spectare videtur illud Thren.* 3. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. Persequeris in furore, & conteres eos &c. *Quasi dicat: Diu sustinuisti peccata eorum; ideò quantùm ad pœnam animæ, dabis eis laborem tuum*, idest O peccatum, in quo te laborare fecerunt (*Is.* 1. Laboraui sustinens:) *scutum cordis*, scilicet duritiam, ut non penetrent sagittæ gratiæ tuæ. Et quantùm ad pœnam corporis, *persequeris in furore* diuersis afflictionibus: & tandem *conteres eos* per mortem, & æternam damnationem, *Ier.* 17. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. *Sanè ex prosperitate ingratos magis effectos, quo altiùs extulerit, eò profundiùs præcipitabit Deus. Quò alludisse creditur Ieremias c.* 23. *iis verbis*: Ecce ego tollam vos portans, & derelinquam vos. *Vbi* loquitur P ad similitudinem eius, qui graue pondus in altum tollit, ut fortiùs cadere faciat, Apoc. 18. *Sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens*: Hoc impetu mittetur Babylon, & ultrà iam non inuenietur, *secundùm illud prophani Vatis* Q.

O Thren. 3. fi.

P Ier. 33. fin.

Q Claud. lib. 1. in Ruff.

——— tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Et Ps. 51. Dilexisti malitiam &c. propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo. *Destruet te in finem*, idest R in perpetuum: *euellet te*; quia quandoque contingit, quòd homines habent aliqua fundamenta in sua prosperitate, sicut amicos, & diuitias, & huiusmodi: & ideò comparantur radici, quia per hoc radicati sunt in his. Vnde dicit: *euellet te*, scilicet ab omnibus istis, in quibus, & per quæ es in prosperitate radicatus (*Ier.* 12. Plantasti eos, & radicem miserunt) *Iob* 19. Quasi euulsæ arbori abstulit spem meam. *Et emigrabit te*, idest faciet te transire, *de tabernaculo tuo*, idest de domo & de statu & de dignitate tua, *Is.* 22. Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. *Id quod exprimitur & Is.* 1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum &c. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens. *Ecce peccatum multiplex, & morbus incurabilis. Benè ergo sequitur*: Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili. *Et coherenter adhæc cap.* 17. Quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hereditatis, & dolebit grauiter. *Plantabis plantationem fidelem* ironicè S quia non reddet fructum secundùm laborem. *Germen alienum seminabis*, quod alij colligent. *In die plantationis tuæ labrusca*, quando scilicet fructum sumere debebas. *Manè semen tuum florebit*; idest primò pulchrum erit, ut magis doleas: vel quia ante tempus florebit, & inutile erit. *Ablata est messis* ab hostibus *in die hereditatis*, quando in horreum debebat recondi, quasi fructus hereditatis. *Et dolebit grauiter*, qui seminauit, vel dolebis tu. *Quò respexit & Iob cap.* 24. *cum ait*: Maledicta pars eius in terra: *siquidem* peccator T in rebus terrenis, quasi in sua parte, vltimum finem constituit, secundùm illud Sap. 2. *Hæc est pars nostra, & hæc est sors*: quæ quidam *maledicta est*, quia bona huius Mundi, quibus malè utitur, ei vertuntur in malum. *Vt hinc discant peccatores contumaces, & impii populi, unde sibi flagella obueniant & calamitates: unde pestis, fames, bella, siccitates, inundationes in agrorum detrimentum frequentes, & huiusmodi. Constans enim veritas est, quòd* propter peccata veniunt aduersa. *Sed neque deest, hic quoque, animæ detrimentum peccatricis: quæ per vineam Domini mysticè designatur, de qua Is.* 5. Auferam sepem eius: & erit in direptionem. Diruam maceriam eius: & erit in conculcationem; & ponam eam desertam. Non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres, & spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. *Auferam sepem eius*, idest V auxilia Angelorum, quibus protegebatur contra hostes, quibus *erit in direptionem. Diruam maceriam eius*, idest præsidia regni: *& erit in conculcationem*; idest vilis facta. *Et ponam eam desertam*; idest, relinquam eam incultam, sicut desertum. *Non putabitur* admonitionis, aut correptionis vomere, quando peccat: *& non fodietur*, ut auferantur occasiones mali, sicut malæ herbæ. *Et ascendent super eam vepres & spinæ*, idest maiora & minora peccata: vel *vepres* peccatorum, *spinæ* tribulationum. *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*; idest prædicatoribus, qui per nubes significantur, *ne pluant imbrem* doctrinæ, *Is.* 60. Qui sunt isti, qui ut nubes volant? *Et Ier.* 3. Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. *Quod mysticè innuitur* Apoc. 11. *cum dicitur*: Atrium autem, quod est foris Templum, eijce foras (*quod supra expositum est*) & ne metiaris illud, quoniam datum est Gentibus. *Ne metiaris illud*, idest X omninò prædicationem eis subtrahe, quia non sunt mittendæ margaritæ ante porcos, vt dicitur Mat. 7. *Quoniam datum est Gentibus*. Quasi dicat: Ideò non prædices peccatoribus obstinatis, quia Deo eos deserente facti sunt similes Gentilibus, in vitiorum profunditate sepulti: & ideò conculcarent margaritas: *uti modo conculcant aliqui, sacram in derisum prædicationem ponentes*.

R Ps. 51. lit. c.

S Ier. 17. ibi.

T Iob 24. lit. ibi.

Et spiritualiter.

V Is. 5. lit. a.

X Apoc. 11. Com. 1. & 2. ibi.

d *Nec sanè absque iustissima causa contumaces punit peccatores Deus: ad hoc enim veluti cogitur, quia nullum aliud relinquitur adhibendum remedium. Vnde & de præfata vinea præmittit*: Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectaui, quòd faceret uuas, & fecit labruscas? *Videlicet*: an fortè Y videor fecisse contra debitum, *quòd expectaui (diligenter colendo,) ut faceret vuas, & fecit labruscas*? Quasi dicat: In hoc videor potiùs superfluus, quòd vineæ meæ tantam culturam adhibui. *Et Ier.* 9. Quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei? *Quasi dicat*: Non restat Z aliud, nisi ut puniam, omnibus alijs vijs expertis. *Peccator nihilominùs, quia statimnon punitur à Deo, eius iustitiam, iudiciumque stultus non timet. Cum tamen dicat Apostolus Rom.* 2. Scimus, quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos, qui talia agunt. Existimas autem hoc, ò homo, qui facis

Iustè punit Deus peccatores, tot suis ingratos beneficijs.

Y Ibid. ibi.

Z Ier. 9. lit. b.

Quia statim pro peccato non puniuntur à Deo, Dei iudicia non timent.

cis ea; quia tu effingies iudicium Dei? *Q. d.* Si hoc A existimas, falsa est æstimatio tua. *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis?* Vbi ostendit causam huius falsæ æstimationis. Quia enim homo non statim punitur à Deo pro peccato, æstimat se non esse puniendum, contra id, quod dicitur Eccli. 5. *Ne dixeris in corde tuo. Peccaui; & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Et Eccle. 8. *Etenim, quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo, quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur,* non debet contemnere, sed aduertere, *quòd erit bonum timentibus Deum.* Et ideò dicit: *an contemnis diuitias*, idest abundantiam *bonitatis eius*, per quam scilicet in nos diffundit bona, *& patientia*, per quam scilicet sustinet grauiter, & ex malitia peccantes, *& longanimitatis*, per quam scilicet diu sustinet homines ex infirmitate peccantes, diu tamen (*nota*) in peccato permanentes. *Et eodem pariter capite subdit*: His qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. *Ira*, inquam, *& indignatio*, scilicet B ex parte Dei, idest dispositio ad puniendum, *his qui non acquiescunt veritati*; idest veritatem diuini iudicij non credentes: *credunt autem iniquitati*, quia scilicet credunt impunitatem peccatorum, quæ in diuinam iniquitatem redundaret. *Et cap. 5. ad illud*: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset, *docemur, quòd hoc* est C intelligendum, non quin imputaretur, quasi puniendum apud homines, cum quidam legantur ante legem puniti ab hominibus pro peccatis, ut patet *Gen. 39. & 40.* sed non imputabatur, quasi à Deo puniendum: tunc enim non credebant homines, quòd Deus humana facta vel puniret, vel præmiaret, secundùm illud Iob 22. *Nostra non considerat, & circa cardines Cœli perambulat.* Sed postea, lege diuinitùs data, innotuit, quòd peccata imputantur à Deo ad pœnam, & non solùm ab hominibus. Et ideò quia homines non credebant se puniendos à Deo pro peccatis, liberè & absque fræno peccabant, ubi humanum iudicium non timebant. *Quod quidem & nunc peccatores aliqui falsò putant, quia statim post peccatum à Deo non puniuntur. Quin & aliqui (vt vidimus) peccatores maximi, tota quoque vita, secundùm diuinum iudicium prosperantur. Cuius ratio* ex Augustino 1. de Ciu. Dei, *hac affertur.* Si *enim* omne D peccatum nunc manifestè Deus plecteret pœna, nihil ultimo iudicio reseruari putaretur. Rursus, si nullum peccatum nunc puniret, nulla esse diuina prouidentia crederetur. In signum ergo futuri iudicij Deus etiam in hoc Mundo pro peccato quosdam temporaliter punit: quod maximè obseruatum videtur in principio legislationis tam nouæ, quàm veteris. Legimus enim *Ex. 32.* propter peccatum vituli aurei adorati multa millia hominum perempta: & rursum legitur *Act. 5.* propter peccatum mendacij, & furti Ananiam, & Saphiram interijsse. Vnde & propter peccatum Sacramenti Eucharistiæ indignè sumpti, aliqui in primitiua Ecclesia puniebantur à Deo infirmitate corporali, vel etiam morte. Vnde dicit: *ideò*, scilicet in signum futuri iudicij, *inter vos multi*, indignè sumentes corpus Christi, sunt *infirmi* corporaliter, *& imbecilles*, idest longa inualetudine laborantes, *& dormiunt multi*, scilicet morte corporali, secundùm quod sumitur dormitio 1. *Thess. 4.* Nolumus vos ignorare de dormientibus. *Illud autem potissimè obseruandum, quòd peccat purè personalia, & absoluta, ut plurimùm* dissimulat Deus propter pœnitentiam, *ut dicitur* Sap. 11. *& hic non punit. Quæ verò relatiua sunt cedunt que in graue aliorum detrimentum, siuè temporale, siuè spirituale, totius præsertim communitatis, plerumque & hic citò acriterque animaduertit: quod experientia satis notum.* Et hoc E etiam humana iustitia imitatur pro posse: illos enim, qui sunt perniciosi in alios, occidit: eos verò qui peccant, alijs grauiter non nocentes, ad pœnitentiam reseruat.

e *Punitur ergo & in præsenti vita peccator, specialiter verò consuetudinarius, & contumax: & grauiori quidem flagello.* Grauis F pœna infligitur propter peccati consuetudinem, quia à peccatis consuetis non faciliter homines abstrahuntur, nisi per graues pœnas. *Nimirùm* quia G actualis recessus à consuetis addit nouam, & grandem difficultatem. Et ideò inchoando huiusmodi recessum, de facili homo tentatur, & angustiatur. *Sanè quartus grauitatis in peccato gradus in veteri lege recensetur ab Authore*: Quando H quis peccabat per proteruiam & pertinaciam: & tunc quasi rebellis, & destructor ordinationis legis, omninò occidendus erat. *Idcircò dicitur Is. 1.* Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. *Genti peccatrici*, scilicet I per peccati consuetudinem, quæ inducit habitum: sic enim est peccator ex habitu, sicut cantor ex arte vel officio. Item per peccati promptitudinem, quæ est quasi quædam grauitas in peccante; unde dicit: *populo graui iniquitate.* Peccatum (*inquit Gregorius*) quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. *Væ inquam eiusmodi peccatoribus: quoniam*, qui malignantur, exterminabuntur, *Ps. 36.* Non *autem* omnes L peccatores malignantur: quando enim peccat quis, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia, non malignatur, sed quando ex electione peccat, tunc malignatur. Primi de facili corriguntur, sed tertij difficilè, Eccle. 1. *Peruersi difficilè corriguntur.* Peccatum (*ait Apostolus Iacobus cap. 1.*) cum consummatum fuerit, generat mortem: *idest*, per M actum *ex glossa* in consuetudinem prauæ vitæ perductum, sicut officium mortui consummatur exhibitione sepulturæ (*ut de Lazaro dictum est.*) Sed cum omne peccatum mortale generat mortem, quare hìc tantùm de peccato consuetudinis dicitur? *Et respondetur*, quòd licet peccatum, & consensus possint dici generare mortem; tamen de peccato consuetudinis hoc dicitur propriè: quia quando peccatum, iam tractum est in consuetudinem, nulla apparent signa vitæ, & est parua spes de reditu. Sed in alijs habet homo plura signa vitæ, quando peccatum est in cogitatione: pauciora verò, quando in opere. *Per mortem autem (quæ ut vidimus duplex est) utriusque reatus pœna significatur, æterna scilicet, & temporalis: quæ utique, contumaci præsertim peccatori, iustè infligitur à Deo, ut fusè in superioribus præmissum est. Et hoc quidem asserere voluit initio Author, cum ait*: Quod N recedere videtur à diuina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium. Si ut peccator, qui in quantùm est in se, recedit à diuina voluntate peccando, incidit in ordinem diuinæ voluntatis, dum per eius iustitiam punitur. *Et tamen, quamuis supplicio damnetur æterno, ex diuina misericordia adhuc punitur citra condignum. Quò facit illud Thren. 3.* Misericordiæ Domini, quia non sumus

A Rom. 2. l. 1. ibi, & 2. pet. 3. §. ult.

Et impunitatem peccatorum sibi suadent.

B Rom. 2. l. 2. ibi.

C Rom. 5. l. 4. ibi.

Cur peccatores aliqui tota vita prosperentur, & nunquam à Deo puniantur, alij quandoque.

D 1. Cor. 11. l. 7. ibi, ideò.

Peccata, quæ in aliorum graue nocumentum cedunt, utplurimùm & hic à Deo puniuntur, non ita purè personalia propter pœnitentiam.

E 2. 2. 64. 2. ad 2.

F 1. 2. 105. 2. ad 9.

Peccator consuetudinarius grauiùs punitur.

G Gen. 19. ibi, dissimulante.

H 1. 2. loco cit.

I Is. 1. lit. b.

L Ps. 36. lit. f.

M Iac. 1. §. 9.

N 1. p. 19. 6. f. c.

Quamuis ex merito peccantis deberetur ei annihilatio, hæc tamen non est peccato conueniens pœna.

O Thren. 3. lit. h. in 4. d. 46. 2. 2. q. 1. ad 4.

ſumus conſumpti : *videlicet* quia O citra condignum puniuit, non ad nihilum redigens nos, Ier. 10. *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me*. Quamuis autem P ex hoc, quòd aliquis peccat contra Deum, qui eſt Author eſſendi, mereatur ipſum eſſe amittere: conſiderata tamen ipſius actus inordinatione, non debetur ei amiſſio eſſe, quia eſſe præſupponitur ad meritum, & demeritum: nec per inordinationem peccati eſſe tollitur, vel corrumpitur; & ideò non poteſt eſſe debita pœna alicuius culpæ priuatio eſſe. *Et quidem* cum pœna Q damni auerſioni culpæ reſpondeat; conuerſioni verò eius, pœna ſenſus: pro actuali culpa conueniens eſt, ut pœna damni non ſit ſine pœna ſenſus. Si autem in nihilum creatura redigeretur, eſſet quidem pœna damni æterna, ſed non remaneret pœna ſenſus, *quam etiam exigit iuſtitia diuina*.

P In 4. d. 46. 1. 3. ad 6. & 1. 2. 87. 4. ad 1. Pot. 5. 4. ad 6.

Q De Pot. loc. cit.

Dei exprobrationes ad peccatorem contumacem

R Iſ. 43. ibi.

1 *Cæterùm multipliciter in Sacris literis exprobrat Deus peccatori. Nam Iſ.* 43. Reduc *inquit* me in memoriam, & iudicemur ſimul. Narra, ſi quid habes, ut iuſtificeris. *Quaſi diceret*: Recogita R quæ tibi fecerim: *narra, ſi quid habes*, ad te excuſandum, vel me accuſandum, *ut iuſtificeris*, ideſt videaris iuſtus: *nihil quippè ad iuſtam excuſationem adduci poteſt coram Deo, qui ſolus cor hominis intuetur. Eapropter legitur* Mat. 22. *quòd rogatus à Domino, qui ſine nuptiali veſte ad conuiuium intrauerat*: Quomodo huc intraſti? *nulla fultus ille excuſatione*, obmutuit: *nimirùm* quia S non poteſt habere ſufficientem rationem peccator, quare veſtem nuptialem contempſit, *hoc eſt gratiam diuinam. Et cap.* 48. Excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis. *Ex xi te*, volens T purgare per tribulationes, *ſed non quaſi argentum*, quod purgatur: tu autem correctus non es, Ier. 6. *Fruſtrà conflauit conflator*. Item *elegi te in camino paupertatis*, purgans ſcilicet te per paupertatem, puniens ſpoliatione rerum; & hoc paternè corrigendo. *Et tamen* malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, *ut dicitur, Ier. 6. cit.* Quò collimat & illud *Ier. 3.* Quomodo ponam te in filios; *ideſt* quid V poteſt mouere, quòd tot bona tibi conferam, cum tu tot peccatis ſis? 2. *Pet.* 1. Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit. *Et Pſ.* 49. Hæc feciſti (*præuaricatas ſcilicet inibi culpas*) & tacui: *quia nimirùm* ex clementia X & miſericordia te ad pœnitentiam expectaui, Sap. 11. *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Et ſubdit: *Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis*: Arguunt enim ex hoc peccatores, & credunt iniqui, quòd peccatum placeat Deo, & non puniat, quia tacet: ſed hæc exiſtimatio eſt iniqua, quia *ſimiliter odio ſunt Deo impius, & impietas eius*, ut dicitur Sap. 14. Ideò *arguam te* &c. ideſt, te condemnabo. *Cui adſonat & illud, quod dicit Dominus, Iſ.* 42. Tacui ſemper, ſilui, patiens fui: ſicut parturiens loquar; diſſipabo, & abſorbebo ſimul. *Siquidem* iuſtum eſt Y ut cum diu expectauerit, impœnitentes omnes ſimul abſorbeat. (*De quo tamen dolere videtur; unde dicit*: Sicut parturiens loquar; *ideſt*, ſicut parturiens dolebo de tam graui pœna.) *Et rationem reddit Iſ.* 5. Expectaui, *ut anima vinea* faceret vuas, & fecit labruſcas. *Vuas*, ſcilicet Z fructum bonorum operum; *& fecit labruſcas*, ideſt vuas ſylueſtres, ab hoc dictas, quia in labijs viarum naſcuntur, ſcilicet in ſepibus: in quo amaritudo vitiorum notatur. *Igitur benè operandum peccatori*, donec dies eſt; *quia* veniet nox quando nemo poteſt operari, *Io. 9. Et hæc, verè pœnitende poſt diuturnam in peccato perſeuerantiam, ne irritetur patientia, immò longanimitas Dei ſuſtinentis. Ad quod idem Dominus hortatur Ier. 3.* Ergo amodo voca me, Pater meus. *Amodo*; quaſi A dicat: ſufficit præteritum tempus; *voca me, Pater* per creationem, *Pater* per redemptionem, qua nos regenerauit in filios, *Iſ. 63.* Tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter. *Et dic cum prodigo filio, Luc.* 15. Pater, peccaui in Cælum, & coram te. *Et iterùm Ier.* 4. Si reuerteris Iſrael, ait Dominus, ad me conuertere. Si abſtuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis. *Si reuerteris*, ſcilicet B à peccatis, *ad me conuertere*. Vel ſi reuerti diſponis, toto corde conuertaris. Et oſtendit conuerſionis fructum, cum ſubdit: *Si abſtuleris offendicula*, in quibus & te procedens offendis, & me ad iram prouocas, *non commoueberis*. Non commoueberis *inquam, quia in medio tui ero, Pſ.* 45. Deus in medio eius, non commouebitur. *Vbi* ideò C dicit, *in medio*, quia cor dicitur eſſe in medio hominis. Quia ergo Deus habitat (*utique per gratiam*) in cordibus noſtris, ideò dicitur eſſe in medio. *Et hoc eſt, quod ait Zach.* 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. *Vbi nota, quòd licèt* conuerſio D noſtra ad Deum præueniatur auxilio Dei nos conuertentis, ſecundùm illud Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: legitur tamen ex perſona Dei: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*; non quin Dei operatio noſtram conuerſionem præueniat, ut dictum eſt: ſed quia conuerſionem noſtram, qua ad ipſum conuertimur, adiuuat ſubſequenter eam roborando, ut ad effectum perueniat, & ſtabiliendo, ut finem debitum conſequatur. *Et ita verum eſt, quòd qui conuertitur ad Deum*, non commouebitur. *Hinc docemur, quòd* triplex E eſt conuerſio in Deum. Vna quidem per dilectionem perfectam, quæ eſt creaturæ iam Deo fruentis: & ad hanc conuerſionem requiritur gratia conſummata. Alia conuerſio eſt, quæ eſt meritum beatitudinis: & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ eſt merendi principium. Tertia conuerſio eſt, per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam: & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam conuertentis. *Cum ergo dicat Deus, qui mentiri non poteſt*: Conuertimini, & conuertar; *unde Apoſtolus, ad Hebr.* 4 Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ: *iam ſecurus de venia, peccator accedat. Docemur enim, quòd* in iuſtificatione F impij ſeruatur aliquis modus iuſtitiæ, qui eſt ſecundùm condecentiam diuinæ bonitatis, vel etiam ſecundùm exhibitionem promiſſi, vt habetur *in gloſſa* ſuper illud Pſ. 50. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*: Deus enim hoc promiſit, ut peccatoribus veniam petentibus veniam largiretur. *Vnde & illud Rom.* 3. Iuſtificati ex fide &c. *exponens Auguſtinus ait*: Deus G recipit confugientes ad ſe: aliter in eo eſſet iniquitas. (*Quod tamen* ſi referatur H ad motum liberi arb. ante gratiam, loquitur Gloſſa illa ſecundùm quod ipſum confugium hominis ad Deum eſt per motionem diuinam, quam iuſtum eſt non deficere.) *Et ideò* ſummum I remedium contra peccatum eſt, ut homo redeat ad cor ſuum, conuertens illud in Dei dilectionem: *nam ſola* charitas operit multitudinem peccatorum, 1. *Pet.* 4. *& Luc.* 7. Remittuntur ei peccata multa, quo-

S Matt. 22. lit. a. ibi.

T Iſ. 48. ibi & Ier. 6. ſi. cap ibi, defecit.

V Ier. 3. lit. f.

X Pſ. 49. lit. K.

Y Iſ. 42. ibi.

Labruſca, quid.

Z Iſ. 5. lit. a. ibi.

Bene operandum peccatori, *donec dies eſt*.

A Ier. 3. lit. a. ibi.

Ad quod & ipſe Dominus pluries hortatur.

B Ier. 4. lit. a. ibi.

C Pſ. 45. lit. d.

Exponitur illud: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*.

D 3. con. G. c. 149. ſi.

Conuerſio in Deum triplex.

E 1. p. 62. 2. ad 3.

Cum fiducia ad Deum accedendum.

F 4. d. 46. 2. 2. q. 2. ad 4. Rom. 3. l. 1. ibi, iuſtificeris.

G 4. d. 17. 1. 2. q. 3. in 2. ſed contra, & 1. 2. 112. 3. arg. 1.

H 1. 2. l. c. ad 1. Ver. 28. 3. ad 10.

Faciendum peccatori quod in ſe eſt, ut ſibi gratia non denegetur à Deo.

I Vert. 2. 12. ad 19.

quoniam dilexit multum. *Quod erit, si quod ex parte sua est, homo operetur: Deus enim facienti quod in se est, suam non denegat gratiam, vt à peccato recedat, sicut neque auxilium subtrahit, vt in peccatum non cadat. Siquidem* in omni L peccato commune est hoc, quòd aliquis non facit, quod in se est, ad resistendum peccato: quod si faceret, non peccaret. *At verò tantum abest, quòd peccator contumax ad Deum conuertatur, quòd immò in Infernum conuertitur, Ps. 9.* Conuertantur peccatores in Infernum &c. *Vbi* per Infernum M intelligitur obstinatio mentis in peccato: & sic etiam viuus in Infernum conuertitur peccator, quando innititur in obstinatione. Qui enim recedit ab vno termino, disponit se ad tendendum in alium. Duo termini hominis sunt: Dei fruitio, & gehenna. Et hoc est, quod dicit: *Conuertantur peccatores, qui obliuiscuntur Deum, in Infernum.*

L 2.d.22. 1.1. ad 6.

M Ps. 9. lit. m.

g *Porrò ex pluribus, quæ adduci possent pro liberatione à peccato*, quinque *præcipuè* valent N quæ ad liberationem filiæ dæmoniacæ notantur circa mulierem Chananæam, *Mat.* 15. Primò humilitas in illis verbis: *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Secundò patientia, quæ notatur in hoc, quòd tam patienter portauit improperium sibi à Domino illatum. Tertiò oratio: *Miserere mei Fili Dauid.* Quartò perseuerantia in illa, quæ notatur in hoc, quòd non cessauit, donec obtinuit quod volebat. Quintò fides: *O mulier, magna est fides tua.* Si ista quinque habueris, *inquit Author*, ab omni dæmonio, idest peccato, liberaberis. *Et alibi.* Per tria O consequitur quis remissionem peccatorum. Primò per tribulationes, quæ remissionem peccatorum operantur, si patienter portantur, Tob 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis. Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis.* Item per humilitatem, 3. Reg. 21. *Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Et Ps. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Item per laborem, Deut. 26. *Respexit humilitatem nostram & laborem atque angustiam:* (ecce tria hæc simul) *& eduxit nos de Ægypto in manu forti. Et Ps. 24.* Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. *Sed & sicut tria mandauit Dominus languido in corporali ipsius curatione, Io. 5.* Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: *ita & in sanatione spirituali, scilicet* in iustificatione P tria præcipit. Primò quòd surgat, recedendo à peccato, Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Secundò quòd tollat grabatum, satisfaciendo de commissis. Per grabatum enim, in quo homo requiescit, significatur peccatum. Tollit ergo homo grabatum suum, quando fert onus pœnitentiæ, sibi pro peccato impositum, Mich. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Tertiò ut ambulet, proficiendo in bono, secundùm illud Ps. 83. *Ibunt de virtute in virtutem. Quoniam verò* initium sapientiæ timor Domini, *vt dicitur Ps. 110. quo sublato, faciliter homo delinquit, Ps. 35.* Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso: Non est timor Dei ante oculos eius: *ideò vt quis à peccato se liberet, debet in primis Deum timere; quia sicut* oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum; *videlicet* visu Q approbationis, & auditu, vt sit intentus ad exaudiendum: *Ita* vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum, *ut dicitur, Ps. 33.* Posset *enim* malus R dicere: si *oculi Domini* non sunt super me, sed *super iustos*, possum peccare licenter, quia non videt, Ezech. 8. *Non videt Dominus nos: dereliquit Dominus terram.* Sed non ita est: quia *vultus Domini super facientes mala.* Et dicit, *vultus*, quia designat cum quadam ira respicere in ipsos malos. Sed ad quid super eos est? Certè, *vt perdat de terra memoriam eorum.* Vno modo, vt omninò non sit: alio modo, vt malè, Prou. 10. *Nomen impiorum putrescet*, & Ps. 9. *Periit memoria eorum cum sonitu:* perijsse enim dicitur, quia putrida est & mala. Vel potest intelligi de terra viuentium, *quæ est cælestis Patria, à qua excluduntur. Et quidem ad diuini timorem iudicis peccator flectetur, si perponderit, sibi posse de momento mortem instare, & impœnitentem mori. Nam, ut dicitur Mat. 24.* Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat. *Hinc* Augustinus *ab Authore relatus:* Deus *inquit* promittit S pœnitenti peccatorum remissionem, sed nulli promittit crastinum diem. *Iuuenes* (ait Seneca) *mortem habent à tergo: senes ante oculos.* Non minùs timendus est hostis, qui est à tergo, quàm qui est ante oculos. *Idcircò monebat Sapiens Eccli. 5.* Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Derelinquat *ergo* impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas: & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Derelinquat inquam peccator malam viam suam: pœniteat aliquando contumacem seruum, Domini sui tot beneficiis ingratum, & utiliter erubescat in malo perseuerare, cum cætera omnia bona sint.* Vidit *enim* Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, *Gen.* 1. Satis (*inquit Author*) possunt T erubescere peccatores in tanta multitudine creaturarum, quæ omnes bonæ sunt, & ipsi mali.

Quinque valent pro liberatione à peccato.

N Serm. ex Eu. Dom. 2. Qua. Ps. 12. lit. e. in 4. d. 14. q. 1. ad 1.

O Ps. 24. lit. n.

Item tria.

Tria itidem ad iustificationem requisita.

P h. 5. l. 1. lit. e.

Timeat peccator Deum, vt conuertatur.

Q Ps. 33. lit. o.

R Ibid. lit. p. & Ps. 35. lit. a. & Ier. 23. lit. g.

Consideret, sibi posse de momento mortem instare, & impœnitentem mori.

S Op. de er. Pr. l. 5. c. 8.

Pœniteat aliquando impium peccasse, & erubescat.

T Serm. 2. ex Ep. Dom. 15. post Pent.

h *Quàm malè hinc se gerunt assentatores aliqui, non (uti deberent) peccatorem à culpis reuocantes, sed immò in peccatis fomentes!* Quod quidem sub vmbra quadam inhibuit Dominus *Exod.* 23. Non coques hœdum in lacte matris suæ: *iis etenim verbis* figuraliter V significatur, quòd hœdus, idest peccator, non est coquendus in lacte matris; idest non est blanditijs deliniendus. *Et ideò* his X qui sunt proni ad peccandum, non debemus hilarem vultum ostendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato consentire, & quodammodò peccati audaciam ministrare: *quod præsertim accidit, cum maledico plaudimus & detrahenti. Vt enim docemur Rom.* 1. Digni sunt morte, non solùm qui ea (*peccata*) faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Quod quidem dupliciter contingit.* Vno Y modo directè, vel laudando peccatum, secundùm illud Ps. 9. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: (additurque:* exacerbauit Dominum peccator; *quasi dicat:* Quoniam Z ita est, *exacerbauit Dominum peccator*, idest ad iracundiam prouocauit.) Vel etiam præbendo consilium & fauorem, secundùm illud 2. Paral. 19. *Impio præbes auxilium.* Alio modo indirectè, quando non reprehendit, aut impedit quocumque modo, si potest; & præcipuè (*nota*) si ex officio incumbat: sicut peccata filiorum imputantur Heli, *quos fortè palpabat, vt patet* 1. Reg. 4. (*Vide fusiùs V.* Adulatio *Tom.* 1.) *Quòd*

Non est palpandus peccator, vel in peccato fouendus.

V 1. 2. 102. 6. ad 4.

X 2. 2. 114. 1. ad 3.

Y Rom. 1. fi. cap.

Z Ps. 9. lit. p.

si quæras: an in peccatis existenti prosint, vel aliquid valeant opera moraliter bona? Respondet Author: *quòd* opera A bona, ante donum gratiæ facta, præmio suo sibi proportionato non carent. Causant enim quandam habilitatem ad gratiam; & secum etiam quandam honestatem, & iucunditatem, & pulchritudinem habent: in quibus præcipuè eorum præmium consistit. Et aliqua etiam per accidens causant, vt bonorum temporalium affluentiam, aut aliquid huiusmodi: quia frequenter, vt *Gregorius* dicit, Deus in hoc Mundo remunerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, vt sic nullum bonum irremuneratum inueniatur. *Et alibi*: Opera B extra charitatem facta valent ad triplex bonum: scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum. *Ex quo sequitur, quòd & pœna Inferni per hæc eadem opera alicui minuitur: hoc videlicet sensu, quòd per ea meritum pœnæ impeditur*. Primò C quia homo reatum omissionis euadit, qui huiusmodi opera perficit. Secundò quia huiusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, vt homo ex minori contemptu peccata faciat, & etiam à multis peccatis per huiusmodi opera retrahatur. Sed diminutionem, vel dilationem temporalis pœnæ merentur huiusmodi opera (sicut dicitur de Achab 3. *Reg*. 21.) eodem modo, sicut & bonorum temporalium consecutionem. *Vnde huiusmodi opera & ad hoc peccatori valent*, quòd D patietur tolerabilius iudicium. *Sic pariter cohærenter docemur, quòd peccatoris exauditur oratio. Nam* Oratio E in impetrando non innititur merito, sed diuinæ misericordiæ, quæ etiam ad malos se extendit; & ideò etiam peccatorum quandoque oratio à Deo exauditur. Vnde *Augustinus* dicit super Io: quòd illud verbum, *Peccatores Deus non audit*, cæcus locutus est quasi adhuc inunctus, idest nondum perfectè illuminatus: nam peccatores exaudit Deus. Quod autem dicitur Prou. 28. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*: intelligendum est, quantum est ex merito peccatoris: sed interdum impetrat ex misericordia Dei, vel propter salutem eius, qui orat, sicut auditus est Publicanus, vt dicitur *Luc*. 18. vel etiam propter salutem aliorum, & gloriam Dei. Sic igitur oratio F peccatoris impetrat, licèt non sit meritoria: sicut & aliquando iusti oratio meretur, sed non impetrat; nam impetratio pertinet ad id, quod petitur, & innititur soli gratiæ; meritum autem pertinet ad finem, quem quis meretur, & innititur iustitiæ. *Verùm quantò magis putandus est peccator ex diuina pietate exaudiri, si pro sua orauerit conuersione, misericordiam implorans? Quod quidem rogabat & Dauid Ps*. 6. Conuertere Domine, & eripe animam meam: Saluum me fac propter misericordiam tuam. *Quasi dicat*: saluum G me fac; & hoc non propter merita mea, sed propter tuam misericordiam, *ad Tit*. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit: *cui nempè oratio peccatoris in impetrando innititur, vt dictum est. Cæterùm* ne credant H mali, sceleribus obuoluti, ad cælestem gloriam peruenire vel falsis orationibus, quas plerunque fundunt (*non enim orant, vt eos Deus conuertat*) vel eleemosynis, quas aliquando Ecclesiæ, vel pauperibus tribuunt (*in peccato tamen contumaces*) nisi à se vitia penitùs expellant. *Monebat idcircò Sapiens Eccli*. 21. Filij peccasti? Non adijcias iterùm: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. DISCE *peccator non addicere ad peccandum, sed pœnitere. Vide vt Num. præced. & V.* Oratio, Pœnitentia.

A 2.d. 27.1. 4.c. & 3.p.89. 6. ad 3. Pot. 6. 9.c. Ap. 3. com. 1. ibi, moritura.

An prosint, & ad quid valeant bona opera existenti in peccato mortali.

B 4. d.15.1. 3 q.4. & etiam 3. c.

C Ibid. a.3.q. 9.c.

D 3.p.89.6. ad 3.

E 2.2.178.2. ad 1. & q. 83. 16. in 4.d. 45. 2.1. q.3. ad 1. Pot. 6.9. ad 5. Io.9.l.3. lit.h.

Peccatoris oratio num exaudibilis.

F De Pot. loco cit.

Specialiter pro sua conuersione, & salute fusa.

G Ps.6.lit.b

H Apoc.21. Com.1. ibi, timidis.

PERFECTIO. *Vide* Abstinentia à licitis, Amor Hominis erga Deum *Tomo* 1. Episcopus *Tomo* 2. Religiosus.

PERIVRIVM. *Vide* Iudex, Iuramentum *Tomo* 2.

PER QVÆ PECCAT QVIS, per hæc & torquetur.

XIV. *Adduces super eos latronem repentè, quia foderunt foueam, vt caperent me*. Quasi dicat: Iustum est, vt decipiantur qui me decipere voluerunt. *Ier*. 18. *ibi*.

i VEl ab ipso Mundi exordio præmissi veritatem essati experti sunt protoparentes nostri, *Adam & Eua*. Quousque enim I in primo homine anima fuit subdita Deo, seruando diuina præcepta: etiam caro fuit subdita in omnibus animæ, vel rationi. Sed postquàm diabolus per suggestionem retraxit hominem ab obseruantia diuinorum præceptorum, etiam caro fuit inobediens rationi. Et inde accidit, quòd licèt homo velit bonum secundùm rationem, tamen ex concupiscentia ad contrarium inclinatur. *Et quidem* hoc L, quòd concupiscentia, & delectatio venereorum non subiacet imperio, & moderationi rationis, prouenit ex pœna primi peccati, in quantùm scilicet ratio rebellis Deo meruit habere suam carnem rebellem, vt patet per *Augustinum* 13. de Ciu. Dei. *Et ita* Adam M factus inobediens suo superiori, inobediens habuit suum inferius. *Homo exinde, sensualitatis impetum brutorum more secutus: quia* cum in honore esset, *ad imaginem scilicet Dei creatus*, non intellexit (quòd scilicet N ad imaginem Dei factus sit, & aptus ad possidenda cælestia:) *ideò* comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, *vt dicitur Ps*. 48. Sicut igitur O homo id, quod est Dei, mutauit vsque ad bestias: ita Deus id, quod est diuinum in homine secundùm rationem, subdidit ei, quod est brutale in ipso, scilicet desiderio sensualitatis. *Et ita, qui per peccatum legem naturalis rationis excussit, iustè legi sensualitatis subiectus est, Rom*. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. *Etenim* cum fomes P sit quædam pœna peccati, duplicem causam habet. Vnam quidem ipsum peccatum, quod in peccante dominium accepit, & ei legem imposuit, quæ est fomes: sicut dominus seruo victo legem imponit. Alia causa fomitis est Deus, qui hanc pœnam homini peccanti indidit, vt rationi eius infe-

I Op. 4. in initio Op. 7. Pet. 3. Op. 3.c. 192. & 1. p. 96.1.c. Han. d. 30.1.4 c. & ad 2. & in alio 16.4.1.

L 2.2. 153. 5. ad 2.

Adam inobediens Deo secundùm partem superiorem, meruit inobedientiam virium inferiorum.

M Op. &c. Pr. l. 5. c. 37. post med.

N Ps. 48. lit. f. & k. f.

O Rom. 1. l. 7. ibi, tradidit.

Fomes ex peccato, & à Deo in pœnam peccati.

P Rom. 7. l. 4. ibi.

riores vires non obedirent: *quia ratio ipsa Deo non obediuit*. (*Vide* Adam *Num.* 11. *Tomo* 1.) *Non secus & prima parens nostra veritatem hanc comprobauit. Quia enim diuino inobediens mandato, subiici renuit Deo, iustè factum est, ut esset subiecta viro, Gen.* 3. Sub viri potestate eris. Hoc *enim* in pęnam Q mulieris inobedientis inductum est. *Sanè naturaliter etiam* prius R erat *sub viri potestate* ad regimen, & utilitatem suæ directionis, & gubernationis, absque omni pęna, displicentia, & vilitate. Sed in quantum ponitur in pęnam, est in seruili vilitate, & cum eius displicentia, & includit inconuenientia multa. Vix enim potest esse, quòd vir propter qualitatem corruptionis naturæ non exerceat potestatem suam in mulierem, immoderatè & superbè (*norunt uxores*) præcipuè propter magnum viri zelum, quem habet ad uxorem, propter suæ calorem libidinis & feruorem. *Vides quàm verè à Spiritu Sancto dictum sit, Sap.* 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

Q 2. d. 18. cap. tex.

Eua subiecta viro, quia noluit subijci Deo.

R Gen. 3. ibi.

l *Et hac quidem de causa, post admissum fratricidium, illud Cain promebat, Gen.* 4. Omnis, qui inuenerit me, occidet me. *Vbi Author*. Quare S hoc timebat? Quia lex naturalis ei dicebat, quòd *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:* & sic timebat, quòd omnis, qui eum inueniret, sicut legens in eo sententiam mortis, & sicut executor diuinæ iustitiæ, mortem sibi inferret. *Qui enim crudelitatem in alios exercet, maioris in se ipsum non potest effectus non expectare sæuitiæ. Ita sanè à Deo expertus est impius Antiochus, de quo* 2. Mac. 9. *legimus, quòd* apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta; & quidem satis iustè: quippe qui multis, & nouis cruciatibus aliorum totserat viscera. *Id quod quintus ex septem fratribus crudeliter excruciatus, ei prædixerat* (*ut habetur cap.* 7.) *cum ait*; Tu autem sustine: & videbis magnam potestatem Dei, qualiter te, & semen tuum torquebit. *Non secus & Cyro magno illi Persarum Regi contigit experiri*. Quia *nempe* crudelitatem T exercuit & in Babylonia, & in Regno Lydiæ, quia in utroque Reges & Principes mala morte trucidauit, & in Regno Massagetarum similiter fecit: in hoc eodem iudicio similiter eum Deus puniuit. Narrant enim historiæ, quòd Regina Tomyris congregauit exercitum contra ipsum, Scythas videlicet, Massagetas, & Parthos; & in quibusdam montibus insidijs compositis, inuasit castra eiusdem, & sic impetu armatorum absorbuit, quòd ducenta millia fuerunt occisa, & ipse captus: cui amputato capite, Regina ipsum in utre sanguine pleno mandauit includi; & sic inuectiuè acclamabat eidem: *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe*. Quasi ipsa mors ignominiosa, quam passus est, fuerit argumentum suæ atrocitatis. *Propositam itidem voluit contra idololatras ostendere veritatem Apostolus* Rom. 1. *de quibus* (*consequenter ad ea, quæ præmiserat*) *illud subdit*: Exarserunt in desiderijs suis in inuicem; masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. *Mercedem erroris sui*, quo scilicet V Dei veritatem in mendacium commutauerunt, *recipientes in semetipsis*, idest in deformitatione suæ naturæ: *mercedem*, inquam; idest retributionem, *quam oportuit*, scilicet eos recipere secundùm iustitiæ ordinem, ex qua debitum erat, ut qui

S Gen. 4. ibi.

Qui crudelitatem in alios exercet, maiorem in se expectet sæuitiam.

Cyrus Persarum Rex à Regina Tomyri deuictus & captus.

T Op. 20. lib. 3. c. 8.

Per quæ peccauerunt idololatræ, per hæc puniti.

V Rom. 1. l. 8. ibi.

in Dei naturam iniuriosi fuerant, id quod est proprium sibi, creaturis attribuendo: in sua natura contumeliosi existerent. *Sic eorum pariter, qui Solem, Lunam, & stellas impiè adorauerant, in iustam pœnam factum est, ut è sepulchris extraherentur cadauera, & expanderentur sub die insepulta, Ier.* 8. In tempore illo eijcient ossa Regis Iuda, & ossa Principum eius &c. de sepulchris suis: & expandent ea ad Solem, & Lunam, & omnem militiam Cæli, quæ dilexerunt, & quibus seruierunt, & adorauerunt: non colligentur, & non sepelientur. *Eiicient ossa &c.* credentes X aurum, vel aliquid talium inuenire: *& expandent ea ad Solem & Lunam &c.* 4. Reg. 17. *Adorauerunt vniuersam militiam Cæli*; quia scilicet, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. Et subdit: *non colligentur, & non sepelientur*, ad eorundem vilitatem, *Is.* 5. Facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. *Et conuenienter quidem: nam & ad pœnam idololatris debitam innuendam Sap.* 11. *præfatum axioma primò inductum est, ubi legitur*: Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum (*scilicet idololatriæ*) quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent, quia *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*.

X Ier. 8. lit. c.

m Per hæc *inquam* torquetur. *Vnde legitur Num.* 25. *quòd contra mandatum Domini* unus de filijs Israel (*Zambri filius Salu*) intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, *diuino percitus zelo* surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus: *sic Deo disponente, ut per quæ ambo peccauerant membra, in eisdem torquerentur. Huc facit & quod habetur in vet. lege de sacrificio zelotypiæ circa adulteram uxorem. Nam* miraculosè Y mulieris adulteræ (*ut habetur Num.* 5.) computrescebat femur, bibitis aquis, in quibus Sacerdos maledicta congesserat. *Miraculosè inquam, & iustè: nam per fœmina* intelligitur Z concupiscibilis, *unde & illud Cant.* 3. Vniuscuiusque ensis super femur suum, *exponitur*: constringendo scilicet A femora sua, viuendo castè. *Igitur* cum B secundùm actus venereos aperiantur femina mulieris (*ut docemur ad illud Cant.* 7. Iuncturæ femorum tuorum: *ubi Author* feminum *legit*: *quia* femur *inquit* est virorum, femen mulierum:) *iustum erat, ut per quæ membra in virum peccauerat, torqueretur. O si omnium adulterarum hodie putresceret femen! Profectò non tot admitterentur adulteria, quot audimus. Non absimiliter & adulteri iusta pœna est, vt vel eius uxor adultera fiat. Idcircò dicebat Iob c.* 31. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea. *Insidiatus sum*, ut scilicet C eius vxore abuterer: *scortum alterius sit uxor mea*, ut scilicet alijs se venalem exhibeat. Iustè enim puniri videtur, qui alienam uxorem adulterio polluit, quòd etiam eius uxor ab alijs polluatur. *Ad literam hoc impletum legimus in Dauid adultero, cui per os Nathan Prophetæ à Domino dictum est*: Eo quòd despexeris me, & tuleris uxorem Vriæ Ethæi, vt esset uxor tua: ecce ego tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cũ uxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti absconditè:

Adultera in vet. lege iuxta qualitatem culpæ torquebatur.

Y 1. 2. 103. 2. ad 3.

Z Cant. 7. com. 2. ibi, femorum.

A Cant. 3. com. 2. ibi.

B Cant. 7. loco cit.

Adulteri pœna, quòd & uxor illius ab alijs polluatur.

C Iob. 31. l. 1. ibi.

Ita adultero contigit Dauid.

ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel. *Vnde & cap. 16. apertè legitur*, quòd Absalom ingressus est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel. *Discant adulteri non tam facilè fidem uxori violare. Sic & fornicarius quisque in carne punitur, per quam peccat: Et licèt quotidiana rei huius ob oculos habeamus exempla (fornicatio enim utplurimùm pœnam habet carnis adnexam, ita ut concubinarius quisque sibi possit iustè adaptare illud Ps. 37.* Lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea:) *traditur tamen & ab Apostolo veritas hac* 1. Cor. 5. *quando scilicet punire volens per excommunicationem Corinthium illum fornicarium*: Iudicaui *inquit* tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis &c. *Tradere Satana*, scilicet D corporaliter vexandum, *in interitum carnis*, idest ad vexationem carnis, & afflictionem, in qua peccauit, *secundùm illud Sap.* 11. Per quæ peccat quis &c.

Fornicarius per carnem peccans, in carne punitur.

D 1. Cor. 5. l. 1. ibi.

n *Sed & in cæteris peccatis, per quæ peccamus, animaduertimur. Vnde Rex Dauid ex populi numeratione superbiens, in eiusdem populi amissione mulctatus est.* Quia E Dauid de populi elatione peccauit, ideò in populi occisione punitus fuit; sicut aliquis Dominus in amissione possessionis: (nec tamen populus iniustè passus est, quia hoc meruerat, Absalom sequendo *in coniuratione, ut habetur* 2. Reg. 15.) *Sic filius contumax in patrem, & proteruus, proterues pariter, prauosque filios expectet, Gen. 9.* Maledictus Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis. *Quasi diceret*: Tu F & generatio tua estis maledicti à Deo. Fuit enim decens, quòd sicut malum filium se fecerat, sic filios malos, & maledictos haberet. *Experientia satis nota. Iusta siquidem pœna est, ut in quo quis deliquerit, à Deo plectatur. Quare legimus Ier. 23.* Si interrogauerit te populus iste, dicens: *Quod est onus Domini?* dices ad eos: *Vos estis onus*; proijciam quippè vos, dicit Dominus. *Pro quo sciendum, quòd* sicut G Isaiæ temporibus irridebant, dicentes: *Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, Is.* 28. Ita verbum, quod Ieremias adinuenerat, quasi ad designandum pœnæ grauitatem, scilicet *onus Domini*, irridebant: *Quod est onus Domini?* Vnde hic increpat irridentem populum, comminans pœnam, quantùm ad interrogantes: *si interrogauerit te*, irrisoriè: *Quod est onus Domini?* dices ad eos. *Vos estis onus: proiiciam quippe vos*: videlicet, *ut per qua quis peccat, per hæc & torqueatur, Is.* 1. Laboraui sustinens; *& quia intolerabiles estis ad portandum, ideò* proijciam vos, dicit Dominus. *De eodem quoque Propheta in lacum misso traditur, Ier. 38. quòd* Abdemelech locutus est ad Regem (*Sedeciam*) dicens: Domine mi Rex, malè fecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Ieremiam Prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame. *Statimque subiecit*: Non sunt enim panes ultrà in ciuitate. *Quasi diceret*: Ex quo H inclusus est, *ut moriatur fame*; panis defecit omnibus, *quorum causa inclusus est. Quod roborat Author veritate præmissa*: Per quæ peccat quis &c. *Sanè* & qui gladio ferit (*ut communis habet parœmia*) gladio perit. *Sic impius præfatus Cain, quòd Abel fratrem primus ex inuidia occidisset, à Lamech interfectus est*, Gen. 4. *ut alios plurimos prætereamus. Quod confirmat ipse Dominus Mat.* 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt; *scilicet* suo I non alieno, Ps. 36. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* (*Ita Philisthæo illi contigit giganti, qui Dauidi mortem minatus, gladio ipso, quo armatus erat, per manus adolescentis, à quo prius in fronte lapide percussus fuerat, vitam finiuit*, 1. Reg. 17. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit & stetit super Philisthæum; & tulit gladium eius, & interfecit eum, præciditque caput eius. (*Sic frequenter sagitta in ipsum recidit sagittarium.*) Vel intelligitur de gladio condemnationis; vnde qui alios condemnant, diuina sententia condemnabuntur. Vel aliqui propria authoritate accipiunt, quod non habent ab alio; & tales gladio pereunt. *Quò respexit Psaltes, ubi ait Ps.* 9. Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. *Nam* ex hoc L quòd parauerunt occisionem alijs, ipsi occisi sunt. *Qui enim vitam aliis adimere volunt, sibi metipsis adimunt. Id quod in Christi resurrectione signatum est. Etenim ex terræmotu, qui tunc accidit, & ex splendore Angeli super sepulchri lapidem sedentis* præ timore eius exterriti sunt Custodes, & facti sunt velut mortui. *Et iustè quidem velut mortui remanserunt*, qui M Christum in morte, quantùm in ipsis fuit, voluerunt detinere. *Sic iustè impii diffusa sunt omnia viscera proditoris, qui in Magistrum suum viscera clauserat humanitatis.*

Dauid in populi numeratione superbiens, in eius amissione mulctatur.

E 4. d. 14. exp. tex. fi.

F Gen. 9. ibi.

Filius malus, filios malos habebit.

In quo quis delinquit, à Deo punitur.

G Ier. 23. lit. l. ibi.

H Ier. 38. lit. a. ibi.

Qui gladio ferit, gladio perit.

I Mat. 26. lit. f. ibi.

L Ps. 9. lit. l.

M Mat. 28. lit. a. ibi.

Iudæ viscera iustè diffusa.

o *Tu quoque fidelis Christi, diues præsertim, qui in pauperes eius remissas habes manus, egestati eorum iusto Dei iudicio obnoxius eris, Prou.* 10. Egestatem operata est manus remissa. *Et quam immò in aliorum oppressionem extendis dexteram, iusta Dei sententia cum brachio, & humero amittes, Iob* 31. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem: humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. *Si leuaui super pupillum manum meam*, ut scilicet N eum opprimerem: *etiam cum viderem me in porta*, idest in loco iudicij *superiorem*, idest magis potentem; *humerus meus à iunctura sua cadat &c.* iustum enim est, ut homo membris priuetur, quibus ad iniustitiam utitur. Et ideò subiungit amissionem, quasi pœnam, non solùm manus, sed etiam brachij, in quo radicatur manus; & humeri, cui brachium colligatur. *Et quidem, si non cadet, dolorosa arctabitur chiragra, & pragrauabitur, ut in plurimis cernimus euenire. Tu, qui viduas deprædari studes, & pupillos, scito quòd à quibus non putas, deprædaberis, Is.* 33. Væ, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? *Et Hab.* 2. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis. *Iustè quippè alij* O deprædantur eos, sicut ipsi spoliant pauperes. *Sed vniuersaliter quisquis proximo fraudes adtexit, eas in se ipsum conuertit. Licèt enim* qui P fraudes faciunt, ex eorum intentione non moliantur aliquid contra se ipsos, vel contra animas suas, (*ut dicitur Prou.* 1.) tamen ex iusto Dei iudicio prouenit, ut id, quod cõtra alios moliuntur, contra eos retorqueatur, secundùm illud Ps. 7. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Vbi Q ponit metaphoram. Venatores enim ponunt ingenia, ut capiant lupos in foueis. Ipsi etiam inimici, ut capiant homines, exercent ingenia sua. Et hoc fit per proditionem; & ideò est sicut fouea. Apud Hebræos autem fouea dicitur lacus. *Lacum* ergo, idest foueam profundam, *aperuit*, idest excogitauit fraudem, & effodit profundè cogitando. Et hoc explendo, *incidit in foueam*, quam

Durus in pauperes, egestati eorum obnoxius erit.

N Iob 31. l. 1. ibi.

Dextera opprimentis pupillos amittetur, vel infirmabitur.

Deprædator deprædabitur.

O Op. de er. Pr. l. 4. c. 8. sub initio.

P 2. 2. 55. 5. ad 3.

Fraudem faciens, in se eam conuertet.

Q Ps. 7. lit. i. & Ps. 9. lit. l.

quam fecit, quia cogitabat occidere, & fuit occisus, *Ps.* 56. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. *Hinc rectè expetebat idem Psaltes Ps.* 11. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa: *fraudulentes videlicet, & dolosos homines*, quasi R de malitia puniendo (dolus enim est occulta malitia) ut ipsi in ea incidant iusto Dei iudicio, quæ alijs parauerant, ut de Aman dicitur *Esth.* 7. contra Mardochæum: *Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochao*; & Ezech. 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*: quasi non audens ulteriùs fraudes facere. *Quod aiebat initio Author super illud Ier.* 18. Adduces super eum latronem repente, quia foderunt foueam ut caperent me. *Quasi dicat*: Iustum est S ut decipiantur qui me decipere voluerunt.

R Ps. 11. lit. c.

S Ier. 18. ibi.

Iuxta qualitatem culpæ pena respondet.

p *Enimuerè iuxta qualitatem culpa, & quantitatem, pœna expectanda est*, *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Et Deut.* 25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. *Ita fœdis accidit Sodomitis, super quos* pluit Dominus sulphur, & ignem à Domino de Cœlo. *Ignem & sulphur*, hoc est T sulphur ignitum, seu ignem sulphureum: *à Domino de Cælo*, idest de superiore parte aeris. Et congruè gentem fœtidissimam, ac fœtido & viscoso igne incensam concupiscentiæ, fœtido, ac sulphureo igne combussit: & gentem, quæ leges naturæ funditùs subuerterat, congruè subuertit, supremum terræ eorum ponens in infimo. Et (licèt hìc non dicatur) locum illum vertit Deus in mare sterile salsissimum (*ad salacitatem fortasse habitantium innuendam, & ex malitia infecunditatem*) sicut ex alijs scripturis colligitur, & ipsa experientia docet. *Locus ille* mare mortuum *adhuc vocatur*. *Et alibi coharenter*: Ardor V & fœtor sunt in omni peccato, maximè in peccato carnali, & præcipuè in illo ignominioso contra naturam. Vnde & Ciuitates illæ *Gen.* 19. sulphure & igne fuerunt succensæ, ut pęna responderet culpæ. *Et hoc est, quod dicitur Iob* 20. Iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit. Quoniam confringens nudauit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam &c. *Sic & sustinebit*: quia X pęna per quandam conuenientiam culpæ respondebit. Et hoc manifestat quantùm ad culpam rapacitatis, in qua duo per ordinem ponit. Quorum primum est violenta deprædatio, quod significat subdens: *quoniam confringens nudauit pauperes*; in confractione quidem violentiam significans, in nuditate rapinam. Secundò ponit restitutionis negligentiam; & quantùm adhoc subdit: *domum rapuit, & non ædificauit eam*. Quasi dicat: ea, quæ de domo rapuit, vel quæ in domo confringenda destruxit, recompensare neglexit. Huic autem culpæ conuenientem pęnam subiungit, dicens: *Nec est satiatus venter eius*. Quasi dicat, quia nudauit domum pauperis, cum de bonis suis satiari non sinens, ideò appetitus eius non est satiatus, nec de bonis, quæ iure possidet, nec de ijs, quæ iniustè acquisiuit, quia ut dicitur Eccle. 5. *Auarus non implebitur pecunia*: *& qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis*. Et quantùm ad hoc subdit; *& cum habuerit qua concupierat, possidere non poterit*: quia, vel ipse subtrahetur eis, vel illa ei subtrahentur. Et hoc conueniens est, ut quia ea quæ rapuit, spontè restituere noluit, ęa inuitus amittat. Deinde idem manifestat in culpa voracitatis, quam ponit, subdens: *Non remansit de cibo eius*; quia scilicet quicquid habuit, in suos usus conuertit, nec in aliorum necessitatem reseruans: unde subiungit conuenientem pęnam, dicens: *propterea nihil permanebit de bonis eius*, scilicet ei, quia omnia perdet. Et hæc est conueniens pęna, quantùm ad hoc, quòd de bonis suis noluit alijs reseruare; unde iustum est, ut ei nihil reseruetur. Quantùm verò ad hoc, quòd superflua in suos usus consumpsit, subiungit aliam conuenientem pęnam, dicens: *Cum satiatus fuerit, arctabitur*. Et loquitur ad similitudinem hominis, qui nimis comedit, cuius viscera arctantur ex nimio cibo compressa. Per quod significatur, quòd homo, qui superflua sibi acquisiuit, arctationem quandam patietur, non valens omnia acquisita rectè disponere, sicut patet *Luc.* 12. de diuite, cuius ager uberes fructus protulit, quòd voluit horrea sua destruere, ut faceret ampliora. Ex arctatione autem viscerum sequitur inordinatus calor, & anxietas, unde subdit: *æstuabit*. Et similiter illi, qui multa sibi immoderatè congregant, multa solicitudine affliguntur. Demum ex superfluo cibo ad omnia membra solet dolor peruenire; unde subdit: *& omnis dolor irruat super eum*. Similiter etiam ijs, qui superflua congregauerunt, multiplex dolor exoritur, dum in pluribus dispendia patiuntur. *Ex quibus vides, quàm iustè culpa pœna respondeat conueniens*. *Hinc Is.* 65. *dicebat Dominus*: Remetiar opus eorum primùm in sinu eorum. *Quasi diceret*: Commensurabo Y pęnam culpæ. *Et Thren.* 2. Tetendit Dominus funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione. *Funiculum suum*, quasi Z ad metiendum iustitiam suam, ut pęna culpæ æquaretur: *& non auertit &c.* quia nihil dimittit de pęna iusta. *Et ad hoc inducta pœna est, quam* talionis *dicunt*: *qua quidem & in vet. Lege statuitur*. *Deut.* 19. *& Leu.* 24. Qui irrogauerit maculam cuilibet Ciuium suorum; sicut fecit, sic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. *Et hoc iustum consueuit* contrapassum *dici*. Hoc *autem* importat A æqualem recompensationem passionis ad actionem præcedentem: quod quidem proprijssimè dicitur in passionibus & actionibus iniuriosis, quibus aliquis personam proximi lædit, purà si percutit, quòd repercutiatur: & hoc iustum determinatur in lege *Exod.* 21. Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. *Sic quippe iustitia æqualitas exposcit apud Deum & homines*.

T Gen. 19. ibi.

Sodomitarũ scelus iustè punitum.

V Apoc. 14. cum. 2. §. 4. ibi, sulphure.

Culpæ pœna utplurimùm conueniens.

X Iob 20. l. 2. ibi & 2. 2. 61. 4.

Y Is. 66. ibi.

Z Thren. 2. lit. b.

Pœna Talionis.

A 2. 2. 61. 4. c. & 1. 2. 105. 2. ad 10.

q *Profectò iustior, aut conuenientior esse non potest pœna peccantis, quàm quòd* anima B quæ deserit Deum, à corpore suo deseratur per mortem corporalem, & similiter deseratur à Deo per mortem æternam, *secundùm illud Rom.* 6. Stipendia peccati mors. *Quod secundum auersioni respondet, quæ in peccato est*: *conuersioni verò ad creaturas respondet, quòd*, quia C anima peccat corporalibus inhærendo, ad diuinam sapientiam pertinet, vt per corporalia puniatur: *proinde quia peccatores creaturam peccando dilexerunt, iustè Deus* armabit creaturam ad ultionem inimicorum, *ut dicitur* Sap. 5. *Item quia* (*ut vidimus in superio-*

Pœna peccato æquatur.

B Rom. 1. l. 8. fin.

C De An. a. 21. ad 21.

perioribus) homo peccat in suo æterno, quod concupiuit, & in Deum, qui est æternus, iustè pœna animaduertitur sempiternà. Et quia libero quo donatus est arbitrio, abutitur in malum, contra suam pariter voluntatem iustè in Inferno detinetur. Nam peccans D intendit propriæ satisfacere voluntati: pœna autem est contraria voluntati ipsius, in quantùm ex sapientia diuina procedit, vt illud, in quo quærit aliquis suam voluntatem implere, in contrarium ei vertatur. *Docemur quoque, quòd conuenienter* peccato E duplex pœna debetur, vel secundùm duas partes peccantis pœna corporis, & animæ: vel secundùm duo, quæ sunt in peccato (scilicet auersio & conuersio) pœna sensus & damni: vel secundùm duas radices peccati, quæ sunt amor & timor, ignis & frigus: vel secundùm duos status, præsens pœna & futura. *Sic igitur firma veritas & constans est, quòd* per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. *Quod etiam* intelligitur F de pœnis, quibus homo punitur in vita, secundùm quod quælibet culpa suam habet pęnam adnexam, prout *quisque inordinatus animus sibi ipsi est pœna*, vt dicit Augustinus. *Itaque ne per membra, quibus peccauimus, iustè Dei iudicio torqueamur: adhortatur in oppositum Apostolus Rom. 6.* Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; *ita* nunc exhibete membra vestra, seruire iustitiæ in sanctificationem. *Exhibete membra vestra*, scilicet G per executionem bonorum operum, *seruire iustitiæ*, in lege diuina nobis propositæ: & hoc *in sanctificationem*, idest in executionem, & augmentum sanctitatis. *Et priùs præmiserat*: Exhibete membra vestra arma iustitiæ *Deo*, idest H ad eius obsequium, *arma iustitiæ*, idest instrumenta quædam ad iustitiam exequendam, quibus scilicet pugnetis contra inimicos Dei, *Eph. 6.* Induite vos armaturam Dei, vt possit stare aduersus insidias diaboli: *qui postquam victor extiterit, tortor erit (ut vidimus) peccatoris: nam si per eum suggestorem deliquit, iustum est, ut æterno per eum supplicio torqueatur.* DISCE *per qua peccasti, iustitiæ Deo membra exhibere. Vide* Peccatum, Peccator.

D Ibidem.

E 4. d. 15. exp. tex. sub initio & d. 44. 3.2.q.3. ad 4.

F 4.d.44. loco cit.

Moralitas.

G Rom. 6. l. 4. ibi.

H Ibidem l. 3. ibi.



PERSEVERANTIA. *Vide* Meritum.

PETRVS APOSTOLVS.

XV. *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, Mat.* 16. In hoc insinuatur potestas Petri, & successorum suorum, quæ se extendit ad totam Ecclesiam, scilicet militantem, & triumphantem, quæ per Regnum Cælorum designantur, & quæ clauduntur clauibus Petri. *Opusc.* 20. *lib.* 3. *cap.* 10.

r SImon, *filius Iohanna, siue Iona (de quo infrà) unà cum Andrea germano fratre ad Christi sequelam, immò & ad Apostolatum vocatus est.* Triplex *tamen* fuit I vocatio. Prima fuit ad cognitionem, seu familiaritatem, & fidem: & de hac dicitur Io. 1. *Inuenit Andreas fratrem suum Simonem, & adduxit eum ad Iesum.* Secunda fuit in officij præsignatione, de qua habetur Lucæ 5. *Ex hoc eris homines capiens.* Tertia fuit ad Apostolatum, de qua dicitur Matthæi 4. quòd *relictis retibus &c.* (*vel fortè* Mat. 10. *quando ad prædicandum misit.*) Quæ fuit perfecta, quia postea non redierunt ad propria. *Et benè* Simon: *idem quippè sonat*, ac obediens, *cuius proprium est Superioris vocibus incunctanter parere. Vnde dicitur Mat. 4. cit.* At illi continuò relictis rectibus secuti sunt eum. *Quod & coapostolus eius Paulus de se ipso fatetur ad Galatas* 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam &c. *continuò* non acquieui carni & sanguini. *Vel ex Authore*: Congruit L hoc nomen mysterio: nam *Simon* interpretatur *obediens*: ut insinuet, quòd obedientia necessaria est ei, qui conuersus est ad Christum per fidem. *Et quidem exacta ostenditur Simonis & Andreæ obedientia quantùm ad tria.* Primò M quantùm ad promptitudinem, quia non distulerunt; unde dicit: *at illi continuò.* Secundò quantùm ad expeditionem, quia omnia reliquerunt; vnde dicit: *relictis retibus.* Debemus enim propter Christum omittere omnes terrenas occupationes: quod designatur per retia, 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Tertiò quantùm ad executionem, quia *secuti sunt eum.* Non est enim magnum dimittere omnia, sed perfectio consistit in sequela Christi, quæ est per charitatem 1. *Cor.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Cuius quidem charitatis, feruidique amoris in Christum, signa exhibuit plura Apostolus noster. Index autem amoris, primum est, amati præsentiam desiderare. Cum verò è naui aliquando expiscaretur* Mat. 14. *ubi nouit Dominum, supra mare ambulantem*: Domine *ait* iube me venire ad te super aquas. *Et quidem* hoc N dixit, non vt tentaret, nec ex infidelitate, sed ex solo desiderio, *præsentiæ scilicet Christi*

Simon à Christo vocatus.

I Io. 1. l. 15. & Prol. 2. in Io. lit. a.

Triplex Christi vocatio.

Simon, idest obediens.

L Io. 1. ibid. lit. b ibi, Simon.

Eius exacta obedientia, quoad tria.

M Mat. 4. lit. b. ibi, at illi.

N Mat. 14. lit. b. ibi.

Christi magistri sui. Quo annuente, mox descendens de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. *Ita & post resurrectionem*, cum audisset, quia Dominus est: tunicam succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt, *Io. 21. Videlicet*, quia O ex nimia dilectione noluit cum naui ire, quia retardabatur: sed *misit se in mare*, vt citiùs perueniret ad Christum. *Nec enim perperam aligerum finxit amorem antiquitas. Christi proinde ex hac amoris feruentia valdè timebat separationem. Ex quo ubi* Io. 13. *sibi à Domino pedes ablui detrectans, audiuit ab eo*: Si non lauero te, non habebis partem mecum; *hoc est*, quando P Dominus comminatus est separationem suam ab ipso, non solùm ad illa, sed ad ulteriora recipienda se obtulit, dicens: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput*. In hac enim responsione territus, totum se obtulit ad abluendum, amore turbatus & timore. Vt enim legitur *in Itinerario Clementis*, Petrus adeò afficiebatur ad Christi corporalem præsentiam, quem feruentissimè dilexerat, quòd post Christi ascensionem, cum dulcissimæ præsentiæ, & sanctissimæ conuersationis eius memor erat; totus resoluebatur in lacrymas, ita ut genæ eius viderentur adustæ. *Et alibi*: Petrus Q quasi in continuo dolore erat propter absentiam Christi. *Feruentissimè inquam Christum diligebat. Idcircò ea de proditore verba, ille est, cui intinctum panem porrexero*, Dominus R occultè dixerat Ioanni tantùm, vt non fieret proditor manifestus. Cuius ratio est, quia Petrus ita feruidus erat in amore Christi, quòd si pro certo sciuisset, Iudam fuisse Christum traditurum, statim occidisset eum. *Vnde & in proditoria sui magistri captione legitur, quòd* habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram, *Io. 18. Nempe* cæteris S discipulis ardentior *abscidit auriculam*, non ex sua principali intentione, cum eum intenderet occidere: sed ictus, quem dirigebat ad caput, relapsus est ad aurem. Ideò autem ictum dirigebat ad caput, vt faciliùs moreat, quòd id faciebat ex zelo Domini sui. *Sanè* perfectus T amor est, cum quis pro amicis se ipsum exponit morti, Io. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Quia ergo Petrus paratus erat pro Christo mori, ostendebat se in amore perfectum, cum ait Io. 13. *Animam meam pono pro te*: idest, paratus sum pro te mori: neque hoc dicebat, quantùm sibi videbatur, ficto animo. *Quemadmodum & Mat. 26.* Etiamsi oportuerit emmori tecum, non te negabo.

(*Nec tamen, quòd postea Christum negauerit, arguere debemus, tunc Petrum non verè ex amore locutum. Nam peccauit quidem, &* mortaliter V peccauit: non tamen fuit ex malitia, sed timore mortis. (*Quod dictum sit contra quosdam*, qui X quandam inanem gratiam appropriantes Petro, dicunt, quòd non timore negauit, sed amore, volens semper esse cum Christo, & continuè sequi. *Vlteriùs & contra eos*, qui Y volunt excusare Petrum, quòd non peccauit; unde cum dixit, *Non noui hominem*, verum est, *hominem*; sed hominem noui & Deum. Et hoc non est bonum, quia imponitur mendacium Christo, qui dixerat: *Ter me negabis*. Ideò melius est dicere, quòd Petrus potius mentitus est, quàm Christus.) *Quòd autem ex timore, hoc est ex passione, non ex malitia, aut electione peccauerit, indicant verba* Bernardi *dicentis, quòd tunc* charitas in Petro non fuit extincta, sed sopita. *Quod quidem simpliciter non videtur* Z *sustinendum*, nisi intelligatur charitas in Petro non fuisse extincta, quia citò resurrexit: ea enim, quæ parùm distant, quasi nihil distare videntur, vt dicitur *in 2. Physic.* Magis *ergo* negatio A Petri fuit extorta ex terrore, quàm ipse negauerit ex iudicio deliberatæ voluntatis. *Quo sensu Leo Papa*: Non est *inquit* tardatum remedium abolitionis, ubi non fuit iudicium voluntatis. *Et hoc satis felicis ipsius pœnitentia indicauit: qui enim non ex malitia, sed ex passione peccat, passione transeunte, mox de peccato dolet: quod incontinentis proprium est, ad differentiam, vt vidimus, intemperati*. *Sanè* Apostoli pœnitentia B est commendabilis ex tribus. Primò quia cita: nam statim *egressus*, Eccli. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum*. Item quia prudens: declinauit enim à consortio illorum, qui induxerant ad negandum. Sic & pœnitentes debent occasionem vitare peccandi; vnde dicit, *foras*. Item quia efficax, & vera; vnde dicit: *fleuit amarè*, *Is.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Permisit autem Dominus non sine causa in peccatum labi; quod præsignatum fuit, vbi Petrus ambulans super aquas*, cum cœpisset mergi, clamauit: Domine saluum me fac, *vt legitur Mat.* 14. Quòd *enim* permiserit C mergi, hoc fecit Dominus, vt experiretur, quid posset de se. Permisit etiam mergi, quia futurus erat Pastor. *Idcircò tempore passionis ter se negare, cohærenter* permisit D & cadere: vt exaltatus ad principatum Ecclesiæ disceret de se humilia sentire, & peccantibus subditis compati, Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris &c.*

t *Ad præfatum autem Ecclesiæ regimen ac Principatum, ob ipsius feruidam dilectionem, voluit Christus Petrum euehere, eique Ouium suarum curam committere, Io.* 21. Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. *Prænuntiatur verò ista hæc commissio* Io. 1. *cum dictum est ei à Domino*: Tu es Simon filius Iona. Tu vocaberis *Cephas*, quod interpretatur *Petrus*. *Et clariùs promittitur* Mat. 16. *Cum enim præmisisset Apostolus*: Tu es Christus Filius Dei viui; *respondens Iesus, dixit ei*: Beatus es Simon Bar-iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. *De quibus Apostoli appellationibus, nonnihil suboritur difficultatis*. Quod enim habetur apud *Matthæum* Bar-iona, *& Io.* 1. Filius Iona (*saltem in correctioribus modernis codicibus: in vetustis enim habetur* filius Iohanna) *expressè legitur Io.* 21. Simon Ioannis. *Quocirca* Cornelius à Lapide *Io.* 1. cum P. *Tirino* Mat. 16. *filium* Iona *ex Iohanna, quasi per syncopem contractum sentiunt*: (Nec dissentire videtur Author E.) *Cui concordare videtur opinio* Antonij Nebrissensis *in sua Quinquagena cap.* 24. *dicentis*: abscissum esse *Iona* ab eo, quod est *Iohanna*; idque ex authoritate *Chrysostomi*, qui lectionem illam agnoscit ex eo, quòd Græci, & Latini, transferentes nomina Hebræa in suas linguas, aliquando abijciunt aspirationem simplicem, siue duplicem, retento apice; aliquando dispungunt vtrumque, hoc est, literam simul, & apicem: quemadmodum pro eo, quod Hebræi dicunt *Iehosuah*, Græci dicunt *Iesus*, Latini verò *Iosue*: atque pari modo ex *Iohanna* expuncta aspiratione cum suo apice, potuisse fieri *Iona*. Id quod *Augustinus*

Feruidus Petri amor in Christum.

O Io. 21. l. 2. lit. a. ibi.

Cuius valde timebat separationem.

P Io 13. l. 2. lit. g.

Et absentiâ affligebatur.

Q Mat. 9. lit. e. ibi, ieiunabunt.

Tam feruidè Christum amabat, ut si sciuisset, à Iuda tradendū, ipsum occidisset.

R Io. 13. l. 5. lit. a.

S Io. 18. l. 2. lit. a.

Amor Petri perfectus.

T Io. 13. l. 8. lit. b.

V Mat. 26. lit g. ibi, tunc cœpit, & lit. i. ibi, etsi. Io. 18. l. 3. litteris f. g. h. & l. 4. litteris e. f.

Petrus negando Christum mortaliter peccauit, non ex malitia, sed timore mortis.

X Io. 18. l. 3. lit g. ibi, non sum.

Y Mat. 26. lit g. ibi, tunc cœpit.

Quo sensu dicatur charitas in eo non fuisse extincta, sed sopita.

Z Vers. 2. 6. ad 2. & a. 13. ad 2. Quol. 9. a. 14. & 2. 2. 24. 12. ad 2. Mat. loc. cit.

A Virt. 2. 13. ad 2. fi.

B Mat. 26 fi.

Pœnitentia Petri ex tribus commendabilis.

Cur cadere permissus.

C Mat. 14. lit. e. ibi & c. 7. lit. a. ibi fine.

D Io. 13. l. 8. lit. e.

Num filius Iona, an Ioannis dicendus.

Tirinus.

E Mat. 16 lit. b. ibi, Bar-iona, & Io. 1. l. 15. lit. h. ibi, Iohanna.

Antonius Nebrissensis.

nus videtur significare de concordia Euangelistarum. Cumque (*idem subiicit Author*) in ea essem, opinione, idque asseueratè defenderem: perfudit os meum rubore perquàm Reu. in Christo Pater, ac clementissimus Dominus, & Patronus meus, Cardinalis Hispanus: qui mihi ex codice Græco monstrauit, in Euangelio Ioannis cap. 21. non esse legendum, *Simon Ioannis*, sed *Simon Iona*, subaudi filius: quod est consentaneum ei, quod Matthæus scripsit cap. 16. *Simon Bar-iona* (*Et idem Ioannes cap. 1.* Tu es Simon filius Iona.) *Hac ille: cuius sententia an standum sit, cum litera ex Græco Io. 21. à vulgata editione discordet: peritiorum iudicio remittimus. Scripsit autem Ioannes græco idiomate. Docemur enim, quòd* Matthæus F hebraicè scripsit: Lucas & Ioannes græcè: Marcus autem latinè, qui scripsit Romanis. *Sequitur*: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. *Vbi nouum Simoni nomen imponitur. Nimirùm* quia G nomina *ex Chrysostomo* diuinitus imposita, aliquam eminentiam gratiæ specialis designant. Quando autem Deus confert specialem gratiam alicui ab ipsa natiuitate, nomen gratiam illam significans imponitur: sicut patet de Io: Baptista; qui ante à Deo nominatus est, quàm natus, quia fuit sanctificatus in vtero matris. Aliquando autem aliter confertur eminentia gratiæ specialis tempore procedente: & talia nomina diuinitus imponuntur, non à principio natiuitatis, sed in ipso processu temporis: sicut patet de Abraham, & Sara, quibus nomina mutata sunt, quando promissionem multiplicandi germinis acceperunt. Eodem modo & Petrus nominatur diuinitus, quando ad fidem Christi, & gratiam Apostolatus vocatur, & specialiter, quia constitutus est Princeps Apostolorum, & totius Ecclesiæ: quod in alijs Apostolis non est factum. *Cæterùm* Cephas H Syrum nomen est, non Hebræum. *At circa nomen hoc, eiusque interpretationem, quid breuiter dicat* Caninius, *audiamus*. Cum Christus *inquit* cognomine I aliquo Simonis, Ecclesiæ Principis futuri, in eoque Pastorum aliorum soliditatem, atque constantiam exprimere vellet, indidit ei Syriacum nomen *Cepha*: quod si latinè reddatur, significat durum *lapidem, vel cautem*: cui respondet hebraicum. At Latini tam commodè reddere non potuerunt, quàm Syri & Græci. Nam lingua Syrorum, *Cepha* lapidem sonat, & nomen Apostoli refert; idque sine vlla literarum varietate. Quin etiam græcè tam pro lapide accipitur, quàm pro Apostolo. Latini hanc felicitatem assequi non potuerunt: cum enim *Petrum* dicunt, hominem tantùm intelligunt, *lapidem* non item. Hinc facilè solui potest quæstio illa: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; idest: *Tu es lapis, & super hoc lapide* (super te scilicet, tuaque fide, & cæterorum Pastorum) *ædificabo Ecclesiam meam*, Mat. 16. *Hucusque* Caninius.

Quonam idiomate Euangelistæ scripserint.

F *Apoc. 9. com. 1. & 2. ibi*, cui nomen.

Nomina diuinitus imposita eminentiam gratiæ specialis designant.

G *Io. 1. l. 15. lit. b. ibi*, Petrus. *Ad Rom. 1. l. 1. ibi* Paulus.

Ita & nomen Petri in Apostolo præ ceteris.

Cephas nomen Syrum est, non hebraicum.

H *Mat. 10. lit. a. ibi*, Petrus.

Angelus Caninius.

I *Canin. de loc. Hebr. c. 13.*

Quid significet *Cephas*.

u *Præcessit autem hæc Christi verba alta fidei in Apostolo confessio, cum ait*: Tu es Christus Filius Dei viui. *Cui respondit Iesus*: Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & Sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est &c. *Beatus es*: quia L alij filium adoptiuum confessi sunt: hic autem Filium naturalem. Ideò hic præ cæteris beatificatur, quia primus confessus est diuinitatem. Vnde subdit: *Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi &c.* Idest; non habuisti ex traditione Iudæorum, sed ex reuelatione Dei. Item in Christo erat caro & sanguis & diuinitas; & ideò quia Petrus non respexit ad carnem & sanguinem, ei dicitur: *Beatus es*; quia scilicet non iudicas secundùm quod caro & sanguis reuelat, sed secundùm quod Pater meus. *Vnde &* Petrum *immediatè vocauit, quia ex Cyrillo & ex Authore* Petrus M interpretatur agnoscens. *Quod &* Hilarius *confirmans*: Dignus *inquit* iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. *Sequitur*: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vbi dat Dominus Petro* confessionis N remunerationem, Is. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.* Et iste signatus est per lapidem, quem supposuit Iacob capiti, & vnxit, vt habetur *Gen.* 28. Iste lapis est Christus: & ab ista vnctione omnes dicti sunt Christiani: vnde non solùm Christiani dicimur à Christo, sed à Petra. Ideò specialiter imponit ei nomen, *Tu es Petrus*, à Petra, quæ est Christus. (Licèt secundùm *Augustinum* videatur, quòd modò non fuerit impositum, sed à principio, Io. 1. *Tu vocaberis Cephas*. Vel potest dici, quòd tunc fuit promissum, hic datum.) Proprietas autem Petræ est, quòd ponatur in fundamento. Item, vt det firmitatem, Mat. 7. *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram*. Vnde potest exponi de Christo: *Et super hanc Petram*, idest Christum, vt sit fundamentum, & vt fundata firmamentum recipiat, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*. Et 1. Cor. 4. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*. Alia expositio est. *Super hanc petram*: idest, super te petram, quia à me Petra trahes tu, quòd sis petra. Et sicut ego sum petra, ita super te petram ædificabo Ecclesiam meam. Sed quid est? Estne Christus & Petrus fundamentum? Et dicendum, quòd Christus secundùm se; sed Petrus, in quantùm habet confessionem Christi, in quantùm Vicarius eius, *ad Eph.* 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. *Et sic Petrum dicimus fundamentum Ecclesiæ*, petram, & lapidem: *sed vt dicitur Is.* 28. in fundamento fundatum, *scilicet in Christo. Et hoc sensu mysticè exponi potest de Ecclesia Christi quod habetur Ps.* 26. In petra exaltauit me: (idest O in Christo:) *Exaltauit quippe Deus Ecclesiam suam in petra; videlicet primariò in Christo, secundariò in Apostolo Petro: & nunc exaltauit caput meum primarium, scilicet Christum; secundarium, vtpotè legitimum illius successorem, Petrum*, super inimicos meos, *super omnes scilicet infideles & hæreticos: qui Ecclesiam quidem oppugnauerunt semper, & oppugnant, vincere nunquam: quia nimirùm* portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. *Alibi quoque docemur, quòd* in hoc P nomine *Petrus* Dominus potentiam Petri insinuat: quia à *Petra*, quæ est Christus, cuius confessionem Petrus præmiserat, Petrus est appellatus: vt secundùm etiam quandam participationem, nomen acquirat, & potestatem, & audire meruerit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: quasi totum dominium inter fideles ex Petro dependeat in eius successores. *Vel tandem* ædificabo Ecclesiam meam super hanc petram, *singulariter scilicet, & discretiuè à cæteris Apostolis: licèt enim & ipsi & Petrus super lapidem Christum angularem sanctam Ecclesiam fundauerint* (*vnde & lapides, & fundamenta dicuntur omnes*, *Apoc.* 21. Et murus Ciui-

L *Mat. 16. lit. b. ibi*, *Io. 1. l. 15. lit. b.*

Petrus interpretatur *agnoscens*.

M *Mat. 4. lit. b. ibi*, Petrus, *& Serm. inf. Cath.*

N *Mat. 16. lit. b. ibi, & Io. 1. l. 15. lit. b. & 1. Cor. 3. l. 2.*

Petrus lapis fundamentalis Ecclesiæ post Christũ lapidem angularem.

Quomodo Christus & Petrus Ecclesiæ fundamẽtum.

O *Ps. 26. lit. e. ibi.*

P *Op. 20. l. 3. c. 10. sub initio.*

Petrus à Christo Petra, nomen accepit, & potestatem.

Ciuitatis habens fundamenta 12. & in ipsis duodecim, 12. nomina Apostolorum Agni. *Et infrà*: Fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspus, secundum saphirus &c.) *Petrus tamen post Christum, primum, & singulare fundamentum Ecclesiæ est, tanquam Christi Vicarium; & ideò singulariter ei dictum est*: Super hanc petram &c. *Et hinc signanter dicitur*: Fundamentum primum iaspis, scilicet Q fides semper virens, & visum confortans, *vt iaspis: fides inquam*, quæ est R fundamentum totius spiritualis ædificij. *Ex quo ad Petrum illud à Domino promptum est Luc. 22.* Simon, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Ex quo inconcussus Petri in Ecclesia primatus elucet: quem in cassum tollere nisi sunt schismatici, & adnituntur.*

Q Apoc. 21. vtroq. com. ibi. R Eph. 2. l. 3.

X *Et hunc sanè multa extant sacræ paginæ, quæ roborant, stabiliuntque testimonia. In primis non absque mysterio Mat. 16.* dicit eum S Dominus *Bar-iona*, idest *filium Columbæ*, scilicet Spiritus Sancti, quia hæc confessio non potuit fieri, nisi à Spiritu Sancto: *vt innuatur, quòd specialissimè Petro, vt Ecclesiæ Capiti, Spiritus sanctus assistit.* (*Idcircò & inter Apostolos solus Petrus altam hanc fidei confessionem facit*: solus ipse T Christo respondet pro se & pro alijs; sed ipse frequentiùs respondet, *tanquam Caput Ecclesiæ, ad fidei dogmata stabilienda destinatus.*) *Vnde & Christus, cuius ipse vices erat in terris impleturus*, vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, *Mat. 3. Hinc Act. 4. legitur*: Repletus Spiritu Sancto Petrus dixit: Principes populi, & seniores audite. *Et cap. 11.* Dixit autem Spiritus mihi, vt irem &c. *Et cap. 15.* Surgens Petrus dixit: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere. *Per ipsum enim dicentem tota dicit Ecclesia, per os veluti Spiritus Sancti, eo pacto, quo & de Prophetis omnibus dicitur Luc. 1.* Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius. *Quod congruit & nomini* Simon, *quod interpretatur* obediens, *secundùm illud Act. 5.* Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. *At significantiùs* (*vt prætactum modò est*) *habetur primatus huiusmodi ex nomine* Petrus, *cum dictum est ei*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Sunt enim & Apostoli cæteri, vt vidimus, Ecclesiæ fundamenta, secundùm illud Ps. 86.* Fundamenta eius in montibus Sanctis, *scilicet* Sanctis V Apostolis: *hæc tamen in Christo fundata sunt, Eccli. 26.* Fundamenta æterna supra petram solidam, *scilicet Christum, post quem specialiter Petrus fundamentalis petra est. Quod satis indicat pronomen illud demonstratiuum* hanc. *Quemadmodum & ad Cornelium dictum est, Act. 10.* Mitte, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic (*singulariter*) dicet tibi, quid te oporteat facere: *cuius nimirùm est tanquam capitis, in membra cætera fidei veritatem influere, & Ecclesiastici ministerii authoritatem conferre. Vnde & Petrus ex Cyrillo nedum* agnoscens *interpretatur, sed &* dissoluens, *seu cui generalis potestas super cæteros data est ligandi, atque soluendi. Dixit ergo Dominus singulariter & personaliter ad eum*: Tu es Petrus &c. *Et Luc. 22.* Tu (*non alii*) aliquando conuersus confirma fratres tuos. *Idcircò* Augustinus *Serm. 18. de Sanctis*: Solus *inquit* Petrus meruit audire: *Dico tibi* (*non alijs*:) *quia tu es Petrus &c.* Dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad Regnum. *Igitur* super hanc petram, *ait Dominus*, ædificabo Ecclesiam meã: *adeòque solida erit & firma, quòd* portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam. *Nempè* specialiter X Petri domus, *quæ fundata est* (Mat. 7.) *super petram*, non diruetur. Impugnari potest, expugnari non potest, Ier. 1. *Bellabunt aduersùm te, & non praualebunt: quia ego tecum sum*, Mat. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Et inde Y est quòd sola Ecclesia Petri, in cuius partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, semper fuit firma in fide. Et cum in alijs partibus vel nulla fides sit, vel sit commista multis erroribus; Ecclesia tamen Petri & fide viget & ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro Luc. 22. *Simon rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et Augustinus *Epist. 162. de Romana Ecclesia sermonem faciens*: In qua semper *ait* Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus. *De quo vide fusiùs* Cano *de loc. Theol. lib. 6.*

S Matth. 16. lit. b. ibi.

T Mat. 16. ibi. Tu es Christus.

Petri primatus in sacris literis ex pluribus comprobatur.

V Mat. 16. ibid.

Ecclesiæ firmitas Romanæ.

X Ibid. ibi, petram.

Y Op. 6. §. 12. ß Op. 20. lib. 3. c. 10. Mat. loc. cit. Serm. in fe. Cathed.

Y *Sequitur*: Et tibi dabo Claues Regni Cælorum. *Exponit autem Author, quid sint claues*: Domus Z quando est serata, impedit introitum: clauis verò remouet impedimentum. Regnum Cælorum habebat impedimentum, sed non ex parte sua, Apoc. 4. *Vidi, & ecce ostium apertum in Cælo*: sed impedimẽtũ erat ex parte nostra, scilicet peccatum, quia *nihil coinquinatum intrabit*. Ista impedimenta remouit Christus per suam passionem, quia *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. 1. Et hanc communicauit, vt per ministerium peccata tollerentur: quod expletur per virtutem sanguinis Christi, unde Sacramenta virtutem habent. Ideò dicit: *Tibi dabo claues Regni Cælorum*; idest, dabo tibi ministerium &c. Is. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Et dicit: *Dabo* (*non quòd promiserit, se Petro daturum, & postea non dederit, vt impiè blasphemant Petri primatum impugnantes*) nondum enim erant claues fabricatæ. Res autem non potest dari, antequam fit. Fabricandæ autem erant in passione, vnde in passione fuit earum efficacia (*tunc enim reuera fuit Ecclesia, Christi fundata sanguine, ex quo antea dixit pariter*: ædificabo, *scilicet in futuro*, Ecclesiam meam:) Vnde *Mat. 16.* promisit, sed post passionem dedit, cum dixit Io. 21. *Pasce oues meas.* Sed quare dicit, *claues?* Quia absoluere, est remouere obstaculum: ad hoc autem duo requiruntur, scilicet potestas, & scientia. Scientia autem hic dicitur authoritas discernendi. Consequenter ponit vsum Clauium, cum subdit: *Quodcumque ligaueris &c.* Sed videtur quòd inconuenienter ponatur: quia vsus clauis non est ligare, sed aperire. Et dicendum, quòd clauium conueniens iste vsus est. Ipsum enim Cælum apertum est (*per Christi vtique passionem, & ascensum eius in Cælum*) vnde non est necessarium, vt aperiatur: sed ligatus, qui debet introire, oportet, quòd soluatur. Et dicit, *quodcumque*, quia non solùm culpam, sed etiam pœnam. Dicit autem, *& in Cælis*: idest habebitur tanquam absolutus in Cælis. (*Et hoc est, quod aiebat initio Author*: In hoc A insinuatur potestas Petri, & successorum suorum, quæ se extendit ad totam Ecclesiam, scilicet militantem, & triumphantem, quæ per Regnum Cælorum designantur, & quæ clauduntur clauibus

Z Matth. 16. lit. b. ibi Op. 20. loc. cit.

Quid sint Petri Claues.

Fabricatæ in Christi passione: ideò dixit priùs: *Dabo*.

Cur duæ dicantur Claues.

A Op. 20 lib. 3 cap. 10. sub initio.

Nn uibus

uibus Petri.)] Cur autem *Io. 20.* dixit omnibus: *Quorum remiseritis peccata &c.* hic verò solum hoc dicit Petro? Dicendum, quòd immediatè dedit Petro: alij verò à Petro recipiunt. Ideò ne credantur ista solùm dici Petro, dicit: *Quorum remiseritis &c.* Et hac ratione Papa, qui est loco Sancti Petri, habet plenariam potestatem: alij verò ab ipso.

A 4 d 19. 1. 3. q. 1. ad 1.

Duplex potestas, Ordinis & iurisdictionis.

2 *Quocirca sciendum, quòd* duplex A est potestas, scilicet potestas Ordinis, & potestas iurisdictionis. Prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo vbi Dominus *Io. 20.* dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata &c.* intelligitur de potestate, quæ consequitur Ordinem; vnde & Sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singulariter potestatem remittendi peccata Mat. 16. *Quodcumque ligaueris &c.* vt intelligatur, quòd ipse præ alijs habet potestatem iurisdictionis. Potestas autem Ordinis, quantùm est de se, se extendit ad omnes absoluendos, & ideò indeterminatè Dominus dicit: *Quorum remiseritis peccata &c.* intelligens tamen, quòd vsus illius potestatis esse deberet, præsupposita potestate Petro collata, secundùm ipsius ordinationem. *Et alibi pariter instruimur, quòd* quamuis B omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & soluendi: tamen vt in hac potestate ordo aliquis significaretur, primò soli Petro data est. Vt ostendatur, quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere: propter quod etiam ei dixit singulariter Luc. 22. *Confirma fratres tuos*, Et Io. 21. *Pasce oues meas*, idest loco mei. *Sicut ergo Christus in terris viuens per se primatum habuit, & rationem capitis in Ecclesia (quam & modò inuisibiliter regit) ita & Petrus; quamuis hoc à se non habeat, sed ex sibi à Christo potestate collata. Et sicut Pastor noster Christus fuit; ita & Petrus, qui vices eius in terris super fidelium gregem obtinuit*: Pasce oues meas: *nec enim Ecclesia Collegium acephalum esse debet*, *Ose. 1.* Ponent sibimet caput vnum. (*De monarchico Ecclesia regimine Vide C.*) *Hinc dormientes inueniens in horto surgens ab oratione discipulos, ad solum Petrum, tanquam futurum Pastorem, increpationem conuertit*: Et dicit Petro: sic non potuistis vna hora vigilare mecum? *Cui adsonat illud Apoc. 3.* Esto vigilans, & confirma, *Luc. 22.* Confirma fratres tuos: *tuum enim est super gregem vigilare. Quod allegoricè videtur signare in benedictione Iuda Gen. 49.* Iuda, te laudabunt fratres tui: Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filij patris tui. *Vbi docemur, quòd* Iudas D Petrum Principem Apostolorum designat. *Ex paulò infrà*: Per Iudam intelliguntur Romani Pontifices in fide Christi constantes; quorum primatui omnes filij Christi subduntur, & in quibus regimen fidei vsque ad Christum iudicem durabit. *Sed & post Christi resurrectionem idem Petri primatus innuitur, cum mulieribus ab Angelo Dominica Resurrectionis ad Apostolos denunciatio commissa & iis verbis Marc. 16.* Ite, dicite discipulis eius, & Petro &c. *communiter scilicet, & generaliter*, discipulis, & Petro *singulariter, tanquam Ecclesia futuro Capiti, ad quem spectat dogmata in Ecclesia tradere fidei, cuius est resurrectio Dominica complementum*: *nam* si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra, *aiebat 1. ad Cor. 15. Apostolus. Innuitur pariter & Io. 20. quando* Ioannes præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum, & vidit posita linteamina, non tamen introiuit. *At verò* Petrus introiuit in monumentum & vidit linteamina posita, & sudariũ, quod fuerat super caput eius. *Nimirùm quia* Ioannes E qui primo peruenit, non intrauit propter reuerentiam Petri, cui priorem ingressum seruabat. *Et vidit*, scilicet Petrus, *posita linteamina*; Ioannes vidit sola linteamina, quæ Petrus similiter vidit. Sed hic adhuc ulteriùs vidit sudarium, quod fuerat super caput eius, 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus*. Videre ergo sudarium, quod fuerat super caput Iesu, est habere fidem diuinitatis Christi: *quam solus Petrus, cen futurus Ecclesia Pastor, apertè confessus fuerat Mat. 16.* Tu es Christus Filius Dei viui: *cuius quippe erat veritatem fidei diffinire. Id quod signatur & in piscatione Apostolorum* Io. 21. *Vbi dicitur, quòd requirente Domino*: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc: ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus. *Quibus in verbis*, ostenditur F executio discipuli, scilicet Petri, qui feruentior erat. *Ascendit Petrus*, scilicet in gubernaculum Ecclesiæ: *& traxit rete in terram plenum magnis piscibus*: quia ipsi Sancta Ecclesia commissa est, & ipsi specialiter dicitur: *Pasce oues meas*. Quod ergo tunc Christus aperuit in voce, dicens: *Pasce oues meas*, hoc Petrus nunc præfigurat in opere: nam ipse pisces ad soliditatem litoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ Patriæ fidelibus ostendit. *Dicit autem ter*, Pasce: *hoc est*, doctrinæ G verbo, vitæ exẽplo, & temporali subsidio: *quod optimi Pastoris est. Item duabus primis vicibus dicit*: Pasce agnos meos; *idest* fideles H meos, à me Agno agnos vocatos, Io. 1. *Ecce Agnus Dei*: vt sic non possit dici Christianus, qui dicit, se non esse sub cura illius Pastoris, scilicet Petri, *Ezech. 37.* Pastor unus erit omnium eorum. *Tertia autem vice*: Pasce *inquit* oues meas; *videlicet* quia in Ecclesia sunt tria genera hominum, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Et primi quidem duo sunt agni, quasi adhuc imperfecti: alij autem, sicut perfecti, dicuntur oues, Ps. 113 *Montes*, scilicet perfecti, *exultauerunt ut arietes*; *& colles*, idest alij, *sicut agni ouium*. Congruè autem officium hoc, omnibus intermissis, Petro commisit, qui secundùm *Chrysostomum* eximius Apostolorum erat, & os discipulorum, & vertex Collegij. *Dicitur autem ei post hac à Domino*: Sequere me, *videlicet ex eodem Chrysostomo* in prælationis I officio. Quasi dicat: sicut habeo à Deo Patre curam Ecclesiæ, Ps. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes*: ita tu loco mei sis super totam Ecclesiã. Sed quare post Christum Iacobus habuit primatum Ierusalem post ascensionem Christi? Ad quod dicendum, quòd habuit quidem specialam loci illius: Petrus autem universale dominium totius Ecclesiæ fidelium. *Cuius occasione illud obiter aduertimus, non ex ea cathedra tolli Romana primatum (vt quidam contendunt) quòd Petrus Antiochia primùm sederit: eadem enim ratione posset & Ierosolyma huiusmodi iactare primatum, quòd in Iudæa per quinquennium moratus est, primoque Ierosolymæ præfuit, tanquam Ecclesia Caput, Apostolorum concilio: & anno dumtaxat à Christi morte sexto Antiochiam venit, vbi sedem per septennium, tenuit quidem, non fixit: expectabat namque sibi reuelari à Domino, ubi eam perpetuò stabiliret.* Si enim Moysi (*inquit Magister Cano*) locus ille reuelatus est, quem Dominus elegerat, vt inde à Iudæis diuina oracula peterẽtur: quantò magis credẽdus est Christus Petro manifestasse, quisnam esset locus ille, vbi constituerat Regni sui & principatum, & sedem collocare? Atque, si vt transferretur Ecclesia Ierosolymitana in Ciuitatem Pellam, voce Domini (*ex Eusebio, & Epiphanio*) sunt Apostoli

Primatus iterum Petri confirmatur magis.

B 4. d. 24. 3. 3. q. 3. ad 1. & 2. 2. 1. 10. c. & q. 2. 6. ad 3. & 4. con. G. c. 76. & Op. 6. §. 12. Op. 20. l. 3 c. 10

C 4. con. G. c. 76.

D Gen. 49. in Allegor.

E Io. 20. l. 1. lit. d.

F Io. 21. l. 2. lit. c.

Cur dictum sit Petro ter, *Pasce*: Et bis *agnos*, tertia vice *oues*.

G Ibid. l. 3. lit. d.

H Ibid. lit. c. & d.

I Ibid. lect. 5. lit. a.

Romanæ Ecclesiæ primatus.

stoli admoniti: multò magis credemus, vt è Ciuitate Antiochena Romam emigraret Petrus, Cathedramque inde transferret, Dominicis oraculis fuisse commonitum. *Et iustè quidem* Roma, *Mundi tunc caput, electa est: vt vbi temporale totius Orbis dominium potissimè agnoscebatur, ibi spiritualis potestatis authoritas principaliùs effulgeret. Quod ait* Leo Papa (*Serm. 1. de SS. Apostolis Petro & Paulo:*) Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatur Imperij: vt lux veritatis, quæ in omnium Gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso Capite per totum Mundi corpus effunderet. *Videatur de hac materia præfatus* Magister Cano *de loc. Theolog.* lib. 6. à c. 4 præsertim 8. ad 10. arg.

Romanæ Ecclesiæ primatus.

Contra Petri primatum obiectiones diluuntur.

a *Neque oppositum suadet, quòd hanc Petrus non exercuisse videtur primariam in Apostolos potestatem, immò æquali potiùs videntur in Ecclesia fundanda authoritate fulsisse. Vnde &* Gregorius *in Præfatione Apostolorum*: Quos *inquit* operis tui Vicarios eidem (*scilicet Ecclesiæ*) contulisti præesse Pastores. *Et Ps. 44.* Constitues eos Principes super omnem terram: *consequenter (dicet quispiam) & Episcopi, qui Apostolorum loco succedunt. Non valet, inquam: hoc enim Petro primatum non tollit, verique rationem capitis. Apostolis quippe nunquam facta est specialis totius gregis commissio à Domino, quemadmodum Petro*: Pasce oues meas, *vt ex præmissis liquet. Verumtamen ad fundandam tunc per vniuersum Orbem Ecclesiam personali priuilegio à Christo donati sunt. Petri verò priuilegium, & successorum eius, quia supra totum Christi ouile, nedum personale fuit, sed & reale. Et quidem Apostoli ex speciali priuilegio, tanquam Christi Legati considerantur, 2. Cor.* 5. Pro Christo legatione fungimur; *idest*, sumus L Legati Christi, *& ad hoc munus perfectè obeundum erant Rom.* 8. primitias Spiritus habentes: *Non ita Episcopi successores. Ex quibus, si quis Apostolum se existimat, eorum se authoritatis faciat heredem.* Non est autem Legatorum (*benè aduertit Thomas Illyricus*) vendicare sibi successores: sed finitur legatio cum Legato, nisi à Domino alius mittatur. *Hinc est, quòd Ierosolymæ Concilium & Petrus coegit, vt diximus, & in eo Caput præsedit; & vt huiusmodi, primus & primò locutus est, vt habetur Act.* 15. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. *Vbi notandum, quòd dicit*, per os meum, *non nostrum, aut vestrum: quia nimirùm Capitis est Ecclesiæ, fidei dogmata tradere, & diffinire, vt superiùs præmissum est. Et licèt ibidem legatur, quòd postquàm ad Petri verba* tacuit omnis multitudo, *respondit Iacobus, dicens*: Viri fratres, audite me: Simon narrauit, quemadmodum &c. *& mox subiiciatur*: Tunc placuit Apostolis & senioribus, cum omni Ecclesia &c. *Quamuis inquam ita legatur; non ideò ex hoc tollitur eo in Concilio primatus Petri, in iis præcipuè, quæ fidei sunt. Controuertebatur enim ibi; an tunc, in Ecclesiæ scilicet primordiis, Mosaicæ legis obseruantia vim adhuc haberet, & obligationem induceret: quod erat dogma fidei. Et de hoc locutus est Petrus, & diffiniuit tanquam Ecclesiæ caput: eique assensis*, & tacuit omnis multitudo. *Quod autem Iacobus monuit, fuit quoddam morale prudentiale, & prouisionale, non dogmaticum; quo*

L 2. Cor. 5. l. 5. ibi.

scilicet pacto tunc temporis prouideretur, ne Iudæi separarentur à Gentilibus, nuper ad ad fidem conuersis, cum adhuc non esset per totum Mundum Euangelica lex promulgata. Et hoc placuit Apostolis &c. *vt cit.* Act. 15. *caput legenti constabit. Nec placet hac in re, quod ait* Vincentius Bellouac, in suo Spec. Histor. lib. 8. c. 11. *quòd scilicet Iacobus, tanquam Episcopus Ierosolymæ (vbi coactum erat Concilium) quæstionem diffinierit, nondum Petro in Cathedra Pontificali constituto, cum ipse paulò post, Romam (unde Claudii edicto discesserat) Claudio mortuo redierit. Quamuis enim Ierosolymis coactum, Concilium erat Ecclesiæ Œcumenicum & generale (non Prouinciale) cui præsidebat Petrus. Pontifex autem summus, qualis erat Petrus, iam à Christo Domino toti Ecclesiæ præfectus, vbilibet primaria gaudere debet authoritate super cæteros. Vnde & præmiserat*: Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. *Ex quo à* Damasceno *de Dormit. Deip. non sine causa vocatur Petrus*, superna & antiquissima Theologorum summitas: *& à* Dionysio, *in Ep. ad Tim.* Theologorum Columen, *& cap. 3. de diu. Nom.* prouectissima Theologorum summitas: *idest* summum M Caput omnium Apostolorum, *quos pluries ibi Dionysius theologos vocat: idcircò verba illa Domini ad Petrum expiscantem Luc.* 5. Duc in altum, *exponit Ambrosius*: hoc est, in profundum disputationum. In hoc altum disputationum Ecclesia à Petro ducitur, *Docemur proinde, quòd* determinare ea N quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur, pertinet ad authoritatem summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in *Decret. dist.* 43. Vnde & Dominus *Luc.* 22. dixit Petro, quem summum Pontificem constituit: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et huius ratio est: quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. Cor. 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta, determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. *Et quamuis Petrus & Paulus Principes dicantur Apostolorum, secundùm illud Ps.* 44. Constitues eos Principes super omnem terram: *vbi docemur, quòd eiusmodi Principatus* specialiter O conuenit Petro & Paulo: nam Petrus obtinuit Principatum vniuersalem Ecclesiæ; Paulus super totum Mundum, quantùm ad Gentiles. *Vnde & in Ecclesia mystico Cœlo Soli & Lunæ comparantur* P. *Quamuis inquam Principes Apostolorum dicantur: non tamen (vt aiunt) in paritate loci, si ad authoritatem respectu vniuersalis Ecclesiæ spectandum sit. Sic enim primatus, vt iam iam tactum est, soli debetur, & datus est Petro: Paulo autem, vt præcipue Gentilium Apostolo, attribuitur Principatus; vnde &* Doctor Gentium *dictus est. Nec valet in oppositum, quòd illud ad Gal.* 2. Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, *exponatur*: idest Q non in occulto, sed publicè, & vt par ei: *quomodo & glossa exponit.* Dicendum *enim* est R quòd Apostolus fuit par Petro in executione authoritatis, non in authoritate regiminis. *De quo vide fusiùs ibidem. Sed nec huiusmodi primatui aduersatur, quòd in priscis Pontificiis diplomatibus Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram locarentur.*

Petri Encomia, eiusque primatus ex Io: Damasceno, & Dion. Areopagita.

M De Diu. Nom. c. 3. lect. 1.

N 2. 2. 1. 10. c.

Petrus & Paulus, quo sensu Principes dicantur Apostolorum.

O Ps. 44. lit. K. ibi.

P Serm. in fe. Ap. Pet. & Pau.

Q Ad Gal. 2. l. 3. ibi.

R Ibid. ibi.

Et Paulus Petro par.

Cur Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram olim in bullis Pontificijs locarentur.

Quia *enim* præsens R vita significatur per sinistram, futura verò per dexteram, in quantum ista est cælestis, & spiritualis; illa verò temporalis: ideò Petrus, qui vocatus fuit à Christo, adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte: Paulus verò, qui vocatus fuit à Christo iam glorificato, ponitur in parte dextera. *Ad hac S. Petrus Damianus Opusc.* 35. c. 1. Paulum *inquit* de Tribu Beniamin extitisse, quis ambigat? Beniamin autem hebraicè, latinè *filius dextera* nuncupatur: quid ergo mirum, si ad dexteram constituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno iure sortitur? *Et inferius*: Non immeritò *filius dextera* Paulus vocatur, per quem omnis Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad fidei sacramenta colligitur.

Primatus iterùm Petri signatur.

R Ad Gal. 1. l. 1. ibi, per hominem.

Modò tamen oppositum sit, ad primatum nempe Petri in Ecclesia manifestandum. Illud tandem, ad hanc exprimendam Petri autheritatem, & primatum, singulariter observandum, quòd cum Andreas Apostolus, & maior natu, & vocatione prior esset, quàm Petrus germanus illius frater (quem immò Andreas adduxit ad Iesum, *vt dicitur Io. 1.) hunc nihilominus Andrea Matthaus in vocatione præmittit, cap. 4. ubi dicitur: quòd* ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres: Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream Fratrem eius; & ait illis: Venite post me. *Et clariùs* cap. 10. *duodecim discipulorum nomina recensens*: Primus *inquit* Simon, qui dicitur Petrus. (*Quasi dicat*: Primus, *quia Petrus, cui Ecclesia commissa vniversalis cura est*:) & Andreas frater eius &c. *Vbi ait Author*: Sciendum S, quòd Matthæus non seruat ordinem dignitatis: tamen Petrus semper ponitur primus. *Non alia profectò de causa, nisi ad Petri primatum singulariter innuendum. Et ad hoc idem significandum voluisse videtur ipsemet Christus Petrum pra cateris honorare, cum legitur* Mat. 8. *venisse in domum Petri, vbi & socrum eius febrientem curauit. Siquidem* noluit T ire ad domum Centurionis: iuit tamen ad domum pauperis piscatoris. Et in hoc ostenditur reuerentia, quam habuit Dominus ad Petrum, quia se obtulit, licèt Petrus non rogaret, *Ps.* 138. Nimis honorificati sunt amici tui, Deus. *Necutique sine mysterio: Domus quippe Petri, Ecclesia Dei est, in qua perpetuè Christus inhabitat, Mat.* 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

S Mat. 10. lit. a. ibi.

T Mat. 8. lit. c. ibi.

Petri Sanctitas, Sapientia, Dignitas, in verbis Domini expressæ.

b *Ex his omnibus tria in Apostolo Petro veniunt commendanda: scilicet Sanctitas, sapientia, & dignitas. Et hac tria in verbis Domini ad illum* Mat. 16. *mirabiliter notantur*. Sanctitas V cum ait: *Beatus es Simon Bar-iona, quia non reuelauit tibi caro, & sanguis*, quæ polluunt. quod est contrarium sanctitati. Sapientia, cum subdit: *Sed Pater meus, qui in Calis est*, supple, reuelauit tibi; vnde inferiùs dixit ei: *Tu es Petrus*, idest *cognoscens*. Dignitas, cum ait: *Et tibi dabo claues Regni Calorum*. Sanctitas *porrò* Petri, & Sapientia, *nec non in testimonium sanctitatis ea patrata prodigia, vt vel vmbra illius obumbraret infirmos, & sanarentur, magis Apostolorum Acta Spiritus sancti calamo descripta excurrenti innotescere possunt, quàm à nobis imperfectè recenseantur aut commendentur*. Dignitas *autem satis in superioribus ostensa est. Quòd si quaras, vbi specialiter Dei verbum disseminauerit pradicando? Dicendum, quòd* in Ecclesiastica X historia habetur, quòd Petrus primò prædicauit Romanis: sed intelligendum est, quòd primus inter Apostolos, & cum sequela magni fructus. Ante verò prædicauerat Romæ Barnabas; vt habetur in itinerario Clementis. *Et alibi expressè*: Petrus Y Apostolus, primus inter Apostolos, Romanis fidem prædicauit: *nec aliis locis exclusis*. Prædicauit enim Z & in Italia & in Cappadocia. *Alibi quoque*: Petrus A & Paulus in Occidente prædicauerunt.

V Serm. in fe. Cath.

X Prol. ad Rom. fi.

Vbi, & quibus prædicauerit.

Y Rom. 15. 3. ibi, videbo vos.

Z Apoc. 12. Com. 2. ibi, stellarum.

A Rom 10. l. 3. ibi, in omnem terram.

An à Christo magis, quàm Ioannes, dilectus.

Num verò, quòd adeò insigniter à Christo priuilegiatus, magis ab eo fuerit Petrus dilectus, quàm Ioannes, quem specialiter traditur dilexisse Dominus, & sinu sue in Cœna recumbentem excepisse? Dicendum, quòd hæc B dubitatio de Petro & Ioanne multipliciter soluitur. *Augustinus* namq; refert hoc ad mysterium, dicens, quòd vita actiua, quæ significatur per Petrum, plùs diligit Deum, quàm vita contemplatiua, quæ significatur per Ioannem: quia magis sentit præsentis vitæ angustias, & æstuantius ab eis liberari desiderat, & ad Deum ire. Contemplatiuam verò vitam Deus plus diligit, quia magis eam conseruat: non enim finitur simul cum vita corporis, sicut vita actiua. Quidam verò dicunt, quòd Petrus plùs dilexit Christum in membris; & sic etiam à Christo fuit plùs dilectus: vnde ei Ecclesiam commendauit. Ioannes verò plùs dilexit Christum in se ipso; & sic etiam plùs ab eo fuit dilectus: unde ei commendauit Matrem. Alij verò dicunt, quòd incertum est, quis horum plùs Christum dilexerit amore charitatis: Et similiter, quem Deus plùs dilexerit in ordine ad maiorem gloriam vitæ eternæ. Sed Petrus dicitur plùs dilexisse quantùm ad quandam promptitudinem, vel feruorem: Ioannes verò plùs dilectus quantùm ad quædam familiaritatis indicia, quæ Christus ei magis demonstrabat, propter eius iuuentutem, & puritatem. Alij verò dicunt, quòd Christus plùs dilexit Petrum, quantùm ad excellentius donum charitatis: Ioannem verò plùs, quantùm ad donum intellectus. Vnde simpliciter Petrus fuit melior, & magis dilectus; sed Ioannes secundùm quid.

B 1. p. 20. 4. ad 3. in 3. d. 31. 2. 3. q. 3.

Præsumptuosum id diffinire.

Præsumptuosum tamen videtur hoc dilucidare: quia, vt dicitur Prou. 16. *Spirituum ponderator est Dominus*: & non alius. *Quicquid autem de hac sit veritate: certum tamen est, quòd vtrique discipulo specialis signa dilectionis Christus ostendit. Nam in suscitatione puella Archisynagogi filia* tres C ex discipulis suis, Petrum scilicet, Iacobum, & Ioannem secum voluit habere. *In sua pariter gloriosa Transfiguratione* plùs D illos, quàm alios, assumpsit. Quia Petrus magis feruidus erat: Ioannes specialiter dilectus: & quia Iacobus præcipuus debellator erat aduersariorum fidei. *Item ad orationem in horto Gethsemani*, istos E præ alijs assumpsit: quia isti firmiores erant. Et quia omnes scandalizabat infirmitas; ideò magis istis infirmitatem suam voluit monstrare, quàm alijs. Item ostenderat eis gloriam; ideò volebat, quòd sicut viderant gloriam, ita viderent infirmitatem: vt cognoscerent, quòd nec infirmitas gloriam, nec gloria absorberet infirmitatem. *Quam quidem monstrauit, vbi dixit eis*: Tristis est anima mea vique ad mortem.

Vtrique Christus discipulo speciali signa dilectionis ostendit.

C Io. 11. l. 4. lit. d.

D Mat. 17. lit. a.

E Mat. 26. lit. e.

Hi duo ex hoc se mutuò etiam singulariter diligebant.

Ex quo autem Petrus, & Ioannes specialiter diligebantur à Christo, mutuò pariter se pra cateris diligebant. Docemur enim, quòd Petrus F super omnes alios condiscipulos diligebat Ioannem: & semper leguntur esse simul & in Euangelio, & Act. cap. 3. (*siue in sequela Domini ad passionem, siue ad eiusdem monumentum post illius mortem inuisendum, siue post resurrectionem in piscatione, siue post acceptum Spiritum Sanctum*) & ideò volebat eum habere socium in officio prædicationis per Orbem. Vnde

F Io. 21. l. 5. lit. c.

ad

ad Dominum dixit Io. 21. *Domine, hic autem quid?* Supple, faciet? Veniet mecum? *Et hoc est quod ibidem præmittitur*: Cum dixisset Dominus Petro: *sequere me*; conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem; qui & recubuit in Cœna super pectus eius & dixit: *Domine, quis est, qui tradet te?* Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: *Domine, hic autem quid? Vbi*, ex Chrysostomo *considerat Author*, causam G quare Ioannes commemorat huiusmodi beneficia sua, esse ad commendationem Petri. Posset enim credi, quòd Petrus propter hoc, quòd Christum negauerat, non fuisset admissus ad pristinam familiaritatem. Et ideò, vt hoc excludat, ostendit, quòd ad maiorem admissus est. Qui enim in Cœna non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit: post passionem fratrum Præpositura ei committitur; & non solùm pro se interrogat, sed pro Ioanne. *Quod satis indicat Petri super cæteros executionem.*

G Ibid. lit. b. f.

c *Sed & ad Petri commendationem facit, quòd Dominus gloriosam pro nomine suo ei mortem prænunciat, cum eodem Ioannis cap. 21. ait*: Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. *Cum esses iunior, cingebas te*: idest H ab aliquibus illicitis, & superfluis cohibebas te, quasi tuo arbitrio non passus, quòd ab aliquo cohibereris: & etiam inde est, quòd in processu bonorum operum semper vis esse pro me in periculis. Non tamen datum est tibi, quòd iuuenis pro me patiaris. *Cum autem senueris*, implebo tuum desiderium; vt quæ non es passus iuuenis, patiaris senex. Quia *extendes manus tuas &c.* vbi totum tempus, & passionem exponit. Nam post tempus, quo ista sunt dicta, vsque ad tempus mortis Petri, fluxerunt ferè 37. anni. Vnde patet, quòd satis senex erat. Item exponit passionis modum. *Extendes manus tuas, & alius te cinget*. Nam Petrus crucifixus (*& inuerso quidem ex humilitate capite*) fuit: non tamen cum clauis, sed cum funibus, vt diutiùs viueret. Et hoc Christus vocat cincturam. Sunt autem tria in passione Sanctorum consideranda. Primò motus naturalis affectionis: nam inter animam, & corpus est adeò naturalis amor, quod nunquam vellet anima à corpore separari: nec è conuerso, 2. Cor. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri*. Et ideò dicit: *& ducet quò tu non vis*, scilicet naturæ instinctu, qui sic est naturalis, vt nec ipsa senectus potuerit eum Petro auferre. Sed desiderium gratiæ hoc minuit, Phil. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Secundò diuersitas intentionis persecutorum ab intentione Sanctorum. Tertiò quòd debemus prompti esse ad patiendum, non tamen occidere nos; unde dicit: *extendes manus tuas*. Et hoc patet de Petro, quia cum populus vellet suscitare seditionem contra Neronem, & Petrum eruere, ipse repressit, 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Sed notandum, quòd hoc, quod dicit, *ducet*, debet præcedere hoc, quod dicit, *alius te cinget*. Quasi dicat, *te cinget*, quia *ducet te quò non vis*. Et ne credatur hoc quasi vanè dictum, scriptum est post mortem Petri. Nam Petrus occisus fuit tempore Neronis: sed Ioannes hoc Euangelium scripsit, postquam reuocatus est ab exilio, ad quod relegatus fuerat tempore Domitiani, inter quem, & Neronem fuerunt plures alij Imperatores. Et ideò exponit hoc, quasi adhuc futurum, dicens: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum*: mors enim Sanctorum via est ad gloriam Christi. *Vnde & idem Petrus in sua 1. cap. 4.* Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur &c. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

Eius martyrium à Christo prædictum Io. 21.

H Ibid. l. 4. lit. a. & b.

Crucifixus, sed inuerso capite ex humilitate fuit: non tamen clauis, vt diutiùs in tormento viueret.

Tria in passione Sanctorum consideranda.

d *Ex præfatis tempus habetur, quo Petrus martyrium subiit, & eodem quidem die, quo Paulus Romæ, Nerone ne imperante. At hic ab ascensu Christi in Cælum vsque ad mortem Apostoli anni enumerantur 37. (In quo conuenire videtur & Eusebij chronicon, apud quem habetur, quòd Petrus anno Domini 38. Antiochenam Ecclesiam fundauit, ibique annis 7. sedit. Exinde Romam transiens, sedit ibi ab anno Domini 45. vsque ad annum 70. vbi sub impio Nerone martyrio coronatus est.) Verùm, errore fortè typographi ponuntur hic ab Authore anni 37. pro 39. ut aduertit* Magister Bergomensis *Dub. 1029. Scribit enim differenter alibi Author, exponens illud Pauli ad Gal. 2.* Deinde post annos 14. iterum ascendi Ierosolymam &c. *Post annos 14.* videlicet I anno 14. suæ conuersionis *iterùm ascendi &c.* Nec sunt addendi supra istos 14. anni septem, quibus Petrus rexit Ecclesiam Antiochenam, quia ante istos annos incepit regere: & cum Antiochia sit prope Ierusalem, potuit esse vt aliquando Petrus iuisset in Ierusalem; & tunc Paulus inuenerit eum ibi. Et sic colligitur ex historia, quòd post annos 14. Petrus venit Romam tempore Claudij Imperatoris, & existens ibi 25. annis, compleuit numerum 39. annorum, & mortuus est 40. anno post passionem Domini. *Sic autem cucurrisset annus Christi 73. non 70. ut dicebatur. Cæterùm non tam facilè chronologias absque errore contexìmus: ex quo utrique opinioni potest subesse falsum; tum ex varia annorum computatione, tum quia Antiochenæ septimus, Romanæ verò sedis annus 25. potuit esse solummodo inceptus. Vnde & apud* Bussieres *anno Christi 67. traditur Petrus crucifixus, & 24. annos, mens. 5. Romæ sedisse. Porrò fuit Apostolus Petrus* ex Nicephoro *procera potiùs statura, macilentus, colore subpallidus, capillo crispus, oculis nigricantibus & subsanguineis, oblongo naso, & aliquantùm simo, graui aspectu & modesto.* DISCE *in Romano Pontifice Christi simul & Petri venerari potestatem.*

Vide Apostoli, Correptio fraterna, Christi Passio, *Tom. 1.* Io. Apostolus *Tomo 2.* Papa.

Vbi & quanto tempore sederit Petrus, & quando mortuus. Eusebius.

P. Bergomensis.

I Ad Gal. 2. l. 1. ibi.

Bussieres.

Nicephorus

Petri corporalis structura, & aliæ qualitates.



PIE-

POENITENTIA.

XVI. Cum omne malum, necessarium sit, puniri vel ab homine vel à Deo, si hoc non punit: meliùs est, quòd homo malum in se puniat, quod fecit, quàm quòd Deus. 2. *Cor.* 7. *l.* 3. *ibi*, sed vindictam.

Pœnitentiæ Sacramenti figuræ in lege veteri.

L 1. 2. 102. 5. *ad* 5. *initio & ad* 4. *&* 6. *initio &* a. 6. *ad* 1.

c POEnitentia Sacramenti in lege noua quadam præcesserunt in vet. lege figura. Duplex *enim* erat L immunditia in lege. Vna quidem per aliquam corruptionem mentis, vel corporis: & hæc etiam immunditia maior erat. Alia verò erat immunditia ex solo contactu rei immundæ: & hæc minor erat, & faciliori ritu expiabatur. Nam immunditia prima expiabatur per sacrificia pro peccato: quia omnis corruptio ex peccato procedit, & peccatum significat. Sed secunda immunditia expiabatur per solam aspersionem aquæ cuiusdam; de qua quidem aqua expiationis habetur *Num.* 19. *Non secus ac modò in noua lege per pœnitentia, Sacramentum principaliter tollitur peccatũ actuale mortale; per aspersionem verò lustralis aquæ, & alia huiusmodi (eo tamen modo, quo in superioribus dictum est) venialiter deletur culpa: quamuis & hæc per idem pœnitentia Sacramentum, & alia, multò magis tollatur. Vnde & docemur, quòd* per diuersos M ritus expiationum figurabatur pœnitentia. *Et alibi*: Omnibus N purificationibus veteris legis respondet in noua lege pœnitentiæ Sacramentum. *Verùm pœnitentia & vt virtus consideratur & vt Sacramentum, tametsi ad idem ordinetur vtrumque.* Est *autem* pœnitentia *ex Ambrosio (vt refert Magister in* 4. *Sent. D.* 14.*)* mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. *Cui concordat diffinitio Gregorii*: Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere. *Augustinus verò*: Pœnitentia *inquit* est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. *Et infra*. Quotidie dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dilectionis virtus. Pœnitere enim est, *pœnam tenere*, vt semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse dolet. Pœnitentia ergo est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. *In qua quidem diffinitione* magis O exprimit proximum genus ipsius, quia ponit ipsam non solùm in genere virtutis, sed in genere iustitiæ in eo, quòd dicit eam *vindictam*: & differentias etiam magis proximas ad proprium speciem, ponit in hoc, quòd addit rationem punitionis ad dolorem. Et in idem redit diffinitio alia Ambrosij, quòd *Pœnitentia est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit*: nisi quod non ponit vnum eorum, quæ continent prædictæ diffinitiones, scilicet detestationem peccati commissi. *Ex quibus completam formans pœnitentia diffinitionem Magister*: Pœnitentia *inquit* est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus. *In qua quidem* tria P ponit: scilicet genus in hoc, quod dicit, quòd est *virtus*: dolorem de præteritis in hoc, quod dicit, *qua commissa mala plangimus*: & propositum de futura emendatione in hoc quod dicit, *cum emendationis proposito*. Alia verò, quæ dicuntur, ad idem pertinent. *Cæterùm* dolor Q vel tristitia dupliciter dicitur. Vno modo secundùm quod est passio quædam appetitus sensitiui; & quantùm ad hoc, pœnitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundùm quod consistit in voluntate; & hoc modo est cum quadam electione: quæ quidem si sit recta, necesse est, quòd sit actus virtutis; dicitur enim *in* 2. *Ethic.* quòd virtus est habitus electiuus secundùm rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est. Quod quidem obseruatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remouendi ea. Vnde manifestum est, quòd pœnitentia vel est virtus, vel actus virtutis. *Et virtus quidem specialis. Nam* vbi K occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitũ virtutis. Manifestum est autem, quòd in pœnitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantùm est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis; vnde necesse est ponere, quòd pœnitentia est specialis virtus. *Quia verò* dupliciter S homo Deo debitor efficitur: vno modo scilicet, ratione beneficij accepti, alio modo ratione peccati commissi: ideò sicut gratiarum actio, vel latria, vel si quid est huiusmodi, respicit debitum accepti beneficij: ita satisfactio respicit debitum peccati commissi. *Proinde* pœnitentia T non habet, quòd sit virtus specialis ex hoc solo, quòd dolet de malo perpetrato: (ad hoc enim sufficeret charitas:) sed ex eo, quòd pœnitens dolet de peccato commisso, in quantùm est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ; sed exigitur vlteriùs quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis, in alterum commissis, sicut & retributio: nisi quòd recompensatio est ex parte eius, qui offendit, vtpote cum satisfactione; retributio autem est ex parte eius, in quem est offensa commissa. Vtrumque autem ad materiam iustitiæ pertinet, quia vtrumque est commutatio quædam, Vnde manifestum est, quòd pœnitentia secundùm quod est virtus, est pars iustitiæ. Sciendum tamen est, quòd secundùm Philosophum *in* 5. *Ethic.* dupliciter dicitur iustum, scilicet simpliciter, & secundùm quid. Simpliciter quidem iustùm est inter æquales; eo quòd iustitia est æqualitas quædam: quod ipse vocat iustum politicum, vel ciuile, eo quòd omnes ciues æquales sunt, quantùm ad hoc, quòd immediatè sunt sub Principe, sicut liberi existentes. Iustum autem secundùm quid dicitur, quod est inter illos, quorum unus est sub

Margin notes:

M 4. *d.* 2. 1. 2. *ad* 5.

N 1. 2. 102. 5. *ad* 3.

Quid pœnitentia ex Patribus.

Pœnitentiæ Etymon.

O 4. *d.* 14. 1. 1. *q.* 6. *ad* 6. *&* 3. *p.* 85. 3.

Eius diffinitio ex Magistro.

P In 4. *l. c. fi. corp. & exp. tex.*

Dolor & tristitia dupliciter dicitur.

Q 3. *p.* 85. 1. *c. in* 4. *d.* 14. 1. 1. *q.* 2.

Pœnitentia virtus, & specialis.

R 3. *p.* 85. 2. *c. in* 4. *l. c. a.* 1. *q.* 3. *&* 4.

Dupliciter homo Deo efficitur debitor.

S 4. *d.* 15. 1. 2. *initio c.*

T 3. *p.* 85. 3. *c. in* 4. *d.* 14. 1. 1. *q.* 4. *ad* 4. *& q.* 5. *c. & d.* 15. *l. c.*

Pœnitentia virtus pars est iustitiæ, nec tamen est iustum simpliciter inter pœnitentem, & Deum, sed secundùm quid, in recompensatione offensæ.

ſub poteſtate alterius: ſicut ſeruus ſub domino, filius ſub patre, vxor ſub viro. Et tale iuſtum conſideratur in pęnitentia. Vnde pęnitens recurrit ad Deum, cum emendationis propoſito, ſicut ſeruus ad Dominum, ſecundùm illud Pſ. 122. *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*: & ſicut filius ad Patrem, ſecundùm illud Luc. 15. *Pater, peccaui in Cœlum & coram te*: & ſicut uxor ad virum, ſecundùm illud Ier. 3. *Fornicata es cùm amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus; & ego ſuſcipiam te*.

f. *Porrò tres diſtinguuntur pœnitentiæ virtutis ſpecies*. Pertinent *enim* ad pęnitentiam V vt deteſtetur peccata præterita, cum propoſito immutandi vitam in melius, quod eſt quaſi pęnitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt ſpeciem ſecundùm finem, conueniens eſt, quòd diuerſæ ſpecies pęnitentię accipiantur ſecundùm diuerſas immutationes, quas pęnitens intendit. Eſt autem triplex immutatio à pęnitente intenta. *Prima* quidem per generationem in nouam vitam; & hæc pertinet ad pęnitentiam ante baptiſmum. *Secunda* autem immutatio eſt per reformationem vitæ præteritæ, iam corruptæ; & hæc pertinet ad pęnitentiam mortalium poſt baptiſmum. *Tertia* autem immutatio eſt in perfectiorem operationem vitæ; & hæc pertinet ad pęnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem feruentem actum charitatis.

V 3. p. 90. 4. c. in 4. d. 16. 1. 2. q. 4. c. Mat. 3. lit. a. ibi, pœnitentiam.

Pœnitentia virtus diuiditur in pœnitentiam ante baptiſmum, pœnitentiam mortalium, & pœnitentiam venialium.

Hinc docemur, quòd duplex eſt X pęnitentia: interior ſcilicet, & exterior. Interior quidem conſiſtit in contritione cordis, qua quis dolet de peccatis præteritis; & talis pęnitentia requiritur à baptizato. Exterior verò pęnitentia conſiſtit in exteriori ſatisfactione, quæ à baptizato non requiritur, quia per gratiam baptiſmalem liberatur homo non ſolùm à culpa, ſed etiam à tota pęna, per virtutem paſſionis Chriſti, qui pro peccatis omnium ſatisfecit. *Sanè* pęnitentia Y interior debet durare uſque ad finem vitæ. Semper enim debet homini diſplicere, quòd peccauit: ſi enim ei placeret peccaſſe, iam ex hoc ipſo peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Diſplicentia autem dolorem cauſat in eo, qui eſt ſuſceptiuus doloris, qualis eſt homo in hac vita. Poſt hanc vitam autem Sancti non ſunt ſuſceptiui doloris: vnde diſplicebunt eis peccata præterita ſine omni triſtitia, ſecundùm illud Iſ. 65. *Obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores*. Pęnitentia verò exterior, qua quis exteriora ſigna doloris oſtendit, & verbotenus peccata ſua confitetur Sacerdoti abſoluenti, & iuxta eius arbitrium ſatisfacit, non oportet, quòd duret vſque ad finem vitæ, ſed vſque ad determinatum tempus, ſecundùm menſuram peccati.

X Rom. 11. l. 4. ibi, ſine pœnitentia.

Pœnitentia duplex, interior, & exterior.

Pœnitentia interior debet durare vſque ad finem vitæ: non ita exterior.

Y 3. p. 84. 8. c. & a. 9. ad 1. in 4. d. 17. 2. 4. q. 1. c.

Ex quo conſideratur pœnitentia, & ut virtus eſt, & vt Sacramentum. Non *autem* ſecundùm idem Z pęnitentia eſt virtus, & Sacramentum; ſed in quantùm per pęnitentiam recipit gratiam curantem peccati vulnus, pęnitentia poteſt eſſe Sacramentum: in quantùm autem per habitum infuſum ordinatur ad actum rectum, ſic eſt virtus.

Z 4. d. 14. 1. 1. q. 2. ad 1. & in initio c. & d. 16. 1. 2. q. 1. c.

g *Et quidem verum eſt Pœnitentia Sacramentum*. *Etenim* Sacramentum A eſt *ſecundùm Gregorium* in aliqua celebratione, cum res geſta ita fit, vt aliquid ſignificatiuè accipiamus, quod ſanctè accipiendum eſt. Manifeſtum eſt autem, quòd in pęnitentia ita res geſta fit, quòd aliquid ſanctum ſignificatur, tam ex parte peccatoris pęnitentis, quàm ex parte Sacerdotis abſoluentis. Nam peccator pęnitens per ea, quæ facit & dicit, oſtendit, cor ſuum à peccato receſſiſſe; ſimiliter etiam Sacerdos per ea, quæ agit & dicit circa pęnitentem, ſignificat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifeſtum eſt, quòd pęnitentia, quæ in Eccleſia agitur, eſt Sacramentum.

A 3. p. 84. 1. c. in 4. d. 14. 1. 1. q. 1. & d. 22. 2. 3.

Pœnitentia eſt & verum Sacramentũ.

Hoc autem, vt in noua lege eſt, non fuit ante Chriſti aduentum inſtitutum. Quando *enim* variatur B aliquid, quod eſt de eſſentia rei, non eſt eadem res numero. Vnde cùm determinatus modus, qui in Eccleſia à pęnitentibus obſeruatur, ſit de eſſentia huius Sacramenti, hoc Sacramentum non fuit antequam iſte modus pęnitendi eſſet. Et quia iſte modus non fuit ante Chriſti aduentum; ideò nec Sacramentum pęnitentiæ antea fuiſſe debet dici: quamuis eſſet aliquid ſimile & ante Chriſti aduentum, & aliquis modus pęnitentiam agendi. In lege enim Moyſi erat determinatus modus, ſed alius, quàm modò ſit. Sed tempore legis naturæ non erat aliquis modus determinatus, ſed quilibet ſecundùm quod ſibi veniebat in cor, modum pęnitendi ſibi determinabat: quia Sacramenta omnia illius temporis voto celebrabantur *ſecundùm Hugonem*. Et ſic pęnitentia eſt Sacramentum & veteris, & nouæ legis, & legis naturæ. Et in quantùm eſt Sacramentum nouæ legis, non fuit ante Chriſti aduentum inſtitutum. In quantùm fuit legis naturæ, non fuit determinatè inſtitutum: ſed admonitus fuit homo, vt ſibi determinaret aliquem pęnitendi modum. Quæ quidem admonitio eſſe non debuit ante culpam, poſtquam magis medicinæ neceſſitas cognoſcitur. Et ſic pęnitentia, etſi non in quantùm eſt Sacramentum nouæ legis, tamen aliquo modo fuit inſtituta ante Chriſti aduentum, ſed nullo modo ante peccatum.

Non tamen, vt in noua lege, ante Chriſti aduentum inſtitutum.

B 4. d. 22. 2. 3. q. 2. c.

Nam pęnitentia C eſt principaliter inſtituta contra actualem culpam: *Sicuti* baptiſmus D principaliter datur contra originale peccatum. *Et ita Sacramentum pœnitentiæ ex ſuppoſitione peccati, neceſſarium eſt*: niſi *enim* homo E peccaret actualiter, pęnitentiâ non indigeret: indigeret tamen Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchariſtia. Sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione niſi infirmaretur; indigeret autem per ſe ad vitam generatione, augmento, & nutrimento. Et ideò pęnitentia tenet ſecundum locum reſpectu ſtatus integritatis, qui confertur, & conſeruatur per Sacramenta prædicta. Vnde & metaphoricè *ſecundùm Hieronymum* dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. Nam primum remedium mare tranſeuntibus eſt, vt conſeruentur in Naui integra. Secundum autem remedium eſt poſt nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitæ eſt, quòd homo integritatem ſeruet. Secundum autem remedium eſt, ſi per peccatum integritatem perdiderit, quòd per pęnitentiam redeat.

C 4. d. 22. 1. 2. q. 1. ad 1. & 3. p. 65. 1. c.

D 3. p. 66. 9. ſi. c.

Eius inſtitutio principaliter contra actualem culpam.

E 3. p. 84. 6. c. & a. 5. & 88. 2. ad 3. & 4. con. G. c. 72. in 4. d. 2. 1. 3. ad 5. & d. 14. 1. 2. q. 4. c. & d. 16. 4. 1. q. 1. ad 1.

Ex cuius ſuppoſitione neceſſarium.

Secunda tabula poſt naufragium.

Cohærenter quoque ad præfata, alibi docemur, quòd ea F, quæ ſunt iuris naturalis, diuerſimodè determinationem accipiunt in veteri, & in noua lege, ſecundùm quod congruit imperfectioni vet. legis, & perfectioni nouæ. Vnde & pęnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantùm quidem ad dolorem, vt eſſet magis in corde, quàm in exterioribus ſignis, ſecundùm illud Ioel 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*: quantùm autem ad remedium doloris quærendum, vt aliquo modo miniſtris Dei peccata ſua confiterentur, ad minus in generali. Vnde Dominus dicit Leu. 5. *Anima ſi peccauerit*

F 3. p. 84. 7. ad 2. in 4. d. 22. 2. 3. q. 2. ad 3.

Quæ ſunt naturalis iuris, diuerſimodè determinationem habent in veteri, & in noua lege: pœnitentia ſpecialiter.

per

per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei. In hoc enim ipso, quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur. Et secundùm hoc dicitur Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nondum autem erat instituta potestas clauium, quæ à passione Christi deriuatur, & per consequens nondum erat institutum, quòd aliquis doleret de peccato, cum proposito subijciendi se per confessionem, & satisfactiònem clauibus Ecclesiæ, sub spe consequendæ veniæ, virtute passionis Christi. *Ex quo nec Ioannes, quòd ante Christum prædicauerit Mat. 3.* Pœnitentiam agite &c. *ideò dicendus est Sacramenti pœnitentiæ institutor: sed quia præparabat ad Christi baptismum, ad quem (vt vidimus) virtus requiritur pœnitentia, non Sacramentum. Vnde* pœnitentiæ G Sacramentum Dominus instituit *Mat. 4.* cum dixit: *Pœnitentiam agite &c.* non Ioannes, quamuis similiter prædicasset: quia Ioannes prædicauit vt præco Regis, Christus vt Rex, & Legifer noster, cuius erat sermo, *potestatem habens*, vt dicitur *Mat. 7.* Sed vbi leprosos (*qui peccatores figurant*) ad Sacerdotes misit *Luc. 17.* non instituit, sed præfigurauit Sacramentum pœnitentiæ. *Et alibi.* Ioannes H annunciat quandam nouam vitam: *Nullus enim* ex Augustino *qui suæ voluntatis arbiter constituitur, potest nouam vitam inchoare, nisi pœniteat veteris vitæ.* Et ideò primò monet ad pœnitentiam, *vt scilicet virtus est, non Sacramentum, Act. 2.* Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum &c. *Hinc & Apostolus* Iacobus I Sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit (*non Sacramentum instituit*) *cum cap. 5. ait*: Confitemini alterutrum peccata vestra. *Vbi exponitur, quòd* confessionem L quantùm ad illud, quod erat formale, Christus instituit, quando claues Petro dedit. Illud autem, quod erat materiale, instituendum insinuauit, quando dixit Luc. 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus*: Ecclesia verò postmodum instituit; sed B. Iacobus Ierosolymitanus Episcopus promulgauit. *Et alibi coharenter*: Pœnitentia M in diuersis locis est à Deo instituta quantùm ad diuersa. Quantùm enim ad vtilitatem, est instituta Mat. 3. vbi dicit: *Pœnitentiam agite*; vnde sequitur: *appropinquauit enim Regnum Cælorum.* Sed quantùm ad necessitatem, vbi dixit Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Quantùm verò ad potestatem Clauium. *Mat. 16.* vbi dixit Petro: *Quodcumque ligaueris* &c. & Io. 20. vbi dixit omnibus: *Quorum remiseritis peccata &c.* Sed postea Iacobus expressit aliquid de pœnitentiæ modo, Iac. 5. *ubi dixit*: Confitemini alterutrum &c. *Ex quibus huius Sacramenti conuenientia innotescit.* In hoc *enim* Sacramento N actus pœnitentis (*vt videbimus*) se habent vt materia, id autem, quod est ex parte Sacerdotis, qui operatur vt minister Christi, se habet vt formale, & completiuum Sacramenti. Materia verò etiam in alijs Sacramentis præexistit à natura, vt aqua, vel ab arte, vt panis. Sed quòd talis materia ad Sacramentum assumatur, Institutione indiget hoc determinante: sed forma Sacramenti & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus Sacramentorum. Sic ergo huius Sacramenti materia præexistit à natura (ex naturali enim ratione mouetur homo ad pœnitendum de malis, quæ fecit:) sed quòd hoc, vel illo modo homo pœnitentiam agat, est ex institutione diuina. Vnde & Dominus in principio prædicationis suæ indixit hominibus, vt non solùm pœniterent, sed etiam pœnitentiam agerent (*Pœnitentiam agite* Mat. 4.) significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc Sacramentum: sed id, quod pertinet ad officium ministrorum, determinauit *Mat. 16.* vbi dixit Petro: *Tibi dabo claues &c.* Efficaciam autem huius Sacramenti, & originem virtutis eius, manifestauit post resurrectionem *Luc. 24.* vbi dixit, quòd oportet *prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*, præmisso de passione & resurrectione: ex virtute enim nominis Iesu Christi patientis, & resurgentis, hoc Sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic patet, conuenienter hoc Sacramentum in noua lege institutum fuisse. *Porrò* vsus O huius Sacramenti ab eo instituti nullo modo sibi competebat, nec quantùm ad hoc, quòd ipse pœniteret, in quo peccatum non fuit; nec quantùm ad hoc, quòd hoc Sacramentum alijs præberet: quia ad ostendendam misericordiam & virtutem suam, effectum huius Sacramenti sine Sacramento præbebat. *Vnde & docemur, quòd* ad potestatem P excellentiæ, quam solus Christus habuit, pertinuit, quòd ipse effectum Sacramenti pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum, contulit mulieri adulteræ Io. 8. (*sicuti Magdalenæ, & alijs*) sine exterioris pœnitentiæ Sacramento, licèt non sine interiori pœnitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus. *Nihilominùs, quia* pœnitens Q laudabile exemplum dare potest, non ex eo, quòd peccauit, sed in hoc, quod voluntariè pęnam sustinet pro peccato: Christus dedit maximum exemplum pęnitentiæ pęnitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pęnam subire. *Quantò enim magis tenebitur peccator pro culpis suis pœnas pœnitendo sustinere, quando innocens Christus pro peccatis nostris passus est!*

h *Quoniam verò infirmantibus, toties quoties ægrotant, necessaria est medicina: cum homo pluries possit per peccatum spiritualiter infirmari, non secùs pœnitentia adhibendum est ei sanatiuum. Et ideò Sacramentum hoc iterari potest, & debet. Quapropter sciendùm, quòd* circa R pęnitentiam quidam errauerunt, dicentes non posse hominem per pęnitentiam secundò consequi veniam peccatorum. Quorum quidam, scilicet *Nouatiani*, hoc in tantum extenderunt, vt dicerent, post primam pęnitentiam, quæ agitur in baptismo, peccantem non posse per pęnitentiam iteratò restitui. Alij verò fuerunt hæretici, qui (ut *Augustinus* dicit in lib. de Pęnit.) post baptismum dicebant quidem esse utilem pęnitentiam: non tamen pluries, sed semel tantùm. Videntur autem huiusmodi errores ex duobus processisse. *Primò* quidem ex eo, quòd errabant circa rationem veræ pęnitentiæ. Cum enim ad veram pęnitentiam requiratur charitas (sine qua non delentur peccata) credebant, quòd charitas semel habita non possit amitti, & per consequens pęnitentia, si vera sit, nunquam per peccatum tollatur, vt sic sit necesse eam iterari. Sed hoc improbatum est in superioribus (*Tomo 1.*) ubi ostensum est, quòd charitas semel habita, propter libertatem arbitrij potest amitti, & per consequens post veram pęnitentiam

Sacramenti pœnitentiæ non Ioannes, nec Apostolus Iacobus, sed Christus institutor.

G 4.d.22.2.3.q.3.ad 2. & d 16.exp.tex. & d.17.3.1.q.5.

H Mat.3.lit. a. ibi, pœnitentiam *3.p.84.7.ad 3.*

I 4.d.17.3.3.q.1.ad 1.

Quonam loco, & tempore institutum

L Iac.5.§.9. ibi.

M 4.d 22.2.3.q.3.c.

N 3.p.84.7.c.

O 3.p.84.7.ad 4.

Hoc Sacramento Christus, ceu sine peccato, in se vsus non est neque in ordine ad alios: quia sine illo effectum præbebat per virtutem excellentiæ.

P Ibid. a. 5. ad 3. & q.64.a.3.

Q 3.p.15.1.ad 5.

Quomodo Christus pœnitentiæ exemplum præbuerit.

Pœnitentiæ Sacramentum rectè iteratur Error Nouatianorum, & aliorum circa hoc.

R 3.p.84.10.c. & ad 1. in 4 d.14.1.4.q.1. & 3. Hebr.6.l.1.ß. Op.5. de Sacram. Ps.24 lib. 1.

Refellitur.

tiam potest aliquis peccare mortaliter. Secundò ex eo quòd errabant circa æstimationem grauitatis peccati: putabant enim adeò graue esse peccatum, quod aliquis committit post veram pęnitentiam, quòd non sit possibile illud remitti. In quo quidem errabant, & ex parte peccati, quod etiam post remissionem consecutam potest esse & grauius, & leuius, quàm fuerit primum peccatum remissum; & multò magis contra infinitatem diuinæ misericordiæ, quæ superat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum, secundùm illud Ps. 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* (Et prius Ps. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo; multum est enim*; idest S magnum & graue multitudine, & pluralitate peccatorum, vel grauitate: *& tamen* propitiatur *Deus*, quoniam *Is. 55. & ipse* multum est *peccatum*, multus *& ipse* est ad ignoscendum:) Vnde reprobatur verbum Cain, dicentis Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. Et ideò misericordia Dei peccantibus per pęnitentiam veniam præbet absque vllo termino. Vnde dicitur 2. Par. vlt. (in Oratione Manassæ) *Immensa, & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ super malitias hominum*. Vnde manifestum est, quòd pęnitentia pluries est reiterabilis. *Id quod expressè habetur* ex responsione Domini ad rogatum generalis illius *Pęnitentiarii Petri Apostoli*, *Matt. 18.* Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? *Quasi diceret*: Vsque septies T infirmitatis est: sed plus, malitiæ. *Respondit nihilominus Christus*: Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies. *Hoc est*, totum V debemus *secundùm Augustinum* condonare, sicut Christus omnia condonauit. Vel potest dici, quòd ponitur numerus finitus pro infinito, sicut in Ps. 104. *Verbum, quod mandauit in mille generationes*. Vel *secundùm Hieronymum* vniuersitas peccatorum significatur. Quasi dicat: Omnia quæcumque frater tuus peccauit contra te, dimitte ei. Vnde videtur, quòd velit dicere, quòd plus remittere potest, quàm ipse possit offendere. Ergo (*concludit alibi Author*) Deus X sæpiùs per pęnitentiam veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos petere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*.

S Eod. Ps. 24. lit. L. ibi.

T Mat. 18. lit. b. ibi.

V Ibid.

X 3. p. 84. a. in sed contra.

I *Illud verò circa pęnitentiam, supposito peccato, necessitatem oportet aduertere, quòd* Sacramenta Y dupliciter operantur. Vno modo secundùm quod exhibentur in actu; alio modo secundùm, quod habentur in voto. Et hoc ideò, quia Sacramenta operantur, vt instrumenta diuinæ misericordiæ iustificantis; Dei autem est respicere ad hominis cor, secundùm illud 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor*: Et ideò, quamuis res naturales non agant, nisi præsentialiter adhibitæ, Sacramenta tamen agunt etiam, secundùm quod sunt in voto; sed pleniùs sacramentalem effectum inducunt, quando actu exhibentur, sicut in baptismo. Nam catechumenus, si sit adultus, & habeat baptismum in voto, iam consecutus est effectum baptismi, quantùm ad emundationem à peccato, & consecutionem gratiæ, quæ est proprius effectus Dei. Sed quando actu baptismum suscipit, consequitur pleniùs quosdam Sacramentales effectus, quia suscipit characterem, & remissionem totius pęnæ. Et idem est etiam in Sacramento pęnitentiæ, quod consummatur in dispensatione ministri absoluentis. Cum enim aliquis actu absoluitur, consequitur plenariè Sacramenti effectum: sed si antequam absoluatur, habeat hoc Sacramentum in voto, quando scilicet proponit se subijcere clauibus Ecclesiæ, iam virtus clauium operatur in ipso, & consequitur remissionem culpæ. *Igitur cum tali voto per solam contritionem culpa dimittitur, secundùm illud Ps. 31.* Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. *Verumtamen* nunquam Z potest esse vera contritio sine voto clauium Ecclesiæ, quantumcumque sit dolor de peccato præterito, & propositum abstinendi in futurum. *Exigitur autem in pęnitente detestatio peccati*, quia A voluntas semel fixa in peccato, semper manet in eo fixa habitu vel actu, nisi per actualem detestationem auellatur ab eo. Voluntas autem fixa in peccato, non est subiectum susceptibile gratiæ. *Sane debet esse pænitens non ex pœna, sed culpa. Ex hoc quippe impius Antiochus, quamuis videretur pœnitens, non est à Deo misericordiam consecutus*, 2. *Mach.* 9. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus: *quia nimirum* non veram B habuit pęnitentiam, nec mouebatur ex odio culpæ, sed pęnæ (*qua scilicet iustè à Deo actualiter affligebatur*) & ideò non meruit indulgentiam. *Et alibi*: Verè C non pęnituit interiùs, quamuis exteriùs verba pęnitentiæ proferret, magis propter infirmitatem corporis, quàm propter offensam Dei vitandam. *At de hoc fusiùs infra*.

Y Quol. 4. a. 10. & Op. 22. c. 2. In 4. d. 18. 1. 3. q. 1. c. & 4. con g. c. 72. k. ii. l. 6. ſi.

Sacramenta dupliciter operantur, in actu scilicet & in voto.

In actu pleniùs effectum Sacramenti recipit pœnitens, quàm in voto.

Z Quol. 4. a. 10. ad 3. & Op. 22. l. c. lit. L. loc. cit.

Sine hoc voto, non est vera contritio, per quam remittitur culpa.

A Hann. 4. d. 16. 1. 4. f. c.

Cur peccati exigatur detestatio.

B 2. Mach. 9. ibi.

C 4. d. 14. 2. 1. q. 1. ad 3.

I *Ex his deducitur, quid Sacramenti pænitentiæ materia sit, quid forma. Profectò* in illis D Sacramentis (*vt prætactum est*) quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiæ. Et ita accidit in pęnitentia & matrimonio. Sicut & in medicinis corporalibus, quædam sunt res exteriùs exhibitæ, sicut emplastra, & electuaria: quædam verò sunt actus sanandorum, putà exercitationes quædam. *Quia verò* duplex E est materia, scilicet proxima & remota: sicut statuæ proxima materia est metallum, remota verò aqua: Ideò quia materia proxima huius Sacramenti sunt actus pęnitentis, cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, & pro quibus satisfacit: relinquitur, quòd remota materia pęnitentiæ sint peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda. *Sunt igitur humani actus in pænitentia sensibiles, huius materia proxima Sacramenti. Nec officit, quòd præcipuus actus, qui est contritio, sit actus voluntatis interior, consequenter nec exteriùs sensibilis; Dicemus enim, quòd* tres F partes pęnitentiæ sunt & in pęnitentia exteriori, & in interiori; quia confessio & satisfactio, quæ videntur tantùm ad exteriorem pęnitentiam pertinere, inueniuntur in interiori pęnitentia quantùm ad propositum, & præmeditationem eorum; & etiam contritio, quæ videtur tantùm interioris pęnitentiæ esse, inuenitur in pęnitentia exteriori secundùm quædam signa, quibus sensibiliter manifestatur vel alijs, vel saltem ipsi pęnitenti; qui dolorem sensibilem

D 3. p. 84. 1. ad 1. & a. 4. ad 3. In 4. d. 7. 1. 2. q. 1. c. & d. 14. 1. 1. q. 1. c. & ad 1. & 4. con G. c. 72. & alibi pluries.

Quid proxima quid remota pœnitentiæ Sacramenti materia.

E 3. p. 84. 2. c. & 90. 1. ad 3.

F 4. d. 22. 2. 1. q. 2. ad 3.

Oo per-

G 4. d. 17. 2. 4. q. 1. c.
H 3. p. 90. 2. ad 1.

percipit in se ipso. *Qui quidem* sensibilis G dolor, vt pœna à voluntate assumitur. *Et alibi*: Contritio H virtualiter pertinet & ad exteriorem pœnitentiam, in quantùm scilicet implicat propositum confitendi, & satis faciendi.

Contritio quomodò ad exteriorem pœnitentiam spectet.

Sunt autem pœnitentiæ remota materia, principaliter quidem mortalia peccata, quæ vitam gratiæ priuant: Secundariò venialia, quæ eam non tollunt: delenturque, & per pœnitentiæ sacramentum, & absque illo. Vnde & docemur, quòd principaliter I ordinatur hoc Sacramentum ad mortale, & per consequens ad veniale: *hoc proinde, materiam huius Sacramenti sufficientem dicunt, mortale necessariam. Et* quamuis L ad pœnitentiam, in quantùm est pœnitentia, non pertineat respectus ad futurum: tamen in quantùm est emendatoria offensæ commissæ in Deum, exigit respectum in futurum, scilicet propositum de cætero cauendi. Et hoc propositum intelligitur in hoc, quòd in diffinitione superiùs allata dicitur: *plangenda iterumnon committere*; idest, habere propositum non committendi. *Et ita* in præterita M respicientes, causas peccatorum propter peccata detestamur, à peccatis incipientes detestationis motum: sed in cautela à causis incipimus, vt causis subtractis, faciliùs peccata vitemus. *Ex quo & satisfactio* (*de qua inferiùs*) respectum N habet ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem: & etiam ad futuram culpam, à qua per eam præseruamur. *Idcircò dicitur à Ioanne Mat. 3. & à Domino Mat. 4.* Pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnum Cœlorum. *Ad hoc enim consequendum nedum pœnitere oportet, sed & pœnitentiam agere.* Aliud *quippe* est O pœnitentiam agere, aliud pœnitere. Ille pœnitet, qui peccata deflet, & flenda non committit, idest proponit non committere: pœnitentiam autem agere, est satisfacere pro peccatis, Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Vel (*vt alibi*) pœnitentiam P agere, est exteriùs pœnitentiam interiorem demonstrare. *Igitur* in Sacramento Q pœnitentiæ sunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna: vnde materia non exhibetur à ministro, sed à Deo interiùs operante: sed complementum sacramenti exhibet minister, dum pœnitentem absoluit: *quod ad formam pertinet Sacramenti.* In qualibet *enim* re R perfectio attribuitur formæ. Hoc autem Sacramentum perficitur per ea, quæ sunt ex parte Sacerdotis: vnde oportet, quòd ea, quæ sunt ex parte pœnitentis, siue sint verba, siue facta, sint quædam materia huius Sacramenti; ea verò, quæ sunt ex parte Sacerdotis, se habeant per modum formæ. Cum autem Sacramenta nouæ legis efficiant quod figurant, oportet, quòd forma Sacramenti significet id quod in Sacramento agitur proportionaliter materiæ Sacramenti. Vnde forma baptismi est: *Ego te baptizo.* Et forma Confirmationis est: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*; eo quòd huius modi Sacramenta perficiuntur in vsu materiæ. In Sacramento autem Eucharistiæ, quod consistit in ipsa consecratione materiæ, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur: *Hoc est corpus meum.* Hoc autem Sacramentum, scilicet pœnitentia, non consistit in consecratione alicuius materiæ, nec in vsu

I 4. d. 22. 2. 1. q. 2. ad 3.

Principalis pœnitentiæ materia remota, mortalia peccata. Secundariò venialia.

L 4. d. 14. 1. 1. q. 6. ad 4. & d. 15. 1. 1. q. 3. ad 3. & d. 17. 2. 2. q. 4. c. Mat. 3. lit. a. ibi, pœnitentiam.

Pœnitentia quo sensu & præteritum respiciat, & futurum.

M 4. d. 15. 1. c. ad 4.
N 4. l. c. a. 4. q. 1. c. & q. 4. a. 7. q. 1. c.

O Mat. 3. lit. a. ibi, pœnitentiam.

Aliud pœnitere, aliud pœnitentiam agere.

P 4. d. 22. 2. 3. q. 3. ad 2.

Pœnitentiæ Sacramenti forma.

Q 3. p. 84. 1. ad 2.
R 3. p. l. c. a. 3. & a. 4. ad 3. in 4. d. 14. 1. 1. q. 1. ad 2. & 22. 2. 2. q. 2. & 3. & in sic Opusc. 22.

alicuius materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cuiusdam materiæ, scilicet peccati, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ. Talis autem remotio significatur à Sacerdote, cum dicit: *Ego te absoluo.* Nam peccata sunt quædam vincula, secundùm illud Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Vnde hæc est conuenientissima forma huius Sacramenti: *Ego te absoluo.* Cuius S expositio, *ego te absoluo*, idest absolutum ostendo, quantùm ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta. Sacramenta enim nouæ legis non solùm significant, sed etiam faciunt quod significant. Vnde sicut Sacerdos baptizando aliquem ostendit hominem interiùs ablutum per verba, & facta, non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè: ita etiam, cum dicit: *Ego te absoluo*, ostendit hominem absolutum, non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè. Nec tamen loquitur, quasi de re incerta: quia sicut alia Sacramenta nouæ legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licèt possit impediri ex parte recipientis: ita etiam & in hoc Sacramento. Vnde *Augustinus* dicit in lib. de adult. coniug. *Non est turpis nec difficilis post patrata & purgata adulteria reconciliatio Coniugii; vbi per claues Regni Cælorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum.* Vnde nec Sacerdos indiget speciali reuelatione sibi facta, sed sufficit generalis reuelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Vnde reuelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. Esset autem perfectior expositio: *Ego te absoluo*, idest, Sacramentum absolutionis tibi impendo. *Et ad hanc quidem certitudinem innuendam* ablutio T per modum indicatiuum fit (sicut ablutio in baptismo) sed præmittitur deprecatio, scilicet, *Misereatur &c.*, vt effectus absolutionis non impediatur. Hoc tamen non est de esse Sacramenti, sed de bene esse ipsius. *Et quamuis* solus V Deus per authoritatem absoluit, & peccatum remittit: Sacerdotes tamen vtrumque faciunt per ministerium, in quantùm scilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento instrumentaliter operantur in virtute diuina, sicut etiam in alijs Sacramentis. Et ideò quia Sacerdos sicut minister absoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam authoritatem Dei, scilicet vt dicatur: *Ego te absoluo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: vel *per virtutem passionis Christi*, vel *authoritatem Dei*, sicut Dionysius exponit *cap. 3. de Cæl. Hier.* Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in baptismo: talis appositio relinquitur arbitrio Sacerdotis.

m *Qui quidem Sacerdos non quemcumque accedentem absoluit, sed solum modò ad recipiendam Sacramentalem absolutionem dispositum, & verò dolentem. Verus autem pœnitens dolet simul & gaudet; tristatur tempore eodem & lætatur: quia nimirum in actibus virtutum delectabiliter operamur & hilariter. Nec officit, quòd gaudium & dolor* ex 9. Ethic. *opponantur*: *Nam* de dolore X & gaudio dupliciter loqui possumus. Vno modo secundùm quod sunt passiones appetitus sensitiui; & sic nullo modo possunt esse simul, eo quòd sunt omninò contrariæ: vel ex parte obiecti, putà cum sunt de eodem vel sal-

S 3. p. 84. 3. ad 5. & Opusc. cit.

Quodnam verum significatum horum verborum: *Ego te absoluo*.

Certus est sic de absolutionis effectus, nisi ex parte suscipientis impediatur.

T 4. d. 22. 2. 2. q. 3. fi. c. & 3. p. l. c. ad 1. 2. & 4.

Preter verba, *Ego te absoluo*, ad bene esse sunt Sacramenti quæ ante vel post adduntur, non de essentia.

V 3. p. 84. 3. ad 3. In 4. d. 14. 1. 1. q. 1. ad 2.

Quomodo pœnitens doleat simul, & gaudeat pœnitendo.

X 3. p. l. c. a. 9. ad 2. In 4. d. 14. 1. 4. q. 2. & d. 17. 2. 1. q. 1. ad 5. & a. 3. q. 1. ad 3. & a. 4. q. 2. ad 1.

vel saltem ex parte motus cordis; nam gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia verò cum contrictione. Et hoc modò loquitur Philosophus *in 9. Ethic.* Alio modo possumus loqui de gaudio & tristitia, secundùm quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet, vel displicet: & secundùm hoc non possunt habere contrarietatem, nisi ex parte obiecti, puta, cum sunt de eodem, & secundùm idem. Et sic non possunt simul esse gaudium & tristitia; quia non potest simul idem, secundùm idem placere, & displicere. Si verò gaudium & tristitia sic accepta, non sint de eodem secundùm idem, vel de diuersis, vel de eodem secundùm diuersa; sic non est contrarietas gaudij & tristitiæ. Vnde nihil prohibet, hominem simul gaudere & tristari. Putà si videamus, iustum affligi; simul placet nobis eius iustitia, & displicet eius afflictio. Et hoc modo simul potest alicui displicere, quòd peccavit, & placere quòd hoc ei displicet cum spe veniæ: ita quòd ipsa tristitia sit materia gaudij. *Ex quo pœnitens Dauid promebat Ps.* 50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam &c. *Auditui meo*, quo Y audiui à Nathan translatum esse peccatum meum, quo concepi lætitiam: *& exultabunt ossa humiliata*, scilicet per tristitiam pœnitentiæ: quia quandoque lætitia redundat vsque ad corpus. Et ideò in visione gloriæ in Patria post resurrectionem, ex gaudio mentis corpus glorificabitur, Is. 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabunt.* Et sic dicit ipse: *exultabunt ossa humiliata*; & hoc ad glorificationem præsentem. *Porrò, vnde sit in nobis pœnitentiæ principium, si quæras: Respondet Author, quòd de* pœnitentia Z loqui possumus dupliciter. *Vno modo* quantùm ad habitum, & sic immediatè à Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus; non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus per aliquos actus. *Alio modo* possumus loqui de pœnitentia, quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio conuertentis cor, secundùm illud Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris seruilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm se ipsum, & non iam propter supplicia. Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore seruili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato, & proximo principio. Vnde Is. 26. A dicitur: *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus*, scilicet per pœnitentiam. Et postea subdit secundùm aliam literam: *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis*, idest pœnitentiæ salutaris. *Porrò, sicut in cæteris Sacramentis*, etiam in pœnitentia B est aliquid, quod est Sacramentum tantùm, scilicet actus exterius exercitus tàm per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentem: res autem & Sacramentum; est pœnitentia interior peccatoris: res autem tantùm, & non Sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum, est causa secundi; primum autem & secundum sunt quodammodò causa tertij.

Y Ps. 50. lit. a. ibi.

Vnde fit in peccatore pœnitentiæ principium.

Z 3. p. 85. 5. c. In 4. d. 14. 1. 2. q. 1. & 2. c.

Quinam hominis in pœnitendo actus, & qualis ordo.

A 3. p. l. c. in sed contra.

B 3. p. 84. 1. ad 3.

Quid in pœnitentia res tantùm, quid

Sacramentum tantùm, quid vtrumque.

n *Per pœnitentiam ergo (vt ad eius effectus procedamus) peccatum remittitur, & sine ipsa, vt virtus est, remitti non potest.* Offensa *enim* peccati C mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad aliquod bonum commutabile; vnde requiritur ad remissionem diuinæ offensæ, quòd voluntas hominis sic immutetur, vt conuertatur ad Deum cum detestatione conuersionis prædictæ, & proposito emendæ; quod pertinet ad rationem pœnitentiæ, secundùm quod est virtus. Et ideò impossibile est, quòd peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundùm quod est virtus. Sacramentum autem pœnitentiæ perficitur per officium sacerdotis ligantis, & soluentis, sine quo potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mulieri adulteræ, vt legitur *Io.* 8. & peccatrici, vt legitur *Luc.* 7. Quibus tamen non remisit peccata sine virtute pœnitentiæ, *vt & superiùs præfatum est.* (*Sed &* peccatum D veniale nunquam remittitur sine aliquali actu pœnitentiæ virtutis, explicito scilicet, vel implicito: potest tamen remitti peccatum veniale sine pœnitentiæ Sacramento, quod in absolutione Sacerdotis formaliter perficitur.) *Nihilominùs* in peccato E duo possunt considerari: scilicet ipsa inordinatio, quæ in actu est: & macula quæ ex actu inordinato consequitur in anima. Et secundùm hoc peccatum dupliciter remittitur. Quia ex ipsa actus inordinatione homo, quantùm in se erat, iniuriam Deo faciebat; ideò ex parte illa peccatum remittitur secundùm quod inæqualitas prædicta iniuriæ ad æqualitatem iustitiæ reducitur: quod facit pœnitentia, in quantùm est virtus quædam, per suum actum. Sed ex parte maculæ, peccatum remittitur per gratiam, quæ formaliter maculam tollit, sicut albedo nigredinem; & per consequens per alias virtutes gratia formatas. Et quia pœnitentia est talis virtus, ideò etiam ipsa formaliter peccatum remittit ex parte habitus. Et hoc est, quod quidam dicunt, quòd remittit peccatum, in quantùm est gratia. Non enim potest dici gratia, nisi in quantùm est gratia informata, vel propter similitudinem effectus. Sed, vt est Sacramentum, etiam ex parte ista effectiuè peccatum tollit, quia gratiam tribuit: sicut inducens albedinem, aufert nigredinem. Et secundùm hoc pœnitentia, in quantùm est Sacramentum, peccata dimittit, quia Sacramentum nouæ legis est causa instrumentalis gratiæ. Deus autem remittit sicut causa gratiæ efficiens, & Christus homo sicut causa meritoria gratiæ, & Sacerdos sicut minister Dei, & Sacramentorum dispensator. *Vno verbo* remissio F culpæ est effectus pœnitentiæ, secundùm quod est virtus: principaliùs tamen, secundùm quod est Sacramentum. *Hoc autem mysticè innuitur* Apoc. 7. *cum dicitur*: Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati. *Vbi* per hunc G numerum signantur omnes saluandi secundùm quadruplicem statum salutis. Nam per centum signantur illi, quibus debetur fructus centesimus, idest virgines: per 40. qui est numerus pœnitentiæ, significantur illi, qui-

Sine pœnitentia virtute non potest peccatum remitti.

C 3. p. 86. 2. c. In 4. d. 14. 2. 1. q. 1. c. & a. 5. & d. 16. 1. 2. q. 1.

D 3. p. 87. 2. ad 2. & 3. & 4. 1. & 3. c. In 4. d. 16. 1. 2. q. 3.

Neque veniale.

E 4. d. 14. 2. 4. c. & a. 1. q. 1. & d. 17. 2. 5. q. 1. & d. 22. 2. 1. q. 2. ad 1. & 3. p. 86. 6.

Quomodò ex pœnitentia & vt est virtus, & vt est Sacramentum, fit peccatorum remissio.

F 3 p. 86. 6. fi. c.

G Apoc. 7. Com. 2. §. 3. ibi.

li, quibus debetur fructus quadragesimus, idest continentes, qui semper sunt in pœnitentia, quia tribulantur à carne: per quatuor illi, quibus debetur fructus trigesimus, idest coniugati, qui sunt divisi, 1. Cor. 7. *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est*; & ideò per quatuor rectè significantur, quia est primus numerus, diuisibilis in numeros: & omnes dicuntur mille, quia millenarius est numerus cubus, siue solidus, habens trinam diuisionem, scilicet decies decem. Et omnes isti Decalogum seruant ad honorem Trinitatis, vel cum fide, spe, & charitate. Quadraginta igitur (*ad rem nostram*) numerus est pœnitentiæ. Vnde Dominus, Moyses, & Elias 40. dies ieiunauerunt: (*ex quo Quadragesimæ ieiunium ad pœnitentiam institutum.*) Et sicut partes 40. (*aliquota*) simul sumptæ faciunt 50., qui est numerus remissionis: sic per pœnitentiam venitur ad remissionem peccatorum, & Dei reconciliationem. *Nec tamen per pœnitentiam potest unum peccatum sine alio dimitti, Et hoc triplici ratione.* Primò quidem H quia peccatum remittitur, in quantùm tollitur Dei offensa per gratiam; unde nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiæ, & excludit eam. Et ideò impossibile est, quòd unum peccatum sine alio remittatur. *Secundò* quia peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantùm est contra Deum. Quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus. Vbi autem est eadem ratio, est idem effectus: vnde non potest esse verè pœnitens qui de vno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur, quòd de omnibus peccatis pœniteret. Vnde sequitur, quòd impossibile sit, unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio. *Tertiò* quia hoc esset contra perfectionem misericordiæ Dei, *cuius perfecta sunt opera*; ut dicitur *Deut. 32.* Vnde cuius miseretur, totaliter miseretur. Et hoc est, quod *Augustinus* dicit in lib. de Pœnit. *Quædam impietas infidelitatis est, ab eo, qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam.* Nihil *tamen* prohibet I quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quæ dicuntur peccati reliquiæ. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ, ita quòd homini non dominentur. Et hoc magis per modum dispositionum, quàm per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post baptismum. Ex his *autem* dispositionibus L præstatur difficultas quædam pœnitenti ad operandum opera virtutum. Sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis, & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutis delectabiliter & sine difficultate operatur: sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum, aut aliquam corporis indispositionem. *Quòd autem hæ reliquiæ peccatorum remaneant, ex eo suadetur, quòd* pœnitentia M non comparatur generationi, sed magis sanationi: quia per pœnitentiam homini non datur noua vita, sed in pristinam vitam reparatur. In sanatione autem hoc videmus accidere, quòd sanitate restituta, adhuc reliquiæ aliquæ morbi manent ante perfectæ sanitatis restitutionem:

Per pœnitentiam non potest unum peccatum sine alio dimitti.

H Ibid. a. 3. c. In 3. d. 36. 1. 5. In 4. d. 15. 1. 3. q. 1. & d. 16. 2. 1. q. 2.

I 3. p. 86. 5. c. In 4. d. 14. 2. 1. q. 3. c. & 1. Cor. 11. l. 7. sub initio.

Remissa culpa, remanent dispositiones quædam, quæ reliquiæ dicuntur peccatorum.

L 3. p. 89. 1. ad 3. & 1. 2. 65. 3. ad 2.

M 4. d. 14. 2. 1. q. 3. ad 1. Rom. 11. l. 4. circa fin.

ita etiam ante completam pœnitentiam reliquiæ actualis peccati manent. *Et hæ quidem nonnisi ex speciali gratia priuilegio, immediatè tolluntur.* Deus *enim* totum N hominem perfectè curat, sed quandoque subitò, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita ut *surgens ministraret illis*, vt legitur *Luc. 4.* Quandoque autem successiuè, sicut dicitur *Marc. 8.* de cæco illuminato (*unde & primò dicebat*: Video homines, velut arbores ambulantes; *& postea* restitutus est, ita ut clarè videret omnia.) Et ita etiam spiritualiter, quandoque Deus tanta commotione conuertit cor hominis, vt subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, vt patet de Magdalena *Luc. 7.* Quandoque autem priùs remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successiuè tollit peccati reliquias. *Quamuis autem per pœnitentiam remittatur culpa, non tamen totus tollitur ut plurimùm pœnæ reatus.* In peccato *enim* mortali O sunt duo, scilicet auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo auersionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, ut qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Quia tamen conuersio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quòd debeatur ei pœna æterna; vnde si sit inordinata conuersio ad bonum commutabile, sine auersione à Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato pœna æterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo, in quantùm per gratiam anima Deo coniungitur; vnde & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ: potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. *Et hoc est, quia* auersio P à Deo est in peccato, sicut formale: conuersio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species: sicut remoto rationali, tollitur species humana. Et ideò ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur auersio mentis à Deo simul cum reatu pœnæ æternæ: remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conuersio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis: *quamuis aliquando & hic totus, atque ex integro tollatur, ut infra patebit.*

O *Mirum verò non sit, quòd pœnitentia offensam deleat infinitam, qualis in Deum.* *Ad primis enim* offensa Q infinita est ex parte auersionis, sed non ex parte conuersionis: & similiter etiam actus pœnitentiæ habet infinitatem ex parte gratiæ, quæ est Dei similitudo, & in virtute diuinæ misericordiæ operans, quæ infinita est: quamuis ex parte actus nostri sit finita. Habet etiam efficaciam ex virtute passionis Christi, quæ infiniti valoris quodammodo est, in quantùm fuit passio Dei & hominis. *Sanguis enim Christi est, qui abluit & emundat animam peccatoris.* *Quò allusisse videtur David pœnitens Ps. 50. cum ait*: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. *Quibus verbis* alludit R ritui veteris testamenti *Num. 19.*, vbi tertio die aspergebatur immundus aqua lustrationis, quæ fiebat de hyssopo. Et ideò dicit: *Asperges me hyssopo.* Fiebat etiam aqua illa ex

N 3. p. 86. 5. ad 1. & in sed contra.

O 3. p. 86. 4. c. & 67. 3. ad 3. & 69. 10. ad 3. In 4. d. 14. 2. 1. q. 2. c. & d. 15. 1. 1. q. 2. ad 1. & 4. 3. q. 1. ad 2. Rom. 11. l. 4. Hebr. 6. l. 1.

Peccato dimisso manet utplurimum temporalis pœnæ reatus.

P 3. p. 86. 4. ad 1.

Quomodo pœnitentia offensam deleat infinitam, qualis in Deum.

Q 4. d. 14. 2. 1. q. 1. ad 4. & q. 3. a. 4. q. 1. ad 1. Ver. 28. 8. ad 2.

Sanguis Christi Dei & hominis, animam abluit peccatoris.

R Ps. 50. lit. d & 1. 2. 102. 5. ad 5.

cineris vitulæ rufæ, per quam figurabatur Christus. Vnde per illam aspersionem, quam petit, significatur aspersio sanguinis Christi, 1. Pet. 1. *In aspersionem sanguinis Iesu Christi*. Sequitur: *Lauabis me, & super niuem dealbabor*: quia candor animæ sanctificatæ excedit omnem pulchritudinem corporalem (*Is.* 1. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.) *Vnde & subdit*: Cor mundum crea in me. Deus: *nimirùm, quia munditiam* S cordis solus Deus restituere potest, Iob 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* scilicet mundus simpliciter. Et dicit, *crea*: creatur enim aliquid ad esse naturæ, quando ex nihilo producitur ad esse. Item quando ad esse gratiæ producitur, 1. Cor. 13. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia &c. charitatem autem non habuere, nihil sum*, scilicet in esse gratiæ. *Et hoc idem expressit Apostolus* ad Hebr. 9. *cum ait*: Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? *Si enim sanguis hircorum &c. inquinatos sanctificat*, non T gratiam conferendo, *sed ad emundationem carnis*, idest ab irregularitate, qua carnaliter impediebantur, quasi immundi, à cultu diuino: non tamen auferebat peccata; sed tantùm *ex Augustino* aliquando virtute illius aspersionis mundabantur a lepra corporali: *quantò magis sanguis Christi* (quasi dicat: si sanguis & cinis animalium hoc possunt, quid poterit sanguis Christi? certè multò plùs:) *emundabit*, non tantùm ab exteriori macula, sed *conscientiam nostram*: ille enim mundabat à contactu mortui; sed ille *ab operibus mortuis*, scilicet à peccatis, quæ tollunt Deum ab anima, cujus vita est per vnionem charitatis. Item ille mundabat, vt possent accedere ad figurale ministerium: sed sanguis Christi ad spirituale obsequium Dei. Et ideò dicit: *ad seruiendum Deo viuenti*. Ab operibus *inquam* mortuis, *siue mortiferis*, *nos penitencia emundat*; *simulque opera bona meritoria, per peccatum mortificata, reuiuiscere facit*. Hæc enim V non habent vim perducendi in vitam æternam (*quod pertinet ad eorum vitam*) solùm secundùm quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundùm quod remanent in acceptatione diuina. Sic autem remanent, quantùm est de se, etiam postquàm per peccatum mortificantur: quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt, secundùm illud Apoc. 2. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam suam*. Sed quòd isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, prouenit ex impedimento peccati superuenientis, per quod ipse redditur indignus vita æterna. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantùm per eam remittuntur peccata. Vnde restat, quòd opera priùs mortificata, per penitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam: quod est ea reuiuiscere; *Non ita opera mortua, hoc est extra charitatem facta, per pœnitentiam viuificantur. Mortua autem dicuntur: quia* opus X aliquod dicitur mortuum dupliciter. Vno modo effectiuè, quia scilicet est causa mortis; & secundùm hoc opera peccati dicuntur opera mortua (*vt iamiam ex Apostolo dictum est.*) Hæc igitur opera mortua non viuificantur per penitentiam, sed magis abolentur, secundùm illud ad Hebr. 6. *Non rursùm iacientes fundamentum pænitentiæ ab operibus mortuis*. Alio modo dicuntur opera mortua priuatiuè, quia scilicet carent vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima Deo coniungitur, ex quo viuit, sicut corpus per animam. Et per hunc modum, etiam fides, quæ est sine charitate, dicitur mortua, secundùm illud Iac. 2. *Fides sine operibus mortua est*. Et per hunc etiam modum omnia opera, quæ sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, in quantùm scilicet non procedunt ex principio vitæ: sicut, si dicamus sonum citharæ vocem mortuam. (*Idcircò dicebat Apostolus* 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.) Sic igitur differentia mortis & vitæ in operibus est secundùm comparationem ad principium, à quo procedunt. Opera autem non possunt iterum à principio procedere (quia transeunt) & iterum eadem numero resumi non possunt. Vnde impossibile est, quòd opera mortua iterum fiant viva per pœnitentiam. *Ad quid verò peccatori hæc valeant, satis in superioribus dictum est*.

p *Cæterùm gratia & virtutes omnes per penitentiam recuperantur*. *Nam* gratia Y & virtutes in anima causantur influentia diuini luminis: quæ quidem influentia impeditur per peccatum, quod animam a Deo auertit: sicut nubes interposita inter nos & Solem, radium eius à nobis prohibet. Vnde dicitur *Is.* 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*. Et quia per penitentiam peccata dimittuntur in primo penitentiæ actu quantùm ad offensam: ideò, sicut ventus auferens nubem, nobis lumen Solis restituit, ita penitentia, tanquam remouens prohibens, gratiam gratum facientem, & omnes virtutes nobis restituit. *Gratiam inquam, & omnes virtutes*: sicut *enim* ab essentia Z animæ effluunt eius potentiæ, quæ sunt operum principia: ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actus. *Et quidem* eodem A modo penitentia restituit virtutes, per quem modum est causa gratiæ. Est autem causa gratiæ, in quantùm est Sacramentum; nam in quantùm est virtus, est magis gratiæ effectus. Et ideò non oportet, quòd pænitentia, secundùm quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum: sed quòd habitus penitentiæ simul cum habitibus aliarum virtutum per Sacramentum penitentiæ causentur. *Notandum verò, quod* virtus B per penitentiam reparari potest, quantùm ad id, quod est formale in virtute; non autem quantùm ad id, quod est materiale in ipsa. Non enim si quis magnificus consumpserit diuitias suas, per penitentiam peccati restituuntur ei diuitiæ. Et similiter ille, qui virginitatem peccando amisit, per penitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum. *In quo verò gratiæ & virtutis gradu penitens peccator resurgat, ex liberi motu arbitrii id pensandum*. Motus enim C liberi arbitrij, qui est in iustificatione impij, est vltima dispositio ad gratiam; vnde in eodem instanti est gratiæ infusio cum prædicto motu lib. arbitrij: in quo quidem motu comprehenditur actus penitentiæ. Manifestum est autem, quòd formæ, quæ possunt recipere magis & minùs, intenduntur, & remittun-

Marginalia:

S Ibid. lit. f.

T Hebr. 9. lec. 3. ibi.

Pœnitentia & opera bona, per peccatum mortificata, reuiuiscere facit.

V 3. p. 89. 5. c. In 4. d. 14. 2. 3. q. 2. & 3. c. Hebr. 6. l. 1. ibi, pœnitentiæ.

Non ita opera extra charitatem facta.

X 3. p. l. c. a. 6. c. In 4. l. c. 4. 3. q. 1. Hebr. 6. lec. cit.

Opus mortuum dupliciter dicitur.

Y 4. d. 14. 2. 2. c. & 3. p. 89. 1. c.

Gratia & virtutes omnes per pœnitentiam recuperantur.

Z 1. 2. 110. 4. ad 1. & 3. p. 7. 2. c. & 62. 2. c. in 4. d. 17. 1. 1. q. 1. ad 3.

A 3. p. 89. 1. ad 1.

B 2. 2. 152. 3. ad 3.

Quo ad formale tamen, non quoad materiale virtutis.

In quo nam gratiæ & virtutis gradu pœnitens resurgat.

C 3. p. 89. 2. c. in 3. d. 31. 1. 4.

mittuntur secundùm diuersam dispositionem subiecti: & inde est, quòd secundùm quod motus liberi arbitrij in pęnitentia est intensior, vel remissior, secundùm hoc pęnitens consequitur maiorem, vel minorem gratiam. Contingit autem, intensionem motus pęnitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiæ, quàm illa, à qua ceciderat per peccatum: quandoque autem æquali: quandoque verò minori. Et ideò pęnitens quandoque resurgit in maiori gratia, quàm priùs habuerat; quandoque autem in æquali; quandoque etiam in minori: & eadem ratio est de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur. *Verumtamen* pęnitentia D quamuis reuocet omnes defectus, restituendo in pristinam gratiam: non tamen restituit in pristinam dignitatem. Et ideò etiam mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione, non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant (*vt præmissum est*:) & adhuc E post peractam pœnitentiam de homicidio, aliquis remanet irregularis. Pœnitentia enim ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus pœnæ. *Et alibi*: Homo F per peccatum duplicem dignitatem amittit. Vnam quantùm ad Deum; aliam verò quantùm ad Ecclesiam. Quantùm ad Deum, amittit duplicem dignitatem: vnam principalem, qua scilicet computatus erat inter filios Dei per gratiam: & hanc dignitatem recuperat per pœnitentiam. Quod significatur *Luc.* 15. in filio prodigo, cui pœnitenti Pater iussit restitui stolam primam, & anulum & calceamenta. *Quod & satis innuitur in conuersione Regis Babylonis, qui de se ipse illud prompsit Dan.* 4. Ego Nabuchdonosor oculos meos ad Cœlum leuaui: & sensus meus reuersus est ad me. & ad honorem Regni mei, decoremque perueni: & figura mea reuersa est ad me: & in Regno meo restitutus sum: *immò* & magnificentia amplior addita est mihi. Aliam verò dignitatem secundariam, scilicet innocentiam, de qua (sicut ib. legitur) gloriabatur filius senior, dicens: *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini*. Et hanc dignitatem pęnitens recuperare non potest. Recuperat tamen quandoque aliquid majus (*vt prætactum est*.) Quia *ex Gregorio* qui errasse à Deo se considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant: (*de quo infrà iterum*.) Dignitatē autē Ecclesiasticā recuperare prohibetur.

Et an ad pristinam dignitatem.

D 4. d. 14. 1. 5. q. 1. ad 3. In 3. l. c. a. 4. q. 1. ad 2. & 3. p. 89. 3.

E 4. d. 19. 1. 3 q 2. ad 2. & d. 37. 2. 2. ad 4.

F 3. p. 89. 3. c.

q *Vter autem diligatur magis à Deo, innocens an pœnitens homo? Pro pœnitente facit Parabola Mat.* 18. Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit 99. in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? Etsi contigerit, vt inueniat eam: amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quàm super 99. quæ non errauerunt. *Quod exponitur*. Si G per 99. intelligamus iustos, plana est ratio: quia Dux plus diligit militem, qui cadit in bello, & post viriliter pugnat semper, quàm illum, qui nunquam cecidit, & semper tepidè pugnat. Sic, cum aliquis peccauit, & post fortiter resurgit, & semper viriliter se habet, plùs eum diligit. *Quod & ipse Dominus apertè videtur asserere Luc.* 15. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in Cęlo super uno peccatore pęnitentiam agente, quàm super 99. iustis, qui non indigent pęnitentia. *Cæterùm considerat Author, quòd* pęnitentes H & innocentes se habent, sicut excedentia, & excessa. Nam siue sint innocentes, siue pęnitentes, illi sunt meliores & magis dilecti, qui plus habent de gratia. Cæteris tamen paribus, innocentia dignior est & magis dilecta. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pęnitente, quàm de innocente: quia plerunque pęnitentes, cautiores, humiliores, & feruentiores resurgunt. Vel alia ratione: quia æquale donum gratiæ plus est comparatum pęnitenti, qui meruit pęnam, quàm innocenti, qui non meruit. Sicut centum marchæ, maius donum est, si dentur pauperi, quàm si dentur Regi. *Vel, ut alibi*: Quantùm ad bonum I præmij essentialis, æqualiter Deus diligit pęnitentem & innocentem, si æqualem habeant charitatem; vel illum magis, qui maiorem charitatem habet: sed quantùm ad præmium accidentale, plùs diligit innocentem propter dignitatem innocentiæ, ad quam non potest pęnitens peruenire. *Caueat tamen pœnitens quisque, ne recidiuet: docemur enim, quòd* tantò L erit grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius. Nec tamen est necesse, quòd propter ingratitudinem semper per peccatum sequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: sed necesse est, quòd proportionaliter quantò peccata priùs dimissa fuerunt plura & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecumque sequens mortale peccatum. *De quo vide fusiùs* M.

Num innocens, an pœnitens, magis à Deo diligatur.

G Mat. 18. lit. b. ibi & 1. p. 20. 4. ad 4.

H 1. p. l. c. & 2. 2. 106. 2. c. & 3. p. 88. 2. ad 3.

I In 3. loco cit. in corp.

L 3. p. 8. 8. 2. fi. c. & a. 2. ad 3.

Caueat pœnitens, ne recidiuet ingratus.

r *Sicut autem, sua assignantur pœnitentiæ Sacramento partes essentiales, quæ sunt materia & forma: Ita & integrales. (Pœnitentia inquam, vt Sacramentum est*: Pęnitentiæ *namque*, secundùm quod N est virtus, non assignantur partes. Actus enim humani, qui multiplicantur in pęnitentia, non comparantur ad habitum virtutis, sicut partes, sed sicut effectus: unde relinquitur, quòd partes assignentur pęnitentiæ, In quantùm est Sacramentum, ad quod actus humani comparantur, vt materia. In alijs autem Sacramentis, materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior vna, siue simplex, vt aqua vel oleum, siue composita, vt chrisma: & ideò alijs Sacramentis non assignantur partes.) *Hæ autem partes integrales sunt tres: scilicet contritio, confessio, & satisfactio*: Alio *enim* modo O fit recompensatio offensæ in pęnitentia, & in vindicatiua iustitia: nam in vindicatiua iustitia fit recompensatio secundùm arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensi. Sed in pęnitentia fit recompensatio offensæ secundùm voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur: quia hic non quæritur sola integratio æqualitatis iustitiæ, sicut in iustitia vindicatiua, sed magis reconciliatio amicitiæ: quod fit, dum offendens recompensat secundùm voluntatem eius, quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pęnitentis *Primò* quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem. *Secundò* quòd se subijciat arbitrio sacerdotis loco Dei (*vide quanta sit dignitas Sacerdotis!*) quod fit in confessione, *Tertiò* quòd recompenset secundùm arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideò contritio, confessio, & satisfactio ponuntur partes pęnitentiæ, *videlicet integrales*. *Sanè* remissio P triplicis pœnæ fit in pęnitentia secundùm tria, quæ sunt in ea, Nam secundùm contritionem fit commutatio pęnæ æternæ in purgatoriam; secundùm satisfactionem fit temporalis pęnæ absolutio; & per confessionem notificatio culpæ Deo per Sacerdotem. *Triplicem hanc pœnitentiæ partem signant verba 1. Esd.* 9. Scidi pallium meum

M 3. p. 88. per totam, & 2. 2. 107. 2. ad 1. In 4. d. 22. q. 1.

Pœnitentiæ, vt Sacramentum est, non vt virtus, tres sunt integrales partes, scilicet contritio, confessio, & satisfactio.

N 3. p. 90. 1. ad 2. in 4. d. 16 1. 1. q. 4.

O 3. p. 90. 2. & 3. c. & q. 85. 3. ad 3. in 4. d. 16 1. 1. q. 2. & 3. Opusc. 5. de Sacram. Op. 6. 5. 12. & 2. Cor. 7. l. 3.

P Hann. 4. d. 16. 1. 1. c.

& tu-

P Serm. in fe. Sancti Martini.

& tunicam: & euelli capillos capitis mei, & barbæ: & sedi mœrens. *Etenim* moraliter P in verbis istis notantur tria necessaria pœnitenti, scilicet contritio, confessio, & carnis maceratio. Primum ibi, *mœrens*: est enim contritio dolor de peccatis, Ps. 6. *Lacrymis meis stratum meum rigabo*. Secundum ibi, *euelli capillos &c.* idest peccata carnalia, & spiritualia, quæ radenda sunt nouacula confessionis, Ezech. 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos: & duces per caput tuum, & per barbam tuam &c.* Carnis maceratio pertinet ad satisfactionem, ibi, *scidi pallium meum &c.* Per pallium enim intelligitur corpus, Cant. 5. *Tulerunt pallium meum*, idest corpus: *quod debet ad satisfaciendum pro peccatis affligi*. *Hinc est, quòd verus pœnitens Dauid premebat* Ps. 37. Dolor meus in conspectu meo semper: quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. *Dolor meus*, scilicet Q de peccatis: *quoniam iniquitatem meam annunciabo*. Quasi dicat: ideò doleo, quia peccatum meum considero, in tantùm, vt alijs manifestem; vnde dicit, *annunciabo*: quod maximè fit in confessione: *& cogitabo pro peccato meo*, vbi ponitur peccati satisfactio. Et sic ponuntur tres partes pœnitentiæ. Nam, *dolor meus in conspectu meo semper*, refertur ad contritionem: *iniquitatem meam annunciabo*, ad confessionem: *cogitabo* (idest satisfaciam) *pro peccato meo*, ad satisfactionem. *Ita & Iob coram Deo humiliatus dicebat cap.* 42. Insipienter locutus sum; idcircò ipse me reprehendo: scilicet propriam R culpam considerando (*in quo & peccati detestatio per contritionem, & manifestatio per confessionem includitur*:) & quia non sufficit culpam confiteri, nisi sequatur satisfactio; ideò subdit: *Et ago pœnitentiam in fauilla & cinere*, in signum scilicet fragilitatis naturæ corporeæ: conuenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis. *Sed & hoc idem insinuatur*. Math. 8. *in leproso*, *quem* Dominus tetigit, dicens: *Mundare*. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis. *Docemur enim, quòd* hoc S significat spirituales infirmitates. Quædam enim infirmitates sunt intrà latentes, vt febres: quædam verò, etsi sunt ab intra, earum tamen effectus patet exteriùs, vt lepra. Ille ergo leprosus est, cuius mala voluntas manifestatur per malum actum. *Et ita* secundùm mysticum intellectum tria à Christo iniunguntur. Vt erubescat de peccato, contra illos, de quibus dicitur Is. 3. *Peccatum suum, quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*. Vnde dicitur Eccli. 4. *Est confusio adducens peccatum &c.* Item debet *ostendere se sacerdoti* confitendo, Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et hic videtur Dominus iniungere confessionem (*quæ sacerdoti facienda est*.) *Et confestim mundata est lepra eius*: quia in ipsa contritione, quando dolet, & proponit confiteri, & abstinere, remittitur peccatum, iuxta illud Ps. 31. *Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Item iniungitur satisfactio, *cum dicit*: Et offer munus, quod præcepit Moyses &c. *Neque ex eo, quòd* triplex est peccatum, cordis scilicet, oris, & operis, tres præfatæ partes pœnitentiæ assignantur, ita vt contritio peccato cordis, confessio peccato oris, satisfactio peccato operis respondeant. *Nam* partes T pœnitentiæ non respondet illis peccati partibus singulæ singulis secundùm veritatem: quia pro quolibet illorũ peccatorum (*cordis dumtaxat v. g. vel oris*) oportet esse pœnitentiæ tres partes; sed per adaptationem quandam, considerata similitudine medicinæ ad morbum, quantùm ad idem instrumentum. *Quemadmodum etiam* secundùm quandam V adaptationem, partes pœnitentiæ tribus attributis diuinarum personarum adaptari possunt, vt contritio misericordiæ, vel bonitati respondeat propter dolorem de malo: confessio sapientiæ propter veritatis manifestationem: satisfactio potentiæ propter satisfaciendi laborem. *Porrò, vt vera sit pœnitentia*, debet esse X dolor in cogitatione, pudor in confessione, acerbitas in satisfactione: quæ quidem expiant pœnam æternam. *At de his tribus pœnitentiæ partibus singillatim* Num. seqq.

Exempla in Dauid & Iob.

Q Ps. 37. lit. K & L ibi.

R Iob 42. l. ibi & Serm. 2. ex Eu. Dom. 11. post Pent.

S Mat. 8. lit. a. ibi.

T 4. d. 16. 1. 1. q. 3. ad 1. & cap. tex. sub initio & 3. p. 90. 3. ad 1.

V 4. d. 17. 3. 2. q. 3. ad 3.

X Op. 6. §. 10. fi. In cogitatione dolor, in confessione pudor, in satisfactione acerbitas.

¶ *Qualiter verò se debeat pœnitens gerere, docetur Ier. 31.* Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. *Speculam*, scilicet Y contemplationis: *amaritudines* pro peccatis præteritis: *cor tuum in viam rectam*, idest in viam iustitiæ, *Apoc.* 2. Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam. *Vnde excideris*, quia Z à Cælo, vbi eras spe & cogitatione & merito, Ier. 2. *Vide vias tuas in conualle: scito quid feceris*. Sequitur: *& age pœnitentiam*, dolendo corde, confitendo ore, satisfaciendo opere: quæ sunt tres dietæ pœnitentium, reuertentium ad Deum, & fugientium de Ægypto, Exod. 5. *Deus Hebræorum vocauit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem*. Et Gen. 40. *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum*. Per quod patet, quòd per veram pœnitentiam ablata restituuntur (*ut superiùs visum est*.) Dicit autem: *age pœnitentiam*, non solùm suscipe. Multi enim suscipiunt, sed minimè faciunt. Boni promissores, sed mali redditores: de quibus dicitur Eccle. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*. Alij sunt, qui suscipiunt & faciunt, sed non dignam pœnitentiam, quoniam non secundùm conscientiam peccatorum & vires suas, de quibus *Mat.* 3. Facite fructum dignum pœnitentiæ. *Cuius quidem optimum specimen exhibuit Dauid* Ps. 50. *cum ait*: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. *Vbi Author*. Sciendum *inquit*, quòd A anima hominis deducitur in peccatum. *Primò* per inane gaudium, Eccle. 2. *Risum reputaui errorem; & gaudio dixi: quid frustra deciperis?* idest deduceris in peccatum. *Secundò* induratur ad spiritualia ex peccato, Eccli. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo*; & Rom. 2. *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor*. *Tertiò* quia sufficit sibi in rebus corporalibus, & non curat de spiritualibus, tunc superbit: quod est *initium omnis peccati*, *Eccli.* 10. Oportet ergo, quòd pœnitens, qui cor suum offert sacrificium Deo, contraria omnibus his faciat. Et primò contra inane gaudium oportet, quòd assumat tristitiam pœnitentiæ; & ideò dicit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; idest de omnibus peccatis simul tristetur, non de vno tantùm, 2. Cor. 7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: (*tristitia*, idest B compunctio, seu dolor de peccato, *pœnitentiam operatur* in nobis, idest alias partes pœnitentiæ, confessionem, & satisfactionem:) Bar. 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & in-*

Pœnitentia qualis esto.

Y Ier. 31. lit. g.

Z Apoc. 2. com. 2 §. 1. ibi.

A Ps. 50. lit. h. In peccato quæ fiant.

Iis contraria pœnitens faciat oportet.

B 2. Cor. 7. l. 3. ibi.

& incedis curru &c. dat tibi gloriam & iustitiam Domine. Contra secundum opponitur contritio; vnde dicit: *Cor contritum.* Quandiu enim quis habet cor durum, tunc quasi integrum habet cor in malitia: sed quando totaliter deserit peccatum, præbens se spiritualibus, dicitur tunc contritus, Iob 16. *Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum.* Contra tertium opponitur humilitas; & ideò dicit: *Et humiliatum Deus non despicies:* quia Iac. 4. *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.* Et sciendum, quòd facit mentionem de corde & spiritu. Spiritus enim pertinet ad animositatem: & sic pertinet ad irascibilem, Is. 25. *Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem.* Cor pertinet ad concupiscibilem; & sic per hoc datur intelligi, quòd quicquid est in vi appetitiua, debet Deo offerri in sacrificium, *per veram vtique pœnitentiam. Ad quam vlteriùs exigitur, vt præcedentis; & cuiusuis peccati penitùs tollatur occasio, Is. 5.* Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, *idest* vanis C occasionibus, quibus ad peccata homo trahitur. *Ex quo commendabilis fuit pœnitentia Petri: qui, postquàm Christum negauerat; penitens facti,* egressus foras fleuit amarè, *Mat. 26.* Statim *enim* declinauit D à consortio eorum, qui induxerant eum ad negandum. Sic & penitentes debent occasionem vitare peccandi, 2. *Cor. 6.* Exite de medio eorum, & separamini, *dicit Dominus,* & immundum ne tetigeritis; & ego recipiam vos. *Neque enim perfectè sequitur quis penitendo Christum, qui ad pristinam peccati occasionem reuertitur. Siquidem* ad perfectionem E vitæ Dominus pertinere dixit, quòd aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed vt vlteriùs retrò non abiret; vnde & ipse dicit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei,* Luc. 9. *Quod mysticè innuisse videtur Angelus, vbi Loth de Sodoma eductum monuit Gen. 19.* Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. *Vnde & respiciens* vxor eius post se, versa est in statuam salis (quam F Iosephus *lib. 1. antiq.* dicit se vidisse, & vsque ad tempus suum mansisse:) *ad instruendos nempe homines,* vt exeuntes G à vitijs, timerent retrocedere ad ea, quæ primò reliquerant: & vt scirent, quòd non solùm per opus extrinsecum retrocedentes, sed etiam per solam intentionem contra Dei præceptum retrò aspicientes, æterno supplicio sunt damnandi. *Veram ideircò penitentiam edocet Author, cum ad ea verba Apoc. 2.* Similiter penitentiam age, *ita scribit:* Quasi H dicat: Moneo te, vt de peccatis penitentiam agas, per iustitiam puniendo præterita, per temperantiam reprimendo præsentia, per prudentiam cauendo futura, per fortitudinem perseuerando in bona vita inchoata: Hæc enim quatuor sunt in vera penitentia: propter quod de istis dicitur *Sap. 8.* Sobrietatem & prudentiam docet (*Sapientia.*) & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. *Talis esto penitentia, qualem agebat Dauid, vt & ipse expressit Ps. 6.* Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Laboraui in gemitu meo* per gemitum I & suspiria. Thren. 1. *Multi gemitus mei, & cor meum mœrens;* & Ps. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Sequitur: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Moraliter lectus, in quo homo quiescit, est conscientia. Hanc lauat

C Is. 5. §. 2. ibi.

Penitenti occasio peccati tollenda.

D Mat. 26. fi. cap. & 2. Cor. 6. fi. cap.

Petri penitẽtia, ex quo commendabilis.

E 2. 2. 186. 5. ad 1.

Penitenti retrospiciendum non est, nec retrocedendum.

F Gen. 19. ibi.

G Ibid. ibi.

H Apoc. 2. Com. 2. §. 3. ibi.

Ad ueram penitentiam quatuor exiguntur cardinales virtutes.

Dauid penitens imitandus.

I Ps. 6. lit. d.

homo per lacrymas in penitentia, Ier. 4. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias:* Per stratum verò designantur peccata, quæ supersternuntur conscientiæ, quæ quidem abluenda sunt lacrymis: nam lacrymæ *ex glossa* lauant delictum, quod pudor est confiteri, Thren. 2. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei.* Et ait, *per singulas noctes,* idest per singula peccata: de singulis enim peccatis debet homo penitendo plorare.

Ex quo non omnis penitentia bona est, quia non vera: nec omnes, qui exteriùs penitentes videntur, ad salutem penitent sempiternam. Id quod sub vmbra quadam innuitur Num. 14. *vbi habetur, quòd* de omnibus L quos eduxit Dominus de Ægypto per desertum, per quod significatur penitentia, non intrarunt, nisi duo, terram promissionis, scilicet Iosue, & Caleb. *Talis fuit, apparens scilicet, non vera, penitentia Esau, de quo Apostolus ad Hebr.* 12. Non inuenit penitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. *Videlicet,* quia M non verè penituit, etsi lacrymas exteriùs emiserit. Quod patet ex hoc, quod dixit: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum,* vt legitur Gen. 27. *Et alibi:* Interdum N aliquis penitet; non propter amorem iustitiæ, sed propter timorem penæ, vel damni temporalis. Et sic penituit Esau: non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat. Vnde non dolebat de peccato venditionis (Eccli. 10. *Animam suam venalem habet:*) sed de damno perditionis. Et ideò penitentia eius non fuit accepta, quia non erat vera. Sic enim penitent damnati in Inferno, vt dicitur Sap. 5. *Penitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes:* non quia peccauerunt, sed quia exclusi sunt, *& iustè quidem,* à Regno Dei. *Vnde & docemur, quòd* damnati O non penitebunt per se loquendo de peccatis, quia voluntas malitiæ peccati in eis remanet. Penitebunt autem per accidens, in quantùm affligentur de pena, quam pro peccato sustinent. Per se enim penitet quis, qui peccatum in eo, quod est peccatum, abominatur: per accidens verò, qui illud odit ratione alicuius adiuncti, vtpote penæ, vel alicuius huiusmodi mali. *Huc facit illud Dauid, in persona peccatoris, dicentis Psal. 31.* Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. *At si tacuit, inquit Author, quomodo* clamabat tota die? *& respondet:* Clamabat P de pena, & tacebat de culpa, *de illa scilicet dolendo, non de ista. Sanè & homines* Q in hoc Mundo, quantumcumque obstinati, per accidens de peccatis suis penitent, si pro eis puniantur, quia vt dicit *Augustinus in lib. 83. Quæst.* Videmus etiam ferocissimas bestias dolore penarum à maximis voluptatibus abstinere. *Vnde concluditur, quòd* de malis R penæ potest esse dolor, sed non contritio, *sine quo vera penitentia non est. Et tamen* homines S magis terrentur à pena, quàm desiderent præmium. *Et illud Mat. 14.* Turbati sunt discipuli, *exponens Author,* quia *inquit* frequenter T homines ex timore conuertuntur: *rarò ex amore. Eiusmodi fuit ex acerbitate dolorum & scelestę penitentia Antiochi, vt in superioribus visum est. Sed & impii penitentia proditoris vera non fuit: qui peccatum quidem confessus est, & doluit; vnde dicitur Mat.* 27. Penitentia ductus, retulit 30. argenteos, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. *Attamen* hæc V penitentia non fuit vera penitentia. Habuit tamen aliquid penitentiæ, quia penitentia debet esse media inter spem

& ti-

Non omnis penitẽtia bona, quia non vera, qualis Esau fuit.

L 1. Pet. 3. §.

M 4. d. 14. 2. 1. q. 1. ad 2.

N Hebr. 12. l. 3. fi.

Qualis sit penitẽtia damnatorum.

O 4. d. 50. 2. 1. q. 2. c.

P Ps. 31. lit. b. ibi.

Q In 4. l. c. ad 4.

R 4. d. 17. 2. q. 1. fi c.

S Mat 15. lit. a. ibi, maledixerit

T Mat. 14. lit. b. ibi.

Penitentia Antiochi, & Iudæ qualis fuerit.

V Mat. 27. lit. a. ibi.

& timorem. Iudas autem timorem & dolorem quidem habuit, quia de peccato præterito doluit: sed spem non habuit. *Vnde & abiens*, laqueo se suspendit: *hic enim conuenit esse desperantium finis. Et alibi*: Iudas V vidit se malè fecisse: sed non verè & sufficienter pœnituit, licèt aliqua pœnitentia duceretur. *Quocirca ad illa verba Ps.* 50. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, *notat Author, quòd* quidam sunt X qui peccata sua non cognoscunt propter tres causas. Primò quia aggrauatur ratio ex grauitate peccati, Ps. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem*. Item, quia non recordantur, Eccle. 5. *Non satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius*. Item propter adulationes hominum, Ps. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ*: & ideò, quia alij laudant eum de peccatis, ipse non recognoscit. Sed felix, qui peccatum suum recognoscit, sicut Dauid. Prou. 14. *Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus*. Et hoc est, quod dicit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Deinde subdit: *& peccatum meum contra me est semper*. Quidam enim sunt, qui etsi cognoscant peccatum suum, tamen non detestantur. Sed ipse semper peccatum suum contra se habet, vt contrarium & nocivum & detestabile. Et dicit, *semper*, quia quidam sunt qui ad horam (*vel diem tantùm*) detestantur peccatum, *Iac.* 1. Considerauit se, & abijt. Et statim oblitus est, qualis fuerit. *Non ita Rex pœnitens Ezechias, qui dicebat Is.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: *quod est, sicuti Dauid, peccatum suum contra se semper habere, vtique ad detestandum. Nam pœnitentia interior (vt* Num. præced. *docuimus) debet esse continua vsque ad mortem.*

Verà pœnitentia media est inter timoré & spem

V Apoc. 17. com. 1. ibi, manducabût.

X Ps. 50. lit. b.

Triplex causa, quòd quis non cognoscit peccata sua.

Quidam cognoscunt, sed non detestantur.

Quidam detestantur, sed ad horam, vel diem.

u *Non vera autem pœnitentiæ signum in hominibus plerumque est, si post pœnitentiam facilè recidiuant: de quibus dicitur* 2. *Pet.* 2. Pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt; *idest*, fugiunt X peccata, sed non pericula peccatorum (*vnde frequentiùs recidiuatio*.) Vel *paululum*; idest eos, qui paruulo tempore à peccato abstinuerunt, & citò recidiuant. *Idcircò verus pœnitens Dauid dicebat Ps.* 17. Ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. *Iustorum enim hominum*, quidam Y innocentes sunt, ex quorum persona dicit: *Ero immaculatus*, idest stabo & perseuerabo in innocentia, Iob 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*. Quidam sunt pœnitentes: & ad hos pertinet, ne iterum in peccatum labantur. Ideò dicit: *& obseruabo me ab iniquitate mea*; quasi dicat. Non ero, *sicut canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*, vt dicitur 2. Pet. 2. *Hoc enim diuinam consueuit iram prouocare*, Eccli. 26. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum. *Vnde sequitur*: Deus parauit eum ad rhomphæam. *Enimuerò, nisi plenè sanetur per pœnitentiam vulnus peccati, sequitur putrefactio*: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, *dicebat Psaltes Ps.* 37. Cicatrix Z ex vulnere relinquitur: ita etiam quando quis peccauit, & dimissum est ei peccatum, sed adhuc est pronitas ad peccandum, est quasi cicatrix ex vulnere. Et sicut per imperitiam medici quandoque infirmitas generat intus putredinem, & corrumpit membrum: sic est in peccatore. Quia quando non curatur peccatum per pœnitentiam, fit putredo interiùs, idest delectatio peccati præteriti, & consentit in aliud simile. Ideò dicit: *à facie insipientiæ meæ*: quia medicus, quando curat, per insipientiam suam aliquando vulnus putrefit. Sic ex insipientia hominis (*pœnitentis*) nescientis sibi benè cauere, patitur recidiuum. *Ex quo liquet, recidiuum non veræ pœnitentiæ signum esse: quia perfecta pœnitentia, medicina est, perfectè animam sanans. Consonè ad hoc alludit parabola de seruo illo nequam* Mat. 18. *qui cum totum sibi à Domino fuisset debitum dimissum, inuentum mox conseruum sibi pauca debentem*, tenens suffocabat dicens: Redde quod debes. *Cuius culpam, obseruat Author, inter cætera* aggrauari A ex tempore: quia si post 9. vel 10. annos accidisset, non esset mirum, sed quia eodem die deliquit, ingratus efficitur. Sic de peccatore, qui quando sunt dimissa ei peccata, in eodem die ad peccata regreditur, *detestabiliter recidiuus*: (*cuius rei quotidiana habemus experimenta*.) *Proinde, quia in typum est recidiuantium peccatorum, consequenter vt plurimum non perfectè pœnitentium, benè sequitur*: Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. *Profectò ad pœnitentes huiusmodi* Deus non venit: *vel si venit*, mansionem non facit (*inquit Gregorius*) quia per compunctionem quidem, Dei respectum percipiunt; sed tentationis tempore hoc ipsum, quod compuncti fuerant, obliuiscuntur: sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. (Multi B lacrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt.) *Quò mysticè facit illud Domini Mat.* 19. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire. Et cum imposuisset eis manus, abijt inde. *Siquidem* aliquando C Christus apponit manus, & non abit inde: quia aliqui ita fortes sunt, quòd non retrocedunt, Io. 1. *Venerunt* (duo discipuli Ioannis ad Iesum) *& viderunt vbi, maneret, & apud eum manserunt*. Quia igitur isti adhuc imperfecti erant, nec habiles ad eum sequendum (*per quos imperfectè pœnitentes intellige*) ideò abijt inde: quia in his Christus mansionem non facit. *Idcircò hortatur Apostolus Eph.* 4. Nolite locum date diabolo (quæ *enim* conuentio Christi ad Belial? 2. Cor. 6.) *Imperfectè siquidem pœnitentes vel non dimittit Diabolus, vel statim ob recidiuum ad eos redit, Mat.* 12. Tunc dicit (*immundus spiritus*:) Reuertar in domum meam, vnde exiui &c. *Ex quibus verbis* colligitur D quòd si Diabolus aliquando expellitur ab aliquo, quia agit pœnitentiam, non tamen totaliter dimittit. Hoc ergo est intelligendum, vt semper soliciti sint homines, ne reuertatur. *Et veniens, inuenit eam vacantem, scopis mundatam*. Quod mundatur scopis, non mundatur nisi quod leuiter adhæret. Vnde idem est scopare, quod leuiter mundare; & inde scopatio, imperfecta mundatio: (*Ecce imperfecta pœnitentia, ex super-*

Non veræ pœnitentiæ signum, recidiuum esse frequenter.

X 2. Pet. 2. §5. ibi.

Y Ps. 17 lit. a.

Væ recidiuantí.

Z Ps. 71. lit. b. fi.

A Mat. 18. lit. c. ibi.

Ad imperfectè pœnitentes Deus non venit, vel mãsionem in eis non facit.

B Apoc. 9. com. 1. fin. cap.

C Mat. 19. lit. a. ibi.

D Mat. 12. lit. c. ibi.

 ficia-

ſtiali tantùm conſcientiæ diſquiſitione.) *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe; & intrantes, habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus*. Quod *ex Chryſoſtomo* exponitur ad literam: quia cum aliquis cadit, & non cauet, tunc deterius accidit ei, Io. 5. *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Ex Auguſtino, *aſſumit ſeptem*; & hoc dupliciter. Aliquando enim pęnitens agit pęnitentiam, ſed negligenter ſe habet; & tunc fit proclinior, Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*. Aliqui peccant aliquo peccato, & in ſtatu pęnitentiæ addunt ſimulationem. Et qui hoc modo peccant, fiunt perſeuerantiores in malo. Vnde dicit: *& intrantes habitant ibi*, quia inde recedere nolunt.

X *Verus autem pœnitendi modus inſinuatur* Iob 8. *iis verbis*: Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te. *Quibus in verbis* deſcribit E modum debitæ conuerſionis: ad quam tria requiruntur. Quorum primum eſt, vt peccator celeriter ſurgat; & hoc eſt, quod dicit: *Si diluculo*, ideſt tempeſtiuè, *conſurrexeris ad Deum*, relictis peccatis, ſecundùm illud Eccli. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum*. Secundum eſt, vt homo pro peccatis ſatisfaciat; & quantùm ad hoc dicit: *Et Omnipotentem fueris deprecatus*; inter ſatisfactionum enim opera, quaſi præcipuum videtur oratio. Tertium eſt, vt homo perſeueret, cauens ſibi à recidiuo peccati; & ideò dicit: *Si mundus, & rectus inceſſeris*, ſcilicet cauens tibi ab immunditijs carnis, & ab iniuſtitijs, quibus læditur proximus: *ſtatim euigilabit ad te*, ſcilicet Deus: *vt videlicet adiuuet, & ſuam gratiam impendat vel conſeruet*, Pſ. 43. Exurge, Domine, adiuua nos; *& paulò ante*: Exurge quare obdormis Domine? *Et quare obdormis*? Dormit enim tepidis, *inquit Ambroſius*, vigilat perfectis: *quales ſunt, qui perfectè ad Deum per pęnitentiam conuertuntur. Sunt autem plerunque tales, qui ex paſſione peccauerunt*. Peccatum *enim* voluntatis F contingit dupliciter circa finem. Vel ex paſſione deducente rationem ab actuali conſideratione recti finis: & talis peccator, pęnitens eſt paſſione ceſſante. Vel ex malitia, quæ ſecundùm Philoſophum *in 7. Ethic.* eſt corruptiua finis: & ſic peccans, oportet, quòd ſit impęnitens, vt dicit Philoſophus ibidem. *Quòd ſi pęniteat: an vera fuerit illius pœnitentia, faciliùs poteſt in dubium reuocari*. *Sit ergo fructus pœnitentia manens, non flos tantùm, diluculò naſcens, & meridiè languens & decidens. Ideircò dicitur Mat. 3.* Facite fructum dignum pęnitentiæ. *Quaſi dicat: non fragilem florem tantùm, ſed ſolidum fructum; neque fructum dumtaxat, ſed dignum. Enimverò* ſi flores G non ſequantur fructus, arbor illa nihil valet. Flos enim quidam pęnitentiæ apparet in contritione: ſed fructus eſt in executione, Eccli. 24. *Flores mei, fructus honoris & honeſtatis*. Eſt autem triplex fructus dignus pęnitentiæ. Primus eſt, vt puniat in ſe quod commiſit: & hoc iudicio Sacerdotis, Ier. 31. *Poſtquam conuertiſti me, egi pęnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum*; ideſt, carnem meam afflixi. Secundus eſt, vt fugiat peccata, & occaſiones peccati; vnde dicitur, quòd ſatisfacere, eſt cauſas peccatorum excidere, Eccli. 21 *Fili peccaſti? non adiicias iterùm: ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri, fuge peccata*. Tertius eſt, vt tunc ſtudeat ad benè agendum, quantum ſtuduit ad peccandum, Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtra. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*. Dicit autem H Apoſtolus, hoc eſſe *humanum*: quia ſecundùm rectum iudicium exigeretur, vt homo multò plùs ſeruiret iuſtitiæ, quàm antea ſeruierit peccato. *Vnde dicitur Bar.* 4. Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo: decies tantum iterùm conuertentes requiretis eum. *Pęniteat verò peccator cum certa veniæ fiducia & ſpe: ne deſperans, vti Iudas, miſerabiliter pereat*. Circa I Deum *quippè* vera exiſtimatio intellectus eſt, quòd ex ipſo prouenit hominum ſalus, & venia peccatoribus datur, ſecundùm illud Ezech. 18. & 33. *Nolo mortem impii, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat*. Falſa autem opinio eſt, quòd peccatori pęnitenti veniam deneget, vel quòd peccatores ad ſe non conuertat per gratiam iuſtificantem. Et ideò ſicut motus ſpei, qui conformiter ſe habet ad exiſtimationem veram, eſt laudabilis, & virtuoſus: ita oppoſitus motus deſperationis, qui ſe habet conformiter exiſtimationi falſæ de Deo, eſt vitioſus, & peccatum: *propria exinde ſaluti valdè damnoſum. Monebat propterea, id Pſaltes expertus Pſ.* 36. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet. *Reuela Domino viam tuam*, ideſt L peccata tua, Iob 13. *Vias meas in conſpectu eius arguam; & ipſe erit Saluator meus*. Et ideò bene dicit: *& ſpera in eo*: ſcilicet veniam peccatorum: *& ipſe faciet*; ideſt, remittet tibi peccata tua. *Quinimmò antequam ſua confiteatur peccata, vero corde pęnitenti ſuam impertit Deus clementiſſimus Pater miſericordiam: quod innuitur* Luc. 15. *vbi legitur*, *quòd priuſquàm prodigus Filius ad Patrem reuerſus premeret*, Peccaui, *ille* miſericordia motus eſt, & accurrens, cecidit ſuper collum eius &c. *Quo loci Chryſoſtomus*: Senſit *inquit* Pater M pęnitentiam. Non expectauit recipere confeſſionis verba, ſed præuenit petitionem, miſericorditer agens. *Igitur* duplex eſt N impedimentum pęnitentiæ: præſumptuoſitas de ſe, & deſperatio de diuino auxilio. *Et ideò poſtquàm Ioannes dixerat ad Phariſæos*: Facite ergo fructum dignum pęnitentiæ; *ſubiecit*: Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. *Quia ſcilicet* iſti ſecundùm carnem erant de genere Abrahæ. Vnde poterant credere, quòd quantumcumque peccarent, Deus miſereretur eis propter Abraham: (*præſumptionis enim eſt, ſine propriis operibus, & pęnitentia de peccatis, expectare ſalutem*.) Et ideò excludit hoc Ioannes, dicens: *Et ne velitis dicere &c.* Et eſt modus loquendi. Quaſi diceret: Non dicatis hoc, quia non valebit vobis, *Io.* 8. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. *Sicut autem duo ſunt, quæ pęnitentiam impediunt, & ab ea retrahunt, deſperatio ſcilicet & præſumptio: ita duo ſunt, quæ ad illam excitant. Vnde ſuper illud Matt.* 11. Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam

Tria ad bonam pęnitentiam requiſita.

E *Iob 8. l. 1. ibi.*

F *2. d. 7. 1. 2. corp.* ratione vltima. *In 4. d. 19. 2. 3. q. 1. ad 2.*

Sit pœnitentia fructus, non tantùm flos: nec fructus tantùm, ſed dignus.

G *Mat. 3. lit. g. ibi.*

Triplex pœnitentiæ fructus.

H *Rom. 6. l. 4. ibi. Op. 17. c. 5. ſ.*

I *2. 2. 20. 1c.* Pœnitentia cum certa veniæ fiducia ſit.

L *Pſ. 36. lit. c. ſ.*

M *Cat. aur. Luc. 15. ibi.*

N *Mat. 3. lit. a. ibi*, facite. Duplex pœnitentiæ impedimentum.

N *Mat. 11. c. ibi.*

Duo pariter [?]*leam indu*[?]*nt.*

tiam egissent : *doceamur*, *quòd* duo N inducunt ad pœnitentiam. Vnum recordatio delictorum ; & hoc significatur in cilicio, quod fit de pilis caprarum : istud enim animal immolabatur pro peccato. Aliud est consideratio mortis, & conditio humanæ fragilitatis ; vnde dicitur *Gen.* 3. Puluis es & in puluerem reuerteris ; *& Iob* 42. Ago pœnitentiam in fauilla & cinere. *Et David Ps.* 37. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. *Nec est sanè quod magis ad Deum placandum valeat, quàm humilis pœnitentia. Legimus enim* 3. Reg. 21. *ad impium Achab ex ore Domini Eliam prompsisse* : Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israel. *Et post pauca subditur* : Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. *Moxque subiicitur* : Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me ? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. (*Vbi nota digna sunt ea verba*, mei causa : *pœnitentia enim agenda est propter Deum summè dilectum, de quo infrà.*) *Non secus & Iona subuersionem Niniues Dei iussu minitante* (*ut dicitur* Ion. 3.) *vbi in pœnitentia signum legitur, quòd* vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem : *& Rex* surrexit de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in cinere, *subditur immediatè* : Vidit Deus opera eorum, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. *Quomodo ergo diuinam valeant demulcere iram pœnitentes, moderna præsertim fœmina, floribus, gemmis, amictuque vano & pretioso, ne dicam meretricio exornata, ita vt ad nuptiale gaudium, potiùs quàm ad pœnitentiæ luctum, accedere videantur? Caueant sibi* : Amictus enim corporis (*Eccli.* 19.) & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo, *qualis videlicet sit, & qualiter pœnitens.*

Humilis pœnitentia quantum valeat ad placandũ Deum.

Tristitia pœnitentiæ honesta & vtilis.

O 1.2. 39.2.c.

y *Quamuis autem pœnitentia tristitiam inducat : hæc tamen honesta, & vtilis tristitia est. Honesta quidem, quia* in interiori O tristitia cognitio mali quandoque quidem est per rectum iudicium rationis, & recusatio mali est per voluntatem benè dispositam, detestantem malum. Omne autem bonum honestum ex his duobus procedit, scilicet ex rectitudine rationis, & voluntatis. Vnde omnifestum est, quòd tristitia potest habere rationem boni honesti : *qualis est tristitia pœnitentis. Vtilis verò : quia aliquid vtiliter fugitur, quando fugitur* propter se ipsum P ex contrarietate, quam habet ad bonum, sicut peccatum : & ideò tristitia de peccato vtilis est ad hoc, quòd homo fugiat peccatum, sicut Apostolus dicit 2. Cor. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Sicut ergo delectatio de bono facit, vt bonum auidiùs quæratur : ita tristitia de malo facit, vt malum vehementiùs fugiatur. *Et hoc est sine dubio vtile bonum. Eo vel maximè, quòd tristitia hæc in veram terminatur lætitiam. Vnde & hæc est* Q consuetudo in Psalmis pœnitentialibus, quòd incipiunt à luctu, & finiunt in lætitia : quia hoc pœnitentia facit. *Et alibi* : Psalmi R pœnitentiales sunt septem propter septem dona Sancti Spiritus, per quem quis pœnitet, & omnes incipiunt à luctu, & terminantur in lætitiam : quia per planctum pœnitentiæ peruenitur ad regnum gloriæ. *Vnde Dominus. Mat.* 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Quin & ipse Deus de vera peccatoris pœnitentia lætari quodammodo videtur : sed et Christus Dominus, & Angeli, & homines. Deus quidem, quia verè pœnitentem præ gaudio complectitur & spiritualiter osculatur* (*secundùm illud Cant.* 1. Osculetur me osculo oris sui :) *quod satis exprimitur in cit. parabola de prodigo filio, cum ad se reuertente, Pater, accurrens* cecidit super collum eius, & osculatus est eum. *Nempe* osculatur S os (*ex Chrysostomo*) per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat, quam Pater lætus excepit. *Vlteriùs & Christus* T lætatur in pœnitentia, Luc. 15. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Secundò Angeli in ea lætantur, ibid. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Tertiò lætatur homo, quia per eam à perditione liberatur, ibid. *Vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam.* Et Ezech. 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris ; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Eapropter postquam* Ps. 50. *expresserat David* : Asperges me Domine hyssopo, & mundabor ; *immediatè subiecit* : Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, *quam & inferiùs implorat* : Redde mihi lætitiam Salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. *Per pœnitentiam enim habetur gratia* : Qui *autem* habet V gratiam, habet charitatem ; & qui habet charitatem, amat Deum, & habet ipsum : & qui habet, quod amat, gaudet. Ergo vbi charitas, ibi gaudium, Rom. 14. *Non est regnum Dei esca & potus, sed gaudium in Spiritu Sancto.* Hoc gaudium perdiderat Psalmista ; & ideò petit sibi restitui, cum dicit : *Redde mihi lætitiam*, non de mundanis, sed *salutaris tui*, idest de saluatione. Alia litera habet : *lætitiam Iesu*, scilicet Saluatoris, per quem fit remissio peccatorum. *Præfatum autem* gaudium in Spiritu Sancto, *satis innuit, cum subdit* : Et Spiritu principali confirma me, *scilicet* Spiritu Sancto, *cuius fructus ad Gal.* 5. Charitas, gaudium, pax. *Et hoc quidem gaudium* nemo nouit, nisi qui accipit : *quale norunt post detestationem peccatorum & confessionem verè peccatores pœnitentes, graui culparum pondere liberati, diuinaque gratia consolatione refecti. Et notandum, quòd* in ordine X Psalmorum hic Psalmus est quinquagesimus ; & hic est numerus iubilæus, vt dicitur *Lev.* 27. in quo fiebat remissio omnium debitorum. Vnde congruit hic numerus huic psalmo, in quo agit de plena remissione peccatorum. Similiter, quantùm ad pœnitentiales, iste ponitur quartus, & conuenienter. Nam primus pertinet ad cordis contritionem, vnde dicit : *Lauabo per singulas noctes lectum meum &c.* Secundus pertinet ad oris confessionem : Dixi : *Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino &c.* Tertius pertinet ad satisfactionem, vnde dicit : *Afflictus sum & humiliatus sum nimis &c.* Hic autem quartus pertinet ad effectum pœnitentiæ. In quo ostenditur, quomodo pœnitentia restaurat hominem ad perfectum. Et ideò inter omnes alios psalmos iste magis frequentatur in Ecclesia, quia iste solùm implorat misericordiam, & sic impetrat veniam. Et hoc facile est : & cuilibet potest competere. In alijs autem sex psalmis pœnitentialibus sunt quædam grauia ; sicut, *lauabo per singulas noctes lectum meum* : item, *cinerem tanquam panem manducabam, & panem meum cum fletu miscebam* : & huiusmodi, quæ non possunt cuili-

P *Ibid.a.3.c.*

Q *Ps. 31. §.* Terminatur in lætitiam.

R *Psal. 6. initio.*

Psalmi pœnitentiales incipiunt à luctu, & in lætitia finiunt.

S *Cat. Aur. Luc. 15. ibi.*

T *Serm. 2. ex Eu. Dom. 3 post Pent.*

Pœnitentiæ gaudium.

V *Ps. 50. lit. f. ibi.*

X *Ps. eod. initio.*

Ps. 50. *Miserere*, Psalmus est præcipuus pœnitentialis, & est numerus iubilæus.

Cur præ ceteris frequentetur in Ecclesia.

cuilibet competere. Sed & sciendum, quòd Dauid in alijs Psalmis loquitur de alijs: sicut ibi, *Deus Deus meus respice in me &c.* loquitur prænuncians passionem Christi: & sic in diuersis Psalmis loquitur de diuersis; sed istum psalmum propter se ipsum fecit: (*unde & titulus est*: Psalmus Dauid, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee.) In quo ostendit culpam, quam fecit Mundo manifestam: & similiter veniam. Et sic impletur illud 2. Reg. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* Ratio autem huius manifestationis est diuina misericordia. Nam vtilis est iustis hæc manifestatio, vt non præsumant de sua iustitia: quia, si Dauid post tot victorias, post donum Spiritus Sancti, post tantam familiaritatem cum Deo, & prophetiam, peccauit: quantùm debemus cauere nos, qui fragiles & peccatores sumus? 1. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Item vtilis est peccatoribus, vt non desperent, Prou. 24. *Si desperaueris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Nam Dauid post homicidium & adulterium recuperauit gratiam prophetiæ. *Et quidem peccatorum in præsenti coram Deo per pœnitentiam manifestatio tollit in futuri iudicij die confusionem, Apoc. 3.* Vt non appareat confusio nuditatis tuæ; *scilicet* in die Y iudicij, quando omnia manifesta erunt, Ier. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.* Hæc enim confusio potest euitari per modicam confusionem, quam habet pœnitens à Sacerdote, *Est enim confusio adducens peccatum.* Eccli. 4.) *& est confusio adducens gloriam & gratiam*: Adducens *inquam* gloriam. *Etenim quòd* peccata Z Sanctorum reuelantur, non potest eis esse in erubescentiam vel verecundiam: sicut nec Mariæ Magdalenæ est in confusionem, quòd peccata sua in Ecclesia publicè recitantur. Quia verecundia est timor in glorationis, vt dicit *Damascenus*, qui in beatis esse non poterit: sed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt. *Vnde & quasi videntur non peccasse. Ex quo legimus Eccli. 49.* Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes Reges commiserunt peccatum: nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorem Dei. *Id quod enarratur: quia* hi A tres *ex glossa* comparatione aliorum non dicuntur peccasse: quòd enim peccauerunt, condigna pœnitentia deleuerunt; & deuotione ac pietate Deo placuerunt.

Manifestatio peccati Dauid vtilis iustis & peccatoribus.

Talis hic manifestatio tollit confusionē in die iudicij. Y Apoc. 3. com. 2. §. vlt.

Peccata per pœnitentiam deleta, cedūt etiam publicata in gloriam iustorum. Z 4. d. 43. 1. 5. q. 2. ad 3.

A Op. de er. Pr. l. 1. c. 1.

Z *Cæterùm stabilis esse debet, quam semel amplectimur, pœnitentia. Siquidem* euacuanda est B à nobis puerilis mutabilitas: qualis est in illis, qui vna die aggrediuntur viam Paradisi, & alia die redeunt ad viam Inferni: vna die ædificant, alia die destruunt, Eccli. 34. *Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis, nisi labor?* Mutabilitas est signum stultitiæ, Prou. 15. *Cor stultorum dissimile erit.* Et Eccle. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: nam stultus, sicut Luna mutatur*: (*& nihilominus* stultorum *huiusmodi, scilicet pœnitentium*, infinitus est numerus, *Eccli. 1.*) Vir iustus debet in præsenti quodammodò æternitatem inchoare per constantiam & perseuerantiam; *Bernardus*: Quid tantæ leuitati, & æternitati? *Ad hoc autem, vt stabilis & permanens pœnitentia sit, peccato penitùs & plenè mori debemus, 1. Pet. 2.* Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore

B Eod. Op. lib. 5. cap. 48.

Pœnitentia stabilis esto.

Peccato plenè moriendum.

suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. *Vt peccatis mortui*, idest C à peccatis separati, sicut mors est separatio animæ à corpore. In mortuo enim non est sensus, neque motus; sic nec in nobis debet esse sensus, idest affectus peccati ad intra, nec motus siue opus ad extra. *Iustitiæ viuamus*, sicut ipse resurgens viuit noua vita gloriosa, Rom. 6. *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.* Mortuos esse peccato, scilicet D tanquam ad peccatum nunquam sitis redituri, *Is. 16.* Morientes non viuant; *viuentes autem Deo*, idest ad honorem, & similitudinem Dei, vt scilicet nunquam per peccatum moriamur, *ad Gal. 2.* Quòd autem nunc viuo in carne, in Fide viuo Filij Dei. *Et priùs præmiserat*: Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, *in virtutibus scilicet proficientes, Ps. 83.* Ibunt de virtute in virtutem: *& ad eo perfectiora post pœnitentiam tendentes, quò imperfectiora commisimus. Perfectiora autem sunt quæ ex maiori procedunt charitate; qualis est, si nedum nostram; sed & proximorum salutem per pœnitentiam procuremus. Eiusmodi fuit post conuersionem charitas Pauli, qui vel* anathema optabat esse à Christo pro fratribus suis, *Rom. 9. Hoc enim veræ pœnitentiæ manifestum signum est, si ad quem conuersi sumus, & errantes proximos adducamus. Id quod pœnitens Matthæus & fecit & docuit.* Fecit *enim* Domino E conuiuium, & inuitauit multos vt ad Deum traherentur: quia cortina cortinam trahit, vt dicitur *Exod. 36.* Vnde signum est, quòd aliquis firmiter conuersus est ad Dominum, quando alios trahit, quos magis diligit. *Et ideò dicit, quòd* multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu. *Hinc mysticè Apoc. 3.* Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. *Quod & innuitur Io. 3. cum dicitur*: Venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. *Quo loci instruimur, quòd* moraliter F Iudæa interpretatur *confessio*, ad quam venit Iesus: quia Christus confitentes peccata sua visitat, Is. 113. *Facta est Iudæa sanctificatio eius.* Et dicitur, quòd *illic demorabatur*: quia tales non transitoriè visitat, Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et illic baptizat, idest purgat à peccatis: quia nisi quis peccata sua confiteatur, remissionem non consequitur, *Prou. 28.* Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea (*nota*) misericordiam consequetur. (*Aduertat hic Lector quòd cum dicitur Io. 3. cit. quòd Christus baptizabat, intelligitur interiùs purgando à peccatis, vt expositum est: præbebat enim per virtutem excellentiæ, sine exhibitione Sacramenti, Sacramenti effectum, sicut alibi ex Authore docuimus. Quod expressè habetur seq. cap. 4.* Vt cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam. *Vbi docemur, quòd* Christus G baptizabat, & non baptizabat. Baptizabat quidem, quia ipse mundabat interiùs: sed non baptizabat, quia ipse non tingebat aqua exteriùs. Nam discipuli præbebant ministerium per ablutionem corporis, Christus verò præbebat Spiritum interiùs mundantem. Vnde ipse propriè baptizabat, Io. 1. *Super quem videris spiritum*

C 1. Pet. 2. vlt. ibi.

D Rom. 6. l. 2. & 4. Is. 17. c. 5. f.

Pœnitentia ad perfectiora tendendum.

Veræ pœnitentiæ signū, & ceteros peccatores ad pœnitentiam adducere. E Alas. ... b. ibi, & ... ctum est.

F Io. 3. l. 4. ... a. fi.

Christus baptizabat, effectum baptismi fine Sacramento præbens.

G Io. 4. l. ... lit. b.

ritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.) *Enimuerò, quò Christum securè inueniamus, per pœnitentiam quærendus est. Nec enim perperam à Virgine Matre dictum est ad Filium Luc.* 2. Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. *Dolentes, inquam: nam* quærendus est H Christus cum dolore peccatorum, *vt inueniatur in templo*, hoc est in anima nostra, quæ Templum Dei *est*, 2. *Cor*. 6. Vos estis Templum Dei viui. *Vbi & signanter additur, quòd* post triduum inuenerunt, *quia nonnisi per pœnitentiam perfectam inuenitur, quæ triplicem partem habet, contritionem scilicet, confessionem & satisfactionem. Est autem Christus*, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, *Colos*. 2. *Per charitatem verò sunt in eo pœnitentes, & ipse in illis: quia* qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, 1. *Io*. 4. *Vnde & pœnitentes, Ecclesiæ thesauri dicuntur: eoque pretiosiores, quo ex maioribus delictis ad Deum per pœnitentiam conuersi, de quibus dicitur Ps.* 32. Ponens (*Dominus*) in thesauris abyssos. *Abyssos*, priùs I scilicet peccatores, profundos & obscuros tenebris vitiorum, ponens thesauros Ecclesiæ. Magnus enim thesaurus Ecclesiæ Paulus est, & Matthæus, & Magdalena, qui quondam fuerunt quasi quidam abyssus. *Quanti facit Deus pœnitentem peccatorem! Qualis & quantus fit pœnitendo peccator! Ex quo ad agendum gratias Deo, magis quàm innocens, videtur pœnitens teneri. Quocirca sciendum, quòd* actio L gratiarum in accipiente respicit gratiam dantis. Vnde vbi est maior gratia ex parte dantis, ibi requiritur maior gratiarum actio ex parte recipientis. Gratia autem est, quia gratis datur; unde dupliciter potest esse ex parte dantis maior gratia. *Vno modo* ex quantitate dati: & hoc modo innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quia maius bonum ei datur, & magis continuatum, cæteris paribus, absolutè loquendo. *Alio modo* potest dici maior gratia, quia magis datur gratis; & secundum hoc magis tenetur ad gratiarum actiones pœnitens, quàm innocens; quia magis gratis datur illud, quod ei datur à Deo. Cum enim esset dignus pœna, datur ei gratia. Et sic, licèt illud donum, quod datur innocenti, sit absolutè consideratum maius: tamen donum, quod datur pœnitenti, est maius in comparatione ad ipsum. Sicut etiam paruum donum pauperi datum, est ei maius, quàm diuiti magnum.

Per pœnitentiam Christus securè inuenitur.

H Serm ex Eu. Dom. infr. Oct. Epiph.

Peccator pœnitens, Ecclesiæ thesaurus: qualis Paulus, Matthæus, Magdalena.

I Ps. 32. lit. f. fi.

Vter ad gratias Deo agendas magis teneatur: pœnitens, an innocens.

L 2. 2. 106. 2. c. & 1. p. 20. 4. ad 4. & 3. p. 88. 2. ad 3. In 3. d. 32. 1. 5. q. 2. c. & ad 1.

Maior gratia ex parte dantis dupliciter.

a *Ergo, si tale ac tantum pœnitentia beneficium est, eam generosè pioque amplectantur animo peccatores. Ad quam proinde hortatur Apostolus Iacobus cap. 4. cum ait*: Miseri estote, & lugete. *Miseri estote*: idest M miseriam vestram recogitate & recognoscite, in quam scilicet per peccatum incidistis. Vel *miseri estote* miseria interioris doloris: *& lugete* signo exterioris doloris. Vel *miseri estote* pro commissis: *& lugete* pro omissis. Vel *miseri estote* pro gloria, quam amisistis: *& lugete pro pœna*, cuius debitores facti estis. *Ad idem excitat & Apostolus Petrus in sua 1. cap.* 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, vt non iam desiderijs hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne viuat temporis. Sufficit enim præteritū tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, comessationibus &c. *Qui passus est in carne*, idest N in se toto homine: in anima per contritionem, in carne per macerationem, talis *desiit à peccatis* omnibus, tam carnalibus, quàm spiritualibus: *vt non iam desideriis hominum*, hoc est, desiderijs carnalibus, *sed voluntate Dei*, idest secundùm voluntatem Dei, faciendo opera bona, *quod reliquum est temporis*, idest ad modicum, quod restat sibi de spatio vitæ, supple ad agendum, vel ad viuendum, *in carne viuat*, idest in vita ista corruptibili, & fragili. Et notandum, quòd dicit, *quod reliquum est temporis*, idest reliquias temporis sui. Fortè multa fercula fecit homo diabolo: vnam partem temporis expendendo in luxurijs, aliam in superbia, & elatione cordis, aliam in gula, aliam in auaritia: saltem reliquias temporis sui det Deo, & viuat secundùm voluntatem Dei. *Sufficit enim præteritum tempus* impendisse secundùm voluntatem gentium: *sufficit præteritum*, immò minùs est, quia totum tempus ad pœnitentiam est datum. Vnde in peccatis expenditur superfluè: *ad voluntatem Gentium consummandam*, idest malorum gentiliter viuentium, quibus vos conformastis peccando, vnde & tempus præteritum consumpsistis in vanum. *Qui ambulauerunt* de malo in peius proficiscendo, *in luxuriis, & desideriis*, idest in luxuriandi actu & voluntate &c.

Pœnitentia peccatoribus amplectenda.

M Iac. 4. §. 4. ibi.

N 1. Pet. 4. §. 1. ibi.

Quid ipsis agendum.

Quòd si pœnitentiam renuas amplexari, exprobrabitur tibi à Domino in die iudicii; & magis quidem, quòd pœnitentiam non egeris, quàm quòd peccata commiseris, Mat. 11. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozaim &c. *Vbi Author*: Exprobratio *inquit* est O respectu beneficiorum, & respectu datorum. Magnum enim beneficium fecerat Dominus, quia sui præsentia eos illustrauerat, vnde ingrati erant; & ideò meritò exprobrabiles, Mich. 6. *Popule meus, quid feci tibi; aut quid molestus fui tibi?* Quasi dicat: nihil. Et non exprobrauit eos, quòd peccata egissent, sed quòd pœnitentiam non fecissent. Vnde eis conueniebat quod dicitur *Iob* 24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ; & ille abutitur eo in superbiam. *Et Rom.* 2. An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Et hoc idem innuitur satis* Mat. 12. *vbi contra Iudæos contumaces dicitur à Domino*: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: Et ecce plusquam Ionas hic. *Condemnabunt*; in P quo? *quia pœnitentiam egerunt*: illi verò noluerunt facere pœnitentiam. (*non dixit*, condemnabunt, *quia peccauerunt tantùm, sed magis, quia* noluerunt pœnitentiam facere.) Dominus incæpit prædicationem suam à pœnitentia, Mat. 4. *Pœnitentiam agite &c.* Ioannes similiter *Mat.* 3. & non audierunt, Ier. 8. *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo.* Item illi fecerunt pœnitentiam in vna prædicatione Ionæ. Iesus autem multas prædicationes eis fecerat: & tamen non sunt conuersi, Io. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Item conuersi sunt in prædicatione vnius prophetæ: sed isti non solùm habuerunt prophetam, sed Filium Dei, Hebr. 1. *Multifariam multisque modis, olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio.* Vnde sequitur: *Et ecce plusquam Ionas hic.* Ergo Niniuitæ præferuntur, quia pœnitentiam egerunt. *At quantò magis exprobrandum Christiano populo*, si Filium Dei conculcauerit (*Hebr.* 10.) & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, &

Exprobrabitur nobis in die iudicii, quòd pœnitentiam non egerimus: magis quàm quòd peccata commiserimus.

O Mat. 11. lit. c. sub initio & ibi, Corozaim.

P Mat. 12. lit. c. ibi.

Væ Christianis peccantibus, & non pœnitentibus.

Spiri-

Spiritui gratiæ contumeliam fecerit ? *abutendo nimirùm Sacramentis, pœnitentia præsertim, quæ de crucifixi Domini latere ad redemptionem & salutem nostram effluxere. Ne igitur ex pœnitentia neglectâ damnemur, vel contemptu, & à supremo iudice iustè, pro culpis nostris, æternis addicamur pœnis: nos ipsi in nobis peccata nostra per pœnitentiam puniamus.* Cum enim Q omne malum (*vt aiebat initio Author*) necessarium sit puniri, vel ab homine, vel à Deo, si hoc non punit: melius est, quòd homo malum in se puniat, quod fecit, quam quòd Deus. Quia, vt dicit Apostolus ad Hebr. 10. cit. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Quantò enim R iudex iustior & fortior est, tantò magis timendum est. Ergo horrendum est incidere in manus eius, *Eccli.* 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. DISCE *nunc pœnitere, cum* benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, *Rom.* 2. *Vide* Conscientia *Tomo* 1. Peccator.

Q 2. *Cor.* 7. *l.* 3. *ibi*, desiderium, & *Ps.* 50. *lit. c. fi.*

R *Hebr.* 10. *l.* 3. *fi.*

POENITENTIÆ PARTES.

XVII. Quantò magis homo continuè in actu displicentiæ de peccato esse potest, tantò meliùs est, dummodò actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundùm quod oportet. *In 4. d. 17. 2. 4. q. 2. corp.*

b CONTRITIO, *pœnitentis actus præcipuus, & inter partes Sacramenti pœnitentiæ princeps pars, nomen à conterendo deriuat, quod ex materialibus, siue corporalibus ad spiritualia transfertur.* Initium *siquidem* omnis S peccati est superbia, per quam homo sensui suo inhærens, à mandatis diuinis recedit. Et ideò oportet, quòd illud, quod destruit peccatum, hominem à proprio sensu discedere faciat. Ille autem, qui in sensu suo perseuerat, rigidus & durus per similitudinem vocatur; vnde & frangi aliquis dicitur, quando à sensu suo diuellitur. Sed inter fractionem, & comminutionem, siue contritionem in rebus materialibus (vnde hæc nomina ad spiritualia transferuntur) hoc interest, vt dicitur *in 4. Meteor.* quòd frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes diuiduntur; sed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quòd homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quandam continuitatem, & soliditatem in sensu suo habebat: ideò actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem. (*Quæ similitudo satis innuè videtur* Is. 30. *iis verbis*: Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida; & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, *scilicet fomitis*, aut hauriatur parum aquæ de fouea, *de qua dicitur Prou.* 23. Fouea profunda est meretrix &c. *Alioquin vera contritio non erit*: quod valdè notandum.) In qua quidem contritione plura possunt considerari, scilicet ipsa substantia actus, modus agendi, principium, & effectus. Et secundùm hoc de contritione inueniuntur diuersæ diffinitiones traditæ: (*quas vide ibi.*) Quantùm autem ad substantiam actus,

S 4. *d.* 17. 2. 1. *q.* 1. *c.* & *q.* 2. *ad* 3. & *a* 2. *q.* 1. & 2 *c.* & 4. *con. G cap.* 72. *Ps.* 50. *lit. h. ibi*, cõtritum.

Contritionis Etymon.

datur hæc diffinitio: *Contritio est dolor, pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Et quia actus contritionis est actus virtutis, & est pars pœnitentiæ Sacramenti: ideò manifestatur in prædicta diffinitione, in quantùm est actus virtutis per hoc, quòd ponitur genus ipsius, *scilicet dolor*: & obiectum in hoc, quòd dicitur, *pro peccatis*: & electio, quæ requiritur ad actum virtutis, in hoc, quòd dicitur, *assumptus*. Sed in quantùm est pars Sacramenti, per hoc, quòd tangitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicitur: *cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Docemur proinde, quòd* contritio T votum confessionis adnexum habet: & satisfactio pro iudicio Sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. *Sanè* quamuis V tota pœna possit per contritionem dimitti: tamen adhuc necessaria est confessio & satisfactio. Tum quia homo non potest esse certus de sua contritione, quòd fuerit ad totum tollendum sufficiens: tum quia confessio, & satisfactio sunt in præcepto; vnde transgressor constitueretur, si non confiteretur, & satisfaceret. *Igitur* nunquam X potest esse vera contritio sine voto clauium Ecclesiæ, quantumcumque sit dolor de peccato præterito, & propositum abstinendi in futurum, *vt præmissum est. Et in hoc sensu dicitur, quòd* vna Y pars integralis potest continere totum, licèt non secundùm essentiam. Fundamentum enim quodammodo virtute continet totum ædificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam. *Id quod roborat diffinitque* Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 4. *cum ait*: Contritio, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. *Et inferiùs docet*: Et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum (*pœnitentiæ*) actu suscipiatur: ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. *Propositum verò non peccandi de cætero necessariè exigitur ad contritionem: neque enim compati potest cum detestatione peccati præteriti propositum non cauendi in futurum, cum peccatum quodcumque detestabile sit ex eo, quòd est offensa summi boni. Eapropter nunquam potest quis peccatum præteritum plenè detestari, nisi proponat in futurum cauere. Et quidem* contritio Z secundùm suam speciem respicit tantùm peccatum præteritum; sed ex consequenti respicit futurum, secundùm quod habet aliquid de actu prudentiæ adiunctum; & tamen in illud futurum secundùm rationem propriæ speciei non mouetur. Et propter hoc ille, qui conteritur, dolet de peccato præterito & cauet futurum. Sed non dicitur esse contritio de peccato futuro; sed magis cautio, quæ est pars prudentiæ, contritioni adiuncta. *Ex quo dicitur, quòd* ille A pœnitet, qui peccata deflet, & flenda non committit, (*vt præmissum est*:) quod totum refertur ad propositum mentis, vt scilicet dicatur, *& flenda non committit*; idest, proponit non committere: hoc enim requirit pœnitentia. *Et alibi*: Primum B quod in pœnitentia requiritur, est ordinatio mentis; vt scilicet mens conuertatur ad Deum, & auertatur à peccato, dolens de commisso, & proponens non committendum; quod est de ratione contritionis. *Et hæc est vera pœnitentia, quæ innuitur Is. 66. iis Domini verbis*: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? *Pauperculum*, idest C humilem, qui se paruum

Contritionis diffinitio.

T 4 *d.* 17. 3. 5. *q.* 1. *ad.* 1. & *a.* 1. *q.* 4. *c. Opu.* 22. *cap.* 2.

Habet votum confessionis adiunctum, & satisfactionis, quæ sunt in præcepto.

V 4. *d.* 17. 2. 1. *q.* 1. *ad* 8. & *a.* 5. *q.* 2. *ad* 1.

X *Quol.* 4. *a.* 10. *ad* 3. *Op.* 22. *cap.* 2.

Non est vera contritio sine voto clauium, & proposito non peccandi de cætero.

Y 3. *p.* 90. 3. *ad* 2.

Tridentini diffinitio.

Z 4. *d.* 17. 2. 2. *q.* 4. *c.*

A *Mat.* 3. *lit. a. ibi* pœnitentiam.

B 4. *con. G. c.* 72.

C *Is.* 66. *ibi.*

tum reputat quantùm ad præsentia : *contritum* de peccatis præteritis : *trementem* quantùm ad propositum de futuris cauendis.

D 4. d. 17. 2.2. q. 2. ad 2.

Contritio respondet culpæ ex parte auersionis.

c Cæterum auersio D voluntatis est illa, cui debetur contritio. *Nam sicut* satisfactio E, quæ attenditur secundum pœnam taxatam, proportionatur culpæ ex parte conuersionis, ex qua finitatem habet : *ita* dolor contritionis respondet culpæ ex parte auersionis, ex qua habet quandam infinitatem. *Et hinc est, quod* contritio F secundùm quod in se consideratur, fuit semper eodem modo in qualibet lege. Sicut enim futurum peccatum semper oportet vitare, ita semper & de commisso dolere. Sed secundùm quod importat ordinem ad alias pœnitentiæ partes, non semper fuit eodem modo, eo quòd aliæ partes eodem modo non semper fuerunt. Vnde non oportet, quòd semper eodem modo fuerit propositum confitendi, & satisfaciendi, quod in diffinitione contritionis ponitur. *Porrò* contritio G est à Deo solo quantùm ad formam, qua informatur, sed quantùm ad substantiam actus, est ex lib. arbitrio, & à Deo, qui operatur in omnibus operibus & naturæ, & voluntatis. *Et alibi coherenter* : Contritio H est à lib. arbitrio, & à gratia. Secundùm quod procedit à lib. arbitrio, est dispositio ad gratiam, simul existens cum gratia : sicut dispositio, quæ est necessitas, simul est cum forma. Sed secundùm quod est à gratia, comparatur ut actus secundus ad gratiam. Mentis *quippe* reordinatio I sine gratia esse non potest. Nam mens nostra debitè ad Deum conuerti non potest sine charitate: charitas autem sine gratia haberi non potest. Sic igitur per contritionem & offensa Dei tollitur, & à reatu pœnæ æternæ liberatur, qui cum gratia & charitate esse non potest : non enim æterna pœna est, nisi per separationem à Deo, cui gratia, & charitate homo coniungitur. *Proinde charitas remissionem efficit peccatorum, qui est præcipuus contritionis effectus. Secundus verò, auferre pœnæ reatum.* Contritio *enim* non tantùm L habet vim ex charitate, sed etiam ex dolore: & ideo ratione charitatis delet culpam; ratione autem doloris computatur in satisfactione pœnæ. Quòd *autem* charitas M efficiat peccatorum remissionem, manifestè videmus ex nobis. Si enim aliquis aliquem offendit, & ipsum postea intimè diligat, propter dilectionem tibi ostensam laxat. Sic & Deus diligentibus se peccata dimittit, 1. *Pet.* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et benè dicit, *operit*, quia scilicet à Deo non videntur, ut puniat. Sed licèt dicat, quòd *operit multitudinem*, tamen Salomon dicit Prou. 10. quòd *vniuersa delicta operit charitas*. Et hoc maximè manifestat Magdalenæ exemplum *Luc.* 7 *Dimissa sunt ei peccata multa*; & causa subditur : *quoniam dilexit multùm.* Sed fortè dicet aliquis: Sufficit ergo charitas ad delenda peccata, & non est necessaria pœnitentia. Sed considerandum, quòd nullus verè diligit, qui non verè pœnitet. Manifestum est enim, quòd quanto magis aliquem diligimus, tantò magis dolemus, si ipsum offendimus. *Vnde & contritio ex charitate procedit. Et hinc est contritionis valor ad delendam infinitam Dei offensam. Nam* dolor N contritionis, quamuis sit finitus quantùm ad intensionem, sicut etiam & pœna peccato mortali debita finita est : habet tamen infinitam virtutem ex charitate, qua informatur. Et secundùm hoc potest valere ad deletionem culpæ & pœnæ. *Quinimmò*, quantumcumque O paruus sit dolor, dummodò ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. *Sed & quandoque* contingit P tantùm intendi charitatem in actu, quòd contritio inde sequens merebitur non solùm culpæ amotionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna, *vt feliciter contigit Magdalenæ. Non tamen semper: quia non semper, nec omnibus datur perfectissima actum elicere contritionis. Quod innuitur* Mat. 18. *In Parabola de seruo, cui Dominus debitum dimisit totum*: Misertus autem Dominus eius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. *Dimisit eum*, idest Q absoluit, *& debitum dimisit ei*, scilicet debitum peccati, (*hoc est, peccati reatum.*) Potest enim tanta esse contritio, quòd totum dimittat. *Quod quidem, & in adultera legimus accidisse* Io. 8. *cui Dominus dixit* : Nec ego te condemnabo. *Siquidem* absoluit R eam à culpa, non imponendo ei aliquam pœnam: quia cum absoluendo exterius, iustificaret interiùs, benè potuit eam adeò immutare interiùs per sufficientem contritionem de peccatis, ut ab omni pœna immunis efficeretur. *Et hoc est, quod de Christo Domino prædictum est Is.* 61. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde (scilicet S peccata remittendo, Ps. 146. *Qui sanat contritos corde*) vt consolarer omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu *&c. Ad hos enim specialiter respicit Deus, Is.* 66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu ? *Caterùm* remissio T peccatorum habet aliquam similitudinem cum his, quæ in pœnitentia aguntur. Quia gratiæ infusio, quæ remissionem peccati causat, significatur per absolutionem Sacerdotis : præparatio ad gratiam, quantùm ad motum liberi arb. in peccatum, per contritionem. Quantùm verò ad motum liberi arbitrij in Deum per confessionem, per quam Deo se quis committit sanandum ; sed curatio reliquiarum peccati per satisfactionem & significatur, & efficitur.

E In 4. l. c. a. 4. q. 1. ad 5.

F In 4. l. c. a. 1. q. 2. ad 4. Ver. 28. 5. ad 2.

Contritio quoad ordinem ad alias partes non semper fuit eodem modo in qualibet lege.

G In 4. l. c. a. 1. q. 1. ad 6.

H Ver. 28. 8. ad 3. in contrar.

Quoad substantiam actus, est ex libero arbitrio & à Deo

I 4. con. G. c. 72.

Ex vi charitatis culpam tollit.

L 3. d. 20. 1. 3. ad 5.

M Op. 4. §. 2.

Ex quà & valorem habet ad delendam offensam infinitam.

N 4. d. 17. 2. 5. q. 2. ad 3.

Et tollendam cum tota culpa, totam etiam aliquando pœnam.

O Ibid. a. 5. q. 3. fi. c.

P Ibid. a. 5. q. 2. c. In 3. d. 19. 1. 3. q. 2. c. & 3. con. G. c. 158. fi. & lib. 4. cap. 72. Hebr. 6. l. 1.

Q Mat. 18. lit. c. ibi.

R Io. 8. l. 1. fi.

S Is. 61. ibi.

T 4. d. 22. 2. 1. q. 3. ad 2.

Remissio peccatorum, cum iis, quæ in pœnitentia aguntur, quamdam similitudinem habet.

d Porrò hæc est V ratio dolendi de peccatis præteritis nostris, vel etiam aliorum, in quantùm per ea impedimur à participatione diuini boni. Est *autem* in contritione X duplex dolor de peccato. *Vnus* in parte sensitiua, qui passio est, & hic non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis, sed magis effectus ipsius. Sicut enim pœnitentiæ virtus exteriorem pœnam suo corpori infligit ad recompensandam offensam, quæ in Deum commissa est officio membrorum : ita etiam & ipsi concupiscibili pœnam infert doloris prædicti, quia etiam ipsa ad peccata cooperabatur. Sed tamen hic dolor potest pertinere ad contritionem, in quantùm est pars Sacramenti, quia Sacramenta non solùm in interioribus actibus; sed etiam in exterioribus, & in rebus sensibilibus nata sunt esse. *Alius dolor* est in voluntate, qui nihil aliud est, quàm displicentia alicuius mali, secundùm quod affectus voluntatis nominantur per nomina passionum. Et sic contritio est dolor per essentiam, & est actus virtutis pœnitentiæ. *Et primum quidem dolorem, sensitiua videlicet partis (præter displicentiam voluntatis) expertus est David pœnitens, & expressit* Ps. 6. *cum ait* : Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Vbi ad literam* dat Y intelligere, quòd qualibet nocte surgebat, & appodiatus iuxta lectum, plorabat. *Lacrymis meis stratum meum rigabo* : quia etiam in lecto iacens plorando perfundebat pannos lecti, quasi irriguum lacrymarum. *Cuius vehementiam doloris apertiùs signat, vbi premit Ps.* 37. Rugiebam à gemitu cordis

V 2. 2. 28. 2. ad 2. In 4. d. 17. 2. 3. q. 1. ad 4.

Quæ nam ratio dolendi in contritione.

X 4. d. 17. 2. 1. q. 2. ad 1. & a. 2. q. 3. c. & a. 3. q. 1. c. & a. 5. q. 3. c. In 3. d. 34. 2. 1. q. 3. ad 1. & 3. p. 84. a. 8. & 9. c. & q. 90. 2. ad 1.

Duplex in ea dolor consideratur, & vt in voluntate, & vt in parte sensitiua.

Contritio, prout in voluntate, est dolor per essentiam, & actus pœnitentiæ virtutis.

Y Ps. 6. lit. d.

Contritio qualis in Dauid.

Z Pſ. 37. lit. d.

cordis mei. *Nam* ſignum Z magnæ triſtitiæ eſt rugiens. Rugitus autem dicitur eſſe vox beſtiarum; ſcilicet Leonis & Vrſi propter vehementiam doloris vel famis. Vnde rugitus eſt vehementia fletus, Iob 3. *Quaſi inundantes aqua, ſic rugitus meus.* Vnde *rugiebam*, ideſt amariſſimè flebam: *nimirùm, quia dolor pro peccato debet eſſe maximus. Idcircò & ibidem præmiſerat Pſaltes*: Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: *ex quo ſequitur*, rugiebam à gemitu cordis mei, *vt & vehementiam contritionis, ſiuè doloris in voluntate, cor nominando ſignaret. Hinc Pſ. 45.* Deus noſter *dicebat* refugium & virtus; adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. *Vbi Author*: Spirituales *inquit* tribulationes A ſunt peccata, & hæ inueniunt homines nimis: quia dolor pœnitentiæ maximus eſt inter omnes dolores. *Verùm iuxta præmiſſam diſtinctionem quantitas doloris in contritione neceſſariò menſuranda eſt. Nam* dolor B in ipſa voluntate (qui eſt eſſentialiter ipſa contritio, quæ nihil aliud eſt, quàm diſplicentia præteriti peccati) in contritione excedit alios dolores: quia quantùm aliquid placet, tantùm contrarium eius diſplicet. Finis autem ſuper omnia placet, cum omnia propter ipſum deſiderentur; & ideò peccatum, quod à fine vltimo auertit, ſuper omnia diſplicere debet. Alius dolor eſt in parte ſenſitiua, qui cauſatur ex primo dolore, vel ex neceſſitate naturæ, ſecundùm quod vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum; vel ex electione, ſecundùm quod homo pœnitens in ſe ipſo habens hunc dolorem, excitatur, vt de peccatis doleat. Et neutro modo oportet, quòd ſit maximus dolorum, quia vires inferiores vehementiùs mouentur ab obiectis proprijs, quàm ex redundantia ſuperiorum virium: & ideò quantò operatio ſuperiorum virium eſt propinquior obiectis inferiorum, tantò magis ſequuntur earum motum. Et ideò maior dolor eſt in ſenſitiua parte ex læſione ſenſibili, quàm ſit ille, qui in ipſa redundat ex ratione: & ſimiliter maior, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quàm qui redundat ex ratione conſiderante ſpiritualia. Vnde dolor in ſenſitiua parte ex diſplicentia rationis proueniens de peccato, non eſt maior alijs doloribus, qui in ipſa ſunt. Et ſimiliter nec dolor, qui eſt voluntariè aſſumptus: tùm quia non obedit affectus inferior ſuperiori ad nutum, vt tanta & talis paſſio ſequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat ſuperior: tùm etiam quia paſſiones à ratione aſſumuntur in actibus virtutum ſecundùm menſuram quandam, quam quandoque dolor, qui eſt ſine virtute, non ſeruat, ſed excedit. *Ex quo ſequitur, quòd* contritio C ex parte doloris, qui eſt in ratione, ſcilicet diſplicentiæ, qua peccatum diſplicet, in quantùm eſt offenſa Dei, non poteſt eſſe nimia: ſicut nec amor charitatis, quo intenſo talis diſplicentia intenditur, poteſt eſſe nimius. Sed quantùm ad dolorem ſenſibilem, poteſt eſſe nimia; ſicut etiam exterior corporis afflictio poteſt eſſe nimia: in his enim omnibus debet accipi pro menſura conſeruatio ſubiecti, & bonæ habitudinis, ſufficientis ad ea, quæ agenda incumbunt. Et propter hoc dicitur Rom. 12. *Rationabile obſequium veſtrum.* (*Vide* Abſtinentia à licitis *Tomo* 1.) *Ex his deducitur, quòd intenſio contritionis ex ſenſitiuo dolore coniicienda non eſt, neque ex fletu ſenſibili, quamuis hic aliquando ex tali intenſione ſequatur. Pendet enim principaliter contritio ex interiori voluntatis diſplicentia & dolore, quem appretiatiuum vocant. Vnde & appretiatiuè maximus eſſe debet, non ſenſibiliter, & intenſiuè ſummus. Alioquin ſemper eſſent fœminæ perfectè contritæ, quæ lacrymas ad quodlibet vel minimum motiuum facilè emittunt: at rarò fortaſſis ex offenſa diſplicentia diuina. Poteſt ergo contingere, quòd quis verè ſit in voluntate contritus, & ipſe voluntatis dolor redundet etiam in partem ſenſitiuam; & poteſt pariter contingere, quòd ſine ſenſibili dolore, ſit quis ſufficienter contritus, vel non ſit contritus*: ſi D contingat ſcilicet, exteriorum lacrymarum defectus ex defectu doloris, vt homo minus doleat de peccato, quàm de damno temporali. Sed quandoque abundantia doloris lacrymas exſiccat propter dolorem concitatum. Quandoque autem homo ſe continet, vt coram ſolo Deo doleat. Quandoque etiam ex duritia complexionis eſt, quòd homo non poteſt flere corporaliter pro peccatis; etſi fleat pro morte amici: quia dolor ille eſt magis ſenſibilis, & ideò magis vicinus ad reſoluendum corpus in lacrymas.

Dolor contritionis maximus.

A Pſ. 45. lit. a. & Pſ. 37. lit. K. ſi.

B 4. d. 17. 2. 3. q. 1. c.

Quo ſenſu, & qualis contritionis dolor maximus ſit.

Dolor contritionis in voluntate nō poteſt eſſe nimius; ſicut poteſt eſſe nimius in parte ſenſitiua.

C Ibid. a. 3. q. 2. c. & a. 4. q. 2. c.

Ex ſenſibili dolore non plenè conijcitur contritionis intenſio.

D In 4. d. 17. exp. tex. ſi.

Cæterùm verè contritus E tenetur *quidem* in generali velle pati magis quamcumque pœnam, quàm peccare: & hoc ideò, quia contritio non poteſt eſſe ſine charitate, per quam omnia dimittuntur peccata. Ex charitate enim plùs homo diligit Deum, quàm ſe ipſum: peccare autem eſt facere contra Deum; puniri autem eſt aliquid pati contra ſe ipſum. Vnde charitas hoc requirit, vt quamlibet pœnam homo contritus præeligat culpæ. Sed in ſpeciali deſcendere ad hanc pœnam, vel illam, non tenetur: quinimmò ſtultè faceret, ſi quis ſe ipſum vel alium (*notent Confeſſarij*) ſolicitaret ſuper huiuſmodi particularibus pœnis. Manifeſtum eſt enim, quòd ſicut delectabilia plus mouent in particulari conſiderata, quàm in communi: ita terribilia plùs terrent, ſi in particulari conſiderentur: & aliqui ſunt, qui minori tentatione non cadunt, qui fortè maiori caderent. Sicut aliquis audiens adulterium, non incitatur ad libidinem; ſed ſi per conſiderationem deſcendit ad ſingulas illecebras, magis moueretur. Et ſimiliter aliquis non refugeret pati mortem pro Chriſto: ſed ſi deſcenderet ad conſiderandum ſingulas pœnas, magis retraheretur. Et ideò deſcendere in talibus ad ſingula, eſt inducere hominem in tentationem, & præbere occaſionem peccandi.

E Quol. 1. a. 9. c. In 4. d. 14. 2. 3. q. 1. ad 7. ſi.

Contritus debet potiùs velle pati quamcumq; pœnam in generali, quàm peccare; at non debet ad particularia deſcendere.

e *At verò non omnis dolor, aut diſplicentia de peccato, contritio perfecta eſt, ſed quandoque imperfecta, quam* attritionem *dicunt. Proinde notemus, quòd* attritio F non dicit acceſſum ad perfectam contritionem; vnde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo ſunt comminuta, ſed non perfectè: ſed contritio dicitur, quando omnes partes tritæ ſunt ſimul per diuiſionem ad minima. Et ideò ſignificat attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam: contritio autem perfectam. *Hinc attritio*, ex Tridentino, *quædam imperfecta contritio eſt, donum tamen Dei, non quidem inhabitantis per gratiam, ſed mouentis, quo diſponitur quis ad iuſtificationis gratiam recipiendam.* Illam verò (*ait concilium*) contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis conſideratione peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ: declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamuis

Attritio quid & vnde dicatur.

F 4. d. 17. 2. 1. q. 1. c. & q. 2. ad 3.

Conc. Trid. Seſſ. 14 cap. 4.

uis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. *Ex quo ortum habuit illud commune proloquium, quòd ex attrito quis fit contritus virtute clauium in pœnitentia Sacramento. Docemur idcircò, quòd* potestas G clauium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Vnde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione, & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret. Si enim clauis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed ad dimissionem pœnæ tantùm (vt quidam dicunt) non exigeretur votum suscipiendi effectum clauium ad culpæ remissionem: sicut non exigitur votum suscipiendi alia Sacramenta, quæ non ordinantur ad culpam, sed contra pœnam. *Et hinc* quandoque H contingit, quòd aliqui non perfectè contriti, virtute clauium gratiam contritionis consequuntur. *Et alibi*: Quando I aliquis accedit ad confessionem attritus, non plenè contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione, & absolutione, sibi gratia & remissio peccatorum datur. *Et ad illud*, Quodcumque ligaueris &c. *Mat. 16.* Potest L accidere, quòd aliquis accedat non totaliter contritus, qui virtute gratiæ collatæ in Sacramento perfectè efficitur contritus. *Ad illud etiam* Io. 11. Soluite eum &c. *instruimur, quòd* si quis M ante absolutionem Sacerdotis plenè contritus fuerit, consequitur remissionem peccatorum, eo quòd habet in voto, vt subijciat se Ecclesiæ clauibus, sine quo vera contritio non esset. Si autem antea non plena fuisset contritio sufficiens ad remissionem, in ipsa absolutione remissionem culpæ consequitur, nisi ponat obstaculum Spiritui Sancto. Et similiter est in Eucharistia, & extrema vnctione, & in alijs Sacramentis. *Vnde & si quis adultus (vt ibidem præmittitur)* ante babtismum non perfectè fuisset dispositus ad consequendum remissionem peccatorum, in ipso actu, dum baptizatur, remissionem consequitur virtute baptismi, nisi ponat per fictionem obstaculum Spiritui Sancto. Et similiter est dicendum in pœnitentia. *Sed & ex eo dici potest, fieri ex attrito contritum virtute Sacramenti, quia in Sacramento pœnitentiæ (id benè nota) sicut in cæteris, applicatur nobis passio Christi, tanquam Capitis in membra influentis, maximus quo dolor, & in specie perfectissima eius contritio, quam in passione habuit de peccatis omnium nostrum. Docemur enim, quòd* Christus N non solùm doluit pro amissione vitæ corporalis propriæ, sed etiam pro peccatis omnium aliorum; qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cuiuscunque contriti: tum quia ex maiori sapientia & charitate processit, ex quibus dolor contritionis augetur; tum etiam quia pro omnibus peccatis simul doluit, *secundùm illud Is. 53.* Verè dolores nostros ipse portauit. *Sacramenta autem vim habent ex passione Christi, ex cuius latere fluxerunt. Quocirca dubium suboritur, an tunc attritio ipsa, contritio fiat. Et dicendum, quòd* super hoc O est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. Sed hoc, vt videtur, non potest esse. Quia quamuis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ,

Ex attrito fit contritus virtute clauium

G 4. d. 18. 1. 3. q. 1. fi. c.

H Quol. 4. a. 10. c.

I 4. d. 22. 2. 1. q. 3 fi. c.

L Mat. 16. lit. b. ibi.

M Io. 11. l. 6. fi.

N 3. p. 46. 6. ad 4.

An attritio ipsa, contritio fiat.

O 4. d. 17. 2. t. q. 3. c. & ad 3.

quia actus ille Informis transit, & non manet; veniente charitate. Attritio autem & contritio non dicunt habitum, sed actum tantùm: habitus enim virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum charitatem consequantur. Vnde antequam gratia infundatur, non est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur. Et sic nullo modo attritio potest fieri contritio. Et hoc alia opinio dicit. *Ex quo sequitur, quòd* contritio P ab attritione præcedenti non differt solùm secundum intensionem doloris, sed secundùm informationem gratiæ: & ita contritio habet aliquem ordinem posterioritatis ad gratiam, quod non habet attritio. *Vnde & contritus ex solo motiuo charitatis, qua informatur per gratiam, dolet de peccato, vt est offensa Dei summi boni: attritus verò ex motiuo timoris gehennæ à Deo iudice infligendæ; vel ex turpitudine culpæ (non tamen sine Deo mouente) displicentiam de peccato habet.*

In quo differat ab attritione contritio.

P Ver. 28. 8. ad 3.

Oportet *autem*, quòd Q in iustificatione impij sit motus liberi arbitrij duplex: vnus, quo desiderium tendat in Dei iustitiam, & alius, quo detestetur peccatum. *Quoad motum verò mentis in Deum*: quia R meritum Christi pro humano genere patientis, ad expiationem omnium peccatorum operatur, necesse est (*bene nota*) ad hoc, quòd homo de peccato liberetur, quòd non solùm mente Deo adhæreat, sed etiam Mediatori Dei & hominum Iesu Christo, in quo datur remissio omnium peccatorum Nam in conuersione mentis ad Deum salus spiritualis consistit: quam quidem salutem consequi non possumus, nisi per medicum animarum nostrarum Iesum Christum, qui *saluat populum suum à peccatis eorum.* Ipse est enim, *qui tollit peccata mundi*, vt dicitur Io. 1. *Et quia* ad eandem S virtutem pertinet prosequi vnum oppositorum, & refugere aliud: ideò sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo. *Et quidem singula nobis rememoranda peccata sunt, singulaque per diligens conscientiæ examen detestanda. Docemur enim, quòd* in tempore T præcedente iustificationem, oportet, quòd homo singula peccata, quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet; & ex tali consideratione præcedenti subsequitur in anima quidam motus detestantis vniuersaliter omnia peccata commissa, inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita: quia homo in statu illo sic est dispositus, vt etiam de his, quæ non meminit, contereretur, si memoriæ adessent. Et iste motus concurrit ad iustificationem. *Quapropter* contritio V potest dupliciter considerari, scilicet quantùm ad suum principium, & quantùm ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem, qua quis cogitat de peccato & dolet, & si non dolore contritionis, saltem dolore attritionis: terminus autem contritionis est, quando dolor ille iam gratia informatur. Quantum ergo ad principium contritionis, oportet, quòd sit de singulis peccatis quæ quis in memoria habet: sed quantùm ad terminum, sufficit, quòd sit vna communis de omnibus: tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium. *Idcircò dicebat Iob cap. 9.* Dolore torqueor: verebar omnia opera mea. *Dolore torqueor*, scilicet X in conscientiæ propriæ discussione, recogitans, ne fortè pro aliquo peccato sic puniar. Et causam doloris subdit, dicens: *verebar omnia opera mea*; ipse enim circa omnia opera sua magnam solicitudinem apponebat, timens, ne in aliquo à iustitia declina-

Q 1. 2. 113. 5. fi. c. In 4. d. 17. 1. 3. q. 4. Ver. 28 a. 4. & 5. & 3. con. G. c. 158.

Duplex liberi arbitrij motus in pœnitente, scilicet in Deum & in peccatum.

R 4. con. G. c. 72.

Motus in Deum debet extendi & ad Christum, in quo datur remissio omniū peccatorum.

S 1. 2. 113. 5. ad 1.

Per eandem virtutē charitatis & Deū diligimus, & peccata detestamur, per quæ separamur à Deo.

T Ibid. ad 3.

An singula peccata detestanda.

V 4. d. 17. 2. 1. q. 6. c. & d. 21. exp. tex.

X Iob 9. l. 4. ibi.

climaret: *instruens nos, vt diligenter singula opera nostra, si quod ex illis à Deo auertisset, considerando detestemur. Proinde* non est Y necessarium, quòd aliquis in ipso momento iustificationis de hoc, vel illo peccato determinatè cogitet, sed solùm quòd doleat se propria culpa à Deo esse auersum vel absolutè, vel sub conditione, si scilicet auersus est, quando scilicet aliquis ignorat, an vnquam per peccatum mortale à Deo auersus fuerit. Et per huiusmodi motum ille, qui oblitus est de peccato, conteri potest: *vt prætactum est. Caeterùm in recogitando singula, magis de vno dolendum peccato est, quàm de alio, iuxta illius grauitatem. Quocirca notandum, quòd* de contritione Z dupliciter loqui possumus. *Vno modo*, secundùm quod singillatim singulis peccatis respondet: & sic quantùm ad dolorem superioris affectus, requiritur, quòd de maiori peccato quis doleat magis, quia ratio doloris est maior in vno, quàm in alio, scilicet offensa Dei: ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur. Similiter etiam, cum maiori culpæ maior pęna debeatur, etiam dolor sensitiuæ partis, secundùm quod pro peccato ex electione assumitur, pęna peccati debet esse maior de maiori peccato. Secundùm, quod autem ex impressione superioris appetitus innascitur, in inferiori attenditur qualitas doloris secundùm dispositionem partis ad recipiendam impressionem à superiori, & non secundùm quantitatem peccati. *Alio modo* potest accipi contritio, secundùm quod est simul de omnibus, sicut in actu iustificationis, & hæc quidem contritio, vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit; & sic, quamuis sit actus vnus, tamen distinctio peccatorum manet virtute in ipso; vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi adnexum; & sic etiam habitualiter est magis de vno, quàm de alio.

Ver. 28.5. a 3 & 4. & a. 9. ad 12.

Num de vno magis quàm de alio, dolendum.

Z 4. d. 17.2. 3 q. 3. c. & a. 5. q. 3. ad 2.

g *Ex præfatis vides, qualis, & quantus, quoue ex motiuo esse debeat contritionis dolor: aliequi dolor est Antiochi, displicentia Iuda proditoris, pœnitentia damnatorum, vt vidimus. Nec desunt plures,* qui A pęnitent de peccato, non quia eis peccatum secundum se displiceat, sed propter aliquod incommodum, quod ex peccato incurrunt: *parum aut nihil de Dei offensa cogitantes. Demum ad peccati detestationem totum oportet vitæ nostræ tempus deputari. Vt enim in superioribus visum est*, In contritione B est duplex dolor. Vnus rationis, qui est detestatio peccati à se commissi: alius sensitiuæ partis, qui ex isto consequitur. Et quantùm ad vtrumque, contritionis tempus est totius præsentis vitæ status. Quandiu enim est aliquis in statu viæ, detestatur incommoda, quibus à peruentione ad terminum viæ retardatur, vel impeditur: vnde cum propter peccatum præteritum viæ nostræ cursus in Deum retardetur, quia tempus illud, quod erat deputatum ad currendum, recuperari non potest; oportet, quòd in vitæ huius tempore status contritionis maneat, quantùm ad peccati detestationem. Similiter etiam quantùm ad sensibilem dolorem. Quia enim homo pęnam æternam peccando meruit, & contra æternum Deum peccauit, debet pęna æterna in temporalem mutata, saltem dolor, in hominis æterno, idest statu huius vitæ, manere. Et propter hoc dicit *Hugo de Sancto victore*, quòd Deus absoluens hominem à culpa, & pęna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis peccati. *Et ideò pœnitens Dauid dicebat Ps. 37.* Dolor meus in conspectu meo semper, quoniam iniquitatem meam annunciabo,

Quidam de peccato dolent propter incommodum, ex eo proueniens, non propter Dei offensam.

A 1.2.78.2. ad 3.

Toto vitæ tempore detestandum peccatum.

B 4. d. 17. 2. 4. q. 1. & 2. c. & 3. p. 84. 8.

Sic faciebat Dauid.

& cogitabo pro peccato meo. *Dolor meus*, scilicet C de peccatis, *in conspectu meo semper*, secundùm illud Rom. 9. *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo*: (imminet *enim* Sapienti D tristitia laudabilis de peccato proximi, sicut de peccato sui ipsius. *Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt*, 2. ad Cor. 12. *Et continuus dolor cordi meo*, non quòd continuò actu doleret, sed secundùm habitum; *nam & aliarum virtutum actus, secundùm quod oportet, operari debemus*. Vnde & Sancta V. Teresia hæreticorum & infidelium tenebras perpetuis deflebat lacrymis, Ier. 9. *Plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei.*) Causa autem huius doloris est peccatum; vnde dicit: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo &c.* Quasi dicat: Ideo doleo, quia peccatum meum considero. *Cui respondet illud Ps. 50.* Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. semper enim E peccatum suum contra se habebat, vt contrarium & nociuum & detestabile, *ad perpetuò detestandum, ac deplorandum. Ex quo benè aiebat initio Author*: Quantò magis F homo continuè in actu displicentiæ de peccato esse potest, tantò melius est; dummodò actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundùm quod oportet. *Vnde & subdit, quòd* sicut G passio doloris, quam voluntas pœnitentis assumit, debet esse moderatè intensa: ita debet & moderatè durare; ne si nimis duret, homo in desperationem & pusillanimitatem & huiusmodi vitia labatur. *Vnum denique ad pœnitentium profectum superest subiiciendum: quòd nimirùm ad pœnitentiæ sacramentum accedens, humiliter à Deo, siue attritio, siue contritio petenda exorando est. Cum enim vel attritio ipsa ex Tridentino donum Dei sit, non possumus à nobis, quasi ex nobis actum attritionis, multò minùs contritionis elicere, nisi Deus donet: consequenter, antequam accedat quis ad Confessarium, diuino se disponat auxilio necessum est ad hoc dignè recipiendum Sacramentum, humiliando se coram Deo*: (Humiliamini sub potenti manu Dei), *ipsumque deuote orando, vt remissionis etiam misericorditer impendat*: humilibus *enim* dat gratiam, 1. *Pet.* 5. *Et quidem* Oratio humiliantis se (*Eccli.* 35.) nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur & non discedet, donec Altissimus aspiciat, *ad remissionis gratiam videlicet infundendum*. Facienti *quippe Dei auxilio*, quod in se est, Deus non denegat gratiam *suam, in hoc maxime sacramento, ad culpam abolendam instituto. Alioquin nostra initium iustificationis à nobis esset, vt blasphemabat Pelagius*. DISCE cor contritum & humiliatum Deum non despicere. *Vide* Abstinentia à licitis *Tomo* 1. Gratia Dei, Iustificatio *Tomo* 2.

C Ps. 37. lit. K & I. ibi.

D Rom. 9. l. 1. ibi.

Et Paulus & Teresia, pro peccatis aliis.

De peccato continuè dolendum, non actu semper, sed secundùm habitum.

E Ps. 50. lit. b. ibi.

F 4. d. 17. 2. 4. q. 2. c.

Vt & in aliis virtutibus possit pœnitens exerceri

G Ibid. ſ 7. cor.

XVIII. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, Luc.* 2. Quod cogitatur, reuelatur aut Sacerdoti in confessione ad salutem, Ps. 36. *Reuela Domino viam tuam &c.* aut in iudicio ad damnationem, Ose. 2. *Reuelabo stultitiam eius* Serm. ex Eu. Dom. inf. Oct. Nat.

h *Spontanea admissæ culpæ confessio & in humanis ad remissionem valet. Si quis enim hominem, ex Maioribus præsertim, grauiter offenderit, non tam facilè veniam consequitur, nisi*

Et in humanis ad remissionem valet, culpæ confessio.

nisi culpam suam & ore detestando fateatur. Quantò magis apud D. O. M., in quem infinita quodammodò offensa est? Confessionis idcircò in noua lege institutionem, & necessitatem, David, pœnitentium exemplar, pluries in Psalmis præsignauit. Hinc Ps. 27. *dicebat*: Ex voluntate mea confitebor ei. *Exponitur enim, quòd* anima H quandiu est in peccato, habet voluntatem à Deo auersam, & ad temporalia conuersam: sed quando per confessionem separatur, tunc conuertitur ad Deum voluntas eius. *Vnde & semetipsum arguens* Ps. 31. *promebat*: Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. *Quoniam tacui*, scilicet I quod dicendum erat, Is. 6. *Va mihi, quia tacui*: debet enim peccator dicere peccata sua, Iob 16. *Si tacuero, non recedet à me: nunc autem oppressit me dolor meus (interius quippe vulnus manifestandum, ne lethaliter putrescat:)* ergo, *quoniam tacui* peccata mea, *inueterauerunt ossa mea*; idest interior fortitudo defecit. *Eapropter, ne deterius sibi contingeret, subiicit*: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. *Vbi* ponit L confessionem peccati. Vnde dicit, *delictum meum*, quòd scilicet dimisi facere, quod debui, *cognitum tibi feci*: non quòd Deus non cognoscat; sed quando homo recognoscit peccatum suum, tunc vult etiam, quòd Deus cognoscat, vt ignoscat: *& iniustitiam meam*, quam commisi, *non abscondi*, Iob 31. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam*. Efficacia verò Confessionis ostenditur, cum ait: *Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino. Dixi*, idest proposui in corde meo: *Confitebor Domino iniustitiam meam*, non bona mea, *aduersùm me*, non pro me. Et hinc sequitur remissio: *Et tu remisisti impietatem peccati mei. Vnde sua expertus confessionis vtilitatem, alios quoque ad eam hortatur* Ps. 36. *cum ait*: Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. *Reuela Domino viam tuam*; idest M peccata tua: *& spera in eo*, scilicet veniam peccatorum: *& ipse faciet*, idest remittet tibi peccata. *Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Saluator meus*, Iob cap. 13. Ex quo sequitur iustificatio; vnde subdit: *Et educet quasi lumen iustitiam tuam. Et Is.* 43. Narra, si quid habes, vt iustificeris. *Sed & Sapiens id consulebat Eccli.* 4. Non confundaris confiteri peccata tua. *Hac enim gloriosa confusio est*: Est enim (*vt ibidem dicitur*) confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam: *qualis ex confessione peccatorum resultat. Et hac quidem peccatorum confessio in veteri lege adumbrata est, vt patet Leu.* 5. In lege *siquidem* Moysi N erat aliqua confessio, quia in generali profitebatur peccatum suum, oblationem in lege faciens pro peccato statutam: non autem in speciali, sicut est in noua lege. Nec iterum fiebat Sacerdoti habenti claues: quæ confessio est Sacramentalis; nec satisfactio erat secundùm arbitrium talis Sacerdotis. *Nihilominùs* in hoc O ipso, quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodò suum peccatum sacerdoti confitebatur. *Ex quo grauari non debet Christianus sub iugo suauissimæ legis Christi, si alteri homini (Sacerdoti tamen, & Christi Ministro) iubeatur occulta peccata sua confitendo aperire.*

i *Sed & in noue testamento* quædam P præfiguratio ipsius inuenitur & in hoc, quòd *Mat.* 3. Ioanni confitebantur peccata sua, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præparabantur: & in hoc etiam, quòd Dominus *Luc.* 17. Sacerdotibus leprosos transmisit: qui quamuis non essent noui testamenti Sacerdotes, tamen in eis noui testamenti sacerdotium significabatur. *Mysticè etiam insinuatur* Io. 11. *vbi legitur, quòd* prodijt, qui fuerat mortuus (*Lazarus*) ligatus manus & pedes institis. Et dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. *Docemur enim ibi, quòd* modus Q spiritualiter prodeundi est per confessionem. Sic enim prodire, est ab occultis exeundo, per confessionem manifestari: sed vt confiteatis, Deus facit voce, idest gratia magna, vocando. Mortuus autem procedens adhuc ligatus, est confitens adhuc reus. Vt autem soluantur peccata eius, ministris mandatur, vt soluant eum, & sinant abire. Nam quem Christus per se ipsum interiùs viuificat, discipuli soluunt: quia ministerio Sacerdotum viuificati absoluuntur, *Mat.* 16. Quodcumque solueris super terram &c. *Vnde & obseruat Author, quòd* Dominus R solis discipulis præcepit, vt Lazarum soluerent. Solis ergo Sacerdotibus facienda est confessio, quæ præfiguratur in Lazari mortui viuificatione. *Cuius vtilitatem Confessionis & alibi Dominus præsignauit, cum* Luc. 11. *dæmoniacum illum liberauit cæcum simul & mutum*. Significantur *enim* tria S bona, quæ consequitur anima in iustificatione. Primum est, quia à potestate diaboli eripitur, Coloss. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*. Secundum quia lumen gratiæ sibi restituitur, Ps. 125. *Dominus illuminat cæcos*. Tertium quia loquela ad laudandum Deum, & (*ad rem nostram*) ad confitendum peccata sua ei redditur, Ps. 50. *Libera me de sanguinibus*, idest peccatis, *& exultabit lingua mea iustitiam tuam*. Marci *idcircò* cap. 7. *haud perperam subditur*: & solutum est vinculum linguæ eius: *quippè* linguæ T vinculum soluitur peccatoris, cum peccatum confitetur. *Expressè autem habetur* Act. 19. *vbi dicitur, quòd* multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. *Et* 1. *Io.* 1. Si confiteamur peccata nostra (idest V si simul fateamur confessione cordis Deo, & confessione oris, Dei vicario:) fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. *Et Iac.* 5. Confitemini alterutrum peccata vestra. *Quo loci* Iacobus X loquitur ex præsuppositione diuinæ institutionis: quia diuinitus institutio præcesserat de confessione Sacerdotibus facienda per hoc, quòd eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, vt patet *Io.* 20. (& habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & Can. 3.) & ideò intelligendum est, quòd Iacobus ibi, sacerdotibus confessionem esse faciendam, monuit: *vt enim docet cap.* 5. *cit. idem Tridentinum*, constat, Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse. *Confitemini ergo* (ait Apostolus) *peccata vestra*. Quasi Y dicat: Ita dimittentur homini peccata, scilicet si fuerit ea confessus. Hîc autem habetur plena, & expressa institutio Confessionis, quæ fit homini. Hanc autem Christus, quantùm ad illud, quod erat formale, instituit, quando claues Petro dedit. Illud autem, quod erat materiale, instituendum insinuauit, quando dixit Luc. 17. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Ecclesia verò postmodum instituit: sed B. Iacobus Ierosolymitanus Episcopus promulgauit, sicut dicitur hic. Ecclesia verò postea magis determinauit in Conc. Gen. sub *Innoc.* 3. vbi dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquàm ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur*. Et hoc, vt quilibet peccatorem se recognoscat. *Omnes enim*

Cuius necessitas pluries præsignatur in Psalmis.

H Ps. 27. lit. g. s.

I Ps. 31. lit. b

L Ibid. lit. c. & Ps. 37. lit. l.

Omissa, & commissa cōfitenda.

M Ps. 36. lit. s. fi.

Peccatorum confessio in lege veteri adumbrata.

N 4. d. 22. q. 3. q. 2. ad 3. & 3. p. 84. 7. ad 2.

O 3. p. loc. cit. in 4. d. 17. 3. 1. q. 2. ad 2. Mat. 8. lit. a. ibi vade.

P 4. d. 17. 3. 1. q. 5. ad 2. & Iac. 5. 5. 9. ibi, confitemini.

Eius & in nouo testamento præfiguratio.

Q Io. 11. l. 6. lit. f.

R 4. d. 17. 3. 3. q. 1. in 2. sed contra.

In iustificatione peccatoris bona tria.

S Serm. ex Eu. Domin. 3. Quad. & Dom. 11. post Pent.

T Serm. ex Eu. Dom. 12. post Pent.

V 1. Io. 1. §. 3. ibi.

Confessionis in noua lege institutio.

X 4. d. 17. 3. 3. q. 1. ad 1. & a. 1. q. 5. ad 2. & d. 16. exp. tex.

Y Iac. 5. §. 9. ibi.

enim peccauerunt , & egent gloria Dei , Rom. 3. Item vt ad Eucharistiam cum maiori reuerentia accedant ; & vt Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant , ne lupi inter greges lateant . *Dicitur autem*: saltem semel in anno; *quia vlteriùs ad faciendam mortalium confessionem tenemur ante Eucharistia , aliorumque Sacramentorum susceptionem , & quoties mortis periculum subest ; de quo fusè apud Summistas.*

A 3.p.68.6.c.
Duplex peccatorú Confessio , interior , & exterior.

1 *Ex his deducitur , quòd* duplex est A peccatorum confessio. Vna quidem interior, quæ fit Deo , Ps. 31. *Dixi , Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domine* . Alia verò est Confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti , *de qua Iac. 5. cit.* Confitemini alterutrum peccata vestra, *Et hac ad pęnitentia attinet Sacramentum : quamuis & prior ad contritionem pertineat . Et nota præfata vocalis homini Confessionis in lege gratia conuenientiam* . In B veteri enim testamento, quia Deus nondum erat homo, Deo confiteri sufficiebat . In nouo vero testamento, quia Deus factus est homo, oportet fieri confessionem Deo , & homini Dei vicario. *Confessarius quippe minister Christi est , ipsumque in tali ministerio repræsentat* . Sacerdos C confessionem audiens , vicem Dei gerit ; & ideò debet ei hoc modo fieri confessio , sicut fit Deo in contritione . *Et hac quidam* Confessio D quæ Sacramentalem necessitatem habet , non est de iure naturali , sed divino. Confessio *autem* quæ E fit Deo per recognitionem peccati , est de iure naturali . Vel dicendum, quòd confiteri peccatum in casu , est de iure naturali: scilicet cum quis, in iudicio constitutus , à Iudice interrogatur . Tunc enim non debet mentiri , peccatum excusando , vel negando: de quo Adam & Cain vituperantur : sed Confessio , quæ fit homini sponte ad remissionem peccatorum consequendam à Deo , non est de iure naturali . *Et alibi coharenter* : Ad confessionem F veri debito modo faciendam, ubi oportet , & cui oportet in generali , inclinat ratio naturalis : & secundùm hoc confessio est de iure naturali . Sed determinatio circumstantiarum quando & quomodo, & quid confiteri oporteat , & cui : hoc est ex institutione iuris divini in confessione , de qua loquimur. *Cuius quidem necessitas ex eo suadetur , quòd* quandoque G per contritionem amotâ culpâ & reatu pęnæ æternæ soluto, remanet obligatio ad aliquam pęnam temporalem , vt iustitia Dei saluetur , secundùm quam culpa ordinatur per pęnam. Cum autem subire pœnam, pro culpa , iudicium quoddam requirat , oportet , quòd pœnitens, qui se Christo sanandum commisit , Christi iudicium in pœnæ taxatione expectet, quod quidem per suos ministros exhibet , sicut & cætera Sacramenta. Nullus autem potest iudicare de culpis, quas ignorat. Necessarium igitur fuit , confessionem institui , quasi secundam partem Sacramenti pęnitentiæ , vt culpa pęnitentis innotescat Christi Ministro . Oportet ergo ministrum, cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi , qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum . *Et quamuis Petrus , Magdalena , Paulus , & alii, absque vocali hac confessione , & culpa & pęna remissionem consecuti videantur : Dicendum, quòd* etsi H non legatur illorum confessio , potuit tamen fieri: multa enim facta sunt , quæ non sunt scripta. Et præterea , Christus habet , & habuit potestatem excellentiæ in Sacramentis; vnde sine his, quæ ad Sacramentum pertinent, potest & potuit rem Sacramenti conferre : *non sine tamen interiori eorum pęnitentia , & perfecta contritione , quam ipse causat , vt in superioribus prætactum est. Sanè* homo I tenetur ad confessionem peccatorum , sicut ad confessionem fidei ; sed confessio fidei est etiam ore facienda , ergo & confessio peccatorum . *Et ita quemadmodum ex Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem Confessio fit ad Salutem: *Ita corde conteritur ad iustitiam (hoc est , ad iustificationem:) ore autem confessio peccatorum fit ad salutem : quia ex suppositione peccati , necessaria est eiusdem confessio , vt inditium fiat ; & ad salutem remissio. Ea propter Prov.* 28. *dicitur*: Qui abscondit scelera sua , non dirigetur; qui autem confessus fuerit , & reliquerit ea (*nec enim sufficit confiteri , sed & detestatio exigitur , & propositum cauendi de cætero*) misericordiam consequetur. Misericordiam *inquam* consequetur ; *unde Eccli.* 17. *admirando exclamat Sapiens* : Quàm magna misericordia Domini , & propitiatio illius conuertentibus ad se ! *per pęnitentia vtique Sacramentum (Non relinquitur autem omnino peccatum , nisi & peccati occasiones tollantur . Vnde & postquam Sapiens ibidem præmiserat* ; Conuertere ad Dominum , & relinque peccata tua ; *statim subiicit*: Precare ante faciem Domini , & minue offendicula ; *tolle scilicet occasiones peccati* .) *Et huc mysticè facit illud Iob* 20. Cum dulce fuerit in ore eius malum , abscondet illud sub lingua sua. Parcet illi , & non derelinquet illud , & celabit in gutture suo. *Vbi* loquitur L ad similitudinem hominis dulcem cibum comedentis, qui non citò illum absorbet, sed diu tenet in ore, vt diutiùs delectetur. Vnde hanc similitudinem exponens, subdit: *Parcet illi* , scilicet peccato, quod est ei dulce , nolens illud destruere: quod quidem destrueret, deierendo. Vnde sequitur : *& non derelinquet illud* . Quare autem non relinquat, ostendit subdens : *& celabit in gutture suo* ; idest nulli manifestabit : & propter hoc nullus ei peccatum occultum dissuadebit , nec aliquod remedium adhibebit: quod adhibetur peccata sua confitentibus. *Cæterùm* sicut M baptismus est Sacramentum necessitatis, ita (*supposito peccato*) & pęnitentia . Baptismus autem habet duplicem Ministrum : unum , cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem: alium , cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur. Et ita etiam minister pęnitentiæ, cui confessio est facienda , ex officio est sacerdos : sed in necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet , ut ei confessio fieri possit . *Siquidem* quando N necessitas imminet , debet facere pęnitens quod ex parte sua est , scilicet conteri , & confiteri cui potest : qui quamuis sacramentum perficere non possit ut faciat id , quod est ex parte sacerdotis , absolutionem scilicet; tamen defectum sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus confessio , laico ex desiderio sacerdotis facta , sacramentalis est quodammodo , quamuis non sit Sacramentum perfectum , quia deest ei id , quod est ex parte sacerdotis. *Ex quo* talis O confessio, quia sacramentalem absolutionem non consequitur, valet ei quidem aliquid quantùm ad diminutionem pęnæ , quæ fit per confessionis meritum & pęnam; sed non consequitur diminutionem illam pęnæ , quæ est ex vi clavium : & ideò oportet, quod iterùm sacerdoti confiteatur: & magis sic confessus decedens punitur post hanc vitam , quàm si fuisset Sacerdoti confessus . *Qualiter verò sit per confessionem peccata manifestanda : certum est ,*

B Iac. 5. §. 9.
Conuenientia vocalis confessionis in lege gratiæ valdè notabilis.

C 4. d. 17. 3. 4. q. 2. ad 2.
Confessarius vicem Dei gerit.

D Ibid. a. 1. q. 2. fi. c.
Num vocalis Confessio de iure sit naturali, an diuino.

E Ibid. ad 1.

F Ibid. a. 2. q. 2. ad 1. & d. 21. 3. 1. q. 1. ad 2.

Eius necessitas.

G 4. con. G. c. 72. In 4. d. 16. 2. 2. q. 3. c. & d. 17. 3. 1. q. 1. c. & ad 1. Mat. 3. lit. a. ibi, Confitentes. Et Rom. 11. l. 4. circa fi.

Petrus, Magdalena & alii , an confessi fuerint peccata sua.
H 4. d. 17. 3. 1. q. 1 ad 2.

I Ibid. a. 4. q. 3. in 1. Sed contra.

Ore confessio etiam peccatorum fit ad salutem.

L Iob 20. l. 1. fi.

An possit, & debeat confessio in necessitate laico fieri.
M 4. d. 17. 3. 3 q. 2. c. Iac. 5. §. 9.

N In 4. li. ad 1. 2. & 3.

Quid hæc pœnitenti prosit.
O 4. d. 10. 1. q. 2. ad 3.

quòd

P 4.d.17.3. 4.q.3. ad 1. & in corp. Quol. 1. a. 10.

Num necesse sit proprio ore peccata confiteri.

Q In 4.l.c. ka 2.

quia sicut P in baptismo, non sufficit qualitercumque abluere, sed per elementum determinatum: ita nec in pœnitentia sufficit qualitercumque peccata manifestare, sed oportet, quòd per actum determinatum manifestentur, quo maximè consueuimus manifestare, scilicet per proprium verbum. *Verùm* in eo Q qui vsum linguæ non habeat, sicut est mutus, vel qui alterius est linguæ, sufficit, quòd per scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus, quàm possit. Quamuis homo non debet baptismum accipere, nisi in aqua: quia aqua est omninò ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur. Sed actus Confessionis est à nobis; & ideò quando non possumus vno modo, debemus secundùm quod possumus, confiteri. *Nec proprii Sacerdotis excusat absentia, vt scripto confessio fiat: quia* in absentia R proprij Sacerdotis potest etiam laico fieri confessio; & ideò non oportet, quòd per scriptum fiat, quia plùs pertinet ad confessionis necessitatem actus, quàm ille, cui fit confessio. *Damnauit idcircò* Clemens, 8. *tanquam falsam, temerariam, & scandalosam sequentem propositionem*: Licet per literas, seu internuncium, confessario absenti peccata confiteri, & ab eodem absente posse absolutionem obtineri. *Ex præmissis autem omnibus liquet satis, quàm rectè per* Augustinum *data sit (præter cæteras) confessionis diffinitio, videlicet*: Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. *Siquidem* in actu S confessionis plura consideranda occurrunt. Primò ipsa substantia actus, siuè genus eius, quod est manifestatio quædam. Secundò de quo fit, scilicet peccatum. Tertiò cui fiat, scilicet Sacerdos. Quartò causa cuius, scilicet spes veniæ. Quintò effectus eius, scilicet absolutio à parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exoluendam. Quorum aliqua in præfata diffinitione tanguntur; scilicet substantia actus in apertione; & de quo fit Confessio, cum dicitur, *morbus latens*: & causa in *spe veniæ*. Aliqua verò tanguntur in alijs diffinitionibus: (*quas vide ibi arg. 4.*) *Et quia* hæc T conditio ad virtutem pertinet, vt aliquis ore confiteatur, quod corde tenet: ideò confessio est bonum ex genere, & actus virtutis (*scilicet pœnitentiæ*) sed tamen potest malè fieri, nisi alijs debitis circumstantijs vestiatur: *de quo in sequ.*

R Ibid. ad 3.

Confessio per scriptum Sacerdoti absenti facta damnatur.

S 4.d 17.3. 1.q.1.arg. 1. & in corp.

T Ibid. a. 2. q.2. & 3. c.

Confessionis diffinitio ex August.

Igitur præfato modo ad confessionem V dupliciter obligamur. Vno modo ex Iure diuino, ex hoc ipso, quòd est medicina: & secundùm hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantùm, qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto iuris positiui; & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ; edita in Conc. Gener. sub Innoc. III. *superiùs allata*. *Et ita* confessio X quoad mortalia est in præcepto; quoad venialia in consilio. Ille *inquam* qui Y non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit, ad præceptum Ecclesiæ implendum, vt se sacerdoti præsentet, & se ostendat absque conscientia peccati mortalis esse: & hoc ei pro confessione reputatur. *Verùm* duo Z debet homo confiteri, scilicet bona omissa, & mala commissa, Mat. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: propter A solam enim omissionem fit etiam punitio. *Et quidem* non solùm B à Christo exciduntur aliqui, qui mala faciunt, sed etiam quia bona facere negligunt. *Porrò qualiter peccatorum institui confessio debeat, docet Psaltes Ps. 31. cum ait*: Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino. *Dixi*, idest C proposui in corde meo: *Confitebor in iustitiam meam*, non bona mea, *aduersùm me*, non pro me. Aliquis enim confitetur peccatum suum, sed contra proximum, dicens: *Alius induxit me*. Vel contra naturam, dicens: *Ex fragilitate sic accidit*. Vel contra Deum, dicens: *Non potui resistere*. (Quidam sunt D qui peccata sua in Dominum retorquent, dicentes, quòd necessitate peccant, Iob 6. *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea, nec caro mea anea est*, idest E sine sensu:) Non ita Dauid 2. Reg. 24. *Ego sum qui peccaui: ego iniquè egi*. Dicit autem: *Confitebor Domino*, idest ad honorem Domini, *Ios.* 7. Fili, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere quid feceris, ne abscondas. *Quod confirmat illud* 1. *Io.* 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis &c. *Si confiteamur*, idest F simul fateamur confessione cordis & oris, Iac. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: prima enim salutis spes est ipsa confessio: *peccata*, non bona opera, vt illi, qui se iactant confitendo, exemplo Pharisæi: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do &c.* vt dicitur Luc. 18. *nostra*, non aliena: vt qui alios accusant confitendo, vel super alios se excusant (*præsertim fœminæ*:) *fidelis est*, promissa humilibus conferendo: *& iustus*, peccata pœnitentibus remittendo. *Vel fidelis* promissa reddendo; *& iustus*, secundùm merita retribuendo: *vt remittat nobis* peccata nostra: *donans consequenter iustificationis gratiam, & gloriam suo tempore sempiternam*. *Sincera quippe debet esse peccatorum confessio: quò facit illud Iob* 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. *Etenim* solent G homines propter confusionis timorem, interdum contra iustitiam, suam culpam occultare vel eam negando: quod à se excludit, dicens: *Si abscondi quasi homo*, idest sicut homines solent facere; *peccatum meum*, illud scilicet indebitè negando, vel excusando, vel etiam astutijs aliquibus palliando; vnde subdit: *& celaui in sinu meo*, idest per aliquam occultam simulationem, *iniquitatem meam*, cum scilicet eam confiteri vererer. *Ex quo tollitur confessionis integritas*. Aliqui *enim* sunt H qui confitentur peccata quædam, quædam non: vel quantùm ad diuersos confessionem diuidunt. Sed isti non merentur; immò peccant in hoc: quia Deum decipere intendunt, & quia diuisionem in Sacramento committunt. Quantùm ad primum, dixit quidam (*Augustinus*) *Impium est à Deo dimidiam sperare veniam*. Quantùm ad secundum, Ps. 61. *Effundite coram illo corda vestra*, quia videlicet omnia sunt in confessione reuelanda. *Sanè* de necessitate I confessionis est, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet. Quòd si non facit, non est confessio, sed confessionis simulatio. *Quòd si obiicias, non oportere contritionem de singulis esse peccatis: dicendum, hoc ideò esse: quia* contritio L est in conspectu Dei, qui vno intuitu omnia videt: sed confessio fit homini, cui oportet singillatim omnia exponi. Et præterea oportet de omni peccato mortali, quod memoriæ occurrit, singulariter dolere; *vt prædictum est*. *Nec numerum dumtaxat peccatorum (cogitationis scilicet, oris, & operis) sed & species eorum, & circumstantias confiteri tenemur: aliàs confusio potiùs, quàm confessio, dicenda est*. Non enim M homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circumstantias trahentes in aliud genus, ex quibus pec-

V Ibid a. 19. 3 c. Iac. 5. §. 9.

Ex duplici iure ad confessionem tenemur.

Confessio quoad mortalia est in præcepto, quoad venialia de consilio.

X Iac. 5. §. 9.

Y 4.d.17.3. 1.q.3. ad 3 & a.3.q.3.c. & q. 5 ad 4. & d. 16 2.2.q 3.c. & q. 3.2 q. 5.

Z Ps. 31. lit. c. initio.

A Mat. 3. lit. a. ibi.

B Io. 15. l. 1. lit. a. ibi, omnem palmitem.

Omissionis, & commissionis peccata cõfitenda.

C Ps 31. lit. c. ibi, Iac. 5. §. 9 ibi, confitemini.

Qualiter confessio instituenda sit.

D Ps. 35. ini. E Iob 6. l. 1. ibi.

F 1. Io. 1. §. 3.

G Iob 31. l. 2. ibi.

Confessionis integritas.

H Op. 4. § 4 fi. Op. 12. a. 6. & 3 p. 87. 1. c.

I 4. d. 17. 3. 4. q. 2. fi. c.

L 4. d. 21. exp. tex.

M Op. 12. a 6. In 4. d. 16. 3. 2. q. 5 & d. 41. 3. 4. q. 1. c. & 1 2 73. 7. c. Ma. 2. 6. ad 2.

Numerus, species & circumstantiæ peccatorum confitendæ.

peccatum ſpecificatur. Circumſtantias verò aggrauantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, ſicut nec peccata venialia: licèt ſit laudabile, quòd homo ea confiteatur. Eadem enim ratio videtur eſſe de huiuſmodi circumſtantijs, & de venialibus peccatis. Circumſtantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ ſpecialem repugnantiam important ad aliquod præceptum diuinæ legis. Sicut furtum ſimplex repugnat huic præcepto: *Non furtum facies*. Si autem furtum in loco ſacro committatur, habet iam repugnantiam ad aliud præceptum, quod eſt de veneratione Sacrorum; & ſic additur noua ſpecies peccati: vnde conſequens eſt, quòd addat aliam repugnantiam ad legem Dei; ideò & nouam deformitatem peccati mortalis habebit, quod ex neceſſitate confiteri tenebitur. *Id quod & in Tridentino ſancitum eſt* Seſſ. 14. de Sacram. Pęnit. cap. 5. *vbi decernit*: etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant. *Ex quo, licèt explicata ad concupiſcentiam moueant, etiam* circumſtantiæ N particulares peccati carnalis, quæ in aliam ſpeciem peccati mortalis trahunt, ſemper ſunt confitendæ: quia gratia, quæ in Sacramento pœnitentiæ datur, reſtaurat, ſi qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proueniat vel in confitente, vel in Sacerdote. Si autem circumſtantiæ non aggrauant in infinitum, nouam ſpeciem peccati mortalis conferendo: quandoque laudabiliter reticentur, adhibita debita diſcretione ſecundùm conſiderationem turpitudinis circumſtantiæ, & pronitatem inclinationis ad peccatum ex eius confeſſione in ipſo confitente, vel in Sacerdote. *Vlteriùs* homo O in confeſſione debet famam alterius cuſtodire, quantùm poteſt: ſed ſuam conſcientiam magis purgare debet. Et ideò ſi circumſtantia, quæ ducit in cognitionem perſonæ, ſit de neceſſitate confeſſionis ſecundùm regulam datam, tunc debet confiteri, occultando perſonam quantùm poteſt: ſi autem non ſit de neceſſitate confeſſionis, debet dimittere, ne peccatum alterius prodat. *Igitur* ſi quis P ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam, cum qua peccauit, putà ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, vt exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam. Sed ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſorem, qui perſonam ſororis penitùs non cognoſcat. *Vide plura apud Summiſtas: verè tamen doctos & pios.*

Non tamen hæ ſolummodò aggrauantes, niſi ad melius eſſe.

Quid de circumſtantijs peccati carnalis.

N *In 4. l. c. ad 4.*

O *Ibid. ad 5. & Op. 12. a. 6.*

Conſulat cõfitens & alterius famæ.

P *Op. 12. a. 6.*

n *Ad hæc autem ſalubriter præſtanda, debet pœnitens per diligens examen ſua latebras conſcientiæ rimari, vt ad iuſtificationis gratiam ſe preparet, ac rectè diſponat. Facienti enim quod in ſe eſt, Deus ex miſericordia ſua non denegat gratiam: quod verò in ſe eſt, non facienti, iuſtè denegat*: Per pœnitentiæ Q Sacramentum nunquam datur gratia, niſi præparatio adſit, vel priùs fuerit. *Quò facit illud Eccli.* 18. Ante iudicium para iuſtitiam tibi. *Et iterum*: Ante iudicium interroga te ipſum (*per examen conſcientiæ*:) & in conſpectu Dei inuenies propitiationem. *Id quod clariùs innuitur Thren.* 3. Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. *Scrutemur vias noſtras*, ſcilicet R diſcutiendo peccata præterita. *Et quæramus Dominum* deſiderio cordis, & petentes auxilium: quo accepto, *reuertamur* ad eum benè operando. *Et hoc eſt, quod aiebat Sponſa Cant.* v. Surgam, & circuibo Ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, *Circuibo ciuitatem*: ideſt S per attentam conſiderationem perquiram conſcientiam meam: *per vicos & plateas*; ideſt per omnia dicta, deſiderata, & facta, vtrùm aliquid egerim, quod diſplicuerit ſibi: & ſic faciendo, Chriſtum *quæram quem diligit anima mea*. Si enim conſideremus conſcientiam, & cor noſtrum, quantùm ad genera peccatorum, quæ ibi eſſe poſſunt: ſic conſcientia eſt *Ciuitas* diſtincta *per vicos & plateas*; hoc eſt, per delicta maiora & minora. *Quòd ſi eiuſmodi diligens inquiſitio non fiat, contingit vt Chriſtum minimè inueniamus; vnde ſubdit*: Quæſiui illum, & non inueni; *quia nimirùm negligenter quærimus. Diſcutienda quippe ſubtiliter eſt & ſincerè conſcientia, non confusè & fraudulenter. Hinc dicitur Pſ.* 35. Quoniam dolosè egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. *Vbi* alia T litera habet: *In conſpectu ſuo, vt videret iniquitatem ſuam, & odiſſet*. Contingit enim quòd aliquis diſcutit conſcientiam ſuam, vt inueniat iniquitatem ſuam & odiat. Frequenter tamen in hoc fraudulenter agit, quia non diſcutit benè: ſed grauia alleviat, & leuia aggrauat. Et ideò dicit: *Dolosè egit in conſpectu ſuo*; ideſt in conſcientia: quia ſi fideliter ſuam odiſſet iniquitatem, diſcuſſiſſet. (*Vide fusè V. Conſcientia Tomo* I.) *Porrò ad optimam confeſſionem plures exiguntur conditiones, quæ communiter his verſibus continentur.*

Examen Cõſcientiæ neceſſarium, & ad gratiam præparatio.

Q *3. p. & q. 89. 1.*

R *Thr. 3. ibi.*

Conſcientia ſubtiliter & ſincerè diſcutienda.

S *Cant. 3. Com. 2. ibi.*

T *Pſ. 35. lit. a. ibi.*

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda;
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Bonæ Confeſſionis conditiones.

At verò dictarum V conditionum quædam ſunt de neceſſitate confeſſionis, quædam de bene eſſe ipſius. Ea autem, quæ ſunt de neceſſitate Confeſſionis, vel competunt ei ſecundùm quod eſt actus virtutis; vel ſecundùm quod eſt pars Sacramenti. Si primo modo: aut ratione virtutis in genere; aut ratione ſpecialis virtutis, cuius eſt actus. Ex ratione autem actus virtutis in genere, ſunt quatuor conditiones, vt dicitur *in* 3. *Ethic.* Prima eſt, vt aliquis ſit ſciens; & quantùm ad hoc Confeſſio dicitur eſſe *diſcreta*, ſecundùm quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur. Eſt autem hæc diſcretio, vt maiora cum maiori pondere confiteatur. Secunda conditio, vt ſit eligens: quia actus virtutum debent eſſe voluntarii; & quantùm ad hoc dicit, *libens*. Tertia conditio eſt, vt propter hoc, ſcilicet propter debitum finem, operetur: & quantùm ad hoc dicit, quòd debet eſſe pœnitentia *pura*, vt ſcilicet recta ſit intentio. Quarta conditio eſt, vt immobiliter operetur: & quantùm ad hoc dicit, quòd debet eſſe *fortis*, vt ſcilicet propter verecundiam non dimittat. Eſt autem confeſſio actus pœnitentiæ virtutis, quæ quidem primò initium ſumit ab horrore turpitudinis peccati: & quantùm ad hoc confeſſio debet eſſe *verecunda*, vt ſcilicet non ſe iactet de peccato, propter aliquam ſeculi vanitatem admiſtam: (*Ier.* 31. Poſtquàm conuertiſti me, egi pęnitentiam: & poſt quam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. *Confuſus ſum*, interiùs X confuſionem paſſus, quæ ſignum pęnitentiæ eſt: *& erubui* exteriùs; *quoniam ſuſtinui opprobrium*, ideſt pęnam & confuſionem pro peccatis *adoleſcentiæ meæ*; vbi nominat adoleſcentiam tempus ante conuerſionem.) Secundò progreditur ad dolorem de peccato commiſſo: & quantùm ad hoc, debet eſſe *lacrymabilis*: (con-

V *4. d. 17. 3. 4. q. 4. c.*

Quædam de neceſſitate, quædam de bene eſſe ipſius.

X *Ier. 31. §. 5. ibi.*

Confeſſio ſupponit contritionem, & directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ, quamuis contritio per accidens eam quandoque ſequatur.

Y 4.d.21.2. 2.inis. c. & d. 17. exp. tex. (confessio *enim* Y operatur præsupposita contritione, quæ culpā delet; & sic ordinatur confessio directè ad dimissionem pęnæ: quod quidem facit & ex erubescentia, quam habet, & ex vi clauium, cui se confitens subijcit. *Et quidem* contritio Z naturaliter præcedit confessionem; Z 4.d.17.2. 1.q.1.ad 7. & quòd aliquando sequatur, est per accidens ex defectu pęnitentis; & ideò dicitur *lacrymabilis*). Tertiò in abiectione sui terminatur; & quantùm ad hoc debet esse *humilis*, vt scilicet se miserum confiteatur, & infirmum. (*Ex quo humilitatis actu non rarò consequitur & maximus peccator pœnitens abundantiorem gratiam, secundùm illud Rom.* 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. *Docemur enim, quòd* remoto A peccato in Spiritum Sanctum per immensitatem diuinæ misericordiæ, potest postmodum esse gratiæ abundantia, si homo maximè humilietur propter grauitatem præcedentis peccati. A 4.d.43. 1. 4.ad 1. *Vide quantùm valeat humilitas in pęnitentibus! Vnde dicitur* 1. Pet. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet &c. Quantùm valeat humilitas in pœnitente. *Quò faciunt verba Domini de impio Achab ad Eliam* 3. *Reg.* 21. *supracit.* Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius, *vt habetur* 4. *Reg.* 10.) Sed ex propria ratione huius actus, qui est confessio, habet quòd sit manifestatiua. Quæ quidem manifestatio per quatuor impediri potest. Primò per falsitatem: & quantùm ad hoc, dicit, *fidelis*, idest vera. Secundò per obscuritatem: & contra hoc dicit, *nuda*, vt scilicet non inuoluatur obscuritate verborum. Tertiò per multiplicationem verborum (*frequens fœminarum vitium*) & contra hoc dicit, quòd sit *simplex*, vt scilicet non recitet in confessione, nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. Quartò vt non subtrahatur aliquid de his, quæ manifestanda sunt: & contra hoc dicit, *integra*. Secundùm autem, quod confessio est pars Sacramenti, sic concernit iudicium Sacerdotis, qui est Sacramenti minister; vnde oportet, quòd sit *accusans* ex parte confitentis: & *parere parata* per comparationem ad Sacerdotem: & *secreta* quantùm ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiæ agitur. Sed de bene esse confessionis est, quòd *frequens* & *accelerata* sit. *Nam frequenter hominem confiteri, & quàm primum post peccatum commissum, illud Sacerdoti subiicere, magnæ vtilitatis est: tum ne in statu maneat damnationis, tum etiam, vt bona ipsius opera ad æterna vitæ meritum sibi proficiant. Hinc ad illud Ap.* 7. Ex tribu Iuda duodecim millia signati, *docemur, quòd* Iudas, *quod interpretatur* Confessio, Primò B ponitur, quia confessio peccati est primum signum salutis. B Apoc. 7. Com. 2.§.3. ibi. *Confessio inquam peccatorum significat salutem*: contritio enim soli Deo patet, 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* Confessio, primum salutis signum. Sex autem debet habere confessio, quę tanguntur in illis verbis Ps. 31. *Dixi: Confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino.* Sex ad confessionem requisita. Primum est vera præmeditatio: quod notatur per *Dixi*. Secundùm est coniunctio cordis, & oris, ita vt corde simul & ore fiat: quod notatur per *Confitebor*. Tertium est, quòd sit accusans: quod notatur per *aduersùm me*. Quartum est, quòd sit de malis, non de bonis: quod notatur per *iniustitiam*. Quintum est, quòd sit de propriis, non de alienis: quod notatur per *meam*. Sextum est, quòd fiat ad honorem Dei, non ad laudem Mundi, vel ad quæstum lucri: quod notatur per *Domino*. Et talis confessio est vtilis; vnde sequitur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei. Quòd si quis confessionem faciat informem, & cum fictione ad confitendum accedat, non idcò talis confessio iteranda est.* An informis confessio iteranda. *Quocirca sciendum, quòd* confessio C & est actus virtutis, & pars Sacramenti. C 4.d.17.3. 4.q. 1.c. Secundùm autem quòd est actus virtutis, est actus meritorius propriè; & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi. Sed secundùm quod est pars Sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claues Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confitentis agnoscit. Et secundùm hoc confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere, & clauibus Ecclesiæ se subijcere. Et quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum: tamen, recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam est & in alijs Sacramentis. Vnde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri. (*Non tamen fictè accedere in sensu Authoris dicitur, qui v.g. non intendit recipere Sacramentum, sed derisoriè, seu simulatè agere: tunc enim & peccat mortaliter, & iterare confessionem tenetur, secundùm omnes DD. Nec de attritione loquitur, quæ secundùm Tridentinum simul cum confessione sufficit ad introducendam gratiam, sed de quadam attritione imperfecta, quæ nec actuali accedente Sacramento ad hoc est sufficiens. Vide apud Porrectam ibi luculentam doctrinam.*) *Non ita verò de contritione, & satisfactione asserendum:* nam contritio D & satisfactio fiunt Deo; sed confessio fit homini: & ideo de ratione contritionis, & satisfactionis est, quòd homo sit Deo per charitatem vnitus; non autem de ratione confessionis. D Ibid. ad 2.

o *Quod autem spectat ad Confessionis effectus (quamuis in superioribus prætactum est) illud certum est, quòd* confessio E secundùm quod in voto pœnitentis præcessit, à culpa eum liberauit: postmodum autem in actu confessionis, & absolutionis, gratia augetur. E 4.d.17.3. 5.q.1.c. & d.18. 1.3.q.1.c. & d. 22.2.1.q.3.c. Quol. 4.a.10.c. Et etiam remissio peccatorum daretur, si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, & ipse tunc obicem gratiæ non præberet. Confessionis effectus quoad culpam & pœnam. *Verùm dicet fortasse quispiam, vt sibi obicit Author:* Si tanta F est efficacia Confessionis, quòd non solùm, quando quis actu confitetur, sed & habens propositum confitendi, consequitur remissionem: quid ergo facit confessio? F Ps. 31. lit. *Et dicendum*, quòd propositum operandi operatur ex virtute rei propositæ, vt fiat. Vnde si cessat operatio illius rei, cessat effectus; & ideò necesse est perseuerare in proposito. Tamen in confessione actuali peccatorum, & absolutione, virtute clauium dimittitur ei de pœna; & propter verecundiam ampliùs ei gratia confertur, & multa bona consequitur. *Dimittitur inquam confitenti de pœna.* Et ideò G confessus & absolutus minùs in Purgatorio punietur, quàm contritus tantùm. Confessio vim habet liberandi à pœna dupliciter. G 4.d.17.3. 5.q.2.ad 2. & d.20.1.1.q.2. ad 3. *Cæterùm* confessio H simul cum absolutione habet vim liberandi à pœna dupliciter. *Vno modo* ex ipsa vi absolutionis: & sic quidem liberat in voto existens à pœna æterna, sicut & à culpa: quæ quidem pœna est pœna condemnans & ex toto exterminans, & à qua homo liberatus, manet adhuc obligatus ad pœnam temporalem, secundùm quod pœna est medicina purgans & promouens: & hæc pœna restat in Purgatorio patienda, etiam his, qui à pęna Inferni liberati sunt. H Ibid. in corp. & a. 3.q. 5.ad 4. & exp. tex. & d. 18.1. 3.q.2.c. & ad 2. & 4. & d.20.1. 2.q.1.c. Quæ quidem pœna est improportionata viribus pęnitentis in hoc Mundo viuentis, sed per vim clauium in-

tan-

tantùm diminuitur, quòd proportionata viribus pœnitentis remanet; ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest. *Alio modo* diminuit pœnam ex ipsa natura actus confitentis qui habet pœnam erubescentiæ adnexam: & ideò quantò aliquis pluries de ijsdem peccatis confitetur, tantò magis pœna diminuitur. *Et alibi*. Quando I semel confitetur quis, dimittitur ei aliquid de pœna huiusmodi; & similiter quando iterum confitetur: & posset toties confiteri, quòd tota sibi dimitteretur. *Ergo in confessione* debemus L peccata reuelare propter quatuor. Primò quia tali reuelatione dimittuntur, Prou. 28. *Qui confessus fuerit scelera sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Secundò quia à Deo absconduntur. *Augustinus*: Si reuelas, ego celo; si celas, ego reuelo. (*Ps.* 31. Beati quorum tecta sunt peccata.) Tertiò quia gratia infunditur. Quartò quia ex ea æterna vita acquiritur, *Eccli.* 4. Est confusio adducens gloriam & gratiam. *Ergo (concludit Sapiens Eccl.* 4.) Non confundaris confiteri peccata tua.

I *Op.* 7. *Pœnit.* 5. *circ. fi.*

L *Serm. ex Eu. Dom. inf. Oct. Nat.*

Peccata in confessione reuelanda propter quatuor.

p *Eiusmodi est Sacramentalis confessionis spiritualis prouentus. Quis igitur lubenti pioque animo sua renuat Sacerdoti confiteri delicta, Ecclesiæ claues habenti, vnde certa salutis spes, vnde Paradisi apertio?* Spes quippe remissionis M peccatorum non est nobis, nisi per Christum. Et quia homo per confessionem se subijcit clauibus Ecclesiæ, ex passione Christi virtutem habentibus ideò dicitur, quòd confessio spem salutis tribuit. *Sed & à Paradisi* N introitu prohibetur aliquis per culpam & reatum pœnæ: hæc autem impedimenta confessio amouet (*vt visum est*:) ideò dicitur Paradisum aperire. *Ita pœnitens latro post suarum confessionem culparum*: Nos quidem iustè digna factis recipimus; *fide simul & spe & charitate munitus, meruit humiliter petens à Domino audire*: Hodie mecum eris in Paradiso, *Luc.* 23. *Vnde Chrysostomus*: Non est ausus dicere, *memento mei*, nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice quantùm præstat confessio. Confessus est, & Paradisum patefecit, & totam confessus fiduciam meruit, vt Regnum post latrocinium postularet. *Et hinc quidem grandis insurgit cordis lætitia, & spiritus innouatio*. Cordis *inquam* lætitia: *vnde & Dauid Ps.* 37. Iniquitatem meam *inquit* annunciabo, *idest* alijs O manifestabo: in quo maximum remedium sentio: quod maximè fit in confessione, quæ lætificat confitentem. *Proinde Ps.* 50. *dicebat*: Auditiui meo dabis gaudium & lætitiam (*quam satis experiuntur verè pœnitentes post confessionem peccatores*) & *de renouatione Spiritus subdit*: Et Spiritum rectum innoua in visceribus meis. *De quo Apostolus Eph.* 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. *Et Ps.* 102. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua: *quia per peccatum inueteramur, Bar.* 3. Inueterasti in terra aliena. *Et hanc renouationem, atque lætitiam, ad altare accedens, implorat quotidie Sacerdos, illud Ps.* 42. *assumens*: Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. *Videlicet* quia P hæc duo, scilicet lætitia & renouatio, sunt necessaria illis, qui ad cæleste altare accedere volunt. *Et vt ostendat, quòd vtrumque per peccatorum confessionem impetratur à Deo, idcircò iis Psalmi verbis præmissis, mox generalem subiicit peccatorum confessionem*: Confiteor Deo &c. *Enimuerò nulla maior potest diabolo irrogari confusio, quàm nostrarum coram sacro ministro confessione culparum. Ipse namque in particulari iudicio acerrimus delictorum nostrorum accusator est apud Deum, & in extremo erit, de quo Apoc.* 12. Et proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri. *Vbi Author*: Et Q ideò *inquit* se homo accusare debet, ne coram Deo sit accusabilis, *Prou.* 18. Iustus, prior est accusator sui. *Sua enim ita frustratur diabolus spe, nisumque omnem suum inanem reddit, & lucrum amittit omne, cum nos de admissis culpis in confessione accusamus. Rei huius clarum sumpsit experimentum sanctus Patriarcha Dominicus. Cum enim in Conuentu Sanctæ Sabinæ Romæ degeret, diabolum nocte quadam offendens, quid inibi ageret, requisiuit. Tum ille*: meo *inquit* officio fungor, pluraque hic lucra ex tuis fratribus reporto. *Tunc Sanctus Pater, loca omnia Conuentus, eo sequente, inuisere cœpit; & in singulis quidem, siuè in Ecclesia, siue in refectorio, siue in locutorio, aut in dormitorio fratrum, aliquid se lucri facere, asserebat ille. Cum autem ad locum Capituli (vbi consueuerunt fratres suas accusando culpas confiteri) accedere compulsus esset: fugere cœpit, & horrescere, exclamans*: Iste locus mihi Infernus est: & quicquid lucror alibi, hic totum perdo. Nam hic monentur fratres, hic confitentur, hic accusantur, hic absoluuntur. *Hæc* Thomas Maluenda *in Annal. Ord. Præd. anno* 1221. *cap.* 15. ex Humberto, sancto Antonino, *& aliis. Medica profectò (salubris tamen) coram vno Dei ministro confusio est, de propriis culpis sponte erubescere: maxima verò & intoleranda vniuerso Mundo, eas te inuito in die iudicii manifestari. Quod quidem in iustam cedit peccatoribus pœnam: nam* publicatio R peccatorum ad ignominiam peccantis, est effectus negligentiæ, quæ committitur in omissione confessionis, *Is.* 47. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. *Et modò quidem in Confessione apertio cedit in bonum sempiternum: die verò iudicii manifestatio, in æternum malum. Et hoc aiebat initio Author*: Quod S cogitatur, reuelatur aut Sacerdoti in confessione ad salutem, Ps. 36. *Reuela Domino viam tuam &c.* aut in iudicio ad damnationem, Ose. 2. *Reuelabo stultitiam eius*. Reuelabuntur autem peccata à tribus. Primò à Cælis, Iob 20. *Reuelabunt Cæli iniquitatem eius*. Secundò, à seipsis, Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus in die, cum iudicabit Deus. &c.* Tertiò à Deo, 1. Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Reuelabitur autem (*quod horribilius est*) ira Dei super omnes, qui hic nolunt peccata reuelare, Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de Cœlo super omnem impietatem &c. A qua liberet nos Dominus*. DISCE confiteri aduersùm te iniustitiam tuam, vt impietas remittatur peccati. *Vide* Conscientia *Tomo* 1. Peccatum, Peccator.

Ex confessione peccatorũ salutis spes, & Paradisi apertio.

M 4 d. 17. q. 5. q. 4. c.

N *Ibid. a.* 5. *q.* 3. *c.*

Boni latronis exemplo.

Chrysostomus Hom. de Cru. & Latr.

O *Ps.* 37. *lit. l. ibi.*

Ex confessione lætitia cordis, & spiritus innouatio.

P *Ps.* 42. *lit. b. ibi.*

Confessio nostra, maxima diaboli confusio.

Q *Apoc.* 12. *com.* 1. *ibi.*

Exemplo roboratur.

Ex omissione Confessionis ignominia reuelationis in die iudicij.

R 4. d. 43. q. 1. a. 5. q. 2. ad 3.

S *Serm. ex Euang. Dom. infr. oct. Nat.*

XIX. Quia peccator peccando contra ordinem diuinitus institutum facit, leges Dei prætergrediendo: conueniens est, vt hoc recompenset in se ipso puniendo quod priùs peccauerat. 3. *con. G. cap.* 158.

T 4. d. 15. 1. q. 3. c.
Satisfactionis diffinitio.

q DVpliciter T potest satisfactio diffiniri. Vno modo respectu culpæ præteritæ, quam recompensando curat: & sic dicitur, quòd *satisfactio est iniuria illata recompensatio, secundùm iustitiæ æqualitatem*. Et in hoc idem dicitur redire diffinitio *Anselmi*, qui dicit, quòd *satisfacere est Deo debitum honorem impendere*, vt consideretur debitum respectu culpæ commissæ. *Alio modo* potest diffiniri, secundùm quod præseruat à culpa futura: & sic diffinit eam *Augustinus* dicens, quòd *satisfactio, est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere*. Præseruatio autem à morbo corporali fit per ablationem causarum, quibus morbus consequi potest: eis enim ablatis, non potest morbus sequi. Sed in morbo spirituali non est ita: quia liberum arbitrium non cogitur. Vnde causis præsentibus potest vitari, quamuis difficulter, & causis amotis, potest incurri. Et ideò in satisfactionis diffinitione duo ponit: scilicet abscissionem causarum, quantùm ad primum, & abstinentiam liberi arbitrij à peccato, quantùm ad secundum. *Ex quo sequitur, quod* sicut V iniuria illata immediatè ad inæqualitatem iustitiæ pertingebat, & per consequens ad inæqualitatem amicitiæ oppositam: ita & satisfactio directè ad æqualitatem iustitiæ perducit, & ad æqualitatem amicitiæ ex consequenti. Et quia actus aliquis elicitiuè ab illo habitu procedit, ad cuius finem immediatè ordinatur; imperatiuè autem ab illo, ad cuius finem vlteriùs tendit: ideò satisfactio elicitiuè est à iustitia: (*nam &* pœnitentia X secundùm quod est virtus, est pars iustitiæ:) sed imperatiuè à charitate. *Cum autem satisfactio, actus iustitiæ sit, ex hoc ipso necessaria decernitur*. Necessaria Y est enim iustitia in pœnitente, vt in se puniat quod deliquit. *Vnde & ad Dominum dicebat Iob c.* 42. Insipienter locutus sum &c., idcircò ipse me reprehendo, & ago pęnitentiam in fauilla & cinere. *Quibus verbis* culpam Z suam recognoscit, cum dicit: *ipse me reprehendo*, propriam scilicet culpam considerando. Et quia non sufficit culpam confiteri, nisi sequatur satisfactio; ideò subdit: *& ago pœnitentiam in fauilla, & cinere*. Conuenit enim humilis satisfactio ad expiandam superbiam cogitationis. *Profectò & ex parte Sacramenti, cum satisfactio (vt vidimus) sit pęnitentiæ integralis pars, ad integrandum Sacramentum necessitatem inducit*.

V Ibid. a. 1. q. 2. ad 1. & in corp.

X 3. p. 85. 3. c. In 4. d. 14. 1. 1. q. 5. c.
Satisfactionis actus elicitiuè est à iustitia, imperatiuè à charitate.

Y Ps. 50. lit. c. ß.

Z Iob 24. l. 1. ibi.

r *Quia verò* iustitia A non ad hoc tantùm tendit, vt inæqualitatem præcedentem auferat, puniendo culpam præteritam, sed vt in futurum æqualitatem custodiat, quia secundùm Philosophum *in* 2. *Ethic.* pœnæ medicinæ sunt: ideò & satisfactio, quę est iustitię actus pęnam inferentis, est medicina curans peccata præterita, & præseruans à futuris. *Proinde* ad duo B valet. Valet enim ad expiationem culpæ præteritæ: valet & ad cautelam culpæ futuræ. Sicut cum homo ieiunat, per hoc præbetur ei remedium contra futuras concupiscentias carnis. *Item* opus quod quis facit ex iniunctione Sacerdotis, dupliciter valet pęnitenti: vno modo ex natura operis, alio modo ex vi clauium. Cum enim satisfactio, à Sacerdote absoluente iniuncta, sit pars pęnitentiæ, manifestum est, quòd in ea operatur vis clauium, ita quòd ampliùs valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus. *Et quidem* satisfactio C non sufficeret ad expiandum pęnam peccati ex quantitate pęnæ, quæ in satisfactione imponitur: sed sufficit, in quantùm est pars Sacramenti, virtutem Sacramentalem habens. *Non enim ex se habet homo, vnde satisfaciat sufficienter Deo; nisi à Deo detur. Vnde dicitur de serue nequam Mat.* 18. Cum autem non haberet, vnde redderet Domino &c. *nimirùm* quia D totum quod habet homo, non sufficit, *ad debitum videlicet Deo soluendum. Quocirca sciendum, quòd (vt in superioribus notatum est)* in honoribus E qui sunt ad parentes & Deos, etiam secundùm Philosophum, impossibile est æquiualens reddere secundùm quantitatem; sed sufficit, vt homo reddat quod potest: quia amicitia non exigit æquiualens, nisi secundùm quod possibile est. Et hoc etiam, æquale est aliqualitèr, scilicet secundùm proportionalitatem. Quia sicut se habet quod Deo est debitum, ad ipsum Deum: ita hoc, quod iste potest reddere, ad eum; & sic aliquo modo forma iustitiæ conseruatur. Et similiter est ex parte satisfactionis. Vnde non potest homo satisfacere, si ly *satis* æqualitatem quantitatis importet: contingit autem, si importet æqualitatem proportionis. Et hoc sicut sufficit ad rationem iustitię, ita sufficit ad rationem satisfactionis. *Etlicèt verum sit, quòd* satisfactio F attenditur secundùm pęnam taxatam, quæ pro peccatis iniungi debet: hæc autem pęna præcipuè proportionatur culpæ ex parte conuersionis, ex qua finitatem habet: (sicut dolor contritionis respondet culpæ ex parte auersionis, ex qua habet quandam infinitatem:) *Ex eo tamen, quòd sit pro infinita offensa, infinitatem quandam inuoluere, & valorem videtur infinitum exigere. Nihilominùs* satisfactio G æquatur offensæ, prout est gratia informata, non pro æquiualentia, sed secundùm acceptationem diuinam; quia Deus ratione gratiæ, sic eam acceptat, ac si esset offensæ æquiualens. Et ita ex diuina misericordia acceptante, habet infinitatem, sicut ex diuina maiestate læsa habet infinitatem offensa.

A 4. d. 15. 1. 1. q. 3. initio c. & q. 2. 2. q. 2. ad 1.
Medicina est curans peccata præterita, & præseruans à futuris.

B Quol. 3. a. 28. c.

Opus à confessario impositum dupliciter pœnitenti ualet.

C 4. d. 17. 3. 1. q. 1. ad 4. & a. 3. q. 1. ad 3.

Valor satisfactionis ex Sacramento potissimùm est.

D Mat. 18. lit. c. ibi.

Non habet homo, vnde sufficienter Deo satisfaciat, nisi à Deo detur.

E 4. d. 15. 1. 2. c.

Quomodò in hoc forma seruetur iustitiæ.

F 4. d. 17. 2. 4. q. 1. ad 5.

G Hann. 4. d. 15. 1. 1. c. & in 4 d. 15 1. 2. ad 1. & 3. p. 1. 2. ad 2. & 85. 3.

Qualiter satisfactio finita respondeat infinitæ offensæ.

s *Radix autem, & causa, cur homo huiusmodi satisfactioni addicatur, ea est, quam attulit ab initio Author*. Quia *enim* peccator H peccando contra ordinem diuinitus institutum facit, leges Dei prætergrediendo: conueniens est, vt hoc recompenset, in se ipso puniendo quod priùs peccauerat: sic enim totaliter extra inordinationem constituetur. Per hoc ergo patet, quòd post quàm homo per gratiam peccati remissionem consecutus est, & ad statum gratiæ reductus, remanet obligatus ex Dei iustitia ad aliquam pęnam pro peccato commisso. Quam quidem pęnam si propria voluntate à se exegerit, per hoc Deo satisfacere dicitur, in quantùm cum labore, & pœna ordinem diuinitus institutum exequitur, pro peccato se puniendo, quem peccando trangressus fuerat, propriam voluntatem sequendo. Si autem à se hanc pœnam non exigat (cum ea, quæ diuinæ prouidentiæ subiacent, inordinata remanere non possint) hæc pęna ei infligetur à Deo. Nec tali pęna satisfactoria dicetur, cum non fuerit ex electione patientis: sed dicetur purgatoria, quia alio puniente, quasi purgabitur, dum quicquid inordinatum fuit in eo, ad debitum ordinem reducetur. Hinc est, quòd Apostolus dicit

Radix obligationis ad satisfactionē ex culpa cōmissa.

H 3 con. G. c. 158. nu. 4. & 5 Quol. 3 a. 28 In 4 d. 16 exp. tex. & d. 17. 2. 1. q. 1 ad 8.

Satisfacere Deo homo dicitur, si pęnam peccato debitam à se voluntariè exigat.

Pœna purgatoria.

Rr 1. Cor.

Peccator pœnitens dupliciter satisfactionis debitor.

H Quol. 3. a. 28. In 4. d. 16. exp. tex. & d. 17. 2. 1. q. 1. ad 8.

1. Cor. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc Mundo damnemur.* Peccator verò est H debitor alicuius satisfactionis dupliciter. Vno modo ex iniunctione Sacerdotis: alio modo ex peccato commissio. Vnde si contingat, quòd Sacerdos minorem satisfactionem imponat pœnitenti, quàm sit illa, ad quam obligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo, quod remittitur virtute clauium, & contritionis præcedentis: nihilominùs pœnitens ad aliquid vlteriùs obligatur (*nota*) quod si in hac vita non perficiet, in Purgatorio exoluet. Et è conuerso, si Sacerdos imponat maiorem pœnitentiam, quàm pœnitens facere teneatur, pensata remissione, quæ facta est per vim clauium, & ex contritione præcedente: nihilominùs pœnitens tenetur facere quod sibi iniunctum est, si adsit facultas. *Et quidem pœnitentiam à Confessario impositam tenetur pœnitens sub mortali acceptare, & intra tempus ab eodem præfixum implere, vt sit integrum Sacramentum. Quapropter non potest quis eam proprio arbitrio differre, in Purgatorio luendam; tunc enim non est pars Sacramenti, cum simul in alio foro. Vlteriùs pœnitens se indispositum indicat ad Sacramentum suscipiendum, dum renuit se Ecclesiæ clauibus subiicere. Porrò ad promptè satisfaciendum pro culpa propria, debet pœnitens moueri Redemptoris exemplo.* Christus enim dedit I maximum exemplum pœnitentibus, dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnam subire. *Quid namque pro peccatis nostris oportet nos pati, quando pro alienis, humanis videlicet culpis, Christus innocens passus est? Et quidem prompto hîc animo pœnitentia iniuncta (sic & pœna qualibet) vel ex eo suscipienda est, quòd pœna* L in hac vita voluntariè suscepta (*nota*) multò plus purgat, quàm pœna post mortem inflicta, sicut patet in martyribus.

I 3. p. 15. 1. ad 5. Exemplo Christi promptè pro peccato satisfaciat.

L In 4. d. 47. 2. 3. q. 2. ad 5. & d. 20. 1. 1. q. 3. ad 2.

t *Sanè, quod spectat ad satisfactionis vtilitatem; sicut confessio in voto (vt vidimus) ita &* satisfactio M confert gratiam, prout est in proposito; & auget eam, prout est in executione. *Et alibi*: Per satisfactionem N consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter à reatu peccati. *Ex quo sequitur, oportere (quicquid dicant alii) quòd satisfactio in statu gratiæ fiat (ad dimissionem saltem pœnæ peccatis debitæ, & ad meritum vitæ æternæ:) complet enim integritatem Sacramenti. Et ratio adducitur: quia in satisfactione* O oportet, quòd amicitia restituta, iustitiæ æqualitas restituatur, cuius contrarium amicitiam soluit, *vt Philosophus in 8. Ethic.* dicit. Æqualitas autem in satisfactione ad Deum non est secundùm æquiualentiam, sed magis secundùm acceptationem ipsius, (*vt dictum est:*) & ideò oportet (etsi iam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem) quòd opera satisfactoria sint Deo accepta: quod dat eis charitas. Et ideò sine charitate opera facta non sunt satisfactoria. *Nam & pœna* P habet vim satisfaciendi maximè ratione charitatis, qua homo ipsam sustinet. *Præterea satisfactio opus exigit meritorium. Vnde & pœna* Q illa (*vt & superiùs præstatum est*) quam animæ in Purgatorio sustinent, non potest propriè dici satisfactio, quia satisfactio, opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio, pœnæ debitæ solutio. *Et hinc est, quòd ad communionem Eucharisticam, vel ad celebrandum accedenti*, in necessitate R quidem, putà quando aliquis copiam Confessarij habere non potest, sufficit contritio ad sumptionem Sacramenti: regulariter autem debet confessio præcedere cum aliqua satisfactione. *Num verò satisfactiones in mortali peractæ, veniant iterandæ. Respondet Author, quòd* aliquæ S satisfactiones

M 3. p. 90. 2. ad 2. In 4. d. 16. 1. 1. q. 2. ad 3. & d. 17. 3. 4. q. 1. ad 2.

Effectus satisfactionis, & vtilitas.

N 4. d. 16. loco cit. & 3. p. 22. 3. c. & 46. 4. c. & ad 1.

O 4. d. 15. 1. 3. q. 2. c. & d. 17. 3. 4. q. 1. ad 2.

Satisfactio in statu gratiæ præstanda.

P 4. d. 20. 1. 2. q. 3. c.

Q 4. d. 17. 2. 4. q. 3. ad 3. & 3. con. G. c. 158. numero 5.

Purgatoria pœna non est propriè satisfactoria, quia non meritoria.

R 1. Cor. 11. l. 7. ibi, indignè.

S 4. d. 15. 1. 3. q. 3. ad 3.

sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquàm actus satisfactionis transijt: sicut ex ieiunio manet corporis debilitatio, ex eleemosynis largitis, diminutio substantiæ: & sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factæ, non oportet, quòd iterentur: quia quantum ad id, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ sunt. Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transijt, oportet, quòd iterentur: sicut est de oratione, & similibus. Actus autem interior, quia totaliter transijt, nullo modo viuificatur, sed oportet, quòd iteretur. *Et quamuis per indulgentias multum de pœna relaxetur*: tamen T consulendum est eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineant, vt etiam ex his remedium consequantur, quamuis à debito pœnæ essent immunes: & præcipuè, quia quandoq; sunt plurium debitores, quàm credant. *Vlteriùs* quamuis V huiusmodi indulgentiæ multùm valeant ad remissionem pœnæ: tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmij essentialis, quod in infinitum melius est, quàm dimissio pœnæ temporalis. *Ex quibus huiusque præmissis colligitur, pœnale satisfactionem opus exigere.* Satisfactio *enim* respectum X habet ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam, à qua per eam præseruamur: & quantùm ad vtrumque exigitur, quòd satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse eius, qui offendit, ad eum, in quem offensa commissa est: adæquatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab vno, qui plus habuit iusto, & additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Deo autem, quamuis, quantùm ex parte sui est, nihil subtrahi possit: tamen peccator, quantùm in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Vnde oportet, ad hoc quòd recompensatio fiat, quòd aliquid subtrahatur à peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quòd est huiusmodi, non subtrahit aliquid, sed magis perficit ipsum: vnde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Et ideò ad hoc, quòd aliquod opus sit satisfactorium, oportet, quòd sit bonum, vt in honorem Dei fit, & quòd sit pœnale, vt aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam pœna à futura culpa præseruat: quia non facilè homo ad peccata redit ex quo pœnam expertus est; vnde & secundùm Philosophum pœnæ medicinæ sunt. *Cæterùm* recompensatio Y offensæ præteritæ potest fieri & ab eo, qui offendit, & ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis, quàm satisfactionis rationem habet. Quando autem fit ab ipso, qui offendit, etiam rationem satisfactionis habet. Vnde si flagella, quæ pro peccatis à Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius (*nota*) in quantùm ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis patienter vtens. Si autem ratio eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius: & ideò non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantùm. Et quamuis illa flagella non sint omninò in potestate nostra: tamen quantùm ad aliquid sunt, cum scilicet eis patienter vtimur; & sic homo facit de necessitate virtutem: vnde & meritoria & satisfactoria esse possunt.

u *Quoniam verò* quod Z per amicos facimus, per nos ipsos facere videmur: quia amicitia ex duobus facit vnum per affectum; & præcipuè dilectio charitatis: ideò, sicut per se ipsum, ita & per alium potest aliquis satisfacere Deo, præcipuè cum

An satisfactiones in mortali præstitæ veniant iterandæ.

T 4. d. 20. 1. 3. q. 1. ad 4. Etiam indulgentiam lucrantes, iniuncta pœnitentiæ opera peragant.

V Ibid. a. 3. q. 2. ad 2.

X 4. d. 15. 1. 4. q. 1. c. & a. 1. q. 3. ad 4. Satisfactio opus exigit pœnale.

Flagella à Deo pro peccatis inflicta, si patienter tolerentur, rationem satisfactionis habent.

Y Ibid. a. 4. 2. c. & ad 1.

Z 3. con. G. c. 158. §. fi. in 4. d. 20. 1. 2. q. 3. c. & ad 1. & d. 45. 2. 1. q. 2. & lib. 4. con. G. c. 55. ad 20. Ver. 29. 7. & 3 p. 14. 1. c. & q. 48. 2. ad 1. Vnus pro alio potest satisfacere, si ambo in charitate sint.

cum

cum necessitas fuerit. Nam & pœna, quam amicus propter ipsum patitur, reputat aliquis, ac si ipse pateretur: & sic pœna ei non deest, dum patienti amico compatitur; & tantò ampliùs, quantò ipse est ei causa patiendi. Et iterum affectio charitatis in eo, qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quàm si pro se pateretur. Hoc enim est promptæ charitatis: illud autem est necessitatis. Ex quo accipitur, quòd vnus pro alio satisfacere potest, dummodo vterque in charitate fuerit. Hinc est, quòd Apostolus dicit *ad Gal. 6.* Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi, *quæ est lex charitatis. Illud tamen ex Authore aduerte, quòd* pœna A satisfactoria est ad duo: scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando. In quantùm est ad remedium sequentis peccati, sic satisfactio vnius non prodest alteri: quia ex ieiunio vnius caro alterius non domatur; nec ex actibus vnius alius bene agere consueuit, nisi secundùm accidens, in quantùm aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium est ad peccatum vitandum: sed hoc est per modum meriti magis, quàm per modum satisfactionis. Sed quantùm ad satisfactionem debiti, vnus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, vt opera eius satisfactoria esse possint. Nec exigitur, quantùm ad solutionem debiti, quòd ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum; quia etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse à debito immunis esset: sed hoc requiritur, in quantùm pœna satisfactoria est in remedium. Vnde non est permittendum, vt aliquis pro alio pœnitentiam faciat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum: vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum pœnam. *Ex qua doctrina colligitur, absolutè vnum pro alio satisfacere posse; immò in casu aliquo, etiam quoad satisfactionem, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ integralis: vt benè notat in appendice ad citatum Authoris articulum (qui est in additionibus ad 3. part. Quæst. 13. secundus) doctissimus Pater Magister* Seraphinus à Porrecta. *Vbi docet, errorem Mahometis dicentis, opera aliena nil prodesse, meritò fuisse damnatum à Maguntino Concilio, dum vnum pro alio satisfacere posse decreuit. Et hoc* (inquit) *patet cap. 26. in hæc verba*: Ab infirmis in mortis articulo positis per præsbyteros pura inquirenda est confessio; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studijs, pondus pœnitentiæ subleuandum; vt, si fortè migrauerint, ne alieni ex consortio bonorum fiant. *Quo posito, subdit præfatus Doctor*: Ecce quàm patenter dicit, quòd quantitas pœnitentiæ, idest satisfactionis à Confessario impositæ, debet pro illo moribundo ab amicis impleri: vel quòd (*& in idem redit*) pœnitentiæ suæ pondus illorum orationibus est subleuandum; & quòd hoc valet illi ad solutionem debiti. *Quod quidem apertè consonat præmissa Authoris nostri doctrina. Ex quo* Caietanus *in summula V.* Satisfactio, *docet vlteriùs, quòd* potest satisfactio Sacramentalis exolui per alium ad hoc voluntarium: siue ille alter à Confessore sibi imponi acceptet, siue acceptatam à pœnitente suscipiat in se; consensu tamen confessoris, qui imposuit, vel alterius, vt mutatio sententiæ, quantùm ad personam satisfactricem, à iudice fiat. *Non igitur ad arbitrium suum, aut proqualibet satisfactione, etiam in medicinam & remedium peccati imposita, potest pœnitens onus satisfaciendi alterè pro se imponere, sed in casu impotentiæ, & de consensu Confessarii. Quapropter iustè* ab Alexandro Papa VII. *ea damnata est propositio numero 15.* Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. *Porrò triplex est satisfactionis genus: oratio nimirùm, ieiunium, & eleemosyna. Cuius quidem conuenientia satis apparet, si consideremus, quòd* satisfactio B debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus, nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam: sed ex bonis corporalibus per ieiunium: ex bonis autem animæ non oportet, quòd aliquid subtrahamus nobis quantùm ad essentiam, vel quantùm ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti; sed per hoc, quòd ea submittimus Deo totaliter: & hoc fit per orationem. Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit: qui radices peccatorum tres ponuntur, 1. Io. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Et contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium: contra concupiscentiam oculorum eleemosyna: contra superbiam vitæ oratio, vt dicit *Augustinus super Mat.* Competit etiam quantùm ad hoc, quòd satisfactionis est, peccatorum suggestionibus aditum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus; & contra hoc ordinatur oratio: vel in proximum; & contra hoc ordinatur eleemosyna: vel in nos ipsos; & contra hoc ordinatur ieiunium. *At verò circa orationem, notandum, quòd secundùm aliquos vocalis quidem oratio satisfactoria est, non ita mentalis; quæ habet immò iucunditatem spiritus.* Dicendum *nihilominùs, quòd* oratio C mentalis & vocalis satisfactoria est, si in charitate fiat. Vocalis quidem, quia habet exteriorem laborem; & sic pœnam quandam: & in quantùm in ea manet virtus præcedentis intentionis, habet etiam rationem boni meritorij: quæ duo ad opus satisfactorium requiruntur. Similiter etiam oratio mentalis satisfactoria est: quia quamuis habeat iucunditatem, habet tamen & pœnam admistam; vt enim dicit Gregorius: *Orare est amaros gemitus in compunctione resonare vel pro peccatis, vel dilatione Patria.* Et præterea, ipsa mentis eleuatio est carnis afflictio: & afflictio carnis redundat in mentem, in quantùm ei vnita est. *Nec ieiunium duntaxat, si ad macerationem corporis respiciamus, in opus satisfactorium assumitur: sed* quicquid D ad afflictionem corporis pertinet, totum ad ieiunium refertur: sicut quicquid ad proximi vtilitatem expenditur, totum eleemosynæ rationem habet: & similiter quæcumque latria exhibeatur Deo, orationis accipit rationem. Et ideò etiam vnum opus potest habere plures rationes satisfaciendi. DISCE *voluptatem peccati voluntaria pœnalitate compensare. Vide plura* Num. seqq.

Pœna satisfactoria ad duo
A 4. d. 20. 1. 2. q. 3. c.

B 4. d. 15. 1. 4. q. 3. c. ad Hanc. ibid. q. 1. 4. c. In 4. l. c. q. 2. 1. q. 2. ad 3.

Triplex satisfactionis genus, scilicet oratio, ieiunium, & eleemosyna. Et conuenienter.

C 4. d. 15. 4. q. 1. ad 1. & q. 1. 4. q. 3. ad 1.

Vtraque oratio vocalis & mentalis, verè satisfactoria.

Nomine ieiunij, Orationis, & eleemosynæ, alia consimilia opera significantur.

D Ibid. q. 1. 4. q. 3. ad 5.

POENITENTIÆ MINISTER.

XX. Qui confitetur Sacerdoti, non confitetur ei vt conseruo, sed vt Deo. *In 4. d. 17. exp. tex.*

Tria Confessario necessaria. Primo bonitas, & vt bonæ famæ sit.

X Tria sunt; *quæ potissimùm qualificant Sacramenti pœnitentiæ Ministrum: bonitas videlicet, scientia, & prudentia. Bonitas inquam in eo prælucere debet. Quomodo enim cum Christo* viam Dei in veritate doceat, *à qua Christi minister aberrat? Bonæ igitur famæ sit, bono Christi odore fragrans, & pœnitentibus in virtutis exemplum.* Ad E virtutem enim & verbis & exemplis prouocamur. Exempla autem alicuius & verba tantò efficaciùs ad virtutem inducunt, quantò de eo firmior bonitatis habetur opinio. *Quò facit illud de Christo Domino, omnium exemplari virtutum,* Mat. 4. *Vbi legitur, quòd* abiit opinio eius in totam Syriam; & obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus &c. *Quæ loci Author observat, quòd* primò F dicit, *abiit opinio &c.* & postea: *obtulerunt ei omnes malè habentes.* Quia quando aliquis habet famam de sanctitate, homines faciliùs detegunt ei conscientiæ vulnus; vnde subdit: *Variis languoribus &c.* Per istas enim graues infirmitates designantur infirmitates spirituales. *Ex quo sequitur*: Et curauit eos. *Per Sacerdotes enim sanctitatis fama clarentes faciliùs peccatores ad veram pœnitentiam reducuntur. Et hoc sensu Apostolus ad Timotheum scribens:* Solicitè *inquit* cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. *Probabilem exhibere Deo,* qui scilicet G probat cor, 2. Cor. 10. *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat:* aliàs operarius est confusione dignus; vnde dicit: *operarium inconfusibilem.* Item quòd *rectè tractet verbum veritatis,* vera docendo, & vtilia (*non quæ ad pœnitentiam minimè spectant*) non quærens lucrum & gloriam. *Lucri enim & mundanæ gloriæ cupidus, acceptator facilè personarum est: quod quidem ministrum dedecet Dei, de quo dicitur Sap. 6.* Pusillum & magnum fecit Dominus, & æqualiter cura est illi de omnibus. *Et Petrus Act. 10.* In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. *A qua idcircò personarum acceptione dehortatur Apostolus Iacobus cap. 2.* Nolite in personarum acceptione habere fidem D. N. I. Christi gloriæ. Etenim, si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu: & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: *Tu sede hìc bene*; pauperi autem dicatis: *Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum*: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? *Si introierit vir* (aut mulier) *aureum anulum habens &c. & intendatis in eum*: ecce H personarum acceptio in actu interiori, quasi ex animo & intentione *tendatis in eum, qui est indutus veste praclara,* cum scilicet propter indumentum honorando, & pauperi præferendo; *& dixeritis ei: Tu sede hìc bene* (*vel, ad rem nostram,* Tu accede huc *ad confitendum*:) *pauperi autem,* quia pauper est, *dicatis: Tu sta illic,* longè scilicet, quasi non curando de illo (*cum aliàs dicat Dominus Ezech. 18.* Omnes animæ, meæ sunt:) *nonne iudicatis apud vosmetipsos*; idest, nonne à vobis accipitis hoc iudicium, & non à Deo? Quasi dicat: sic. *Et facti estis iudices cogitationum iniquarum*; idest, iudicatis secundùm iniquas cogitationes; quasi dicat: Iniqua est talis cogitatio: *quæ nimirum respicit exteriorem personam, non interiorem.* Vnde *Glossa*: Mundus pauperem abiicit, diuitem colit. *Ita & Confessarius, lucri cupidus & gloriæ mundanæ.*

E 4. con. G. c. 54. n. 4.

F Mat. 4. lit. c. ibi.

G 2. Tim. 2. l. 2. ſ. Et Conscientiæ.

Ne sit lucri, aut gloriæ cupidus: ex quo personarum acceptor fiat.

H Iac. 2. S. 1. ibi.

y *Vno verbo: ex solo motiuo charitatis suo fungatur munere minister Christi.* Charitas *autem* non quærit quæ sua sunt, non agit perperam; patiens est, benigna est &c. *Debet enim Sacerdos dulciter & patienter se gerere cum peccatore pœnitente.* Et ideò I fortè Dominus permisit Petrum cadere, qui debebat esse Pastor Ecclesiæ, vt mitiùs se haberet cum peccatoribus. Et de Christo dicit Paulus ad Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Vnde contra peccatores non est obiurgandum cum asperitate: *nisi fortè cum lenitas in quibusdam inutilis deprehenditur, vel ad fomentum peccati est. Quocirca obseruat Author, quòd Apostolus ad Timotheum scribens 2. Tim. 4.* Obsecra *inquit* increpa: *sed* in omni patientia. *Ad Titum verò cap. 1.* Increpa *ait* illos, durè. *Vbi docemur, quòd* duplex L est ratio exhortationis huius. Vna ex parte reprehendentium: quia enim Titus lenis erat & mansuetus, ideò inducitur quasi ad contrarium. Sed Timotheus erat rigidus; & ideò inducitur ad patientiam. Alia ex parte eorum, qui reprehenduntur. Cretenses enim duri, & pertinaces erant; & ideò durè eos reprehendi iubet: non autem Ephesii, quorum Archiepiscopus erat Timotheus. *Non ergo nimis sacerdos pœnitentes terreat, ne retrahantur à pœnitentia, & desperent: nec nimis indulgeat, ne præsumant & minùs doleant. Si qua verò lenitas adhibeatur, caueat ne (cum nobilibus præsertim) assentatio sit, Ier. 6.* Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax: & non erat pax. (*Cui respondet illud Ezech. 13.* eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non est pax; & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant cum luto absque paleis:) *vnde sequitur:* Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. *Neque enim de peccatis erubescunt, consequenter nec verè dolent, quorum alleniant Confessarii grauitatem, cum videlicet nouis doctrinis culpas diminuunt, ne dicam, penitùs tollunt, vt experientia manifestum est, & ex damnatis à Sancta Sede propositionibus, liquet; Is. 5.* Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. *Nec correptionem tandem, graues exaggerando culpas, præ vano timore Sacerdotes omittant, de quibus dicitur Is. 56.* Canes muti, non valentes latrare, *videlicet* in correptione M vitiorum ex *quo plurimi pœnitentes tam facilè recidiui. Soletur Confessarius afflictos, pauidos animet, timore abducat, amore inducat, rudes instruat, neminem respuat, omnes excipiat.*

Dulciter & patienter se gerat cum pœnitentibus.

I Mat. 7. lit. a. ibi, fine. & cap. 14. lit. c. ibi, mergi, & Io. 13. l. 8. lit. c.

Cur Petrus cadere permissus.

Nisi cum aliquibus inutilis lenitas sit, vel damnosa.

L AdTit. 1. l. 4. ibi

Nec nimis terreat, nec nimis indulgeat.

Assentator non sit.

Correptionem in grauibus culpis non omittat.

M Is. 56. ibi.

z. *Rudes inquam instruat; ad quod scientia exigitur in Confessario, cuius defectu plura in tanto ministerio sequuntur absurda. Ea propter Tridentinum* Sess. 23. cap. 15. de Reform. *prudenter inhibuit, ne fidelium Confessiones audire quis valeat, nisi per examen ab Episcopis approbetur. Hinc enim magna ex parte spiritualis pendet salus Dominici gregis. Nec tamen examen illud necessarium simpliciter dicimus; addit enim ibi Concilium:* si illis (*Episcopis*) videbitur necessarium, aut aliàs quis idoneus iudicetur. *Eo videlicet sensu, quo Moysi à Domino dictum est Num. 11.* Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israel, quos tu no-

Scientia in Confessariis exigitur: ab Episcopis idcircò examinandi.

Nisi tamen aliàs idonei agnoscantur.

Pii V. & Clem. X. Decreta pro Regulatu.

tu nosti, quòd senes populi sint, ac Magistri; & duces eos ad ostium tabernaculi &c. vt sustenteut tecum onus populi, & non tu solus graueris. *Quasi diceret*: Illos N quos tibi constat idoneos esse.

N 1. *Tim.* 5. *l.* 3.

Confessarius Iudex, & Medicus spiritualis.

Quos ergo, constat Episcopo, temporis, studii, ministerii diuturnitate senes *esse* populi, *in quibus prudentia*, & magistros, *in quibus sapientia, ad animarum proinde culturam idoneos: hos non oportet examinari: alioquin examini subiiciantur. Quocirca illud meminerint Regulares* (*mendicantes præcipuè*) *quod circa illos decreuit S. Mem. Pius V. in Bulla*, Romani Pontificis, 1571. 22. *Augusti*. Volumus tamen, eos (*Regulares*) qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterùm non examinari. *Et nuper Clemens* X. *in suo Breui*, Superna, 1670. 11. *Cal. Iul. decernit* illos Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum, aut generis personarum, in Diœcesi propria admittendos. *Exigitur autem potissimùm scientia in Confessario, eo quòd Iudex in foro animæ est, & medicus spiritualis. Iudex: quia* oportet O ministrum, cui fit confessio, iudiciariam potestatem habere vice Christi, qui constitutus est Iudex viuorum & mortuorum. *Debet autem Iudex scientiam callere eorum, de quibus iudicat*. Et quia P actus iudicij, ad quod quis ex authoritate suscepta obligatur (non autem ex scientia habita) sine vtroque bene fieri non potest; ideò scientia sine authoritate, sine peccato haberi potest authoritas autem iudicandi, quæ clauis est, sine scientia non potest sine peccato accipi: (*quod valdè notandum.*) *Etenim* scientia Q legis est adeò adnexa officio Sacerdotis, vt simul cum iniunctione officij (*nota*) ideò intelligatur etiam & scientiæ iniunctio. Et ideò non oportuit in veteri lege specialia præcepta dari de instructione Sacerdotum. *Sanè indoctos in Ecclesiastico Ministerio Sacerdotes non sustinet Dominus*, *Ose.* 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. *Vide quantùm intersit Sacerdotem scientificum esse. Et quidem peritorum hominum* in confessionibus R audiendis necessitas maximè apparet propter ignorantiam multorum Sacerdotum, quæ periculosissima est in confessionibus audiendis. Vnde *Augustinus in lib. de Pœnit.* Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & soluere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit. *Hinc & Dominus Mat.* 15. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. *Vbi Author* Spiritualiter S cæci sunt ignorantes, *Is.* 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi.* Quòd sint Duces cæcorum, hoc est bonum: sed quòd cæci, hoc est malum: *quia nimirum* cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. *Vtinam non ita accideret! Quò fortasse allusit Sapiens Eccli.* 4. *cum ait*; Ne subijcias te omni homini pro peccato: *at doctum quæras & pium. Veruntamen in Confessario* scientia T hæc, etsi non sit maior, tamen tanta debet esse, vt sciat distinguere inter peccatum, & non peccatum; & peccatum mortale & veniale. Et si in aliquo esset dubitatio, posset ad discretiores recurrere. *Quod quidem facere non tædeat, cum & ipse Author noster, quamuis tanta fuerit intelligentia, non renuisse videatur, dum* Op. 21. ad *Ducissam Brabantiæ scribit*; Hæc V sunt, quæ vestris quæstionibus ad præsens respondenda occurrunt: in quibus vobis non sic meam sententiam ingero, quin magis suadeam, peritiorum sententiam esse tenendam: *ex eo nempe motus, quod alibi aduertit, cum ait*: Omnis X quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur. *Et tamen non pauci sunt, qui sine præuia consideratione matura statim audent implexos etiam casus resoluere: non perpendentes, quanti sit vel vna mortalis culpa momenti, cui æterna debetur pœna. Non igitur absoluat Sacerdos, nisi iudicio facto, tum de narratis culpis, tum de dispositione confitentis.* Non Y est autem periculosum sacerdoti dicere, *Ego te absoluo*, illis, in quibus signa contritionis videt, quæ sunt dolor de præteritis, & propositum de cætero non peccandi: aliàs absoluere non debet. *Nam enim sufficit peccata denarrare, quæ sunt materia Sacramenti remota, nisi materia proxima vera cum dolore detestationis exhibeatur, vt nimirum materia formæ Sacramenti respondeat, siuè sint mortalia peccata non antea clauibus subiecta; siuè aliàs exhibita, & iterum expressa; siuè sola venialia: quæ tamen cautiùs cum mortalibus aliàs subiectis exhibeantur, cum necessarius dolor & detestatio non tam facilè de veniali, etiam ex electione, vti de mortali culpa eliciatur; & præcipuè à mulieribus, quæ iisdem non tam ex subreptione, quàm ex electione semper obnoxiæ, ad confessionem accedunt. Id quod cordi sit confessarijs, ne tam facilè absolutionem impendant.*

O 4. c. G. c. 72.

P 4. d. 18. 1. 1. q. 3. ad. 2. fi.

Peccat Sacerdos ignarus, ministerium exercẽs.

Q 2. 2. 16. 2. ad 3.

R Op. 19. c. 4.

S *Mat.* 15. *lit. a. ibi.*

Ex quo confitentis & Confessarij ruina.

T 4. d. 17. *exp. tex.*

Qualis & quanta in eo scientia requiratur.

V *Op.* 21. *fi.*

In dubijs ad peritiores recurrat.

Quæstio de peccato mortali periculosè determinatur.

X *Quol.* 9. *a.* 15. *in c.*

Y *Op.* 22. *cap.* 3. *fi.*

Non absoluat, nisi iudicio facto de culpis, & de dispositione confitentis.

a *Verùm Sacro Ministro parùm scientia prodesset, nisi eam ad praxim reduceret, & prudentiam in operando adhiberet: ex quo spiritualis medici dicitur munere fungi. Quid autem proficeret medico theoria, si in actuali pharmaci applicatione deficeret? Enimuerò, sicut in naturalibus* natura Z sanat infirmum alterando, digerendo, & expellendo materiam, quæ causat morbum: Medicus autem confortat naturam, & adhibet cibos & medicinas, quibus natura vtatur ad finem intentum: *Ita in gratuitis, gratia Dei est, quæ interiùs animam sanat: Sacerdos autem Sacramenti adhibet medicinam.* Deus enim A absoluit à peccato directè gratiam apponendo: sacerdos tanquam minister à peccato soluit, Sacramentum gratiæ apponendo, *quasi medicinam. Hinc Ecclesia*: Sana me Domine medicamento pœnitentiæ Deus. *Et Ps.* 146. Qui sanat contritos corde; *non ita indispositos, nec sufficienter dolentes. Ad hæc coherenter de mortuo Lazaro, in peccatoris symbolum dicebat ad discipulos Dominus Io.* 11. Soluite eum. *Nam quem* B Christus per se ipsum interiùs viuificat, discipuli soluunt: quia ministerio Sacerdotum viuificati absoluuntur, *Matt.* 16. Quodcumque solueris super terram &c. *Quemadmodum autem prudentis est medici, infirmitatis vestigare causas, & signa obseruare*, cum C subtiles Medici per pulsum (*sicut & per vrinam & alia*) deprehendant interiores animæ passiones: *Ita prudentis Confessarii est, spiritualis morbi, peccati scilicet, causas disquirere, & animi affectiones rimari.* Debet *ergo* Sacerdos D perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, & iudex causam: quia frequenter, quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus reuelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda. *Primò* vt quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ consueuerunt in hominibus illius conditionis abundare; non enim oportet, quòd à milite quæratur de peccato clericorum, aut religiosorum, & è conuerso. *Secundò* vt non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus manifesta sunt; de alijs autem adinuentionibus peccatorum, ita debet à longinquo fieri interrogatio, vt si commisit, dicat: &, si non commisit, non addiscat. *Tertiò* vt de peccatis, præcipuè

Prudentia in eo necessaria.

Medicus est spiritualis.

Z 1. p. 117. 1. *c. & ad* 1.

Sicut natura sanat, & medicus adhibet medicinam: ita gratia sanat animam, & Sacerdos ad hoc Sacramentum ministrat.

A *Op.* 22. *fi.* In 4. d. 18. 1. 3. q. 3. c.

B *Io.* 11. *l.* 6. *lit. f. ibi*, & *Mat.* 21. *lit. a. ibi*, Soluite.

Qualiter medici munus exerceat, & iudicis.

C *Op.* 30. *d.* 38. *fi. In* 2. *d.* 15. 1. 3 *ad* 4.

D 4. *d.* 19. *exp. tex.*

Cautè interroget.

puè carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias, quia huiusmodi delectabilia, quanto magis in speciali considerantur, tantò magis concupiscentiam nata sunt mouere, vt dicitur *in 3. Ethic.* Et ideò potest contingere, vt Confessor talia quærens, & sibi & confitenti noceat: & sic quandoque deficiant in suo scrutinio iniquitates scrutantes, *secundùm illud Ps. 63.* Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio. *Id quod circa simplices puellas præsertim seruandum, ne malitiam doceant, à qua fortè sunt alienæ, & ipsemet interrogans eiusmodi interrogationibus inquinetur.* Fit *enim* plerumque E vt dum rectoris animus aliena tentamenta cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur, *vt dicit* Gregorius in Pastorali.

E 4.d.16.3. 2.q.5.ad 4.

F Iob 1.l.1. ibi, consurgensque.

Quomodo in satisfactionibus iniungendis se gerat.

b *Quoniam verò* peccata F singula conuenientibus satisfactionibus sunt expianda, *iuxta quantitatem & qualitatem culpæ debet prudens Confessarius & pœnam taxare satisfactoriam. Nihilominùs & ad infirmitatem carnis respiciendum est, Rom. 6.* Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: Ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Vbi benè* dicit G hoc esse *humanum*, quia secundùm rectum iudicium exigeretur, vt homo multò plùs seruiret iustitiæ, quàm priùs seruiret peccato; *plusque affligeretur satisfaciendo, quàm sibi indulserit delinquendo.* Satis *tamen* reputatur H quis facere, si tantum facit pro Deo, quantum fecit pro peccato: *cum aliàs dicant impii Sap. 5.* Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles. *Verumtamen sciendum, quòd (vt aliàs præfatum est)* pœna I post dimissionem culpæ exigitur ad duo, scilicet ad debitum soluendum, & ad remedium prçstandum. Potest ergo taxatio pœnæ considerari, quantùm ad duo. *Primò* quantùm ad debitum soluendum: & sic quantitas pœnæ radicaliter respondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur. Secundùm tamen quod per primum eorum, quæ pęnam nata sunt remittere, plùs remittitur: secundùm hoc per aliud minus remittendum, vel soluendum restat: quia quantò per contritionem plùs de pœna dimissum est, tantò per confessionem minùs dimittendum restat. *Secundò* quantùm ad remedium vel illius, qui peccauit, vel aliorum: & sic quandoque pro minori peccato iniungitur maior pœnitentia: Vel quia peccato vnius difficiliùs potest resisti, quàm peccato alterius; sicut iuueni imponitur pro fornicatione maior pœna, quàm seni, quamuis minùs peccet: Vel quia in eo peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quàm in alio: Vel quia multitudo magis prona est ad aliquod peccatum; & ideo per pœnam vnius, alij sunt exterrendi. Pœna ergo in foro pœnitentiæ, quantùm ad vtrumque taxanda est; & ideò non semper pro maiori peccato maior pœna imponitur. Sed pœna Purgatorij solùm est ad soluendum debitum, quia vlteriùs non manet locus peccandi; & ideò illa pœna taxatur solùm secundùm quantitatem peccati, considerata tamen contritionis quantitate, & confessione, & absolutione: quia per omnia hæc de pœna aliquid dimittitur; vnde etiam à Sacerdote in iniungendo satisfactionem sunt consideranda. *Et quamuis in Canone sint pœnæ iuxta culpam statutæ: quia tamen* pœnæ L satisfactoriæ infligendæ vt medicinæ sunt: sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundùm arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed medicinæ scientiam: Ita pœnæ satisfactoriæ, in Canone determinatæ, non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundùm arbitrium Sacerdotis diuino instinctu regulatum. Sicut autem medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ maius periculum oriatur: ita Sacerdos diuino instinctu motus, non semper totam pęnam, quæ vni peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pęnę desperet, & à pęnitentia totaliter recedat. *Ex quo deducitur, quòd* Sacerdos M minorem condigno pęnitentiam iniungens, non semper peccat: tum quia non potest determinatè quantitatem pęnæ debitæ cognoscere (quamuis aliquid propriè, consideratis regulis Patrum, determinare possit:) tum quia quandoque, etiam ex industria minorem pęnitentiam imponens, plùs prodest pęnitenti, quàm noceat, *vt præmissum est. Et alibi cohærenter:* Videtur N satis conueniens, quòd Sacerdos non oneret pęnitentem graui pondere satisfactionis; quia sicut paruus ignis à multis lignis suppositis de facili extinguitur: ita posset contingere, quòd paruus affectus contritionis in pęnitente nuper excitatus, propter graue onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Vnde melius est, quòd Sacerdos indicet pęnitenti, quanta pęnitentia esset sibi pro peccatis iniungenda, & iniungat sibi nihilominus aliquid, quod pęnitens tolerabiliter ferat, ex cuius impletione assuefiat, vt maiora impleat, quæ etiam Sacerdos iniungere non attentasset. Et hæc, quæ præter iniunctionem expressam facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali iniunctione, qua Sacerdos dicit: *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum.* Vnde laudabiliter consueuit hoc à multis Sacerdotibus dici: licèt non habeant maiorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram. Et quantùm ad hoc, talis satisfactio est Sacramentalis, in quantùm virtute clauium est culpæ commissæ expiatiua. *Enimuerò* medicus O non tantò magis sanat, quantò maiorem dat medicinam: sed quantò medicina est magis proportionata morbo. *Illud verò maximè seruandum, quòd* pro absolutione P non debet exigi pecunia (*simoniacum enim esset: nisi sponte omnino pro eleemosyna erogetur.*) sed tamen ei, qui absoluitur, potest imponi pecuniaria pœna; vnde licet aliquid exigere quasi peccati pœnam. In quo tamen cauendum est, ne talis exactio magis cupiditati (*nota*) quàm correctioni adscribatur: *etiam si non sibi, sed Ecclesiæ, vel alteri pio loco eroganda, à Confessario imponatur.*

G Rom. 6. l. 4. ibi Op. 17. c. 5. fi.

H Op. 4. §. de 1. præc. circa fi.

Satisfacere reputatur, qui tantum facit pro Deo, quantum pro peccato fecit.

I 4.d.20.1. 2.q.1c.

Pęna post culpę dimissioné ad duo exigitur, scilicet ad debitum soluendum, & ad remedium præstandum.

Non semper pro maiori peccato, maior imponenda pęnitentia est.

Pęna purgatorij solùm est ad soluendum debitũ, non ad remedium.

L 4.d.18.1. 3.q.4.c. & d.16. exp. tex.

Expedit, cõfessarium quandoq; minorem penitentiã iniungere pluribus de causis.

M 4. d. 20. 1.2.q.2. ad 3.

Nec ideò peccat.

N Quol. 3. a. 28.

An verba illa Sacerdotis, *Quicquid boni feceris &c.* habeant vim satisfactionis Sacramentalis.

O 2. 2. 188. 7. ad 1.

P 4.d.25.3. 2.q.1.ad 6.

Num pęnam pecuniariam possit iniungere.

c *Hoc autem, satisfactionem imponendo, Sacerdos facit: quia* etsi Q in absoluendo ex vi clauium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpæ dimissionem, non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam, nisi ligare dicatur, in quantùm non absoluit, sed ligatos ostendit; sed in pœnam habet potestatem & ligandi, & soluendi. Soluit enim à pœna, quam dimittit; sed ligat ad pœnam, quæ remanet. *Quia verò vt minister agit, non potest pœnitentem sine alicuius satisfactionis iniunctione dimittere.* Christus *enim* absoluit R adulteram à culpa, non imponendo ei aliquam pœnam; quia cùm absoluendo exteriùs, iustificaret interiùs, benè potuit eam adeò immutare interiùs per sufficientem contritionem de peccatis, vt ab omni pœna immunis efficeretur. Nec tamen trahendum est in consuetudinem, vt aliquis exemplo Domini absque confessione, vel pœnæ inflictione, quemquam absoluat: quia Christus excellentiam habuit in Sacramento, & potuit conferre effectum sine Sacramento: quod nullus purus homo potest. *Et quamuis esset perfectè contritus, non tamen id ab homine potest sciri: soli enim Deo patet humanum cor. Et quidem imponenti*

Q 4.d.18.1. 3.p.3.c. Op. 22. fi.

Impositio satisfactionis ex clauium est potestate.

Nec tamen potest Sacerdos sine satisfactionis impositione penitentem dimittere.

R Io. 8. l. 1. fi. Rom 11. l. 4. circa fin.

Con-

Confess. arlo pœnitens parere teaetur, & commissam satisfactionem; nisi vires excedens iniungatur, implere; quia S confessio & satisfactio sunt in præcepto: vnde transgressor constitueretur, si non confiteretur, & satisfaceret. *Nisi inquam vires excedat:* quia pœnitens T tenetur facere quod sibi iniunctum est, si adsit facultas. Vnde & homini in mortis articulo pœnitentia non imponitur (*nisi fortè iaculatoria oratio:*) quia V per hoc, quòd imponitur alicui, obligatur ad illam faciendam: nullus autem debet ad aliquid obligari, quod non potest facere. Sed est ei pœnitentia innotescenda, vt procuret per amicos, & eleemosynas expiari; & vt eius complendæ propositum habeat, si euadat. *De quo & superiùs satis. Hoc sanè satisfactionis præceptum* intelligendum X est de his, quæ Sacerdos, in quantùm habet clauem scientiæ & authoritatis, per diuinum iudicium, & non secundùm humanum errorem iniungit. Sicut introitus in religionem, cum sit voluntatis, non potest alicui iniungi: & si aliquis Canones iniungere inueniantur, magis est consilium, quàm præceptum. *Aliàs, qui renuit conuenientem, & discretam satisfactionem implere, indispositus deprehenditur ad Sacramenti susceptionem. Sed & confessario in monitis salutaribus parendum, eiusque determinationi, tanquam legitimi iudicis in foro animæ, stare pœnitentes debent, scrupulosi præsertim, anxietate deposita. Hinc ad illud Io. 11.* Erat quidem languens Lazarus à Bethania &c., *docemur, quòd* locus Y infirmi erat *Bethania*, & interpretatur *domus obedientiæ*. Per quod datur intelligi, quòd si infirmus (*spiritualiter*) sit Deo obediens, potest ab eo de facili curari: sicut infirmus obediens medico, faciliùs ab eo beneficium consequitur sanitatis, 4. *Reg.* 5. *Dixerunt serui Naaman ad eum:* Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras. *Medicus autem spiritualis animæ Sacerdos est, cui tanquam Deo (Dei enim vices gerit) obediendum est, vt faciliùs interiorem obtineamus salutem.*

d *Dei inquam gerit vices Sacerdos; idcircò deprompsit initio Author:* Qui Z confitetur Sacerdoti, non confitetur ei vt conseruo, sed vt Deo. *Ex quo ad confessionem non reuelandam oritur obligatio, quam sigillum vocant.* Illud *enim* quod A sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum Sacerdos nesciat vt homo, sed ut Deus. *In grauioribus tamen peccatis, communitati valdè nocentibus, vel ad graue inconueniens ducentibus,* potest dicere Prælato, quòd diligentiùs inuigilet super gregem suum, ita tamen, quòd non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem prodat. *Et quia* homo B non adducitur in testimonium, nisi vt homo, ideò absque læsione conscientiæ potest iurare, se nescire quod scit tantùm vt Deus. Similiter etiam absque læsione conscientiæ potest Prælatus impunitum dimittere peccatum, quod scit, vt Deus; vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum defertur. Vnde in his, quæ deferuntur ei in foro pœnitentiæ, in eodem foro debet, quantùm potest, remedium adhibere: vt Abbas in casu (*quem edia confessione graue peccatum sciret alicuius Prioris sibi subiecti*) admoneat eum, vt Prioratum resignet: vel, si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absoluere à cura Prioratus, ita tamen, quòd omnis suspicio vitetur de confessionis reuelatione. (*Vide ex professo* I.) *Sanè* præceptum L de confessione seruanda consequitur ipsum Sacramentum: & ideò sicut præceptum de confessione Sacramentali facienda, est de iure diuino, & non potest aliqua dispensatione, vel iussione humana homo ab eo absolui: ita nullus ad reuelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari. Vnde si præcipiatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quòd dicat, si aliquid scit de peccato; non debet dicere. Quia debet æstimare, quòd intentio præcipientis sit, si sciat vt homo. Non est enim subiectus superiori suo, nisi vt homo; hoc autem nescit vt homo, sed vt Deus. *Et hæc est radix, vnde sigilli confessionis stricta insurgit obligatio. Nam* in Sacramentis M ea, quæ exteriùs geruntur, sunt signa rerum, quæ interiùs contingunt; & ideò confessio, qua quis Sacerdoti se subiicit, signum est interioris, qua quis Deo subiicitur. Deus autem peccatum illius, qui se sibi subiicit, per pœnitentiam tegit (Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:*) vnde & hoc oportet in Sacramento pœnitentiæ signari. Et ideò de necessitate Sacramenti est, quòd quis confessionem celet: & tanquam violator Sacramenti peccat qui eam reuelat. *Et quidem* sicut N profanatet Sacramentum qui conficeret corpus & Sanguinem Christi de alio, quàm de pane & vino: ita esset reuelans sacrilegus. *Neque ad solum Confessarium hæc extenditur obligatio: sed* sicut O aliquis, qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clauis, dum confessionem audit propter necessitatem, (*de quo suprà* Num. XVIII. lit. I.) ita etiam participat de actu sigilli confessionis, & tenetur celare: quamuis propriè loquendo sigillum confessionis non habeat. *Idem dic, si quis laicus, Sacerdoti confitentem ex malitia audiat, aut ex curiositate: qui & magnam facit iniuriam Sacramento.*

e *Illud denique notandum venit, quòd inter Confessarium, qui Pater dicitur spiritualis, & confitentem (quicquid dicant fortasse alii)* per Sacramentum P pœnitentiæ non contrahitur, propriè loquendo, spiritualis cognatio; vnde filius Sacerdotis potest contrahere cum illa, quam Sacerdos in confessione audit: aliàs filius Sacerdotis non inueniret in tota una Parochia mulierem, cum qua contraheret. Nec obstat, quòd per pœnitentiam tollitur peccatum actuale (*sicut originale per baptismum, per quem spiritualis contrahitur cognatio*) quia hoc non est per modum generationis, *vt in baptismo*, sed magis per modum sanationis. Per pœnitentiam tamen contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem, & mulierem confitentem, simile cognationi spirituali; vt tantum peccet eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia. Et hoc ideò, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem & confitentem: & ex hoc ista prohibitio est inducta, vt tollatur peccandi occasio. *Maxima inquam inter Confessarium & confitentem familiaritas est. Confitens enim corde latentia peccata (nulli quandoque, nisi Deo nota) confessario manifestat, qua familiarissimis suis non aperiret. Idcircò familiaritas hæc non debet, cum mulieribus præsertim, extra Sacrum prodire tribunal. Ex frequenti enim filiarum spiritualium visitatione, & colloquio, nonnulla ingeritur proximis suspicio, immò non rarò & scandalum (cum & ab omni* specie mala *abstinendum sit) eorum exinde læditur fama apud homines, nec longè abest delinquendi periculum & apud Deum. Docemur enim, quòd* amor Q spiritualis ad mulieres, nisi cautus sit, degenerat in carnalem, 1. *Tim.* 4. Iuuenculas, vt sorores, in omni castitate, *propter concupiscentiæ incentiuum. Vnde Iob c. 31. dicebat:* Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. *Quantò magis alloqui periculosum, & colloqui?* DISCE *Sacerdos ministerium Dei qua par est prudentia, ac pietate exercere. Vide* Clericus *Tomo* 1. Pœnitentia, Sacerdos. *Et apud Summistas.*

POENI-

[Left margin notes:]
S 4. d. 17. 2. 1. q. 1. ad 8. & d. 16. exp. tex. Satisfactio in præcepto.
T Quol. 3. a. 28.
V 4. d. 20. exp. tex.
X In 4. d. 16. exp. tex.
Renuens satisfactionem implere indispositus deprehenditur ad Sacramenti susceptionem.
Confessario & in monitis parendum, eiusque standum determinationi.
Y Io. 11. l. 1. lic. 4. ibi.
Confessionis sigillum.
Z 4. d. 17. exp. tex.
A 4. d. 21. 3. 1. q. 1 ad 1. & in 2. sed contra & a. 2. c.
B 4. d. 21. 3. 1. q. 1. ad 3.
Potest iurare confessarius se nescire quod habet in Confessione, cum illud non vt homo sed vt Deus norit.
Quomodo possit remedium adhiberi, ne peccatum aliquod noceat communitati.
I Quol. 5. a. 13.
L 4. d. 21. 3. 1. q. 1. ad 2. & a. 2. ad. 1. Quol. 5. a. 15. c. Quol. 12. a. 16. & 2. 2. 70. 1. ad 2.
Nullo præcepto aut censura potest Sacerdos ad confessionis reuelationem cogi.

[Right margin notes:]
Radix, ex qua obligatio ad sigillum.
M 4. loco cit. a. 1. q. 1. corp.
Quod est de necessitate Sacramenti & reuelans violator Sacramenti est.
N Quol. 12. a. 16. fi.
Sicut & laicus audiens.
O 4. loco cit. a. 1. q. 3. c. & a. 2. ad 4.
Inter Confessarium & pœnitentem nulla contrahitur spiritualis cognatio.
P 4. d. 42. 1. 2. ad 8. & q. 2. 2. ad 1. & exp. tex.
Confessariis familiaritas cum mulieribus pœnitentibus valde cauenda.
Q 1. Tim. 4. l. 3 fi.
Amor spiritualis ad eas facilè degenerat in carnalem, nisi cautus sit.

POENITENTIA SERA.

XXI. Dedit Deus homini tempus nascendi, & tempus moriendi: tempus plantandi, & tempus euellendi: tempus flendi, & tempus ridendi &c. Sed nulli dat Deus tempus peccandi, idest ad peccandum. *Apoc.* 2. *Com.* 2. §. 4. *ibi*, pœnitentiam.

Aliqui peccatores ad senectutem usque pœnitentiam protrahunt.
R Hann. 4. d. 20. 1. 1. arg. 2.

f *Adeò in peccatoribus quibusdam consueuit malitia excrescere, vt ne quidem de pœnitentia cogitent unquam, nec nonnisi (timoris impulsu) instante mortis periculo, pœnitere satagant, aut in extrema tantùm ætate, cum scilicet deficientibus viribus magis à peccatis relinquuntur, quàm ipsi peccata relinquant.* Si R vis (*inquit Augustinus*) agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes: peccata te dimiserunt, sed non tu illa. *Et hi quidem signantur per illos, de quibus dicitur Mat.* 20. *quòd* circa 11. horam exiit Pater familias, & inuenit alios stantes &c. *Vbi Author*: Vndecima S hora potest dici senium, siue decrepita ætas, quia quidam in peccato perdurant vsque ad ætatem decrepitam, *Ps.* 89. Vespere decidat, induret, & arescat. *Nec verò Deus quacumque hora ad pœnitentiam vocare desistit, quin perpetuò ad pœnitendum, modò interiùs, modò exteriùs excitat, Apoc.* 3. Pœnitentiam age: ego sto ad ostium, & pulso. *Sto*, scilicet T expectans ad pœnitentiam, *ad ostium* cordis, hoc est liberum arb., quod clausum tenetur, quandiù homo habet voluntatem peccandi, ita quòd Dominus intrare non potest. *Et pulso* inspirando, verberando, prædicando, beneficia conferendo, *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea &c. *Nec tamen audire peccator vult, & ad pœnitentiam flecti, Prou.* 1. Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. *Et Apostolus Rom.* 2. Existimas autem hoc, ó homo, quia tu effugies iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Quibus in verbis* videtur V Apostolus *ex glossa* tres gradus peccatorum tetigisse. Primò quidem impunitatem sibi promittentium. Secundò contemnentium Dei bonitatem. Tertiò verò ignorantium. Quasi dicat: Peccas ò homo, dum tibi impunitatem promittis: grauiùs peccas, quia contemnis: & grauissimè peccas, quia ignoras, 2. *Pet.* 3. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti. *Ignorant inquam homines hanc veritatem. Hæc est autem cauda Stygii draconis* Apoc. 12. *qua multos ad Auerna trahit.* Promittit enim X eis longam vitam, & in fine penitentiam: & multi capiuntur, & decipiuntur. *Vnde dicitur Eccli.* 29. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commouit illos, quasi fluctus Maris. *Et hac de causa* Matt. 22. *legimus, quòd multi ad cælestes nuptias inuitati*, nolebant venire: *quod malitia est*; *& iterum vocati*, neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam. *Quia nimirum* quidam Y dimittunt ex malitia, quidam ex negligentia: *spretisque cælestibus, vel neglectis, occupari in mundanis volunt.* *Cum tamen dicatur Eccli.* 5. Non tardes conuerti ad Dominum. *Quò mysticè facit illud de mulieribus in monumento Christi, de quibus dicitur Mat.* 28. Exierunt citò de monumento. *Etenim* secundùm mysterium Z monumentum est locus mortuorum: & per hoc significatur status peccati, Ps. 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris &c.* Vnde exire de monumento, est exire de peccato. Et notandum, quòd dicit, *citò*: quia de peccato est citò exeundum. *Cui consonat illud Ps.* 6. Conuertantur & erubescant valdè velociter: *hoc est, nedum, citò sed valdè citò à peccati monumento exeundum*; *quia* periculum in mora est. *Conuertantur ergo valdè velociter, nimirùm* vt A non tardetur. *Et væ conuersionem differentibus.* Nisi enim conuersi fueritis *Ps.* 7. gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit & parauit illum. *Vbi Author*. Diuina B vindicta dicitur gladius quasi contra propinquos, sed arcus contra remotos: & ideò non statim te punit, sed præparat se, vt conuertaris. Et ideò, *nisi conuersi fueritis, gladium suum*, idest vindictam suam, *Fugite à facie gladii*, Iob 19. *vibrabit*, scilicet ad terrendum, & ad propinquos, vt fortiùs percutiat: quia nisi per comminationes homo conuertatur, fortiter percutit. Præparat etiam se arcu, quasi ad remotos: *arcum suum tetendit*, idest diuinam vindictam, quasi ex inopinato punientem: *& parauit illum*, scilicet ad puniendum. *Idcircò* senex C fatuus (*qui scilicet ad senectam vsque penitentiam protrahit*) enumeratus est *Eccli.* 24. inter tres species hominum, qui odiuntur. Maledictus est, & morte dignus senex puerilis, iuxta illud Is. 65. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledicetur*: idest D qui vsque ad ætatem senectutis pueriliter vixit, *morietur*, scilicet morte æterna: *& peccator &c. maledicetur*, idest maledictioni subiacebit, de qua Mat. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.*

S Mat. 20. lit. a. ibi.

Nec tamen Deus interiùs & exteriùs excitare ad pœnitentiam desistit quacumque hora.
T Apoc. 3. com. 2. §. 4. & cap. 2. §. 1. ibi, pœnitentiam.

Tres peccatorum gradus
V Rom. 2. l. 1. ibi, & 2. Pet. 3. §. 3.

Repromissio temporis ad pœnitendum, diaboli cauda est, qua trahit ad inferos.
X Apoc. 12. com. 2. §. 2.

Diuinas vocationes negligit peccator, & respuit
Y Mat. 22. lit. a. ibi.

Citò pœnitendum.
Z Mat. 28. lit. a. ibi.

A Ps. 6. lit. g
Væ pœnitentiam differentibus.
B Ps. 7. lit. g.

C Op. de tr. Pr. l. 5. c. 47.

D Is. 65. ibi.

g *Ex quo penitentia serò facta, & in senectute, parum Deo grata est. Sanè* seruitium E Deo in adolescentia exhibitum, gratius est illi: vnde & Ioannem Euangelistam specialiter dilexit, quia ad eius seruitium adolescens venit. Nec mirum, si amplius diligit illum qui ad eius seruitium adolescens venit, quàm illum, qui in senectute hoc facit. Adolescens enim offert Deo de meliori vitæ suæ, de flore, de vigore suo; senex verò de fæce. Ideò timere debet, ne de fæce Inferni bibat, secundùm illud Ps. 74. *Fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Adolescens offert ei similam mundissimam: senex verò offert ei furfur. Ipsi senes offerunt ei spicas corrosas cum Cain, venientes ad seruitium eius in senectute: diabolo & Mundo tanquam Dominis, quod pulchrius est, & melius de vita sua, primò offerunt; reliquias verò, & id, de quo Mundus non curat, Deo dare volunt, cum tamen electa velit Deus sibi offerri, *Num.* 18. Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt. *Et Mal.* 1. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile (*qualis est senex*) Domino. *Sicut autem oblatio Cain Deo accepta non fuit: ita & penitentia sera, vt plurimùm accepta non est, vel saltem suspecta & incerta.* Penitentia *inquit Author* quam F aliquis in fine vitæ agit, non est certum signum salutis; *Nam* incertum G est, vtrùm taliter penitens ex solo timore peniteat, vel ex amore Dei, qui ad veram penitentiam requiritur; & præcipuè cum difficile sit, vt homo (*nota*) cuius affectus semper fuit in pecca-

E Op. de tr. Pr. l. 5. c. 5.
Penitentia sera Deo non grata.
Quæ in adolescentia Deo offerimus, acceptiora sunt, non ita quæ senes.

Penitentia in fine vitæ non est certum salutis signum.
F 4. d. 20. 1. 1. q. 1. ad 2.
G Hann. ibid. q. 1. a. 16.

peccatis, in momento iustitiam amplectatur. *Suspecta inquam & incerta talis pœnitentia est. Hinc S. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum*: Idcirco, *inquit*, frater charissime, penitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes (*horreat qui verè non pænitet*) prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti penitentia, sed morbi vrgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitauit esse moriturum. *His accedit, quòd tunc in extremo morbo* circundant dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbant, dolores Inferni circundant *peccatorem, vt dicitur* Ps. 17. *Domestica præterea negotia, amissio temporalium, separatio ab amicis & coniunctis, & huiusmodi cogitationes, præter corporis tormenta, animum turbant, nec dant locum turbati sensus piis mentis applicationibus ad salutem animæ procurandam, Dan.* 5. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum. *Huc facit & quod habetur* Mat. 20. *de duobus cæcis, qui* sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus transiret, & clamauerunt, dicentes: *Domine miserere nostri*. Turba autem increpabat eos, vt tacerent. *Qua in re* mysticè

H Mat. 20. lit. b. ibi.

H signatur, quòd aliqui excæcati per peccatum, clamant ad Dominum: *Miserere nostri*; sed turba cogitationum carnalium increpat eos, & impedit venire ad Christum, *Iob* 20. Cogitationes variæ succedunt sibi, & mens in diuersa rapitur. *Idcirco, quamuis clament mortis tempore*, Miserere nostri: *mens tamen in diuersa rapitur mundana & terrena, ex quo impediuntur ab accessu ad Christum, & à vera conuersione. Et ideò talis penitentia incerta est. Quòd si vera Niniuitarum penitentia, incerta apud eos erat, quia ex Propheta minis excitati ad eam sunt, vnde & dicebant*: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? *Quantò magis timendum est, qui verbo tantùm inclamant*, Miserere nostri, *sed corde adhuc mundanis inhærent? Mundanis quidem inhæret auarus, qui tempore mortis, dum à crucifixo Domino opem implorat exteriùs, hanc interiùs petit ab auro; nam* adorat illud (*Is.* 44.) & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. *Mundanis inhæret libidinosus: qui dum Christi latus tunc sibi ante oculos obiicitur, suam ipse Phrynem ad latus habet: & vbi Mariam inuocare vellet, amicam vocat; in cuius proinde manus, non in manus Domini, suum commendat spiritum, oretenùs ad Deum inclamans*: Miserere mei; *ad eam ex intimis*: Memento mei.

Peccator inueteratus etiam in morte mundanis inhæret.

h *Dubia profectò & incerta, sera pœnitentia est; quia, instante morte, vt plurimùm inualida. Vnde & de Antiocho legitur 2. Mach. 9.* Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. *Et affertur causa*: quia I non ex amore iustitiæ, de peccatis commissis dolebat, sed timore penæ, quam expectabat; vel dolore penæ, quam sustinebat. Et hoc etiam multis in fine vitæ penitentibus contingit: quia non est facile, ut affectus, quem homo toto tempore vitæ suæ inclinauit in aliquid, subitò ad contrarium retraha, *vt prætactum est. Adde, quòd in sero pœnitentibus non rarò vel fides ipsa defecit, ex quo illud apertè* Augustinus *deprompsit*: Satis est alienus à fide qui ad agendum penitentiam, tempus senectutis expectat. *Ea propter tunc acta, inutilis plerumque est. Hinc & fatuis virginibus Mat.* 25. clausa est ianua: *nimirùm* quia L tardè venerunt; vnde dicitur:

Incerta pœnitentia sera, quia vt plurimùm inualida.

I 4. d. 20. 1. 1. q. 1. ad 1. 1. & Hebr. 12. l. 3. ff.

Et inutilis.

L Mat. 25. lit. a. ibi.

Nouissimè verò veniunt, dicentes: Domine, Domine aperi nobis: signant enim eos, qui tardam penitentiam agunt, *Is.* 65. Peccator centum annorum maledicetur. *Enimuerò qui in malitia peccandi ad senectam vsque, & mortem perseuerat, miraculosè tantummodò posse videtur conuerti. Quo sensu exponi potest illud* 1. *Io.* 5. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis. *Quis*, idest M quicumque: quia non quicumque est tanti meriti, vt orando, ei gratiam impetrare possit; quia sanatio talium est quasi miraculosa. Sicut si diceretur pro suscitatione mortui: *Non dico, vt oret quis pro eo*; idest quicumque, sed aliquis magni meriti apud Deum. *Sanatio inquam talium, quasi miraculosa est: non ita in iuuentute pœnitentium. Est autem huiusmodi peccatoris conuersio, velut mortui suscitatio, secundùm illud Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Exurge à mortuis*, idest N ab operibus mortuis, secundùm illud ad Hebr. 9. *Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (scilicet O à peccatis, quæ tollunt Deum ab anima, cuius vita est per vnionem charitatis:) *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Sequitur: *& illuminabit te Christus, secundùm illud Ps.* 26. Dominus illuminatio mea & salus mea: *& priùs Ps.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. *A qua quidem morte, mystica resurrectio de facili in adolescentia fit; at in senectute, ita difficulter, vt ferè impossibilis videatur. In iuuentute igitur* ad penitentiam P debet homo recurrere, exemplo illius adolescentis, quem vt legitur *Luc.* 15. Pater cum gaudio suscepit. Vnde & *cap.* 7. dictum est adolescenti filio viduæ mortuo: *Adolescens tibi dico surge*. Senes autem, malis consueti, vix resurgunt: *Prouerbium est*: Adolescens iuxta viam suam, etiamcum senuerit, non recedet ab ea, *Prou.* 22. *Verùm quod homini impossibile est, Deo possibile fit*: *quia* non erit impossibile apud Deum omne verbum, *vt dicitur Luc.* 1. *Et* quæ Q apud homines sunt difficilia, Deo sunt facilia: vnde ex eius gratia contingit interdum, aliquos in fine verè penitere. *Etenim* quandiù R manet homini vsus liberi arbitrij in hac vita, in qua nondum est confirmatum ad malum, potest se præparare ad gratiam, de peccatis dolendo, & gratiam remissionis peccatorum consequitur. *At rarus est casus; vnde & signanter dicit Author*: contingit interdum.

Et quodammodò miraculosè bona.

M Ma. 3. 15. ad 3. In 2. d. 43. exp. tex. & 1. Io. 5. §. 5. ibi.

N Eph. 5. l. 5. ibi.

O Hebr. 9 l. 3 ibi.

Etsi fermè impossibilis apud homines

P Op. de er. Pr. l. 5. c. 45.

Non ita apud Deum, cui omnia possibilia sunt.

Q Hann. 4. d. 20. 1. 1. c.

R Ibid. in alio a. 1. q. 1. c. & ad 1. & d. 14. 2. 5. ad 5.

i *Negatur autem plerumque sero pœnitentibus gratia ex suaipsorum culpa. Et iustè quidem à Deo gratiæ auxilium subtrahitur*: IVSTVM S EST ENIM, VT QVI BENE' VELLE DVM POSSENT NOLVERVNT, AD HANC MISERIAM DEDVCANTVR (*nota*) VT BENE VELLE OMNINO' NON POSSINT. *Formidolosa sententia! Idcircò hortatur Propheta*: Quærite Dominum, dum inueniri potest, *Is.* 55. ne (*sicut monet Ecclesia*) subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium penitentiæ, & inuenire non possimus, *vt Esau infeliciter contigit, de quo Apostolus ad Hebr.* 12. Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. *Quòd si felicissimum latronem legimus in fine vitæ pœnitentem, ad Paradisum euectum, non ideò oppositum tibi suadeat; neque enim mirum est, tempore indulgentiæ plenissimæ, eoque die, quo ex infinita Dei misericordia totus redemptus est Mundus, vel vnum serò pœnitentem saluari, tanquam victoriæ Christi singulare triphæum, ad latus positum triumphatoris. Sed & simul timorem ingerat maximum, eius in supplicio socium tempore eodem ad latus suspensum alterum, miserabiliter damnari. Contu*

Iustè aliquando peccator non potest, quia quando potuit, noluit benè velle.

S Ver. 24. 10 c. sub init. & q. 28. 2. ad 7. Apoc. 2 Com. 2. §. 4. ibi, dedi tempus.

Latro in fine vitæ pœnitens ad salutem in exéplum non fit.

Moralitas.

datur ergo, totius infinitæ miſericordiæ Dei ſingulare dignoſci opus, ſerò pœnitentem ſaluum fieri. Et ideo, dum tempus habemus (*ait Apoſtolus ad Gal. 6.*) operemur bonum. *Cui conſonat, illud Eccle. 9.* Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quò tu properas. *De hoc ſanè tempore, cum præteritum abierit, & futurum incertum ſit, non habemus, niſi præſens; immò ſolum temporis inſtans*, momentum *videlicet* in quo pendet æternitas. *Idcircò repetebat idem Apoſtolus ex Hebr. 3. Pſ. 94.* Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, *quo pacto peccatores obdurant*. Hodie T quod eſt tempus diei (*non noctis, mortis videlicet hora, Luc. 1.* Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: *hodie*, non *cras: quia incertum eſt, an Deus vocare velit:*) *ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Cor durum ſonat in malum. Durum eſt, quod non cedit, ſed reſiſtit impellenti, nec recipit impreſſionem. Et ſic dicitur cor hominis durum, quando non cedit diuinæ iuſſioni, nec de facili recipit diuinas impreſſiones: (*& in hac duritie perſeuerans, in fine non verè pœnitebit; proinde difficilè ſperare ſalutem poteſt; vnde dicitur Eccli. 3.* Cor durum habebit malè in nouiſſimo.) *Hodie* ergo *nolite obdurare corda veſtra*; ideſt, nolite corda claudere Spiritui Sancto, *Act. 7.* Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. *Quaſi diceret: Niſi hodie pœnitentiam egeritis, cras fortaſſe tempus non erit. Quo eodem ſenſu videtur loqui & cap. 13. cum ait:* Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula: *præmiſerat enim quod ad Ieſue Dominus dixerat Ioſ. 1.* Non te deſeram, neque derelinquam. *Quaſi diceret:* Chriſtus V qui hoc dixit Ioſue, manet in æternum: & ideò, ſicut tunc potuit ipſum iuuare, ita poteſt modò auxiliari nobis. Ideò dicit: *Ieſus Chriſtus heri & hodie.* Poteſt *inquam* modò auxiliari nobis: *quia* Ieſus, *qui interpretatur* Saluator, *talis fuit & erit* in ſecula. *At non abſquè fortaſſè myſterio expreſſit* heri, & hodie, *non* cras: *quia qui* heri *non pœnituit*, & hodie *non pœnitet*, cras *de pœnitendo certus non eſt, nec an ſit pœnitentia acceptanda. Non quòd* Ieſus *ſemper* Saluator *non ſit: nam, vt dicitur* Hebr. 7. Saluare in perpetuum poteſt accedentes &c. *At quis nouit, an iuſta de cauſa cras velis iuſtificare? Iuſtè quippe denegat ſæpe gratiam ei, qui tantùm in fine vitæ pœnitere vult, propter diuturni abuſum temporis ad pœnitendum conceſſi, Iob. 24.* Dedit ei Deus locum pœnitentiæ: & ille abutitur eo in ſuperbiam. *Hoc eſt:* Miſericordia X noluit vti, dum potuit: *& abutitur &c.* non attribuens diuinę miſericordię, quòd poſt peccatum ſtatim non punitur: ſed ex hoc ſumit peccati audaciam vſque ad Dei contemptum: *& ideò pœnitere non vult*. Ieſus Chriſtus *ergo* heri & hodie, *ſed non* cras: *quia vt inquit* Auguſtinus, *ab Authore relatus*: Deus Y promittit pœnitenti peccatorum remiſſionem, ſed nulli promittit craſtinum diem. *Hinc benè dicebat Iob c. 7.* Si mane me quæſieris, non ſubſiſtam. *Quaſi dicat:* Non poſſum Z repromittere mihi tempus vitæ vſque in mane, nedum longa vitæ ſpatia, in quibus expectare poſſim, quòd mihi Domine parcas. *Et cap. 32.* Neſcio quandiu ſubſiſtam: & ſi poſt modicum tollat me Factor meus. *Quandiu ſubſiſtam*; ſcilicet A in hac mortali vita, vt poſſim mihi diuturna ſpatia temporis ad pœnitendum repromittere. *Et ſi poſt modicum tollat me Factor meus*: ſcilicet per mortem aſſumat ad ſuum iudicium.

T Hebr. 3. l. 2. ibi.

Cordis obduratio.

Exponitur illud ad Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie.*

V Hebr. 13. l. 1. ibi.

X Iob 24. l. 1. ibi.

Deus promittit pœnitenti remiſſionem peccatorum, ſed nulli craſtinum diem.

Y Op. de cr. Pr. l. 5. c. 8.

Z Iob 7. l. 4. fi.

A Iob. 32. fi. cap.

Futuri temporis repromiſſio nequiſſima, & cur.

B Op. cit. loco eod.

| *Et ò quàm fatuè tempus futurum ſibi quis repromittit! De hac vana repromiſſione videtur Sapiens intellexiſſe, cum ait:* Repromiſſio nequiſſima multos perdidit, *Eccli. 29.* Hæc enim B repromiſſio *nequam eſt*; quia repromittens ſibi vſurpat quod Dei eſt, ſcilicet diſponere de tempore futuro, Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quid de futuro, miſer (*ait Bernardus*) temerariè præſumis, tanquam Pater tempora, & momenta tua, & nō magis ſua poſuerit poteſtate? *Nequior eſt*: quia cum tēpus infiniti valoris, ſibi à Patre cęleſti conceſſum, fatuè expenderit in contumeliam Dei, damnum ſui, & ſcandalum proximi, tamen præſumit, quòd Deus multum temporis ei daturus ſit. *Nequiſſima* verò eſt: quia tempus dandum, in Patris contumeliam expendere proponit. Talis fatuiſſimè agit, cum hora mortis incerta ſit, Mat. 24. *Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat.* Nam, vt dicitur Eccli. 9. *Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur homo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò ſuperuenerit.* Sed vt ait Auguſtinus: *Hac iuſta animaduerſione percutitur impius, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei.* Multùm timere poteſt qui tanto tempore indignum ſe fecit Dei adiutorio, ſine quo bonam vitam inchoare non poteſt, Prou. 1. *Quia vocaui, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Dedit *itaque* Deus C homini tempus naſcendi, & tempus moriendi; tempus euellendi &c. (*vt dicitur* Eccli. 3.) ſed nulli dat tempus peccandi, ideſt ad peccandum; & tamen omnes peccant in tempore, *Eccli. 15.* Nemini dedit Deus ſpatium peccandi. *Quod aiebat initio Author.* Ne dixeris *ergo*: Eſt mihi ſufficiens vita (*vt monet idem Sapiens. Eccli. 5.*) *Et iterùm*: Ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Quòd ſi tandem ad obtinendam ſalutem pœnitendum eſt: cur pœnitentiam protrahis? Ita, non tam piè, quàm prudenter, in conuerſione ſua differebat Auguſtinus:* Si aliquando, quare non modò? *Siquidem, vt aiebat Cyprianus:* In re tam iuſta, nulla eſt conſultatio. *Reprehenditur id circò Mat. 8. ſcriba ille, qui dixit ad Ieſum:* Magiſter, ſequar te quocumque ieris. *Quod quidem Hilarius interrogatiuè legit. Vnde* culpa D iſtius eſt, quia quod certum erat, interrogauit: & quod debebat facere, poſuit ſub dubio. *Item reprehenditur eodem loco alius de diſcipulis eius, qui dixit ad eum:* Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire Patrem meum. *Videlicet*, quia E qui vult ſequi Chriſtum, non debet dimittere ſequi propter aliud negocium temporale. *Qua de cauſa non pauci, ne temporalis lucri iacturam patiantur, de anno in annum vſque ad mortem pœnitentiam protrahunt.* DISCE *velle pœnitere cum potes, ne fortè iuſtè non poſſis, vbi velles. Vide* Peccator, Pœnitentia, Vocatio diuina.

* *
*

C Apoſt. 2 Com. 2. §. 4. ibi. pœnitentiæ.

Non dat Deus tempus ad peccandum.

Pœnitentia non differenda.

D Mat. 8. lit. c. ibi.

E Ibid. ibi.

POLLV-

POLLVTIO NOCTVRNA. *Vide* Euchariſtia *Tom.* 2. Luxuria.

PONTIFEX. *Vide* Epiſcopus *Tom.* 2. Papa.

PRÆCEPTVM. *Vide* Amor Dei *Tom.* 1. Decalogus, Eccleſia *Tom.* 2. Lex.

PRÆDESTINATIO.

XXII. Per bona opera, quæ facit homo, ſuæ electionis poteſt habere certitudinem; non quidem Scientiæ, ſed coniecturæ: non rei, ſed ſpei. 2. *Pet.* 1. §. 3 *ibi*, electionem.

: 1. d. 35. exp. x. & d. 40 1. c. & 3. con. G. c 163. Rom. 3. l. 2.

Quid ſignent hæc nomina, ſcientia, prouidentia, præſcientia, prædeſtinatio, &c.

m QVoad *ſignificationem huius nominis*, Prædeſtinatio, *illud compendiosè præmittendum, quòd* hoc F nomen *ſcientia*, vel *Sapientia*, abſolutè cognitionem dicit cum conditione certitudinis: vnde eſt & temporalium & æternorum. Sed *prouidentia*, vel *præſcientia* addit conditionem durationis, quæ poteſt eſſe æternitatis ad tempus; & ideò poteſt eſſe tantùm reſpectu temporalium, tam bonorum, quàm malorum. Sed *diſpoſitio* adhuc addit ordinem cauſæ ad cauſatum in eſſendo: vnde eſt de faciendis. *Prouidentia* verò adhuc plus addit, ſcilicet ordinem cauſæ conſeruantis, & ordinantis in finem. Et ideò prouidentia ad gubernationem pertinet. Sed *prædeſtinatio* addit ſupra prouidentiam determinatum finem. *Igitur* deſtinatio G (vnde nomen prædeſtinationis aſſumitur) importat directionem alicuius in finem; vnde aliquis dicitur nuncium deſtinare, qui eum dirigit ad aliquid faciendum: & quia illud, quod proponimus, ad executionem dirigimus, ſicut ad finem; ideò id, quod proponimus, dicimus deſtinare, ſecundùm illud 2. *Mach.* 6. de Eleazaro, quòd *deſtinauit in corde ſuo non admittere illicita propter vitæ amorem.* Sed hæc præpoſitio *præ*, quæ adiungitur, adiungit ordinem ad futurum. Vnde cum deſtinare non ſit, niſi eius, quod eſt prædeſtinare, poteſt eſſe etiam eius, quod non eſt. Et quantùm ad hæc duo, prædeſtinatio ſub prouidentia collocatur, vt pars eius. Sed tamen, quantùm ad duo, à prouidentia differt. Prouidentia enim dicit vniuerſaliter ordinationem in finem; vnde ſe extendit ad omnia, quæ à Deo in finem aliquē ordinantur, ſiue ſint rationabilia, ſiue irrationabilia, ſiue bona, ſiue mala: prædeſtinatio autem reſpicit tantùm illum finem, qui eſt principalis rationali creaturæ, vtpote gloriam. Et ideò prædeſtinatio non eſt niſi hominum, & eorum, quæ ſpectant ad ſalutem. Differt etiam alio modo. In qualibet enim ordinatione ad finem, eſt duo cōſiderare: ſcilicet ipſum ordinem, & exitum, vel euentum ordinis: non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem conſequuntur. Prouidentia ergo, ordinem in finem reſpicit tantùm, vnde per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel euentum ordinis, vnde non eſt, niſi eorum, qui gloriam conſequuntur. Et ideò prædeſtinatio præſupponit dilectionem, per quam Deus vult ſalutem alicuius. Vnde ſicut prudens non ordinat in finem, niſi in quantùm eſt temperatus, vel iuſtus: ita Deus non prædeſtinat, niſi in quantùm eſt diligens. Præexigitur etiam & electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab alijs ſeparatur, qui non hoc modo in finem diriguntur. Hæc autem ſeparatio non eſt propter diuerſitatem aliquam inuentam in his, qui ſeparantur, quæ poſſet ad amorem incitare, quia *cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali; dictum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, vt dicitur Rom. 9. Et ideò prædeſtinatio præſupponit electionem, & dilectionem: electio verò dilectionem. Ad prædeſtinationem verò duo ſequuntur: ſcilicet conſecutio finis, qui eſt glorificatio, & collatio auxilij ad conſequendum finem, quod eſt appoſitio gratiæ, quod ad vocationem pertinet; vnde & prædeſtinationi duo effectus aſſignantur, ſcilicet gratia, & gloria. Eſt *enim* duplex H Dei electio. Vna æterna, qua prædeſtinamur, Eph. 1. *Elegit nos in ipſo antè Mundi conſtitutionem.* Alia temporalis, qua ab ipſo vocamur: quæ nihil aliud eſt, quàm executio æternæ prædeſtinationis: quia quos elegit prædeſtinando, hos etiam elegit vocando, *Rom.* 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit &c. *Gloriam autem, ad quam prædeſtinamur, ſiuè* vita I æterna, quæ in diuina viſione conſiſtit, finis eſt, qui excedit proportionem naturæ creatæ & facultatem. Ad illud autem, ad quod non poteſt aliquid virtute ſuę naturæ peruenire, oportet, quòd ab alio tranſmittatur, ſicut ſagitta à ſagittante mittitur ad ſignum: (*Quò videtur apprimè facere illud Iſ.* 49. Poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me.) Vnde propriè loquendo, rationalis creatura, quæ eſt capax vitæ æternæ, perducitur in ipſam, quaſi à Deo tranſmiſſa. Cuius quidem tranſmiſſionis ratio in Deo præexiſtit: ſicut & in eo eſt ratio ordinis omnium in finem, quam dicimus eſſe prouidentiam. Ratio autem alicuius fiendi, in mente actoris exiſtens, eſt quædam pręexiſtentia rei fiendæ in eo: vnde ratio prædictæ tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædeſtinatio nominatur.

G Ver. 6. 1. c. & 1. p. 23. 4. & 3. con. Gen. l. c Rom. 1. l. 3. init. & c. 8. l. 6. & c. 9. l. 2. ibi, Iacob.

Prædeſtinatio vnde dicatur.

Pars eſt Prouidentiæ.

A' qua differt quantùm ad duo.

Supponit electionem & dilectionem; electio verò dilectionem.

Duo ſequuntur ad prædeſtinationē.

Dei electio duplex.

H Io. 15. l. 3. lit. d. Eph. 1. l. 2. ſi. In 1 d. 41. 1. 1. c. & 3. con. G. c. 163.

I 1. p. 23 1. c. & 3 p. 24. 1. c. In 3. d. 7. 3. 2. q. 1. & 3. con. G. c. 161. 163. Rom. 1. l. 3.

Prædeſtinatio quid.

n *Cum autem dicat Apoſtolus Rom. 9 cit.* Cum nondum nati eſſent &c. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui: *manifeſtè deducitur, præſcientiam meritorum, cauſam prædeſtinationis nullatenus eſſe. Quocirca ſciendum, quòd* cum prædeſtinatio L includat voluntatem (non enim M præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis:) ſic inquirenda eſt ratio prædeſtinationis, ſicut inquiritur ratio diuinæ voluntatis. Non eſt autem aſſignare cauſam diuinę voluntatis ex parte actus volendi: ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantùm ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita inſanæ mentis, qui diceret, merita eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis. Sed hoc ſub quæſtione vertitur, Vtrùm ex parte effectus, prædeſtinatio habeat aliquam cauſam. Et hoc eſt quærere: Vtrùm Deus præordinauerit, ſe daturum effectum prædeſtinationis alicui propter merita aliqua. Fuerunt igitur quidam, qui dixerunt, quòd effectus prædeſtinationis præordinatur alicui propter merita præexiſtentia in alia vita. Et hæc fuit poſitio *Origenis*, qui poſuit animas humanas ab initio creatas, & ſecundùm diuerſitatem ſuorum operum diuerſos ſtatus eas ſortiri in hoc Mundo corporibus vnitas. Sed hanc opinionem excludit Apoſtolus *Rom. 9. cit.* dicens: *Cum nondum nati fuiſſent &c.* Fuerunt ergo alij, qui dixerunt, quòd merita præexiſtentia in hac vita ſunt ratio & cauſa effectus prædeſtinationis. Poſuerunt enim *Pelagiani*, quod initium benè faciendi ſit ex nobis; conſummatio autem à Deo. Et ſic ex hoc contingit, quòd alicui datur prædeſtinationis effectu, & non alteri, quia vnus initium dedit ſe præparando, & non alius. Sed contra hoc eſt quod dicit Apoſtol. 2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare*

Præſcientia meritorum non eſt prædeſtinationis cauſa.

L 1. p. 23. 5. c. In 1. d. 41. 1. 3. Ver. 6. 2. c. & ad 12. & 3. con G. c. 163. Rom. 1 l. 3. & c. 8. l. 6. & c. 9. l. 2. & 3. Eph. 1. l. 1. & 4. ad Tit. 3 l. 1 Io. 15 l. 3. In d.

M 1. p. 23. 4. init. c.

Declaratio præfatæ difficultatis.

Origenis error circa hoc

Error Pelagianorum.

aliquid à nobis, quasi ex nobis. Nullum autem anterius principium inueniri potest, quam cogitatio. Vnde non potest dici, quòd aliquod in nobis initiũ existat, quod sit ratio effectus prædestinationis.

Aliorum error.

Vnde fuerunt alij qui dixerunt, quòd merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis, vt intelligatur, quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinauit se ei daturum, quia præsciuit eum benè vsurum gratia. Sicut si Rex det alicui militi equum, quem scit eo bene vsurum. Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex vtroque. Manifestum est autem, quòd id, quod est gratiæ, est prædestinationis effectus; & hoc non potest poni, vt ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio & ex prædestinatione, sicut nec est distinctum quod est ex causa secunda, & ex causa prima; diuina enim prouidentia producit effectus per operationes causarum secundarum. Vnde & id, quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione. Dicendum est ergo, quòd effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter.

Prædestinations effectus dupliciter cõsideratur.

Vno modo in particulari; & sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius; posteriorem quidem prioris secundùm rationem causæ finalis; priorem verò posterioris, secundùm rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus, quòd Deus præordinauit, se daturum alicui gloriam ex meritis, & quòd præordinauit se daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam. *Alio modo* potest considerari prædestinationis effectus in communi: & sic impossibile est, quòd totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quicquid est in homine, ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam; neque enim hoc fit, nisi per auxilium diuinum, secundùm illud Thren. 4. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.*

Totus prædestinationis effectus in diuinam ordinatur voluntatem vt in finem, & ab ea procedit.

Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur, vt in finem, & ex qua procedit, sicut ex principio primo mouente. *Profectò quænam possunt allegari merita in infantibus, vsu rationis carentibus (qui tamen cum baptismo decedentes, ad vitam transeunt sempiternam) ex quibus propter bonum gratiæ vsum (vt aiunt isti) præuisum, fuerint ad gloriam prædestinati? Nulla sanè personalia, sed Christi tantummodò Redemptoris. Non igitur ex præuisis meritis nostris prædestinamur. Neque ex eo, quòd Deus vnum alteri ad gloriam præeligat, vlla in eo resultat iniustitia nota. Nam* manifestum est N quòd iustitia distributiua habet locum in his, quæ dantur ex debito: putà si aliqui meruerunt mercedem, vt plùs laborãtibus maior merces donetur. Non autem habet locum in his, quæ spontè & misericorditer aliquis dat: putà si aliquis duos pauperes inueniens in via, det vni, quod potest, vel disponit in eleemosynam dare, non est iniquus, sed misericors. Similiter, si aliquis duobus, æquè ipsum offendentibus, vni dimittat offensam, & non alteri, est misericors vni, & iustus ad alterum, neutri verò iniquus. Cum autem omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxij; quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat, & sic quibusdam est misericors, quos liberat: quibusdam autem iustus, quos non liberat; neutris autem iniquus. Et ideò Apostolus *Rom. 9.* quæstionem soluit per authoritatem, quæ omnia diuinæ misericordiæ adscribit, dicens: *Numquid iniquitas apud Deum? Absit, Moysi enim dicit: Miserebor, cui misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.*

Quòd Deus vnum alteri præeligat, nõ ideò iniustus: sed vni iustus, alteri misericors.

N *Rom. 9. l. 3. ibi,* miserebor.

Sciendum est tamen, quòd Dei misericordia secundùm tria attenditur.

Secundùm tria, Dei attenditur misericordia in prædestinatis.

Primò quidem secundùm prædestinationem, qua ab æterno proposuit aliquos liberare; Ps. 102. *Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum.* Secundò secundùm vocationem, & iustificationem, quibus homines saluat ex tempore, ad Tit. 3. *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit.* Tertiò magnificando per gloriam, quando liberat ab omni miseria, Ps. 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Et ideò dicit, *Miserebor*, scilicet vocando & iustificando, *cui miserear* prædestinando: *& misericordiam præstabo* finaliter glorificando eum, *cuius miserebor* vocando & iustificando. Et hic sensus magis concordat cum nostra, quæ dicit: *Miserebor cui voluero, & clemens ero cui mihi placet.* Vbi manifestè non meritis, sed soli diuinæ voluntati adscribitur diuina misericordia. (Vide Lector & benè perpende eadem lectione Tertia ad *Rom. 9.* Authoris nostri fusiorem contra Pelagianos, & semipelagianos in hac materia doctrinam, qua Thomistarum de diuina prædestinatione sententia, clarè & apertè ex mente S. D. deprehenditur ac roboratur.)

O *Igitur* ex ipsa O bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum.

O *1. p. 23. 5. ad 3. Ver. 6. 1. ad 8. & 9. Ro. 9. l. 4. & 2. Ti. 2. l. 3. Eph. 1. l. 2. Mat. 11. lit. c. ibi,* ita Pater.

Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus diuina bonitas repræsentetur. Necesse est autem, quòd diuina bonitas (quæ in se est vna, & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus, propter hoc, quòd res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt.

Roboratur magis veritas præfata.

Et inde est, quòd ad completionem vniuersi requiruntur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in Vniuerso. Et vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur.

Ad complementum vniuersi exiguntur diuersi rerum gradus.

Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur Deus in hominibus, quantùm ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo. Et quantùm ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam adducit Apostolus ad Rom. 9. dicens: *Volens Deus ostendere iram*, idest vindictam iustitiæ, *& notam facere potentiam suam, sustinuit*, idest permisit, *in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.*

Ex diuina bonitate ratio prædestinationis & reprobationis

Et 2. ad Tim. 2. dicit: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem. Vnde *Augustinus* dicit super Ioannem: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.* Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, cum prima materia tota sit in se vniformis; quare vna pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terræ à Deo in principio condita, vt sic sit diuersitas specierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate. Sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia: quamuis ratio artis habeat, quòd aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa. Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia, non inæqualibus

libus

libus præparat. Hoc enim esset contra iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult, plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque præiudicio iustitiæ. Et hoc est, quod dicit Paterfamilias Mat. 20. *Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo, facere? quia* scilicet P licet vnicuique facere voluntatem suam de suo. Si enim esset debitor alterius, non liceret ei facere: similiter si esset sub altero. Sed ipse est Dominus, ideò potest dare. Balliuus enim non potest dare aliquid, nisi secundùm merita; Rex autem potest sine meritis: multò magis Deus, qui est omnium Dominus, potest, Ps. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Et notandum, quòd in eo, quod ex misericordia datur, non est acceptio personarum: quia de eo, quod purè meum est, possum dare, cui volo, absque acceptione personæ. Vnde & ibidem subditur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* C nstat autem, quòd murmur præcedens (*operariorum, qui mane venerant*) non fuit ex defectu Domini, sed ex misericordia aliis impensa: ideò ex misericordia & bonitate. Sed nequam est propriè qui de bonitate dolet; ideò dicit: *an oculus tuus nequam est?, quia ego bonus sum?* eo quòd scilicet circa te iustitiam ostendi, circa alterum misericordiam? Constat autem, illud esse ex bonitate, *vt præmissum est*.

Hinc Deus acceptor personarum non est.

P Mat. 20. lit. a. ibi.

p *Cæterùm prædestinatio certa est, & infallibiliter suum sortitur effectum. Nam* prædestinatio Q est quædam pars diuinæ prouidentiæ: prouidentia autem dicit directionem aliquorum in finem; & hæc præsupponit scientiam & voluntatem. Sic ergo prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, quæ non potest falli & ex parte voluntatis diuinæ, cui non potest aliquid resistere: & ex parte prouidentiæ, quæ certissimo modo ducit ad finem, cum Deus sapientissimus sit. *Nec valet, si dicatur, ex libertate arbitrii posse prædestinatum peccare, consequenter & in mortali mori posse*. Aliquid *enim* potest R dici posse dupliciter. *Vno modo* considerando potentiam, quæ in ipso est: sicut dicimus, quòd lapis potest moueri deorsum. *Alio modo* considerando id, quod ex parte alterius est: Sicut si dicerem, quòd lapis potest moueri sursum, non per potentiam, quæ in ipso sit, sed per potentiam proiicientis. Cum ergo dicitur: prædestinatus iste potest in peccato mori: si consideretur potentia ipsius, verum est. Si autem loquamur de prædestinato secundùm ordinem, quem habet ad aliud, scilicet ad Deum prædestinantem: sic ordo ille non compatitur secum istum euentum, quamuis compatiatur secundùm illam potentiam. *Potest ergo ex hac parte in peccato mori, nec tamen id eueniet, spectato Dei proposito de salute illius. Vno verbo*: Licèt S sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundùm se consideratum: tamen hoc est impossibile, posito (prout scilicet ponitur) eum esse prædestinatum. Vnde non sequitur, quòd prædestinatio falli possit. *Nec iterum certitudinem hanc potest infringere quod legitur Apoc.* 3. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. *Quandoquidem* corona T dicitur esse alicuius dupliciter. *Vno modo*, ex prædestinatione diuina: & sic nullus coronam suam amittit. *Alio modo* ex merito gratiæ; quod enim meremur, quodammodo nostrum est: & sic suam coronam aliquis amittere potest per p. m. sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantùm loco eius subrogatur: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat, secundùm illud Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles: & stare faciet alios pro eis*. Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ, etiam quantùm ad hoc coronam cadentis accipit, quòd de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua gaudebit unus quisque de bonis, tam à se, quàm ab aliis, factis. Sed & ad huc potest V dici, quòd intelligitur de corona gloriæ, itaut sit sensus: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, idest, ne aliquis incipiat sine te possidere gloriam tibi debitam, si perseuerasses. Et, si obiciatur quòd corona gloriæ non debebatur isti, quia tantùm debetur perseuerantibus; dicimus, quòd debebatur isti sub conditione, si perseuerasset. *Præterea*, quidam X dicunt, quòd loquitur per quandam exhortationem, sicut dicit mater puero, cum ipsum vult inducere ad legendum: Tene ubera, ne dem alii.

Q Quol. 12. a. 3. c. & 1. p. 23. 3. c. & ad 3. & a. 6. c. In 1. d. 40. q. 3. Ad Hann. 1. b. q. 1. 1. 2. c. & ad 4. Ver. 6. 3. Rom. 8. fi. cap. Hebr. 12. l. 4. fi.

Prædestinatio certa est, & eius effectus infallibilis.

R Ver. 6. 3. ad 7. & locis cit.

S 1. p. 23. 6. ad 2.

T Ibid. ad 1. Ver. 6. 3. ad 1. Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi, coronam.

Exponitur illud: Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

V Apoc. 3. com. 2. §. 2. ibi.

X Ibid. com. 1. ibi.

q *Quamuis autem habeat prædestinatio certum, & infallibilem effectum*: tamen Y non est necessarium, prædestinatum saluari, sed remanet contingens. Habet enim prædestinatio certitudinem ex scientia, voluntate, & prouidentia (*vt præmissum est*:) & nullum istorum contingentiam impedit. *Scientia* non: quia scientia Dei est futurorum, prout sunt in præsenti, & secundùm hoc sunt determinata. *Voluntas* non, quia voluntas Dei est principium totius entis, ergo non cadit sub ratione contingentiæ vel necessitatis: sed hæc effluunt & ordinantur ex Dei voluntate; & sic ipsa Dei voluntas facit, quædam esse contingentia, præparando causas contingentes illis rebus quas vult esse contingentes; & similiter necessitat causas rebus & effectibus necessariis. Et sic voluntas Dei semper impletur: non tamen omnia necessariò eueniunt, sed eo modo, quo Deus vult ea esse, & vult, quòd sint contingenter. *Prouidentia* non: quia contingentiam non tollit. *Igitur* hic Z prædestinatus omninò saluatur ex certitudine diuinæ prædestinationis: non tamen est ibi necessitas absoluta, sed conditionalis; quia, si talis est prædestinatus, necessariò saluatur: non autem est necessarium simpliciter. *Ex quo prædestinatis omnia cooperari in bonum dicuntur*, Rom. 8. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti &c. *Vbi docemur, quòd* quicquid A fit in mundo, etiam si malum sit, cedit in bonum Vniuersi: quia, vt *Augustinus* dicit in Enchirid. *Deus est adeò bonus, quòd nihil mali esse permitteret, nisi esset adeò potens, quòd ex quolibet malo posset elicere aliquod bonum*. Non autem semper cedit malum in bonum eius, in quo est: sicut corruptio vnius animalis, cedit quidem in bonum vniuersi, in quantùm per corruptionem vnius generatur aliud; non tamen in bonum eius, quod corrumpitur, quia bonum Vniuersi est à Deo volitum secundùm se, & ad ipsum ordinantur omnes partes Vniuersi. Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes: quia malum aliarum partium ordinatur in bonum nobilissimarum. Sed quicquid fit circa nobilissimas partes, non ordinatur, nisi in bonum ipsarum: quia de eis propter se cura habetur; de aliis autem propter ipsas. Sicut medicus infirmitatem pedis sustinet, vt curet caput. Inter omnes autem partes Vniuersi excellunt Sancti Dei, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Mat. 25. *Super omnia bona sua constituet eum*. Et ideò quicquid accidit, vel circa ipsos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit, ita quòd verificatur quod dicitur Prou. 11. *Qui stultus est, seruiet Sapienti*: quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum iustorum cedunt. Vnde & Deus specialem curam de iustis habere dicitur, secundùm illud Ps. 33.

Y Quol. 12. a. 3. ad 1. Quol. 11. a. 3. c. & 1. p. 23. 6. c. In 1. d. 40. q. 3. fi. c. Ver. 6. 3.

Prædestinationis certitudo non imponit necessitatem.

Z Quol. 11. a. 3. ad 1. & 1. p. 19. 3. c. & q. 23. 3. ad 3.

Prædestinatis omnia cooperantur in bonum.

A Rom. 8. l. 6. ibi. & c. 9. l. 4. & 1. p. 22. 7. c.

Malum quodcumque cedit in bonum Vniuersi.

Quicquid accidit circa iustos, in bonum eorum cedit.

Deus specialem habet d iustis curam

Ps. 33. *Oculi Domini super iustos*, in quantum scilicet sic de eis curat, quòd nihil mali circa eos esse permittit, quod non in eorum bonum conuertat. Et hoc quidem manifestum est quantùm ad mala pœnalia, quæ patiuntur. Vnde in glossa dicitur, quòd *ipsorum infirmitate exercetur humilitas, afflictione patientia, contradictione sapientia, odio beneuolentia* 1. Pet. 3. *Si quid patimini propter iustitiam, beati*. Sed nunquid etiam peccata eis cooperantur in bonum? Quidam dicunt, quòd peccata non continentur sub hoc, quod dicit, *omnia cooperantur*: quia secundùm Augustinum *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant*. Sed contra hoc est, quòd in glossa dicitur: *Vsque adeò talibus Deus omnia cooperatur in bonum, vt si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum*. Vnde & dicitur Ps. 36. *Cum ceciderit* (iustus) *non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Ex hoc enim, quòd iustus cadit, cautior resurgit, & humilior. Sed oportet considerare, quibus hoc beneficium competat: nempe *iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*: prædestinatis scilicet, vocatis, & sanctificatis; ita ut propositum referatur ad prædestinationem, quæ *secundùm Augustinum* est propositum miserendi, Eph. 1. *Prædestinati secundùm propositum eius*. Quod dicit, *vocati*, ad vocationem pertinet, Is. 41. *Vocauit eum, vt sequeretur se*. Quod dicit, *Sancti*, ad sanctificationem, secundùm illud Leu. 21. *Ego Dominus, qui sanctifico*. Nihil autem potest nocere his, quos Deus promouet; sed prædestinatos Deus promouet: nihil ergo potest eis nocere, sed omnia cedunt eis in bonum.

Specialissimam de prædestinatis, quibus omnia, etiam peccata, in bonum cedunt.

¶ *Et de prædestinatis quidem intelligitur quod habetur Phil.* 4. Quorum nomina sunt in libro vitæ. *Et Apoc.* 13. *&* 21. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum &c., nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Scripti* stylo B prædestinationis, *in libro vitæ*, idest in præscientia Dei: qui liber est *Agni*, scilicet Christi, idest in fide, & veritate Christi, qui est vita, & dator vitæ, Io. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita*. Qui (*vt ait Apostolus ad Rom.* 1.) prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis &c. *Etenim*, quamuis C ipsa persona Christi semper fuerit Filius Dei, tamen non semper fuit, vt existens in humana natura Filius Dei; sed hoc fuit ineffabilis gratiæ. Prædestinatio igitur potest attribui personæ Christi secundùm quod subsistit in humana natura, licèt non attribuatur ei secundùm quod subsistit in diuina. Vnde & Apostolus priùs Filium Dei incarnatum esse præmiserat, & postea ei prædestinationem attribuit, vt intelligatur prædestinatus esse, secundùm quod *factus est ex semine Dauid secundùm carnem*: & sic à Filio Dei, explicando incarnationis mysterium, descendit ad carnem, & à carne secundùm prædestinationem ascendit ad Filium Dei, vt ostendatur quòd neque gloria diuinitatis impediuit infirmitatem carnis, neque infirmitas carnis diminuit maiestatem Dei. *Prædestinatus est inquam Filius Dei naturalis: & vt homo prædestinatus, caput est omnium prædestinatorum in filios Dei adoptiuos*, *Rom.* 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; *& Eph.* 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum. *Et quidem* nihil D aliud est adoptio filiorum, quàm illa conformitas. Ille enim, qui adoptatur in Filium Dei, conformatur vero Filio eius in iure participandæ hereditatis. *Vnde Apostolus eodem Rom.* 8 Si filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. *Et licèt*

B Apoc. 21. Com. 2. fi. & c. 13. com. 1. & 2. ibi.

C Rom. 1. l. 3. ibi & 3. p. 24. 1. & 2.

Prædestinatio Christi in Filium Dei, quomodò intelligatur.

D Rom. 8. l. 6. ibi, Eph. 1. l. 1. ibi.

secundùm ipsum E actum prædestinationis, prædestinatio Christi non possit dici exemplar prædestinationis nostræ (vno enim modo, & eodem actu æterno prædestinauit Deus nos & Christum:) secundùm illud tamen, ad quod aliquis prædestinatur, quod est prædestinationis terminus & effectus, prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis. Et hoc dupliciter. Primò quidem quantùm ad bonum, ad quod prædestinamur: ipse enim est prædestinatus ad hoc, quòd esset Dei filius naturalis; nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis. Alio modo, quantùm ad modum consequendi illud bonum, quod est per gratiam: quia natura humana in Christo nullis suis præcedentibus meritis est vnita Filio Dei, & *de plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus*, vt dicitur Io. 1. *Ita etiam* secundùm terminum F prædestinationis, prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinauit nostram salutem, ab æterno prædestinando, vt per Iesum Christum compleretur. (*Vnde Apostolus Eph.* 1. *cit.* Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum.) Sub prædestinatione enim æterna, non solùm cadit id, quod est faciendum in tempore, sed etiam modus, & ordo, secundùm quem est complendum in tempore. *Ex quo prædestinati dicuntur Apoc.* 21. Qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

E 3. p. 24. 3. Quo sensu eius prædestinatio sit exemplar & causa nostræ prædestinationis.

F Ibid. a. 4. c.

¶ *Cæterùm* liber G vitæ in Deo dicitur metaphoricè secundùm similitudinem à rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quòd illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribuntur in libro, vtpotè milites, vel consiliarij, qui olim dicebantur *Patres Conscripti*. Patet autem, quòd omnes prædestinati eliguntur à Deo ad habendum vitam æternam. Ipsa ergo prædestinatorum conscriptio dicitur liber vitæ. Dicitur autem metaphoricè aliquid conscriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet, secundùm illud Prou. 3. *Describe præcepta mea in tabulis cordis tui*. Nam & in libris materialibus aliquid conscribitur ad succurrendum memoriæ. Vnde ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. *Verùm* non est H consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos, qui eliguntur. Vnde reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ. *Cum autem dicatur Ps.* 68. Deleantur de libro viuentium &c. *videtur, quòd prædestinatio possit deficere*. *Pro quo sciendum, quòd dupliciter aliquis potest in libro vitæ describi, vel ex prædestinatione scilicet, vel ex gratia*. *Et sic* illi I qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædestinatione diuina, sunt simpliciter scripti in libro vitæ, quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam in se ipsa: & isti nunquam delentur de libro vitæ. Sed illi, qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam, non ex prædestinatione diuina, sed solùm ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ non simpliciter, sed secundùm quid, quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam, non in se ipsa, sed in sua causa: (*quia* Gratia Dei vita æterna, *Rom.* 6.) & tales possunt deleri de libro vitæ, vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat: sed ad rem scitam, quia scilicet Deus scit, aliquem priùs ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, cum deficit à gratia. *Et quidem* eo modo L quo aliquis dicitur deleri de libro vitæ, potest dici, quòd ibi scribatur de nouo, vel secundùm opinionem hominum, vel secundùm quod de nouo incipit habere ordinem ad vitam æternam per gratiam: quod etiam sub diuina notitia comprehenditur, licèt non de nouo.

G 1. p. 24. 1. In 1. d. 40. 1. 2. ad 5. In 3 d 31. 1. 2. Ver. 7. 4. Phil. 4. l. 1. Hebr. 12. l. 4.

Liber vitæ quid.

H 1. p. l. c. ad 3. In 33. l. c. a. 2. q. 2. c. Ver. 7. 8.

I 1. p. 24. 3. In 1. d. 40. q. 3. ad 3. In 3 d 31. 1. 2. q 3. Phil. 4. l. 1.

Exponitur illud Ps. *Deleantur de libro viuentium*.

L 1. p. l. c. ad 3.

¶ *Hinc certitudinem prædestinationis certus numerus*

Prædestinatorum numerus certus.
I Ver. 6. 4. ad 7.
Non ita certa sua prædestinatio prædestinatis.
L Ibid. in corp. & 1. p. 23. 7. In 1. d. 40. q. 3. Rom. 8. l. 6.
Nisi à Deo reueletur, quod secundùm legem communem non conuenit duplici ratione.
M Ver. 6. 5. c. & 1. p. 23. 1. ad 4. In 1. d. 16. q. 1. ad 5. Ps. 50. sub initio. In 10. l. 5. lis ed.
N 2. ad Tim. 4. l. 2. ibi.
O Ibid. cap. 1. l. 4. ibi.

merus consequitur prædestinatorum. Nam bonitas I diuina non communicat se ipsam, nisi secundùm ordinem sapientiæ. Hic est enim optimus communicandi modus. Ordo autem diuinæ sapientiæ requirit, vt omnia sint facta *in mensura & numero & pondere*, vt dicitur *Sap. 11.*, & ideò conuenit diuinæ bonitati, vt sit certus prædestinatorum numerus. (*Vide fusius* L.) *Non ita verò prædestinatis sua certa est prædestinatio. Et quidem conuenienter.* Non *enim* est M Deo inconueniens alicui suam prædestinationem reuelare (*sicut præ cæteris reuelata creditur Apostolo Paulo, qui de se ipse dicit Rom.* 8. Certus sum, quia nihil poterit nos separare à charitate Dei; & 2. *Tim.* 1. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus &c. *Reposita*, idest N secundùm æternam prædestinationem reseruata, *quamuis talis certitudo possit esse &* certitudo O spei, *ibid. cap.* 1. Scio, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.) Sed secundùm legem communem non est conueniens, vt omnibus reueletur, duplici ratione. Quarum *prima* potest sumi ex parte eorum, qui non sunt prædestinati: si enim omnibus prædestinatis sua prædestinatio nota esset, tunc omnibus non prædestinatis certum esset, se prædestinatos non esse, ex hoc, quòd se prædestinatos nescirent; & hoc quodammodo eos in desperationem induceret. *Secunda ratio* sumi potest ex parte prædestinatorum. Securitas enim negligentiam parit. Si autem certi essent de sua prædestinatione, securi essent de sua salute; & ideò non tantam solicitudinem ponerent ad vitanda peccata. Et propter hoc à diuina prouidentia salubriter est ordinatum, vt homines suam prædestinationem vel reprobationem ignorent. *At cum adeò certa sit hominum ad æternam vitam prædestinatio, superfluum videtur, quòd Sancti pro eorum salute preces effundant. Verùm tamen* Sancti P non volunt, nisi quod in diuina voluntate conspiciunt; & ita etiam nihil aliud petunt. Nec tamen eorum oratio est infructuosa. Nam sicut dicit *Augustinus* in lib. de prædest. Sanct. *Orationes Sanctorum prædestinatis prosunt, quia fortè præordinatum est, vt orationibus intercedentium saluentur*; (sicut prædestinatum Q erat, quòd precibus B. Gregorii saluaretur Traianus: qui quamuis esset in loco reproborum, non tamen erat simpliciter reprobatus:) & ita etiam Deus vult, vt orationibus Sanctorum impleatur illud, quod Sancti vident eum velle. *Nihilominùs, vt clariùs in hoc procedamus, sciendum, quòd* circa R hanc quæstionem diuersi errores fuerunt. Quidam enim attendentes certitudinem diuinæ prædestinationis, dixerunt superfluas esse orationes, vel quicquid aliud fiat ad salutem æternam consequendam; quia his factis, vel non factis, prædestinati consequuntur, reprobati non consequuntur. Sed contra hoc sunt omnes admonitiones Sac. Scripturæ, exhortantes ad orationem, & ad alia bona opera. Alii verò dixerunt, quòd per Orationes mutatur diuina prædestinatio: & hæc dicitur fuisse opinio Ægyptiorum, qui ponebant ordinationem diuinam, quam fatum appellabant, aliquibus sacrificiis, & orationibus impediri posse. Sed contra hoc etiam est authoritas Sac. Scripturæ. Dicitur enim 1. Reg. 15. *Porrò triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Et Rom. 11. dicitur, quòd *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*. Et ideò aliter dicendum, quòd in prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa præordinatio diuina, & effectus eius. Quantùm igitur ad primum, nullo modo prædestinatio iuuatur precibus Sanctorum: non enim precibus Sanctorum fit, quòd aliquis prædestinetur à Deo. Quantùm verò ad secundùm dicitur prædestinatio iuuari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus, quia prouidentia (cuius prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas, sed sic prouidet effectus, vt etiam ordo causarum secundarum subiaceat prouidentiæ. Sicut igitur sic prouidentur naturales effectus, vt etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non prouenirent: ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis cadat quicquid hominem promouet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Vnde prædestinatis conandum est ad benè operandum, & orandum, quia per huiusmodi, prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Pet. 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Profectò Si litem contestaris (tametsi à Deo præfinitus sit exitus) instruere patronos haud negligis, & auro comparas patrocinium, vt fauorabilis sententia sit. Si corporali morbo laboras: medicos accersis, pharmaca sumis, à multis abstines (quamuis Deus salutem præfinierit) vt eam consequaris. Quantò magis in spiritualibus operandum tibi est, vt vitam adipiscaris æternam, quamuis prædestinatus ad illam?

P 4. d. 45. 3. 3. ad 5.
Q Ver. 6. 6. ad 4. in contrar.
An & quomodo prædestinatio possit Sanctorum precibus iuuari.
Error circa hoc.
R 1. p. 23. 8. c. In 1. d. 41. 1. 4. In 3. d. 17. 1. 3. q. 1. ad 3. Ver. 6. 6.
Alius Aegyptiorum.
Duo in prædestinatione consideranda.
Prædestinatis benè operandum.

u Conandum *inquam* est ad benè operandum: *quia licèt certa sit prædestinatio, certum etiam est, quòd in executione & in effectu* non coronatur, nisi qui legitimè certauerit, *vt dicitur* 2. *Tim.* 2. Non *enim* S miles eligitur, aut conscribitur ad hoc, quòd armetur, sed ad hoc, quòd pugnet. *Gloriam quippè quam Dominus ex misericordia sua dare nobis disposuit, vult etiam gratia talento à nobis comparari, & ipse, tanquam iustam bonorum operum mercedem, illam tribuere. Vnde Apostolus* 2. *Tim.* 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. *Quò faciunt Christi verba ad Patrem Io.* 17. Tui erant, & mihi eos dedisti; & sermonem meum seruauerunt. *Quasi diceret*: Ideò T dati; quia *tui erant*, & mei, & secundùm diuinitatem prædestinati ab æterno, vt per gratiam ad futuram gloriam peruenirent. *Et mihi eos dedisti*; idest quod antea de eis mecum, & in me prædestinasti, opere implesti, faciendo, vt mihi adhærerent. Sed & ipsi deuotè se habuerunt, quia *sermonem tuum seruauerunt* corde per fidem, & in opere per impletionem: *vt nimirùm æternam gloriam, ad quam prædestinati erant, in effectu consequerentur. Et hoc est quod ait Apostolus Petrus in sua* 2. *cap.* 1. Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *Electionem* scilicet V per prædestinationem ab æterno, *certam per bona opera faciatis*, idest ostendatis, vt scilicet certi sitis, vos esse vocatos, & à Deo electos. Vnde per bona opera, quæ facit homo, suæ electionis potest habere certitudinem, non quidem scientiæ, sed coniecturæ; non rei, sed spei. *Quod aiebat initio Author. Præcipuum siquidem prædestinationis signum sunt opera bona: per hæc enim effectum prædestinationis consequimur, qui est vita æterna. Qui ergo opera bona non facit, faciliter potest coniicere, se non esse prædestinatum: proinde qui ob prædestinationis certitudinem illud pronunciat*: Aut reprobus sum, aut prædestinatus. Si reprobus, quicquid boni agam, non saluabor: si prædestinatus, quicquid mali faciam, saluus ero. *Si quis inquã minùs piè hoc pacto discurrit, signum est, quòd non est prædestinatus: quia ex hoc benè operari non curat. Qui autem opera bona non facit, corona gloriæ certè priuabitur. Etenim, vt præmissum est*, non coronatur, nisi qui legitimè certauerit. *Omnes profectò* (*per quas prædestinati signan-*

S 1. p. 24. 2. c.
T Io. 17. l. 2. lis a. ibi.
Signum prædestinationis benè operari.
V 2. Pet. 1. 5. 3. ibi.
Signa alia.

ſignantur) per viam, quæ ducit ad uitam, fideliter Paſtorem è vicino ſequuntur; hœdi verò (per quos reprobi ſignificantur) nec abeſſe à Paſtore curant, nec vocem eius audire, per auia, quæ in præceps ducunt, incedentes. Vnde Apoc. 14. *de electis dicitur:* Sequuntur Agnum quocumque ierit: *ſiue ad paſſionem, ſecum tribulationes patiendo; ſiue ad gloriam, ſecum regnando. Vocantur idcircò oues prædeſtinati propter quatuor.* Inuenimus enim X in ouibus innocentiam, 2. Reg. 24. *Iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?* Item patientiam, Iſ. 53. *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur &c.* Item obedientiam, quia ad vocem Paſtoris, congregantur, Io. 10. cit. *Oues vocem eius audiunt, & illum ſequuntur.* Item affluentiam fructuum; ſicut enim ex oue plures fructus percipimus, ſic multi ſunt fructus bonorum (*fructus vtique bonorum operum*) Ezech. 34. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini.* Item per hœdos intelliguntur peccatores, quia hœdus eſt animal per præcipitia vadens. Item ad coitum feruidum: & contrarias habet proprietates. Item pro peccato offerebatur. *At vnicum prædeſtinationis ſignum, charitas eſt, qua Deus vnitur nobis, & nos Deo, qui prædeſtinationis eſt terminus: nam* qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, *vt dicitur* 1. *Io.* 4. Charitas *autem ex Apoſtolo* 1. *Cor.* 13. patiens eſt, benigna eſt, non agit perperam, non quærit, quæ ſua ſunt, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: *quæ omnia ad prædeſtinationis ducunt effectum conſequendum.*

Prædeſtinati, cur oues dicantur.
Et reprobi hœdi.
X Mat. 25. lit. c. ibi, oues.

X *De hac nihilominùs prædeſtinationis materia, iuuat magis linguam compeſcere, quàm vel modicum loqui: iudicia enim Dei admirari potiùs debemus cum Apoſtolo, quàm curioſiùs veſtigare,* Rom. 11. O' Altitudo diuitiarum & ſcientiæ ſapientiæ, Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! *Via eius*, ideſt Y proceſſus eius, quibus in creaturis operatur. Et ſi ipſæ creaturæ ſint homini notæ, tamen modi, quibus Deus in creaturis operatur, ab homine comprehendi non poſſunt. *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit?* Quaſi dicat; *Nullus, niſi eo reuelante: Non enim viæ veſtræ, viæ meæ*, dicit Dominus *Iſ.* 55. *Et quidem de alto prædeſtinationis myſterio videtur locutus Sapiens Eccle.* 7. *cum ait:* Alta profunditas, quis inueniet eam? *Et Iſaias admiratus cap.* 29. *exclamat:* Obſtupeſcite, & admiramini: fluctuate & vacillate. *Obſtupeſcite*, ex conſideratione Z malorum culpæ & pœnæ: *admiramini* ex conſideratione magnorum: *fluctuate* ex incertitudine eligendorum: *vacillate* ex inconſtantia propoſitorum. *Impudens tamen humana curioſitas in hæc diuina iudicia nititur vt plurimùm introſpicienda. Præ ceteris autem conſueuit inquiri. Vter maior ſit numerus electorum, an reproborum? De quo & ipſe Saluator interrogatus Luc.* 13. Domine, ſi pauci ſunt qui ſaluantur? *tanquam ad inutilem quæſtionem, aliò videtur diuertiſſe reſponſum, cum ait:* Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. *Vbi Cyrillus:* Mos *inquit* erat A Saluatoris non reſpondere interrogantibus, ſecundùm quod eis videbatur, quoties inutilia quærebant, ſed reſpiciendo quod vtile audientibus foret. Quid autem commodi prouenirct audientibus, ſcire an multi ſint qui ſaluantur, an pauci? Neceſſariam autem magis erat ſcire modum, quo aliquis peruenit ad ſalutem. Diſpenſatiuè ergo ad quæſtionis vaniloquium (*nota*) nihil dicit, ſed transfert ſuum ſermonem ad rem magis neceſſarium. *Auguſtinus verò:* Confirmauit, *inquit*, Dominus quod audiuit, ſcilicet quòd pauci ſunt qui ſaluantur: quia per anguſtam portam pauci intrant. *Quocirca ſciendum, quòd* bonum B proportionatum communi ſtatui naturæ accidit vt in pluribus, & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus. Sed bonum, quod excedit communem ſtatum naturæ, inuenitur, vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono, vt in pluribus. Sicut patet, quòd plures homines ſunt, qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ: pauciores autem, qui hac ſcientia carent, qui moriones, vel ſtulti dicuntur. Sed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna, in viſione Dei conſiſtens, excedat communem ſtatum naturæ, & præcipuè ſecundùm quod eſt gratia deſtituta per corruptionē originalis peccati: pauciores ſunt, qui ſaluantur. Et in hoc etiam miſericordia Dei apparet, quòd aliquos in illam ſalutem erigit, à qua plurimi deficiunt ſecundùm communem curſum, & inclinationem naturæ. *Pauciores inquam ſunt, qui ſaluantur: quod apparet, ſi ad hominum vniuerſitatem ſpectetur, cum infideles euidenter plures ſint, quàm fideles: & illi certè damnentur, ſicut & hi, malè uiuentes.* Quò facit illud *Iob* 34. Conteret multos, & innumerabiles. *Innumerabiles*, quia C certo numero comprehendi non poſſunt illi, quos propter peccata, Dei iuſtitia conterit. *Et Iſ.* 24. Quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea. *Quaſi diceret.* Pauci D ſaluabuntur reſpectu aliorum, *qui videlicet damnabuntur*, *Iſ.* 17. Relinquetur in eo, ſicut excuſſio oleæ duarum, vel trium oliuarum in ſummitate rami &c. *Id quod & in probatica piſcina* Io. 5. *comprobatur, ubi legitur, quòd tot inter languentes vix unus, neque continuè, ſed determinato tempore* ſanus fiebat. *Ex quo myſticè docemur, in multitudine hominum variis peccatorum morbis languentium paucos per gratiam ſpiritualiter ſanari; pauciores proinde ad gloriam peruenire: non enim omnes, qui gratiam conſequuntur, finaliter in ea perſeuerant. Sed & colligitur ex illo Apoc. c.* 16. Facta eſt Ciuitas magna (*Babylon*) in tres partes &c. *Vbi notat Author, quòd eſt* E Ciuitas bonorum, de qua Eccle. 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea uiri*, Item Eccleſia malorum, de qua hic: *Facta eſt ciuitas magna*, magna ſcilicet propter ſcelerum magnitudinem, & propter ſceleratorum multitudinem, Eccle. 1. *Stultorum infinitus eſt numerus.* Diuiditur autem *in tres partes*, ſcilicet Paganos, Iudæos, Hæreticos; *qui omnes damnantur.*

B 1. p. 23. 7. ad 3.
An maior reproborum numerus, quàm electorum.
Num malum in pluribus, an in paucioribus.
Generaliter pauciores ſūt, qui ſaluantur.
C Iob 34. l. 2. ibi.
D Iſ. 24. ibi.
E Apoc. 16. com. 1. ibi.
De prædeſtinatione tacendum magis, quàm loquendum.
Y Rom. 11. l. c. ibi.
Diuina iudicia admiranda ſunt, non ſcrutanda.
Z Iſ 29. ibi.
A Cat. Aur. Luc. 13. ibi.

Y. *Si verò de fidelibus tantùm catholicis ſermo fiat, videtur quòd & in his maior ſit numerus reproborum. Quod ex pluribus Sac. paginæ teſtimoniis comprobatur. Nam* Mat. 20. *expreſſè legitur:* Multi ſunt vocati, pauci verò electi. *Quia nimirùm* qui F fide credunt, omnes vocati ſunt; ſed illi electi, qui bona faciunt, & illi ſunt pauci. *Idem dicitur* Mat. 22. *de inuitatis ad nuptias:* Quia G quidam nolunt venire: quidam non habent veſtem nuptialem (*charitatem ſcilicet, qua in cæleſtibus nuptiis unimur, & conſociamur Deo.*) Vnde & cap. 7. dictum eſt: *Lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad uitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Et ratio H adducitur: quia via carnis eſt delectatio; & hæc eſt in promptu: via verò ſpiritus eſt occulta, Pſ. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* quia enim eſt in occulto, ideò & *pauci inueniunt eam.* Sed & aliqui inueniunt, & retrocedunt, de quibus dicitur Luc. 9. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei. De quo & nos moraliter luſimus* I.

Ex fidelibus etiam catholicis plures damnari videntur, quàm ſaluari.
F Mat. 20 lit. a. ſi.
G Mat. 22. lit. a.
H Mat. 7. lit. a. ibi.
I Cent. 4. Diſ. 28.

Arcta

Arcta via ad Cælos, cur lata Acherontis ad vmbras?

Milleni huc homines, singuli ad Æthra meant. *Denique Apostolus Petrus in sua 1. cap. 3. idem significare videtur, sumait*: In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt. *Vbi expresse Author*: Per arcam I significatur Ecclesia, quæ collecta est de diuersis fidelibus, sicut arca composita fuit de diuersis lignis, in qua pauci respectu damnatorum saluantur. *Sed & ibidem notat quòd* paucitas L saluandorum præfigurata fuit tempore legis naturæ, quando scilicet omnes, exceptis octo, qui saluati sunt in arca, diluuio perierunt, vt habetur hic. Item fuit præfigurata tempore legis Mosaicæ: *legitur enim Num. 14. quòd* de omnibus quos eduxit Dominus de Ægypto, ferè sex centis millibus per desertum (per quod significatur pœnitentia) non intrarunt nisi duo terram promissionis, scilicet Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone. Item fuit præfigurata tempore Prophetarum, quando filij Israel ducti sunt in captiuitatem, & pauci relicti sunt in terra promissionis, Ezech. 12. *Relinquam ex eis viros paucos, à gladio, & fame & pestilentia* Vnde in Ps. 106. *Pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore*. Sed tempore gratiæ fuit actu expressa, & annunciata *Mat.* 20. *&* 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi. *Quod præcinuit & Psaltes Ps.* 16. *sum ait*: Domine à paucis diuide eos in vita eorum. *A paucis*, idest M à societate electorum, vel à Christianis, qui sunt reseruati.

I 1. Pet. 3. §. 6. ibi.

L Ibid. post pauca.

Paucitas saluandorum præfigurata tempore legis naturæ, legis Mosaicæ &c.

M Ps. 16. lit. e. ibi.

2 *Quòd si Christiani reseruati sunt, ex hoc immò conuenientia non desunt, quibus in catholicorum cœtu maior electorum suaderi videtur numerus, quàm reproborum.* Nunquid enim vanè (*aitbat Dauid Ps.* 88.) constituisti omnes filios hominum? *Durum profectò apparet: si dicamus, paucis profusum sanguinem Christi*; qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum. *Enimuerò vt quid perditio hæc adeò pretiosi sanguinis, quo redempti sumus; cum aliàs dicatur Christi Dei, & hominis copiosa* redemptio. *Christianus quippe populus* populus *idcircò* acquisitionis *vocatur* 1. *Pet.* 2. quia M acquisitus non modico pretio, sed pretioso sanguine Christi, 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno*: non credentes verò populus sunt perditionis. *Et hoc quidem* significatum N est *Exod.* 12.; vbi dicitur, quòd tantùm illis non nocuit exterminator, qui postes domus, & superliminare, agni sanguine tinxerunt. *Et alibi ad hæc cohærenter*: Figuralis Oratio patet, quia sanguis agni significat fidem passionis Christi in corde, & ore fidelium, per quam liberamur et à peccato, & à morte (*vtique æterna*) 1. *Pet.* 1. Redempti estis pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi & incontaminati. *Immolatus est autem Christus agnus in cruce, quæ pariter signum est Christianorum salutare, quo signaculo, non minùs, quàm agni sanguine tincti, saluabantur à morte*; *Ezech.* 9. Signa Thau (*scilicet litera T quæ crucis figuram refert*) super frontes virorum gementium &c. *Et infrà*: Super quem videritis Thau, ne occidatis. *Sicut enim in militia corporali superstitem militem litera T signabat*: *ita in spirituali militia signum Crucis, Is.* 11. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum &c. *In signum* scilicet P Crucis, quod assumentes saluabuntur. *Sunt inquam Christiani reseruati, quia sacro hoc signo signati, non secùs, ac intacta seruata illa, quæ in fronte gestabat epigraphen*: Noli me tangere, quia Cæsaris sum. *Vnde & in Ps.* 104. *dicitur*: Nolite tangere Christos meos. *Christus quippè idem est, quod* vnctus: *ex cuius participatione* Christiani *vocantur fideles, Hebr.* 1. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus suis. *Siquidem* per oleum Q Spiritus Sancti virtus designatur, quo Christus nominatur vnctus: vt sic a Christo Christiani dicantur, quasi sub ipso militantes. *In cuius symbolum, B. Eustachio* (*siue Placido*) *olim venanti, Ceruus Cruce inter cornua signatus; mirabiliter apparuit: quod quidem salutis signum per gratiam baptismalem imprimitur interiùs in anima. Et hoc innuere voluit Apostolus Petrus in sua* 1. *cap.* 3. *sum ait*: In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. *Quia scilicet* ista R saluatio est per aquam baptismalem. Vnde & subdit: *Quod & vos nunc similis forma saluos facit baptisma*. Item per Noe homines salui facti sunt in arca: sicut per Christum in Ecclesia. Noe enim *requies* interpretatur; & significat Christum, in quo est requies animarum. Per hoc autem, quod dicit, *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*, dat intelligere, quòd nullus saluatur, qui non habet fidem resurrectionis; quæ significatur per octonarium, quia Christus octaua die resurrexit. *Et vt eruditissimus obseruat* Petrus Bongus *de numero* 8. Filij Dei nomen vocatum est ΙΗΣΟΥΣ: cuius non tantùm etymologia, sed & ipse, qui literis notatur numerus, perpetuæ salutis nostræ mysteria redolet. Nam si respicis etymon, octo absolutè continet elementa: interpretatur enim SALVATOR. Si verò græci nominis numeros spectes, numerum habebis diuinæ resurrectioni congruentem. Huius enim numeri sunt I. 10. H. 8. Σ. 200. O. 70. Y. 400. Σ. 200. qui in vnum radacti efficiunt 888; octo scilicet vnitates, octo decadas, octo hecatontadas. *Hæc ille. Quòd si adhuc salutis mysterium nostra exquiramus, omnia animantia* (*præter ea quæ in arca seruata sunt*) *diluuio perierunt; soli autem pisces* salui facti sunt per aquam, *per quos significari videntur homines Christiani, baptismalibus lymphis immersi: per solum enim vel in voto baptismum saluantur, quicumque saluantur, Io.* 3. Nisi quis renatus fuerit &c. *Ex quibus omnibus piè deduci videtur, quòd baptismo & Cruce signati vt in pluribus sint saluandi. Vnde &* Apoc. 7. *postquam Ioannes* audiuit numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni Tribu filiorum Israel, *immediatè subiecit*: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante thronum, & in conspectu Agni. *Vbi verò* ponitur S numerus signatorum infinitè, ad innuendum numerum signatorum, qui Deo finitus est, nobis est infinitus. Et dicit: *vidi turbam magnam*; idest spiritualiter intellexi, quòd illi signati erant *turba magna*: vel post illos vidi alios de gentibus (*per quas Christiani intelliguntur*, in locum T Iudæorum substituti:) qui erant turba quasi innumerabilis. Vnde sequitur, *quam dinumerare nemo poterat*, nec tamen dicit *quæ dinumerari non poterat*: quia ille eorum nouit numerum *qui numerat multitudinem stellarum*, vt dicitur Ps. 146 *Sed & hoc idem mysticè innuitur in piscatione Apostolorum* Io. 21. *Quo loci Dominus ad piscatores discipulos dixisse legitur*: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. *Vbi de prædestinatis mysticè sermo fit. Vt enim benè notat Author*: Simile V factum habetur *Luc.* 5. nec tamen præcepit eis Dominus vt mitterent ad dexteram sicut hic. Cuius ratio est: qui per hanc significatur piscatio, per quam prædestinati trahuntur ad vitam æternam, ad quam non introducuntur nisi filij dexteræ, Prou. 4. *Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersa verò sunt, quæ à sinistris sunt*. In alia autem piscatione significabatur vocatio ad præsentem Ecclesiam: & ideò indifferenter ex omni parte mittitur rete, quia capiuntur &

Catholicorũ aliunde vidẽtur plures saluari, quàm reprobari.

M 1. Pet. 2. §. 3. ibi.

N Apoc 12. com. 2. §. 5. ibi, propter sanguinem.

O 1. 2. 102. 1. ad 2.

P Is. 11. ibi.

Q 4. com. G. 1. 60. & Cant. 1. com. 1. ibi, oleum.

R 1. Pet. 3. §. 6. ibi.

Petrus Bongus.

S Apoc. 7. com. 2. §. 4 & ibid. com. 1. ibi.

T 1. p. 23. 6. ad 1.

V Io 21. l. i. § & l. 2. lit. e. ibi, plenum.

& trahuntur ad ipsam de singulis, Luc. 14. *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc*. Sequitur: *Miserunt ergo rete; & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*, idest saluandorum. *Quæ vtique multitudo innuitur in multiplicatione seminis Abrahæ*, *Gen.* 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, *& paulò ante*: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cæli, & velut arenam, quæ est in litore maris. Qui *autem* ex fide sunt (*quales fideles Christiani*) benedicentur cum fideli Abraham, *inquit Apostolus ad Gal*, 3. *Ex quo pro animabus fidelium precari consueuit Ecclesia*: Fac eas Domine de morte transire ad vitam, quam olim Abrahæ promisisti & semini eius. *Hoc tandem apprimè facit quod ait ad Dominum Ieremias cap.* 14. Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis, qui non potest saluare? *Quasi dicat*: Indecens X est potentiæ tuæ vt non salues, quos semel in protectionem suscepisti; *Num.* 14. Dicent Ægyptii: Non poterat introducere populum in terram, pro quo iurauerat; idcircò occidit eos in solitudine. *Quos autem maiore fouet Dominus protectione, quàm populum Christianum, quem vocat Apostolus Petrus* Genus electum? *Cui proinde* maxima & pretiosa promissa donauit, 2. *Pet.* 1. *Hinc piè deducere licet, quò fidelium Catholicorum maior sit numerus, qui saluantur, quàm reprobatorum. Nec tamen desunt qui dicant, tot æqualiter esse reprobos, quot electos. Nam ex primis duobus fratribus, Cain reprobus, Abel electus fuit. Ex eiusdem matris vtero, eodemque tempore natis, Iacob dilectus, Esau odio habitus est. Ex duobus item latronibus, alter ad Christi dexteram in Paradisum euehitur alter ad sinistram damnatur. Ex parabola demum de decem virginibus* Matt. 25. *idem deduci videtur: quarum* quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. *Ex quibus damnandorum æqualitas quodammodo innuitur & saluandorum. Ex sacris igitur literis hinc & inde argumenta sumuntur. Et hæc voluit Dominus subobscura legi, vt in grauissimo salutis nostræ negotio cautè inter timorem, & spem procedamus: & quoniam* iudicia Dei abyssus multa. *Ps.* 35. *discamus exinde, nostrum non esse, quod à solo pendet diuinæ voluntatis beneplacito, diffinire. Idcirco concludit Author:* De numero Y omnium prædestinatorum hominum, quis sit: dicunt quidam, quòd tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli ceciderunt (*secundùm illud Ps.* 109 Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: *etenim per electos homines* redintegratur Z ruina Angelorum: *nam & in quemlibet* A ordinem Angelorum, qui ceciderunt, homines assumuntur in supplementum ruinæ Angelicæ. *Et Iob.* 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.) Quidam verò, quòd tot saluabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam verò, quòd tot saluabuntur ex hominibus, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod *soli Deo* cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus (*quod ait Ecclesia in secreta:*) *quorum numero adscribi nos esse, faxit Dominus*, qui omnes homines vult saluos fieri, *vt dicit Apostolus*. 1 ad Tim. 2. DISCE *per bona opera, vocationem tuam certam reddere & electionem*.

X *Ier.* 14. 9. 2. *ibi.*

Aequalitas innuitur electorum, & reproborum.

Y 1. p. 23. 7. *fi. c.*

Numer electorum soli Deo notus.

Z *Eph.* 1. *l.* 3. *fi. Serm.* 3 *ex Ep. Dom.* 1. *Adu. & Dom.* 4. *post Pent.*

A 1. p. 63. 9. *ad* 3.

XXIII. Pro tanto reprobatio ad præscientiam dicitur in Deo pertinere, quia nihil positiuè ex parte voluntatis est in Deo respectu mali culpæ: non enim vult culpam, sicut gratiam. *Ver.* 6. 1. *ad vlt.*

a QVemadmodum *aliquos ad æternam gloriam prædestinat Deus, vt vidimus: ita aliquos reprobare, certum est: Nam* prædestinatio A est pars prouidentiæ. Ad prouidentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ subduntur. Vnde, cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad prouidentiam diuinam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere; & hoc dicitur reprobare. Sic igitur, sicut prædestinatio est pars prouidentiæ respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam salutem: ita reprobatio est pars prouidentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Vnde reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed aliquid addit secundùm rationem, sicut & prouidentia. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. *Enimverò* scientia B Dei comparatur ad res creatas, sicut ars ad artificiata. Vnde sicut ars non solum est cognoscitiua, sed factiua eorum, quæ secundùm artem fiunt; eorum verò, quæ ab artis regulis deuiantur, est cognoscitiua: Ita etiam scientia Dei est factiua & cognoscitiua omnium bonorum: malorum verò, siue peccatorum, quæ sunt deuiationes quædam ab æterna lege ipsius, scientia Dei est cognoscitiua, non autem causatiua. Et sic boni, qui per gratiam iustificantur, non solùm sunt à Deo ab æterno præcogniti, sed etiam electi ad gratiam habendam: peccatores autem, qui non iustificantur per gratiam, non sunt electi vel præordinati à Deo ad culpam, sed solum presciti, quòd non sint per gratiam habituri, sed suæ naturæ sint relinquendi. *Et hinc est, quòd* aliter C se habet reprobatio in causando, quàm prædestinatio. Nam prædestinatio est causa & eius, quod expectatur in futura vita à prædestinatis, scilicet gloriæ: & eius, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio verò, non est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ sed est causa derelictionis a Deo. Est tamen causa eius, quod redditur in futuro scilicet pœnæ æternæ. Sed culpa prouenit ex lib. arbitrio eius, qui reprobatur, & à gratia deseritur. Et secundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, *Perditio tua Israel*, scilicet ex te. *tantummodò in me auxilium tuum*, Ose. 13. *Sic Esau reprobus dicitur, & impius proditor Iudas à Domino* filius perditionis *nuncupatur Io.* 17. Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. *Quem ad locum* Interlinearis D habet, *filius mortis*, idest prædestinatus perditioni: cum tamen rarò inueniatur, quòd prædestinatio ponatur in malum. Vnde hic sumitur communiter pro scientia vel ordinatione. Ideò prædestinatio semper in bonum ponitur, quia habet duplicem effectum, scilicet gratiæ & gloriæ: & ad vtrumque Deus ordinat: sed in reprobatione duo sunt, scilicet culpa & pœna temporaliter; & ad unum eorum Deus tantùm ordinat; scilicet ad pœnam, & non per se, *sed ratione*

A 1. p. 23. 3. c. *In* 1. d. 40. 4. 1 c. & 3. *con. G. c.* 163.

Quid sit reprobatio.

B Quol. 5. *a.* 2. *c.*

Scientia Dei bonorum cognoscitiua est, & causatiua: malorum verò cognoscitiua tantùm.

C 1. p. 23. 3. *ad* 2. *In* 1. *loco cit. fi. c.*

Aliter se habet reprobatio in causando, quàm prædestinatio.

D Io. 17. *Gl. lit. b. ibi.*

Quo sensu dicatur Deus aliquos diligere, aliquos odio habere.

tione culpæ]. *Neque ex eo aliquos non reprobare putandus est Deus, quòd omnes creaturas diligat, secundùm illud Sap.* 11. Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. *Nam* Deus E omnes *quidem* homines diligit, & etiam omnes creaturas, in quantùm omnibus vult aliquod bonum; non tamen quodcumque bonum vult omnibus. In quantùm igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare. *Et ita* sicut F dilectio (de qua loquitur Propheta Mal. 1. *Dilexi Iacob*) pertinet ad æternam Dei prædestinationem: ita etiam odium (de quo ibidem loquitur, *Esau autem odio habuit*:) pertinet ad reprobationem, qua Deus reprobat peccatores. Nec est dicendum, quòd ista reprobatio sit temporalis, quia nihil temporale est in voluntate diuina: sed est ab æterno. Quæ quidem quantùm ad aliquid conuenit cum dilectione vel prædestinatione: quantùm autem ad aliquid, differt. Conuenit quidem quantùm ad hoc, quòd sicut prædestinatio est præparatio gloriæ: ita reprobatio est præparatio pœnæ, Is. 30. *Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata &c.* Differt autem quantùm ad hoc, quòd prædestinatio importat præparationem meritorum, quibus peruenitur ad gloriam; sed reprobatio importat præparationem peccatorum, quibus peruenitur ad pœnam. Et ideò præscientia meritorum, non potest esse aliqua ratio prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub prædestinatione: sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis, In quantùm scilicet Deus proponit se puniturũ malos propter peccata, quę à se ipsis habent, non à Deo. Iustos autem proponit se præmiaturum propter merita, quæ à se ipsis non habent, *secundùm illud Ose.* 13. *supra cit.* Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.

F Rom. 9. l. 2. & Ham. 1. d. 41. 1. 3. c.

In quo reprobatio conueniat cum prædestinatione, vel differat.

b *Hinc ex verbis Apostoli Rom.* 9. Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam: *docemur, quòd in reprobis & prædestinatis* triplex G est differentia attendenda. Prima quidem secundùm finẽ: secunda secundùm vsum: tertia secundùm diuinũ actum. Finis autem reprobationis, vel obdurationis malorum est manifestatio diuinæ iustitię, & virtutis. Et quantùm ad hoc dicit: *Quòd si Deus volens ostendere iram suam*, idest iustitiam vindicatiuam: non enim dicitur ira in Deo secundùm affectus commotionem, sed secundùm effectus vindictæ, Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de Cælo super omnem impietatem &c.* Addit autem, *& notam facere potentiam suam*: quia Deus contra malos, non solùm vtitur ira, idest vindicta puniẽdo eos sibi subiectos, sed etiam sua potentia subiiciendo sibi, Philip. 3. *Secundùm operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.* Vsus autem malorum, ad quem vtitur eis Deus, est ira, idest pœna. Et ideò vocat eos *vasa iræ*, idest iustitiæ instrumenta, quibus Deus vtitur ad ostendendam iram, idest iustitiam vindicatiuam, Eph. 2. *Eramus natura filii iræ.* Actus verò, quem Deus erga eos exercet, non est, quòd disponat eos ad malum, quia ipsi de se habent dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati, vnde dicit: *Vasa apta in interitum*, idest in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem, Gen. 6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum omni tempore &c.* Hoc autem solum Deus circa eos agit, quod eos permittit agere quæ concupiscunt. Vnde signanter dicit, *sustinuit*. Et hoc eius patientiam demõstrat, quòd non statim vindictam infert, vnde & addit: *in multa patientia*. Deinde ex parte bonorum similiter tria ponit. Primò quidem finem, cum dicit: *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ*. Finis enim electionis & miserationis bonorum est, vt manifestaret in eis abundantiam bonitatis suæ, reuocando eos à malo, & ad iustitiam eos trahendo & finaliter eos perducẽdo in gloriam. Et hoc est, quod dicit: *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ*, de quibus Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius contemnis?* Et Eph. 2. *Deus autem, qui diues est in misericordia.* Signanter etiam dicit: *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ*; quia ipsa condemnatio, & reprobatio malorũ, quę est secundùm Dei iustitiam, manifestat & commendat Sanctorum gloriam, qui ab ipsa tali miseria liberantur. Secundò describit vsum eorum, cum dicit *in vasa misericordiæ.* Nominat autẽ bonos, *vasa misericordiæ*, quia vtitur eis Deus, quasi instrumentis, ad suã misericordiã manifestandã, Eccli. 44. *Illi viri misericordiæ sunt.* Tertiò ponit actum, quem circa eos Deus exercet. Non enim Deus eos solùm sustinet, quasi de se aptos existẽtes ad bonũ, sed eos præparat & disponit, vocando ad gloriam; vnde dicit, *quæ præparauit in gloriam*, Ps. 64. *Præparans montes in virtute tua.* Est autẽ constructio defectiua, & suspensiua vsque huc, vt sit sensus: *Quòd si Deus volens* hoc facere, quibusdam miseretur, & quosdam indurat: quid contra hoc iustè poterit dici? Quasi dicat: Nihil. Non enim sic quos vult indurat, vt eos peccare compellat: sed sustinet eos, vt secundùm suam inclinationem tendant in malum. *Hæc porrò malorum* reprobatio H directè non opponitur prædestinationi, sed electioni: quia qui eligit, alterum accipit, & alterum reijcit quod dicitur reprobare. Vnde etiam reprobatio ex ratione sui nominis magis pertinet ad volũtatem: est enim reprobare, quasi refutare. Nisi fortè dicatur reprobare idem, quod iudicare indignum quòd admittatur. Sed pro tanto reprobatio ad pręscientiam dicitur in Deo pertinere, quia nihil positiuè ex parte voluntatis est in Deo respectu mali culpæ; non enim vult culpam, sicut gratiam. (*Quod aiebat initio Author.*) Et tamen reprobatio etiam dicitur præparatio quantùm ad pœnam, quam etiam Deus vult voluntate consequente, sed non antecedente.

Triplex in prædestinatis & reprobis differentia; scilicet secundùm finem, secundùm vsum, & secundùm diuinum actum.

G Rom. 9. l. 4. circa fi.

Condemnatio & reprobatio malorum, Sanctorum manifestat gloriam, & commendat.

H Ver. 6. 1. ad ult. & a. 4. fi. c.

Reprobatio directè opponitur electioni.

Num ad voluntatem pertineat, an ad intellectum.

c *Neque vllam huiusmodi reprobatio infert in Deo totius bonitatis fonte iniquitatem. Quinimmò diuinæ misericordiæ effectum ostendit. Vnde Apostolus* Rom. 9. *cit. postquam præmisisset*: Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor; *subiicit*: Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. *Quo loco instruimur: quòd* sicut I non est iniquitas apud Deum, quantùm ad hoc quò(d) ab æterno diligit iustos: sic etiam nec quantùm ad hoc, quod ab æterno reprobat malos. *Dicit enim Scriptura ex ore Dei* Ex. 9. *Quia in hoc ipsum excitaui te*; vel *seruaui te* secundùm aliam literam, *vt ostendam in te virtutem meam & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*. Nostra autem litera sic habet: *Idcircò autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vbi primò considerandum est, quid Deus circa reprobos faciat. Quod ostendit, dicens: *In hoc ipsum seruaui te*; idest, dignus eras mori propter peccata, quæ feceras, Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte*: sed tamen non statim tibi mortem induxi, sed *seruaui te* in vita, eo fine quo sequitur, *vt* scilicet *ostendam in te virtutem meam*. Et in hoc etiam sensu potest legi quod dicitur: *excitaui te*; idest, cum apud me pro tuis meritis mortuus esses, concessi tibi vitam, quasi te excitarem. In quo apparet, quòd Deus iniquitatem reprobis non facit, cum ipsi ex

Ex reprobatione nulla infertur in Deo iniquitatis nota.

I Rom. 9. l. 3. ibi Io. 12. l. 7. lit. c. fi.

Quid circa reprobos faciat Deus.

 suis

suis meritis essent digni statim consumi: sed hoc ipsum, quod eos seruat in vita, procedit ex nimia sua bonitate. Ier. 10. *Corripe me Dominꝫ, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me*. Alio modo potest intelligi. *Exstitaui te*, scilicet in peccatum, vt deterior fias; quod quidem non est intelligendum hoc modo, quod Deus in homine causet malitiam; sed est intelligendum permissiuè, quia scilicet ex iusto suo iudicio permittit aliquos ruere in peccatum propter præcedentes iniquitates, Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*. Sed aliquid amplius videtur in hoc esse intelligendum: quia videlicet instinctu quodam interiori mouentur homines à Deo ad bonum & malum. Vnde *Augustinus* dicit in lib. de gra. & lib. arb. quòd *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siuè ad bona pro sua misericordia, siuè ad mala pro meritis eorum*. Vnde & Deus dicitur sæpiùs suscitare aliquos ad bonum, secundùm illud Dan. 15. *Suscitauit Deus spiritum pueri iunioris*. Dicitur etiam suscitare aliquos ad malum faciendum, Is. 13. *Suscitabo Medos, qui sagittis paruulos interficient*: aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se, tanquam actor bonorum: ad mala autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, in quantùm scilicet Deus homini aliquid proponit vel interiùs vel exteriùs, quod quantùm est de se, est inductiuum ad bonum; sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum, Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundùm autem duritiam tuam & impgnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*. Et Iob 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam*. Et similiter Deus, quantùm est de se, interiùs instigat hominem ad bonum, putà Regem ad defendendum iura regni sui, vel ad puniendum rebelles. Sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundùm malitiam cordis sui: & hoc patet *Is.* 10. vbi dicitur de Assur: *Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferas spolia &c.* Et post. *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius &c.* Et hoc modo circa Pharaonem accidit: qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem. *Secundò* oportet considerare, quo fine Deus ista partim faciat, & partim permittat. Est enim considerandum, quod Deus operatur in creaturis ad suam manifestationem, secundùm illud Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Vnde & huiusmodi excitatio in hoc illum ordinatur, & quantùm ad præsentes, *vt ostendam in te virtutem meam*, Ex. 14. *Viderunt filii Israel manum magnam, quam exercuerat Dominus contra Ægyptios*: & quantùm ad absentes, *vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra*, Ps. 95. *Annunciate inter gentes gloriam eius*. Sic igitur patet, quod quantùm ad hoc, non est iniquitas apud Deum, quia vtitur creatura sua secundùm eius merita ad gloriam suam. Et in hoc eodem sensu potest exponi, si dicatur: *Posui te*; idest ordinaui malitiam tuam ad gloriam meam. Deus enim malitiam ordinat, sed non causat. Deinde, cum subdit Apostolus: *Ergo, cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, infert conclusionem quandam ex vtraque authoritate supra inducta. Nam ex eo, quod dictum est; *Miserebor, cuius misereor*, concludit: *Ergo cuius vult, miseretur*, Ps. 102. *Misertus est Dominus timentibus se*: ex eo vero, quod dictum est, *in hoc ipsum excitaui te*, concludit: *Et quem vult, indurat*, Is. 63. *Indurasti cor nostrum, ne timeremus te*. Et Eccli. 33. *Ex ipsis benedixit, & exaltauit, & ex ipsis maledixit, & humiliauit*. Et quidem hoc, quod dicitur de Dei misericordia, dubitationem non habet. Sed circa indurationem, videtur esse duplex dubitatio. *Primò* quidem, quia duritia cordis ad culpam pertinere videtur, secundùm illud Eccli. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo*. Si ergo Deus indurat, sequitur quòd sit actor culpæ, contra quod dicitur Iac. 1. *Deus intentator malorum est*. Ad quod dicendum, quòd Deus non dicitur indurare aliquos directè, quasi in eis causet malitiam: sed indirectè, in quantum scilicet ex his, quæ facit in homine intus, vel extra, homo sumit occasionem peccati. Et hoc ipse Deus permittit. Vnde non dicitur indurare, quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam. *Secunda* dubitatio est: quia ipsa obduratio, non videtur diuinæ voluntati posse adscribi, cum scriptum sit 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Et 1. Tim. 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri*. Ad quod dicendum, quòd tam misericordia, quàm iustitia, dispositionem voluntatis important. Vnde sicut miseratio attribuitur diuinæ voluntati: ita & id, quod est iustitiæ. Sic ergo intelligendum est, *cuius vult miseretur*, scilicet per suam misericordiam: *& quem vult, indurat*, scilicet per suam iustitiam: quia illi, quos indurat, hoc merentur, vt indurentur ab ipso. (*Quamuis tamen in hoc diuina iustitia effulgeat, non ideò penitùs misericordia excluditur: nam* in damnatione L reproborum apparet & misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum.) *Neque ex hoc asserendum, impossibile esse reprobos non peccare. Quò facit illud* Io. 12. *de Iudæis*: Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum &c. *Sciendum namque, quòd* aliquid M dicitur impossibile, vel necessarium dupliciter, absolutè scilicet, & ex suppositione. Absolutè quidem, sicut impossibile est hominem esse asinum. Ex suppositione verò, sicut impossibile est, me esse extra domum, dum intùs in ea sedeo. Secundùm hoc ergo dicendum, quòd homo excusatur, si non facit ea, quæ absolutè sunt sibi impossibilia: sed si non facit ea, si qua sunt sibi impossibilia ex suppositione, non excusatur. Sicut si detur, quòd aliquis habeat malam voluntatem omninò furandi; & dicat, impossibile sibi esse non peccare, quandiu voluntatem obstinatam illam habeat, non excusatur: quia huiusmodi impossibilitas non est simpliciter, sed ex suppositione: potest enim voluntatem malam deponere. Dicit ergo, *propterea non poterant credere*, quia scilicet habent voluntatem obstinatum in sua malitia, Ier. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam &c. & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum*. Et Matth. 12. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?*

d *Porrò quemadmodum secundùm communem legem (vt Num.* preced. *visum est) sua nulli conuenienter reuelatur prædestinatio, ne à bene operando torpescat: ita neque reprobatio manifestatur, ne in desperationem ruat*. Nulli *ergo* sua N damnatio reuelatur. Si tamen reuelaretur, posset credere secundùm comminationem, & non secundùm præscientiam, dictum. *Quòd si reprobationis aliquas coniecturas exquiris: Vna est, si diutina, nec interrupta temporali prosperitate potiaris*. Consideranda O sunt *inquit Author*, duo genera hominum. Quidam

Quo sensu dicatur Deus ad bonum suscitare, & ad malum.

Bono Dei instinctu abutitur homo in malum.

Quo fine Deus quædam faciat, quædam permittat.

Deus ad gloriam suam ordinat malitiam, non causat.

Circa indurationem duplex soluitur obiectio.

In damnatione reproborum & misericordia elucet.

L 1 p 21 4 ad 1.

M Io. 12 l. 7. lit. e. ibi, & 1 p 23 3 ad 3.

Quomodo intelligatur reprobum non posse non peccare.

N 1. d. 48. 1. 4. ad 2 Ver. 23. 8. ad 2.

Secundùm legem communem nulli sua reprobatio reuelatur: quòd si reuelaretur, putari deberet secundùm comminationem dictum non secundùm præscientiam.

O Ps. 37 lit. K ibi, in flagella.

Reprobationis ſigna & coniecturæ.

Signum primum, diuturna temporalis proſperitas abſque vlla aduerſitate.

dam, ſunt qui hic non flagellantur, ſed reſeruantur æterno igni, Pſ. 72. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, ſcilicet hîc non corripiuntur. Alij ſunt, qui flagellantur in hoc Mundo, quia Deus corripit eos, vt filios, ad Hebr. 12. *Flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Gregorius. *Signum æternæ reprobationis eſt, quando Deus nullum flagellum dat homini in Mundo*. Sic & Ambroſius noluit hoſpitari in domo illius, qui ſemper fuerat in proſperitate. Et ideò dicebat Dauid Pſ. 37. *Quoniam ego in flagella paratus ſum*. Flagellat *inquam* Deus omnem filium, quem recipit. *Flagellat* non quidem P ad condemnationem, ſed ad ſalutem. Et ideò qui non flagellantur, non ſunt de numero filiorum. Vnde eſt ſignum quaſi æternæ reprobationis, Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te*. Nec mirum, ſi *flagellat omnem filium, quem recipit* per adoptionem: quia vt dicitur Rom. 8. etiam *proprio filio ſuo non pepercit*, Luc. 24. *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*. Si autem filij, & heredes, *ſubiicit Apoſtolus* Rom. 8. cit. & ad Gal. 4. *Secunda reprobationis coniectura eſt, internis, externiſque Dei vocationibus obſiſtere, ac repetitis ad bonum excitamentis contraire, quales erant Iudæi, ad quos dictum eſt Act.* 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. *Et Deut.* 21. Contumax eſt: monita noſtra audire contemnit. *Quò facit illud Hebr.* 6. Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. *Vbi docemur, quòd* terra Q iſta, eſt cor humanum, Luc. 8. *Quod autem cecidit in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent*. Quod dicitur terra, quia ſicut terra indiget pluuia, ita homo indiget gratia Dei, Pſ. 64. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*. Sed beneficium quod percipit ex doctrina fidei, eſt quaſi imber ſuperueniens, quem pluit in cordibus auditorum, mediantibus prædicatoribus & Doctoribus. Hunc imbrem bibit, quando, quod audit, intelligit, & ad illud afficitur. Et ideo dicit: *venientem ſuper ſe, bibens imbrem*. Fructus autem eſt, quia *germinat herbam opportunam*, quæ ſunt opera bona, quæ facit homo per doctrinam ſuſceptam: *illis, à quibus colitur*: eſt enim opportuna Deo ad gloriam, 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*: alijs ad meritum, & ad gloriam, 1. Theſſ. 2. *Vos eſtis gloria noſtra & gaudium*: ipſi verò operanti ad vitam æternam, Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem; finem verò vitam æternam*. Vnde & ſubdit: *accipit benedictionem à Deo* : (*cui reſpondet & illud Matt.* 25. Venite benedicti Patris mei.) *Proferens autem ſpinas & tribulos*, ideſt minora & maiora peccata: *ſpinas & tribulos germinabit tibi*, Gen. 3 *reproba eſt &c.* Vbi ponit tria, ſcilicet diuinam reprobationem, iudiciariam condemnationem, & finalem punitionem. Quantùm ad primum, dicit: *Reproba eſt*: ſicut enim prædeſtinatio eſt principium remunerationis; ita reprobatio ſignum eſt condemnationis. Quòd ergo aliquis frequenter rigetur præceptis ſalutaribus (*nota*) ſignum eſt reprobationis, ſi perſiſtat in peccatis, Ier. 6. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos*. Condemnatio eſt, quia *maledicto proxima*, Mat. 25. *Diſcedite à me maledicti*. Punitio eſt, *cuius conſummatio in combuſtionem*, Iſ. 9. *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis*, hoc eſt, in ignem æternum, *Mat.* 25. *cit.*

P Hebr. 12. l. 2. ibi.

Secundum, diuinis inſpirationibus, & vocationibus reluctari.

Q Hebr. 6. l. 2. ibi.

Et monita ſalutaria contemnere.

c *Tertia coniectura eſt, odiſſe iuſtos & perſequi, eorumque ab operibus abhorrere, ad Gal.* 4. Quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc. *Quod quidem ad literam intelligitur de Iſmaele, & Iſaac. Huic autem Iſmael perſecutionem intuliſſe non legitur, ſed tantùm cum eo luſiſſe, Gen.* 21. Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac &c. *Sed dicendum, quòd* Iſmael R cogebat Iſaac adorare imagines luteas, quas faciebat. Per hoc autem docebat eum auerti à cultu vnius Dei, quod eſt magna perſecutio: cum maius malum ſit inferre mortem ſpiritualem, quàm corporalem. Quod tamen ideò in Geneſi appellatur ludus, quia ſub ſpecie ludi hoc faciebat. *Quomodo igitur tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum; ita & nunc*. Quia nunc etiam carnales perſequuntur in Eccleſia ſpirituales viros. Vnde dicit *Gloſſa*: Omnes, qui in Eccleſia terrenam facultatem quærunt à Domino, ad hunc Iſmaelem pertinent, ipſi ſunt, qui contradicunt Spiritualibus proficientibus, & detrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas doloſas & ſubdoloſas. *Abhorrent proinde à bonis iuſtorum operibus; vnde & ex ore malorum hominum & reproborum dicitur Sap.* 2. Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius &c. *Non ſecus & Eſau iuſtum perſequebatur Iacob. Quoniam verò Eſau in reproborum figuram ſacris in literis adducitur, ſecundùm illud Mal.* 1. Dilexi Iacob; Eſau autem odio habui: *videamus, quæ nam ſint, vnde reprobus digneſcatur. Et quidem* Gen. 25. *dicitur, quòd* Eſau rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: *videlicet quia* non ſolùm S concupiſcentia, ſed & iracundia totus eſt rufus & hiſpidus: nam ſemper horrendo zelo & odio perſequitur fratrem ſuum. *Secundò vt ibid. dicitur*, factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: *ad temporalia nimirùm ex propoſito inhians & intendens. Tertiò ob modicum lentis edulium* vendidit primogenita (*vt ibid. ſubiicitur*,) *& quod deterius eſt*, abijt paruipendens, quòd primogenita vendidiſſet. *In quo & profanum ſeſe oſtendit & guloſum. Vnde Apoſtolus hæc & alia complectens, Hebr.* 12. *ait*: Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua: ſcitote enim, quoniam & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt. *Vbi Apoſtolus, quod ibi præmiſerat*; oſtendit T in exemplo Eſau, qui propter gulam vendidit primogenita: ſic etiam guloſus pro minima eſca vendit hereditatem æternam, Prou. 6. *Pretium ſcorti vix eſt vnius panis*. Dicitur autem guloſus *profanus*, quaſi procul à fano; & tales ſunt guloſi, qui de ventre ſuo Deum faciunt, Phil. 3. *Quorum Deus venter eſt*. Eſau autem non ſolùm fuit guloſus, ſed etiam luxurioſus, quia contra voluntatem parentum duxit vxores alienigenas. Ius autem primogeniti erat, quòd habebat duplicem portionem, & ante Sacerdotium Aaron habebat honorem Sacerdotalem. Vnde in hoc commiſit ſimoniam, quòd *vendidit primitiua ſua*. (Non ita Iacob, qui emit. Iacob enim per Spiritum Sanctum intellexit, illud ſibi deberi, iuxta illud Mal. 1. cit. *Dilexi Iacob; Eſau autem odio habui*. Et ideò non emit: ſed quod ſibi debebatur, ab iniuſto poſſeſſore redemit.) Et hoc eſt quod dicit: *Qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua*. Et pœnam conſecutam oſtendit, ſubdens: *Scitote enim, quoniam & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt*. Sicut enim dicitur *Gen.* 27. poſtquàm Iſaac benedixerat Iacob, venit Eſau, & petijt benedictionem: quam tamen non obtinuit, licèt pater feciſſet ignorans: quia in illo ſtupore, quem

Tertium iuſtos odiſſe, eorumque ab operibus abhorrere.

R Gal. 4. l. vlt. ibi.

Eſau qualitates deſcribuntur malæ.

S Gen. 25. ſi. cap.

T Hebr. 12. l. 3. ibi.

quem habuit, factus in extasi, edoctus est à Spiritu Sancto, quòd non retractaret quod fecerat. *Vnde* dixit: *Benedixi ei, & erit benedictus.* Et sic Esau consilio Spiritus Sancti reprobatus fuit. (*Et meritò quidem damnatus, quia* paruipendens, quòd primogenita vendidisset: *Dei enim dona contemnens iustè damnatur.*) In quo datur intelligi, quòd nullus debet negligere, dum adhuc viuit, bene facere, quantumcumque sit reprobatus in præsentia diuina: quia post vitam, ad hereditatem Dei, etiamsi desideretur, naturaliter non peruenitur.

Iacob oppositæ qualitates bonæ.

Ab opposito Iacob in typum electorum adductus, lenis fuit, *Gen.* 27. Frater meus pilosus est, & ego lenis. *Quod quidem mansuedinem significat*, *Mat.* 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Secundò Gen.* 25. *dicitur*: Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis. *Simplex*, idest V sine dolo & sine fictione *habitabat in tabernaculis*, scilicet pastoralibus, tanquam Pastor: in quo vult significare, quòd fuit homo quietus, & internæ simplicitati, & meditationi vacans, *ad cælestia nimirùm aspirans, & sempiterna bona*, *Ps.* 117. Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. *Vnde & consequenter legitur primogenita sibi adeptus, hoc est cælestis gratiæ adoptionem; proinde ex ore Patris Dei benedicti nem promeruisse qua electi finaliter à reprobis distinguuntur, secundùm illud Mat.* 25. Venite benedicti Patris mei &c. *In Iacob igitur prædestinationis indicia, in Esau signa reprobationis (ad instructionem vtique nostram) sufficienter deprehenduntur. Quibus adiicimus, & reprobationis index esse, verbum Dei per sacros præcones, vel nunquam, vel ægrè audire* (Oues meæ *aiebat Christus Ioh* 10. vocem meam audiunt: *è contra verò Prou.* 1. Vocaui, & renuistis: despexistis, omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Egoquoque in interitu vestro ridebo:) *in actus virtutum reniti, temporalibus omninò inhiare: nauseare spiritualia* (*Sacramenta præsertim ad nostram instituta salutem; signum enim desperatæ sanitatis est, opportuna & certa remedia contemnere:*) *fastidire cælestia. potissimùm verò charitatis & misericordiæ viscera in miseros proximos non gestare: cuius oppositum de salute æterna quodammodo certitudinem facit, secundùm illud Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Hoc est enim, quod in præcipuam æternæ damnationis causam à Domino adducitur Mat.* 25. *cit.* Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum &c. *A quanos eximat horribili sententia, qui* propter nostram salutem descendit de Cælis. DISCE, *ne inter reprobos adscribaris*, reprobare malum & eligere bonum.

V Gen. 25. ibi.

Alia reprobationis indicia.

PRÆDICATOR. *Vide* Doctor Ecclesiasticus *Tomo* 2.

PRÆLATVS. *Vide* Episcopus *Tomo* 2.

PRÆSTIGIVM. *Vide* Diuinatio *Tomo* 2.

PRINCEPS.

XXIV. Sicut recedente sanitate, tendit homo ad interitum: sic de pace, si à regno discedit, tendit ad interitum. Matt. 12. lit. b. ibi, *diuisum.*

f PRrincipatum ad humanum necessarium esse conuictum, nemo est rationis compos, qui ambigat. Et X si quidem homini conueniret singulariter viuere, sicut multis animalium, nullo alio dirigente indigeret ad finem, sed ipse sibi vnusquisque esset Rex sub Deo summo Rege, in quantùm per lumen rationis diuinitus datum sibi, in suis actibus seipsum dirigeret. Naturale autem est homini, vt sit animal sociale, & politicum, in multitudine viuens, magis etiam, quàm omnia alia animalia. Quod quidem naturalis necessitas declarat. Alijs enim animalibus natura præparauit cibum, tegumenta pilorum, & defensionem, vt dentes, cornua, vngues, vel saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est, nullo horum sibi à natura præparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi hæc omnia officio manuum posset præparare, ad quæ omnia præparāda vnus homo non sufficit. Est igitur homini naturale, quòd in societate multorum viuat. Nam vnus homo per se sufficienter vitam transigere non posset. Ampliùs: alijs animalibus insita est naturalis industria ad omnia ea, quæ sunt eis vtilia vel nociua: sicut ouis naturaliter æstimat lupum inimicum: quædam etiam animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas medicinales, & alia eorum vitæ necessaria. Homo autem horum, quæ sunt suæ vitæ necessaria, naturalem cognitionem habet solùm in communi, quasi eo per rationem valente ex vniuersalibus principijs ad cognitionem singulorum, quæ necessaria sunt humanę vitæ, peruenire. Non est autem possibile, quòd vnus homo ad omnia huiusmodi per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini, quòd in multitudine viuat, vt vnus ab alio adiuuetur, & diuersi diuersis inueniendis per rationem occuparentur, putà vnus in medicina, alius in hoc, alius in alio. Hoc ergo considerans Salomon Eccle. 4. ait: *Melius est, duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ.* Si ergo naturale est homini, quòd in societate multorum viuat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque id, quod est sibi congruum prouidente, multitudo in diuersa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens: sicut & corpus hominis & cuiuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiua communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod considerans Salomon, dicit Prou. 11. *Vbi non est Gubernator, populus corruet*: hoc autem rationabiliter accidit; non-

X Op. 20. l. 1. c. 1. & 1. p. 96. 4. Ps. 44 lit. e.

Homini non conuenit singulariter viuere, sed in societate, cum sit animal politicum.

Non enim vnus potest sibi ad omnia necessaria sufficere.

Necessarium est, aliquem esse multitudinis hominum directorem.

non enim idem est, quod proprium, & quod commune. Secundùm propria quidem differunt, secundùm autem commune vniuntur. Diuersorum autem diuersæ sunt causæ. Oportet igitur, præter id, quod mouet ad proprium bonum vnius cuiusque, esse aliquid, quod moueat ad bonum commune multorum. Propter quod & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, aliquid inuenitur alterius regitiuum. In vniuersitate enim corporum, per primum corpus, scilicet cæleste, alia corpora ordine quodam diuinæ prouidentiæ reguntur, omniaque corpora per creaturam rationalem. In vno etiam homine anima regit corpus, atque inter animæ partes irascibilis & concupiscibilis ratione reguntur. Item inter membra corporis vnum est principale, quod omnia mouet, aut cor, aut caput. Oportet igitur esse in omni multitudine aliquod regitiuum. *Et hoc est humanus principatus, siue regimen: princeps enim dicitur, quasi primum veluti regitiuum principium aliorum, & rex à regendo. Quod & in animalibus quibusdam cernimus, vt in apibus, & gruibus, nunquam sine rege, seu directore confluentibus. Illud verò sub lumine notandum, quòd principatus non est propter principem*; & regnum Y non est propter regem, sed rex propter regnum, quia ad hoc Deus prouidit de eis, vt regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in suo iure conseruent: & hic est finis regiminis. Quòd si ad aliud faciunt, in seipsos commodum retorquendo, non sunt reges, sed tyranni. *Cæterùm* alius Z est finis conueniens multitudini liberorum, & seruorum. Nam liber est, qui sui causa est: seruus autem est, qui id, quod est, alterius est. Si igitur liberorum multitudo à regente ad bonum commune multitudinis ordinetur, erit regimen rectum, & iustum, quale conuenit liberis. Si verò non ad bonum commune multitudinis, sed ab bonum priuatum regentis, regimen ordinetur, erit regimen iniustum, atque peruersum. Vnde & Dominus talibus rectoribus comminatur per Ezechielem cap. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*, quasi sua propria commoda quærentes: *nonne greges pascuntur à pastoribus?* Bonum siquidem gregis pastores quærere debent, & rectores quilibet bonum multitudinis sibi subiectæ. Si igitur regimen iniustum per vnum tantùm fiat, qui sua commoda ex regimine quærat, non autem bonum multitudinis sibi subiectæ, talis rector *Tyrannus* vocatur, nomine à fortitudine deriuato, quia scilicet per potentiam opprimit, non per iustitiam regit. Vnde & apud antiquos, potentes quique *tyranni* vocabantur. Si verò iniustum regimen non per vnum fiat, sed per plures: si quidem per paucos, *Oligarchia* vocatur, idest principatus paucorum: quando scilicet pauci propter diuitias opprimunt plebem, sola pluralitate à tyranno differentes. Si verò iniquum regimen exerceatur per multos, *Democratia* nuncupatur, idest potentatus populi: quando scilicet populus plebeiorum per potentiam multitudinis opprimit diuites: sic enim & populus totus erit quasi vnus tyrannus. Similiter autem & iustum regimen distingui oportet. Si enim administretur per aliquam multitudinem, communi nomine *Politia* vocatur, vtpote cum multitudo bellatorum in Ciuitate vel Prouincia dominatur. Si verò administretur per paucos, virtuosos autem, huiusmodi regimen *Aristocratia* vocatur, idest potentatus optimus, vel Optimorum, qui propterea Optimates dicuntur. Si verò iustum regimen ad vnum tantùm pertineat, ille propriè *Rex* vocatur; vnde Dominus per Ezechielem cap. 37. dicit: *Seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.* Ex quo manifestè ostenditur, quòd de ratione regis est, quòd sit vnus, qui præsit, & quòd sit pastor, commune multitudinis bonum, & non suum commodum quærens. *Commune inquam multitudinis bonum quærens*; *ideirco & correlatiuè* populus A (sicut *Augustinus in 2. de Ciu. Dei* introducit à Tullio dictum) est cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus: vnde ad rationem populi pertinet, vt communicatio hominum ad inuicem iustis præceptis legis ordinetur.

Princeps vnde dicatur.

Principatus non est propter Principem, sed è conuerso.

Y Op. eod. l. 3. c. 11.

Quid regiminis finis.

Z Ibid. l. 1. c. 1. & 1. 2. 95. 4. c. & 105. 1. & 2. 2. 61. 2. c.

Quis liber, quis seruus.

Finis boni regiminis bonum communitatis: mali, bonum priuatum regentis:

Tyrannis quid.

Oligarchia.

Democratia.

Politia.

Aristocratia.

Regnum siue Monarchia.

Populi diffinitio.

A 1. 2. 105. 2. initio c.

g *Et quidem* vtilius B est regimen vnius, quàm plurium. Nam, manifestum est, quòd plures multitudinem nullo modo conseruant, si omninò dissentirent. Requiritur enim in pluribus quædam vnio ad hoc, quòd quoquo modo regere possint: quia nec multi nauem in vnam partem traherent, nisi aliquo modo coniuncti. Vniri autem dicuntur plura per appropinquationem ad vnum. Melius igitur regit vnus, quàm plures, ex eo quòd appropinquant ad vnum. Adhuc ea, quæ sunt, ad naturam optimè se habent: in singulis enim operatur natura quod optimum est: omne autem naturale regimen ab vno est. In membrorum enim multitudine vnum est, quod omnia mouet, scilicet cor: & in partibus animæ vna vis principaliter præsidet, scilicet ratio. Est etiam apibus vnus rex, & in toto Vniuerso vnus Deus factor omnium & rector; & hoc rationabiliter: omnis enim multitudo deriuatur ab vno. Quare si ea, quæ sunt secundùm artem, imitantur ea, quæ sunt secundùm naturam, & tantò magis opus artis est melius, quantò magis assequitur similitudinem eius, quod est in natura: necesse est, quòd in humana multitudine, optimum sit, quod per vnum regatur. Hoc etiam experimentis apparet. Nam Prouinciæ, vel ciuites, quæ non reguntur ab vno, dissensionibus laborant, & absque pace fluctuant, vt videatur adimpleri quod Dominus per Prophetam conqueritur dicens Ier. 12. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* E contrario verò Prouinciæ & Ciuitates, quæ sub vno rege reguntur, pace gaudent, iustitia florent, & affluentia rerum lætantur. Vnde & Dominus pro magno munere per Prophetas populo suo promittit, quòd *poneret sibi caput vnum*, & quòd *Princeps vnus erit in medio eorum*, Ezech. 34. *At verò* sicut C in regimine iusto, quanto regens est magis vnum, tantò est vtilius regimen, vt regnum melius est, quàm aristocratia; aristocratia verò, quàm politia: ita è conuerso erit & in iniusto regimine, vt videlicet quantò regens est magis vnum, tantò magis sit nociuum. Magis igitur est nociua tyrannis, quàm oligarchia: oligarchia autem, quàm democratia. Ampliùs, per hoc regimen fit iniustum, quòd spreto bono communi multitudinis, quæritur bonum priuatum regentis: quantò igitur magis receditur à bono communi, tantò est regimen magis iniustum. Plùs autem receditur à bono communi in oligarchia, in qua quæritur bonum multorum; & adhuc plùs receditur à bono communi in tyrannide, in qua quæritur bonum tantùm vnius. Omni enim vniuersitati propinquius est multum, quàm paucum, & paucum, quàm vnum solum: regimen ergo tyranni est iniustissimum. Expedit igitur, vt regimen iustum sit vnius tantùm, ad hoc vt sit fortius. Quòd si in iniustitiam declinet regimen, expedit magis, quòd sit multorum, vt sit debilius, & se inuicem impediant. *Porrò* circa bonam D ordinationem principum in aliqua ciuitate, vel gente, duo sunt attendendenda. Quorum vnum est, vt omnes aliquam partem habeant in principatu: per hoc enim conseruatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant & custodiunt, vt dicitur in 2. *Polit.* Aliud est, quod attenditur secundùm speciem

Regimen vnius commendatur præ cæteris.

B Op. 20. l. 1. c. 2. & 3. & l. 2. c. 9. & 1. p. 103. 3. & 1. 2. 105. 1. ad 2. & 2. 2. 50. 1. ad 2. & 1. con. G. c. 42. n. 17.

C Eod. Op. l. 1. c. 3.

Si tamen iniustum sit aliàs magis noxium, quale est tyrannis.

Regimen iniustum, expedit magis, vt sit multorum, quàm vnius.

D 1. 2. 105. 1. c.

clem regiminis, vel ordinationis principatuum: cuius cum sint diuersę species (vt Philosophus tradit *in 3. Polit.*) præcipuè tamen est vnum regimen, in quo vnus principatur secundùm virtutem: & Aristocratia, idest potestas Optimorum, in qua aliqui pauci principantur secundùm virtutem. Vnde optima ordinatio principum est in aliqua ciuitate, vel regno, in quo vnus præficitur secundùm virtutem, qui omnibus præsit, & sub ipso sunt aliqui principantes secundùm virtutem. Et tamen talis principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi possunt, tum quia etiam ab omnibus eliguntur. (*Hic tamen* ex Caietano 1. 2. 95. *ad art. 4. notandum, quòd in hoc nulla est contrarietas dictorum Authoris nostri*: *nam* regimen vnius est optimum respectu aliorum regiminum simplicium, non autem respectu commistorum. Item regimen vnius est optimum secundùm speciem regiminis: regimen autem commistum est optimum secundùm partium dispositionem, *vt in proximè allata doctrina apparet*.) *Enimverò principatus politicus* (quem politiam E appellant à *polis*, quod est pluralitas) in hoc F differt à regali, siue Imperiali siue monarchico (*à monas*, quod est *vnum*) quòd rectores politici legibus ad stringuntur, nec vltra possunt procedere in prosecutione iustitiæ: quod de regibus, & aliis monarchis principibus non conuenit, quia in ipsorum pectore sunt leges reconditæ, prout casus occurrunt: & pro lege habetur quod principi placet, sicut iura gentium tradunt. Sed de rectoribus politicis non sic reperitur: quia non audebant aliquam facere nouitatem præter legem conscriptam. Est etiam (*post pauca*) & alia differentia: quia rectores sæpius exponuntur examini, si benè iudicauerunt, aut rexerunt secundùm leges eisdem traditas, & ex contrario subiiciuntur pœnis: *quod in regibus non est*.

h *Et eiusmodi optimum regimen elegerunt Romani, ac prudentissimè exercuerunt*. Regibus enim G à P. R. expulsis, dum regium vel potiùs tyrannicum fastum ferre non possent, instituerunt sibi Consules, & magistratus, per quos regi cœperunt & dirigi, regnum in aristocratiam commutare volentes. Et sicut refert *Sallustius*, incredibile est memoratu, quantùm adepta libertate in breui Romana Ciuitas creuerit. Plerumque enim contingit, vt homines sub rege viuentes, segniùs ad bonum commune nitantur, vt potè æstimantes id, quod ad commune bonum impendunt, non sibi ipsis conferre, sed alteri, sub cuius potestate vident esse bona communia. Cum verò bonum commune non vident esse in potestate vnius, non attendunt ad bonum commune, quasi ad id, quod est alterius, sed quilibet attendit ad illud quasi suum. Vnde experimento videtur, quòd vna ciuitas per annuos rectores administrata, plùs potest interdum, quàm rex aliquis, si haberet tres vel quatuor Ciuitates: paruaque seruitia exacta à regibus grauiùs ferunt, quàm magna onera, si à communitate Ciuium imponantur: quod in promotione Romanæ Reipublicæ seruatum fuit. *Et ita Romani, exemplar benè regendi cunctis effecti, toti sunt Vniuerso sua quodammodo potentia dominati*. *Vnde & ipse* Deus H vt suam potestatem magis ostenderet, in ipsa Roma, quæ Caput Mundi erat, etiam Caput Ecclesiæ suæ statuit, in signum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuersum Mundum, secundùm illud *Is.* 26. *Ciuitatem sublimem humiliabit: conculcabit eam pes pauperis*, scilicet Christi, *gressus egenorum*, idest Apostolorum Petri & Pauli. *Hinc illud de Antichristi aduentu* 2. *Thess.* 2. Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati &c. *exponitur*: idest I discessio à Romano Imperio, cui totus Mundus erat subditus. Dicit autem *Augustinus*, quòd hoc figuratur *Dan.* 2. in statua, vbi nominantur quatuor regna, & post illa aduentus Christi; & quòd erat conueniens signum, quia Romanorum Imperium firmatum fuit ad hoc, quòd sub eius potestate prædicaretur fides per totum Mundum. Sed quomodo est hoc (*sibi obiicit Author*) quia iam diu Gentes recesserunt à Romano Imperio, & tamen necdum venit Antichristus? Et dicendum est, quòd nondum cessauit: sed est commutatum de temporali in spirituale vt dicit *Leo Papa* in Sermone de Apostolis. Et ideò discessio à Romano Imperio debet intelligi non solum à temporali, sed à spirituali, scilicet à fide catholica Romanæ Ecclesiæ. *Vide quousque extensum, exaltatumque est Romanorum Dominium! Nec perperam, aut sine causa in eo Romani prosperati sunt, sed fuit illud virtutibus compararere*. *Idcircò* Deus L illis inspirauit ad benè regendum, & dignè meruerunt imperium (*ex* Augustino *de Ciu. Dei*) diuersis causis & rationibus, quas ad tres reducere possumus, quarum intuitu meruerunt dominium. Vna sumitur ex amore Patriæ: alia verò ex zelo iustitiæ: tertia autem ex zelo ciuilis beneuolentiæ. Prima iam virtus satis erat digna Dominio, qua participabant quandam naturam diuinam, eo quòd ad communitatem suus ferebatur affectus. Versatur enim ad vniuersales actiones populi, sicut Deus est vniuersalis causa rerum: vnde & Philosophus dicit *in* 1. *Ethic.* quòd bonum gentis est bonum diuinum. Quantus verò fuerit amor Patriæ in antiquis Romanis, *Sallustius* refert in Catilinario ex sententia *Catonis* quasdam de eis connumerando virtutes, in quibus dictus amor includitur. *Nolite* inquit *existimare, maiores nostros armis Remp. ex parua magnam fecisse; quippe amplior nobis, quàm ipsis, armorum est copia: sed quia in eis fuit domi industria, foris iustum imperium, in consulendo animus liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his, nos habemus luxuriam atque auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, sequimur inertiam, inter bonos & malos nullum discrimen, omnia virtutis præmia ambitio possidet*. Alia M ratio, vnde dignè Romani dominium sunt adepti, est zelus iustitiæ. Quo quidem modo acquisierunt principatum quodam iure naturæ, à quo habet exordium omne iustum dominium. Vt enim præmissum est, consulebant Patriæ consilio libero, auaritiam relegantes à dominio, siue turpis lucri gratiam, neque delicto, neque libidini obnoxii: pro quibus iam stans dominium dissipatur. Trahebantur enim homines ad ipsorum amorem, vt propter ipsorum iustissimas leges se spontè iisdem subiicerent. Propter quod dicit *Augustinus* in lib. præfato: *Deo placuit Orbem terrarum per Romanos debellare, vt in vnam societatem Reipublica legumque perductum, longè, lateque pacaret*. Tertia N virtus, per quam subiugauerunt Romani Mundum, & meruerunt dominium, fuit singularis pietas, ac ciuilis beneuolentia, quia vt *Valerius Maximus* lib. 5. tradit: *Humanitatis dulcedo barbarorum ingenia penetrat*: & hoc experimentum habet. *Vnde & Eccli.* 6. dicitur: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*. De hac etiam dicit *Augustinus* 1. de Ciu. Dei, *quòd proprium ipsorum fuit* parcere subiectis, & debellare superbos, *acceptaque iniuria, ignoscere, quàm persequi malleban*t. Vnde etiam Machabæi, Iudas videlicet, Ionathas, & Simon

Optimum regimen quod nam sit.

Caietanus.

E Op. 20. l. 4. c. 1.

Politia & monarchia vnde dicantur, & in quo differant.

F Ibid. & cap. 25. & 1. Mach. 8.

G Op. 20. lib. 3. cap. 4.

Romanorum regimen politicum commendatur.

H 3. p. 35. 7. ad 2. Rom. 1. l. 4 ibi & vos. Is. 26 ibi, pauperis.

In Romana Vrbe non sine causa Caput Ecclesiæ statutum.

I 2. Thess. 2 l. 1. ibi Rom l. 5. ibi, fide vostra. Op. 20 l. 3. c. 10. circa fi.

Discessio à Romano Imperio spirituali, signum aduentus Antic.

L Op. 20. l. 3. c. 4.

Romani suum dominium virtutum merito compararunt.

M Ibid. cap. 5.

N Ibid. cap. 6.

Simon de genere Iudæorum (quorum est proprium, aliarum nationum aspernari consortium) considerata beneuolentia Romanorum, cum ipsis statuerunt amicitiam, vt in 1. *Mach.* 8. scribitur. Vbi attendendum, quàm ordinatum erat tunc temporis regimen politicum in Vrbe, quod erat præcipuum motiuum cuiuscumque nationis & prouinciæ, ipsorum appetere dominium, & eisdem sua colla subiicere. Pro quibus omnibus ex merito virtutum in ipsis diuina bonitas consensisse videtur ad ipsorum principatum ex causis & rationibus assignatis. Sic enim quis meretur dominium, vt Philosophus *in 5. Eth.* tradit, *felix vtique, excelsum, atque diuturnum.*

Felix laudatumque Romanorum politicum regimen in Venetos translatum. i *Sane (detur veritati absque assentatione locus) felix gentilium Romanorum regimen, eorumque gloriosa Reipublicæ politicus dominatus in pijssimos nostros Venetos plenè translatus est : de quibus verum habent & quæcumque superiùs allata sunt, & quæ cit.* 1. Machab. 8. (*certissima innixa fidei) de Romanis leguntur* : quòd nimirùm residua regna, & Insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminauerunt, & in potestatem redegerunt. Cum amicis autem suis, & qui in ipsis requiem habebant, & conseruarunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos. Quibus verò vellent auxilio esse, vt regnarent, regnabant; quos autem vellent, regno deturbabant : & exaltati sunt valde. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea. (*Est autem* Diadema, *siue Corona, vnum ex regiis insignibus; fascia nimirùm quadam, qua regis caput circumligabatur.* Quatuor *enim* erant P insignia regalia, scilicet diadema, fibula aurea, sceptrum, & purpura. Et fibula quidem in mulieribus est ornamentum pectoris: in militibus cingulum, & forsitan baltheus : purpura in regibus est pallium humerale. *Quam & marinam vocant*, 1. *Mac.* 4. & purpuram marinam : *videlicet*, quia Q purpura *secundùm Isidorum* est sanguinei coloris, & tingitur quodam pisce maritimo, qui conchylium, vel muræna dicitur: qui concisus ferro, sanguineas guttas emittit, ex quibus collectis tingitur purpura; & ideò dicitur *marina*. Sic Cant. 7. *Sicut purpura Regis, vincta canalibus.*) Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant. 320. consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt, gerant. Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersæ terræ suæ; & omnes obediunt uni: & non est inuidia, neque zelus inter eos. *Quibus in verbis non minùs Romanorum, quàm Venetorum, forte ac suo simul dominium describitur (vt ex actis eorum & historiis liquet) siue bello spectetur strenuitas, siue pace beneuolentia & humanitas: siue amor in eis Patriæ commendetur, siue zelus iustitiæ: siue in Republ. administranda Senatorum prudentia, consilium, maturitas perpendatur.*

Regia insignia quatuor.

P 1. *Mach.* 10. *ibi*, purpuram.

Purpura quid, & ex quo fiat.

Q 1. *Mach.* 4. *ibi*.

Politici regiminis alia conditio.

R *Op.* 20. *l.* 4. *c.* 7. & 8.

Est autem R & alia conditio, quam Philosophus *in* 2. *Polit.* attribuit politiæ Socratis & Platonis, videlicet Magistratus ad regimen iuxta morem Atticæ regionis : quos quidem magistratus Romana Respublica Senatores vocabat. Hos præfati Philosophi voluerunt esse perpetuos, & quoscumque Officiales in sua politia constitutos. Sed è conuerso fuit motiuum sapientum Vrbis, siue Romanæ Reipublicæ: quia post expulsionem Regum statuerunt Consules. Vnde 1. *Mach.* 8. cit. scribitur inter alia commendabilia de Romanis, *quòd committunt vni homini magistratum suum per singulos annos &c.* Causam autem assignant historiæ, vt nec insolens diu maneret, & moderatior citò succurreret. Quam quidem causam Philosophus etiam tangit *in* 2. *Polit.* quia aliquando mutare principatum, & dignitatem magistratus personis idoneis distribuere, causa est maioris pacis in Ciuitate, & in politia quacumque. Laudabilis igitur politia est, in qua secundùm merita, vnicuique Ciui vicissim distribuuntur honores, vt antiqui fecerunt Romani : *quod & in Veneta Republica perpetuò seruatur.* Et S quidem (*vt alibi notat Author*) in diuisione Romuli, cum de Senatoribus agitur, rectores accipimus, politicos, & sapientes eis adiunctos : plus enim principes politici sunt consiliarii, quàm regales, vel imperiales, sicut & de Romanis scribitur 1. Mach. 8. cit. quòd *quotidie consulebant* 320. *consilium agentes &c.* (*en Venetum prudentissimum Senatum.*) Cuius ratio esse potest: quia regimen politicum solis roboratur legibus, vt dictum est. Regale verò, siue Imperiale, etsi legibus gubernetur; in casibus tamen regimen consistit in arbitrio principis. Concludendum est igitur, in dominio politico Consiliarios maximè fore necessarios, quos in nomine Senatorum includimus. Vnde *Isidorus* dicit *in* 11. *Etymol.*, quòd Senator à consulendo, & tractando dictus est, qui sic se habet, vt consulat & nulli noceat. Hinc & *Augustinus de Ciu. Dei* senes (*in quibus prudentia*) inter Senatores connumerat. Comprehendimus etiam in nomine Senatoris Rectores, sicut idem *Isidorus* tradit in prænominato libro ex verbis *Salustii* dicentis, quòd *Senatores, Patres vocati sunt propter diligentem curam regiminis*. Nam sicut Patres filios, ita illi Remp. gubernabant. *Profectò & Veneti Senatores, quocumque modo accipiantur, non minùs, longè immò magis, quàm Romani proceres, suam paternè Remp. regunt, & dirigunt, ex quorum S. C. ea consequitur dominatus felicitas, vt regentibus omnibus domi, forisque, bello & pace, toga & sago, nedum in exemplum sint sed clarum exemplar. Quòd autem ad eos Romanorum politicum regimen deriuatum sit, tum ex eo deprehenditur, quòd (vt olim illi)* quotidie consulunt 320. consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt, gerant : *tum ex eo quòd osores nouitatum sunt, sicut illi* non audebant aliquam facere nouitatem præter legem conscriptam: *tum etiam ex perpetua ad Sanctam Romanam Sedem deuotione, ac pietate (temporali iam, vt vidimus, Romano Imperio in spirituale commutato.) Id autem vel ex eo, prætercætera, satis liquet, quòd Alexandrum Papam III. ob indebitam Friderici I. Ænobarbi Imperatoris persecutionem, nedum ab Vrbe profugum magnificè suscepere, sed & fusa cum filii captiuitate Imperatoris classe, ad Pontificis obedientiam pace firmata eum reduxerunt : Summum ipsum Hierarcham in Petri solio reponentes, vt fusè apud historicos. Ex quo eruditissimus noster* P. Thomas Campanella *iure meritò* PERPETVOS ECCLESIÆ AVXILIATORES *Venetos appellauit* T. *Quod & præfatus Pontifex Alexander, tum scripto confirmat, vt patet ex eius literis persecutionis tempore ad Iadrensem Archiepiscopum directis : tum personali post scriptum experimento, vt præmisimus, comprobauit. Tenor autem literarum hic est.*

Qui veniant nomine Senatorum.

S *Ibid. cap.* 25. *sub initio.*

Vnde dicantur.

Venetorum commendatio.

Alexander Papa III in Petri solio Venetorum pietate repositus.

T *Campan. Atheism. triumph. c.* 18. *post med.*

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei &c.

Reu. Fratri Eugubino Iadræ Archiepiscopo. Venetia in vnitate Apostolica laudabilis stetit, & fuit Ciuitas refugii Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, qui ex Lombardia, Tuscia, & Marchia à sedibus propriis, instante schismate, illuc diuertere voluerunt. In reformatione verò Ecclesiæ & Imperii qualiter sedem Apostolicam adiuuerint & honorauerint, ad tuam credimus notitiam peruenisse &c.

Nec mirum, cum & ipse Apostolus Petrus MARCVM *singulariter vocauerit* filium suum *in sua prima Epistola cap.* 5. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone (*Roma videlicet, vt exponitur*) collecta, & Marcus filius meus. *Vbi Author*: Specialiter T MARCVS, scilicet Euangelista, *filius meus*, idest quem baptizaui, & instruxi.

T *1.Pet.5.ß. cap. ibi.*

V *Op. de Or. Pr. l.1.c.1.& lib.2.c.6.& 9.*

Terrena potestas propter se non appetenda, sed propter Dei ordinatione suscipienda & populi vtilitatem

1 Cæterùm diligenter V attendendæ sunt conditiones potestatis terrenæ. Ex quibus manifestum erit, quòd ipsa est timenda, & non propter se appetenda; licèt aliquando suscipienda sit propter Dei ordinationem, & populi vtilitatem. Sciendum ergo, quòd potestas terrena, qua homo super alios homines est, non est res naturæ, sed sequela culpæ: multum habet impotentiæ, breuis est duratione. Videtur altitudo esse, & dominium, cum potiùs sit subiectio & ministerium: honor est contemptibilis: multum habet periculi, multum oneris, multum inquietudinis, multum punctionis, & vt frequenter nociua est eam habentibus

Eius conditiones, ne appetatur.

1 Non est res naturæ, sed sequela culpæ

1. Non est res naturæ, sed sequela culpæ; non enim datum est homini ab initio, vt præesset hominibus, sed creaturis irrationalibus, Gen. 1 *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli, & bestiis terræ*. Naturaliter æquitas est inter homines, non prælatio. Vbi enim non delinquimus, pares sumus. Cum prælatio, quam multi appetunt, & subiectio quam multi fugiunt, se comitentur: non est laudabilis appetitus, quo aliquis appetit suam prælationem per aliorum subiectionem, nisi hoc velit propter Dei ordinationem, vel populi vtilitatem. Non est hic appetitus naturalis, nec virtutis, sed vitii, 1. Cor. 13. *Charitas non est ambitiosa*.

2 Multum habet impotentiæ.

2. Multum habet impotentiæ, cum à subditis dependeat; nullius enim valoris est potestas terrena, si desit in subditis obedientia. Arundinea est hæc potestas: exteriùs habet nitorem, interiùs vacuitatem: ad homines habet apparentiam; in ipsis, qui præsunt, non habet existentiam. Baculus arundineus est, secundùm illud Is. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum &c.*

3. Duratione breuis.

3. Duratione est breuis, Eccli. 10. *Omnis potentatus breuis vita. Rex hodie est, & cras morietur*. Quàm parùm durauit Regnum Magni Alexandri! 12. annis dicitur regnasse: & annis numero 5. in pace regnauit.

4. Altitudo videtur, sed locus est infimus.

4. Videtur esse altitudo, sed est locus infimus, tanquam Inferno proximus, & à Cœlo remotus; facilè enim inde ad Infernum descenditur, & difficilè in Cœlum ascenditur. Qui potestatem recipit, sublimari videtur; sæpè tamen deiicitur, secundùm illud Ps. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur*.

5. Dominium videtur esse, sed subiectio est.

5. Dominium esse videtur, cum potiùs sit subiectio. Ministerium potest homo habere in talibus, sed verum dominium illius est, qui ait: *Ego Dominus*, Leu. 15. Cui & Ecclesia dicit: *Tu solus Dominus*. Augustus Cæsar, cum toti mundo præesset, prohibuit, ne aliquis eum Dominum vocaret. Etiam illis seruiunt, quibus dominari videntur, quibus tenentur prouidere. Et quantùm ad hoc, minùs sunt liberi, quàm illi, cum habeant multis seruire, illi verò vni.

6. Honor est contemptibilis.

6. Hæc potestas honor videtur esse contemptibilis, non desiderabilis, quam peccati ignominia introduxit, quam ignominia seruitutis multorum comitatur, qua aliquis ministerium habet in his, quæ Deus non ex corde suo operatur, scilicet in inflictione pœnarum. Viles personæ reputantur, qui sententias iudicum pœnales exequuntur, mutilando homines, vel suspendendo, vel aliter puniendo.

7 Multum habet periculi.

7. Potestas hæc multum habet periculi. Augustinus. *Quantò quis in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur*. Habenti potestatem istam ex omni parte timendum est. Dæmones, qui cælestem altitudinem amiserunt, positis in terrena altitudine inuidentes, eos maximè impugnant, reputantes sibi honorabilius, si eos sibi subiecerint, & scientes, quòd per eos pluribus poterunt dominari. Sicut in Exercitu hostes visibiles ducem Exercitus capere, vel occidere conantur, eo quòd ipso capto, vel occiso, Exercitus dispergatur: sic hostes inuisibiles eum, qui præest, maximè persequuntur; 1. Reg. 31. *Totumque pondus prælii versum est in Saul*.

8 Locus est præceps.

8. Hæc potestas locus est præcipitii, 2. Reg. 1. *Inclyti Israel super montes interfecti sunt: Ionathas in excelsis occisus est*. Status ille periculosus est, & quantùm ad animam, & quantùm ad corpus. Quantùm ad animam, quia difficile est in statu illo cauere à peccato. *Inter Reges Iudæorum, præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam* (quia pœnitentiam egerunt) *omnes peccatum commiserunt*, vt dicitur Eccli. 49. In maiori etiam periculo corporis sunt. Hieronymus: *Altissimi montes crebris fulminibus feriuntur*. Alexander magnus cum dominium Mundi adeptus esset, sumpto veneno vsum linguæ amisit: & mortuus est Iulius Cæsar, postquam Pompeio præualuerat: cum per triennium & menses octo tenuisset imperium, dolo Bruti & Cassii occisus est: (*vt plurimos mittamus*.) Principibus etiam specialiter Deus comminatur, Sap. 7. *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Potentes potenter tormenta patientur. Fortioribus fortior instat cruciatio*. Quia status habentis potestatem, periculosus est, ideò Saluator, *cum vidisset, quòd venturi essent, vt facerent eum regem, fugit in montem solus*, Io. 6. Qui tamen quærentibus se ad mortem se vltrò obtulit.

9. Multum habet oneris.

9. Hæc potestas multum habet oneris: multum enim oneratus est qui vnam Ciuitatem vel Comitatum vel Regnum habet super humeros. De hoc onere conqueritur Moyses, Num. 11. Domino dicens: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Peccata populi principi imputantur, *Num.* 25. Dixit Dominus ad Moysen: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel*. Vbi Glossa: *Hoc si cogitarent homines, principatus non ambirent*.

10. Expunctionis.

10. Multum habet punctionis hæc potestas, & maximè in principibus malis: his enim corona est spinea. Postquàm Saul recessit à Deo, spiritus malus eum exagitabat, *1. Reg.* 16. Ambitio, ambientium crux (*nie bacille*) quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbiùs cruciat.

11. Et inquietudinis.

11. Multum habet status iste inquietudinis: locus enim est ventis expositus, *perflant altissima venti*. Gregorius. *Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis?* Specialiter perflat ibi aquilo juxta verbum Luciferi dominantis, Is. 14. *Sedebo in lateribus Aquilonis*. Fla-

Flatus aquilonis est suggestio diaboli ad discordiam & odium: Sicut flatus Spiritus sancti est exhortatio ad amorem & concordiam. 12. Frequenter hæc potestas nociua est habenti, Eccle. 8. *Interdum dominatur homo homini in malum suum*. Verum honorem ut frequenter hic honor impedit, scilicet statum gratiæ, & gloriæ. Aufert homini etiam seipsum, vt non habeat tempus cogitandi de se, & operandi salutem suam: & cum cætera eum habeant, ipse se non habet. *Bernardus* ad Eugenium Papam: *Cum omnes te habeant, esto etiam te ex habentibus vnus*. Ex quibus patet, quòd potestas temporalis non est propter se appetenda, sed multùm est timenda: locus verò humilis eligendus est, secundùm consilium Saluatoris, dicentis Luc. 14. *Recumbe in nouissimo loco*. Hic locus est congruens homini, qui terra est & cinis. Terræ non congruit esse in alto: cineri etiam non expedit, vt in alto sit, ne dispergatur à ventis.

12. Frequenter nociua est habenti.

m *Sicut autem felix, & diuturnum redditur dominium, quale Romanorum fuisse vidimus, ex tribus præsertim, scilicet* ex dilectione Y Patriæ, pro qua omnia contemnebant: ex rigore iustitiæ, propter quam contra omnem malefactorem & perturbatorem pacis se opponebant: & ex ciuili ipsorum beneuolentia, qua cæteras nationes ad sui amorem trahebant: *Ita* hoc Z quòd regimen aliquod debilitetur priùs, quàm totaliter corrumpatur, potest contingere vel ex defectu præsidentis qui deficit in Sapientia & iustitia; vel ex defectu subditorum, qui non perfectè obediunt. *Siquidem* de facili A regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus eius, cui talis potestas conceditur: quia non est, nisi virtuosi, ferre bonas fortunas, vt Philosophus dicit *in* 10. *Ethic*. Perfecta autem virtus in paucis inuenitur. *Ex defectu verò iustitiæ ex parte præsidentis vt plurimùm regimen corrumpitur: vt enim superiùs præmissum est*, tyrannus B vocatur, nomine à fortitudine deriuato, quia scilicet per potentiam opprimit, non per iustitiam regit. *Hic enim* contempto C communi bono, quærit priuatum, *vt patet in* 3. *Polit.*, *&* 8. *Ethic. Ex parte verò populi, ad debilitandum regimen, vel corrumpendum, est seditio*. Seditio *autem* propriè D est inter partes vnius multitudinis inter se dissentientes, puta cum vna pars Ciuitatis excitatur in tumultum contra aliam, *Ose.* 10. Consurget tumultus in populo tuo: *vel cum populus, aut primores violata fide suo Principi debita, contra ipsum insurgunt: quod est rebellio. Vtrumque enim diuisionem faciens, pacem tollit ciuium, & vnitatem membrorum cum capite dissoluit. Et hoc est, quod ait Dominus Mat.* 12. Omne regnum diuisum contra se desolabitur. *Quia nimirùm* sicut E vita in quolibet homine: ita pax in regno. Et sicut sanitas nihil est, nisi temperantia humorum: sic pax est, cum vnumquodque retinet ordinem suum. Et sicut recedente sanitate, tendit homo ad interitum: sic de pace, si à regno discedit, tendit ad interitum: *(quod aiebat initio Author.)* Vnde vltimum, quod attenditur, est pax. Hinc Philosophus: *Sicut medicus* inquit *ad sanitatem, sic defensor Reipublicæ ad pacem*. Ideò dicit: *Omne regnum diuisum contra se desolabitur*, *Is.* 3. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem; *&* *Ose.* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.

Vnde regiminis felicitas, vel infelicitas. Y Op. 20. l. 3. c. 6. fi. Z Ma. 7. 7. ad 9. A 1. 2. 105. 1. ad 2. B Op. 20. l. 1. c. 1. Tyrannus vnde dicatur. C Ibid. c. 3. & 7. & 2. 2. 42. 2. ad 3. Io. 10. l. 3. lit. c. Hebr. 1. l. 4 ibi, virga. Seditio quid. D 2. 2. 42. 1. c. E Ma. 12. lit. b. ibi. Pax vita regni, qua sublata interitus.

n *Porrò humana omnis potestas, regnum omne atque principatus à Deo est, nec aliunde recognoscendum*, *Prou.* 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. *Ex quo ad Pilatum Dominus dicebat Io.* 19. Non haberes potestatem aduersùm me vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Quasi diceret*: Si F aliquam videaris habere, hanc non habes à te; sed *est tibi data desuper*, id est à Deo, à quo est omnis potestas, Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*. Quicquid enim G communiter de Deo, & creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur, sicut patet de Sapientia, Eccli. 1. *Omnis Sapientia à Domino Deo est*. Potestas autem de Deo, & hominibus dicitur, Iob 36. *Deus potentes non abiicit, cum & ipse sit potens*. Vnde consequens est, quòd omnis humana potestas sit à Deo, Dan. 4. *Scias, quòd dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dat illud*. Sed contra hoc esse videtur quod dicitur Ose. 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui*. Ad quod dicendum, quòd regia potestas, vel cuiuscumque alterius dignitatis potest considerari quantùm ad tria. Vno quidem modo, quantùm ad ipsam potestatem: & sic est à Deo, *per quem reges regnant*. Alio modo potest considerari quantùm ad modum adipiscendi potestatem: & sic quandoque potestas est à Deo, quando scilicet aliquis ordinatè potestatem adipiscitur, secundùm illud Hebr. 5. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Quandoque verò non est à Deo, sed ex peruerso hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo potestatem adipiscitur, Amos 6. *Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Tertio modo potest considerari, quantùm ad vsum ipsius: & sic quandoque est à Deo, puta cum aliquis secundùm præcepta diuinæ iustitiæ vtitur concessa sibi potestate, secundùm illud Prou. 8. cit. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Quandoque autem non est à Deo, puta cum aliqui potestate sibi data vtuntur contra diuinam iustitiam, *secundùm illud Ps.* 2. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: *vt in eius contigit passione*. *Est igitur principatus omnis à Deo; vnde & per Angelos, eius ministros, specialiter dirigitur, quos Principatus vocant*. Hi *enim* sunt H primi in executione diuinorum ministeriorum, vt potè præsidentes gubernationis gentium & regnorum: quod est primum principium in diuinis ministeriis. Nam bonum gentis est diuinius, quàm bonum vnius hominis: vnde dicitur *Dan.* 10. Princeps Regni Persarum restitit mihi. *Hæc compendiosè de Principatu, de quo plura diffusissimè apud Authorem* Op. 20. *per totum*. DISCE, *principatum & principem à Deo regi*. *Vide* Numeris seqq. *&* V. Ambitio *Tomo* 1.

Omnis principatus & potestas à Deo. F Io. 19 l. 2. lit. e ibi Op. 20. lib. 3. c. 8. fi. G Rom. 13. l. 1. ibi. Principum potestas quantùm ad tria consideranda est, nec semper secundùm hæc omnia à Deo. Principatus Angelici præsident prouinciis & regnis. H 1. p. 108. 6 c. In. 2. d. 9. 1. 3. & d. 10. 1. 3. c. & ad 3. Eph. 1. l. 7. Hebr. 1. l. 3. & 6. & 1. Pet. 3 fi. Op. 3. c. 126

XXV. Tria requiruntur, quæ faciunt facilitatem ad dignitatem aliquam ministrandam. Primum est sapientia, ne erret gubernando. Secundum est generis prosapia, ne contemnatur præcipiendo. Tertium est virtutis potentia in exequendo. ***Ad Hebr.* 1. *l.* 2. *initio*.**

Necessarium Principi nosse moderari seipsum, vt alios regat.

I Op. 20. l. 2. c. 15.

o ILlud *in primis ad subditos bene regendos principanti necessarium, vt se ipsum regere nouerit & moderari*. Arduum enim I est valde, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ. *Quòd si Apostolus imparem Ecclesiæ Dei gubernandæ facit*, qui domi suæ præesse nescit: *quantò magis ad principandum, qui sibi vni nescit præesse? Dominari autem propriis sensibus præsertim debet*. Specialiter *quippè* indecens L est ei, qui cæteris dominatur, sensibus suis esse subiectum. Vnde Antigonus Alexandri pedagogus citharam eius fregit; & subiecit, dicens: *Ætati tuæ iam regnare conuenit, pudeatque in corpore regis voluptatem luxuriæ dominari*. Studium M magnum & diligentiam adhibere debet princeps, vt se debito modo regat. Seneca. *Vis habere magnum honorem? Magnum imperium dabo tibi: impera tibi*. Qui baptizantur, cum ad regnum Cælorum eligantur, tripliciter inunguntur, scilicet in vertice, in scapulis, in pectore. In vertice: vt moneantur superiori parti sui, scilicet rationi, principatum, seu dominium seruare. Si corpus dominium habet in homine, magna est inordinatio. Simile est, sicut in corpore humano pedes essent in superiori parte, & caput in inferiori. Item inunguntur in Scapulis: vt moneantur mansuetè portare onus præceptorum diuinorum. Inunguntur & in pectore, vt moneantur ad proximum viscera pietatis habere. In principe valdè indecens est, si seruituti vitiorum se subijciat, si Deo superiori suo non obediat, si ad proximum impiè se habeat. *Idcircò* cum N non sufficiat homo solus ad proprias actiones, oportet, quòd principes in multis deficiant: quia tales actiones, quæ sunt populum gubernare, iudicare, ac vnicuique suorum subditorum secundùm merita prouidere, transcendunt virtutem naturæ: propter quod dicitur, quòd est ars artium regimen animarum. Vnde impossibile est, Reges & Principes non errare propter dictam causam, nisi ad illum, qui omnia gubernat, & omnium est Conditor, se conuertant: secundùm quam causam, Sauli assumpto, & inuncto in Regem, per Samuelem præcipitur, quòd ascenderet ad cuneum prophetarum, vt ibidem per eleuationem mentis prophetando cum eis, circa populum gubernandum ex diuina influentia haberet notitiam agendorum: quod & factum fuit, vt patet 1. *Reg.* 10. Et propter hanc causam dicitur *Eccli.* 49. de regibus Israelitici populi, quòd *præter Dauid & Ezechiam, & Iosiam*, qui fuerunt viri spirituales, & à Deo illuminati, *omnes peccatum commiserunt*. *Sanè propter bene regendi arduitatem regentibus à diuina prouidentia consultum est, vt non ab vno, sed à duobus Angelis dirigantur*. Homo O in prælatione constitutus, illuminatur ab Angelo inferioris ordinis de his, quæ ad statum personæ suæ pertinent: sed ab Angelo Principe de his, quæ spectant ad regimen multitudinis.

L Op. de er. Prin. l. 1. c. 10.

Antigoni dictum ad Alexandrum.

M Eod. Op. l. 3. c. 10.

N Op. 20. l. 2. c. 15.

Alios benè regere, ars artium est.

A Deo bonum regimen implorandú.

Propter benè regendi arduitatem principes à duobus Angelis custodiuntur.

O 2. d. 11. 1. 2. ad 4. & 1. p. 113. 2. ad 1. & a. 3 c

p *Nec tamen benè unquam reget Princeps, nisi à Deo Dominium recognoscat, per quem reges regnant. Quam quidem regnitionem adipiscetur, si aduerterit*, quòd nec P in rebus, quæ reputantur nostræ, habeamus dominium, sed ministerium. Vnde multùm cauendum est principi, ne à ministerio transire velit ad dominium; & ne in illis, in quibus debuit habere respectum ad Dei voluntatem, & eius gloriam quærere, sequatur propriam voluntatem, & quærat gloriam propriam. De hoc punitus est Nabuchodonosor, quia à ministerio Regni transierat ad Dominium, reputans se Dominum regni sui, Dan. 4. *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum, quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud*. Quòd autem verum dominium solius Dei sit, apparet ex hoc, quod toties habetur in lege veteri: *Ego Dominus*; & ex hoc, quod Ecclesia dicit Christo: *Tu solus Dominus*. Hoc videtur intellexisse Gedeon *Iudic.* 8. qui, cum diceretur ei à filijs Israel: *Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui*, respondit: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Idem videtur intellexisse Cæsar Augustus, qui cum imperaret toti Mundo, prohibuit tamen, ne aliquis vocaret eum Dominum. Et sicut multùm displicet Deo vsurpatio dominij: sic multùm placet ei intellectus ministerij, iuxta illud Prou. 14. *Acceptus est Regi minister intelligens*: intelligens inquam, se tantùm ministrum esse Regis æterni. *Igitur non de propria in regendo glorietur princeps virtute, quæ summè tota à Deo est*. Vnde Q Isai. cap. 10. cum præmisisset: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea &c.* statim subdit: *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit*, quasi sic agat vt Dei instrumentum: *sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Dicet enim: Nunquid non principes mei simul reges sunt?* attribuens videlicet suæ virtuti, & non Dei, qui mouet ipsum ad puniendum transgressores diuinorum mandatorum. Hanc autem ingratitudinem ad præsumptionem tyrannorum, Dominus statim redarguit, & grauissimè punit. Vnde subdit Propheta in eodem loco: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est?* Vbi consideranda est similitudo, quia valde congrua est. Sic enim se habet virtus dominantis ad Deum, sicut virtus baculi ad percutientem, & sicut virtus serræ ad artificem. Constat autem, quòd virtus serræ, vel securis in artificio nulla est, nisi per artificem mouentem, & dirigentem: Ita & de virtute dominantis contingit, quòd nulla est sine Deo mouente & gubernante. Ergo stultum & præsumptuosum est gloriari de sua virtute. Ista autem ratio satis aperta esse videtur: quia virtus cuiuslibet mobilis à virtute dependet primi mouentis, & eius instrumentum erit. Et hinc est, quòd talis gloria est duplicibilis, quia tales derogant diuinæ potentiæ. Propter quod scribitur Iudith. 6., quòd

Princeps Deo dominium recognoscat, tamquam principatus minister, non Dominus.

P De er. Pr. l. 2. c. 2. Dan. 4. 5. Et sequitur quarta pars.

Nabuchodonosor.

Gedeon.

Cæsar Augustus.

Q Op. 20. l. 3. c. 8.

Magna in Principe præsumptio est, de sua virtute gloriari, & non Dei.

6., quòd *presumentes de se, & de sua virtute glorianses Deus humiliat*. Et ideò subiungit dictus Propheta Isaias: *Propter hoc mittet dominator Dominus exercitum in pinguibus eius tenuitatem; & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis*. In quo significatur pœna sentibilis, quæ talibus infertur tyrannis, & annihilatio principatus. Relinquitur ergo, à Deo omne esse dominium, siue legitimum, siuè tyrannicum, secundùm varias vias suæ inuestigabilis prouidentiæ.

Princeps humilis esto, vt prosperetur in dominio.
R Ibid.c.14.

q *Ex quo eorum Deo humiliet se Princeps, vt eius prosperetur dominium. Et hac quidem humilitas in ipso Christi satis apparet dominatu*. In sua enim infantia R plus apparuit virtutis & potentiæ prætendentis excellentiam sui dominij, quàm in adulta ætate, ad docendum in principibus humilitatem, per quam quis redditur in regimine gratiosus, quia humilitas meretur gratiam, iuxta illud: *Humilem spiritum suscipiet gloria*. Et Iac.4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sed tantò amplius in principe est necessaria, quantò per eminentiam sui status, dentibus inuidiæ, superiorem non patientis, laceratur. Quod considerans Dauid Rex, fastuosæ Regis filiæ, videlicet Michol, insultanti, & dicenti, quòd coram ancillis suis se discooperuisset, ad Dei laudem, & reuerentiam diuinæ Arcæ, quæ tunc pro Numine habebatur, hoc responsum dedit, vt patet 2 Reg. 6. *Ante Dominum* inquit, *qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi, vt essem Dux super populum Domini in Israel, & ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis*. Quam regulam Christus seruare voluit in se ipso secundùm voluntatem Dei Patris, per prophetam Zachariam pronunciatam, quam Euangelista Matthæus in Christo adimpletam esse pronunciat cap.21. Ecce inquit Rex tuus, venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. *Superbis ex opposito principibus exitium imminet dominii*. Vt S principes superbiam caueant, vult Dominus, vt ruinam superbi Angeli attendant. Vnde Ezech. 28. *Cherub, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te, vt cernerent te*. Et quibusdem interpositis, subditur: *Nihili factus es, & non eris in perpetuum*. Attendere etiam debent principes ad illos Reges, qui propter superbiam suam sunt deiecti: Saul humilis in Regem est sublimatus: superbus verò à Regno est deiectus. Ait enim ei Samuel 1. Reg. 15. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Et quibusdam interpositis, subditur: *Pro eo, quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus: ne sis Rex*. De Ozia legitur 2.Par. 26., quòd *cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum*: & volens vsurpare officium sacerdotale, percussus est lepram: & fuit leprosus omnibus diebus vitæ suæ, Et Dan.4. sic legitur: *Nabuchodonosor Rex in aula Babylonis deambulabat, & ait: Non ne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Cumque sermo ad huc esset in ore Regis, vox de Cælo ruit: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te &c.* Et cap. 5. *Quando eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio Regni sui, & gloria eius ablata est*. Et Is.37 dicit Dominus Senacherib: *Superbia tua ascendit in aures meas &c.* & subditur de eius deiectione: *Egressus est Angelus Domini, & percussit in Castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et reuersus est Sennacherib Rex Assyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch Deum suum, filii eius percusserunt eum gladio*, Eccli. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit Deus*. Non debet se reputare meliorem his, quibus præest, nec eos despicere. Etsi caput corpore humano sit altius, corpus tamen est maius. Corpus regitur à capite, sed caput portatur à corpore. Non minùs indiget caput corpore, quàm corpus capite. Caput habet a corpore, quòd sit in alto, corpore subiecto, quod quantum est in se, esset in imo. Sic princeps à subditis habet potestatem, & quòd in alto sit: & cum eos despicit, aliquando potestatem, & altitudinem suam amittit: sicut accidit Roboam filio Salomonis stulto, & superbo 3 Reg. 12. vbi legitur, dixisse Roboam populo: *Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus* (scorpio dicitur rubus aculeatus, vel flagellum virgarum nodosum:) propter hoc amisit maiorem partem Regni. Specialiter odium habet Deus ad superbiam quæ eum primò inhonorauit. Multùm comminatur Deus in Sacra Scriptura superbiæ eorum, qui præsunt Is. 28. *Væ coronæ Superbiæ*. Et iterum: *Pedibus conculcabitur corona Superbiæ*. Abd. 1 *Si exaltatus fueris vt Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum; inde detraham te, dicit Dominus*. Iob 20. *Si ascenderit vsque ad Cœlum Superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur*. Super omnia eos, qui præsunt, debet ad humilitatem inducere Christi humilitas (qui regum est Rex & Caput Ecclesiæ) qui humillimus fuit. Magna peruersitas & deformitas est, quòd aliquod membrum corporis altius sit capite. Indecens est valde, quòd Rege sedente ad terram, seruus sedeant in alto. *Augustinus* ad illud Philip. 2. *Humiliauit semetipsum &c.* Ecce habemus inquit humilitatis exemplum superbiæ medicamentum. Princeps tuus humilis est, & tu superbus? Caput est humile, & membrum superbum? Licet hominibus cunctis medicina tumoris sit humilitas Christi; specialiter tamen his, qui præsunt, Is. 64. *Vtinam dirumperes Cœlos, & descenderes: à facie tua montes defluerent*; idest, principes humiliarentur. Peruersitas magna est, quòd superbiat qui habet solum ministerium. (*Cum esse sis ministri Regni illius &c. Sap. 6.*) cum humilitati videat eum, qui habet dominium.

S Op. de er. Pr.l.1.c.6.& l.3.c.6.7.8.9. & l.6.c.8.& l.7.c.4.

Superbo exitium imminet dominij. Exẽplo sunt Saul, Ozias, Nabuchodonosor, & Sennacherib.

Roboam.

Superbiam principũ specialiter odit Deus.

Christus principibus humilitatis exẽplar.

r *Humilietur ergo Princeps coram Deo, à quo solo dominium recognoscens, modum etiam regendi ab ipso dumtaxat imploret*. Vox enim Euangelica T dicit: *Sine me nihil potestis facere*. Sed & Philosophus in 12. *Metaph.* dicit, quòd Motor primus, siue causa prima, quod est Deus, mouet alia, sicut desideratum, hoc est ratione finis, qui est ipse. De quo & Propheta Dauid in *Psalm.* 71. (licèt secundùm Sacros DD. adaptetur ad Christum Regem nostrum) *Deus* inquit *iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam*. Quæ quidem omnia deprecatiua sunt regis, & cuiuslibet Domini ad Deum pro bono regimine populi, ad quod principaliter conari debent. Et quia mentem sic dispositam habent ad diuinam influentiam recipiendam pro salute subditorum, statim subditur: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*. Immutat enim *solus Deus* cor principum populi terræ, & decipit eos,

Humilietur princeps corã Deo, à quo tota directio regiminis.
T Op.20.l.3.c.3.

Cor Principis in manu Domini.
V Iob. 12. l. 2. ibi.

eos, vt frustrà incedant per inuium, *vt dicitur Iob 12. Immutat inquam cor* quantùm scilicet V ad voluntatem; vnde & Prou. 21. dicitur: *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Et licèt omnium hominum Deus incline voluntates: tamen specialis mentio fit de regibus & principibus, quia eorum voluntates maius pondus habent, vt pote quorum voluntates multi sequuntur. Quantùm verò ad intellectum, subiungit: *& decipit eos.* Quod quidem dicitur, non quòd in falsitatem eos inducat; sed quia lumen suum eis subtrahit, ne veritatem cognoscant, & eorum rationem obnubilat, ne ad mala quæ proponunt, consequenda vias idoneas inuenire possint; vnde sequitur: *vt frustra incedant per inuium,* idest vt procedant per vias non conuenientes, quibus ad finem suum peruenire non possint. *Proinde à solo Deo omne consilium in regendo, totam immò directionem dominii humiliter imploret; impetratam verò recognoscat, ne in pœnam flagelletur, vt contigit Ezechiæ:* Mortalem enim infirmitatem X incurrit propter ingratitudinem; quia post tantam victoriam (*de Sennacherib*) Canticum gratiarum actionis non composuit, sicut moris erat.

Flagellatur, qui à Deo nō recognoscit.
X Is. 38. init.

Cum autem Deus sit vltimus omnium finis, quæcumque agit Princeps, in eum dirigat oportet, vt optimè regat. Et primò quidem, vt ea qua par est veneratione colatur, ad cultum Y diuinum reges & principes studere debent toto conatu & solicitudine, sicut ad finem debitum. Et quamuis iste finis omnibus sit necessarius: regi tamen magis competit, & huius rei est magis debitor propter tria, quæ sunt in ipso: quia videlicet homo, & quia Dominus, & quia Rex. Quamuis enim vt homo, quilibet ad hoc sit obligatus, plùs tamen Princeps, etiam sicut priuata persona, in quantùm plus participat de nobilitate humanæ naturæ ratione sui generis; vnde trahit originem, & inde nobilitatem, vt Philosophus probat in sua Rheth.

In Deum dirigat quęcūq; facit.
Y Op. 20. l. 2. c. 16.
Ad diuinum potissimè cultum solicitè intendat, & hoc ex triplici capite.

Qua consideratione motus Cæsar Augustus, qui & Octauianus (vt historiæ tradunt) diuinos honores non sustinens, qui eidem exhibebantur à P. R. propter corporis eius pulchritudinem, & animi probitatem, suum Creatorem & Factorem quæsiuit à Sybilla Tiburtina: quem & inuenit, & adorauit. Ampliùs autem, in quantùm Dominus, quia *non est potestas, nisi à Deo,* vt Apostolus dicit *Rom.* 13. vnde & vices Dei gerit in terris, propter quod tota virtus dominij ex Deo dependet. Non solùm autem, sicut homo & Dominus; ad diuinum obligatur cultum, sed etiam sicut & Rex: quia reges inunguntur oleo consecrato, vt patet de regibus Israelitici populi, qui oleo sancto inungebantur manibus prophetarum: vnde & *Christi Domini* vocabantur propter excellentiam virtutis, & gratiæ in coniunctione ad Deum, quibus præditi esse debebant. In quantùm igitur figuram gerunt in hac vnctione illius, qui est *Rex regum & Dominus dominantium* (vt dicitur *Apoc.* 19.) qui est Christus Dominus noster, debitores sunt reges ad ipsum imitandum, vt sit debita proportio figuræ ad figuratum, vmbræ ad corpus, in quo verus, ac perfectus cultus diuinus includitur. Patet igitur, quàm necessarium sit cuilibet Domino, vt sit Deo deuotus, & reuerens, sed præcipuè regi ad conseruationem sui regiminis.

Octauianus Augustus.

Cuius exemplum trahimus quidem à primo Vrbis Rege, videlicet Romulo, vt historiæ tradunt. Hic enim in primordio sui regiminis in Vrbe Romana fabricauit asylum, quod *Templum pacis* nominabant, multis amplians gratijs, pro cuius numine & reuerentia omnem sceleratum, qui ad ipsum confugeret, cuiuscumque status esset, reddebat immunem. *Tunc verò Deus ritè colitur, si ex corde diligatur. Inter signa autem, quibus perpenditur, quod Deus à principe ametur, vnum est* Z *amor* Sacrorum locorum, cum scilicet libenter est in Domo Dei, & immunitates loci sacri seruat, & facit seruari.

Romulus
Templum pacis.

Z Op. dei Pr. l. 2. c. 11.
Immunitatem seruet princeps Sacrorum locorum.

Luc. 2. dicitur de Anna, quòd *non discedebat de Templo,* quæ meruit interesse præsentationi diuinæ in Templo. Et Christus Dominus, cum esset duodecim annorum, inuentus est in Templo cum Matri suæ, & Ioseph ait Luc. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Et super illud Mat. 21. *Intrauit Iesus in Templum Dei,* sic habetur: *Ingressus vrbem, primò Templum adiit, dans formam religionis, vt quocumque iuimus, primò domum orationis, si ibi est, adeamus, secundùm illud Mat. 6.* Quærite primùm Regnum Dei &c. Vt autem princeps immunitatem Sacrorum locorum custodiat & custodiri faciat, attendere debet quod habetur 2. *Mach.* 3. de Heliodoro, qui locum Sacrum volebat spoliare pecunijs ibi commodatis. Sicut enim ibi legitur: *Apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea (vt scilicet* per quæ peccabat, torqueretur.) *Alii etiam apparuerunt duo iuuenes, qui circumsteterunt eum. & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, atque in sella gestatoria positum eiecerunt, & iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus.* Sed postea precibus Oniæ Pontificis vita ei donata est (*vt ibidem subijcitur.*)

Heliodori punitio.

Item cum Pompeius venisset Ierosolymam, irruentes Romani profanauerunt Templum, & equos in porticibus stabulauerunt. Ob quam rem Pompeius creditur de cætero nunquam pugnasse, quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortunatissimus. *Precibus inquam Oniæ Pontificis Vita Heliodoro donata est: vt hinc noscrint Principes, quanti faciat Deus Sacros Ministros suos. Si enim materiale Templum præcipit honorari, quantò magis Sacros Templi Ministros?*

Magnus Pompeius.
Sacros Ministros princeps honoret.

Hinc magnus A Alexander vadens in Iudæam cum proposito destruendi regionem, cum appropinquanti Ierusalem ei irato in albis Summus Pontifex occurrisset cum ministris Templi, mansuefactus, & de equo descendens, ipse eum vice Dei reueritus est, & ingressus Templum, maximis honorauit donis, & gentem totam pro diuina reuerentia libertate donauit.

A Op. 20. l. 2. c. 16. Op. de reg. Pr. l. 2. c. 2. f.
Alexander Macedo.

Monetur ad hoc Princeps Eccli. 7. his verbis: In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua: & *post Deum super omnes* honorifica Sacerdotes. *Et Ps.* 104. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. *Cui adsonet illud Zach.* 2. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Enimuerò* incitare B debet principem ad amorem cleri amor, quem in corpore humano videmus inter manum, & oculum. Si enim oculo immineat periculum, manus se opponit, oculum protegens, & ictum suscipiens. Secundò hoc, quòd Deus reputat sibi fieri quod ministris eius exhibetur. Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Tertiò hoc, quòd patentes sunt spirituales, quibus honor & amor debetur. Quartò hoc, quòd ministrant nobis spiritualia, & ideò meritò debentur eis temporalia, Mat. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Et 1. Tim. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Duplici honore sunt digni qui bene viuunt, & bene præsunt. Digni sunt honore sublimi, & terreno honore. *Sublimi,* vt eis obediatur: *terreno,* vt eis necessaria ministrentur.

B Op. de reg. Pr. l. 2. c. 12. f.

f Hæc

f *Hac verò præstare Principes debent ex Dei amore quidem, sed vlteriùs ex timore*: Initium *enim* Sapientiæ timor Domini, *Ps.* 110. *Nec sine vtilitate, & in regimine prouentu*: *nam* Oculi Domini *Ps.* 32. super metuentes eum, *vt semper custodiat: & iterùm, vt vota promptus exaudiat*, *Ps.* 44. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. *Sanè*, cum sciant C principes se districtissimè, seu durissimè iudicandos, iudicium diuinum ante oculos mentis quasi continuè debent habere, & iudicio proprio illud præuenire. Scriptum est enim 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*. Et licèt D diuinum iudicium timendum sit omni homini, tamen timendum est maximè principi, Sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet*, scilicet propter iudicis infallibilitatem, sententiæ irreuocabilitatem, pœnæ quæ infertur grauitatem. Et primò quidem, quia iudicando peccauerunt: & *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sap. 11. Secundò propter adnexam superbiam, quam solet habere potestas iudiciaria, Ps. 30. *Retribuet abundanter facientibus superbiam*. Tertiò quia grauius erit illis iudicari, qui iudicare consueuerunt: sicut grauius est pauperem esse illi, qui fuit diues. Quartò quia iudicabuntur pro se, & pro alijs, Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Quintò quia iudicium Domini est: ideò multùm displicet ei, quando ille, qui locum Dei tenet, & qui operari debuit vt Deus, operatur vt diabolus. Vnde Iosaphat loquens iudicibus 2. *Par.* 19. Videte *ait* quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. *Fides insuper & Spes in Deum, atque fiducia potissimùm principi necessaria*. *Et quidem* multùm E displicet incredulitas Deo in principe, qui locum eius tenet. De hac puniti sunt Moyses & Aaron, qui Synagogæ præfuerunt, Num. 20. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Et iterùm: *Non intrabit Aaron terram, quam dedi filiis Israel, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis*, Eccli. 16. *In gente incredibili exardescet ira*. Fides in bello corporali, & spirituali triumphare facit homines, etiam dæmones vincens, Hebr. 11. *Fide muri Iericho corruerunt*. Fides à Deo fortitudinem recipit, 2. Par. 16. *Oculi Domini præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum*. Et cap. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis*. Fides à periculis eripit, iuxta illud 1. Mach. 2. *Ananias & Azarias, & Misael credentes, liberati sunt de flamma*. Sicut autem Fides bello corporali triumphare facit, secundùm illud Ios. 1. *Confortare & esto robustus: noli metuere & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris*: (*&* 2. *Par.* 20. *cit.* Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei (*specialiter contra infideles*.) Sic defectus fidei facit hominem vinci, iuxta illud Eccli. 2. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo; & ideò non protegentur ab eo*. Etiam fides informis facit triumphare, sicut accidit Alexandro, cui per somnium Deus apparuit in habitu summi Sacerdotis, dum adhuc ipse in Lycia Ciuitate Macedoniæ esset constitutus; dumque cogitaret, vtrùm Asiam posset obtinere, iussit eum confidere: nam ipse exercitum eius perduceret, & principatum Persarum ei traderet. Qui promissioni eius credidit, & secundùm fidem suam factum est ei. Quid facturus est Deus pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infideli? (*Vide Tomo* 2. *V.* Fides infusa.) *Sed &* Principi F maximè necessaria est spes, tanquam illi, qui ea facturus est, ad quæ omninò ex se insufficiens est. Negocium Principis, qui locum Dei tenet, & voluntatem eius facere intendit, & gloriam ipsius quærit, supra vires hominis est. Vnde oportet infirmitati humanæ Dei omnipotentiam associari, vt negocium valeat implere, spe firma innitendo Deo, Ps. 25. *In Domino sperans* (aiebat pius Dauid Rex) *non infirmabor*. Tria autem requiruntur ad hoc, quòd infirmitati principis Dei omnipotentia associetur, scilicet excellens status principis, insufficientia hominis, grauitas oneris. Princeps diuina habet agere, ideò diuina potestate indiget adiutrice. Insufficientia hominis valdè magna est: insufficiens enim est ad subsistendum, & ad benè viuendum. Ad subsistendum tripliciter est insufficiens. Primò quia sicut ex nihilo est, ita in nihilum *ex Augustino* redigeretur, nisi à Deo in esse conseruaretur. Secundò est insufficiens ad defendendum se ab hostibus suis: à dæmonibus enim valdè citò perimeretur, nisi à Deo defenderetur, Thren. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*. Tertiò insufficiens est ad subsistendum, quia cibo indiget sustentari; aliter sine cibo deficeret. Tripliciter etiam est homo insufficiens ad benè viuendum. Primò quia non sufficit bonam vitam inchoare, Secundò quia non sufficit in ea proficere. Tertiò quia non sufficit in ea perseuerare. Potest se homo occidere peccando, sed non potest seipsum suscitare, Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam*, Ose. 13. *Perditio tua Israel; tantummodò in me auxilium tuum*. Insufficiens est in bono inchoato proficere; vnde *Bernardus* super illud Cant. 1. *Trahe me post te*, dicit in persona Ecclesiæ: *Domine, scio me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te; sed nec hoc quidem, nisi adiuuante te; ideò precor, vt tu trahas me post te: beatus* siquidem, *cuius est auxilium abs te*. Item insufficiens est in bono inchoato perseuerare. *Gregorius*. Citò bonum amittitur, nisi à largiente custodiatur. *Grauitas etiam oneris importabilis est*: onus enim importabile est homini, habere super se populum vnius Ducatus vel Regni. De quo conqueritur Moyses *Num.* 11. *dicens Domino*: Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? *Idcircò, nisi Deus onus alleuiet, humanis redditur viribus intolerandus principatus*.

t *Quoniam verò quicquid habet homo in bona sui ipsius directione, quicquid habet princeps in bono regimine subditorum, ex Dei prouenit bonitate & amore: idcircò vt benè populos regat, amore potiùs dirigat, quàm timore*. Princeps G qui locum Dei tenet, & eum imitari debet, magis appetere debet à subditis amari, quàm timeri. *Hoc enim modo & ipse Rex regum Dominus principatur: ex quo omnibus desiderabilis dicitur à Dionysio* de Diuin. Nom. *Vbi Author*: Contingit H aliquem *inquit* aliquibus principari dupliciter. *Vno modo* per modum timoris: & iste modus principandi non est efficax ad subditos tenendum: qui enim contra propriam voluntatem subduntur, & qui timore seruiunt, data opportunitate, seruitutis iugum excutiunt. *Alio modo* per modum amoris: & hic modus principandi est efficax ad tenendum subditos, qui voluntariè subduntur. Et hunc modum principandi Deo attribuit *Dionysius* cum dicit, *omnibus deside-*

Margin notes:

Deum timeat, & iudicium eius.

C Ibid. l. 6. c. 7.

D Op. de er. Pr. l. 2. c. 9. & l. & toto cit.

Monitum ad Iudices:

E Eod Op. l. 2. c. 2. & 3.

Fides & Spes atque fiducia in Deum, principi necessariæ,

Magnus Alexander.

F Ibid. c. 6. 7. 8.

Per spem in Deum Omnipotentia Dei humanæ principis infirmitati ad benè regendum associanda.

Princeps multipliciter insufficiens ad regendum, nisi à Deo adiuuetur.

Studeat in regimine plùs amari à subditis, quàm timeri.

G Op. de er. Pr. l. 6. c. 7. in ine.

H De Diu. Nom. c. 10. lect. 1. ibi.

desideraueris &c. Aliàs princeps degenerat in tyrannum. Hunc autem populi amorem in Principem summè virtus conciliat, humilitatis præsertim, & charitatis, quibus claruit Christus Dominus Dominantium: quamuis enim adoraretur l a Magis, glorificaretur ab Angelis in signum vniuersalis sui dominij: humili tamen loco iacuit natus, vilibus inuolutus pannis. Qua quidem via homines meliùs ad virtutem trahuntur, quam armorum vi. Et hoc quidem intendebat, licèt sæpius sua vteretur potentia vt verus Dominus. In humilitate ergo vixit, & demum in Augusto substituit, *vt describeretur vniuersus Orbis* in ortu Domini, vt *Lucas* Euangelista testatur. Et in hac descriptione soluebatur census, siue tributum, vt historiæ tradunt, in recognitionem debitæ seruitutis; non sine mysterio, quia ille natus erat, qui verus erat Mundi Dominus & Monarcha, cuius vices gerebat Augustus, licèt non intelligens, sed nutu Dei, sicut Caiphas, prophetauit. Vnde hoc instinctu dictus Cæsar mandauit tunc temporis, vt narrant historiæ, ne quis de P. R. Dominum ipsum vocaret. Quas quidem vices Monarchiæ post Christi veri Domini Natiuitatem gessit Augustus 14. annos, toto Orbe terrarum subacto: quia vt acta principum Romanorum describunt, dictus Cæsar Augustus 50. annos & menses sex tenuit principatum. *Vide quàm feliciter principis vigeat principatus virtuosi! Ex opposito vitiis obnoxius, dominii infeliciter amittit prosperitatem. Quod præ cæteris* accidit L de Saule, de quo 1. *Reg.* 9. scribitur, quòd in tota tribu Beniamin *non erat vir melior illo*; sed post duos annos a suo regimine factus est Deo inobediens: vnde dictum est prophetæ Samueli de ipso: *Vsquequò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel?* Quasi ex diuina sententia irrefragabili sit repulsus. Propter quod vltimo fuit occisus cum filijs, totaque eius progenies à dominio est auulsa. Vnde 1. *Paral.* 10. de ipso concluditur: *Mortuus est Saul propter iniquitates suas.* Hoc autem & de Salomone accidit, qui magnificatus est super omnes reges, qui fuerant ante eum, vt scribitur in Ecclesiaste, & vniuersa terra desiderabat audire sapientiam eius. Sed vt dicit *Augustinus* 17. *de Ciu. Dei*, secundæ res prædicto regi fuerunt noxiæ, quia lapsus in luxuriam, tandem in idololatriam, ex quo factus est abominabilis populo, ita tantùm vt serui eius rebellarent ei, diripientes spolia suæ regionis, & vastantes terram absque resistentia aliqua: cum tamen priùs omnes obedirent ad nutum, sicut testatur Regina Saba 3. *Reg.* 10. Ad magna igitur promotus in principio sui regiminis, propter diuinam reuerentiam, quam exhibuit, in fine sui regiminis decidit in villa, propter delicta, quæ commisit: quia *miseros facit populos peccatum.* (Tradunt tamen Hebræi, vt *Hieronymus* refert in commentario super Ecclesiaste, quòd in fine vitæ suæ, ex multis vexatus, suum recognouit errorem, seque disposuit ad pœnitentiam de commissis, librumque præfatum composuit: in quo, sicut expertus, cuncta diffinit vanitati subiacere, subijciens se diuino timori ad suorum obseruantiam mandatorum. Vnde in fine prædicti libri concludit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.*) Sed & præter reges Deicolas, quid de principibus Ethnicis dicam? Qui quandiu fuerunt Deo grati, virtutumque cultores, floruerunt in Dominio: cum verò ex elatione dominij ad contrarium se conuerterunt, mala morte vitam finierunt: sicut contigit de Cyro Rege, Persarum Monarcha. Sic enim eius castra Tomyris Scytharum Regina impetu armorum absorbuit, quòd ducenta millia

O Op. 20. l. 2c. 13.

Exemplo Dei & Christi.

Diuturnum & prosperum virtuosi principis regimen L Ib. cap. 8.

Infelix vitijs obnoxij. Saul.

Salomon.

An hic in fine vitæ pœnituerit.

Cyrus.

Tomyris.

fuerunt occisa præfati principis, & ipse captus; cui amputato capite, regina ipsum in vtre sanguine pleno mandauit includi, & sic inuectiuè acclamabat eidem: *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe.* Quasi ipsa mors ignominiosa, quam passus est, fuerit argumentum suæ atrocitatis. Omnes etiam Monarchiæ ipsum sequentes, vt in Græcia Magnus Alexander, quandiu cum reuerentia suos tractauit Macedones, vocans milites suos *Patres*, tanquam antiquiores, optimè processit in Monarchia. Sed eisdem existens ingratus, à sorore venenatus est, & præcipuè, quia post victoriam Darij accepta filia in coniugem, militaria cœpit postponere, luxui vitæ intendens, & sui immemor factus, dolorosa morte vitam finiuit. Et sic de multis alijs principibus ethnicis exemplum potest adduci, vt de Iulio Cæsare, & Annibale, qui propter abusum Dominij diro necati sunt exitu, vt eis conueniat quod *Eccle.* 8. scribitur: *Interdum dominatur homo homini in malum suum.*

u *Immunitatem porrò à vitiis omnibus, principibus præstat Sapientia; non terrena & animalis, vt dicitur Iac. 3. sed cælestis, de qua Sap. 6.* Si delectamini Sedibus & Sceptris, ò Reges populi, diligite Sapientiam, vt in perpetuum regnetis. *Et iterum:* Rex sapiens stabilimentum populi est. *Vnde & sapiens ibid. c. 8. dicebat:* Præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: *hæc enim præsidere debet in principe, vt aliis benè præsideat & pace & bello, Eccle. 9.* Melior est sapientia, quàm arma bellica: *& Sap. 6.* Melior est sapientia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis. *Hæc autem sapientia per meditationem & impletionem diuinæ legis potissimè acquiritur. Et hoc:* quia M potestatem habens, tenet locum Dei, & vices Dei debet agere, & secundùm ipsius voluntatem populum regere, quæ per legem ipsius ei indicatur. Ideò præcepit Dominus Deut. 17. *Postquam sederit Rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, & habebit secum, leget; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt sciat timere Dominum Deum suum, & custodire quæ in lege præcepta sunt.* Item, cum Dominus commisisset regnum populi Iosue, dixit illi Ios. 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Rex secundùm cor Dei, scilicet Dauid, de quo Dominus ait: *Inueni Dauid filium Iesse virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, Act. 13. valdè magnum amorem ad legem Dei habuit, vt patet ex multis verbis ipsius. *Ps.* 118. *Quomodo ait dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea est.* Item: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.* Iosias etiam, rex bonæ memoriæ, magnum amorem ad legem Dei habuit. Cum enim lectus fuisset ei liber Deuteronomij, & audisset maledictiones scriptas in eo in transgressores legis, sciens populum transgressum fuisse legem, multùm fuit iratus, & scidit vestimenta sua, & misit in omnem prouinciam, & congregauit omnem populum in Ierusalem: & stans supra gradus, legit cunctis audientibus omnia verba libri, & percussit fœdus coram Domino, & compulit omnes sacramenta præstare, vt leges Moysi per omnia custodirent, & deleuit quæ ad cultum idololatriæ pertinebant. Legitur etiam de Ptolemæo Philadelpho Rege Ægypti, qui erat infidelis, quòd cum nunciatum esset sibi, apud Iudæos esse legem ore ipsius Dei editam, & digito eius scriptam, voluit eam habere: & petijt ab Eleazaro Pontifice Iudæorum, vt mitteret sibi Iudæos Hebrææ & Grææ linguæ peritos cum lege Dei, qui ad eam transferendam sufficerent. Et misit ei Eleazarus 72. Interpretes,

Alexander

Cæsar & Annibal.

Sapientia vera, quæ diuinæ legis impletione acquiritur, principi necessaria.

M Op. de R. Pr. l. 3. c. 2.

Qualis in Dauid.

Et Josia.

Ptolemæus Philadelphus

70. Interpretes.

qui legem ei transtulerunt, & sciscitatus est ab eis præcipuè de duobus, de cognitione scilicet Dei, & Regni gubernatione. Si amorem habuit Ptolemæus ad legem veterem, & voluit eam habere: verisimile est, quòd magnum amorem habuisset ad legem clementiæ, scilicet ad Euangelium, si tradita esset, & hoc ei innotuisset. Hanc multùm desiderabat Iob, cum diceret cap. 31. *Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi? (En vera Principis corona, lex Dei nimirùm in capite eius.)* Si lucratus est Princeps scripturam salubrem, libenter debet legere: si non, prædicationem libenter debet audire. In quo quidem Principes aliqui reprehensibiles sunt, qui raro, vel nunquam prædicationem audire volunt. Quantùm ad illos impleta est in Ecclesia prophetia illa Isaiæ cap. 5. *Nobiles eius interierunt fame*; & Ps. 106. *Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit*. Debet Princeps, si potest, procurare, vt secum habeat sapientes, quorum sapientia & doctrina proficiat, Prou. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit*; & Ps. 2. *Erudimini qui iudicatis terram*. Leguntur magni Principes magistros habuisse, vt Alexander magnus Aristotelem, Nero Imperator Senecam &c. *Et hòc ideò, quia* quod N facturus est Princeps, trina consideratione debet præuenire: scilicet, an liceat, an expediat, an deceat, 1. Cor. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Loquitur Apostolus de comestione eorum, quæ immolata sunt idolis: non enim omnia, quæ licent, expediunt; idest adiuuant in cursu prædicationis, sed magis impediunt, Eccli. 37. *Non omnia omnibus expediunt*. Et subditur ab Apostolo ad explanationem: *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*. Licent omnia potestate liberi arbitrii, & doctrina legis naturalis, qua omnia munda sunt. Vnde licet omnia comedere: sed ad vitandum scandalum proximi, à tali comestione abstinendum. Considerare etiam debet, an deceat quod facturus est, quod ad disciplinam pertinet. *Disciplina autem* secundùm Hugonem de sancto Victore, *est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu & actione*. Vel ex eodem: *Disciplina est conuersatio bona & honesta, cui parum est non mala facere, sed studet in his, quæ bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere*. Quod videtur esse sumptum ex verbis *Augustini*, dicentis: *In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris, nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem*. Ad videndum autem, vtrùm aliquid sit decorum, seu decens, vel non, attendendum est, an sit naturæ consentaneum, & an sit personæ dignum, quæ hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum est etiam ad congruentiam temporis, vel loci. Aliquid est indecens congruentia temporis, secundùm illud Eccli. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo*. Ratione etiam loci aliquid est indecens: vt cum in sacro loco aliquid fit indecenter, quod alibi fieret decenter.

Princeps prædicatorem habeat.

N Ibid. l. 3. c. 3. & 4.

Quod facit, trina consideratione præueniat.

Disciplina quid.

X *Hæc verò omnia ex maturo pendent præmisso consilio optimorum, atque sapientum*. Cum Seraphim O Deo familiarissimi & propinquissimi sint, qui habent nomen ab excellentia dilectionis; & post illos Cherubim, qui nomen habent ab excellentia cognitionis: terreni principes habere debent familiarissimos, & propinquissimos homines Dei amore incensos, & post illos, homines scientia præcellentes. *Idcircò* prouidere P debet princeps, vt tales secum habeat, quibus omnia sua secreta securè committat, & consilia communicet, quibus se totum, quasi alteri sibi refundat: qui, si velit aliquatenus deuiare, non sinant, frænent præcipitem, dormitantem excitent, extollentem repriment, excedentem corrigant: quorum constantia nutantem firmet, erigat diffidentem: qui ad ea, quæ sunt honesta, & amabilia, & bonæ famæ, prouocent: qui vulgus non spernant, pauperes non grauent, sed foueant: qui cum humilibus humiles, cum innocentibus innocentes, duros durè redarguant, malignantes coerceant, & superbis retributionem reddant. Ad eligendum Consiliarium monemur Eccli. 6. Multi pacifici sint tibi, & Consiliarius sit tibi vnus de mille: (*vt nimirùm quàm diligentissimam innuat Consiliariorum prælectionem.*) Pro Consiliario ante omnes eligendus est Deus, Tob. 4. *Omnia consilia tua in ipso permaneant*. Deinde recurrendum est pro consilio ad viros bonos, Eccli. 37. *Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*. Mat. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*. Non est requirendum consilium à malis, Is. 19. *Sapientes Consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens*, Prou. 12. *Consilia impiorum fraudulenta*; & Ps. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*. Cum homo habeat vnum Angelum consiliantem bonum, habeat & alium Angelum consiliantem malum: si homines mali, malum consilium habent, sunt plures contra vnum, & non sine magno periculo. Item non est quærendum consilium à iuuenibus, Roboam pro magna parte regnum amisit, quia consilio iuuenum acquieuit, relicto consilio senum, Eccli. 25. *Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & consilium!* Non est consilium quærendum ab homine de negocio, quod eum tangit, vel de eo, quod nimis odit, vel nimis diligit: ne fortè vel fallatur, vel fallere velit. Caueat Q princeps ne pro Consiliariis habeat homines præcipites & iracundos, secundùm illud *Sapientis*: Duo sunt maximè contraria consilio, scilicet festinantia & ira: *hæc enim in consilio maturitatem non admittit. Caueat verò potissimùm à Consiliariis adulatoribus*. Cum *enim* principem R deceat virilitas, verecundari debet, cum se lactari quasi puerum ab adulante videt, & propinanti sibi lac adulationis, multùm indignari potest, Prou. 1. *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis*; & cap. 24. *Non lactes quemquam labiis tuis*. Non est curandum de laude, vel vituperio eorum, *qui dicunt* (Is. 5.) *bonum malum, & malum, bonum*: sicut non esset credendum testimonio noctuæ contra lucem, vel pro nocte. Lingua laudatoris timenda est, *sicut nouacula acuta faciens dolum*, vt dicitur Ps. 51. *Idcircò ab adulatoribus nonnisi praua recipi consilia possunt, & falsa. Porrò* commendabilis S est gratia dandi consilium, secundùm illud 1. Mach. 2. *Ecce Simon frater vester: scio, quòd vir consilii est, ipsum audite semper*. Gratia etiam examinandi consilium commendabilis est. Seneca: *Prudentis est proprium examinare consilium, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi*. Item commendabilis est gratia acquiescendi consilio, Prou. 12. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia*. Moyses acquieuit consilio Iethro, licèt minor esset Iethro, Ex. 18. *Prouide* inquit *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas* (non adulatio) *& qui oderint auaritiam*

Princeps familiarissimos habeat homines, charitate & sapientia excellentes.

O Ibid. lib. 6. c. 7.

Quales habeat Consiliarios.

P Ibid. lib. 4. c. 2. & seqq.

Primus Consiliarius Deus esto.

Consilium à bonis, non à malis requirendum.

Non à iuuenibus.

Q Ibid. lib. 2. c. 5.

Non ab iracundis, neque ab adulatoribus.

R Ibid. lib. 1. c. 12.

S Ibid. lib. 4. c. 2.

Commendabilis est gratia consilium dandi, consilium examinandi, consilio acquiescendi.

tiam &c. Vide *Tomo* I. *V.* Adulatio *&* *V.* Consilium.

Bonos eligat ministros, & officiales idoneos.
T *Ibid. l.* 6. *c.* 7. *fi.*

y *Vlterius princeps quisque ministros & officiales eligere studeat ad ministerium idoneos, & probos, atque in exercendo fideles*: quia secundùm iudicem populi, sic & ministri eius, *Eccli.* 10. Multùm T debet Princeps cauere, ne potestatem, quam à Deo habet, indignis communicet, qui ea abutantur: mala enim ab eis facta, ei imputaientur; sicut patet ex verbis Domini. Nam cum dixisset Pilatus: *Potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*; respondit ei Dominus: *Non haberes potestatem aduersùs me vllam, nisi datum tibi esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet*: vt habetur Io. 19. *Horum autem officiorum venditio, quamuis licita sit*: non V tamen (*scribit Author ad Ducissam Brabantiæ*) expediens videtur: quia contingit frequenter, quòd illi, qui essent magis idonei ad huiusmodi officia exercenda, sunt pauperes; ita vt emere non possint: &, si etiam sunt diuites, illi qui meliores sunt, talia officia non ambiunt, nec inhiant ad lucra ex officio acquirenda. Sequitur igitur, quòd vt plurimùm illi officia in terra vestra suscipiant, qui sunt peiores, ambitiosi, & pecuniæ amatores: quos etiam probabile est, subditos vestros opprimere, & vestra etiam commoda non sic fideliter procurare. Vnde magis videtur expediens, vt bonos homines & idoneos ad suscipiendum vestra officia eligatis: quos etiam inuitos, si necesse fuerit, compellatis: quia per eorum bonitatem & industriam, maiora adcrescent vobis & subditis vestris, quàm de prædicta officiorum venditione acquirere valeatis. Et hoc consilium dedit Moysi cognatus eius Iethro (*vt iam præmisimus*): *Prouide* inquit *viros &c. in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam; & constitue ex eis Tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore*.

Improborum malè gesta ministrorum principi imputantur.
V *Opusc.* 21.
Licita est Principi officiorum venditio: at officialium electio magis expediens.

Quid si Officiales aliquid à subditis extorserint?

Quòd si officiales vestri absque iuris ordine aliquid à subditis extorserint, quod ad manus vestras deuenerit, debetis restituere, vel certis personis, si potestis, vel in pios vsus expendere, siue pro vtilitate communi, si personas certas non potestis inuenire. Si autem ad manus vestras id non deuenerit, debetis compellere officiales vestros ad consimilem restitutionem, etiam si non fuerint notæ vobis aliquæ certæ personæ, à quibus exegerint, ne à sua iniustitia commodum reportent. Quinimmò sunt à vobis super hoc grauius puniendi, vt cæteri à similibus abstineant in futurum: quia sicut Salomon dicit: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit*, Prou. 19. *Familiam quoque Sanctam princeps habeat. Idcircò enim dicitur Deus Apoc.* 19. Rex Sanctorum (*Ita legit Author, vbi habetur*, Rex Seculorum:) *nimirùm* quia X sancti, & iusti sunt familia Dei, super quam regnat: mali enim non sunt de familia Dei, *Leu.* 19. Sancti estote, quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester. *Vnde & capite præcedenti dicitur*: Ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo 144. millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis; *idest* ei Y se conformantes, *scilicet in sanctitate. Talem elegit familiam Sanctus Rex Dauid, vnde & dicebat Psal.* 100. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Ex opposito*: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua (*quales detractores, inuidi, turpiloqui &c.*) non direxit in conspectu oculorum meorum.

Sanctam vlteriùs familiã princeps habeat.
X *Apoc.* 15. *com.* 1. *ibi*.
Y *Ibid com.* 2. *ibi*.
Qualem Dauid Rex.

Z 1. 2. 2. 4. *ad* 2
An Princeps legi subiectus.

z *Porrò* sicut Z optimum est, quòd aliquis vtatur bene potestate in regimine multorum: ita pessimum est, si malè vtatur. *Tunc autem malè vtitur Princeps potestate, cum vel iniquas leges condit, vel iustò latis subiici renuit in aliorum scandalum. Et quamuis iuris periti dicant, quòd* Princeps legibus solutus est: *hoc tamen dicitur*, quoad A vim coactiuam; nullus enim propriè cogitur à se ipso: lex autem non habet vim coactiuam, nisi ex principis potestate. Princeps igitur dicitur esse solutus à lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde super illud Ps. 50. *Tibi soli peccaui &c.* dicit Glossa, quòd *Rex non habet hominem, qui sua facta diiudicet*. Sed quantùm ad vim directiuam legis, princeps subditur legi propria voluntate, secundùm quod dicitur *Extra de Constit. cap.* Cum omnes: *Quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eodem iure vti debet*. Et Sapientis dicit authoritas: *Patere legem, quam ipse tuleris*. Improperatur etiam his à Domino, *qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera grauia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea mouere*, vt dicitur Mat. 23. Vnde quantùm ad Dei iudicium (*notent Principes*) Princeps non est solutus à lege, quantùm ad vim directiuam eius: sed debet voluntarius, non coactus, legem implere. Est etiam princeps supra legem, in quantùm (si expediens fuerit) potest legem mutare, & in ea dispensare pro loco & tempore. *Ex quo sequitur, quòd licèt* iudex B inferior non habeat potestatem absoluendi reum à pœna contra leges à superiore sibi impositas: Princeps tamen, qui habet plenariam potestatem in Republica, si ille, qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licitè absoluere. (*At videat Princeps, quid Author immediatè subiiciat*: Si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nocumentum: *aliàs non debet absoluere, cum bonum commune debeat perpetuè particulari bono præferri.*) *Vnde &* Deus C qui non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum & commune bonum totius vniuersi: si dimittat peccatum, quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam. Sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, & non iniustè agit. Et ideò Dauid misericordiam petens, dicebat Ps. 50. *Tibi soli peccaui*. Quasi dicat: Potes sine iniustitia mihi remittere. *Potest præterea princeps mala aliqua in suo dominio permittere. Nam* humanum D regimen deriuatur à diuino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem, quamuis sit omnipotens, & summè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset: ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam, ne aliqua mala peiora incurrantur, sicut Augustinus dicit in lib. de Ordine: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus*. Lex *tamen* humana E dicitur aliqua permittere, non quasi ea approbans, sed quasi ea dirigere non potens. *Obseruat verò Author, quòd* duplex est F permissio. Vna quidem de minùs malo, sicut dicitur *Mat.* 19. quòd Moyses permisit Iudæis dare libellum repudij propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum vxoricidium, ad quod erant proni. Talis autem permissio non fit in nouo Testamento propter sui perfectionem, secundùm illud ad Hebr. 6. *Ad perfectum feramur*. Alia est permissio de minùs bono; cum scilicet homo præcepto non cogitur ad maius bonum: & hoc modo Apostolus indulget, idest permittit matrimonium, quod est minus bonum, quàm virginitas, quæ non præcipitur, quæ est maius bonum. *Seruet igitur quoad vim directiuam & Princeps legem, consonum est Christi, summi-*

A *1. 2. q.* 96. 5. *ad* 3. *&* 97. 2. *&* 4.
B 2. 2. 67. 4. *c. In* 4. *d.* 43. 2. 2. *ad* 5 *In* 4. 46. 1. 2. *q.* 2. *c. & quæst.* 2. 1. *q.* 3. *ad* 1.
Et an supra legem.
Et mea possit dispensare.
C 3. *p.* 46. 2. *ad* 3.
Et an minora aliqua mala permittere.
D 2. 2. 10. 11. *c &* 1. 2. 101. 3. *ad* 2. *Op.* 20. *l.* 4. *c.* 14.
E 1. 2. 93. 3. *ad* 3
Permissio duplex.
G 1 *Cor.* 7. *l.* 1. *ibi*, Indulgentiam *In* 4. *d* 26. 1. 4. *ad* 3. *& d.* 33. 2. 2. *q.* 2. *c.*

Seruet legem exemplo Christi summi Regis.

summi Regis exemplum secutus, *qui* non venit legem soluere, sed adimplere, *vt ipse expressit Mat.* 5. *Quia*, *vt dicitur Act.* 1. Cœpit *primùm* facere, & *postea* docere: *vt videlicet exemplar virtutum effectus, homines in viam salutis dirigeret. Non secus & Princeps quisque, vt exemplo potiùs faciliùsque, quàm mandato & verbo, populos benè regat, diuinam primus humanamque legem custodiat, à vitiis abstineat, virtutibus clarescat.*

G Op. decr. Pr. l. 3. c. 2.

Vitiis princeps ne sit obnoxius.

a *A vitiis inquam abstineat*. Multùm *enim* decet G principem, vt sit sine macula, cum teneat locum eius, qui sine macula est. Populus etiam multùm ad eum respicit: vnde benè ei conuenit illud 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus Mundo*. Et sicut *Sap.* 7. dicitur de Christo, quòd est *Speculum sine macula*: ita principes pro possibilitate sua deberent esse speculum sine macula, in quo purè reluceret Christi imago. Si macula fuerit in speculo, illam videt qui in eo faciem videre quærebat. Sic si macula fuerit in Principe, ad eam respiciet populus, & secundùm eam se maculabit. Præterea macula in Principe macula est in gloria, in statu scilicet glorioso, cum perfectio Christianæ religionis sit, *immaculatum se custodire ab hoc seculo*, vt dicitur Iac. 1. Princeps, qui super alios est, perfectiùs hoc debet facere. Et notandum, quòd multiplex est macula, quam aliquis contrahit ab hoc seculo. Prima est superbiæ, quæ multùm timenda est homini; hæc enim Luciferum, ipsis sideribus clariùs emicantem, in diabolum conuertit; & multùm excæcat oculum cordis. Bernardus. *Superbo oculo veritas non videtur*. Secunda macula est auaritiæ, quæ valdè deformis est, Eccli. 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit*. Tertia est macula luxuriæ de qua Eccli. 47. *Inclinasti femora tua mulieribus*; & paulò post subditur: *Dedisti maculam in gloria tua*. Loquitur ad Salomonem. Quarta est peccatum gulæ, de qua habetur in Epistola Iudæ: *Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore &c.* Varietate enim, & delectabilitate ciborum, occasio sunt, vt conuiuantur cum eis maculentur. Quinta macula est loquacitatis, de qua *Iac.* 3. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus. *Has ergo maculas, vitia nimirùm hæc & alia declinet toto conatu Princeps; omnesque, si fieri potest, virtutes calleat; nonnisi enim virtutibus prædito viro debetur principatus. Ita magnus Alexander, morti iam proximus*, cum haberet H vnum filium, nomine Herculem, & vxorem prægnantem relinqueret, dixisse fertur, non esse magno, & glorioso viro curandum de progenie, nec tantum dominium, & tantas opes debere succedere, nisi homini virtuoso. Atque ideò dissentientes milites suos videns, & beneuolentiam populi captantes, ipse præclusa voce anulum suum cuidam Perdicæ porrexit in signum, quòd esset melior omnibus aliis iudicandus. *(Vnde & Iustinus circa fi. lib. 12. tradit, quòd requisitus tunc, quem vellet successorem instituere, respondit: dignissimum: hoc est, virtute omnigena præcellentem.)* De quo (*Perdica*) scribit Ælianus, quòd erat tanta vir audacia simul & fortitudine, vt leæna præsente catulos è cubili per vim auferret. *Super omnes porrò virtutes, vtpote directiua magis, Principibus maximè necessaria prudentia est. Docemur enim, quòd* omnia I quæ sunt virtutum moralium, pertinent ad prudentiam, sicut ad dirigentem; vnde & ratio recta prudentiæ ponitur in diffinitione virtutis moralis. Est *enim* Prudentia L recta ratio agibilium; vnde oportet, quòd ille sit præcipuus actus prudentiæ, qui est præcipuus actus rationis agibilium: cuius quidem sunt tres

Macula hominis multiplex ex hoc seculo.

Nonnisi prædito virtutibus viro debetur principatus.

H 1. Mach. 1. ibi, & vocauit Magni Alexandri dictum.

Perdicas Macedonum Rex.

I 2. 2. 50. 1. ad 1. & 47. 5. ad 1. & 1. 2. 58. 2. ad 4.

Virtutibus clarescat Princeps, cardinalibus præsertim.

L 2. 2. 47. 8. c. & 51. 2. In 3. d. 33. 2. 3.

Prudentia quid.

actus. Quorum primus est consiliari, quod pertinet ad inuentionem, nam consiliari est quærere. Secundus est iudicare de inuentis; & hoc facit speculatiua ratio: sed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, procedit vlteriùs. Et est Tertius actus eius præcipere: qui quidem actus consistit in applicatione consiliatorum & iudicatorum ad operandum. Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est, quòd iste est principalis actus rationis practicæ; & per consequens prudentiæ. *Cæterùm, species, siue subiectiuæ* partes M prudentiæ, secundùm quod propriè sumuntur, sunt prudentia, per quam aliquis regit se ipsum, & prudentia per quam aliquis regit multitudinem. Et iterum, prudentia, quæ est multitudinis regitiua, diuiditur secundùm diuersas species multitudinis. Est enim quædam multitudo adunata ad aliquod speciale negocium: sicut exercitus congregatur ad pugnandum, cuius regula est *prudentia militaris*. Quædam verò multitudo est adunata ad totam vitam: sicut multitudo vnius domus vel familiæ, cuius regula est *prudentia œconomica*. Est etiam multitudo vnius ciuitatis vel regni; cuius quidem regula directiua est *Regnatiua* in Principe: in subditis autem *Politica* simpliciter dicta. *At verò* multùm N necessarium est principi, vt prudentia fortitudinem suam cohibeat. Vnde *Bernardus ad Eugenium Papam*: Aduerte *inquit* suauissimum amplexum virtutum, atque alteram pendere ex altera, matrem fortitudinis esse prudentiam, nec fortitudinem esse, sed temeritatem, quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. Hæc item est, quæ inter necessitates & voluptates media quasi quædam arbitra sedens, vtrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans, & præbens quod satis est; illis quod minus est demens: & sic ex alterutro tertium formans virtutem, quam dicunt temperantiam; nempè intemperantem ipsa consideratio censet tam eum, qui necessariis pertinaciter demit, quàm qui indulget superfluis. Non est temperantia in solis resecandis superfluis, est & in admittendis necessariis. Tamen de iustitia necesse est mentem consideratione præueniri, vt se formet in ea: se enim necesse est, priùs cogitet, vt ex se normam ducat iustitiæ, non factura vtique alteri quod sibi nolit fieri; nec quod sibi fieri velit, alteri negatura.

b *Ex præmissis autem deducitur*, quòd etiam O executio iustitiæ prout ordinatur ad bonum commune (quod pertinet ad officium Regis) indiget directione prudentiæ; vnde istæ duæ virtutes sunt maximè propriæ Regi, scilicet prudentia, & iustitia, secundùm illud Ier. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra*. Quia tamen dirigere magis pertinet ad Regem, exequi autem ad subditos: ideò Regnatiua magis ponitur species prudentiæ, quæ est directiua, quàm iustitiæ, quæ est executiua. *Idcircò* debet P princeps & collaterales suos ad amorem iustitiæ multùm monere: ad quam iustitiam duo attinent, scilicet nulli nocere, & communem vtilitatem quærere. *Tullius*. Fundamentum iustitiæ est, ne cui noceas, deinde communi vtilitati deseruias. *Iustitia autem plurimum aduersatur acceptio personarum. Quapropter* Principi Q multùm cauenda est personarum acceptio in iudicio. Bernardus, *Caliginis duæ sunt causæ, ira & mollior affectus: is iudicis censuram eneruat, illa præcipitat. Turbatus præ ira oculus, clementer nil intuetur: suffusus quadam fluxa & muliebri mollitie animus, rectum non videt.*

Tres rationis actus.

Præcipere, principalis prudentiæ actus.

M 2. 2. 48. 1. c. & 50. a. 1. 2. 3. 4.

Partes subiectiuæ, siue species prudentiæ.

N Op. decr. Pr. l. 3. c. 4 fi.

Prudentia in Principe, Fortitudo, Temperantia, & Iustitia sit.

O 2. 2. 50. 1. ad 1.

Prudentia & iustitia maximè propriæ Regis.

P Op. decr. Pr. l. 4. c. 2. circa fi.

Personarum acceptio à principe ableganda, quod contra iustitiam.

Q Ibid. l. 3. c. 2

Non eris innocens, si aut punias eum, cui fuerat fortè parcendum; aut parcas ei, qui fuerat puniendus. Impunitas nociua est valdè. *Impunitas est incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*. Idem Bernardus. *Dicitur quippè Rom. 13.* Principes non sunt timori boni operis, sed mali. *Non sunt timori*, idest R in timorem, *boni operis*, idest propter bonum opus, *sed mali*, idest propter malum. Quod quidem videtur esse intelligendum secundùm causam instituendi Principes: ad hoc enim sunt instituendi, vt illi, qui amore virtutis non prouocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum, cogantur ad hoc timore pœnæ, Prou. 20. *Rex qui sedet in solio Iudicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Et secundùm hoc dicitur: *Principes non sunt timori boni operis, sed mali*, quantùm scilicet ad id, quod principi ex officio competit, sicut & If. 32. dicitur: *Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit*. (*Et infrà*: Ad hoc institutæ sunt potestates, vt non solùm à malis timore pœnarum retrahant, sed etiam, vt ad bonum per præmia alliciantur, secundùm illud 1. Pet. 2. *Siuè Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum*, idest S in pœnam, *laudem verò bonorum*, idest in remunerationis gloriam: finis enim legis & ministrorum eius, est punitio malorum, & remuneratio bonorum. Sed tamen iudices aliquando peruertunt officium, seu iudicium, malos quidem subleuando, bonos verò opprimendo: quod tamen ipsis bonis ad laudem pertinet, vt dicit *Glossa*; malis autem ad punitionem, *vt suo loco visum est. Et hoc est, quod dicitur Ps.* 44. Virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem &c. (*Quæ quidem prophetæ verba de Christo regum Rege principaliter intelliguntur*.) Necesse enim T est, quòd Rex cohibeat delicta, quia vt Philosophus dicit, si animi hominum essent à Deo ordinati, quòd obedirent monitioni paternæ, non essent necessarij reges & iudices; vnde, vt inquieti corrigantur, necessarij sunt Reges. Et ideò habent sceptrum, Prou. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam*. Sed habet virgam ad hostes coercendos, Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea*: item ad subditos gubernandos, Mich. 7. *Pasce populum tuum in virga tua*. Et ideò dicit: *Virga regni tui est virga directionis*; idest ad ducendum populum in via recta, quia hæc est finis legis & regiminis, vt non excorient, sed vt faciant virtuosos. Et hæc est finis politicæ. Et ideò dicit: *Dilexisti iustitiam*, quia si non diligant iustitiam, non ducent ad bonum. Subdit autem, *& odisti iniquitatem*, quia si non odiunt iniquitatem, non puniunt. *Et in hoc* differt V regimen tyrannicum à regimine regis: quia regimen tyrannicum est ad vtilitatem suam cum grauamine subditorum: regimen autem regis principaliter ordinatur ad vtilitatem subditorum. Et ideò Rex est Pater, & Pastor. Pater enim non corrigit cum gladio, sed cum virga, Ps. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. Item pastor vtitur virga in directione gregis, Mich. 7. cit. *Pasce populum tuum in virga tua*. Virga etiam sustentat infirmos, Ps. 22. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Item virga conturbat hostes, Num. 24. *Consurget virga de Israel, & percutiet Duces Moab*. Et hæc est *virga æquitatis*, Hebr. 1. *Virga æquitatis, virga regni tui*. Et subdit: *Dilexisti iustitiam*. Quidam enim seruant æquitatem, non tamen propter amorem iustitiæ, sed magis propter timorem vel gloriam: & tale regimen non durat. Quasi dicat: Quòd virga est æqua & directa, hoc est, quia *dilexisti iustitiam*: sed aliqui diligunt quidam iustitiam, sed sunt remissi in correctione iniquitatis; & ideo subdit: *& odisti iniquitatem*, quam Christus odit, idest reprobat. *Et hanc quoque princeps, exemplo Christi, debet in subditis odisse; vnde Rex Psaltes aiebat Ps.* 118. Iniquos odio habui. *Immò Ps.* 138. Perfecto odio oderam illos. *Vno verbo*: Virga æquitatis *in manu Principis est, cum bonos remunerat, & malos punit. Inter omnia autem subditorum peccata, post infidelitatem & blasphemiam, homicidii præsertim scelus à principe puniendum est*. Sicut *enim* peccatum X incendij timendum est, & cauendum principi: sic & peccatum homicidij, quantùm fieri potest, salua vtilitate Reipublicæ. Hoc peccatum est diabolicum, & diabolo multùm assimilat, de quo habetur Io. 8. *Ille homicida erat ab initio*. Ipse enim fuit primò homicida sui, præterea primorum parentum: sicut primum homicidium fuit fratricidium, sic & alia homicidia. Omnes enim eosdem parentes habuimus, quos Cain & Abel. Vnde Augustinus: *Adam & Euam intendamus, & omnes fratres sumus*. Hoc peccatum multùm voluit Dominus puniri, Gen. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Et Mat. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Et Apoc. 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Tria etiam peccata dicuntur clamare ad Deum, sicut homicidium: scilicet oppressio innocentum, Ex. 2. *Ascendit clamor filiorum Israel ad Deum*: Peccatum contra naturam, Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhaeorum multiplicatus est*; & detentio mercedis mercenariorum, Iac. 5. *Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Illa tria clamare dicuntur, sicut homicidium, quia homicidio assimilantur. In peccato enim contra naturam effunditur quod corporis humani potuit esse materia: in oppressione verò innocentum, & detentione mercedis, aufertur pauperibus vita illorum; ideò à Deo quasi homicidium reputatur. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Eccli. 34. *Idcircò peccata hæc, con grauissima, quale homicidium, eliminare studeat iustus princeps, & seueriùs punire*.

c *Cum verò Princeps pater & pastor sit, non plenum semper iustitiæ rigorem puniendo adhibeat, sed lenitate & clementia adtemperet, quæ non secus ac genitor in filios, vti in subditos debet. Id quod & in commendationem Christi Regis innuitur* Ps. 44. *cum dicitur*: Intende, prosperè procede, & regna, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam &c. *Quo loci* Hieronymus Y legit: *Propter verbum veritatis, & mansuetudinem iustitiæ*. Et notandum, quòd duo sunt necessaria, vt Rex prosperè agat. Primò scilicet, vt ei credatur: quia si nihil ei crederetur, & ipse alijs crederet, non posset plus, quàm unus homo, Prou. 17. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens*. Secundò, quòd diligatur: quia si non diligitur, non potest prosperari in regno, nec in negocijs suis. Et hoc facit fieri mansuetudo & clementia Regis, Eccli. 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*. Et ita hæc duo disponunt ad prosperitatem regis, Prou. 20. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius*; & Ps. 36. *Mansueti autem hereditabunt terram*:

Sed

Impunitas scelerũ, quàm nociua.

R Rom. 13. l. 1. ibi, & c. 5. l. 6. in 3. d. 40. 1. 2. c.

Princeps institutus ad puniendos malos & remunerandos bonos.

S 1. Pet. 2. §. 5. ibi.

T Ps. 44. lit. e. ibi.

In quo differat a regio tyrannicum regimen.

V Hebr. 1. l. 4 ibi, virga.

Rex pater & pastor.

Cur princeps diligere iubeatur iustitiam.

Puniat præsertim homicidii scelus.

X Op. ac er. Pr. l. 7. c. 11. & 12.

Et ália ad Deum vindictam clamantia, sicut illud.

Lenitas & clementia in principe laudabilis.

Y Ps. 44. lit. d. ibi.

Duo ad regiminis prosperitatem necessaria.

Sed secundùm literam nostram, ad hoc vt Rex possit prosperari in negocijs suis, debet habere tria, scilicet veritatem, mansuetudinem, & iustitiam. Et ista tria fecerunt prosperari Christum, qui fuit verax in docendo, mansuetus in patiendo, iustus in operando. *Iustus inquam in operando prosperatur princeps*: inter Z mundana *enim* omnia nihil est, quod amicitiæ dignè præferendum videatur. Omnis verò amicitia super aliqua communione firmatur. Boni autem reges, dum communi profectui *iustè operando* studiosè intendunt, & eorum studio subditi plura commoda se assequi sentiunt, diliguntur à plurimis, dum subditos se amare demonstrant. Et ex hoc amore prouenit, vt bonorum regum regnum sit stabile, dum pro ipsis se subditi quibuscumque periculis exponere non recusant. Experimento etiam appatet, quòd reges per iustitiam magis adipiscuntur diuitias, quàm per rapinam tyranni. Quia enim dominium tyrannorum subiectæ multitudini displicet; ideò opus habent tyranni multos habere satellites, per quos contra subditos tuti reddantur, in quibus necesse est plura expendere, quàm à subditis rapiant. Regum autem dominium, quod subditis placet, omnes subditos pro satellitibus ad custodiam habet, in quibus expendere opus non est: sed interdum in necessitatibus plura regibus spontè donant, quàm tyranni diripere possint. Et sic impletur quod Salomon dicit Prou. 11. *Alii*, scilicet reges, *diuidunt propria*, benefaciendo subiectis, *& ditiores fiunt*: *Alii*, scilicet tyranni, *rapiunt non sua*, idest subditorum, *& semper in egestate sunt*. Regibus ergo, qui iustitiam quærunt, & diuitiæ adduntur à Deo: sicut Salomon, qui dum sapientiam quæsiuit ad faciendum iudicium, promissionem de abundantia diuitiarum accepit, vt legitur 3. Reg. 3. *Caueat tamen Princeps, ne nimia prosperitas eum à iustitia auocet, & remoueat. Et hoc est, quod minatus est Dominus filio Iosiæ Ier. 22.* Nunquid regnabis, quoniam confers te cedro? Pater tuus numquid non comedit & bibit, & fecit iudicium, & iustitiam, tunc cum bene erat ei? Tui verò oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Propterea hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Iosiæ regem Iuda: Non plangent eum: væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei. Væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem. *Pater tuus comedit &c.* Q. D. Propter abundantiam A non deseruit iustitiam, & ideò prosperè sibi successit. *Tui verò oculi* quantùm ad cogitationem, *& cor* quantùm ad affectionem, *ad auaritiam* quantùm ad iniustam rerum ablationem, *& ad calumniam*, falsam scilicet criminis impositionem, vt tali occasione opprimeret &c. *Propter hoc dicit Dominus*: vbi comminatur pœnam. Et primò quantùm ad ipsum regem, priuationem planctus, *non plangent eum*, scilicet consanguinei: *non concrepabunt ei* simul concordantes subditi. Et priuationem sepulturæ: *Sepultura asini sepelietur*, quia proiectus bestijs deuorandus, Is. 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo &c.*

Z Op. 20. l. 1. c. 10.

Iustitia regentis, quàm sibi proficua.

Væ principi, à iustitia ex prosperitate declinanti.

A Ier. 22. §. 2. ibi.

d *Iustitiam verò bonus administrans princeps, eam lenitate & clementia opportunè in puniendo contemperet. Quòd mirificè faciunt aureæ Authoris verba scribentis*: Hoc B officium Rex se suscepisse cognoscat, vt sit in regno, sicut in corpore anima, & sicut Deus in Mundo. Quæ si diligenter recogitet, ex altero iustitiæ in eo zelus accenditur, dum considerat ad hoc se positum, vt loco Dei iudicium regno exerceat: ex altero verò mansuetudinis & elementiæ lenitatem acquirit, dum reputat singulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria membra. *De Iulio Cæsare itidem scriptum reliquit*: Is. 1. C ita benignus fuit, vt omnes, quos vicerat armis, superaret clementia. *Principem proinde non sapit, qui clementia & mansuetudine non regit, vt à Domino edocetur, qui mitis fuit, & humilis corde. Ex quo* mansuetudo D & clementia reddunt hominem Deo, & hominibus acceptum, secundùm quod concurrunt in eundem effectum cum charitate, quæ est maxima virtutum, in subtrahendo scilicet mala proximorum. *Vnde &* crudelitas (*quæ propria est tyrannorum*) clementiæ E opponitur (*quæ Regum propria est.*) Clementia autem est F diminutiua pœnarum: (*& hoc* ex animi G lenitate, in quantùm iudicat esse æquum, vt aliquis non ampliùs puniatur. *Verùm* in diminutione pœnarum H sunt consideranda duo. Quorum vnum est, quòd diminutio pœnarum fiat secundùm intentionem legislatoris, licèt non secundùm verba legis: & secundùm hoc pertinet ad epiichiam. Aliud autem est quædam moderatio affectus, vt homo non vtatur sua potestate in inflictione pœnarum; & hoc propriè pertinet ad clementiam.) Mansuetudo verò est mitigatiua iræ. *Et ita* differunt I ab inuicem, in quantùm clementia est moderatiua exterioris punitionis: mansuetudo autem propriè diminuit passionem iræ: diminutio enim pœnarum impediri posset per excessum iræ. *Eapropter* multùm L cauendum est principi, ne ab ira superetur, Iob 36. *Non te superet ira, vt aliquem opprimas.* Debet princeps iram, hostem valdè nociuum reputare, & ampliùs timere superari ab ira, quàm superari ab homine. Zelus iustitiæ, qui est quasi ignis, ardere debet in oleo misericordiæ. Ignis absque oleo lampadem destruit: sic zelus iustitiæ, si desit oleum misericordiæ, nocet homini. Saluator destructionem Ierusalem, quam ex iustitia facturus erat, priùs fleuit *Luc. 19.* Et super illud Mat. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, sic habetur: *Iustitia lumen est misericordia: iustitia sine misericordia cæcus furor est.* Princeps, qui locum Dei tenet, Deum iudicando imitari debet, qui sine perturbatione iræ iudicat, secundùm illud Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Quòd ira Principis sit refrænanda, ostendit *Seneca*, exemplum ponens de rege apum. *Iracundissimæ inquit ac pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes, aculeum in vulnere relinquunt, rex ipse sine aculeo est: noluit ipsum natura, nec sæuum esse, nec vltionem magno constantem petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit, exemplum hoc omnibus regibus ingerens.* Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores. *Quod spectat ad Principis mansuetudinem, cum qua & clementia, vt vidimus, affinitatem habet.* Clementia M multùm decet principem. Est autem clementia (secundùm Senecam) *temperantia animi in potestate vlciscendi, vel potestate superioris aduersus inferiorem in pœnis constituendis.* In hoc conueniunt fideles, & infideles quòd clementia necessaria sit Principi. Dominus primũ principem populi sui Moysen constituit, qui *erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, Nu. 12. Et 3. Reg. 20. legitur: *Audiuimus, quòd Reges Domus Israel clementes sint.* Isaias petit clementem Dominatorem, Is. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*; & talis missus est, Mat. 21. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Lex eius vocatur *lex clementiæ* Prou. 31. & in signum clementiæ, vnguntur reges Christiani. Assuerus, qui infidelis erat *Esth. 13.* voluit potentiæ nequaquam abuti magnitudine, sed lenitate & clementia gubernare subiectos. Clementia efficit, vt inter regem & tyrannum sit differentia. Ad virtutem clementiæ pertinet mediocritatem seruare in pa-

Rigorem iustitiæ lenitate, clementia, & mansuetudine attemperet.

B Op. 20. l. 1. c. 12. fi.

C Mac. 8. ibi, similiter.

D 2. 2. 157. 4. ad 3. His redditur Deo, & hominibus princeps acceptus.

E 2. 2. 159. 1. c. & 157. 1. ad 3. Clementiæ propriæ principum opponitur crudelitas, propria tyrannorum.

F ibid. 157. 3. c. & 4. 1. & 2. c. In 3. d. 33. 3. 2. q. 1. ad 2.

G 2. 2. 157. 4 ad 3. Clementia est diminutiua pœnarum, & in quo differat ab epiichia.

H Ib. 4. 3. ad 1. & 159. 1. ad 1. In 3. l. c.

Mansuetudo est mitigatiua iræ ex quo differt à clementia.

I 2. 2. 157. 1. c. & 4. ad 3. In 3. loco cit.

Cauendum est Principi ab ira: sed clemens esto & mansuetus.

L Op. de er. pr. l. 7. c. 5. & l. 1. c. 14. & 15.

Propria principis clementia, & quid sit.

M Ibid. l. 1. c. 14. & l. 7. c. 6.

in parcendo, & vlciſcendo. Princeps maximè debet eſſe temperatus in vltione propriarum iniuriarum. *Clementia* (inquit Seneca) *principem ſeruat, ne impatientia, vel aliqua alia inordinata affectio vltionem præcipitet*. Clementia regnum roborat; vnde dicitur de Rege Prou. 20. quòd *roboratur clementia thronus eius*.

N Opuſc. 20. l. 1. c. 2. Alex. 12. l. 6. ibi, regnum.

Pacem ciuium intendat potiſſimè princeps.

Cæterùm ad hoc N cuiuslibet regentis ferri debet intentio, vt eius, quod regendum ſuſcepit, ſalutem procuret. Gubernatoris enim eſt nauem contra maris pericula ſeruando, illæſam perducere ad portum ſalutis. Bonum autem & ſalus conſociatæ multitudinis eſt, vt eius vnitas conſeruetur, quæ dicitur pax, qua remota, ſocialis vitæ perit vtilitas; quinimmò multitudo diſſentiens, ſibi ipſi fit oneroſa. Hoc igitur eſt, ad quod maximè rector multitudinis intendere debet, vt pacis vnitatem procuret. Nec rectè conſiliatur, an pacem faciat in multitudine ſibi ſubiecta: ſicut nec medicus, an ſanet infirmum ſibi commiſſum. Nullus enim conſiliari debet de fine, quem intendere debet, ſed de his, quæ ſunt ad finem. Propterea Apoſtolus ad Eph. 4. *Solliciti* inquit *ſitis ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Charitas enim O eſt coniunctio animorum: nulla autem rerum materialium coniunctio ſtare poteſt, niſi ligetur aliquo vinculo. Eodem modo neque coniunctio animorum per charitatem ſtare poteſt, niſi ligetur: huiuſmodi autem verum ligamen eſt pax, quæ (ſecundùm Auguſtinum) eſt *tranquillitas modi, ſpeciei, & ordinis*, quando ſcilicet vnuiquiſque habet quod ſuum eſt. *Et ad hoc oportet Princeps intendat, & operetur. Hortatur ideircò Dominus Zach* 8. Veritatem tantùm & pacem diligite. Veritatem, *hoc eſt iuſtitiam*, Dilexiſti iuſtitiam, *Pſ.* 44. & pacem, *ex qua ſcilicet omne bonum principi, ſicut ex diſſenſione, & bello omne malum*. (*Vide V.* Bellum *Tom.* 1. *& V.* Pax) *Ad hanc autem pacem ſeruandam & vnitatem pater ſit ſubditis oportet & paſtor. Hinc vbi Pſaltes Pſ.* 22. Dominus regit me, *dicebat*, Hieronymus P legit, *Dominus paſcit me*: & idem eſt, quia qui paſcit, regit. Vnde & Chriſtus Rex noſter dicebat Io. 10. *Ego ſum paſtor bonus*. Et Mich. 7. dicitur: *Paſce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ*. Deus etiam dicitur paſtor noſter; ipſe enim paſcit volatilia Cœli, vt dicitur Mat. 6. *Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Et ſufficienter paſcit, vnde dicit: *& nihil mihi deerit*, ſcilicet de eo, quod neceſſarium eſt ad ſalutem, & in temporalibus, Luc. 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Abundantiam autem omnem deſignat metaphoricè per abundantiam cibi & potus. Quia ſi paſcit, habet ſe ad nos; ſicut paſtor ad oues, quæ duobus paſcuntur, ſcilicet herbis & aqua. Vnde & ſubdit quantùm ad primum, *in loco paſcuæ, ibi me collocauit*, ideſt in loco paſcuoſo, vbi eſt abundantia herbarum. Hæc abundantia ſunt ſacra documenta diuinæ Scripturæ, & ſpiritualium abundantia, Ezech. 34 *In herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur*. Quantùm ad ſecundum dicit: *ſuper aquam refectionis educauit me*. Hæc eſt aqua baptiſmi, Ezech. 36 *Effundam ſuper vos aquam mundam &c.* Vel eſt aqua ſapientiæ, & ſacræ doctrinæ: quæ quidem eſt & cibus, quia confortat, & aqua, quia refrigerat. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*, Eccli. 15. *Ecce quomodo paſcit nos, tanquam paſtor, Rex regum Deus. Non ſecus agere debet cum ſibi commiſſo populo & princeps terrenus, rerum abundantiam procurando: ad populi quippè commune bonum, non ad priuatum Rectoris commodum, regimen ordinatur*. Sicut ergo Deus Q qui eſt *Rex regum & Dominus dominantium*, cuius virtute principes imperant, nos regit & gubernat, non propter ſe ipſum, ſed propter noſtram ſalutem: ita & reges faciant, & alij dominatores in Orbe. Si verò R non ad bonum commune multitudinis, ſed ab bonum priuatum regentis, regimen ordinetur, erit regimen iniuſtum, atque peruerſum. Vnde & Dominus talibus rectoribus comminatur Ezech. 34. *Væ paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos*, quaſi propria commoda quærentes. *Nonne greges à paſtoribus paſcuntur?* Bonum ſiquidem gregis paſtores quærere debent, & rectores quilibet bonum multitudinis ſibi ſubiectæ. *Hinc & Philoſophus in* 8. *Ethic.* Tria S ponit de rege: videlicet, quòd ille legitimus eſt rex, qui principaliter bonum ſubditorum intendit. Item, qui per ſe ſufficiens reperitur, & qui omnibus bonis ſuperexcellit, ne videlicet ſubditos grauet. Item ille rex eſt, qui curam ſubditorum habet, vt bene operentur, quemadmodum paſtor ouium. Sed quia *nemo militat ſuis ſtipendiis unquam*, & quodam iure naturæ de ſuo labore vnuſquiſque debet reportare mercedem, vt probat Apoſtolus 1. *Cor.* 9. hinc habemus, quòd licet principibus à ſuis tributa percipere & annuos cenſus. Vnde cum idem Apoſtolus ad *Rom.* 13. probaſſet, omne dominium à Deo eſſe prouiſum, vltimò perſuadet eiſdem retribuere pro labore. *Ideò* inquit *& tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* Et Mat. 22. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Attendendum *tamen* eſt T quòd cum tributa dicat Apoſtolus regibus eſſe debita, quaſi laboris ſtipendium: dupliciter peccare poſſunt principes accipiendo tributa. Primò quidem, ſi vtilitatem populi non procurent, ſed ſolùm ad diripiendum eorum bona intendant. Vnde dicitur Ezech. 34. cit. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis*. Alio modo, ex eo quòd violenter diripiunt ſupra ſtatutam legem (quæ eſt quaſi quoddam pactum inter regem & populum) & ſupra populi facultatem. Vnde dicitur Mich. 3. *Audite principes Iacob, & Duces Domus Iſrael*. Et poſtea ſubdit: *Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum &c.* Quod *quidem non legitimi reges & principes conſueuerunt facere, ſed tyranni. Quibus ſanè, ita violenter agentibus, vt plurimùm malè ceſſit, vt exemplis liquet. Et* primò V quidem regibus Romanis, qui propter eorum ſuperbiam, & violentiam, quam exercebant, eiecti ſunt à Regno, vt Tarquinius ſuperbus cum filio Sexto Tarquinio, ſicut hiſtoriæ tradunt. Item Achab & Iezabel vxor eius mala morte interierunt pro violentia, quam fecerunt Naboth de vinea ſua, vt *in* 4. *Reg.* ſcribitur. Traditur etiam ibi, quòd canes linxerunt ſanguinem ſuorum cadauerum in prædicta vinea, in argumentum maleficij in Naboth commiſſi. Sed non ſic Rex Dauid, vt ſcribitur 2. *Reg.* 24. Cum enim vellet altare condere ad Deum placandum, pro numeratione populi faſtuoſa nimis offenſum, aream emit ab Areuna Iebuſæo; ipſoque offerente gratis, recuſauit rex, & vt ſcribitur 1. *Paralip.* 21. pro præfata area dedit Dauid *ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos*. Per quod habemus, quòd principes ſuis debent eſſe contenti ſtipendiis, nec ſubditos ſuos grauare poſſunt in bonis eorum & rebus, niſi in duobus caſibus, videlicet ratione delicti, & pro bono com-

O Epheſ. 4. l. 1. ibi.

P Pſ. 22. lit. a. ibi. Hebr. 1. l. 4. ibi, virga. Op. 20. l. 1. c. 2. & l. 3. c. 11.

Ex quo cum populo paſtor eſto, ſicut Dominus nobiſcum.

Paſtor, ouium ſalutem quærit, non proprium commodum.

Q Op. 20. l. 1. c. 11. Io. 10. l. 3.

R Ibid. l. 1. c. 1. Io. 10. l. 3.

Tres legitimi regis conditiones.

S Ibid. l. 3. c. 11. & Op. 21. Rom. 13. l. 1.

Iuſtè debentur regibus & principibus tributa à ſubditis.

T Rom. 13. l. 1. ibi, tributa. Op. 20. l. 3. c. 11. & Op. 21.

Dupliciter peccare poſſunt principes accipiendo tributa.

V Op. 20. l. 3. c. 11. Op. de er. Pr. l. 3. c. 3. & lib. 4. c. 5. Item 2. 2. 66. 8. c. & ad 3.

Violenter & iniuſtè exigentibus malè cedit.

Poteſt princeps in caſu præter conſueta tributa, alia exigere à ſubditis.

Op.21. & Op. 0. loco cit. communi sui regiminis. *Igitur* princeps V qui militat vtilitati communi, potest de communibus viuere, & communia negocia procurare vel per reditus deputatos; vel si huiusmodi desint, aut sufficientes non fuerint, per ea, quæ à singulis colliguntur. Et similis ratio esse videtur, si aliquis casus emergat de nouo, in quo oportet plura expendere pro vtilitate communi, vel pro honesto statu principis conseruando, ad quæ non sufficiunt reditus proprij, vel exactiones consuetæ: putà si hostes terram inuadant, vel aliquis similis casus emergat. *Quò reducitur diuturnitas iusti belli, quale fuit Reipublicæ nostræ Creticum per quinque lustra: vel cum hoste potentiore, contra quem maior exigitur armorum, cæterorumque necessariorum apparatus & huiusmodi. At verò, quod in principibus non deprehenditur, ab eorum ministris non rarò manifestè committitur in pauperum expoliatione, de quibus dicitur Ier. 2.* In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum. *Quod moraliter exponitur.* Alæ sunt X pretiosorum palliorum extremitates, in quibus sanguis animarum inuenitur, cum de rapinis pauperum fiunt. Item *Eccli. 34.* rapina occisio dicitur, vbi sic habetur: *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est: qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Cum raptor pauperi vitam aufert, quasi infert ei mortem: auferre enim vitam, & inferre mortem, conuertibilia esse videntur. *Idcircò* Dominus Y multùm puniturus est raptores, quia sua auferunt pauperibus. Primò per hoc, quod ita districtè iudicat eos, qui sua non largiuntur pauperibus. Si enim damnantur qui sua pauperibus non distribuunt: quid fiet illis, qui bona eorum auferunt? Vnde super *Luc. 16.* habetur: *Non reprehenditur diues, quòd aliena rapuerit, sed quòd sua non erogauerit.* Ad idem facit illud Mat. 25. *Discedite à me maledicti &c.* Et subditur causa: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare &c.* Raptoribus verò poterit dicere: Esuriui, & abstulistis mihi quod debebam manducare: ori meo subtraxistis, quod porcis & canibus dedistis. Porci sunt homines voluptuosi; canes detractores, qui auferunt de ore Dei quod ponunt in ore diaboli. Os pauperis, os Dei est: os diaboli, os impij est. *Secundò* per lacrymas viduarum & pupillorum, quibus iniuriantur: quæ contra eos multùm prouocant Dominum, de quibus legitur Eccli. 35. *Non despiciet Dominus preces pupilli; nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad Cælum. Et Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Minus dicit, & plus significat; immò multùm offendetur. *Tertiò* per magnum amorem, quem Deus habet ad pauperes, qui tantus est, quòd sibi reputat fieri, quod eis fit, Mat. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Propter eos venit in Mundum istum, Ps. 11. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* In primo etiam verbo nouæ legis communicauit eis regnum suum, dicens: *Beati pauperes &c.* Vnde verisimile est, quòd strictè iudicaturus sit pauperum oppressores, iuxta illud Pr. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Quartò per hoc quòd pauperes, quos spoliauerunt, erunt iudices, iuxta illud Iob 36. *Iudicium pauperibus tribuit.* Et Sap. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.*

Ministrorum rapacitas damnatur.

X Op. de eru. Pr.l.4. cap.5. & 6.

Y Ib.c.7. & 8.

Et districtè à Deo punitur.

¶ *Ex quo detestanda plurimùm est in principum ministris rapacitas, & in principibus longè magis, quorum immò propria, liberalitas esse debet.* Verè Z nobilis princeps bona sua libenter communicat, imitator Dei, qui est nobilissimus & liberalissimus. Tanta enim est eius liberalitas, vt non solùm sua, sed etiam se ipsum largiatur; nec solùm seruientibus sibi, sed etiam hostibus suis bona sua communicat. Ipse namque *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, Mat. 5. Ipse propter liberalitatem fecit quæcumque fecit: creaturas rationales, vt eis daret; alias, vt eas daret. Leo animal nobile, & rex animalium, liberalis est: vnde *Aristoteles* dicit, illum esse communicatiuum. Et sicut liberalitas signum est nobilitatis, sic rapacitas signum est rusticitatis. Et ideò aliqui, qui reputantur nobiles, rusticissimi sunt, eo quòd bonis suis spolient pauperes. *In quos præsertim princeps liberalitate præfulgeat, quæ ad illius sanè pietatem consequitur.* Nihil autem est A vtilius principi pietate, 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Ipsa pauperes facit stipendiarios nostros. Pietas est, per quam Princeps maximè placet Deo & populo. Augustinus. *Non est, quod ita Deo amabiles faciat, vt pietas*, Eccli. 4. *Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altissimi.* Licèt virtutes communiter in Principe placeant populo; quia tamen populus miserijs premitur, misericordia ipsius ei dulciùs sapit. Debet princeps attendere, pauperem suum esse fratrem, ne eum despiciat & opprimat, Is. 58. *Carnem tuam ne despexeris*; & Leu. 25. *Fratres vestros ne opprimatis per potentiam.* Item attendere debet princeps, pauperem membrum esse cum ipso illius corporis, cuius Christus est caput, vt ei compatiatur & amore capitis, & quia membrum eiusdem corporis, cuius & ipse, 1. Cor. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Item debet honorare Christum in paupere ampliùs ceteris, sicut Deus præ cæteris ipsum honorauit (*poterat enim nasci pauper, & pauper rex:*) Prou. 14. *Honorat Dominum qui miseretur pauperis.* Multùm displicet Deo, cum pauperes ab hominibus inhonorantur, quos Deus tantum honorauit, Iac. 2. *Nonne Deus pauperes elegit in hoc Mundo, diuites in fide, & heredes regni &c. Vos autem exhonorastis pauperem.* Attendere etiam debet princeps, pauperibus regnum Cælorum esse datum, & sic se habere ad eos, vt cum principatus eius defecerit, in regno æterno à pauperibus recipiatur, Luc. 16. *Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ad defectum sanè pauperum B supplendum, sicut vices Dei gerentes in terris, & principes & prælati sunt debitores: & sicut patres, quos cogit officium esse auxiliatores subditorum (vt Philosophus dicit in 8. *Ethic.*) ipsorum cum effectu beneficij specialem debent curam habere. Talem autem sollicitudinem habuit Philippus Rex Macedo circa Philiam: quem (vt scribit *Vegetius li. 3.* de re militari) cum priùs haberet offensum, audiens ipsum, licèt nobilem, habere tres filias, & cum ipsis inopia premi: ab admonentibus de hoc quærens, vtrùm meliùs foret partem ægram corporis abscindere, quàm curare, familiariter accersiuit, & accepta de facultatum domesticarum pecunia instruxit, & fideliorem habuit. Sunt autem ipsæ eleemosynæ, quas faciunt principes indigentibus, quasi quidam fideiussor coram Deo pro ipsis ad soluendum debita peccatorum, vt Philosophus dicit de numismate respectu rerum venalium. Et sicut numisma est mensura in permutationibus pro vita corporali: ita eleemosyna in vita spirituali. Ex quo opportunum est regibus, & cui-

Princeps liberalis esto.

Z Ib.l.1.c.5.

In pauperes præsertim.

A Ib.c.15.

B Op.20. l.2. cap. 15. & loco cit.

Ad hos sublevandos ex officio tenetur.

Philippus Macedo.

Eleemosyna fideiussor coram Deo pro erogantibus principibus.

cuicumque Domino; in ipsorum dominio de communi ærario Reipublicæ, siue regali, pauperibus prouidere (*vt in dies liberalissimè consueuerunt facere piissima Reipublica nostra Patres.*) Vnde & in singulis prouincijs, ciuitatibus & castris ad talia ministeria exercenda sunt hospitalia instituta, siue per reges, siue per principes, & ciues, ad pauperum inopiam subleuandam. Et non solùm apud fideles, sed etiam infideles. Domos enim instituebant hospitalitatis ad pauperum subuentionem, quas *Iouis hospitalis* nominabant (vt patet 2. *Mach. 6.*) propter effectum beneuolentiæ & pietatis, qui eidem attribuitur planetæ secundùm Astrologos. De Aristotele etiam tradunt historiæ, quòd Alexandro exhortatorias literas destinauit, quòd pauperum inopiæ memor esset ad prosperitatem sui regiminis augumentandam. *Eleemosyna siquidem spiritualiter, ac temporaliter prodest, regibus præsertim & dominis, Luc. 11.* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: *& ecce omnia prospera vobis in temporali regimine.*

g *Nimia nihilominùs temporalium prosperitas principem terreat.* Sanctus C Dauid, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Faciliùs inuenies qui sapientiam retinuerit contrariâ sibi fortunâ, quàm qui propitia non perdiderit. Tullius in 1. Rhet. *Difficile est illi virtutes habere, qui secundâ semper fortunâ vsus sit.* Considerare debet princeps, qualis ipse sit. Hæc consideratio tenet eum in se, nec finit eum à se euolare, nec ambulare in magnis super se. In se debet consistere, non infrà deijci, non suprà attolli, non euadere longius, non extendi in latius. Longum dico, cum sibi homo promittit vitam longiorem: latum, cum super superfluis animus extenditur curis: altum, cum de se plus præsumit: profundum, cum se plus deijcit. Longitudo extremum habere solet, dilatatio scissuram, altitudo ruinam, profundum absorptionem. In hoc fortis non deijcietur: prudens longioris vitæ non abducetur incerto: modestus moderabitur curas, temperabit à superfluis, non deerit necessarijs. *Idcircò infensus otio sit hostis princeps & perpetuus.* Est enim D ociositas mater nugarum, nouerca virtutum. *Sanè ociosus* E erat Dauid, cum in peccatum adulterij cecidit: *surrexerat enim de stratu suo post meridiem, & deambulabat in solario domus regiæ*, vt dicitur 2. Reg. 12. *quod est, in otio versari. Et hoc ad rerum abundantiam, nimiamque prosperitatem consequitur, Ezech. 16.* Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius. (*Et vt pauperum subuentio Principum cordi sit, vide quid subijciat*:) Et manum egeno, & pauperi non porrigebant:) *Eapropter* Sapientiæ F studium principi est valdè necessarium ad vitandum ocij periculum, & variarum cogitationum, & habendum honestum solatium. Cum Magnates labori corporali non intendant, vt cæteri homines, necessaria est eis literarum occupatio, sine qua frequenter erunt ociosi, quod est valde periculosum: *Multam enim malitiam docuit ociositas*, Eccli. 33., & Prou. 12. *Qui sectatur otium, stultissimus est*, non solùm stultus, vel stultior: multoties enim habebunt vanas occupationes, si non habeant salubres. Præterea, cum spiritus rationalis nobilis sit, & ad delicias creatus, non potest esse sine delicijs: &, si non habeat spirituales, volet habere carnales. Ideò necessarium est ei solatium Sapientiæ, de qua legitur: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*, Sap. 8. *Illud verò inter sapientiæ studia*

C Op. de er. Pr. l. 3. c. 7.

Principem terreat nimia prosperitas.

D Ibid fi. cap.

E Ibid. l. 5. c. 52 & Op. 4. de 30. præc. §. 1. fi.

Ocium deuitet.

Sapientiæ studio ad hoc vitandum intendat.

F Op. de er. Pr. l. 5 c. 3

Principi valde proficuum, quo nec minùs quàm vilem plebeium, humanis se ærumnis obnoxium cogitat & mortalem. Sic G Alexander, quando fuit percussus (*vulnerato crure*) recognouit se non filium Iouis, sed mortalem, vt ipse ait suis militibus. *Enimuerò* principi H qui iam habet coronam temporalem, & cui desideranda est æterna, multùm expedit, vt sua reputatione cinis sit: pro cinere enim corona promittitur, Is. 61. *Ad annunciandum mansuetis misit me, vt darem eis coronam pro cinere.* Eccle. 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* In morte, vanitatis arguitur omne, quod est in Mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. *Concupiscentia oculorum*, in hoc, quòd homo nudus reuertitur in terram, Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* In quo manifestè apparet, quòd fatuum fuit tantum concupiscere terrena, cum spoliandus esset eis. *Concupiscentia carnis* in hoc, quòd corpus delicatè nutritum vermibus esca datur. Satis in hoc apparet, quòd deliciæ non sunt quærendæ carni: nec multum curandum est, qualem escam vermes comesturi sint. *Superbia vitæ* in hoc, quòd ille, qui volebat esse super homines, ponitur sub terra, & ambulant super eum porci, & canes. Satis ex hoc apparet, quod valdè fatuum fuit velle esse super alios. Qui vult nauem regere, ponit se in fine nauis: sic sapiens consideratione finis regit se in his, quæ sunt ad finem. *Consideret princeps & maius in eo statu periculum* mortis secundæ, *hoc est damnationis æternæ, secundùm illud Apoc. 8.* Et tertia pars nauium interijt, *idest* eorum I qui alios gubernabant, & portabant, & quorum motu alij mouebantur, vt sunt principes, & aliorum rectores: *faciliùs enim, quàm cæteri, æternæ mortis principes periculum subeunt, de quo Num. præced. satis.*

h *Porrò ad principatus regimen faciliùs ministrandum, tria potissimùm exiguntur.* Primum L quidem sapientia, ne erret gubernando, Eccle. 10. *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis; positum stultum in dignitate sublimi &c.* Secundum est generis prosapia, ne contemnatur præcipiendo, Prou. 31. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Tertium virtutis potentia in exequendo, Eccli. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* (*Quod aiebat initio Author, & mirificè ibidem Regi Christo adaptat.*) *Boni verò principis qualitates tanguntur in persona eiusdem Christi Regis Domini nostri, Mat. 21.* Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. *Quibus in verbis* ponit M quatuor, quæ dignitatem regis commendant, & consequenter quatuor, quæ in tyrannis inueniuntur. Primò affinitas, quia magis afficitur homo ad magis sibi coniunctos, Deut. 17. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere qui non sit frater tuus*; vnde dicit: *Ecce Rex tuus*; idest de gente tua. Sed quandoque Reges degenerant in Tyrannos, quia quærunt vtilitatem suam: quod est contra morem regis; ideò dicit: *Venit tibi*, idest ad vtilitatem tuam, Hab. 3. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Subdit autem, *mansuetus*: mansuetudo enim (*vt visum est*) pertinet ad regem, quia infligere pœnam, ferocitatis est, Prou. 20. *Misericordia & veritas custodiunt regem.* Ideò Dauid à populo dilectus fuit, quia mansuetus fuit. Item requiritur humilitas, quia Dominus superbos respuit, ideò dicit: *sedens super asinam &c. Mat. 21.* Discite à me,

Mortis eum memoria non prætereat. G Ps. 9 lit. n.

H Op. de er. Pr. l. 3. c. 9.

Mundana omnia in morte vanitatis arguuntur.

Mortis secundæ, scilicet damnationis æternæ, consideratio eum non fugiat. I Apoc. 8. com. 1. & 2. ibi.

Tria facilitatem præstant ad regimen exercendum. L Hebr. 1. l. 2 sub initio.

Optimi principis conditiones & qualitates. M Mat. 21. lit. a. ibi Ps. 44. lit. e. Dan. 13. ibi, regne Hebr. 1. l. 2. Op. 20. l. 3 c. 11. & 13. & 1. 2. 16. 5. ad 2. & 4

Nobilitas duplex.

N Op. de er. Or. l. 1. c. 5. & 4. Hebr. 1. l. 2. ibi, splendor.

Qualis debeat esse in Principe.

me, quia mitis sum; & humilis corde. *Humilitas verò & mansuetudo nobilitati principum nihil derogat, quinimmò adauget.* Est *autem* duplex N nobilitas. Quædam naturalis, de qua dixit Sapiens: *Nemo altero nobilior, nisi cui rectius est ingenium, & bonis artibus aptius.* Altera est gratuita, quæ filios Dei, & Christi coheredes facit. Ad veram principis nobilitatem pertinet, vt ipse sit sine ignobilitate, sine erubescibili seruitute, à nulla rusticitate superari se permittat, turpitudinem omnem abhorreat, ad largitorem bonorum benè se habeat, bona sua libenter & liberaliter tribuat, subiectis sit clemens & pius, in rebelles seuerus, parua despiciat, magna appetat, aggrediatur ardua, non vano timore ab eo, quod aggressus est, citra consummationem desistat. Non enim est nobilitas vera, quæ non est pura, sed ignobilitati admista est vel sociata: qualis est in eo, qui habet nobilitatem carnis cum ignobilitate mentis. Non est verè nobilis, qui servit diabolo & vitiis. Non est verè nobilis, in quo corpus servilis conditionis dominatur. Quomodo enim nobilis, qui serui sui seruus est? Non est iste verè nobilis, qui seruus est ventris sui: quales erant, de quibus dicitur Rom. 16. *Huiuscemodi, Christo Domino Nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Non est verè nobilis, qui seruus est membrorum erubescibilium, & adeò subiectus est eis, vt obediat, cum ei imperant mortem suam. *Verum præstat nobilitatem virtus: ex quo canebat ille:*

Vera nobilitas ex sola virtute.

> Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

Et Iuuenalis Sat. 8.

> Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
> Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
> Maiorum? ....
> ...... Nobilitas sola est atque vnica, virtus.

O 2. 2. 63. 3. c. Quol. 10. a. 12. c.

Honor quid = cuius & debita causa virtus.

Et hac de causa honor principibus exhibetur: honor *enim* est O quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur, & ideò sola virtus est debita causa honoris. Sciendum tamen, quòd aliquis potest honorari non solùm propter virtutem propriam, sed etiam propter virtutem alterius: sicut principes & prælati honorantur, etiamsi sint mali, in quantùm gerunt personam Dei, & communitatis, cui præficiuntur.

P Op. 20. l. 1. c. 7.

Debetur principibus & propter propriam virtutem, si habeant, & propter alienam, scilicet Dei, & communitatis, cui præsunt.

Honor hic & gloria mundana non est sufficiens, neque conueniens principis præmium.

Et contemptu gloriæ fit homo gloriosior.

i *Nec tamen mundana gloria hac & honor, sufficiens est & conueniens principis præmium.* Qui enim P fauorem hominum quærit, necesse est, vt in omni eo, quod dicit, aut facit, eorum voluntati deseruiat: & sic dum placere hominibus studet, fit seruus singulorum (*nec seruus Christi est, ad Gal.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.) Propter quod *Tullius in lib. de Offic.* cauendam dicit esse gloriæ cupidinem: eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nihil autem principem, qui ad bona peragenda instituitur, magis decet, quàm animi magnitudo. Est igitur incompetens regis officio humanæ gloriæ præmium. Simul etiam est multitudini nociuum, si tale præmium statuatur principibus: pertinet enim ad boni viri officium, vt contemnat gloriam, sicut alia temporalia bona. Virtuosi enim & fortis animi est, pro iustitia contemnere gloriam, sicut & vitam. Vnde fit quoddam mirabile: vt quia virtuosos actus sequitur gloria, ipsa gloria virtuosè contemnatur, & ex contemptu gloriæ homo gloriosus reddatur, secundùm sententiam Fabii dicentis: *Gloriam qui spreuerit, veram habebit.* Et de Catone dixit Sallustius: *Quò minùs petebat gloriam, tantò magis assequebatur illam.* Ipsique Christi discipuli se, sicut Dei ministros exhibebant *per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* Non est igitur boni viri conueniens præmium gloria, quam contemnunt boni. Si igitur hoc solum bonum statuatur principibus præmium, sequetur, bonos viros non assumere principatum, aut si assumpserint, impræmiatos esse. Ampliùs: ex cupidine gloriæ periculosa mala proueniunt. Multi enim, dum immoderatè gloriam in rebus bellicis quærunt, se ac suos perdiderunt exercitus, libertate patriæ sub hostili potestate redacta. Vnde *Torquatus* Romanus princeps, in exemplum huius vitandi discriminis, filium qui contra imperium suum prouocatus ab hoste iuuenili ardore pugnauit, licèt vicisset, occidit: ne plus mali esset in præsumptionis exemplo, quàm vtilitatis in gloria hostis occisi. Sicut igitur periculosum est multitudini, si princeps voluptates & diuitias quærat pro præmio, vt raptor & contumeliosus fiat: ita periculosum est, cum detinetur gloriæ præmio, ne præsumptuosus existat. Sed quantùm ex sapientum intentione apparet, non ea ratione honorem & gloriam pro præmio principi decreuerunt, tanquam ad hoc principaliter ferri debeat boni regis intentio: sed quia tolerabilius est, si gloriam quærat, quàm si pecuniam cupiat, vel voluptatem sequatur. Hoc enim vitium virtuti propinquius est: cum gloria, quam homines cupiunt (vt ait *Augustinus*) nihil aliud sit, quàm iudicium hominum bene de hominibus opinantium. Cupido enim gloriæ aliquid habet virtutis vestigium, dum saltem bonorum approbationem quærit, & eis displicere recusat. Hoc autem satis exprimitur per id, quod *Aristoteles* de magnanimo in Ethnicis dicit, quòd non quærit honorem & gloriam, quasi aliquid magnum, quod sit virtutis sufficiens præmium, sed nihil vltra hoc ab hominibus exigit. Hoc enim inter omnia terrena videtur esse præcipuum, vt homini ab hominibus testimonium de virtute reddatur. *Igitur* quoniam Q mundanus honor, & hominum gloria, regiæ solicitudinis non est sufficiens præmium, conueniens est, vt rex (*& princeps quisque*) præmium expectet à Deo. Minister enim pro suo ministerio præmium expectat à Domino: rex autem populum gubernando, minister Dei est, dicente Apostolo Rom. 13. quòd *non est potestas, nisi à Deo*; & quòd princeps *Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Remunerat autem Deus pro suo ministerio reges interdum temporalibus bonis; sed talia præmia sunt bonis, malisque communia. Vnde Dominus dicit Ezech. 29. *Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersùs Tyrum: & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersùs eam*: ea scilicet seruitute, qua potestas secundùm Apostolum. *Dei minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Et postea de præmio subdit: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti; & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui eius.* Si ergo reges iniquos contra Dei hostes pugnantes, licèt non intentione seruiendi Deo, sed sua odia & cupiditates exequendi, tanta mercede Dominus remunerat, vt de hostibus victoriam tribuat, regna subiiciat, & spolia diripienda proponat: quid faciet bonis regibus, qui pia intentione populum regunt, & hostes impugnant? (*Quid hinc remunerationis non speret inuictissima nostra Respublica, incessanter contra Turcas infideles decertans?*) Non quidem terrenam, sed æternam mercedem eis promittit, nec in alio, quàm in se ipso, dicente Petro pastoribus populi Dei, 1. Pet. 5. *Pascite*

Præmium princeps, non ab hominibus, sed à Deo expectet.

Q Ibid. cap. 8.

Contra hostes Fidei pugnãtes, Deus victores facit & remunerat

qui in vobis est gregem Dei, & cum apparuerit Princeps pastorum, idest Rex regum Christus, *percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, de qua dicitur Is. 28. *Erit Dominus Exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*. Hoc igitur considerans Dauid Rex, dicebat Ps. 72. *Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram?* Cui quæstioni postea respondens, subiungit: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*. Ipse enim est, *qui dat salutem regibus*, non solùm temporalem, qua communiter *homines, & iumenta saluat*, sed etiam eam, de qua per Isaiam cap. 51. dicit: *Salus autem mea in sempiternum erit*, qua homines saluat, eos ad æqualitatem Angelorum perducens. Et sic verificari potest, quòd regis præmium est honor, & gloria: quis enim mundanus & caducus honor huic honori similis esse potest, vt homo sit Ciuis & domesticus Dei, & inter Dei filios computatus, & hereditatem regni cælestis assequatur cum Christo? Hic est honor, quem concupiscens & admirans idem Rex Dauid, dicebat Ps. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus &c.* Considerandum R autem restat vlteriùs, quòd & eminentem obtinebunt cælestis beatitudinis gradum, qui officium regium dignè & laudabiliter exequuntur. Si enim beatitudo, virtutis est præmium, consequens est, vt maiori virtuti maior gradus beatitudinis debeatur. Est autem præcipua virtus, qua homo aliquis non solùm se ipsum, sed etiam alios dirigere potest: & tantò magis, quantò plurium est regitiua; quia & secundùm virtutem corporalem tantò aliquis virtuosior reputatur, quantò plures vincere potest, aut pondera plura leuare. Sic igitur maior virtus requiritur ad regendum domesticam familiam, quàm ad regendum seipsum; multoque maior ad regimen ciuitatis & regni. Est ergo excellentis virtutis benè regium officium exercere: debetur igitur ei excellens in beatitudine præmium. Hinc etiam magnitudo regiæ virtutis apparet, quòd præcipuè Rex, Dei similitudinem gerit, dum agit in regno quod Deus in Mundo. Vnde & *Ex.* 22. iudices multitudinis, dij vocantur. Imperatores etiam apud Romanos dij vocabantur. Tantò autem est aliquid Deo acceptius, quantò magis ad eius imitationem accedit. Vnde & Apostolus monet Eph. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*. Sed si secundùm Sapientis sententiam, *Omne animal diligit simile sibi*, secundùm quod causæ aliqualiter similitudinem habent causati: consequens est, bonos reges Deo esse acceptissimos, & ab eo maximè præmiandos. Hoc etiam fuit apud Gentiles aliqualiter somniatum, dum Ciuitatum rectores, atque seruatores, in Deos transformari putabant. *Vide plura ibi*.

Honor & gloria cælestis verum principis præmium.

R Ibid. c. 9.

Quod erit & in maiori beatitudinis gradu.

I *Cæterùm ad subditos regendos* requiritur S perfecta ætas, qualis est 30. annorum. Vnde legitur Gen. 41. Quòd 30. *annorum erat Ioseph, quando accepit regimen Ægypti*. Similiter etiam legitur 2. Reg. 5., quòd *filius 30. annorum erat Dauid, cum regnare cœpisset*. Vnde & Christus, *Rex regum*, conuenienter fuit in 30. anno baptizatus, quia baptizabatur, quasi ex tunc incipiens docere, & prædicare: *quod est spiritualiter regere, vt optimi faciunt Prelati, exemplo Christi veri Regis & Sacerdotis. At verò, sicut virtus est principis est bene regere populos & dirigere: ita bonorum subditorum est promptè illi parere, & fidem seruare. Siquidem* ordo T iustitiæ requirit, vt inferiores suis superioribus obediant; aliter enim non posset humanarum rerum status conseruari. *Et quidem principi obediens, Deo obedit: leges enim rectæ principis, leges Dei sunt, seu ab æterna lege deriuatæ*. Cum enim lex V æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quòd omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus, à lege æterna deriuentur. Huiusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcumque aliæ leges præter æternam: vnde omnes leges, in quantùm participant de ratione recta, in tantùm deriuantur à lege æterna. *Hinc Apostolus ad Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. *Potestates* autem *sublimiores* dicuntur X homines in potestatibus constituti, quibus secundùm iustitiæ ordinem subijci debemus, 1. Pet. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam à Deo missis &c.* Dicit autem indefinitè, *potestatibus sublimioribus*, vt ratione sublimitatis officij eis subijciamur, etiamsi sint mali; vnde 1. Pet. 2. cit. subditur: *Subditi estote, non tantùm bonis, sed etiam dyscolis*. Sequitur. *Non est enim potestas, nisi à Deo*: quicquid enim communiter de Deo & creaturis dicitur, à Deo in creaturas deriuatur, sicut patet de Sapientia Eccli. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est*. Potestas autem de Deo, & de hominibus dicitur, Iob 36. *Deus potestates non abiicit, cum ipse sit potens*. Vnde consequens est, quòd omnis potestas sit à Deo, Io. 19. *Non haberes potestatem aduersùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper*. Subditur verò: *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*. Cuius ratio est: quia Deus omnia per suam sapientiam fecit, secundùm illud Ps. 103. *Omnia in sapientia fecisti*. Est autem proprium sapientiæ, ordinatè omnia disponere, Sap. 8. *Disponit omnia suauiter*: & ideò oportet, effectus diuinos ordinatos esse: Itaque (*ad rem nostram*) *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Si enim potestas principum, in quantùm talis est, à Deo est; & nihil est à Deo sine ordine: consequens est, quòd etiam ordo, quo inferiores potestatibus superioribus subijciuntur, sit à Deo. *Itaque, qui contra hunc ordinem, resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, 1. *Reg.* 8. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. *Et Luc.* 10. Qui vos spernit, me spernit. *Contemptus autem, sicut & honoratio, dupliciter potest intelligi, exteriùs nimirùm & interiùs. Et ideò Apostolus Petrus in sua* 1. *c.* 2. *signanter dicit*: Regem honorificate; *idest* honorem Y extra facite: omnes enim debemus honorare regem interiùs & exteriùs: *neque alterum solummodò sufficit, sed exigitur vtrumque. Vnde & interior damnatur regis contemptus, qualis fuit Michol filia Saul, de qua dicitur* 2. *Reg.* 6. *quòd* cum intrasset Arca Domini in ciuitatem, vidit Regem Dauid saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo. DISCE Princeps sapienter regare: qui subditus es, promptè obedire.

S 3. p. 39. 3. c.
Cuius ætatis rex, & princeps assumendus.

Sicut boni principis est benè regere, ita bonorum subditorum ei obedire.
T 2. 2. 104. 6. c.

Principi parens, Deo paret, cum leges humanæ ab æterna lege deriuentur.
V 1. 2. 93. 3. c.

X Rom. 13. l. 1. ibi, & 1. Pet. 2. §. 5. 6. 7.

Qui principem spernit, Deum spernit.

T 1. Pet. 2. §. 6. ibi.

XXVI. Non

XXVI. Non permittit Deus diù regnare tyrannos : sed post tempestatem per eos inductam populo, per eorum deiectionem tranquillitatem inducit. *Opusc. 20. l. 1. cap. 10.*

Z Op. de er. Pr. l. 1. c. 3. fi.

Sicut bonus princeps utilis Ecclesiæ est: sic perniciosius malus.

m *PLuribus de causis* multùm Z desideranda est bonitas eius, qui præest Ecclesiæ Dei, vt sit vtilis. Si enim bonus est, bonos diligit, & custodit: malos corrigit, & à malis compescit, exemplo ad bonum prouocat; bona imperat & promouet, & mala dissipat, Prou. 20. *Rex, qui sedet in solio iuditii, dissipat omne malum intuitu suo*. In solio iudicij sedet qui secundùm æquitatem iudicat. Magnum autem periculum est, quòd hostis Ecclesiæ, sit in capite eius, super quo plangit Ieremias, dicens Thren. 1. *Facti sunt hostes eius in capite*. Iam dominium diabolus habet, ex quo aliquis de suis præest: fiduciam hostis habere potest, quòd totum occupet, ex quo iam arcem tenet. Non videtur dicendus esse Rex, princeps, cui bonitas deest. *Reges* inquit Isidorus *à rectè regendo vocati sunt*. Rectè faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. *Vtplurimùm autem propter subditorum peccata malus datur princeps & rector à Deo, à quo & petendum, vt tollatur*. Sed A vt hoc beneficium populus à Deo consequi mereatur, debet à peccatis cessare, quia in vitionem peccati diuina permissione impij accipiunt principatum, dicente Domino per Osee c. 13. *Dabo tibi regem in furore meo*; & Iob 34. dicitur: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, qui scilicet B ex eius regimine affligitur, *in iustam pœnam*. Quod quidem C apparet, quia primò dominantes in Mundo fuerunt homines iniqui, vt historiæ tradunt: sicut Cain, Nembroth, Belus, Ninus, & Semiramis vxor eius, qui dominium habuerunt in prima, & secunda ætate Mundi. Causa autem, vnde habuerunt istud dominium, assumi potest ex parte subditorum, vel dominantium: quia tyranni sunt instrumentum diuinæ iustitiæ ad puniendum delicta hominum: sicut Rex Assyriorum super Israeliticum populum, & Rex Gothorum (*Atila*) flagellum Dei super Italiam, vt historiæ narrant. Item Dionysius in Sicilia, sub quo captiuatus est populus, & tandem ab ipso libertate donatus, vt scribit *Valerius Maximus lib. 4.* De Rege verò Assyriorum, quomodo ad puniendum delicta sui populi est destinatus, sic ostenditur per Isaiam prophetam, cap. 10. *Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum*. Quæ omnia verificata sunt, quando Ierusalem obsessa est à Chaldæis per Nabuchodonosor Regem Assyriorum, capta & combusta, captis principibus eius cum rege Sedecia, eius confossis oculis, & occisis filijs, sicut traditur 4. *Reg. 25.* Per quæ verba satis ostenditur, qualiter Deus punit peccatorem per manum tyranni: vnde concluditur, ipsos esse instrumentum Dei, sicut dæmones, quorum potestas iusta à Sacris DD. ponitur: voluntas tamen semper iniqua. *Et alibi*. Interdum D dum populus non cognoscit beneficium boni regiminis, expedit exercere tyrannides, quia etiam hæ sunt instrumentum diuinæ iustitiæ. Vnde & quædam insulæ & prouinciæ (secundùm quòd historiæ narrant) semper habent tyrannos propter malitiam populi; quia aliter nisi in virga ferrea regi non possunt.

Rex; unde dicatur.

Malus rex, regis nomen amittit.

Datur à Deo propter peccata populi.

A Op. 20. l. 1. c. 6. fi. & c. 10.

B Iob 34. l. 2. ibi.

C Op. 20. l. 3. c. 7.

Tyrannus diuinæ iustitiæ instrumentū ad puniendum peccata populorum. Atila. Dionysius Syracusanus.

D Ibid. cap. 11. & cap. 7. & 8.

Nec perperam dicitur Princeps ex Iob citato loco hypocrita. Nullus enim veriùs E hypocrita dici potest, quàm qui regis assumit officium, & exhibet se tyrannum. Nam hypocrita dicitur, qui alterius repræsentat personam, sicut in spectaculis fieri consueuit. Sic igitur Deus præfici permittit tyrannos, ad puniendum subditorum peccata. *Nec tamen rector diuinæ euadit iræ flagella: nam & in populo, tanquam in re sua, sæpe mulctatur; sicut David peccante, populus est punitus, vt habetur 2. Reg. 24. vnde & dicebat*: Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? *Siquidem* populus F est res regis, & punitur populus, vt in illo, tanquam in re sua, punitur. Et hoc præcipuè contingit, vt *Gregorius* dicit, quando peccata populi merentur, vt super eos rex peccator constituatur, vel in peccatum labi permittatur. Et sic patet, quòd populus etiam pro peccato proprio punitur, *dum punitur & rex*. *Hinc & illud Abimelech ad Abraham Gen. 20.* Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? *exponitur*: Peccatum G grande, idest pœnam debitam grandi peccato. Sed quomodo dicis, *super regnum meum*; cum ipse Rex solus hoc fecisset? (*cum scilicet misit, & tulit vxorem Abrahæ.*) Et dicendum, quòd regnum sæpe temporaliter punitur pro peccato regis: tum quia est aliquid regis; tum quia frequenter participant in peccatis regis.

Malus princeps cur dicatur hypocrita.

E Ibid. l. 1. c. 10.

Punitur & ipse in populo, tanquam in re sua.

F 2 d. 33. 1. 2. ad 5. In 4. d. 46 2. 2. q. 2. ad 3.

G Gen. 20. ibi.

n *Porrò malus princeps, siue tyrannus, verè Princeps non est, nec regis nomine dignus*. Differt autem H tyrannus à rege (*vt visum est*) quia rex ordinat prælationem suam ad bonum gentis, cui præest, propter earum vtilitatem statuta & legem faciens: tyrannus verò prælationem suam ordinat ad vtilitatem propriam. *Vnde & tyranni* I suis subditis principantur vt seruis: *qualis describitur rex (vt ait ibi Author) in tyrannum degenerans, 1. Reg. 8.* Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis &c. *cum iis, quæ sequuntur; & concludit*: Vosque eritis ei serui. *Hoc & in apologo signatur* Iudic. 9. *de lignis, quæ sibi rhamnum in regem constituerunt: in quo tyranni figuratur violentum dominium. Docemur enim, quòd* rhamnus L genus rubi est, quod vulgò senticem appellant, asperum nimis & aculeatum, sicut sentes: & secundùm Iosephum, ad impetum venti, ignem naturaliter producit; & est in principio mollis, sed postea indurescit. Vnde signat malum ambitiosum, qui spinis vitiorum spinosus est; qui spoliat subditos suos, sicut spinæ spoliant lana oues contingentes eas: qui ex se emittit ignem peruersæ conuersationis, quo se & subditos suos comburit incendio infernali: qui se subditis suis mollem in principio exhibet & mansuetum (*vnde & dixisse ibidem legitur*: Si verè me regem vos constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite:) deinde verò durum: quia vt tyrannidem exerceat, principatum non recusat. *Hæc autem tyranni violentia describitur Iob 22. iis verbis*: In fortitudine brachij tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam. Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum comminuisti. *In fortitudine brachii tui possidebas terram*, idest M per potentiam tuam dominium terræ acquisiuisti. Et quòd subditos suos non gubernabat per iustitiam, sed per potentiam, secundùm illud Sap. 2. *Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ*; ideò subdit: *& potentissimus obtinebas eam*; quia scilicet per excellentiam potestatis subditis vtebatur ad nutum. Et quia infimis personis iustitiam non reddebat, subdit: *viduas dimisisti vacuas*,

In quo differat à rege tyrannus.

H 2. d. 44. 1. 3. c. & 1. 2. 105. 1. ad 5. Op. 20. l. 1. c. 1. Hebr. 1. l. 4. ibi, virga.

I 1. 2. loco cit.

L Op. de er. Pr. l. 2. c. 9. fi.

Rhamnus quid literaliter, & mysticè.

M Iob 22. l. 1. ibi.

euas, dum scilicet non fecisti eis iustitiam de aduersariis, secundùm illud If. 1. *Causa viduæ non ingreditur ad eos*. Et iterum, quod amplius est, infimas personas opprimebat, vnde subdit: *& lacertos pupillorum comminuisti*. Quasi dicat: si quid iurium in eis erat, annullasti; contra illud, quod dicitur *in Ps. 9.* Iudicare pupillo & humili. *Idcircò & infrà cap. 24. subiicitur:* Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum spoliauerunt: *pupillos*, qui scilicet N magis erant sustentandi: *& vulgum pauperum*; cui scilicet magis erat subueniendum. (*Vide & quæ ibi sequuntur*) *Alibi pro eodem scribit Author*: Inter O istos sunt mali principes & reges, Soph. 3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane*. Isti faciunt contra intentionem Domini, volentis iustum regnum, & dicentis Prou. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Et aliquando talia faciunt per modum furti: aliquando per violentiam, If. 1. *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*. Aliquando condendo leges, & statuendo ad lucrandum tantùm, If. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*. Et Augustinus ait, quòd *omnis mala donatio furtum est*. Vnde dicit in 4. de Ciu. Dei: *Remota iustitia, quid sunt ipsa regna, nisi quædam latrocinia?* Introducit autem P ad suum probandum intentum, exemplum de quodam pirata, qui vocabatur Dionides: qui cum fuisset captus ab Alexandro, quæsiuit hic ab eo, cur mare haberet infestum. Ipse verò libera contumacia respondit: *Quod tibi, ut Orbem terrarum. Sed quia ego exiguo nauigio id facio, latro vocor; tu verò, quia magna classe, diceris Imperator*.

N Iob. 24. l. 1. ibi.

O Op. 4. de 7. græc. §. 1.

P Op. 20. l. 3. 5.

Malæ malorum principum operationes describuntur.

O *Sed & mala tyrranorum, malorumue principum operationes tanguntur* If. 9. *cum dicitur*: Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu: & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis. *Siquidem* tyranni Q onerant præceptis; & quantùm ad hoc dicit: *Iugum oneris eius*, scilicet Sennacherib. Affligunt pœnis; & quantum ad hoc dicit: *& virga humeri eius*, idest, qua hum[illegible]os verberabant. Spoliant rebus; & ideò dicit: *& sceptrum exactoris eius*. Et hæc euenient: *quia omnis violenta prædatio cum tumultu*, idest violenti prædatores, quantùm ad nocumentum, quod inferebant in rebus. *Et vestimentum mistum sanguine* eorum, quos occidebant, quantùm ad nocumentum inflictum in personis: *erit in combustionem, & cibus ignis*: ad literam enim combusti fuerunt. *Et alibi*: Si Q princeps malus sit, altitudo potestatis eius mons pestifer est, vnde multa mala populo proueniunt, Ier. 51. *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram*. Nocet talis princeps populo, mala imperando, mala non corrigendo, exemplo malo ad malum prouocando, Prou. 28. *Regnantibus impiis ruina hominum*. Et cap. 29. *Cum impii sumpserint principatum, gemet populus*. Dignitas principis impii cathedra pestilentiæ est: beatus est qui in illa non sedit, *vt dicitur Ps. 1. Alio quoque in loco*: Cum R tyrannus *inquit* contempto communi bono, quærit priuatum, consequens est, vt subditos diuersimodè grauet, secundùm quod diuersis passionibus subiacet ad bona aliqua affectanda. Qui enim passione cupiditatis detinetur, bona subditorum rapit, Prou. 29. *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruet eam*. Si verò iracundiæ passioni subiacet, pro nihilo sanguinem fundit; vnde per Ezechielem dicitur cap. 22. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem*. Hoc ideò regimen fugiendum esse Sapiens monet Eccli. 9. *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi*: quia scilicet non pro iustitia, sed per potestatem occidit pro libidine voluntatis. Sic igitur nulla erit securitas, sed omnia sunt incerta, cum à iure disceditur; nec firmari potest quidquam, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Nec solùm in corporalibus subditos grauat, sed etiam spiritualia eorum bona impedit: quia qui plus præesse appetunt, quàm prodesse, omnem profectum subditorum impediunt, suspicantes, omnem subditorum excellentiam suæ iniquæ dominationi præiudicium esse. Tyrannis enim magis boni, quàm mali, suspecti sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Conantur igitur prædicti tyranni, ne ipsorum subditi, virtuosi effecti, magnanimitatis concipiant spiritum, & eorum iniquam dominationem non ferant, ne inter subditos amicitiæ fœdus firmetur, & pacis emolumento ad inuicem gaudeant (*quod & intra claustra exercetur quandoque*) vt sic dum vnus de altero non confidit, contra eorum dominium aliquid moliri non possint. Propter quod inter ipsos discordias seminant, exortas nutriunt, & ea, quæ ad fœderationem hominum pertinent, vt connubia, & conuiuia, prohibent, & cætera huiusmodi, per quæ inter homines solet familiaritas & fiducia generari. Conantur etiam, ne potentes, aut diuites fiant, quia de subditis secundùm suæ malitiæ conscientiam suspicantes; sicut ipsi potentia & diuitiis ad nocendum vtuntur, ita timent, ne potentia subditorum, & diuitiæ eis nociuæ reddantur. Vnde & *Iob* 15. de tyranno dicitur: *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit*, nullo scilicet malum ei intentante, *ille semper insidias suspicatur*. *Vel vt alibi*: Sonitus terroris &c. *videlicet* quia S ad quemlibet rumorem timet, aliquid contra se parari, quasi de nullo confidens; propter quod subditur: *Et cum pax sit &c.* idest, cum nullus contra eum aliquid moliatur, ipse tamen de omnibus formidat per suam impiam voluntatem, qua paratus esset omnibus nocere.) Ex hoc autem contingit: vt, dum præsidentes, qui subditos ad virtutes inducere deberent, virtuti subditorum nequiter inuident, & eam pro posse impediunt, sub tyrannis pauci virtuosi inueniantur. Naturale etiam est, vt homines sub timore nutriti, in seruilem degenerent animum, & pusillanimes fiant ad omne virile opus & strenuum: quod experimento patet in prouinciis, quæ diu sub tyrannis fuerunt. Vnde Apostolus ad Coloss. 3. dicit. *Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant*. Et ideò dicitur Prou. 28. *Cum surrexerint impii abscondentur homines*, vt scilicet tyrannorum crudelitatem euadant. Nec est mirum, quia homo absque ratione, secundùm animæ suæ libidinem præsidens, nihil differt à bestia. Vnde & Salomon dicit Prou. 28. cit. *Leo rugiens, & Vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem*. Et ideò à tyrannis se abscondunt homines, sicut à crudelibus bestiis: idemque videtur, tyranno subiici, & bestiæ sæuienti substerni. *Quàm verò noxius tyrannus, malusque princeps Ecclesiæ sit, notum satis apud historicos. Eapropter Apostolus rogabat* fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, *vt legitur 1. Tim. 2.* Nec T mirum, quòd hoc faciebat Paulus: sciebat enim bonitatē eorum valde vtilem esse Ecclesię Dei, multùmq; dolēdum esse his, qui Ecclesiā regunt, cum conspiciunt in optimatibus deteriorationem, in generosis degenera-

Q Is. 9. §. 1. ibi.

Q Op. de er. Pr. l. 1. c. 3. sub initio & Op. 20 l. 1. c. 3.

R Op. 20. loco cit.

Tyrannorum proprietates.

S Iob. 15. l. 2. ibi.

Pro regibus & principibus cur vult Paulus orationes fieri.

T Op. de er. Pr. in pref.

nera-

nerationem, & deformitatem in illis, qui debuerunt esse præ cæteris speciosi. Comitantur se temporaliũ bonorum abundantia, & spiritualium indigentia. In Mundo frequenter sunt deformiores qui videntur esse superiores: intùs enim igne infernali sunt exusti, igne videlicet iræ vel cupiditatis, vel luxuriæ (Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum.*) Multùm plangere debent qui habent zelum Dei, si videant cæcum principem statuæ Nabuchodonosor assimilatum, cuius caput fuit ex auro optimo; membra verò inferiora multùm erant capiti dissimilia. Quàm deuoti Deo & Ecclesiæ olim principes fuerunt, nouerunt qui antiquas historias legunt: sed quantùm ad multos, magna mutatio in ipsis facta est, & non in bonum. Vnde habet hodie locum illa admiratio *Thren. 4. cit.* Filij Sion incliti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea! *Vnum pro cunctis Angliæ regnum testimonium ferat.*

p *Veruntamen & in damnum suum vt plurimùm tyrannus regnat, vel ad malorum punitionem subditorum, quod & in propriam iacturam vedit, vt fusè superiùs præmissum est. Porrò tyrannorum* V dominium diuturnum esse non potest, cum sit multitudini odiosum. Non potest enim diu conseruari, quod votis multorum repugnat. Vix enim à quoquam præsens vita transigitur, quin aliquas aduersitates patiatur. Aduersitatis autem tempore occasio deesse non potest contra tyrannum insurgendi: & vbi adsit occasio, non deerit ex multis vel vnus, qui occasione non vtatur. Insurgentem autem populus votiuè prosequitur: nec de facili carebit effectu, quod cum fauore multitudinis attentatur. Vix ergo potest contingere, quòd tyranni dominium protendatur in longum. Hoc etiam manifestè patet, si quis consideret, vnde tyranni dominium conseruatur. Non enim conseruatur amore, cum parua, vel nulla sit amicitia subiectæ multitudinis ad tyrannum: de subditorum autem fide tyrannis confidendum non est. Non enim inuenitur tanta virtus in multis, vt fidelitatis virtute reprimantur, ne indebitæ seruitutis iugum, si possint, excutiant. *Ex quo benè deduxit ab initio Author, quòd* non permittit Deus, diu regnare tyrannos: sed post tempestatem per eos inductam populo, per eorum deiectionem tranquillitatem inducit. *Vnde Eccli. 10. dicitur*: Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mitos pro eis. *Et hoc est, quod dicitur* Iob 15. *vbi & tyranni infelicitas manifestatur*: Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorũ incertus est tyrannidis eius &c. *Impius superbit*, idest X extollitur contra Deum, & in nocumentum hominum: *cunctis diebus suis*, vbi dies suos dicit, non dies vitæ eius, sed dies potestatis, vel prosperitatis. Sed quia voluntas nocendi est homini à se ipso, potestas autem à Deo: non potest scire, quanto tempore ei detur potestas implendi suam impiam voluntatem; vnde subditur: *& numerus annorum incertus est tyrannidis eius.* Cum autem aliquis de aliquibus suis inimicis timet, sperare potest liberationem, etiam si ad horam succumbat, per adiutorium amicorum; sed ille, qui de nullo confidit, sed de omnibus timet, non potest sperare, quòd post oppressionem releuetur: & ideò paulo post subdit: *Non credit, quòd reuerti possit de tenebris ad lucem*, idest, de statu aduersitatis ad statum prosperitatis, *circumspectans, vndique gladium*; idest ex omni parte inimicos sibi imminere videns. Contingit autem quandoque, quòd aliquis tyrannus, etsi ab omnibus extraneis timeat, habet tamen alios familiares & domesticos, cum quibus securè conuertatur. Sed quando est superabundans malitia eius, etiam à domesticis suis timet, cum quibus viuit.

V Op. 20. l. 1. c. 10.
Tyrannorum dominiũ diu durabile.

Eorum continua infelicitas.
X Iob 15. l. 2. li.

Vnde sequitur: *Cum se mouerit ad quærendum panem, nouit, quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies*, idest mortis. Quasi dicat: Non solùm insidias suspicatur in actibus exterioribus, in quibus necesse habet cum extraneis conuersari; sed etiam in actibus domesticis comedendo, & bibendo, & huiusmodi, à domesticis suis mortem sibi parari credens. Et cum ipse sic timeat de omnibus, non quiescit, sed contra eos, quos timet, semper aliquid machinatur, & sic crescit ei timoris occasio. Vnde subdit: *Terrebit eum tribulatio*, scilicet ab alijs sibi imminens; *& angustia vallabit eum*, scilicet per mortis timorem ex omni parte, *sicut regem, qui præparatur ad prælium*; rex enim, qui ad prælium præparatur, sic angustiatur timore, ne perdat, quòd tamen molitur inimicos destruere. *Principes malè, & violenter regentes, infelici morte interiisse præter ea, quæ superiùs adducta sunt, plurimis exemplis diuina humanaque historia referta sunt, diuinamque iustam punitionem indicantes. Vnde dicitur Is. 10.* Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent &c. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? super omnibus his non est auersus furor eius, sed ad huc manus eius extenta &c. *Enimuerò summa nota ingratitudinis erga Deum in tyranno deprehenditur.* Deus enim Y honorauit eum, alijs hominibus ipsum præficiendo; ipse verò ex hoc inhonorat Deum in pauperibus, eos opprimendo. In hoc similis est militibus, qui Dominum crucifixerunt, qui arundine de manu eius accepta, caput eius percutiebant. In arundine signatur terrena potestas, quam principes à Deo accipiunt, & postea ex ea in pauperibus illum percutiunt.

Y Op. de er. Pr. l. 6. c. 5.

q *Ex quo multiplicem, & iustè quidem, experitur pœnam tyrannus.* Prima Z pœna principum qui in subditos suos crudeles sunt, est paupertas. Dominus enim videns eos iniquos in paucis bonis temporalibus eis commissis, non vult eis amplius dare, sciens, quòd *qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est*, vt habetur *Luc.* 16. Secunda est principatus diminutio, vel amissio; subditi enim eorum fugiunt eos. Iusto autem iudicio fit, vt qui plus volebant habere, quàm deberent, non habeant etiam quod debebant habere. Vnde legitur *3. Reg.* 12. quòd Roboam filius Salomonis, volens aggrauare iugum filiorum Israel, dominium decem tribuum amisit. Tertia est à maiori, & fortiori oppressio. Vult enim Deus, eos opprimi ab aliquo potentiori, sicut ipsi minùs potentes opprimunt (*Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, Sap. 11.) iuxta illud Ps. 57. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.* Per dentes & molas Leonum intelligitur potestes deuorandi pauperes & conterendi: quam interdum Dominus eis aufert. Quarta est cruciatus magni in futuro. Durum enim iudicium apud Deum merentur. Ea enim mensura, qua mensi fuerint, quibus præsunt, remetietur eis ab eo, qui præest illis. Vnde non credant, Deum misericorditer acturum cum eis, cum ipsi non agant misericorditer, immò nec iustè, cum subditis suis. Ad hæc pertinet quod legitur *Sap. 6. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Et iterum: *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Quinta est cælestis regni amissio: sic enim Dominus dicturus est illi, qui fidelis est in temporalibus istis: *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super mul-*

Pœna eorum multiplex.
Z Io. c. 6. & Op. 20. l. 1. c. 10. & 11.

ta te

ta te constituam : intra in gaudium Domini tui, Mat. 25. Et ita dicturus est illi, qui se habuit infideliter: *Quia super pauca fuisti infidelis, super nulla te constituam: intra in carcerem Domini tui*, qui paratus est diabolo & Angelis eius. *Et quamuis ita tyranno contingat, eo tamen tyrannus vt plurimùm succedit deterior*. Sic enim A in tyrannide solet contingere, vt posterior grauior fiat, quàm præcedens, dum præcedentia grauamina non deserit, & ipse ex sui cordis malitia noua excogitat. (*Sic de Roboam legimus* 3. *Reg.* 12. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.) Vnde Syracusis quondam, Dionysij mortem omnibus desiderantibus, anus quædam, vt incolumis, & sibi superstes esset, continuè orabat. Quod vt tyrannus cognouit, cur hoc faceret, interrogauit. Tum illa: *Puella* (inquit) *existens, cum grauem tyrannum haberemus, mortem eius cupiebam, quo interfecto, aliquantulùm durior successit. Eius quoque dominationem finiri, magnum existimabam. Tertium, te importuniorem habere cœpimus rectorem: itaque si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedet.*

A Op. 20. l. 1. c. 6.

Tyranno succedere consueuit alius deterior & cur.

t *Num autem tyrannus tolerandus à populo sit, an verò tyrannidi obstandum: Respondet Author*, *quòd* si B non fuerit excessus tyrannidis, vtilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quàm contra tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ sunt grauiora ipsa tyrannide. Potest enim contingere, vt qui contra tyrannum agunt, præualere non possint; & sic prouocatus tyrannus magis desæuiat. Quòd si præualere quis possit aduersùs tyrannum, ex hoc ipso proueniunt multoties grauissimæ dissentiones in populo: siue dum in tyrannum insurgitur, siue post deiectionem tyranni, erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes. Contingit etiam, vt interdum, dum alicuius auxilio multitudo expellit tyrannum, ille potestate accepta tyrannidem arripiat, & timens pati ab alio, quod ipse in alium fecit, grauiori seruitute subditos opprimat. Si autem sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, vt ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculo mortis, cuius rei exemplum etiam in veteri testamento habetur. Nam Aod quidam (*vt legitur Iudic.* 3.) Eglon Regem Moab, qui graui seruitute populum Dei premebat; sica infixa in eius femore interemit: & factus est populi iudex. Sed hoc Apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos Petrus, *non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis Dominis reuerenter subditos esse: hæc est enim gratia; si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè*, 1. Pet. 2. Vnde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannicè, magnaque multitudo tam nobilium, quàm populi esset ad fidem conuersa, non resistendo, sed mortem patienter & armati sustinentes pro Christo, laudantur, vt in Sacra Thebæorum legione manifestè apparet; magisque Aod iudicandus est hostem interemisse, quàm populi rectorem, licèt tyrannum. Vnde & in veteri testamento leguntur occisi fuisse hi qui occiderunt Ioas Regem Iuda, quamuis à cultu Dei recedentem, eorumque filij reseruati secundùm legis præceptum. Esset autem hoc multitudini periculosum, & eius rectoribus, si priuata præsumptione aliqui attentarent præsidentium necem, etiam tyrannorum. Plerumque enim huiusmodi periculis magis exponunt se mali, quam boni: à malis autem solet esse graue dominium, non minùs regum, quàm tyrannorum, quia secundùm sententiam Salomonis Prou. 20. *Dissipat impios rex sapiens*. Magis igitur ex huius præsumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quàm remedium de subtractione tyranni.

Num à populo tolerandus, an illi obsistendum sit.

B lib. & c. 10. & 2. 2. 64. 3. In 2. d. 44. 2. 2. 5. & ad 5.

Videtur autem magis contra tyrannorum sæuitiam, non priuata præsumptione aliquorum, sed authoritate publica procedendum. Primò quidem, si ad ius multitudinis alicuius pertineat sibi prouidere de Rege, non iniustè ab eadem rex institutus potest destrui, vel refrænari eius potestas, si potestate regia tyrannicè abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi eidem in perpetuum se ante subiecerat: quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, vt exigit regis officium, quòd ei pactum à subditis non reseruetur. Sic Romani Tarquinium superbum, quem in regem susceperant, propter eius & filiorum tyrannidem à Regno eiecerunt, substituta minori, scilicet consulari, potestate. Sic etiam Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus, Vespasiano patri, & Tito filio eius successerat, dum tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemptus est, omnibus, quæ peruersè Romanis fecerat, per S. C. iustè & salubriter in irritum reuocatis. Quo factum est, vt B. Ioannes Euangelista, dilectus Dei discipulus, qui per ipsum Domitianum in Patmos Insulam fuerat exilio relegatus, ad Ephesum per S. C. remitteretur. Si verò ad ius alicuius superioris pertineat multitudini prouidere de rege, expectandum est ab eo remedium contra Tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Iudæa pro Herode patre suo regnare iam cœperat, paternam malitiam imitantis, Iudæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum deferentibus, primò quidem potestas diminuitur, ablato sibi regio nomine, & medietate Regni sui inter duos fratres suos diuisa: deinde cum neque sic à tyrannide compesceretur, à Tiberio Cæsare relegatus est in exilium apud Lugdunum Galliæ Ciuitatem. Quòd si omninò contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*. Eius enim potentiæ subest, vt cor tyranni crudele conuertat in mansuetudinem, secundùm Salomonis sententiam, Prou. 21. *Cor regis in manu Domini; quòcumque voluerit, inclinabit illud*. Ipse enim regis Assueri crudelitatem, qui Iudæis mortem parabat, in mansuetudinem vertit. Ipse est, qui ita Nabuchodonosor crudelem regem conuertit, quòd factus est diuinæ potentiæ prædicator, Dan. 4. *Nunc igitur* inquit *ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico regem Cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare*. Tyrannos verò, quos reputat conuersione indignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundùm illud Sapientis Eccli. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis*. Ipse est, qui videns afflictionem populi sui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonem tyrannum deiecit cum Exercitu suo in mare. Ipse est, qui memoratum Nabuchodonosor priùs superbientem, non solùm eiectum de regni solio, sed etiam de hominum consortio, in similitudinem bestiæ commutauit. *Non enim est abbreuiata manus Domini Is.* 59. vt populum suum à tyrannis liberare non possit: *quippe qui totum Mundum ex diaboli captiuitate nouit eripere. Cui soli honor & gloria in secula seculorum Amen.* DISCE *propter peccata populi regnare tyrannos*. *Vide* Nu. præced. & *V.* Episcopus *Tomo* 2. & *diffusissimè* Authorem Op. 20. & Opusc. *de Erud. Princ.*

Tarquinius superbus.

Domitianus.

Archelaus.

Ad Deum; deficiente humano auxilio, recurrendum pro tyrannorum subtractione, vel conuersione.

Nabuchodonosor.

Pharao.

PRO-

PRODIGALITAS. *Vide* Auaritia *Tomo* 1. DIVES *Tomo* 2. Liberalitas.

PROPHETA, PROPHETIA.

XXVII. Ad prophetiam requiritur inspiratio quantùm ad mentis eleuationem: reuelatio autem quantùm ad ipsam perceptionem diuinorum 2. 2. 171. 1. *ad* 4.

Propheta vnde dicatur.

C 1.Cor.14.l.1 ibi, prophetis, & c.11.l.2.tit. 1.l.3.Hebr.1.l. 1.& c. 11.l.7. ibi prophetis, Io.11.l.7.lit g. fi.Is. 1.initio 2. 2.171. 1. c. & a. 3. & 6. in sed contra & q.173. 2. & 3. p.7.8.c.Ver.12. a.1.3. & 12.

Propheta quid.

D a. 2. 171. & de Ver. & Is. loc. cit.

Ad propheticam visionem exiguntur quatuor.

S VT *ò pluribus erudimur locis*, Propheta C dicitur quasi *procul videns*: & secundùm quosdam, dicitur à *for faris*: sed meliùs dicitur à *phanos*, quod est *videre* (*siue* quod D est *apparitio*, quia scilicet ei aliqua, quæ sunt procul, apparent:) vnde 1. *Reg.* 9. *legitur*, quòd *qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim* Videns. Et ideò visio eorum, quæ sunt procul, siue sint futura contingentia, siue supra rationem nostram, dicitur prophetia. Est igitur prophetia, visio seu manifestatio futurorum contingentium, seu intellectum humanum excedentium. Ad huiusmodi autem visionem quatuor requiruntur. Cum enim cognitio nostra sit per corporalia, & per phantasmata à sensibilibus accepta: Primò exigitur, quòd in imaginatione formentur similitudines corporales eorum, quæ ostenduntur; vt *Dionysius* dicit, quòd *impossibile est aliter lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velanimum circumuolatum*. Secundum quod exigitur, est lumen intellectuale, illuminans intellectum ad ea, quę supra naturalem cognitionem nostram ostenduntur cognoscenda. Nisi enim ad similitudines sensibiles, in imaginatione formatas, intelligendas adsit lumen intellectuale, ille cui huiusmodi similitudines ostenduntur, non dicitur propheta, sed potiùs somniator: sicut Pharao, qui licèt viderit spicas, & vaccas, quæ erant indicatiua futurorum quorundam; quia tamen non intellexit quod vidit, non dicitur Propheta: sed potiùs ille, scilicet Ioseph, qui interpretatus est. Et similiter est de Nabuchodonosor, qui vidit statuam, & non intellexit: vnde nec propheta dicitur, sed Daniel. Et propter hoc dicitur Dan. 10. *Intelligentia est opus in visione*. Tertium quod exigitur, est audacia ad annunciandum ea, quæ reuelantur. Ad hoc enim Deus reuelat, vt alijs denuncientur, Ier. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo &c.* Quartum est operatio miraculorum, quæ sunt ad certitudinem prophetiæ. Nisi enim facerent aliqua, quæ excedunt operationem naturæ, non crederetur eis in his, quæ naturalem cognitionem transcendunt. Secundùm ergo hos modos prophetiæ dicuntur aliqui diuersis modis prophetæ. Aliquando enim aliquis dicitur Propheta, qui habet omnia ista quatuor, scilicet, quòd videt imaginarias visiones, & habet intelligentiam de eis, & audacter denunciat alijs, & operatur miracula. Et de hoc dicitur Num. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Aliquando autem dicitur Propheta ille, qui habet solas imaginarias visiones: sed tamen impropriè, & magis remotè. Aliquando dicitur propheta, qui habet intellectuale lumen ad explanandum etiam visiones imaginarias, siue sibi, siue alteri factas: Vel ad exponendum dicta prophetarum, vel scripturas Apostolorum. Et sic dicitur propheta, omnis qui discernit Doctorum scripturas: quia eodem spiritu interpretatæ sunt, quo editæ sunt. Et sic Salomon & Dauid possunt dici prophetæ, in quantùm habuerunt lumen intellectuale ad clarè & subtiliter intuendum: nam & visio Dauid intellectualis tantùm fuit. Dicitur etiam propheta aliquis solùm ex hoc, quòd prophetarum dicta denunciat, seu exponit, seu cantat in Ecclesia; & hoc modo dicitur 1. Reg. 19. quòd *Saul erat inter prophetas*, idest inter cantantes dicta prophetarum. Dicitur etiam aliquis propheta ex miraculorum operatione, secundùm illud Eccli. 48. de Eliseo, quòd *mortuum prophetauit corpus eius*, idest miraculum fecit. *Sed & ad prophetia clariorem notitiam, sciendum vlteriùs, quòd* Spiritus Sanctus E mouet mentem prophetæ, sicut agens principale mouet instrumentum suum. Potest autem Spiritus Sanctus mouere ad tria, scilicet ad cognoscendum, ad loquendum, & ad faciendum. Et ad quodlibet istorum dupliciter. Ad cognoscendum scilicet quandoque cum intellectu eius, quod videtur, sicut fuit Isaias & alij prophetæ. Aliquando autem sine cognitione eius, quod videtur, sicut patet in somnio Pharaonis, & in visione Balthasar. Ad loquendum etiam mouet dupliciter: quandoque ad sciendum id, de quo loquitur; sicut patet de Dauid: quandoque autem nescit, sicut Caiphas. Similiter etiam quandoq; mouet ad faciendum, & scit, quid facit, sicut Ieremias, qui abscondit lumbare suum super Euphraten: quandoque autem nescit, sicut dicit *August. super Io.* de militibus, qui diuiserunt sibi vestimenta Christi, non tamen cognoscebant mysterium, ad quod illa diuisio ordinabatur. Hoc est ergo de ratione prophetæ, quòd cognoscat illud, quod videt vel dicit vel facit. Quando autem non cognoscit, non est verè propheta, sed participatiuè tantùm. Et sic, dicit Ioannes, Caipham prophetasse, quia habuit aliquid prophetiæ, cum ait cap. 11. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo &c.* Iste autem motus Spiritus Sancti, dicitur instinctus *secundũ Augustinum*. Et dicendũ F quòd Caiphas verba illa dixit instinctu Spiritus Sancti: non enim Ioannes addidisset, *cum esset Pontifex anni illius*. Ideò ergo Caiphæ dignitatem addidit, vt insinuaretur eum instinctu Spiritus Sancti fuisse locutum. Caiphas ergo (*post pauca*) licèt visionem propheticam non habuerit, habuit tamen denunciationem rei propheticæ, in quantùm scilicet denunciauit vtilitatem mortis Christi. Quandoque enim Spiritus Sanctus mouet ad totum, quod pertinet ad prophetiam: quandoque autem ad aliquid tantùm. Caiphæ autem nec mentem illuminauit, nec imaginationem; & ideò eius mens & imaginatio ad malum intenta mansit. Mouit tamen linguam eius, vt proferret modum, quo salus populi impleretur. Vnde non dicitur propheta, nisi in quantùm habuit propheticum actum in denunciatione, imaginatione & ratione eius ad contrarium existente. Ex quo patet, quòd non magis potest dici propheta, quàm asina Balaam.

Quot modis possit quis propheta dici.

E Hebr. 11. l. 7. ibi, prophetis 2. 2. 173. 4.

Spiritus Sanctus mentem mouet prophetæ, sicut agens principale instrumentũ suum.

Et potest mouere ad tria.

Qualiter Caiphas prophetasse dicatur.

F Io. 11. l. 7. lit. g. & 1. Cor.12.l.1 Ti. 1.l.3.fi. In 4. d. 19. exp. tex.

G 2.2.171. 4. fi c. Ver. 12. 1. ad 5. Rom. 15. l. 3. ibi, in Hispaniam.

Prophetæ nõ omnia cognoscunt prophetabilia, sed quæ specialiter sibi reuelantur.

t *Quoniam verò* principium G eorum, quæ diuino lumine propheticè manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetæ in se ipsa non vident; ideò non oportet, quòd omnia prophetabilia cognoscant. sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundùm specialem reuelationem huius, vel illius rei. *Secundùm inquam specialem reuelationem: quia* mens H prophetæ dupliciter à Deo instruitur. Vno modo per expressam reuelationem: alio modo per quendam instinctum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, vt *Augustinus* dicit *sup. Gen. ad lit.* De his ergo, quæ expressè per spiritum prophetiæ pro-

Dupliciter mens prophetæ à Deo instruitur.

H 2. 2. loco cit. a. 5. c. Ver. l. c. ad 1. & 16.

An propheta discernat quid per proprium spiritum dicat, & quid per spiritum prophetiæ.

propheta cognoſcit, maximam certitudinem habet, & pro certo habet, quòd hæc ſunt ſibi diuinitùs reuelata. Vnde dicitur Ier. 26. *In veritate miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc.* Alioquin ſi de hoc ipſe certitudinem non haberet, fides, quæ dictis prophetarum innititur, certa non eſſet. Et ſignum propheticę certitudinis accipere poſſumus ex hoc, quòd Abraham admonitus in prophetica viſione, ſe præparauit ad filium vnigenitum immolandum: quod nullatenùs feciſſet, niſi de diuina reuelatione fuiſſet certiſſimus. Sed ad ea, quæ cognoſcit per inſtinctum, aliquando ſic ſe habet, vt non plenè diſcernere poſſit, vtrùm hæc cogitauerit aliquo diuino inſtinctu vel per ſpiritum proprium. Non autem omnia, quæ cognouimus diuino inſtinctu, ſub certitudine prophetica nobis manifeſtantur. Talis enim inſtinctus eſt quiddam imperfectum in genere prophetiæ. *Cum autem dicat Apoſtolus ad Eph. 5.* Omne quod manifeſtatur, lumen eſt: *ſciendum, quòd* lumen I dupliciter alicui ineſſe poteſt. Vno modo per modum formæ permanentis; ſicut lumen corporale eſt in ſole & in igne. Alio modo per modum cuiuſdam paſſionis, ſiuè impreſſionis tranſeuntis, ſicut lumen eſt in aere. Lumen autem propheticum non ineſt intellectui prophetæ per modum formæ permanentis; aliàs oporteret, quòd ſemper prophetæ adeſſet facultas prophetandi: quod patet eſſe falſum. Vnde Eliſeus dixit de muliere Sunamite 4. Reg. 4. *Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Et huius ratio eſt, quia lumen intellectuale in aliquo exiſtens per modum formæ permanentis & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoſcendum principium illorum, quæ per illud lumen manifeſtantur, ſicut per lumen intellectus agentis præcipuè intellectus cognoſcit prima principia omnium illorum, quæ naturaliter cognoſcuntur. Principium autem eorum, quæ ad ſupernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifeſtantur, eſt ipſe Deus, qui per eſſentiam à prophetis non videtur. Videtur autem à beatis in patria, in quibus huiuſmodi lumen ineſt per modum cuiusdam formæ permanentis & perfectæ, ſecundùm illud Pſ. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Relinquitur ergo, quòd lumen propheticum inſit animæ prophetæ per modum cuiuſdam paſſionis, vel impreſſionis tranſeuntis. Et hoc ſignificatur Exod. 33. *Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam &c.* Et 3. Reg. 19. dicitur ad Eliam: *Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit &c.* Et inde eſt, quòd ſicut aer ſemper indiget noua illuminatione: ita etiam mens prophetæ ſemper indiget noua reuelatione: ſicut diſcipulus, qui nondum eſt adeptus principia artis, indiget vt de ſingulis inſtruatur. Vnde Iſ. 50. dicitur: *Mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Donum idcircò prophetiæ L aſſimilatur auditui (*quamuis quædam viſio ſit*) quia propheta non videt Dei eſſentiam, vt in ea videat reuelata; ſed quædam ſigna veritatis reuelatæ fiunt in anima prophetæ. Et hæc ſigna habent ſe per modum locutionis, 1. Reg. 3. *Loquere, Domine: quia audit ſeruus tuus*; & Iſ. 21. *Quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſrael, annunciaui vobis.*

Lumen propheticum quonam modo inſit intellectui prophetæ.

I 2.2. l.c.a. 2.c. & 3.con G. c. 154. *Ver.* 12. 3.c. *Pet* 6.4.ſi.c. & 1. *Cor.* 14. l. 6. *ibi*, prophetis.

Viſio prophetica cur auditui aſſimiletur.

L Pſ. 50. *lit.* c. *ibi*, auditui.

u *Ex præfatis plures excluduntur errores, qui de prophetis irrepſerunt, & prophetia.* Exploduntur autem ex verbis Apoſtoli dicentis ad *Hebr.* 1. Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, *ſignanter, non per Prophetas*: Primò M quidem, vt excluderet errorem *Porphyrii* dicentis, quòd prophetæ ea, quæ dixerunt, fingendo, non ex Spiritu Sancto dixerunt. Et contra hoc dicit: *in prophetis*; quaſi non ipſi locuti ſunt ex ſe, ſed Deus locutus eſt in eis: 2. Pet. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Secundò ad excludendum errorem quorundam dicentium, prophetiam eſſe quid naturale, & haberi per naturalem diſpoſitionem: ſicut cum aliquis melancholicus eſt adeò fortis imaginationis, quòd imaginata apprehendit, vt certa, & res ipſas; & ideò dicit: *loquens in prophetis.* Quaſi dicat: Non habetur prophetia per modum naturalis diſpoſitionis & paſſionis, ſed per locutionem internam à Deo, Io. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat.* Tertiò contra errorem dicentium, haberi prophetiam per modum habitus, ſicut ſcientiam, vt ſcilicet quandocumque vult, prophetet: quod non eſt verum, cum prophetiæ ſpiritus non adſit prophetis ſemper, ſed cum eorum mens illuſtratur diuinitus. Et ideò dicit: *in prophetis.* Quaſi dicat: Non quòd habeatur ab omnibus & ſemper vt habitus, ſed in illis, in quibus & quando placet Deo loqui. Quartò ad excludendum errorem *Priſcillæ* & *Montani* dicentium, prophetas non intelligere ea, quæ dicebant: quod non eſt verum; vnde dicitur Agg. 1. *Factum eſt verbum Domini in manu Aggei prophetæ*: in manu, ideſt poteſtate. Et 1. Cor. 14. *Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.* Et ideò dicit: *in prophetis*; ideſt in intellectu & poteſtate prophetarum. *Porrò non ſemper prophetica viſio fit cum abſtractione à ſenſibus, ſiuè alienatione. Nam* prophetica N reuelatio fit ſecundùm quatuor: ſcilicet ſecundùm influxum intelligibilis luminis, ſecundùm immiſſionem intelligibilium ſpecierum, ſecundùm impreſſionem, vel ordinationem imaginabilium formarum, & ſecundùm expreſſionem formarum ſenſibilium. Manifeſtum eſt autem, quòd non fit abſtractio à ſenſibus, quando aliquid repræſentatur menti prophetæ per ſpecies ſenſibiles, ſiuè, ad hoc ſpecialiter formatas diuinitus, ſicut fuit rubus oſtenſus Moyſi, & Scriptura oſtenſa Danieli: ſiue etiam per alias cauſas productas; ita tamen quòd ſecundùm diuinam prouidentiam ad aliquid propheticè ſignificandum ordinetur, ſicut per arcam Noë ſignificabatur Eccleſia. Similiter etiam non eſt neceſſe, vt fiat alienatio à ſenſibus exterioribus, per hoc quòd mens prophetæ illuſtratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus ſpeciebus, quia in nobis perfectum iudicium intellectus habetur per conuerſionem ad ſenſibilia, quæ ſunt prima noſtræ cognitionis principia: ſed quando fit reuelatio prophetica ſecundùm formas imaginarias, neceſſe eſt fieri abſtractionem à ſenſibus, vt talis apparitio phantaſmatum non referatur ad ea, quæ exteriùs ſentiuntur. Sed abſtractio à ſenſibus quandoque fit perfectè, vt ſcilicet nihil homo ſenſibus percipiat: quandoque autem imperfectè, vt ſcilicet aliquid percipiat ſenſibus, non tamen plenè diſcernat, quæ exteriùs percipit, ab his, quæ imaginabiliter videt. Vnde *Auguſtinus* dicit ſuper Gen. ad lit. *Sic videntur quæ in ſpiritu ſunt imagines corporum, quemadmodum corpora per corpus, ita vt ſimul cernatur & homo aliquis præſens, & abſens alius, ſpiritu tanquam oculis &c.* Talis tamen alienatio à ſenſibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, ſicut in arreptitiis vel furioſis, ſed per aliquam cauſam ordinatam; vel naturalem, ſicut per ſomnium: vel ſpiritualem, ſicut per contemplationis vehementiam, ſicut de Petro legitur Act. 10. quòd cum oraret in cœnaculo

Errores de prophetia.

M Hebr. 1. l. 1. *ibi*.

Error Porphyrij.

Error Priſcillæ & Montani.

Reuelatio prophetica ſecundùm quatuor.

N 2.2.173. 3.c. *Ver.* 12.9.

An prophetica viſio ſemper cum abſtractione à ſenſibus fiat.

Abſtractio à ſenſibus dupliciter fit.

culo, *cecidit super eum mentis excessus*: vel victore diuina rapiente, secundùm illud Ezech. 1. *Facta est super eum manus Domini.*

2.2.171.1. ad 4. Duo ad prophetiam requisita.

x *Ex quo sequitur*, *quòd* ad prophetiam S requiritur inspiratio quantùm ad mentis eleuationem, secundùm illud Iob 32. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*: reuelatio autem, quantùm ad ipsam perceptionem diuinorum, in quo perficitur prophetia, & per ipsam remouetur obscuritatis ignorantiæ uelamen, *secundùm illud Iob.* 12. Qui reuelat profunda de tenebris: (*Quod aiebat ab initio author.*) *Hac autem reuelatio fit mediantibus Angelis. Quia enim* Angeli T medij sunt inter Deum & homines, vtpote plus participantes de perfectione diuinæ bonitatis, quàm homines: ideò illuminationes & reuelationes diuinæ à Deo ad homines per Angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio est per illuminationem, & reuelationem diuinam: unde manifestum est, quòd fit per Angelos. *Sciendum autem, quòd* in reuelatione V prophetica duo concurrunt: scilicet mentis illustratio, & formatio specierum in imaginatiua uirtute. Ipsum ergo propheticum lumen, quo mens prophetæ illustratur, à Deo originaliter procedit; sed tamen ad ejus congruam susceptionem mens humana Angelico lumine confortatur, & quodammodo præparatur. Cum enim lumen diuinum sit simplicissimum & uniuersalissimum in virtute, non est proportionatum ad hoc, quòd ab anima humana in statu viæ percipiatur, nisi quodammodo contrahatur & specificetur per coniunctionem ad lumen Angelicum quod est magis contractum & humanæ menti magis proportionatum. Sed ipsa formatio specierum in imaginatiua uirtute propriè Angelis est attribuenda, eo quòd tota corporalis creatura administratur per creaturam spiritualem, ut *Aug.* probat *in* 3. *de Trin.* Vis autem imaginatiua utitur organo corporali: unde specierum formatio in ipsa ad ministerium propriè pertinet Angelorum. *Cum autem prophetica cognitio fit per reuelationem diuinam, consequens est, ut huiusmodi cognitioni nullatenus possit falsum subesse. Nam* veritas X cognitionis est eadem in discipulo & in docente: quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis, sicut in rebus naturalibus forma generati est similitudo quædam formæ generantis. Et per hunc etiam modum *Hieronymus* dicit, quòd prophetia est quoddam signum diuinę præscientię. Oportet igitur eandem esse veritatem propheticæ cognitionis, & enunciationis, quæ est cognitionis diuinæ, cui impossibile est subesse falsum: unde prophetiæ non potest falsum subesse. *Ad quam innuendam certitudinem prophetiæ, utuntur non semel prophetæ tempore anteacto, loco venturi: sicut illud David de Apostolis Ps.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum: *quod assumit Paulus* ad Rom. x. *Quo loco ex Aug.* notandũ Y quòd hęc verba nondũ erant completa, quando Apostolus talia loquebatur; sed prævidebat ea esse complenda; & ideo utitur præterito pro futuro propter certitudinem diuinæ præordinationis: sicut etiam Dauid, cuius uerba assumit Apostolus, manifestè utebatur præterito pro futuro. *Non secus & illud de Christo Ps.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. *Quod refert idem Apostolus* ad Hebr. 2. *Vbi Author*: Vtitur *inquit* propheta Z præterito pro futuro propter maiorẽ certitudinem: iam enim factum est in æterna Dei prædestinatione. *Et alibi non rarò. Quòd si quæras, utra sit excellentior prophetia, num visionem habens intellectualem, an imaginariam? Dicendum, quòd* dignitas A eorum, quæ sunt ad finem, præcipuè consideratur ex fine. Finis autem prophetiæ est manifestatio alicuius ueritatis supra hominem existentis. Vnde quantò huiusmodi manifestatio est potior, tantò prophetia est dignior.

T 2.2.172.2.c. & 1.p.3.x. Ver. 12.a.8.c. & ad 3. & 5. & a 13. & c.3. con. G.c.154. lit. a. Prophetica reuelatio fit à Deo mediantibus Angelis.

V Ver. 12.8.c. Quo pacto fiat.

X 2.2.171.6.c. & ad 2. & 172. 1. Ver. 12.3.c. Propheticæ cognitioni non potest falsum sub.

Y Rom. x. l. 3. ibi. Ad certitudinem veritatis propheticæ, præterito pro futuro prophetæ utuntur.

Z Hebr. 2. l. 2. ibi.

Vtra excellentior prophetia, num per visionem intellectualem, an per imaginariam. A 2.2.174.2.c. Ver. 4.12.12.& 13. lit. a.

Manifestum est autem, quòd manifestatio diuinæ ueritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius ueritatis, potior est quàm illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum. Magis enim appropinquat ad uisionem patriæ secundùm quam in essentia Dei ueritas conspicitur. Et inde est, quòd prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundùm intellectualem veritatem, est dignior, quàm illa, in qua ueritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum, secundùm imaginariam visionem. Et ex hoc etiam ostenditur mens prophetæ sublimior, sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem à magistro nudè prolatam capere potest, quàm ille qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci. Vnde in commendationem prophetiæ Dauid dicitur 2. Reg. 23. *Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel*; & postea subdit: *Sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat.* Ex B parte *sanè* eius, quod reuelationem facit, eminentior gradus prophetię est, quando uidetur ille qui loquitur, quàm quando verba audiuntur tantùm, siue sit in somnio, siue in uisione: quia ostenditur, quòd magis accedit propheta ad cognitionem eius, qui reuelat. Quando uerò uidetur ille, qui loquitur, altior gradus prophetiæ est, quando uidetur in specie Angeli, quàm quando videtur in specie hominis, & adhuc eminentior si uideatur in figura Dei: sicut Isaias c. 6. *uidit Dominũ sedentem.* Cũ enim prophetiæ reuelatio (*ut præmissũ est*) Deo descendat in Angelũ, & ab Angelo in hominẽ, tantò ostẽditur plenior prophetiæ receptio, quantò magis acceditur ad primũ principiũ prophetiæ. *Vide plura cit. locis de excellẽtiori prophetia quoad uisionẽ imaginariã.*

B Ver. loco cit. a. 13. s. c. & 2. 2. l. c. a. 3.

y *Cæterùm* triplex C est species prophetię, scilicet prædestinationis, nobilcũ præscientiæ, & comminationis. Prophetia enim dicitur prænunciatio eorum, quæ sunt procul, idest futurorum. Futurorum autem quædam sunt, quæ solus Deus facit: quædam uerò, etsi Deus facit, tamen fiunt per nos, & per alias etiam creaturas. Quædam autem sunt, quæ nullo modo Deus facit, ut mala. Prænunciatio illorum, quæ solus Deus facit, vocatur prophetia prædestinationis: sicut conceptus Virginis, Is. 7. *Ecce uirgo concipiet*, est prophetia prædestinationis, sed ea quæ fiunt à causis secundis, possunt dupliciter considerari. Primò secundùm quod sunt in præscientia Dei, u. g. de suscitatione Lazari. Si enim aliquis consideret causas naturales, diceret, quòd nunquam resurgeret; & uerum diceret cum tamen deberet resuscitari secundùm ordinem diuinæ præscientiæ. Ergo quando prophetia est prænunciatio, secundùm quod est in præscientia diuina, semper impletur. Quando autem est secundùm ordinem causarum inferiorum, non semper: sicut patet *Is. fi. c.* 38. quando Isaias ad Ezechiam dixit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non uiues.* Prophetia *porrò* præscientiæ D potest esse bonorum & malorum: quod non contingit de prophetia prędestinationis quæ est bonorum tantùm. Et quia prædestinatio sub præscientia comprehenditur, ideò *in glossa in principio Psalterii* ponitur tantùm duplex prophetiæ species, scilicet secundùm præscientiam, & secundùm comminationem. *Aduerte autem, quòd* prophetia E prędestinationis completur sine nostro arbitrio causante; non tamen sine nostro arbitrio consentiente. *Vnde & docemur, quòd* ad Christi F conceptionem interuenit consensus Virginis, non quasi operans, sed sicut impedimentum remouens: non enim inuitè tantum beneficium præstari debebat. *At uerò* prophetia G comminatoria penè tunc solummodo immutatur, quandò merita eius uariantur, in quem comminatio facta est. Vnde *Ier.* 18 *dicitur*: Repentè loquar aduersùm gentẽ, & adversus regnũ, ut eradicẽ, & destruam, & disperdã illud. Si

C Mat. 1. lit. 2. ibi, Ver. 12. a. 2. & xi. 3 con. 2. c. 154. Triplex prophetię species prædestinationis, præscientiæ, & comminationis.

D 2.2.174.1. c. Prophetia præscientiæ bonorum & malorum est; prædestinationis bonorum tantùm.

E 3 p. 30. 1. ad 1 in 3. d. 3 3. 1. 4. 1. ad 3. F Ve. 12 x. ad 6. G 4. d. 46. 2. 3. q 2. ad 3. & 3. con. G. c. 154. Ver. l. c. ad 7. 8 & 13. Prophetia comminationis, an & quomodò immutetur.

si pœnitentiam egerit gens illa á malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. (*Ad quæ coharenter de conuersis Niniuitis dicitur Ion.* 3. Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.) Vnde cum damnatorum merita mutari non possint, comminatio pœnæ semper in eis implebitur. Nihilominùs tamen prophetia comminationis semper quantùm ad aliquem intellectum impletur: quia, vt dicit *Augustinus 21. de Ciuit. Dei*. Euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est Ciuitas in perditis moribus. *Talis fuit & prophetica comminatio Isaiæ ad Ezechiam* cap. 38. Et quamuis H non esset conditio explicitè proposita, est tamen illa denunciatio sub implicita conditione intelligenda, scilicet tali ordine rerum remanente. *Quo mutato, mutatur & comminationis prophetia. Quocirca & illud notandum, aliud esse Dei consilium mutari, aliud mutari sententiam.* Consilium Dei I dicitur ipsa æterna Dei dispositio, quæ nunquam variatur, propter quod dicit *Gregorius*, quòd Deus nunquam mutat consilium. Sententia verò dicitur hoc, ad quod aliquæ causæ ordinatæ sunt. Sententiæ autem in iudiciis ex causarum meritis proferuntur. Quandoque autē hoc, ad quod causæ sunt ordinatæ, est à Deo ab æterno dispositū; & tunc idem est Dei consilium, & Sententia. Quandoque verò ad aliquid ordinatæ sunt causæ, quod non est à Deo ab æterno dispositum: & tunc Dei consilium, & sententia feruntur ad diuersa. Ergo ex parte Sententiæ, quæ respicit causas inferiores, inuenitur mutabilitas, sed ex parte cōsilii inuenitur sēper immutabilitas. Prophetæ verò reuelatur quandoque sententia consilio cōformis: & tunc prophetia habet immobilem veritatem, etiam quantùm ad euentum. Quandoque verò reuelatur sententia non conformis consilio: & tunc habet immobilem veritatem quantùm ad ordinem, & non quantùm ad euentum. *Enimuerò* sub prophetia L comminationis intelligitur & prophetia promissionis, quia de eis est eadem ratio. Ideò tamen magis exprimitur de prophetia comminationis, quia frequentiùs inuenitur reuocata comminatio, quàm promissio. Deus enim pronior est ad miserendū, quàm ad puniendū.

H *Ver.* 12. 10 *ad* 10.

Deus sententiam mutat, non consilium.

I *Ibid. a.* 11. *ad* 3. *Hebr.* 6. *d. ibi*, abundantiùs:

Sub prophetia comminationis intelligitur & prophetia promissionis.

L *Ver* 12. 10 *ad* 9.

2 *Ex premissis deducitur, quòd* prophet a M nullo modo potest esse virtus: neque intellectualis, cum non perficiatur per eam operatio intellectus secundùm modum intellectui connaturalem, quia ea, quæ per prophetiam reuelantur, non possunt resolui ad principia naturaliter cognita. Neque est virtus theologica, quia non habet Deum pro obiecto, sed res temporales. Neque iterum actus intellectus per prophetiam à voluntate imperatur. *Præterea* prophetia N non est donum gratiæ gratum facientis: *unde &* potest esse potior in prophetia qui est minor in merito. *Est autem gratia gratis data, nam inter illas expressè eam Apostolus connumerat* 1. *Cor.* 12. Alii prophetia, alii discretio spirituum &c. *Ad quam proinde non exigitur bonitas morum; unde &* prophetia O potest esse sine charitate: quod apparet ex duobus. Primò quidem ex actu vtriusque: nam prophetia pertinet ad intellectum, cuius actus præcedit actum voluntatis, quem perficit charitas. *Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 13. prophetiam connumerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine charitate haberi. Secundò ex fine vtriusque. Datur enim prophetia ad vtilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, secundùm illud Apostoli. 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Non autem ordinatur directè ad hoc, quòd affectus ipsius prophetæ coniungatur Deo, ad quod ordinatur charitas. Si verò consideremus bonitatem morū secundùm passiones animæ & actiones exteriores, secundùm hoc impeditur aliquis a prophetia per morum malitiam. Nam ad prophetiā requiritur maxima mentis eleuatio ad spiritualium contemplationem; quæ quidem impeditur per vehementiam passionum: (*ex quo docemur, quòd quia propter vehementiam delectationis* per peccatum P carnale luxuriæ, præcipuè mens humana deprimitur, vt ad superna ferri non possit, *etiam in actu matrimoniali* inquit Hieronymus *Spiritus Sanctus corda prophetarum non tangit*:) & per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Vnde & de filiis Prophetarum legitur 4. *Reg.* 4. quòd habitabant cū Eliseo, quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono prophetiæ. *Et hinc consequenter instruimur, quòd* non Q quicumque bonus, est magis aptus ad prophetiam habendam, quàm quilibet peccator: cum aliqui charitate carentes, magis habeant aptas mentes ad spiritualia percipienda (vtpotè à carnalibus & terrenis vacantes, & naturali intellectus præditi claritate) quibusdam è contrario charitatem habentibus, terrenis negociis implicitis, & carnali dantibus operam generationi, nec intellectum habentibus naturaliter perspicacem. Et ideò quandoque propter has similes conditiones datur prophetiæ donum aliquibus malis, quod denegatur aliquibus bonis. (*Vt plurimùm tamen sanctis viris, charitatem habentibus, impertitur: gratia enim & mentem illustrat, & cor igne charitatis inflammat.*) *Neque ex eo, quòd prophetia non possit quis malè vti, incapax huius doni dicendus peccator est. Etenim* prophetia R non contingit malè vti; ita quòd ipse prophetiæ actus, inquantum à propheta egreditur, sit malus: cum enim aliquis prophetiæ actum ad aliquod malum ordinat, tunc quidem ipse prophetiæ actus bonus est, & à Spiritu Sancto, sed ordinatio illius actus ad finem indebitum non est à Spiritu Sancto, sed à peruersa hominis voluntate. *Nec iterùm ex eo, quòd alter altero sit habilior ad prophetiam, asserendum est, propheticum donum esse à natura, sed quòd aptior sit ad gratis recipiendum à Deo, à quo solo lumen propheticum deriuatur. Quocirca sciendum, quòd* prophetica S præcognitio potest esse de futuris dupliciter: Vno modo secundùm quod sunt in se ipsis; alio modo secundùm quod sunt in suis causis. Præcognoscere autem futura, secundùm quòd sunt in seipsis, est proprium diuini intellectus, cuius æternitati sunt omnia præsentia. (*Vnde dicitur Is.* 41. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum: & sciemus, quia dii estis vos.) Et ideò talis præcognitio futurorum non potest esse à natura, sed solùm ex reuelatione diuinā. Futura verò in suis causis possunt præcognosci naturali cognitione etiam ab homine: sicut medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento præcognouit. Et talis cognitio futurorum potest intelligi esse in homine dupliciter à natura. Vno modo sic, quòd statim anima ex eo, quod in se ipsa habet, possit præcognoscere futura: & sic quidam (sicut *Augustinus* dicit 12. super Gen. ad lit.) voluerunt, animam humanam habere quamdam vim diuinationis in se ipsa. Et hoc videtur esse secundùm opinionem Platonis, qui posuit, quòd animæ habent omnium rerum cognitionem per participationem idearum. Sed ista cognitio obnubilatur in eis per coniunctionem corporis; in quibusdam tamen plus, in quibusdam verò minùs, secundùm corporis puritatem diuersam. Et secundùm hoc posset dici, quòd homines, habentes animas non multùm obtenebratas ex corporum vnione, possunt talia futura præcognoscere secundùm propriam scientiam. Contra hoc autem obiicit *Augustinus*, cur non semper possit vim diuinationis habere anima, cum semper velit. Sed quia verius esse videtur, quòd anima ex sensibilibus cognitionem acquirat, secundùm sententiam Aristo-

M 3 *d.* 23. 2. 4 *q.* 1. *ad* 4

Prophetia nullo modo potest esse virtus.

N *Ver.* 12. 14. *ad* 5.

Neque est donum gratiæ gratum facientis.

Sed gratia gratis data. Ad eam proinde simpliciter non exigitur bonitas morum.

O 2. 2. 172. 4 *c. & q.* 6 2 *ad* 3 *Ver.* 12. 5. *c. &* 1. *Cor.* 13. *l.* 1.

Nisi consideretur secundùm passiones animæ & exteriores actiones.

P *In* 4 *d.* 9. 3 *q.* 5. *c.*

In actu etiam matrimonii Spiritus Sanctus corda prophetarum non tangit propter mentis deiectionem.

Q *Ver.* 12. 5. *ad* 6.

Vnde fit, quòd aliquis malus sit magis aptus, quàm bonus ad prophetiam.

Prophetiæ actus numquam malus, sed ordinatio in malum mala est ex peruersitate voluntatis.

R *Ver. ut cit. ad* 3 *& t.* 3. *ad* 15.

Prophetiam posse esse naturalis

S 2. 2. 172. 1 *c. et ad* 2. *et* 3. *et a* 3. *Ver.* 12. 3. *c. et ad* 4. *et* 4.

Præcognitio de futuris duplicitér.

Cognitio futurorum in suis causis, dupliciter potest intelligi esse in homine à natura.

Opinio Platonis.

Refellitur. Aristotelis: ideò melius est dicendũ alio modo, quòd scilicet præcognitionem talium futurorum homines non habent, sed acquirere possunt per viam experimentalem, in qua iuuantur per naturalem dispositionem, secundùm quod in homine inuenitur perfectio virtutis imaginatiuæ, & claritas intelligentiæ. Et tamen hæc præcognitio futurorum differt à prima, quæ habetur ex reuelatione diuina, dupliciter. Primò quidem; quia prima potest esse quorumcumque euentuum, & infallibiliter. Hæc autem præcognitio, quæ naturaliter haberi potest, est circa quosdam effectus, ad quos se potest extendere experientia humana. Secundò, quia prima prophetia est secundùm immobilem veritatem; non autem secunda, sed potest ei subesse falsum. Prima autem præcognitio propriè pertinet ad prophetiam: quia prophetica cognitio est eorum, quæ naturaliter excedunt humanam cognitionem: & ideò dicendum, quòd prophetia simpliciter dicta non potest esse à natura, sed solùm ex reuelatione diuina.

Præcognitio, quæ ab homine naturaliter haberi potest, dupliciter differt à præcognitione prophetica, quæ simpliciter nõ potest esse à natura.

Humanæ prædictiones fallibiles, quia coniecturales tantùm.

a *Hinc infertur, quòd futurum aliquod potest quidem ab homine ex causis naturalibus coniecturaliter præcognosci: fallibiliter tamen, non certitudine plena, quam vera secum fert per diuini illustrationem luminis prophetia.* Et V ideò *Augustinus* 18. *de Ciu. Dei* respondet quibusdam, qui volebant accipere numerum persecutionum, quas Ecclesia passa est, & passura, secundùm numerum plagarum Ægypti dicens: *Ego per illas res gestas in Ægypto istas persecutiones propheticè significatas esse non arbitror: quamuis ab eis, qui hoc putant, exquisitè & ingeniosè illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur.* Et similiter videtur esse de dictis Abbatis Ioachim, qui per tales coniecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit. (*Cuius & aliquis error in materia fidei refertur, putà, quòd* Essentia genuit essentiam *in diuinis, sicut dicitur* Deus genuit Deum; *& circa Trinitatem; vnde* in errorem V Arianorum incidit, licèt non pertinaciter: quia ipse scripta sua Apostolicæ sedis iudicio subiecit.) *Deceptus inquam fuit, quemadmodum & mulierculæ quædam, quæ passim à Spiritu Sancto sibi factas reuelationes iactant: cum vt plurimùm humanæ superbiæ spiritu, vel diabolicè decipiantur: quarum idcircò* spiritus *à Confessariis diligenter* probandi, an ex Deo sint. *Hinc ad illud Rom.* 1. Quod promiserat per prophetas suos; *scribit Author*: Significanter X dicit, *suos*: sunt enim aliqui prophetæ spiritu humano loquentes, secundùm illud Ier. 23. *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Sunt etiam quidam prophetæ dæmonum, qui immundo spiritu inspirantur (*quales & Quietistæ moderni*) sicut prophetæ, quos interfecit Elias, vt dicitur 3. *Reg.* 18. Sed prophetæ Dei dicuntur, qui diuino spiritu inspirantur, Ioel 2. *Effundam spiritum meum, & prophetabunt.* Vnde Y dicit *Chrysostomus super Mat.* quòd quidam prophetant in spiritu diaboli, quales sunt diuinatores; sed sic discernuntur: quoniam diabolus interdum falsa dicit, Spiritus Sanctus nunquam. *Certum est autem, quòd* intellectus Z superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris. Supra intellectum autem humanum est non solùm intellectus diuinus, sed etiam Angelorum bonorum & malorum secundùm naturæ ordinem: & ideò quædam cognoscunt dæmones, etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota à cognitione hominum, quæ possunt hominibus reuelare. Simpliciter autem & maximè remota sunt quæ solus Deus cognoscit: & ideò prophetia propriè & simpliciter dicta fit per solam diuinam reuelationem: sed ipsa reuelatio facta per dæmones potest secundùm quid dici prophetia. Vnde quibus

V 4. d. 43. 1. 3. q. 2. ad 3.

Abb. Ioachim prædictiones, & errores.

V Opusc. 24. & 1. p. 39. 5. c.

Quidam humano spiritu, quidam diabolico inspirati, falsi prophetæ.

X Rom. 1. l. 2. ibi.

Y 2. 2. 172. 5. ad 3.

Z Ibid. in corp. & 3. con. G. c. 154.

An præcognitio dæmonum possit dici prophetia.

aliquid per dæmones reuelatur, non dicuntur in Scripturis prophetæ simpliciter, sed cum aliqua additione, putà prophetæ falsi, vel prophetæ idolorum: (*Zach.* 13. Pseudoprophetas, *scilicet falsos*, & spiritum immundum auferam de terra; *& Mat.* 24. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: *& alibi.*) Vnde *Augustinus* 12. super Gen. ad lit. *Cum malus spiritus* inquit *arripit hominem in hæc*, scilicet visa, *aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas.* Prophetæ *tamen* dæmonum A non semper loquuntur ex dæmonum reuelatione, sed interdum ex inspiratione diuina, sicut manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Deus esse locutus *Num.* 22. licèt esset propheta dæmonum: quia Deus vtitur etiam malis ad vtilitatem bonorum. Vnde & per prophetas dæmonum aliqua vera prænunciat: tum vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduersarijs testimonium habet: tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando prophetæ dæmonum à dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt; quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cuius actus est Spiritus Sanctus: quandoque etiam reuelatione bonorum spirituum, vt patet per *Augustinum* 12. *super Gen. ad lit.* Et sic etiam illud verum, quod dæmones enunciant, à Spiritu Sancto est: *à quo quidem est omne verum, à quocumque dicatur*, aiebat Ambrosius. (*Vide plura Tomo* 2. *V.* Diuinatio.) *Cæterùm, quoniam* Satanas transfigurat se in Angelum lucis, *vt dicitur* 2. *Cor.* 11. falsi B prophetæ distinguuntur à veris quantùm ad tria ad minus. *Primò* quantùm ad reuelationis Authorem, quia boni prophetæ futura prædicunt, diuino lumine mediantibus bonis Angelis inspirati. Sed falsi prophetæ vel sequuntur spiritum suum, nihil videntes, sed mendacia confingentes, vel per reuelationem immundi spiritus. *Secundò* quantùm ad intentionem prænunciationis, quia falsorum prophetarum finis est aliquod lucrum temporale. Vnde dicitur Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriũtur, & viuificarent animas, quæ non viuũt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Vel saltem ipsius dæmonis reuelantis intentio peruersa est, qui deceptionem intendit. Sed prophetarum bonorum tota intentio in rectum finem ordinatur. *Tertiò* quantùm ad certitudinem prænunciatorum, quia bonorũ prophetia innititur diuinæ præscientiæ, quæ omnium futurorum euentus intuetur: sed prænunciatio malorum prophetarum innititur præscientiæ dæmonum, quæ coniecturalis est. *Idcircò Deut.* 18. *dicitur*: Si tacita cogitatione respondetis: *Quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit. *Cæterùm (nisi specialiter à Deo motus) quicquid bonus etiam verusque propheta dicit, prophetia non est.* Aliquando: *enim* prophetæ C etiam aliqua dicunt à se ipsis, sicut patet de Nathan, qui consuluit Dauid, quòd ædificaret Templum; postea autem à Domino reprehensus, & quasi retractus, prohibuit hoc ipsi Dauid ex parte Dei, *vt legitur* 2. *Reg.* 7. *&* 1. *Paral.* 17. *Vnde & à filio eius Salomone extructum est, vt habetur* 3. *Reg.* 6.

b *Porrò ab Angelis sanctis & à beatis omninò excluditur prophetia. Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 13. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, *id est*, cessabunt D quia scilicet in futura gloria prophetia locũ nõ habebit propter duo. Primò quidem, quia prophetia respicit futurum; status autem ille non expectabit aliquid in futurũ, sed erit finale complementum omnium eorum, quæ ante fuerunt

A Ibid. a. 6. ad 1. & 2. & q. 174. 5. ad 4. & 3. con. G. l. c.

Prophetæ dæmonum, non semper ex eorum reuelatione loquuntur, sed & ex diuina quandoque.

Omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est.

Falsi prophetæ in tribus distinguuntur à veris.

B 2. d. 7. 2. 2. ad 2. & 2. 2. 172. 5. ad 3 & a. 6. ad 2.

C Quol. 12. a. 26. ad 1.

An in beatis prophetia.

D 1. Cor. 13. l. 3. ibi 2. 2. 173. 1. c. & 174. 5. & 3. p. 7. 8. c.

stant prophetata. Vnde in Ps. 47. dicitur: *Sicut audiuimus*, scilicet per prophetas, *sic vidimus* præsentialiter *in ciuitate Domini virtutum &c.* Secundò quia prophetia est cum cognitione figurali & ænigmatica, quæ cessabit in Patria. Vnde dicitur *Num.* 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Et *Apostolus loco cit.* Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. *Ex quo, Christo Domino, vt comprehensor erat, nullatenus prophetia competebat: conueniebat nihilominùs ei vt viatori.* In E Christo enim fuit triplex cognitio: scilicet sensitiua; & secundùm hanc habuit quandam similitudinem cum prophetis, in quantùm in imaginatione Christi formari poterant aliquæ species sensibiles, quibus futura vel occulta repræsentarentur, præcipuè propter passibilitatem, quæ sibi conueniebat propter statum viatoris. Item cognitio intellectiua: & quantùm ad hanc, non habet similitudinem cum prophetis, sed est etiam supra Angelos, quia erat comprehensor excellentiùs, quam aliqua creatura. Item cognitio diuina: & quantùm ad hanc, fuit prophetarum & Angelorum inspirator, cum omnis cognitio causetur per participationem Verbi diuini. *Præfato igitur sensu, vt viator, Christus propheta fuit, de quo idcircò prænunciatum est Deut.* 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos &c. *Et Luc.* 7. Propheta magnus surrexit in nobis, *& Io.* 6. Hic est verè Propheta. *Et ipse de se ipso cap.* 4. Propheta in sua patria honorem non habet: *siue (vt Luc.* 4.) Nemo propheta acceptus est in patria sua. Quod *quidem* licèt F in aliquo singulari habeat instantiam (nam aliqui prophetæ honorati leguntur in terra sua:) non tamen propter hoc debet reputari falsum: in naturalibus enim, & in omnibus, regula eorum, quæ vt in pluribus verificatur, est vera: & si in aliquo particulari aliter sit, non reputatur falsa. Illud autem, quod Dominus dicit, in pluribus prophetarum verum erat: quia in veteri testamento vix inuenitur aliquis prophetarum, qui à suis contribulibus persecutionem passus non fuerit; secundùm illud Act. 7. *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Et Mat. 23. *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas &c.* Hoc etiam verbum Domini verificatur non solùm in prophetis apud Iudæos; sed etiam (*vt Origenes* dicit) in pluribus apud Gentiles, qui suis ciuibus sunt habiti contemptui, & ad mortem deducti. Nam consueta conuersatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit. Et ideò, quos familiares magis habemus, minùs reuereri consueuimus; & quos familiares habere non possumus, magis reputamus. Cuius contrarium contingit de Deo. Nam quantò aliquis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tantò eum excellentiorem reputans, magis reueretur, & se ipsum minorem reputat, Iob 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Et huius ratio est: quia in homine, cum sit infirmæ & fragilis naturæ, quandiù cum alio diu conuersatur, cognoscit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia eius ad eum; sed cum Deus sit immensæ perfectionis, quantò plùs homo in cognitione eius proficit, tantò magis, perfectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eum magis reueretur.

E *Io.6.l.2.lit a ibi,* propheta, *& cap. 4. l. 6.lit.b. Mat.13. fi.cap.ibi,* propheta. *Hebr.1. l.4.fi.2.2.174. 5.ad 3. & 3.p. 7.a. 8. Op.3.c. 216.*

Num in Christo in quo triplex cognitio.

F *Io.4.l.6.lit b.ibi, Mat.13. fi.cap. ibi,* propheta, *& Prol ad Hebr.fi.*

An vniuersaliter verum, quòd *nemo propheta acceptus est in Patria sua.*

Nimia familiaritas contemptum parit.

c *Cum verò tot adeoquè excellentes Dei prophetæ floruerint, non abs re pia venit curiositate quærendum, quis inter eos sit præcellentior habendus. Et respondet absolutè Author, quòd* Moyses. *Nam* licèt G quantùm ad aliquid, aliquis alius prophetarum fuerit eo maior: simpliciter tamen Moyses fuit maior omnibus aliis. In prophetia enim consideratur & cognitio tam secundùm visionem intellectualem, quàm secundùm visionem imaginariam, & denunciatio, & confirmatio per miracula. Moyses ergo fuit aliis excellentior. Primò quidem quantùm ad visionem intellectualem, eo quòd vidit ipsam Dei essentiam, sicut Paulus in raptu, vt *Augustinus dicit* 12. *super Gen. ad lit.* Vnde dicitur Num. 12. quòd *palam & non per ænigmata & figuras Dominum vidit.* Secundò quantùm ad imaginariam visionem, quam quasi ad nutum habebat, non solùm audiens verba, sed etiam videns loquentem, etiam in specie Dei, non solùm in dormiendo, sed etiam in vigilando. Vnde dicitur Ex. 33., quòd *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Tertiò quantùm ad denunciationem, quia loquebatur toti populo fidelium ex persona Dei, quasi de nouo legem proponens: alii verò prophetæ loquebantur ad populum in persona Dei, quasi inducentes ad obseruantiam legis Moysi, secundùm illud Malach. 4. *Mementote legis Moysi serui mei.* Quartò quantùm ad operationem miraculorum, quæ fecit toti populo infidelium. Vnde dicitur *Deut.* 34. Non surrexit vltrà propheta in Israel, sicut Moyses; quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum vt faceret in terra Ægypti Pharaoni & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius. *Neque tamen ideò Moysen Ioanni præferimus. Quod enim præmisimus,* intelligendum H est de prophetis veteris testamenti: quia tunc præcipuè prophetia fuit in suo statu, quando Christus, ad quem omnis prophetia ordinabatur, expectabatur venturus. Ioannes autem ad nouum pertinet testamentum; vnde dicitur Mat. 11. *Omnes prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt.* In nouo tamen testamento facta est manifestior reuelatio, vnde dicitur 2. Cor. 3. *Nos verò reuelata facie gloriam Domini speculantes &c.* Vbi expressè Apostolus se, & alios Apostolos Moysi præfert. *Et quamuis Dauid videatur Moysi saltem æquiparandus: quòd nimirùm* prophetia I Dauid ex propinquo attigit visionem Moysi, quantùm ad visionem intellectualem, quia vterque accepit reuelationem intelligibilis & supernaturalis veritatis absque imaginaria visione: Visio tamen Moysi fuit excellentior quantùm ad cognitionem diuinitatis: sed Dauid plenius cognouit, & expressit mysteria incarnationis Christi. *Veruntamen* in hoc L Rabbi Moysi opinio non tenetur, qui ponit, quòd Prophetia Dauid fuit inferior prophetia Isaiæ vel Ieremiæ: cuius contrarium dicitur à Sanctis, *vt prætactum est. Cæterùm in veteri lege floruerunt magis prophetæ, quàm in noua: quia* in noua M lege mens hominis arcetur à temporalium solicitudine; & ideò non est in lege noua aliquid institutum ad præcognitionē futurorum euentuum de temporalibus rebus. In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant consultationes de futuris ad religionem pertinentibus. Vnde dicitur Is. 8. *Et cum dixerint ad vos: quærite à pythonibus & à diuinis, qui strident in incantationibus suis;* subdit quasi responsionem: *Numquid non populus à Deo suo requiret pro viuis, ac mortuis?* Ideò autem N maximè tempore regum oportuit prophetas in illo populo abundare: quia tunc populus non opprimebatur ab alienigenis, sed proprium regem habebat. Et ideò oportebat, per prophetas eum instrui de agendis, quasi libertatem habentem. *Et licèt dicatur Mat. 11. cit.* Prophetæ & lex vsque ad Ioannem: *non ideò* hoc O dicitur (*inquit Hieronymus*) vt post Ioannem excludat prophetas. Legimus enim in Actibus Apostolorum cap.

Moyses inter omnes prophetas excellentior.

G *2.2.174.4. Ver. 12 9.ad 1. & a.14. l.6. lit. a.*

Nec tamen Joanni præferendus, nec Apostolis.

H *Ver. 12.a. 14. ad 5. & a. 12.ad 3 & 12. l.e.ad 3.*

I *2.2.174.4 ad 1.*

Moyses præcellui in cognoscendo diuinitatem: Dauid in exprimendo mysteria incarnationis Christi.

L *Ver. 12.a. 12. ad 6. & a. 13. c.*

M *2.2.95.2. ad 3.*

Cur in veteri lege floruerint magis prophetæ, quàm in noua.

N *2.2.174. 6. ad 2.*

Et tempore Regum.

O *Ibid. ad 3. & 95.2. ad 3.*

In noua etiam lege plures prophetiæ dono illustres, sed non eodem fine.

cap. 21. & Agabum prophetasse, & quatuor virgines filias Philippi. Ioannes etiam librum propheticum conscripsit de fine Ecclesiæ. Et singulis temporibus non defuerunt aliqui, prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem, sicut *Augustinus* refert 5. *de Ciu. Dei*, quòd Theodosius Augustus ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit: & ab eo nuncium victoriæ certissimum accepit. *Et quidem in Ecclesia Dei passim leguntur Sancti viri dono prophetiæ claruisse, & multa pluribus prædixisse futura.* *Demum* tunc P inceperunt scribi prophetiæ de Christo per Isaiam & Osee, quando Roma est condita, sub cuius Imperio Christus erat nasciturus, & fides eius Gentibus prædicanda. DISCE *ex monito Christi à falsis prophetis attendere.* *Vide Tomo 2. V.* Diabolus & Diuinatio, *fusiùs*.

P *Rom. 1. l. 2. sub initio &* 2.2.174.6. *ad 2*

Quando Roma condita est, cœperunt scribi prophetiæ de Christo per Isaiam & Oseam.

PROVIDENTIA. *Vide* Dei Prouidentia *Tomo 2. & infrà* Prudentia.

PROXIMVS. *Vide* Amor Proximi *Tomo 1.* Dilectio Inimicorum *Tomo 2.*

PRVDENTIA.

XXVIII. Omnibus virtutibus moralibus motor est ipsa prudentia, quæ dicitur auriga virtutum: & ideò quælibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiæ. *In 4. d. 17. 2. 2. q. 4. corp.*

Q 2.2.47.1. *initio c.*

Prudentia vnde dicatur.

R *Ibid.* 49. 6. *ad* 1.

d PRudens Q dicitur (*ex Isidoro in lib. etymol.*) quasi *porrò videns*; perspicax enim est, & incertorum videt casus. *Vel*, quia R omnia alia, quæ requiruntur ad prudentiam, ad hoc necessaria sunt, vt aliquid ordinetur ad finem; ideò nomen ipsius prudentiæ sumitur à prouidentia, sicut à principaliori sui parte. *Et quidem*, licèt S prudentia simpliciter dicta in bono accipiatur; alio tamen addito, potest accipi in malo. Et secundùm hoc dicitur prudentia carnis esse peccatum, *secundùm illud Rom.* 8. Prudentia carnis inimica est Deo: *de qua infrà*. *Sicut autem* ars T est recta ratio factibilium: ita prudentia est recta ratio agibilium. *Vnde & docemur, quòd* bonum V simpliciter in actibus humanis inuenitur per hoc, quòd pertingitur ad regulam humanorum actuum, quæ quidem est vna quasi homogenea & propria homini, scilicet ratio recta. Alia autem est sicut prima mensura transcendens, quod est Deus. Ad rationem autem rectam attingit homo per prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, vt dicitur *in 6. Ethic.* Ad Deum autem attingit homo per charitatem, *secundùm illud 1. Io.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Ex quo prudentia in ratione est.* *Nam* (*vt præmisimus*) prudens X dicitur quasi *porrò videns*. Visio autem non est virtutis appetitiuæ, sed cognoscitiuæ. Vnde manifestum est, quòd prudentia directè pertinet ad vim cognoscitiuam, non autem ad vim sensitiuam, quia per eam cognoscimus

S 2.2.55.1. *ad* 1.

In bono accipitur & in malo.

T 1.2.57.4. c. & a. 5. *ad* 1. & 58.2. *ad* 1. & 2.2.47.5. c.

Quid ars, quid prudentia.

V *Virt.* 5. 2. *init.* c. & 2.2. 47.4.1. & 2.

Ratio recta, regula humanorum actuum, ad quam attingit prudentia: Deus prima mensura trascendens, ad quam attingit charitas.

solùm ea, quæ præsto sunt, & sensibus offeruntur. Cognoscere autem futura ex præsentibus vel præteritis (quod pertinet ad prudentiam) propriè rationis est, quia hoc per quandam collationem agitur. Vnde relinquitur, quòd prudentia propriè sit in ratione. *Et quia ex Philosopho in 6. Ethic.* prudentis Y est posse consiliari; consilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem; ratio autem eorum, quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica: manifestum est, quòd prudentia non consistit nisi in ratione practica. *Consequenter prudentia, virtus statuitur.* *Nam* virtus Z est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Bonum autem potest dici dupliciter. Vno modo materialiter pro eo, quod est bonum: alio modo formaliter secundùm rationem boni. Bonum autem, in quantùm huiusmodi, est obiectum appetitiuæ virtutis: & ideò si qui habitus sunt, qui faciant rectam considerationem rationis, non habito respectu ad rectitudinem appetitus, minùs habent de ratione virtutis; tanquam ordinantes ad bonum materialiter, idest ad id, quod est bonum, non sub ratione boni. Plus autem habent de ratione virtutis habitus illi, qui respiciunt rectitudinem appetitus, quia respiciunt bonum, non solùm materialiter, sed etiam formaliter, idest id, quod est bonum sub ratione boni. Ad prudentiam autem pertinet applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto. Et ideò prudentia non solùm habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales; sed etiam habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes morales, quibus etiam connumeratur. *Et est insuper specialis virtus.* *Etenim*, *cum* prudentia A sit in ratione, diuersificatur quidem ab alijs virtutibus intellectualibus, secundùm materialem diuersitatem obiectorum. Nam sapientia, scientia, & intellectus sunt circa necessaria: ars autem, & prudentia circa contingentia. Sed est ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus, & huiusmodi. Prudentia autem est circa agibilia, quæ scilicet in ipso operante consistunt. Sed à virtutibus moralibus distinguitur prudentia secundùm formalem rationem potentiarum distinctiuam, scilicet intellectiui, in quo est prudentia: & appetitiui, in quo est virtus moralis. Vnde manifestum est, prudentiam esse specialem virtutem, ab omnibus alijs virtutibus distinctam. *Sanè ad humanam vitam prudentia virtus necessaria est.* Benè enim B viuere consistit in benè operari; ad hoc autem, quòd aliquis benè operetur, non solùm requiritur, quid faciat, sed etiam quomodo faciat, vt scilicet secundùm electionem rectam operetur, non solùm ex impetu aut passione. Cum autem electio sit eorum, quæ sunt ad finem; rectitudo electionis duo requirit, scilicet debitum finem, & id, quod conuenienter ordinatur ad debitum finem. Ad debitum autem finem homo conuenienter disponitur per virtutem, quæ perficit partem animæ appetitiuam, cuius obiectum est bonum & finis. Ad id autem, quod conuenienter in finem debitum ordinatur, oportet, quòd homo directè disponatur per habitum rationis: quia consiliari & eligere, quæ sunt eorum, quæ sunt ad finem, sunt actus rationis. Et ideò necesse est, in ratione esse aliquam virtutem intellectualem, per quam perficiatur ratio ad hoc, quòd conuenienter se habeat ad ea, quæ sunt ad finem: & hæc virtus est prudentia. Vnde prudentia est virtus necessaria ad benè viuendum. *Ea propter hortatur sapiens Pro.* 2. Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala. *Nam, vt monemur Sap.* 6. Melior est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.

Prudentia in ratione est.

X 2.2.47.1. c. & 1.2.61.2. c. *Virt.* 5.1. c.

Y 2.2. l. c. a. 2. c. & 1.2.57.3. *In* 3. d. 33. 2. 4. q. 4. c.

Z 2.2.47.4. c. & 1.2.57.5. *ad* 3. & 61.1. c.

Sed practica.

Virtus quid.

Bonum dupliciter sumitur.

Quinam habitus plùs habeant de ratione virtutis.

Prudentia intellectualis ac moralis virtus, & specialis.

A 2.2.47.5. c. & 1.2.57.4. *In* 3. d. 9. 1. 1. q. 2. c. & d. 33. 1. 1. q. 2. c. & q. 2. a. 1. q. 3. *ad* 2.

Ad humanam vitam necessaria.

B 1.2.57.5. c. & 2.2.51.3. *ad* 3. *Virt.* 1. a. 6.

C 2.2.47.15. c.& 49.1 ad 2. & a.2.ad.1.& a.3.ad 2. & 1. 2.63.1.c.

fortis. *Ex quo sequitur, quòd prudentia nobis à natura non insit. Etenim, quia* fines C recti humanæ vitæ sunt determinati; ideò potest esse naturalis inclinatio respectu horum finium. Quidam enim habent ex naturali dispositione quasdam virtutes, quibus inclinantur ad rectos fines, & per consequens etiam habent naturaliter rectum iudicium de huiusmodi finibus. Sed ea, quæ sunt ad finem in rebus humanis, non sunt determinata, sed multipliciter diuersificantur secundùm diuersitatem personarum & negociorum. Vnde quia inclinatio naturæ semper est ad aliquid determinatum, talis cognitio non potest homini inesse naturaliter, licèt ex naturali dispositione vnus sit aptior ad huiusmodi discernenda, quàm alius: sicut etiam accidit circa conclusiones speculatiuarum scientiarum.

Non inest homini à natura; licet in vno maior sit dispositio naturalis, quàm in alio.

Quia ergo prudentia non est circa fines, sed circa ea, quæ sunt ad finem, ideò prudentia non est naturalis. *Igitur* tam virtutes D intellectuales, quàm morales, secundùm quandam aptitudinis inclinationem sunt in nobis à natura; non autem consummatio earum, quia natura determinatur ad vnum. Consummatio autem huiusmodi virtutum non est secundùm vnum modum actionis, sed diuersimodè diuersas materias, in quibus virtutes operantur, & secundùm diuersas circumstantias. Sed & Philosophus E dicit *in 6. Eth.* quòd prudentia & habitus ad cognitionem rerum à nobis agendarum pertinentes, sunt nobis magis naturales, quàm scientia aliarũ rerum. *Proinde* quidam F inueniuntur naturaliter prudentes, non autem naturaliter scientes (vt in eodem 6. Ethi. dicitur) & propter hoc prudentiã non obliuiscuntur homines de facili, sicut scientiã.

Quo sensu virtutes dicantur naturales.

D 1.2. loco cit.

E 2.d.23.2.2 fi.c.

F Ver.38.7. ad 7.

e *Est igitur prudentia, virtus acquisita, &* quodammodò G virtus est generalis, in quantùm habet pro materia omnia moralia, & in quantùm omnes virtutes morales quodammodo eam participant. Et hac ratione dicitur, quòd omnis virtus moralis debet esse prudens. *Vnde &* recta H ratio prudentiæ ponitur in diffinitione virtutis moralis (*Est enim virtus moralis* habitus electiuus in medietate consistens, determinata secundùm rectam rationem, *vt dicitur in 2. Ethic.*) non tamen quasi aliquid de essentia eius existens, sed sicut causa quodammodo effectiua ipsius, vel per participationem: nam virtus moralis nihil aliud est, quàm participatio quædam rationis rectæ in parte appetitiua.

G Virt.1.12. ad 23. fi. 2.2. 53.2.c. In 3.d. 9.1.1.q 2.c.

Qualiter prudentia virtus sit generalis.

H Virt. l.c. ad 16.

Virtutis moralis diffinitio.

Ex quo benè aiebat initio Author: Omnibus I virtutibus moralibus motor est ipsa prudentia, quæ dicitur auriga virtutum; & ideò quælibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiæ. *Et ita* prudentia L ponit modum & formam in omnibus alijs virtutibus moralibus: sicque charitas est forma virtutum aliarum omnium, sicut prudentia moralium. *Itaque* sicut M oportet rationem speculatiuam habitu scientiæ perfici ad hoc, quòd rectè dijudicet de scibilibus, ad scientiam aliquam pertinentibus; ita oportet, quòd ratio practica perficiatur aliquo habitu ad hoc, quòd rectè dijudicet de bono humano, secundùm singula agenda: & hæc virtus dicitur prudentia, cuius subiectum est ratio practica. Et est perfectiua omnium virtutum moralium, quæ sunt in parte appetitiua: quarum vnaquæque facit inclinationem appetitus in aliquod genus humani boni, sicut iustitia facit inclinationem in bonum, quod est æqualitas pertinentium ad communicationem vitæ: temperantia in bonum, quod est refrænari à concupiscentijs. Et sic de singulis virtutibus. Vnumquodque autem horum contingit multipliciter fieri, & non eodem modo in omnibus: vnde ad hoc vt rectus modus statuatur, requiritur iudicij prudentia: & ita ab ipsa est rectitudo, & complementum bonitatis in omnibus alijs virtutibus.

I 4.d.17.2. 2.q.4.c.

Prudentia motor virtutum moraliũ, & auriga.

L 3.d.27.2. 4.q.3.c. & ad 1.& 2.2.166. 2. ad 1.

Sicut charitas est forma virtutum omnium; ita prudentia moralium.

M Virt.1.6 c.In 3.d. 33.2. 5.c.

Prudentiæ necessitas in omnibus moralibus virtutibus.

Vnde Philosophus dicit *in 2. Ethic.* quòd medium in virtute morali determinatur secundùm rationem rectam. Et quia ex hac rectitudine, & bonitatis complemento omnes habitus appetitiui virtutis rationem sortiuntur; inde est, quòd prudentia est causa omnium virtutum appetitiuæ partis, quæ dicuntur morales, in quantùm sunt virtutes. Et propterea dicit *Gregorius* in 2. Moral. quòd *cæteræ virtutes, nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt*. Sicut N si aliquis operetur iusta, bonum quidem facit, sed non erit opus perfectæ virtutis, nisi hoc benè faciat, idest secundum electionem rectam: quod est per prudentiam. Et ideò iustitia sine prudentia non potest esse virtus perfecta. *Et sic de cæteris virtutibus, et iam cardinalibus. Idcircò* aliæ O virtutes intellectuales sine virtute morali esse possunt: sed prudentia sine virtute morali esse non potest. *Consequenter* virtus P moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus; sicut sine sapientia, scientia, & arte: non autem potest esse sine intellectu & prudentia.

N 1.2.65. 4.c.

Sine illa non est perfecta virtus.

O 1.2.58.5. init.c.& a.3. ad 1. & 65.1. & 4.c.& ad 1. & 73.1. ad 2. & 2.2.51.2.fi.c.

Virtutes intellectuales possunt esse sine moralibus, non tamen prudentia sine morali.

Ex quo indubitanter asserendum, quòd prudentia Q quæ attingit rationem secundùm se, est excellentior, quàm aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem, secundùm quod ex ea medium constituitur in operationibus, vel passionibus humanis. *Et hinc, est quòd* prudentia R circa illa est, de quibus est consilium, eo quòd ad prudentem pertinet bene se habere circa consilia, consiliando, iudicando, & præcipiendo. Consilium autem est de contingentibus operabilibus à nobis, vnde etiam circa hoc oportet prudentiam esse. Et quia prudens dicitur benè consiliatiuus simpliciter, oportet quòd consilietur de his, quæ sunt ordinata ad bonum hominis simpliciter: hoc autem consistit in animæ perfectione, cuius vltima perfectio est debita operatio potentiarum animæ. Et ideò de his, in quibus bonum operantis consistit, est prudentia: & hæc agibilia dicuntur. Agibilia ergo, secundùm quod sunt consiliabilia, sunt propria materia prudentiæ, *quæ idcircò diffinitur* recta ratio agibilium. *Ea propter dicitur Prou. 15.* Vir prudens dirigit gressus suos. *Sanè* agibilia S sunt quidem materia prudentiæ, secundùm quod sunt obiectum rationis, scilicet sub ratione veri: sunt autem materia moralium virtutum, secundùm quod sunt obiectum virtutis appetitiuæ, scilicet sub ratione boni. *Verùm* de necessitate T prudentiæ non est, vt homo sit bene consiliatiuus in omnibus, puta in mercationibus, & rebus bellicis, & huiusmodi: sed in his, quæ sunt necessaria ad salutem: quod non deest omnibus in gratia existentibus, quantumcumque sint simplices, secundùm illud 1. Io. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus*: nisi fortè in aliquibus baptizatis impediatur actus prudentiæ propter corporalem defectum, vel ætatis, sicut in pueris; vel prauæ dispositionis, sicut in motionibus & phreneticis.

P 1.2.58.4. init.c.& 65.1. & 2.& 2.2.47 4.& 51. 2. In 2.d.23.2.3.fi. c.In 3.d 36.1.1. c.Virt.1.6.c.& 9.5.a.2.

Q 2.2.23. 6.fi.c.& 47.6. ad 3.& 1.2.61. 2.ad 1. & 66. 1.& 2. In 3.d. 33.2.5.Virt.5. 1. ad 11. & 4. 3.c.

Morales possunt esse sine intellectualibus, non tamen sine prudentia, quæ moralibus ideò omnibus excellentior est.

R 3.d.33.2. 2.q.1.c.

Prudentia circa quæ sit.

Agibilia qualiter sint materia prudentiæ.

S 2.2.47.5. ad 3.

T Virt.5.2. ad 3.& 2.2.loco cit. a. 14. ad 1.& 3 & 51.1. ad 3.

Non est de necessitate prudentiæ, vt homo sit bene consiliatiuus in omnibus, sed in necessarijs ad salutem.

f *Porrò triplex assignatur prudentiæ pars; integralis nimirùm, subiectiua, & potentialis. Generaliter siquidem* triplex est V pars, scilicet integralis, vt paries, tectum, & fundamentum sunt partes domus: subiectiua, sicut Bos & Leo sunt partes animalis: & potentialis, sicut nutritiuum, & sensitiuum sunt partes animæ. Tribus ergo modis possunt assignari partes alicui virtuti. Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicuius, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius. Et sic ex omnibus enumeratis possunt accipi octo partes prudentiæ, scilicet sex, quas enumerat Macrobius (scilicet *ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, docilitas, & cau-*

Triplex prudentiæ pars.

V 2.2.48.c. & 47 a. 11.

Partes integrales prudentiæ.

& cautio :) quibus addenda est septima , scilicet *Memoria* , quam ponit Tullius ; & *Eustochia* , siue *solertia* , quam ponit Aristoteles . Nam sensus prudentiæ etiam intellectus dicitur . Vnde Philosophus dicit in 6. Ethic. *Horum ergo oportet habere sensum , hic autem est intellectus* . Quorum octo , quinque pertinent ad prudentiam , secundùm id , quod est cognoscitiua , scilicet memoria , ratio , intellectus , docilitas , & solertia : tria verò alia pertinent ad eam , secundùm quod est præceptiua , applicando cognitionem ad opus , scilicet prouidentia , circumspectio , & cautio . Quorum diuersitatis ratio patet ex hoc , quòd circa cognitionem tria sunt consideranda . Primò quidem ipsa cognitio : quæ si sit præteritorum , est *memoria* : Si autem præsentium , siue contingentium , siue necessariorum , vocatur *intellectus* , siue *intelligentia* . Secundò ipsa cognitionis acquisitio : quæ fit vel per disciplinam ; & ad hoc pertinet *docilitas* : vel per inuentionem ; & ad hoc pertinet *Eustochia* , quæ est bona coniecturatio : huius autem pars (vt dicitur *in 6. Ethic.*) est *solertia* , quæ est vera coniecturatio medij (vt dicitur *in 1. Post.*) Tertiò considerandus est vsus cognitionis , secundum quod scilicet ex cognitis aliquibus procedit ad alia cognoscenda vel iudicanda : & hoc pertinet ad *rationem* . Ratio autem ad hoc , quòd rectè præcipiat , tria debet habere . Primò quidem , vt ordinet aliquid accommodum ad finem : & hoc pertinet ad *prouidentiam* . Secundò vt attendat circumstantias negocij , quod pertinet ad *circumspectionem* . Tertiò vt vitet impedimenta , quod pertinet ad *cautionem* . (Ratio autem X ordinandorum in finem propriè prouidentia est ; est enim principalis pars prudentiæ . Prudentiæ autem proprium est secundùm Philosophum *in 6. Ethic.* ordinare alia in finem , siue respectu sui ipsius , sicut dicitur homo prudens , qui benè ordinat actus suos ad finem vitæ suæ : siue respectu aliorum sibi subditorum in familia , vel ciuitate , vel regno , secundùm quem modum dicitur Mat. 24. *Fidelis seruus & prudens , quem constituit Dominus super familiam suam* .)

Prouidentia principalis prudentiæ pars.

X 1.p.22.1.c. & 2.2. 49.6. In 3.d.33. 1 q.1 c. Virt.5.1.c.

¶ Partes autem subiectiuæ virtutis dicuntur species eiusdem diuersæ . Et hoc modo partes prudentiæ , secundùm quod propriè sumuntur , sunt *prudentia* , per quam aliquis regit seipsum (*quæ* monastica *dicitur*) & *prudentia* , per quam aliquis regit multitudinem , quæ differunt specie . Et iterùm prudentia , quæ est multitudinis regitiua , diuiditur secundùm diuersas species multitudinis . Est enim quædam multitudo adunata ad aliquod speciale negocium : sicut exercitus congregatur ad pugnandum , cuius regula est *prudentia militaris* . Quædam verò multitudo est adunata ad totam vitam , sicut multitudo vnius domus vel familiæ , cuius regula est *prudentia œconomica* . Est etiam multitudo vnius Ciuitatis , vel regni , cuius quidem regula directiua est in principe *regnatiua* ; in subditis autem *politica* simpliciter dicta .

Partes subiectiuæ , siue species.

¶ Partes autem potentiales alicuius virtutis dicuntur virtutes adiunctæ , quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias , quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis . Et secundùm hoc ponuntur partes prudentiæ *Eubulia* , quæ est circa consilium : & *Synesis* , quæ est circa iudicium eorum , in quibus oportet quandoque à communi lege recedere . *Prudentia* verò est circa principalem actum , qui est præcipere . *Quocirca sciendum , quòd cum prudentia sit recta ratio agibilium* , circa agibilia Y humanam tres actus rationis inueniuntur : quorum primus est consiliari , secundus iudicare , tertius est præcipere . Primi autem duo respondent actibus intellectus speculatiui , qui sunt inquirere & iudicare ; nam consilium , inquisitio quædam est : sed tertius actus est propriè practici intellectus , inquantum est operatiuus ; non enim ratio habet præcipere ea , quæ per hominem fieri non possunt . Manifestum est autem , quòd in his , quæ per hominem fiunt , principalis actus est præcipere , ad quem alij ordinantur ; & ideò virtuti , quæ est benè præceptiua , scilicet prudentiæ , tanquam principaliori adiunguntur , tanquam secundariæ , *Eubulia* , quæ est benè consiliatiua , & *Synesis* , & *Gnome* , quæ sunt partes iudicatiuæ . Quæ *quidem* distinguuntur Z secundùm diuersas regulas , quibus iudicatur . Nam *Synesis* est iudicatiua de agendis secundùm communem legem : *Gnome* autem secundùm ipsam rationem naturalem in his , in quibus deficit lex communis . *De præfatis autem omnibus singulis* vide A ,

Partes prudentiæ potentiales.

Tres rationis actus circa humana agibilia.

Y 1.2. 57.6.c. & 2.2.47.8.& 49.5.c.& q.51 In 3.d.33. 3.1. q.3.& 4. Virt. 5.1.c.

Prudentiæ principalis actus , *præcipere*.

Eubulia , Synesis , & Gnome quid sint , & in quo differant.

Z 1.2.l.c. ad 3.& 2.2.51.4. 3.& 4.

g *Caterùm* laus B prudentiæ non consistit in sola consideratione , (*vt præmissum est*) sed in applicatione ad opus , quod est finis practicæ rationis . Et ideò si in hoc defectus accidat , maximè est contrarium prudentiæ : quia sicut finis est potissimus in vnoquoque , ita & defectus , qui est circa finem , est pessimus . Vnde *in 6. Ethic.* dicit Philosophus , quòd prudentia non est solùm cum ratione , sicut ars ; habet enim applicationem ad opus , quod fit per voluntatem . *Huic autem ad opus applicationi associanda solicitudo est* . Sicut enim C dicit Isidorus *in lib. Etymol.* solicitus dicitur , quasi *solers citus* , in quantùm scilicet aliquis ex solertia animi velox est ad prosequendum ea , quæ sunt agenda . Hoc autem pertinet ad prudentiam , cuius præcipuus actus est circa agenda præcipere de præconsiliatis & iudicatis . Vnde Philosophus dicit *in 7. Ethic.* quòd oportet operari quidem velociter consiliata , consiliari autem tardè .

A 2.2. q.49. 50. 51. & 1.2. 57. In 3. d.33. 3.1.

B 2.2.47 1.ad 3.& 4.3.& 16. c.et ad 3.et 1.2. 57.4.4.

Laus prudentiæ in applicatione ad opus consistit . Cui debetur solicitudo.

C 2.2.47.9.c. et q.48.ad 5 & 54.4.2.

Præmissa verò omnia , cum non conueniant brutis , vtpotè ratione carentibus , in eis propriè prudentia non est , sed metaphoricè tantùm , & secundùm participationem quandam . Quando *enim* participatur D aliquid non secundùm suum actum perfectum , sed secundùm aliquem modum , non dicitur propriè habeti : sicut animalia habent aliquem modum prudentiæ , non tamen dicuntur prudentiam habere , quia non habent actum rationis , qui propriè est actus prudentiæ , scilicet ipsa electio . Vnde magis habent aliquid simile prudentiæ , quàm prudentiam . *Et aliàs* : Bruta E habent aliquam similitudinem rationis , in quantùm participant quandam prudentiam naturalem , secundùm quod natura inferior attingit aliqualiter ad id , quod est naturæ superioris . Quæ quidem similitudo est , secundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus : sed hoc iudicium est eis ex naturali æstimatione , non ex aliqua collatione , cum rationem sui iudicij ignorent : propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia , sicut iudicium rationis , sed ad quædam determinata .

D 1.d.15.4.1. ad 3.In 4.d.49. 1.1.q.4.c.et 19. 22.2.ad 4.et 55.3 ad 3.et 96 1.c.et ad 4.et 1. 2.3.6.c.2.2 47. 15 ad 3.Ver.15 1.c.et 3.con.G. c.35.fi.

An in brutis prudentia.

E Ver.24.2.c

Quoad homines verò , considerandum est , quòd prudentia F acquisita causatur exercitio actuum , vnde indiget ad sui generationem experimento & tempore , vt dicitur *in 2. Ethic.* Vnde non potest esse in iuuenibus nec secundùm habitum , nec secundùm actum . *Idcircò* prudentia G magis est in senibus , non solùm propter naturalem dispositionem , quietatis motibus passionum sensibilium , sed etiam propter experientiam longi temporis . *Vnde dicitur Iob 12.* In antiquis est sapientia , & in multo tempore prudentia . *Hinc ad illud Tit. 2.* Senes vt sobrij sint , *docemur , quòd* senectus H disponit ad prudentiam propter experimentum longi temporis . *Quemadmodum autem in omnibus iustis charitatem habentibus (cum qua virtutes omnes) necesse est , vt & infusa prudentia sit vel se-*

F 2.2.47.14.ad 3 Virt.5.2.ad 3

Non est in iuuenibus , sed in senibus , & quare.

G 2.2.l.c.a.15. ad 2. & q.49. 3.c.

H Tit.2.l.1. in.

cundùm

ta te constituam : intra in gaudium Domini tui, Mat. 25. Et ita dicturus est illi, qui se habuit infideliter: *Quia super pauca fuisti infidelis, super nulla te constituam: intra in carcerem Domini tui*, qui paratus est diabolo & Angelis eius. *Et quamuis ita tyranno contingat, eo tamen tyrannus vt plurimùm succedit deterior*. Sic enim A in tyrannide solet contingere, vt posterior grauior fiat, quàm præcedens, dum præcedentia grauamina non deserit, & ipse ex sui cordis malitia noua excogitat. (*Sic de Roboam legimus* 3. *Reg*. 12. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.) Vnde Syracusis quondam, Dionysij mortem omnibus desiderantibus, anus quædam, vt incolumis, & sibi superstes esset, continuè orabat. Quod vt tyrannus cognouit, cur hoc faceret, interrogauit. Tum illa: *Puella* (inquit) *existens, cum grauem tyrannum haberemus, mortem eius cupiebam, quo interfecto, aliquantulùm durior successit. Eius quoque dominationem finiri, magnum existimabam. Tertium, te importuniorem habere cœpimus rectorem: itaque si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedet*.

A Op. 20. l. 1. c. 6.

Tyranno succedere consueuit alius deterior & cur.

Num à populo tolerandus, an illi obsistendum sit.

B lib. & c. 10. & 2. 2. 64. 3. In 2. d. 44. 2. 2. 5. & ad 5.

I *Num autem tyrannus tolerandus à populo sit, an verò tyrannidi obstandum: Respondet Author, quòd* si B non fuerit excessus tyrannidis, vtilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quàm contra tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ sunt grauiora ipsa tyrannide. Potest enim contingere, vt qui contra tyrannum agunt, præualere non possint; & sic prouocatus tyrannus magis desæuiat. Quòd si præualere quis possit aduersus tyrannum, ex hoc ipso prouenium multoties grauissimæ dissensiones in populo: siue dum in tyrannum insurgitur, siue post deiectionem tyranni, erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes. Contingit etiam, vt interdum, dum alicuius auxilio multitudo expellit tyrannum, ille potestate accepta tyrannidem arripiat, & timens pati ab alio, quod ipse in alium fecit, grauiori seruitute subditos opprimat. Si autem sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, vt ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculo mortis, cuius rei exemplum etiam in veteri testamento habetur. Nam Aod quidam (*vt legitur Iudic. 3.*) Eglon Regem Moab, qui graui seruitute populum Dei premebat; sica infixa in eius femore interemit: & factus est populi iudex. Sed hoc Apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim nos Petrus, *non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis Dominis reuerenter subditos esse: hæc est enim gratia; si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè*, 1. Pet. 2. Vnde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannicè, magnaque multitudo tam nobilium, quàm populi esset ad fidem conuersa, non resistendo, sed mortem patienter & armati sustinentes pro Christo, laudantur, vt in Sacra Thebæorum legione manifestè apparet; magisque Aod iudicandus est hostem interemisse, quàm populi rectorem, licèt tyrannum. Vnde & in veteri testamento leguntur occisi fuisse hi qui occiderunt Ioas Regem Iuda, quamuis à cultu Dei recedentem, eorumque filij reseruati secundùm legis præceptum. Esset autem hoc multitudini periculosum, & eius rectoribus, si priuata præsumptione aliqui attentarent præsidentium necem, etiam tyrannorum. Plerumque enim huiusmodi periculis magis exponunt se mali, quam boni: à malis autem solet esse graue dominium, non minus regum, quàm tyrannorum, quia secundùm sententiam Salomonis Prou. 20. *Dissipat impios rex sapiens*. Magis igitur ex huius præsumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quàm remedium de subtractione tyranni.

Videtur autem magis contra tyrannorum sæuitiam, non priuata præsumptione aliquorum, sed authoritate publica procedendum. Primò quidem, si ad ius multitudinis alicuius pertineat sibi prouidere de Rege, non iniustè ab eadem rex institutus potest destrui, vel refrænari eius potestas, si potestate regia tyrannicè abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi eidem in perpetuum se ante subiecerat: quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, vt exigit regis officium, quòd ei pactum à subditis non reseruetur. Sic Romani Tarquinium superbum, quem in regem susceperant, propter eius & filiorum tyrannidem à Regno eiecerunt, substituta minori, scilicet consulari, potestate. Sic etiam Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus, Vespasiano patri, & Tito filio eius successerat, dum tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemptus est, omnibus, quæ peruersè Romanis fecerat, per S. C. iustè & salubriter in irritum reuocatis. Quo factum est, vt B. Ioannes Euangelista, dilectus Dei discipulus, qui per ipsum Domitianum in Patmos Insulam fuerat exilio relegatus, ad Ephesum per S. C. remitteretur. Si verò ad ius alicuius superioris pertineat multitudini prouidere de rege, expectandum est ab eo remedium contra Tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Iudæa pro Herode patre suo regnare iam cœperat, paternam malitiam imitantis, Iudæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum deferentibus, primò quidem potestas diminuitur, ablato sibi regio nomine, & medietate Regni sui inter duos fratres suos diuisa: deinde cum neque sic a tyrannide compesceretur, à Tiberio Cæsare relegatus est in exilium apud Lugdunum Galliæ Ciuitatem. Quòd si omninò contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*. Eius enim potentiæ subest, vt cor tyranni crudele conuertat in mansuetudinem, secundùm Salomonis sententiam, Prou. 21. *Cor regis in manu Domini; quòcumque voluerit, inclinabit illud*. Ipse enim regis Assueri crudelitatem, qui Iudæis mortem parabat, in mansuetudinem vertit. Ipse est, qui ita Nabuchodonosor crudelem regem conuertit, quòd factus est diuinæ potentiæ prædicator, Dan. 4. *Nunc igitur* inquit *ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico regem Cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare*. Tyrannos verò, quos reputat conuersione indignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundùm illud Sapientis Eccli. 10. *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis*. Ipse est, qui videns afflictionem populi sui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonem tyrannum deiecit cum Exercitu suo in mare. Ipse est, qui memoratum Nabuchodonosor priùs superbientem, non solùm eiectum de regni solio, sed etiam de hominum consortio, in similitudinem bestiæ commutauit. *Non enim est abbreuiata manus Domini Is.* 59. vt populum suum à tyrannis liberare non possit: *quippe qui totum Mundum ex diaboli captiuitate nouit eripere. Cui soli honor & gloria in secula seculorum Amen*. DISCE *propter peccata populi regnare tyrannos*. *Vide* Nu. præced. *& V.* Episcopus *Tomo* 2. *& diffusissimè* Authorem Op. 20. *&* Opusc. *de Erud. Princ.*

Tarquinius superbus.

Domitianus.

Archelaus.

Ad Deum; deficiente humano auxilio, recurrendum pro tyrannorum subtractione, vel conuersione.

Nabuchodonosor.

Pharao.

PRO.

PRODIGALITAS. *Vide* Auaritia *Tomo* 1. DIVES *Tomo* 2. Liberalitas.

PROPHETA, PROPHETIA.

XXVII. Ad prophetiam requiritur inspiratio quantùm ad mentis eleuationem: reuelatio autem quantùm ad ipsam perceptionem diuinorum 2. 2. 171. 1. *ad* 4.

Propheta vnde dicatur. C 1.Cor.14.l.1 ibi,prophetis, & c.11.l.2.tit. 1.l.3.Hebr.1.l. 1.& c. 11.l.7. ibi prophetis, Io.11.l.7.lit g. §.Is. 1.initio 2. 2.171. 1. c. & a. 3. & 6. in sed contra & q.173. 2. & 3. p.7.8.c.Ver.12. a.1.3. & 12.

Propheta quid. D 2. 2. 171. & de Ver. & Is. loc. cit.

Ad propheticam visionem exiguntur quatuor.

S VTi pluribus erudimur locis, Propheta C dicitur quasi *procul videns*: & secundùm quosdam, dicitur a *for faris*: sed meliùs dicitur à *phanos*, quod est *videre* (*siue* quod D est *apparitio*, quia scilicet ei aliqua, quæ sunt procul, apparent:) vnde 1. *Reg.* 9. *legitur*, quòd *qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim* Videns. Et ideò visio eorum, quæ sunt procul, siue sint futura contingentia, siue supra rationem nostram, dicitur prophetia. Est igitur prophetia, visio seu manifestatio futurorum contingentium, seu intellectum humanum excedentium. Ad huiusmodi autem visionem quatuor requiruntur. Cum enim cognitio nostra sit per corporalia, & per phantasmata à sensibilibus accepta: Primò exigitur, quòd in imaginatione formentur similitudines corporales eorum, quæ ostenduntur; vt *Dionysius* dicit, quòd *impossibile est aliter lucere nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum*. Secundum quod exigitur, est lumen intellectuale, illuminans intellectum ad ea, quę supra naturalem cognitionem nostram ostenduntur cognoscenda. Nisi enim ad similitudines sensibiles, in imaginatione formatas, intelligendas adsit lumen intellectuale, ille cui huiusmodi similitudines ostenduntur, non dicitur propheta, sed potiùs somniator: sicut Pharao, qui licèt viderit spicas, & vaccas, quæ erant indicatiua futurorum quotundam; quia tamen non intellexit quod vidit, non dicitur Propheta: sed potiùs ille, scilicet Ioseph, qui interpretatus est. Et similiter est de Nabuchodonosor, qui vidit statuam, & non intellexit: vnde nec propheta dicitur, sed Daniel. Et propter hoc dicitur Dan. 10. *Intelligentia est opus in visione*. Tertium quod exigitur, est audacia ad annunciandum ea, quæ reuelantur. Ad hoc enim Deus reuelat, vt alijs denuncientur, Ier. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo &c.* Quartum est operatio miraculorum, quæ sunt ad certitudinem prophetiæ. Nisi enim facerent aliqua, quæ excedunt operationem naturæ, non crederetur eis in his, quæ naturalem cognitionem transcendunt. Secundùm ergo hos modos prophetiæ dicuntur aliqui diuersismodis prophetæ. Aliquando enim aliquis dicitur Propheta, qui habet omnia ista quatuor, scilicet, quòd videt imaginarias visiones, & habet intelligentiam de eis, & audacter denunciat alijs, & operatur miracula. Et de hoc dicitur Num. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Aliquando autem dicitur Propheta ille, qui habet solas imaginarias visiones: sed tamen impropriè, & magis remotè. Aliquando dicitur propheta, qui habet intellectuale lumen ad explanandum etiam visiones imaginarias, siue sibi, siue alteri factas: Vel ad exponendum dicta prophetarum, vel scripturas Apostolorum. Et sic dicitur

Quot modis possit quis propheta dici.

propheta, omnis qui discernit Doctorum scripturas: quia eodem spiritu interpretatæ sunt, quo editæ sunt. Et sic Salomon & Dauid possunt dici prophetæ, in quantùm habuerunt lumen intellectuale ad claré & subtiliter intuendum: nam & visio Dauid intellectualis tantùm fuit. Dicitur etiam propheta aliquis solùm ex hoc, quòd prophetarum dicta denunciat, seu exponit, seu cantat in Ecclesia; & hoc modo dicitur 1. Reg. 19. quòd *Saul erat inter prophetas*, idest inter cantantes dicta prophetarum. Dicitur etiam aliquis propheta ex miraculorum operatione, secundùm illud Eccli. 48. de Eliseo, quòd *mortuum prophetauit corpus eius*, idest miraculum fecit. *Sed & ad prophetia clariorem notitiam sciendum vlteriùs, quòd* Spiritus Sanctus E mouet mentem prophetæ, sicut agens principale mouet instrumentum suum. Potest autem Spiritus Sanctus mouere ad tria, scilicet ad cognoscendum, ad loquendum, & ad faciendum. Et ad quodlibet istorum dupliciter. Ad cognoscendum scilicet quandoque cum intellectu eius, quod videtur, sicut fuit Isaias & alij prophetæ. Aliquando autem sine cognitione eius, quod videtur, sicut patet in somnio Pharaonis, & in visione Balthasar. Ad loquendum etiam mouet dupliciter: quandoque ad sciendum id, de quo loquitur; sicut patet de Dauid: quandoque autem nescit, sicut Caiphas. Similiter etiam quandoq; mouet ad faciendum, & scit, quid facit, sicut Ieremias, qui abscondit lumbare suum super Euphraten: quandoque autem nescit, sicut dicit *August. super Io.* de militibus, qui diuiserunt sibi vestimenta Christi, non tamen cognoscebant mysterium, ad quod illa diuisio ordinabatur. Hoc est ergo de ratione prophetæ, quòd cognoscat illud, quod videt vel dicit vel facit. Quando autem non cognoscit, non est verè propheta, sed participatiuè tantùm. Et sic, dicit Ioannes, Caipham prophetasse, quia habuit aliquid prophetiæ, cum ait cap. 11. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo &c.* Iste autem motus Spiritus Sancti, dicitur instinctus *secundū Augustinum*. Et dicendū F quòd Caiphas verba illa dixit instinctu Spiritus Sancti: non enim Ioannes addidisset, *cum esset Pontifex anni illius*. Ideò ergo Caiphæ dignitatem addidit, vt insinuaretur eum instinctu Spiritus Sancti fuisse locutum. Caiphas ergo (*post pauca*) licèt visionem propheticam non habuerit, habuit tamen denunciationem rei propheticæ, in quantùm scilicet denunciauit vtilitatem mortis Christi. Quandoque enim Spiritus Sanctus mouet ad totum, quod pertinet ad prophetiam: quandoque autem ad aliquid tantùm. Caiphæ autem nec mentem illuminauit, nec imaginationem; & ideò eius mens & imaginatio ad malum intenta mansit. Mouit tamen linguam eius, vt proferret modum, quo salus populi impleretur. Vnde non dicitur propheta, nisi in quantùm habuit propheticum actum in denunciatione, imaginatione & ratione eius ad contrarium existente. Ex quo patet, quòd non magis potest dici propheta, quàm asina Balaam.

E Hebr.11. l. 7.ibi, prophetis 2. 2. 173. 4.

Spiritus Sanctus mentem mouet prophetæ, sicut agens principale instrumentū suum: Et potest mouere ad tria.

Qualiter Caiphas prophetasse dicatur.

F Io. 11. l. 7. lit. g. & 1. Cor.12.l.1 Ti. 1.l.3.§. In 4. d.19. exp. tex.

t *Quoniam verò* principium G eorum, quæ diuino lumine propheticè manifestantur, est ipsa veritas prima, quam prophetæ in se ipsa non vident; ideò non oportet, quòd omnia prophetabilia cognoscant. sed quilibet eorum cognoscit ex eis aliqua secundùm specialem reuelationem huius, vel illius rei. *Secundùm inquam specialem reuelationem: quia* mens H prophetæ dupliciter à Deo instruitur. Vno modo per expressam reuelationem: alio modo per quendam instinctum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, vt *Augustinus* dicit *sup. Gen. ad lit.* De his ergo, quæ expressè per spiritum prophetiæ pro-

G 2.2.171.4. §. c. Ver. 12. 1. ad 5. Rom. 15. l. 3. ibi, in Hispaniam.

Prophetæ nō omnia cognoscunt prophetabilia, sed quæ specialiter sibi reuelantur.

Dupliciter mens prophetæ à Deo instruitur.

H 2. 2. loco cit. a. 5. c. Ver. l. c. ad 1. & 16.

An propheta discernat quid per proprium spiritum dicat, & quid per spiritum prophetiæ.

propheta cognoſcit, maximam certitudinem habet, & pro certo habet, quòd hæc ſunt ſibi diuinitùs reuelata. Vnde dicitur Ier. 26. *In veritate miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc*. Alioquin ſi de hoc ipſe certitudinem non haberet, fides, quæ dictis prophetarum innititur, certa non eſſet. Et ſignum propheticę certitudinis accipere poſſumus ex hoc, quòd Abraham admonitus in prophetica viſione, ſe præparauit ad filium vnigenitum immolandum: quod nullatenùs feciſſet, niſi de diuina reuelatione fuiſſet certiſſimus. Sed ad ea, quæ cognoſcit per inſtinctum, aliquando ſic ſe habet, vt non plenè diſcernere poſſit, vtrùm hæc cogitauerit aliquo diuino inſtinctu vel per ſpiritum proprium. Non autem omnia, quæ cognouimus diuino inſtinctu, ſub certitudine prophetica nobis manifeſtantur. Talis enim inſtinctus eſt quiddam imperfectum in genere prophetiæ. *Cum autem dicat Apoſtolus ad Eph.* 5. Omne quod manifeſtatur, lumen eſt: *ſciendum, quòd* lumen I dupliciter alicui ineſſe poteſt. Vno modo per modum formæ permanentis; ſicut lumen corporale eſt in ſole & in igne. Alio modo per modum cuiuſdam paſſionis, ſiuè impreſſionis tranſeuntis, ſicut lumen eſt in aere. Lumen autem propheticum non ineſt intellectui prophetæ per modum formæ permanentis; aliàs oporteret, quòd ſemper prophetæ adeſſet facultas prophetandi: quod patet eſſe falſum. Vnde Eliſeus dixit de muliere Sunamite 4. Reg. 4. *Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*. Et huius ratio eſt, quia lumen intellectuale in aliquo exiſtens per modum formæ permanentis & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoſcendum principium illorum, quæ per illud lumen manifeſtantur, ſicut per lumen intellectus agentis præcipuè intellectus cognoſcit prima principia omnium illorum, quæ naturaliter cognoſcuntur. Principium autem eorum, quæ ad ſupernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifeſtantur, eſt ipſe Deus, qui per eſſentiam à prophetis non videtur. Videtur autem à beatis in patria, in quibus huiuſmodi lumen ineſt per modum cuiusdam formæ permanentis & perfectæ, ſecundùm illud Pſ. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Relinquitur ergo, quòd lumen propheticum inſit animæ prophetæ per modum cuiuſdam paſſionis, vel impreſſionis tranſeuntis. Et hoc ſignificatur Exod. 33. *Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam &c.* Et 3. Reg. 19. dicitur ad Eliam: *Egredere, & ſta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranſit &c.* Et inde eſt, quòd ſicut aer ſemper indiget noua illuminatione: ita etiam mens prophetæ ſemper indiget noua reuelatione: ſicut diſcipulus, qui nondum eſt adeptus principia artis, indiget vt de ſingulis inſtruatur. Vnde Iſ. 50. dicitur: *Mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum*. Donum ideircò prophetiæ L aſſimilatur auditui (*quamuis quædam viſio ſit*) quia propheta non videt Dei eſſentiam, vt in ea videat reuelata; ſed quædam ſigna veritatis reuelatæ fiunt in anima prophetæ. Et hæc ſigna habent ſe per modum locutionis, 1. Reg. 3. *Loquere, Domine: quia audit ſeruus tuus*; & Iſ. 21. *Quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſrael, annunciaui vobis*.

Lumen propheticum quonam modo inſit intellectui prophetæ.

I 2.2. l.c.a. 2.c. & 3.con G. c. 154. Ver. 12. 1.c. Pot 6.4.f.c. & 1. Cor. 14. l. 6. ibi, prophetis.

Viſio prophetica cur auditui aſſimiletur

L Pſ. 50. lit. c. ibi, auditui.

Errores de prophetia.

Ω *Ex præfatis plures excluduntur errores, qui de prophetis irrepſerunt, & prophetia*. Exploduntur autem ex verbis Apoſtoli dicentis ad *Hebr.* 1. Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, *ſignanter, non per Prophetas*: Primò M quidem, vt excluderet errorem *Porphyrii* dicentis, quòd prophetæ ea, quæ dixerunt, fingendo, non ex Spiritu Sancto dixerunt. Et contra hoc dicit: *in prophetis*; quaſi non ipſi locuti ſunt ex ſe, ſed Deus locutus eſt in eis: 2. Pet. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines*. Secundò ad excludendum errorem quorundam dicentium, prophetiam eſſe quid naturale, & haberi per naturalem diſpoſitionem: ſicut cum aliquis melancholicus eſt adeò fortis imaginationis, quòd imaginata apprehendit, vt certa, & res ipſas; & ideò dicit: *loquens in prophetis*. Quaſi dicat: Non habetur prophetia per modum naturalis diſpoſitionis & paſſionis, ſed per locutionem internam à Deo, Io. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Tertiò contra errorem dicentium, haberi prophetiam per modum habitus, ſicut ſcientiam, vt ſcilicet quandocumque vult, prophetet: quod non eſt verum, cum prophetiæ ſpiritus non adſit prophetis ſemper, ſed cum eorum mens illuſtratur diuinitus. Et ideò dicit: *in prophetis*. Quaſi dicat: Non quòd habeatur ab omnibus & ſemper vt habitus, ſed in illis, in quibus & quando placet Deo loqui. Quartò ad excludendum errorem *Priſcillæ* & *Montani* dicentium, prophetas non intelligere ea, quæ dicebant: quod non eſt verum; vnde dicitur Agg. 1. *Factum eſt verbum Domini in manu Aggei prophetæ*: in manu, ideſt poteſtate. Et 1. Cor. 14. *Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt*. Et ideò dicit: *in prophetis*; ideſt in intellectu & poteſtate prophetarum. *Porrò non ſemper prophetica viſio fit cum abſtractione à ſenſibus, ſiuè alienatione. Nam* prophetica N reuelatio fit ſecundùm quatuor, ſcilicet ſecundùm influxum intelligibilis luminis, ſecundùm immiſſionem intelligibilium ſpecierum, ſecundùm impreſſionem, vel ordinationem imaginabilium formarum, & ſecundùm expreſſionem formarum ſenſibilium. Manifeſtum eſt autem, quòd non fit abſtractio à ſenſibus, quando aliquid repræſentatur menti prophetæ per ſpecies ſenſibiles, ſiuè, ad hoc ſpecialiter formatas diuinitus, ſicut fuit rubus oſtenſus Moyſi, & Scriptura oſtenſa Danieli: ſiue etiam per alias cauſas productas; ita tamen quòd ſecundùm diuinam prouidentiam ad aliquid propheticè ſignificandum ordinetur, ſicut per arcam Noë ſignificabatur Eccleſia. Similiter etiam non eſt neceſſe, vt fiat alienatio à ſenſibus exterioribus, per hoc quòd mens prophetæ illuſtratur intelligibili lumine, aut formatur intelligibilibus ſpeciebus, quia in nobis perfectum iudicium intellectus habetur per conuerſionem ad ſenſibilia, quæ ſunt prima noſtræ cognitionis principia: ſed quando fit reuelatio prophetica ſecundùm formas imaginarias, neceſſe eſt fieri abſtractionem à ſenſibus, vt talis apparitio phantaſmatum non referatur ad ea, quæ exteriùs ſentiuntur. Sed abſtractio à ſenſibus quandoque fit perfectè, vt ſcilicet nihil homo ſenſibus percipiat: quandoque autem imperfectè, vt ſcilicet aliquid percipiat ſenſibus, non tamen plenè diſcernat, quæ exteriùs percipit, ab his, quæ imaginabiliter videt. Vnde *Auguſtinus* dicit ſuper Gen. ad lit. *Sic videntur quæ in ſpiritu ſunt imagines corporum, quemadmodum corpora per corpus, ita vt ſimul cernatur & homo aliquis præſens, & abſens alius, ſpiritu tanquam oculis &c.* Talis tamen alienatio à ſenſibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, ſicut in arreptitiis vel furioſis, ſed per aliquam cauſam ordinatam; vel naturalem, ſicut per ſomnium: vel ſpiritualem, ſicut per contemplationis vehementiam; ſicut de Petro legitur Act. 10. quòd cum oraret in cœnaculo

M Hebr. 1. l. 1. ibi.

Error Porphyrij.

Error Priſcillæ & Montani.

Reuelatio prophetica ſecundùm quatuor.

N 2.2. 173. 3.c. Ver. 12. 9.

An prophetica viſio fiat per cum abſtractione à ſenſibus fiat.

Abſtractio à ſenſibus dupliciter fit.

tulo, *cecidit super eum mentis excessus*: vel virtute diuina rapiente, secundùm illud Ezech. 1. *Facta est super eum manus Domini.*

P 2.2.171.2. ad 4. Duo ad prophetiam requisita.

X *Ex quo sequitur, quòd* ad prophetiam S requiritur inspiratio quantùm ad mentis eleuationem, secundùm illud Iob 32. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*: reuelatio autem, quantùm adipsam perceptionem diuinorum, in quo perficitur prophetia, & per ipsam remouetur obscuritatis ignorantiæ uelamen, *secundùm illud Iob.* 12. Qui reuelat profunda de tenebris: (*Quod aiebat ab initio author.*) *Hæc autem reuelatio fit mediantibus Angelis. Quia enim* Angeli T medij sunt inter Deum & homines, vtpote plus participantes de perfectione diuinæ bonitatis, quàm homines: ideo illuminationes & reuelationes diuinæ à Deo ad homines per Angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio est per illuminationem, & reuelationem diuinam: unde manifestum est, quòd fit per Angelos. *Sciendum autem, quòd* in reuelatione V prophetica duo concurrunt: scilicet mentis illustratio, & formatio specierum in imaginatiua uirtute. Ipsum ergo propheticum lumen, quo mens prophetæ illustratur, à Deo originaliter procedit; sed tamen ad ejus congruam susceptionem mens humana Angelico lumine confortatur, & quodammodo præparatur. Cum enim lumen diuinum sit amplicissimum & universalissimum in virtute, non est proportionatum ad hoc, quòd ab anima humana in statu viæ percipiatur, nisi quodammodo contrahatur & specificetur per coniunctionem ad lumen Angelicum quod est magis contractum & humanæ menti magis proportionatum. Sed ipsa formatio specierum in imaginatiua uirtute propriè Angelis est attribuenda, eo quòd tota corporalis creatura administratur per creaturam spiritualem, ut *Aug.* probat *in* 3. *de Trin.* Vis autem imaginativa utitur organo corporali: unde specierum formatio in ipsa ad ministerium propriè pertinet Angelorum. *Cum autem prophetica cognitio fit per revelationem divinam, consequens est, ut huiusmodi cognitioni nullatenus possit falsum subesse. Nam* veritas X cognitionis est eadem in discipulo & in docente: quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis, sicut in rebus naturalibus forma generati est similitudo quædam formæ generantis. Et per hunc etiam modum *Hieronymus* dicit, quòd prophetia est quoddam signum diuinę præscientię. Oportet igitur eandem esse veritatem propheticæ cognitionis, & enunciationis, quæ est cognitionis diuinæ, cui impossibile est subesse falsum: unde prophetiæ non potest falsum subesse. *Ad quam innuendam certitudinem prophetia, utuntur non semel propheta tempore antecato, loco venturi: sicut illud David de Apostolis Ps.* 18. In omnem terram exivit sonus eorum: *quod assumit Paulus* ad Rom. x. *Quo loco ex Aug.* notandū Y quòd hęc verba nondū erant completa, quando Apostolus talia loquebatur; sed prævidebat ea esse complenda; & ideo utitur præterito pro futuro propter certitudinem diuinæ præordinationis: sicut etiam David, cuius uerba assumit Apostolus manifestè utebatur præterito pro futuro. *Non secus & illud de Christo Ps.* 8. Omnia sobiecisti sub pedibus eius. *Quod refert idem Apostolus* ad Hebr. 2. *Vbi Author*: Vtitur *inquit* propheta Z præterito pro futuro propter maiorē certitudinem: iam enim factum est in æterna Dei prædestinatione. *Et alibi non rarò. Quòd si quæras, ut rasit excellentior prophetia, num visionem habens intellectualem, an imaginariam? Dicendum, quòd* dignitas A eorum, quæ sunt ad finem, præcipuè consideratur ex fine. Finis autem prophetiæ est manifestatio alicuius ueritatis supra hominem existentis. Vnde quantò huiusmodi manifestatio est potior, tantò prophetia est dignior.

T 2.2.172.2.c. & q.3.c. Ver. q.8. &c. & ad 3. & 5. & q. 13. fi. c. 3. con. 6. c. 154. Is. 6. lit. a. Prophetica reuelatio fit à Deo mediantibus Angelis.

V Ver. 12. 8. c. Quo pacto fiat.

X 2.2.171.6. c. & ad 2. & 172. 1. Ver. 12. 3. c. Propheticæ cognitioni non potest falsum subesse.

Y Rom. x. l. 3. ibi. Ad certitudinem veritatis propheticæ, præterito pro futuro prophetæ utuntur.

Z Hebr. 2. l. 2. ibi. Vtra excellentior prophetia: num per visionem intellectualem, an per imaginariam.

A 2.2.174.2. c. Ver. q. 12. 12. & Is. 1. lit. a.

Manifestum est autem, quòd manifestatio di vinæ ueritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius ueritatis, potior est quàm illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum. Magis .n. appropinquat ad uisionem patriæ secundùm quam in essentia Dei ueritas conspicitur. Et inde est, quòd prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundùm intellectualem veritatem, est dignior, quàm illa, in qua ueritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum, secundùm imaginariam visionem. Et ex hoc etiam ostenditur mens prophetæ sublimior, sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem à magistro nudè prolatam capere potest, quàm ille qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci. Vnde in commendationem prophetiæ Dauid dicitur 2. Reg. 23. *Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel*; & postea subdit: *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque nubibus rutilat.* Ex B parte *sanè* eius, quod reuelationem facit, eminentior gradus prophetię est, quando uidetur ille qui loquitur, quàm quando verba audiuntur tantùm, sive sit in somnio, siue in uisione: quia ostenditur, quòd magis accedit propheta ad cognitionem eius, qui reuelat. Quando uerò uidetur ille, qui loquitur, altior gradus prophetiæ est, quando uidetur in specie Angeli, quàm quando videtur in specie hominis, & adhuc eminentior si uideatur in figura Dei: sicut Isaias c. 6. *uidit Dominū sedentem.* Cū .n. prophetiæ reuelatio (*ut præmissū est*) Deo descendat in Angelū, & ab Angelo in hominē, tantò ostēditur plenior prophetiæ receptio, quantò magis acceditur ad primū principiū prophetiæ. *Vide plura cit. locis de excellētiori prophetia quoad uisionē imaginariā.*

B Ver. loco cit. a. 13. f. c. & 2. 2. d. c. 4. 3

y *Cæterùm* triplex C est species prophetię, scilicet prædestinationis, nobiscū præscientiæ, & comminationis. Prophetia .n. dicitur prænunciatio eorum, quæ sunt procul, idest futurorum. Futurorum autem quædam sunt, quæ solus Deus facit: quædam uerò, etsi Deus facit, tamen fiunt per nos, & per alias etiam creaturas. Quædam autem sunt, quæ nullo modo Deus facit, ut mala. Prænunciatio illorum, quæ solus Deus facit, vocatur prophetia prædestinationis: sicut conceptus Virginis, Is. 7. *Ecce uirgo concipiet*, est prophetia prædestinationis. sed ea quæ fiunt à causis secundis, possunt dupliciter considerari. Primò secundùm quod sunt in prę scientia Dei, u. g. de suscitatione Lazari. Si .n. aliquis consideret causas naturales, diceret, quòd nunquam resurgeret; & uerum diceret cum tamen deberet resuscitari secundùm ordinem diuinæ prę scientiæ. Ergo quando prophetia est pręnunciatio, secundùm quod est in præscientia diuina, semper impletur. Quando autem est secundùm ordinem causarum inferiorum, non semper: sicut patet *Is.* 38. quando Isaias ad Ezechiam dixit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non uiues.* Prophetia *però* præscientiæ D potest esse bonorum & malorum: quod non contingit de prophetia prędestinationis quæ est bonorum tantùm. Et quia prædestinatio sub præscientia comprehenditur, ideò *in glossa in principio Psalterii* ponitur tantùm duplex prophetiæ species, scilicet secundùm præscientiam, & secundùm comminationem. *Aduerte autem, quòd* prophetia E prędestinationis completur sine nostro arbitrio causante; non tamen sine nostro arbitrio consentiente. *Vnde & docemur, quòd* ad Christi F conceptionem intervenit consensus Virginis, non quasi operans, sed sicut impedimentum remouens: non .n. inuitè tantum beneficium prę stari debebat. *At uerò* prophetia G comminatoria pęnè tunc solummodo immutatur, quandò merita eius uariantur, in quem comminatio f. ĉta est. Vnde *Ier.* 18 *dicitur*: Repentè loquar aduersùm gentē, & adversùs regnū, ut eradicē, & destruam, & disperdā illud.

C Mat. 1. lit. 2. ibi, Ver. 12. a. n. & xi. 3 con. 2. c. 154. Triplex prophetię species prædestinationis, præscientiæ, & comminationis.

D 2.2.174.4 fi. c. Prophetia præscientiæ bonorum & malorum est; prædestinationis bonorum tantùm.

E 3 p 30. 1. ad 1 In 3. d 3 3 1. q. 1. ad 3. F Ver. 12 x. ad 6. G 4. d. 46. 2. 3 q 2. ad 3. & 3. con G. c. 154. Ver. l. c. ad 7. 8 & 13. Prophetia comminationis, an & quomodo immutetur,

si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. (*Ad quæ coharentur de conuersis Niniuitis dicitur Ion.* 3. Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.) Vnde cum damnatorum merita mutari non possint, comminatio pœnæ semper in eis implebitur. Nihilominùs tamen prophetia comminationis semper quantum ad aliquem intellectum impletur: quia, vt dicit *Augustinus* 21. *de Ciui. Dei*. Euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus, euersa est Ciuitas in perditis moribus. *Talis fuit & prophetica comminatio Isaiæ ad Ezechiam* cap. 38. Et quamuis H non esset conditio explicitè proposita, est tamen illa denunciatio sub implicita conditione intelligenda, scilicet tali ordine rerum remanente. *Quo mutato, mutatur & comminationis prophetia. Quocirca & illud notandum, aliud esse Dei consilium mutari, aliud mutari sententiam.* Consilium Dei I dicitur ipsa æterna Dei dispositio, quæ nunquam variatur, propter quod dicit *Gregorius*, quòd Deus nunquam mutat consilium. Sententia verò dicitur hoc, ad quod aliquæ causæ ordinatæ sunt. Sententiæ autem in iudiciis ex causarum meritis proferuntur. Quandoque autē hoc, ad quod causæ sunt ordinatæ, est à Deo ab æterno dispositū; & tunc idem est Dei consilium, & Sententia. Quandoque verò ad aliquid ordinatæ sunt causæ, quod non est à Deo ab æterno dispositum: & tunc Dei consilium, & sententia feruntur ad diuersa. Ergo ex parte Sententiæ, quæ respicit causas inferiores, inuenitur mutabilitas, sed ex parte cōsilii inuenitur sēper immutabilitas. Prophetæ verò reuelatur quādoque sententia consilio cōformis: & tunc prophetia habet immobilem veritatem, etiam quantùm ad euentum. Quandoque verò reuelatur sententia non conformis consilio: & tunc habet immobilem veritatem quantùm ad ordinem, & non quantùm ad euentum. *Enimuerò* sub prophetia L comminationis intelligitur & prophetia promissionis, quia de eis est eadem ratio. Ideò tamen magis exprimitur de prophetia comminationis, quia frequentiùs inuenitur reuocata comminatio, quàm promissio. Deus enim pronior est ad miserendū, quàm ad puniendū.

H *Ver.* 12. 10 *ad* 10.

Deus sententiam mutat, non consilium.

I *Ibid. a.* 11. *ad* 3. *Hebr.* 6. *l.* 4. *ibi*, abundantiùs:

Sub prophetia comminationis intelligitur & prophetia promissionis.

L *Ver* 12. 10 *ad* 9.

M 3 *d.* 23. 2. 4 *q.* 1. *ad* 4

Prophetia nullo modo potest esse virtus.

2 *Ex premissis deducitur, quòd prophet* M *nullo modo potest esse virtus*: neque intellectualis, cum non perficiatur per eam operatio intellectus secundùm modum intellectui connaturalem, quia ea, quæ per prophetiam reuelantur, non possunt resolui ad principia naturaliter cognita. Neque est virtus theologica, quia non habet Deum pro obiecto, sed res temporales. Neque iterum actus intellectus per prophetiam à voluntate imperatur. *Præterea* prophetia N non est donum gratiæ gratum facientis: *unde &* potest esse potior in prophetia qui est minor in merito. *Est autem gratia gratis data, nam inter illas expressè eam Apostolus connumerat* 1. *Cor.* 12. Alii prophetia, alii discretio spirituum &c. *Ad quam proinde non exigitur bonitas morum; unde &* prophetia O potest esse sine charitate: quod apparet ex duobus. Primò quidem ex actu vtriusque: nam prophetia pertinet ad intellectum, cuius actus præcedit actum voluntatis, quem perficit charitas. *Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 13. prophetiam connumerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt sine charitate haberi. Secundò ex fine vtriusque. Datur enim prophetia ad vtilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, secundùm illud Apostoli. 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Non autem ordinatur directè ad hoc, quòd affectus ipsius prophetæ coniungatur Deo, ad quod ordinatur charitas. Si verò consideremus bonitatem motū secundùm passiones animæ & actiones exteriores, secundùm hoc impeditur aliquis à prophetia per morum malitiam. Nam ad propheriā requiritur maxima mentis eleuatio ad spiritualium contemplationem; quæ quidem impeditur per vehementiam passionum: (*ex quo docemur, quòd quia propter vehementiam delectationis* per peccatum P carnale luxuriæ, præcipuè mens humana deprimitur, vt ad superna ferri non possit, *etiam in actu matrimoniali* inquit Hieronymus *Spiritus Sanctus corda prophetarum non tangit*:) & per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Unde & de filiis Prophetarum legitur 4. *Reg.* 4. quòd habitabant cū Eliseo, quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono prophetiæ. *Et hinc consequenter instruimur, quòd* non Q quicumque bonus, est magis aptus ad prophetiam habendam, quàm quilibet peccator: cum aliqui charitate carentes, magis habeant aptas mentes ad spiritualia percipienda (vtpotè à carnalibus & terrenis vacantes, & naturali intellectus præditi claritate) quibusdam è contrario charitatem habentibus, terrenis negociis implicitis, & carnali dantibus operam generationi, nec intellectum habentibus naturaliter perspicacem. Et ideò quandoque propter has similes conditiones datur prophetiæ donum aliquibus malis, quod denegatur aliquibus bonis. (*Vtplurimùm tamen sanctis viris, charitatem habentibus, impertitur: gratia enim & mentem illustrat, & corigne charitatis inflammat.*) *Neque ex eo, quòd prophetia non possit quis malè vti, incapax huius doni dicendus peccator est. Etenim* prophetia R non contingit malè vti; ita quòd ipse prophetiæ actus, inquantum à prophetia egreditur, sit malus: cum enim aliquis prophetiæ actum ad aliquod malum ordinat, tunc quidem ipse prophetiæ actus bonus est, & à Spiritu Sancto, sed ordinatio illius actus ad finem indebitum non est à Spiritu Sancto, sed à peruersa hominis voluntate. *Nec itorùm ex eo, quòd alter altero fit habilior ad prophetiam, asserendum est, propheticum donum esse à natura, sed quòd aptior fit ad gratis recipiendum à Deo, à quo solo lumen propheticum deriuatur. Quocirca sciendum, quòd* prophetica S præcognitio potest esse de futuris dupliciter: Vno modo secundùm quod sunt in se ipsis; alio modo secundùm quod sunt in suis causis. Præcognoscere autem futura, secundùm quòd sunt in seipsis, est proprium diuini intellectus, cuius æternitati sunt omnia præsentia. (*Vnde dicitur Is.* 41. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum: & sciemus, quia dii estis vos.) Et ideò talis præcognitio futurorum non potest esse à natura, sed solùm ex reuelatione diuinā. Futura verò in suis causis possunt præcognosci naturali cognitione etiam ab homine: sicut medicus præcognoscit sanitatem, vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento præcognouit. Et talis cognitio futurorum potest intelligi esse in homine dupliciter à natura. Vno modo sic, quòd statim anima ex eo, quod in se ipsa habet, possit præcognoscere futura: & sic quidam (sicut *Augustinus* dicit 12. super Gen. ad lit.) voluerunt, animam humanam habere quamdam vim diuinationis in se ipsa. Et hoc videtur esse secundùm opinionem Platonis, qui posuit, quòd animæ habent omnium rerum cognitionem per participationem idearum. Sed ista cognitio obnubilatur in eis per coniunctionem corporis; in quibusdam tamen plùs, in quibusdam verò minùs, secundùm corporis puritatem diuersam. Et secundùm hoc posset dici, quòd homines, habentes animas non multùm obtenebratas ex corporum vnione, possunt talia futura præcognoscere secundùm propriam scientiam. Contra hoc autem obiicit *Augustinus*, cur non semper possit vim diuinationis habere anima, cum semper velit. Sed quia verius esse videtur, quòd anima ex sensibilibus cognitionem acquirat, secundùm sententiam Aristo-

N *Ver.* 12. 14. *ad* 5.

Neque est donum gratiæ gratum facientis.

Sed gratia gratis data. Ad eam proinde simpliciter non exigitur bonitas morum.

O 2. 2. 172. 4 *c. &* q. 6. 2 *ad* 3 *Ver.* 12. 5. *c. &* 1. *Cor.* 13. *l.* 1.

Nisi consideretur secundùm passiones animæ & exteriores actiones.

P *In* 4 *d.* 9. 1. 3. *q.* 5. *c.*

In actu etiam matrimonii Spiritus Sanctus corda prophetarum non tangit propter merita delectationem.

Q *Ver.* 12. 5. *ad* 6.

Vnde fit, quòd aliquis malus sit magis aptus, quàm bonus ad prophetiam.

Prophetiæ actus numquam malus, sed ordinatio in malum mala est ex peruersitate voluntatis.

R *Ver.* 12. *c. ad* 3. *&* 1. 3. *ad* 15.

Prophetiam non posse esse naturalis.

S 2. 2. 172. 1 *c. et ad* 2. *et* 3. *et a* 3. *Ver.* 12. 3. *c. et ad* 4. *et a.* 4.

Præcognitio de futuris dupliciter.

Cognitio futurorum in suis causis, dupliciter potest intelligi esse in homine à natura.

Opinio Platonis.

Refellitur. Aristotelis: ideò melius est dicendū alio modo, quòd scilicet præcognitionem talium futurorum homines non habent, sed acquirere possunt per viam experimentalem, in qua iuuantur per naturalem dispositionem, secundùm quod in homine inuenitur perfectio virtutis imaginatiuæ, & claritas intelligentiæ. Et tamen hæc præcognitio futurorum differt à prima, quæ habetur ex reuelatione diuina, dupliciter. Primò quidem; quia prima potest esse quorumcumque euentuum, & infallibiliter. Hæc autem præcognitio, quæ naturaliter haberi potest, est circa quosdam effectus, ad quos se potest extendere experientia humana. Secundò, quia prima prophetia est secundùm immobilem veritatem; non autem secunda, sed potest ei subesse falsum. Prima autem præcognitio propriè pertinet ad prophetiam: quia prophetica cognitio est eorum, quæ naturaliter excedunt humanam cognitionem: & ideò dicendum, quòd prophetia simpliciter dicta non potest esse à natura, sed solùm ex reuelatione diuina.

Præcognitio, quæ ab homine naturaliter haberi potest, dupliciter differt à præcognitione prophetica, quæ simpliciter nō potest esse à natura.

a *Hinc infertur, quòd futurum aliquod potest quidem ab homine ex causis naturalibus coniecturaliter præcognosci: fallibiliter tamen, non certitudine plena, quam vera secum fert per diuini illustrationem luminis prophetia.* Et V ideò *Augustinus* 18. *de Ciu. Dei* respondet quibusdam, qui volebant accipere numerum persecutionum, quas Ecclesia passa est, & passura, secundùm numerum plagarum Ægypti dicens: *Ego per illas res gestas in Ægypto istas persecutiones prophetticè significatas esse non arbitror: quamuis ab eis, qui hoc putant, exquisitè & ingeniosè illa singula his singulis comparata videantur, non prophetico spiritu, sed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquando fallitur.* Et similiter videtur esse de dictis Abbatis Ioachim, qui per tales coniecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit. (*Cuius & aliquis error in materia fidei refertur, putà, quòd* Essentia genuit essentiam *in diuinis, sicut dicitur* Deus genuit Deum; *& circa Trinitatem: vnde* in errorem V Arianorum incidit, licèt non pertinaciter: quia ipse scripta sua Apostolicæ sedis iudicio subiecit.) *Deceptus inquam fuit, quemadmodum & mulierculæ quadam, quæ passim à Spiritu Sancto sibi factas reuelationes iactant: cum vt plurimùm humano superbiæ spiritu, vel diabolico decipiantur: quarum idcircò* spiritus *à Confessariis diligenter* probandi, an ex Deo sint. *Hinc ad illud Rom.* 1. Quod promiserat per prophetas suos; *scribit Author* signanter X dicit, *suos*: sunt enim aliqui prophetæ spiritu humano loquentes, secundùm illud Ier. 23. *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini.* Sunt etiam quidam prophetæ dæmonum, qui immundo spiritu inspirantur (*quales & Quietistæ moderni*) sicut prophetæ, quos interfecit Elias, vt dicitur 3. *Reg.* 18. Sed prophetæ Dei dicuntur, qui diuino spiritu inspirantur, Ioel 2. *Effundam spiritum meum, & prophetabunt.* Vnde Y dicit *Chrysostomus super Mat.* quòd quidam prophetant in spiritu diaboli, quales sunt diuinatores; sed sic discernuntur: quoniam diabolus interdum falsa dicit, Spiritus Sanctus nunquam. *Certum est autem, quòd* intellectus Z superioris ordinis aliqua cognoscere potest, quæ sunt remota à cognitione intellectus inferioris. Supra intellectum autem humanum est non solùm intellectus diuinus, sed etiam Angelorum bonorum & malorum secundùm naturæ ordinem: & ideò quædam cognoscunt dæmones, etiam sua naturali cognitione, quæ sunt remota à cognitione hominum, quæ possunt hominibus reuelare. Simpliciter autem & maximè remota sunt quæ solus Deus cognoscit: & ideò prophetia propriè & simpliciter dicta fit per solam diuinam reuelationem: sed ipsa reuelatio facta per dæmones potest secundùm quid dici prophetia. Vnde quibus

Humanæ prædictiones fallibiles, quia coniecturales tantùm.

V 4. d. 43. 1. 3. q. 2. ad 3.

Abb. Ioachim prædictiones, & errores.

V Opusc. 24. & 1. p. 39. 5. c.

Quidam humano spiritu, quidam diabolico inspirati, falsi prophetæ.

X Rom. 1. l. 2. ibi.

Y 2. 2. 172. 5. ad 3.

Z Ibid. in corp. & 3. con. G. c. 154.

An præcognitio dæmonum possit dici prophetia.

aliquid per dæmones reuelatur, non dicuntur in Scripturis prophetę simpliciter, sed cum aliqua additione, putà prophetæ falsi, vel prophetæ idolorum: (*Zach.* 13. Pseudoprophetas, *scilicet falsos*, & spiritum immundum auferam de terra; *& Mat.* 24. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: *& alibi.*) Vnde *Augustinus* 12. super Gen. ad lit. *Cum malus spiritus* inquit *arripit hominem in hæc*, scilicet visa, *aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas.* Prophetæ *tamen* dæmonum A non semper loquuntur ex dæmonum reuelatione, sed interdum ex inspiratione diuina, sicut manifestè legitur de Balaam, cui dicitur Deus esse locutus *Num.* 22. licèt esset propheta dæmonum: quia Deus vtitur etiam malis ad vtilitatem bonorum. Vnde & per prophetas dæmonum aliqua vera prænunciat: tum vt credibilior fiat veritas, quæ etiam ex aduersarijs testimonium habet: tum etiam, quia cum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur. Vnde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo. Sed etiam quando prophetæ dæmonum à dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt; quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cuius actus est Spiritus Sanctus: quandoque etiam reuelatione bonorum spirituum, vt patet per *Augustinum* 12. *super Gen. ad lit.* Et sic etiam illud verum, quod dęmones enunciant, à Spiritu Sancto est: *à quo* quidem *est omne verum, à quocumque dicatur*, aiebat Ambrosius. (*Vide plura Tomo* 2. V. Diuinatio.) *Cæterùm, quoniam* Satanas transfigurat se in Angelum lucis, *vt dicitur* 2. *Cor.* 11. falsi B prophetæ distinguuntur à veris quantùm ad tria ad minus. *Primò* quantùm ad reuelationis Authorem, quia boni prophetæ futura prædicunt, diuino lumine mediantibus bonis Angelis inspirati. Sed falsi prophetæ vel sequuntur spiritum suum, nihil videntes, sed mendacia confingentes, vel per reuelationem immundi spiritus. *Secundò* quantùm ad intentionem prænunciationis, quia falsorum prophetarum finis est aliquod lucrum temporale. Vnde dicitur Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriūtur, & viuificarent animas, quæ non viuūt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Vel saltem ipsius dæmonis reuelantis intentio peruersa est, qui deceptionem intendit. Sed prophetarum bonorum tota intentio in rectum finem ordinatur. *Tertiò* quantùm ad certitudinem prænunciatorum, quia bonorū prophetia innititur diuinę præscientiæ, quæ omnium futurorum euentus intuetur: sed prænunciatio malorum prophetarum innititur præscientiæ dæmonum, quæ coniecturalis est. *Idcircò Deut.* 18. *dicitur*: Si tacita cogitatione responderis: *Quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus nō est locutus?* hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit. *Cæterùm (nisi specialiter à Deo motus) quicquid bonus etiam verusque propheta dicit, prophetia non est.* Aliquando: *enim* prophetæ C etiam aliqua dicunt à se ipsis, sicut patet de Nathan, qui consuluit Dauid, quòd ædificaret Templum; postea autem à Domino reprehensus, & quasi retractus, prohibuit hoc ipsi Dauid ex parte Dei, *vt legitur* 2. *Reg.* 7. *& 1. Paral.* 17. *Vnde & à filio eius Salomone extructum est, vt habetur* 3. *Reg.* 6.

A Ibid. a. 6. ad 1. & 2. & q. 174. 5. ad 4. & 3. con. G. l. c.

Prophetæ dęmonum, non semper ex eorum reuelatione loquuntur, sed & ex diuina quandoque.

Omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est.

Falsi prophetæ in tribus distinguuntur à veris.

B 2. d. 7. 2. 2. ad 2. & 2. 2. 172. 5. ad 3. & a. 6. ad 2.

C Quel. 12. a. 26. ad 1.

b *Porrò ab Angelis sanctis & à beatis omninò excluditur prophetia. Vnde Apostolus* 1. *Cor.* 13. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, *idest*, cessabunt D quia scilicet in futura gloria prophetia locū nō habebit propter duo. Primò quidem, quia prophetia respicit futurum; status autem ille non expectabit aliquid in futurū, sed erit finale complementum omnium eorum, quæ ante fuerant

An in beatis prophetia.

D 1. Cor. 13. l. 3. ibi 2. 2. 173. 1. c. & 174. 5. & 3. p. 7. 8. c.

ſunt prophetata. Vnde in Pſ. 47. dicitur: *Sicut audiuimus*, ſcilicet per prophetas, *ſic vidimus* præſentialiter *in ciuitate Domini virtutum &c.* Secundò quia prophetia eſt cum cognitione figurali & ænigmatica, quæ ceſſabit in Patria. Vnde dicitur *Num.* 12. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. Et *Apoſtolus loco cit.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. *Ex quo, Chriſto Domino, vt comprehenſor erat, nullatenus prophetia competebat: conueniebat nihilominùs ei vt viatori.* In E Chriſto enim fuit triplex cognitio: ſcilicet ſenſitiua; & ſecundùm hanc habuit quandam ſimilitudinem cum prophetis, in quantùm in imaginatione Chriſti formari poterant aliquæ ſpecies ſenſibiles, quibus futura vel occulta repræſentarentur, præcipuè propter paſſibilitatem, quæ ſibi conueniebat propter ſtatum viatoris. Item cognitio intellectiua: & quantùm ad hanc, non habet ſimilitudinem cum prophetis, ſed eſt etiam ſupra Angelos, quia erat comprehenſor excellentiùs, quàm aliqua creatura. Item cognitio diuina: & quantùm ad hanc, fuit prophetarum & Angelorum inſpirator, cum omnis cognitio cauſetur per participationem Verbi diuini. *Præfato igitur ſenſu, vt viator, Chriſtus propheta fuit, de quo idcircò prænunciatum eſt Deut.* 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos &c. *Et Luc.* 7. Propheta magnus ſurrexit in nobis, *&* *Io.* 6. Hic eſt verè Propheta. *Et ipſe de ſe ipſo cap.* 4. Propheta in ſua patria honorem non habet: *ſiue (vt Luc.* 4.) Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. Quod *quidem* licèt F in aliquo ſingulari habeat inſtantiam (nam aliqui prophetæ honorati leguntur in terra ſua:) non tamen propter hoc debet reputari falſum: in naturalibus enim, & in omnibus, regula eorum, quæ vt in pluribus verificatur, eſt vera: & ſi in aliquo particulari aliter ſit, non reputatur falſa. Illud autem, quod Dominus dicit, in pluribus prophetarum verum erat: quia in veteri teſtamento vix inuenitur aliquis prophetarum, qui à ſuis contribulibus perſecutionem paſſus non fuerit, ſecundùm illud Act. 7. *Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* Et Mat. 23. *Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas &c.* Hoc etiam verbum Domini verificatur non ſolùm in prophetis apud Iudæos; ſed etiam (vt *Origenes* dicit) in pluribus apud Gentiles, qui ſuis ciuibus ſunt habiti contemptui, & ad mortem deducti. Nam conſueta conuerſatio cum hominibus, & nimia familiaritas reuerentiam minuit, & contemptum parit. Et ideò, quos familiares magis habemus, minùs reuereri conſueuimus; & quos familiares habere non poſſumus, magis reputamus. Cuius contrarium contingit de Deo. Nam quantò aliquis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tantò cum excellentiorem reputans, magis reueretur, & ſe ipſum minorem reputat, Iob 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcircò ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Et huius ratio eſt: quia in homine, cum ſit infirmæ & fragilis naturæ, quandiu cum alio diu conuerſatur, cognoſcit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reuerentia eius ad eum; ſed cum Deus ſit immenſæ perfectionis, quantò plùs homo in cognitione eius proficit, tantò magis, perfectionis eius excellentiam admiratur, & ex hoc eum magis reueretur.

E *Io.* 6. *l.* 2. *lit a ibi*, propheta, *& cap.* 4. *l.* 6. *lit. b Mat.* 13. *ſi. cap. ibi*, propheta. *Hebr.* 1. *l.* 4. *ſi.* 2. 2. 174. 5. *ad* 3. *&* 3 *p.* 7. *a.* 8 *Op.* 3. *c.* 216.

Num in Chriſto in quo triplex cognitio

F *Io.* 4. *l.* 6. *lit b ibi, Mat.* 13. *ſi. cap. ibi*, propheta, *& Prol ad Hebr. ſi.*

An vniuerſaliter verum, quòd *nemo propheta acceptus eſt in Patria ſua.*

Nimia familiaritas contemptum parit.

G *Cum verò tot adeoquè excellentes Dei prophetæ floruerint, non abs re pia venit curioſitate quærendum, quis inter eos ſit præcellentior habendus. Et reſpondet abſolutè Author*, quòd Moyſes. *Nam* licèt G quantùm ad aliquid, aliquis alius prophetarum fuerit eo maior: ſimpliciter tamen Moyſes fuit maior omnibus aliis. In prophetia enim conſideratur & cognitio tam ſecundùm viſionem intellectualem, quàm ſecundùm viſionem imaginariam, & denunciatio, & confirmatio per miracula. Moyſes ergo fuit aliis excellentior. Primò quidem quantùm ad viſionem intellectualem, eo quòd vidit ipſam Dei eſſentiam, ſicut Paulus in raptu, vt *Auguſtinus dicit* 12. *ſuper Gen. ad lit.* Vnde dicitur Num. 12. quòd *palam & non per ænigmata & figuras Dominum vidit*. Secundò quantùm ad imaginariam viſionem, quam quaſi ad nutum habebat, non ſolùm audiens verba, ſed etiam videns loquentem, etiam in ſpecie Dei, non ſolùm in dormiendo, ſed etiam in vigilando. Vnde dicitur Ex. 33. quòd *loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*. Tertiò quantùm ad denunciationem, quia loquebatur toti populo fidelium ex perſona Dei, quaſi de nouo legem proponens: alii verò prophetæ loquebantur ad populum in perſona Dei, quaſi inducentes ad obſeruantiam legis Moyſi, ſecundùm illud Malach. 4. *Mementote legis Moyſi ſerui mei*. Quartò quantùm ad operationem miraculorum, quæ fecit toti populo infidelium. Vnde dicitur *Deut.* 34. Non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael, ſicut Moyſes; quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum vt faceret in terra Ægypti Pharaoni & omnibus ſeruis eius, vniuerſæque terræ illius. *Neque tamen ideò Moyſen Ioanni præferimus. Quod enim præmiſimus*, intelligendum H eſt de prophetis veteris teſtamenti: quia tunc præcipuè prophetia fuit in ſuo ſtatu, quando Chriſtus, ad quem omnis prophetia ordinabatur, expectabatur venturus. Ioannes autem ad nouum pertinet teſtamentum; vnde dicitur Mat. 11. *Omnes prophetæ & lex vſque, ad Ioannem prophetauerunt*. In nouo tamen teſtamento facta eſt manifeſtior reuelatio, vnde dicitur 2. Cor. 3. *Nos verò reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes &c.* Vbi expreſsè Apoſtolus ſe, & alios Apoſtolos Moyſi præfert. *Et quamuis Dauid videatur Moyſi ſaltem æquiparandus: quòd nimirùm* prophetia I Dauid ex propinquo attigit viſionem Moyſi, quantùm ad viſionem intellectualem, quia vterque accepit reuelationem intelligibilis & ſupernaturalis veritatis abſque imaginaria viſione: Viſio tamen Moyſi fuit excellentior quantùm ad cognitionem diuinitatis: ſed Dauid plenius cognouit, & expreſſit myſteria incarnationis Chriſti. *Veruntamen* in hoc L Rabbi Moyſi opinio non tenetur, qui ponit, quòd Prophetia Dauid fuit inferior prophetia Iſaiæ vel Ieremiæ: cuius contrarium dicitur à Sanctis, *vt prætactum eſt*. *Cæterùm in veteri lege floruerunt magis prophetæ, quàm in noua: quia* in noua M lege mens hominis artetur à temporalium ſolicitudine; & ideò non eſt in lege noua aliquid inſtitutum ad præcognitionē futurorum euentuum de temporalibus rebus. In veteri autem lege, quæ promittebat terrena, erant conſultationes de futuris ad religionem pertinentibus. Vnde dicitur Iſ. 8. *Et cum dixerint ad vos: quærite à pythonibus & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis*; ſubdit quaſi reſponſionem: *Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro viuis, ac mortuis?* Ideò autem N maximè tempore regum oportuit prophetas in illo populo abundare: quia tunc populus non opprimebatur ab alienigenis, ſed proprium regem habebat. Et ideò oportebat, per prophetas eum inſtrui de agendis, quaſi libertatem habentem. *Et licèt dicatur Mat.* 11. *cit.* Prophetæ & lex vſque ad Ioannem: *non ideò* hoc O dicitur (*inquit Hieronymus*) vt poſt Ioannem excludat prophetas. Legimus enim in Actibus Apoſtolorum cap.

Moyſes inter omnes prophetas excellentior.

G 2. 2. 174. 4. *a Ver.* 12 9. *ad* 1 *&* 4. 14. *lſ.* 6. *lit. a.*

Nec tamen Ioanni præferendus, nec Apoſtolis.

H *Ver.* 12. *a.* 14. *ad* 5 *&* 4. 12 *ad* 3 *&* 12. *l. c. ad* 3.

I 2. 2. 174. 4 *ad* 1.

Moyſes præcellnit in cognoſcendo diuinitatem: Dauid inexprimendo myſteria incarnationis Chriſti.

L *Ver.* 12. 4. 12. *ad* 6. *&* 4. 13. *c.*

M 2. 2. 95. 2. *ad* 3.

Cur in veteri lege floruerint magis prophetæ, quàm in noua.

N 2. 2. 174. 6. *ad* 2.

Et tempore Regum.

O *Ibid. ad* 3 *&* 95. 2. *ad* 3.

In noua etiam lege plures prophetæ dono illuſtres, ſed non eodem fine.

cap. 21. & Agabum prophetasse, & quatuor virgines filias Philippi. Ioannes etiam librum propheticum conscripsit de fine Ecclesiæ. Et singulis temporibus non defuerunt aliqui, prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem, sicut *Augustinus* refert 5. *de Ciu. Dei*, quòd Theodosius Augustus ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit: & ab eo nuncium victoriæ certissimum accepit. *Et quidem in Ecclesia Dei passim leguntur Sancti viri dono prophetiæ claruisse, & multa pluribus prædixisse futura. Demum* tunc P inceperunt scribi prophetiæ de Christo per Isaiam & Osee, quando Roma est condita, sub cuius Imperio Christus erat nasciturus, & fides eius Gentibus prædicanda. DISCE *ex monito Christi à falsis prophetis attendere. Vide Tomo 2. V.* Diabolus *&* Diuinatio, *fusiùs*.

P Rom. 1. l. 2. sub initio & 2.2.174.6. ad 2

Quando Roma condita est, cœperunt scribi prophetiæ de Christo per Isaiam & Oseam.

PROVIDENTIA. *Vide* Dei Prouidentia *Tomo 2. & infrà* Prudentia.

PROXIMVS. *Vide* Amor Proximi *Tomo 1.* Dilectio Inimicorum *Tomo 2.*

PRVDENTIA.

XXVIII. Omnibus virtutibus moralibus motor est ipsa prudentia, quæ dicitur auriga virtutum: & ideò quælibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiæ. *In 4. d. 17. 2. 2. q. 4. corp.*

Q 2.2.47.3. initio c.

Prudentia vnde dicatur.

R Ibid. 49. 6. ad 1.

d PRudens Q dicitur (*ex Isidoro in lib. etymol.*) quasi *porrò videns*; perspicax enim est, & incertorum videt casus. *Vel*, quia R omnia alia, quæ requiruntur ad prudentiam, ad hoc necessaria sunt, vt aliquid ordinetur ad finem; ideò nomen ipsius prudentiæ sumitur à prouidentia, sicut à principaliori sui parte. *Et quidem*, licèt S prudentia simpliciter dicta in bono accipiatur; alio tamen addito, potest accipi in malo. Et secundùm hoc dicitur prudentia carnis esse peccatum, *secundùm illud Rom.* 8. Prudentia carnis inimica est Deo: *de qua infrà. Sicut autem* ars T est recta ratio factibilium: ita prudentia est recta ratio agibilium. *Vnde & docemur, quòd* bonum V simpliciter in actibus humanis inuenitur per hoc, quòd pertingitur ad regulam humanorum actuum, quæ quidem est vna quasi homogenea & propria homini, scilicet ratio recta. Alia autem est sicut prima mensura transcendens, quod est Deus. Ad rationem autem rectam attingit homo per prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, vt dicitur *in 6. Ethic.* Ad Deum autem attingit homo per charitatem, *secundùm illud 1. Io.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Ex quo prudentia in ratione est. Nam (vt præmisimus)* prudens X dicitur quasi *porrò videns*. Visio autem non est virtutis appetitiuæ, sed cognoscitiuæ. Vnde manifestum est, quòd prudentia directè pertinet ad vim cognoscitiuam, non autem ad vim sensitiuam, quia per eam cognoscimus solùm ea, quæ præstò sunt, & sensibus offeruntur. Cognoscere autem futura ex præsentibus vel præteritis (quod pertinet ad prudentiam) propriè rationis est, quia hoc per quandam collationem agitur. Vnde relinquitur, quòd prudentia propriè sit in ratione. *Et quia ex Philosopho in 6. Ethic.* prudentia Y est posse consiliari; consilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem; ratio autem eorum, quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica: manifestum est, quòd prudentia non consistit nisi in ratione practica. *Consequenter prudentia, virtus statuitur. Nam* virtus Z est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Bonum autem potest dici dupliciter. Vno modo materialiter pro eo, quod est bonum: alio modo formaliter secundùm rationem boni. Bonum autem, in quantùm huiusmodi, est obiectum appetitiuæ virtutis: & ideò si qui habitus sunt, qui faciant rectam considerationem rationis, non habito respectu ad rectitudinem appetitus, minùs habent de ratione virtutis; tanquam ordinantes ad bonum materialiter, idest ad id, quod est bonum, non sub ratione boni. Plus autem habent de ratione virtutis habitus illi, qui respiciunt rectitudinem appetitus, quia respiciunt bonum, non solùm materialiter, sed etiam formaliter, idest id, quod est bonum sub ratione boni. Ad prudentiam autem pertinet applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto. Et ideò prudentia non solùm habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales; sed etiam habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes morales, quibus etiam connumeratur. *Et est insuper specialis virtus. Etenim, cum* prudentia A sit in ratione, diuersificatur quidem ab alijs virtutibus intellectualibus, secundùm materialem diuersitatem obiectorum. Nam sapientia, scientia, & intellectus sunt circa necessaria: ars autem, & prudentia circa contingentia. Sed est ars circa factibilia, quæ scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus, & huiusmodi. Prudentia autem est circa agibilia, quæ scilicet in ipso operante consistunt. Sed à virtutibus moralibus distinguitur prudentia secundùm formalem rationem potentiarum distinctiuam, scilicet intellectiui, in quo est prudentia: & appetitiui, in quo est virtus moralis. Vnde manifestum est, prudentiam esse specialem virtutem, ab omnibus alijs virtutibus distinctam. *Sanè ad humanam vitam prudentia virtus necessaria est.* Benè enim B viuere consistit in bene operari; ad hoc autem, quòd aliquis benè operetur, non solùm requiritur, quid faciat, sed etiam quomodo faciat, vt scilicet secundùm electionem rectam operetur, non solùm ex impetu aut passione. Cum autem electio sit eorum, quæ sunt ad finem; rectitudo electionis duo requirit, scilicet debitum finem, & id, quod conuenienter ordinatur ad debitum finem. Ad debitum autem finem homo conuenienter disponitur per virtutem, quæ perficit partem animæ appetitiuam, cuius obiectum est bonum & finis. Ad id autem, quod conuenienter in finem debitum ordinatur, oportet, quòd homo directè disponatur per habitum rationis: quia consiliari & eligere, quæ sunt eorum, quæ sunt ad finem, sunt actus rationis. Et ideò necesse est, in ratione esse aliquam virtutem intellectualem, per quam perficiatur ratio ad hoc, quòd conuenienter se habeat ad ea, quæ sunt ad finem: & hæc virtus est prudentia. Vnde prudentia est virtus necessaria ad benè viuendum. *Eapropter hortatur sapiens Pro. 2.* Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala. *Nam, vt monemur Sap. 6.* Melior est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis.

S 2.2.55.1. ad 1.

In bono accipitur & in malo.

T 1.2.57.4. c. & a. 5. ad 1. & 58.2. ad 1. & 2.2.47.5. c.

Quid ars, quid prudentia.

V Virt. 5. 2. init. c. & 2. 2. 47. a. 1. & 2.

Ratio recta, regula humanorum actuum, ad quam attingit prudentia: Deus prima mensura trascendés, ad quam attingit charitas.

Prudentia in ratione est.

X 2.2.47.1. c. & 1.2.61.2. c. Virt. 5.1. c.

Y 2.2. l. c. a. 2. c. & 1.2.57.3. In 3. d. 33. 2. 4 q. 4. c.

Z 2.2.47.4. c. & 1.2.57.5. ad 3. & 61.1. c.

Sed practica. Virtus quid. Bonum dupliciter sumitur.

Quinam habitus plùs habeant de ratione virtutis.

Prudentia intellectualis, ac moralis virtus, & specialis.

A 2.2.47.5. c. & 1.2.57.4. In 3. d. 9. 1. 1. q. 2. c. & d. 33. 1. 1. q. 2. c. & q. 2. a. 1. q. 3. ad 2.

Ad humanam vitam necessaria.

B 1.2.57.5. c. & 2.2.51.3. ad 3. Virt. 1. a. 6.

C 2.2.47.15. c.& 49.1 ad 2. & a.2.ad.1.& a.3.ad 2. & 1. 2.63.1.c.

fortis. *Ex quo sequitur, quòd prudentia nobis à natura non inest. Etenim, quia* fines C recti humanæ vitæ sunt determinati; ideò potest esse naturalis inclinatio respectu horum finium. Quidam enim habent ex naturali dispositione quasdam virtutes, quibus inclinantur ad rectos fines, & per consequens etiam habent naturaliter rectum iudicium de huiusmodi finibus. Sed ea, quæ sunt ad finem in rebus humanis, non sunt determinata, sed multipliciter diuersificantur secundùm diuersitatem personarum & negociorum. Vnde quia inclinatio naturæ semper est ad aliquid determinatum, talis cognitio non potest homini inesse naturaliter, licèt ex naturali dispositione vnus sit aptior ad huiusmodi discernenda, quàm alius: sicut etiam accidit circa conclusiones speculatiuarum scientiarum. Quia ergo prudentia non est circa fines, sed circa ea, quæ sunt ad finem, ideò prudentia non est naturalis. *Igitur tam virtutes* D intellectuales, quàm morales, secundùm quandam aptitudinis inclinationem sunt in nobis à natura; non autem consummatio earum, quia natura determinatur ad vnum. Consummatio autem huiusmodi virtutum non est secundùm vnum modum actionis, sed diuersimodè diuersas materias, in quibus virtutes operantur, & secundùm diuersas circumstantias. Sed & Philosophus E dicit *in 6. Eth.* quòd prudentia & habitus ad cognitionem rerum à nobis agendarum pertinentes, sunt nobis magis naturales, quàm scientia aliarum rerum. *Proinde* quidam F inueniuntur naturaliter prudentes, non autem naturaliter scientes (vt in eodem 6. Ethi. dicitur) & propter hoc prudentiã non obliuiscuntur homines de facili, sicut scientiã.

Non inest homini à natura; licet in vno maior sit dispositio naturalis, quàm in alio.

Quo sensu virtutes dicantur naturales.

D 1.2. loco cit.

E 2.d.23.2.2 fi.c.

F Ver. 18.7. ad 7.

e *Est igitur prudentia, virtus acquisita, &* quodammodò G virtus est generalis, in quantùm habet pro materia omnia moralia, & in quantùm omnes virtutes morales quodammodo eam participant. Et hac ratione dicitur, quòd omnis virtus moralis debet esse prudens. *Vnde &* recta H ratio prudentiæ ponitur in diffinitione virtutis moralis (*Est enim virtus moralis* habitus electiuus in medietate consistens, determinata secundùm rectam rationem, *vt dicitur in 2. Ethic.*) non tamen quasi aliquid de essentia eius existens, sed sicut causa quodammodo effectiua ipsius, vel per participationem: nam virtus moralis nihil aliud est, quàm participatio quædam rationis rectæ in parte appetitiua. *Ex quo benè aiebat initio Author*: Omnibus I virtutibus moralibus motor est ipsa prudentia, quæ dicitur auriga virtutum; & ideò quælibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiæ. *Et ita* prudentia L ponit modum & formam in omnibus alijs virtutibus moralibus: sicque charitas est forma virtutum aliarum omnium, sicut prudentia moralium. *Itaque* sicut M oportet rationem speculatiuam habitu scientiæ perfici ad hoc, quòd rectè dijudicet de scibilibus, ad scientiam aliquam pertinentibus: ita oportet, quòd ratio practica perficiatur aliquo habitu ad hoc, quòd rectè dijudicet de bono humano, secundùm singula agenda: & hæc virtus dicitur prudentia, cuius subiectum est ratio practica. Et est perfectiua omnium virtutum moralium, quæ sunt in parte appetitiua: quarum vnaquæque facit inclinationem appetitus in aliquod genus humani boni, sicut iustitia facit inclinationem in bonum, quod est æqualitas pertinentium ad communicationem vitæ: temperantia in bonum, quod est refrænari à concupiscentijs. Et sic de singulis virtutibus. Vnumquodque autem horum contingit multipliciter fieri, & non eodem modo in omnibus: vnde ad hoc vt rectus modus statuatur, requiritur iudicij prudentia; & ita ab ipsa est rectitudo, & complementum bonitatis in omnibus alijs virtutibus: Vnde Philosophus dicit *in 2. Ethic.* quòd medium in virtute morali determinatur secundùm rationem rectam. Et quia ex hac rectitudine, & bonitatis complemento omnes habitus appetitiui virtutis rationem sortiuntur: inde est, quòd prudentia est causa omnium virtutum appetitiuæ partis, quæ dicuntur morales, in quantum sunt virtutes. Et propterea dicit *Gregorius* in 2. Moral. quòd *cæteræ virtutes, nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt*. Sicut N si aliquis operetur iusta, bonum quidem facit, sed non erit opus perfectæ virtutis, nisi hoc benè faciat, idest secundum electionem rectam: quod est per prudentiam. Et ideò iustitia sine prudentia non potest esse virtus perfecta. *Et sic de cæteris virtutibus, et iam cardinalibus. Idcircò* aliæ O virtutes intellectuales sine virtute morali esse possunt: sed prudentia sine virtute morali esse non potest. *Consequenter* virtus P moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus; sicut sine sapientia, scientia, & arte: non autem potest esse sine intellectu & prudentia. *Ex quo indubitanter asserendum, quòd* prudentia Q quæ attingit rationem secundùm se, est excellentior, quàm aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem, secundùm quod ex ea medium constituitur in operationibus, vel passionibus humanis. *Et hinc, est quòd* prudentia R circa illa est, de quibus est consilium, eo quòd ad prudentem pertinet bene se habere circa consilia, consiliando, iudicando, & præcipiendo. Consilium autem est de contingentibus operabilibus à nobis, vnde etiam circa hoc oportet prudentiam esse. Et quia prudens dicitur benè consiliatiuus simpliciter, oportet quòd consilietur de his, quæ sunt ordinata ad bonum hominis simpliciter: hoc autem consistit in animæ perfectione, cuius vltima perfectio est debita operatio potentiarum animæ. Et ideò de his, in quibus bonum operantis consistit, est prudentia: & hæc agibilia dicuntur. Agibilia ergo, secundùm quod sunt consiliabilia, sunt propria materia prudentiæ, *quæ idcircò diffinitur* recta ratio agibilium. *Ea propter dicitur Prou.* 15. Vir prudens dirigit gressus suos. *Sanè* agibilia S sunt quidem materia prudentiæ, secundùm quod sunt obiectum rationis, scilicet sub ratione veri: sunt autem materia moralium virtutum, secundùm quod sunt obiectum virtutis appetitiuæ, scilicet sub ratione boni. *Verùm* de necessitate T prudentiæ non est, vt homo sit bene consiliatiuus in omnibus, puta in mercationibus, & rebus bellicis, & huiusmodi: sed in his, quæ sunt necessaria ad salutem: quod non deest omnibus in gratia existentibus, quantumcumque sint simplices, secundùm illud 1. Io. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus*: nisi fortè in aliquibus baptizatis impediatur actus prudentiæ propter corporalem defectum, vel ætatis, sicut in pueris; vel prauæ dispositionis, sicut in morionibus & phreneticis.

G Virt. 5.12. ad 23. fi. 2. 2. 53.2.c. In 3.d. 9.1.1.q.2.c.

Qualiter prudentia virtus sit generalis.

H Virt. l.c. ad 16.

Virtutis moralis diffinitio.

I 4.d. 17.2. 2.q.4.c.

Prudentia motor virtutum moraliũ, & auriga.

L 3.d.27.2. 4.q.3.c. & ad 1.& 2.2.166. 2. ad 1.

Sicut charitas est forma virtutum omnium; ita prudentia moralium.

M Virt. 1.6 c. In 3.d. 33.2. 5.c.

Prudentiæ necessitas in omnibus moralibus virtutibus.

N 1.2.65. 4.c.

Sine illa non est perfecta virtus.

O 1.2.58.5. inis.c. & a.3. ad 1. & 65.1. & 4.c. & ad 1. & 73.1. ad 2. & 2.2.51.2.fi. c.

Virtutes intellectuales possunt esse sine moralibus, non tamen prudentia sine morali.

P 1.2.58.4. inis.c. & 65.1. & 2. & 2.2.47 4. & 51. 2. In 2.d.23. 2.3.fi. c. In 3.d 36.1.1. c. Virt. 1.6.c.& 9.5.a.2.

Q 2.2.23. 6.fi.c.& 47.6. ad 3. & 1.2.61. 2. ad 1. & 66. 1. & 2. In 3.d. 33.2.5. Virt.5. 1. ad 11. & 6. 3.c.

Morales possunt esse sine intellectualibus, non tamen sine prudentia, quæ moralibus ideò omnibus excellentior est.

R 3.d.33.2. 2.q.1.c.

Prudentia circa quæ sit.

Agibilia qualiter sint materia prudentiæ.

S 2.2.47.5. ad 3.

T Virt.5.2. ad 3.& 2.2.locis cit. a. 14 ad 1.& 3 & 51.1. ad 3.

Non est de necessitate prudentiæ, vt homo sit bene consiliatiuus in omnibus, sed in necessarijs ad salutem.

f *Porrò triplex assignatur prudentiæ pars; integralis nimirùm, subiectiua, & potentialis. Generaliter siquidem* triplex est V pars, scilicet integralis, vt paries, tectum, & fundamentum sunt partes domus: subiectiua, sicut Bos & Leo sunt partes animalis: & potentialis, sicut nutritiuum, & sensitiuum sunt partes animæ. Tribus ergo modis possunt assignari partes alicui virtuti. Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicuius, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius. Et sic ex omnibus enumeratis possunt accipi octo partes prudentiæ, scilicet sex, quas enumerat Macrobius (scilicet *ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, docilitas*, & cau-

Triplex prudentiæ pars.

V 2.2.48 c. & 47 a. 11.

Partes integrales prudentiæ.

& cautio:) quibus addenda est septima, scilicet *Memoria*, quam ponit Tullius; & *Eustochia*, siue *solertia*, quam ponit Aristoteles. Nam sensus prudentiæ etiam intellectus dicitur. Vnde Philosophus dicit in 6. Ethic. *Horum ergo oportet habere sensum, hic autem est intellectus*. Quorum octo, quinque pertinent ad prudentiam, secundùm id, quod est cognoscitiua, scilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, & solertia: tria verò alia pertinent ad eam, secundùm quod est præceptiua, applicando cognitionem ad opus, scilicet prouidentia, circumspectio, & cautio. Quorum diuersitatis ratio patet ex hoc, quòd circa cognitionem tria sunt consideranda. Primò quidem ipsa cognitio: quæ si sit præteritorum, est *memoria*: Si autem præsentium, siue contingentium, siue necessariorum, vocatur *intellectus*, siue *intelligentia*. Secundò ipsa cognitionis acquisitio: quæ fit vel per disciplinam; & ad hoc pertinet *docilitas*: vel per inuentionem; & ad hoc pertinet *Eustochia*, quæ est bona coniecturatio: huius autem pars (vt dicitur *in 6. Ethic.*) est *solertia*, quæ est vera coniecturatio medij (vt dicitur *in 1. Post.*) Tertiò considerandus est vsus cognitionis, secundùm quod scilicet ex cognitis aliquibus procedit ad alia cognoscenda vel iudicanda: & hoc pertinet ad *rationem*. Ratio autem ad hoc, quòd rectè præcipiat, tria debet habere. Primò quidem, vt ordinet aliquid accommodum ad finem: & hoc pertinet ad *prouidentiam*. Secundò vt attendat circumstantias negocij, quod pertinet ad *circumspectionem*. Tertiò vt vitet impedimenta, quod pertinet ad *cautionem*. (Ratio autem X ordinandorum in finem propriè prouidentia est; est enim principalis pars prudentiæ. Prudentiæ autem proprium est secundùm Philosophum *in 6. Ethic.* ordinate alia in finem, siue respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus suos ad finem vitæ suæ: siue respectu aliorum sibi subditorum in familia, vel ciuitate, vel regno, secundùm quem modum dicitur Mat. 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*) ¶ Partes autem subiectiuæ virtutis dicuntur species eiusdem diuersæ. Et hoc modo partes prudentiæ, secundùm quod propriè sumuntur, sunt *prudentia*, per quam aliquis regit seipsum (*quæ* monastica *dicitur*) & *prudentia*, per quam aliquis regit multitudinem; quæ differunt specie. Et iterùm prudentia, quæ est multitudinis regitiua, diuiditur secundùm diuersas species multitudinis. Est enim quædam multitudo adunata ad aliquod speciale negocium: sicut exercitus congregatur ad pugnandum, cuius regula est *prudentia militaris*. Quædam verò multitudo est adunata ad totam vitam, sicut multitudo vnius domus vel familiæ, cuius regula est *prudentia œconomica*. Est etiam multitudo vnius Ciuitatis, vel regni, cuius quidem regula directiua est in principe *regnatiua*; in subditis autem *politica* simpliciter dicta. ¶ Partes autem potentiales alicuius virtutis dicuntur virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis. Et secundùm hoc ponuntur partes prudentiæ *Eubulia*, quæ est circa consilium: & *Synesis*, quæ est circa iudicium eorum, in quibus oportet quandoque à communi lege recedere. *Prudentia* verò est circa principalem actum, qui est præcipere. *Quocirca sciendum, quòd cum prudentia sit recta ratio agibilium*, circa agibilia Y humanam tres actus rationis inueniuntur: quorum primus est consiliari, secundus iudicare, tertius est præcipere. Primi autem duo respondent actibus intellectus speculatiui, qui sunt inquirere & iudicare; nam consilium, inquisitio quædam est: sed tertius actus est propriè practici intellectus, in quantum est operatiuus: non enim ratio habet præcipere ea, quæ per hominem fieri non possunt. Manifestum est autem, quòd in his, quæ per hominem fiunt, principalis actus est præcipere, ad quem alij ordinantur; & ideò virtuti, quæ est benè præceptiua, scilicet prudentiæ, tanquam principaliori adiunguntur, tanquam secundariæ, *Eubulia*, quæ est benè consiliatiua, & *Synesis*, & *Gnome*, quæ sunt partes iudicatiuæ. Quæ *quidem* distinguuntur Z secundùm diuersas regulas, quibus iudicatur. Nam *Synesis* est iudicatiua de agendis secundùm communem legem: *Gnome* autem secundùm ipsam rationem naturalem in his, in quibus deficit lex communis. *De præfatis autem omnibus singulis* vide A.

Prouidentia principalis prudentiæ pars.

X 1.p.22.1.c. & 2.2.49.6. In 3.d.33.1 q.1 c.Virt.5.2.c.

Partes subiectiuæ, siue species.

Partes prudentiæ potentiales.

Tres rationis actus circa humana agibilia.

Y 1.2.57.6.c. & 2.2.47.8.& 48.5.c.& q.51 In 3.d.33.3.1. q.3.& 4.Virt. 3.1.c.

Prudentiæ principalis actus, præcipere.

Eubulia, Synesis, & Gnome quid sint, & in quo differant.

Z 1 2.l.c. al 3.& 2.2.51.a. 3.& 4.

g *Cæterùm* laus B prudentiæ non consistit in sola consideratione, (*vt præmissum est*) sed in applicatione ad opus, quod est finis practicæ rationis. Et ideò si in hoc defectus accidat, maximè est contrarium prudentiæ: quia sicut finis est potissimus in vnoquoque, ita & defectus, qui est circa finem, est pessimus. Vnde *in 6. Ethic.* dicit Philosophus, quòd prudentia non est solùm cum ratione, sicut ars; habet enim applicationem ad opus, quod fit per voluntatem. *Huic autem ad opus applicationi associanda solicitudo est*. Sicut enim C dicit Isidorus *in lib. Etymol.* solicitus dicitur, quasi *solers citus*, in quantùm scilicet aliquis ex solertia animi velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda. Hoc autem pertinet ad prudentiam, cuius præcipuus actus est circa agenda præcipere de præconsiliatis & iudicatis. Vnde Philosophus dicit *in 7. Ethic.* quòd oportet operari quidem velociter consiliata, consiliari autem tardè. *Præmissa verò omnia, cum non conueniant brutis, vtpotè ratione carentibus, in eis propriè prudentia non est, sed metaphoricè tantùm, & secundùm participationem quandam.* Quando *enim* participatur D aliquid non secundùm suum actum perfectum, sed secundùm aliquem modum, non dicitur propriè haberi: sicut animalia habent aliquem modum prudentiæ, non tamen dicuntur prudentiam habere, quia non habent actum rationis, qui propriè est actus prudentiæ, scilicet ipsa electio. Vnde magis habent aliquid simile prudentiæ, quàm prudentiam. *Et alibi*: Bruta E habent aliquam similitudinem rationis, in quantùm participant quandam prudentiam naturalem, secundùm quod natura inferior attingit aliqualiter ad id, quod est naturæ superioris. Quæ quidem similitudo est, secundùm quod habent iudicium ordinatum de aliquibus: sed hoc iudicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui iudicij ignorent: propter quod huiusmodi iudicium non se extendit ad omnia, sicut iudicium rationis, sed ad quædam determinata. *Quoad homines verò, considerandum est, quòd* prudentia F acquisita causatur exercitio actuum, vnde indiget ad sui generationem experimento & tempore, vt dicitur *in 2. Ethic.* Vnde non potest esse in iuuenibus nec secundùm habitum, nec secundùm actum. *Idcircò* prudentia G magis est in senibus, non solùm propter naturalem dispositionem, quietatis motibus passionum sensibilium, sed etiam propter experientiam longi temporis. *Vnde dicitur Iob 12.* In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. *Hinc ad illud Tit. 2.* Senes vt sobrij sint, *docemur, quòd* senectus H disponit ad prudentiam propter experimentum longi temporis. *Quemadmodum autem in omnibus iustis charitatem habentibus (cum qua virtutes omnes) necesse est, vt & infusa prudentia sit vel secundùm*

A 2.2.q.49. 50.51.& 1.2. 57. In 3.d.33. 3.1.

B 2.2.47 1.ad 3.& a.3.& 16. c.et ad 3.et 1.2. 57.a.4.

Laus prudentiæ in applicatione ad opus consistit. Cui debetur solicitudo.

C 2.2.47.9.c. et q.48.ad 5.& 54.a.2.

D 1.d.15.4.1. ad 3. In 4.d.49. 1.1.q.4.c.et 19. 22.2.ad 4.et 55.3 ad 3.et 96 1.c.et ad 4.et 1. 2.3.6.c.2.2 47. 15 ad 3.Ver.15 1.c.et 3.con.G. c.35.f.

An in brutis prudentia.

E Ver.24.2.c.

F 2.2.47.14.ad 3.Virt.5.2 ad 3

Non est in iuuenibus, sed in senibus, & quare.

G 2.2.l.c.a.15. ad 2.& q.49. 3.c.

H Tit.2.l.1. int.

Num in peccatoribus, I 2.2.47.14. & 51.1 ad 3. Vert.5.2.c. & ad 3.

L 2.2.47.13. c.& 55.2.ad 1. & 1.2.57.4.ad 3.Rom.8. l. 1. b.

Prudentia tripliciter dicitur.

cundùm habitum & actum; vel saltem secundùm habitum tantùm, vt in pueris baptizatis aut amentibus (*vti præstatum est, & videri potest* I) *Ita in malis & peccatoribus non prudentia astruitur acquisita. Quocirca sciendum, quòd* prudentia L dicitur tripliciter. Est enim quædam prudentia falsa, vel per similitudinem dicta. Cum enim prudens sit, qui bene disponit ea, quæ sunt agenda propter aliquem bonum finem: ille, qui propter malum finem aliqua disponit congruentia illi fini, habet falsam prudentiam, in quantùm illud, quod accipit pro fine, non est verè bonum, sed secundùm similitudinem; sicut dicitur aliquis bonus latro. Hoc enim modo potest dici secundùm similitudinem prudens latro, qui conuenientes vias adinuenit ad latrocinandum. Et huiusmodi est prudentia, de qua Apostolus dicit ad Rom. 8. *Prudentia carnis, mors est*; quæ scilicet finem vltimum constituit in delectatione carnis. Secunda autem prudentia est quidem vera, quia adinuenit vias accommodatas ad finem verè bonum; sed est imperfecta duplici ratione. Vno modo, quia illud bonum, quod accipit pro fine, non est communis finis totius humanæ vitæ, sed alicuius specialis negocij: puta cum aliquis adinuenit vias accommodatas ad negociandum vel ad nauigandum, dicitur prudens negociator vel nauta. Alio modo, quia deficit in principali actu prudentiæ, puta cum aliquis rectè consiliatur, & benè iudicat etiam de his, quæ pertinent ad totam vitam; sed non efficaciter præcipit. Tertia autem prudentia est & vera & perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè consiliatur, iudicat, & præcipit. Et hæc sola dicitur prudentia simpliciter, quæ in peccatoribus esse non potest. Prima autem prudentia est in solis peccatoribus. Prudentia autem imperfecta, est communis bonis & malis, maximè illa, quæ est imperfecta propter finem particularem. Nam illa, quæ est imperfecta propter defectum principalis actus, etiam non est, nisi in malis. *Proinde* ad aliqua M particularia, quæ sunt in domo disponẽda, possunt aliqui peccatores prouide se habere: sed non ad ipsum totum bene viuere domesticæ conuersationis, ad quod præcipuè requiritur vita virtuosa. *Per consequens* in nullo N peccatore, in quantùm huiusmodi, inuenitur eubulia (*quæ est benè consiliatiua*:) omne enim peccatum est contra bonam consiliationem. Requiritur enim ad benè consiliandum non solùm ad inuentio, vel excogitatio eorum, quæ sunt opportuna ad finem, sed etiam aliæ circumstantiæ, scilicet tempus congruum, vt nec nimis tardus, nec nimis velox sit in consilijs: & modus consiliandi, vt scilicet sit firmus in suo consilio; & aliæ huiusmodi circumstantiæ, quæ peccatores peccando non obseruant. Quilibet autem virtuosus est bene consiliatiuus in his, quæ ordinantur ad finem virtutis, licèt fortè in aliquibus particularibus negocijs non sit benè consiliatiuus, *vt præmissum est*. *Igitur* peccatores O possunt quidem esse bene consiliatiui ad aliquam finem malum, vel ad aliquod particulare bonum: ad finem autem bonum totius vitæ, non sunt bene consiliatiui perfectè, quia consilium ad effectum non perducunt. Vnde non est in eis prudentia, quæ se habet solùm ad bonum; sed sicut Philosophus dicit *in 6. Ethic.* in talibus est *dinotica*, idest naturalis industria, quæ se habet ad bonum & malum: vel *astutia*, quæ se habet solùm ad malum, quam diximus falsam prudentiam, vel prudentiam carnis. *Docemur enim quòd* nomina P virtutum quandoque transumptiuè accipiuntur in malis, sicut prudentia quandoque ponitur pro astutia, secundùm illud Luc. 16. *Filii huius sæculi prudentiores filiis lucis sunt.*

Quænam sit prudentia simpliciter. M 2.2.50 3. ad 2.

N 2.2.51.1. ad 3.& 47.14. ad 3. Vert.5.2. ad 3.

Bene consiliatiuus simpliciter non est peccator.

O 2.2.47.13. ad 3.

Prudentia carnis quid, & an peccatum.

P 2.2.92.1. ad 1.& l.c.ad 1.

Q 2.2.55.6. 2.& 1.c.

h Prudentia *autem* carnis Q si accipiatur secundùm absolutam prudentiæ rationem; ita scilicet, quòd in cura carnis constituatur vltimus finis totius vitæ, sic est peccatum mortale: quia per hoc homo auertitur à Deo, cum impossibile sit esse plures fines vltimos. Si verò prudentia carnis accipiatur secundùm rationem particularis prudentiæ, sic prudentia carnis est peccatum veniale. Contingit enim quandoque, quòd aliquis inordinatè afficitur ad aliquod delectabile carnis, absque hoc, quòd auertatur à Deo per peccatum mortale: vnde non constituit finem totius vitæ in delectatione carnis. Et sic adhibere studium ad hanc delectationem consequendam, est peccatum veniale, quod pertinet ad prudentiam carnis. Si verò aliquis actu curam carnis referat in finem honestum, puta cum aliquis studet comestioni propter corporis sustentationem, non vocatur prudentia carnis; quia sic vtitur homo cura carnis vt ad finem. *Et de prima quidem prudentia carnis dicitur* 1.Cor. 1. (*ex Is. cap.* 29.) Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Vbi instruimur, quòd* differunt R sapientia, & prudentia. Nam sapientia est cognitio diuinarum rerum, vnde pertinet ad contemplationem. Prudentia verò propriè est cognitio rerum humanarum: (*& alibi*: Sapientia S est diuinarum rerum cognitio, vt dicit *August.* 4. *de Tri.* Prudentia verò est particularis rei prouidentia, quando scilicet quis ordinat facta sua.) Vnde dicitur Prou. 10. *Sapientia est viro prudentia*, quia scilicet scientia humanarum rerum prudentia dicitur. Et sic prudentia ad rationem pertinet. Est autem considerandum, quòd homines, quantumcumque mali, non totaliter donis Dei priuantur, nec in eis dona Dei reprobantur: sed in eis reprobatur & perditur quod ex eorum malitia procedit. Et ideò non dicit simpliciter, *perdam sapientiam*: quia vt dicitur Eccli. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est*; sed dicit, *perdam sapientiam sapientium*: idest quam sapientes huius mundi adinuenerunt sibi contra veram sapientiam Dei, quia vt dicitur Iac. 3. *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Similiter non dicit, *prudentiam reprobabo*, nam veram prudentiam sapientia Dei docet: sed dicit, *prudentiam prudentium*, idest quam illi, qui se prudentes æstimant in rebus mundanis, prudentiam reputant, vt scilicet bonis huius Mundi inhæreant: *quæ ab Apostolo* prudentia carnis *nuncupatur. Quòd si quæras, cur in præceptis Decalogi datum non sit præceptum, directè ad prudentiam pertinens*: Respondet *Author, quòd* præcepta T Decalogi sicut data sunt omni populo, ita etiam cadunt in æstimatione omnium, quasi ad naturalem rationem pertinentia. Præcipuè autem sunt de dictamine rationis naturalis fines humanæ vitæ, qui se habent in agendis, sicut principia naturaliter cognita in speculatiuis. Prudentia autem non est circa finem, sed circa ea, quæ sunt ad finem; & ideò non fuit conueniens, vt inter præcepta decalogi, aliquod præceptum poneretur ad prudentiam pertinens directè, ad quam tamen omnia præcepta decalogi pertinent, secundùm quod ipsa est directiua omnium virtuosorum actuum: *vt in superioribus visum est. At verò* doctrina V euangelica est doctrina perfectionis; & ideò oportuit, quòd in ipsa perfectè instrueretur homo de omnibus, quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, siue sint fines, siue sint ea, quę sunt ad finem. Et propter hoc oportuit in doctrina Euangelica, etiam de prudẽtia pręcepta dari. *Vnde Mat.* 10. *dicitur*: Estote prudẽtes, sicut serpẽtes. *Quibus verbis* vult X Dominus Apostolos habere prudentiam serpentis. Prudentia autem serpentis in hoc consistit, quòd semper vult defendere caput. Caput Christus est, quem servare

Sapientia & prudentia in quo differant.

R 1.Cor.1.l.3. ibi. Eph.5.l.6. Mat.11.lit.c. ibi, prudentibus & 2.2.47. 2. ad 1.

S Eph.5.l.6. ibi, imprudentes.

T 2.2.56.1.c. & a. 2. ad 3. & 1.2.100.1.

Cur in præceptis decalogi non extet præceptũ ad prudentiã pertinens, sicut datur in lege noua.

V 2.2.l.c.ad

Exponitur illud : *Estote prudentes sicut serpentes.* X *Mat.10.lit. b.ibi.*

uare iubet, 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Item debent seruare caput, idest cor, quod est principium totius, Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum.* Item alia prudentia est serpentis, quia quando veterascit, transit per foramen arctum, & expollat vestem, siue pellem: sic & nos debemus facere in nostra conuersione. Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.*

Prudentiæ opponitur imprudentia. T *Eph. 5.l.6. ibi.*

1 *Prudentia verò opponitur imprudentia; vnde Apostolus ad Eph.* 5. Nolite *inquit* fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. *Etenim* sicut Y ratio speculatiua ordinat de agendis, & iudicat; oportet autem conclusiones habere, & iudicare per principia: ita similiter & in operabilibus. Illud autem primum principium, per quod debemus iudicare omnia, & regulare, est voluntas Dei: & ideo intellectus in moralibus & diuinis debet habere pro principio voluntatem Dei: quia si hanc habeat pro principio, fit prudens intellectus, *Deut.* 32. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. *Ex quo ad Deum significanter dicebat Dauid Ps.* 118. Prudentem me fecisti mandato tuo. *Siquidem* semper Z tenetur homo velle, quod vult Deus eum velle: & hoc homini præcipuè innotescit per præceptum diuinum.

Voluntas Dei per diuinum præceptum innotescit. Z 2.2.104. 4.ad 3.

At verò, vt de imprudentia distinctiùs aliquid afferamus, sciendum, quòd imprudentia A dupliciter accipi potest. Vno modo priuatiuè, alio modo contrariè. (Negatiuè autem non propriè dicitur, ita scilicet, quòd propriè importet solam carentiam prudentiæ, quæ potest esse sine peccato.) *Priuatiuè* quidem imprudentia dicitur, in quantùm aliquis caret prudentia, quam quis natus est, & debet habere. Et secundùm hoc imprudentia est peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet studium ad prudentiam habendam. *Contrariè* verò accipitur imprudentia, secundùm quod ratio contrario modo mouetur vel agit prudentiæ: putà si recta ratio prudentiæ agit consiliando, imprudens consilium spernit; & sic de alijs, quæ in actu prudentiæ consideranda sunt. Et hoc modo imprudentia est peccatum secundùm rationem propriam prudentiæ; non enim potest hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, nisi diuertens à regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur. Vnde si hoc contingat per auersionem à regulis diuinis, est p. m. putà cum quis quasi contemnens & repudians diuina documenta, præcipitanter agit. Si verò præter eas agat absque contemptu, & absque detrimento eorum, quæ sunt de necessitate salutis: est peccatum veniale.

Imprudentia dupliciter accipitur, & an sit peccatum. A 2.2.53.1.c.

Et num speciale. B *Ib.a.2.c.*

Num verò imprudentia hæc sit speciale peccatum: Dicendum B quòd aliquod vitium vel peccatum potest dici generale dupliciter. Vno modo absolutè, quia scilicet est generale respectu omnium peccatorum. Alio modo, quia est generale respectu quorundam vitiorum, quæ sunt species eius. Primo autem modo potest dici aliquod vitium generale dupliciter. Vno modo per essentiam, quia scilicet prædicatur de omnibus peccatis: & hoc modo imprudentia non est generale peccatum, sicut nec prudentia (*vt vidimus*) generalis virtus: cum sint circa actus speciales, scilicet circa ipsos actus rationis. Alio modo per participationem; & hoc modo imprudentia est generale peccatum. Sicut enim prudentia participatur quodammodò in omnibus virtutibus, in quantùm est directiua earum: ita & imprudentia in omnibus vitijs & peccatis. Nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis: quod pertinet ad imprudentiam. Si verò dicatur peccatum generale non simpliciter, sed secundùm aliquod genus, quia scilicet continet sub se multas species; sic imprudentia est generale peccatum;

Quo sensu imprudentia generale peccatum.

continet enim sub se diuersas species tripliciter. *Vno quidem modo* per oppositum ad diuersas partes subiectiuas prudentiæ. Sicut enim distinguitur prudentia in monasticam, quæ est regitiua vnius, & in alias species prudentiæ, quæ sunt multitudinis regitiuæ: ita etiam imprudentia. *Alio modo*, secundùm partes quasi potentiales prudentiæ, quæ sunt virtutes adiunctæ, & accipiuntur secundùm diuersos actus rationis. Et hoc modo, quantùm ad defectum consilij, circa quod est eubulia, est *præcipitatio*, siue *temeritas*, imprudentiæ species. Quantùm verò ad defectum iudicij, circa quod sunt synesis & gnome, est *inconsideratio*. Quantùm verò ad ipsum præceptum, quod est proprius actus prudentiæ, est *inconstantia* & *negligentia*. (*Hæc autem vitia præcipuè ex luxuria originem trahunt: nam* delectatio C maximè corrumpit æstimationem prudentiæ, & præcipuè delectatio in venereis, quæ totam animam absorbet, & trahit ad sensibilem delectationem. Perfectio autem prudentiæ, & cuiuslibet intellectualis virtutis, consistit in abstractione à sensibilibus: vnde cum prædicta vitia pertineant ad defectum prudentiæ & rationis practicæ, sequitur, quòd ex luxuria maximè oriantur.) *Tertio modo* possunt sumi per oppositum ad ea, quæ requiruntur ad prudentiam: quæ sunt quasi partes integrales prudentiæ: sed quia omnia illa ordinantur ad dirigendum prædictos tres rationis actus, inde est, quòd omnes defectus oppositi reducuntur ad quatuor prædictas partes: sicut *incautela & incircumspectio* includuntur sub *inconsideratione*. Quòd autem aliquis deficiat à docilitate, & memoria, vel ratione, pertinet ad *præcipitationem*. *Improuidentia* verò, & *defectus intelligentia*, & *solertia* pertinent ad *negligentiam* & *inconstantiam*.

Imprudentiæ species, siue partes subiectiuæ.

Partes eius potentiales.

Præcipitatio.

Inconsideratio.

Inconstantia & negligentia

C *Ib.a.6 c.& 153.5.Ma.15.4 c.*

Quæ ex luxuria originem trahunt.

Partes imprudentiæ integrales.

De quibus singulis, aliisque prudentia oppositis vitijs, Vide fusiùs D. DISCE *Deo omnium Domino fidelis esse* seruus & prudens. *Vide* Consilium *Tomo* 1. Princeps, Virtus.

D 2.2.53.a.3.4.5.& q.54.& 55.



Q

R

RELIGIOSVS.

I. Antonomasicè Religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant diuino seruitio, quasi holocaustum Deo offerentes. 2. 2. 186. 1. *corp.* & *Opusc.* 18. *cap.* 11.

E *Op.* 19. *c.* 1. *initio Op.* 18. *c.* 11. & 2. 2. 81. 1. *c. In* 3. *d.* 33. 3. 49. 1. *c.*

Religio & religiosus vnde dicantur.

a NOmen E religionis, vt *Augustinus in lib. de ver. relig.* innuere videtur, à religando sumptum est. Illud autem propriè ligari dicitur, quod ita vni adstringitur, quòd ei ad alia diuertendi libertas tollatur: sed religatio, iteratam ligationem importans, ostendit ad illud aliquem ligari, cui primò coniunctus fuerat, & ab eo distare incepit. Et quia omnis creatura prius in Deo extitit, quàm in se ipsa, & à Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundùm essentiam per creationem: ideò rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primò coniuncta fuerat, etiam antequam esset, vt sic *ad locum, vnde exeunt, flumina reuertantur*, Eccle. 1. Et ideò *August.* dicit in lib. cit. *Religet nos religio vni Omnipotenti Deo*. Prima autem ligatio, qua homo Deo ligatur, est per fidem, Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*. Huius autem fidei protestatio est per latriam, quæ cultum Deo exhibet, quasi recognoscens, Deum esse principium: & sic primò & principaliter ad veram religionem pertinere noscuntur quæcumque ad fidem integram pertinent, & debitam latriæ seruitutem. Sed secundò ad religionem pertinere noscuntur illa omnia, in quibus possumus seruitium Deo exhibere, quia vt dicit *Aug. in Enchiridio*, Deus colitur non solùm fide, sed spe, & charitate, vt sic omnia charitatis opera, religionis esse dicantur. Vnde Iac. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Ex his ergo patet, quòd duplex est religionis acceptio. Vna secundùm sui nominis primam institutionem, secundùm quod aliquis Deo se ligat per fidem ad debitum cultum: & sic quilibet Christianæ religionis fit particeps in baptismo, abrenuncians Satanæ & omnibus pompis eius. Secunda prout aliquis ad aliqua charitatis opera se obligat, quibus specialiter Deo seruitur, abrenuncians secularibus; & hoc modo religionis nomine ad præsens vtimur. *Ex quo sequitur*, *quòd* Religiosi F quamuis dici possint communiter omnes, qui Deum colunt: specialiter tamen religiosi dicuntur, qui totam vitam suam diuino cultui dedicant, à mundanis negocijs se abstrahentes. Sicut etiam contemplatiui dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputant. *Et hoc per tria solemnia vota* (*de quibus infrà*) *& subiecti regula: vnde &* Regulares *religiosi claustrales nuncupantur*. *Et quidem*, antequam G essent istæ regulæ, quæ modò sunt, erat aliquis modus viuendi ab Ecclesia approbatus, quo aliqui ad ea, quæ superogationis sunt, se obligabant; & tunc certi temporis obligatio ad alium modum viuendi idem faciebat, quod nunc obligatio ad certam regulam. *Erant quoque sub initio Ecclesiæ & viri Deo deuoti, quòd solitariam vitam degerent*, Monachi *dicti*: *sed* Monachi H clerici non erant tempore Ecclesiæ primitiuæ, vt patet 16. Q. 1. *Qui postea ad socialem vitam intrà claustra redacti sunt, clericali charactere ad diuinum cultum consignati*. *Vnde legitur de D. Aug. quòd* Monasterium clericorum instituit, & cœpit viuere secundùm regulam sub sanctis Apostolis constitutam: *quam & plures religiosorum Ordines ab eo susceperunt*. *Et hinc docemur*, *quòd* omnis I religio ad exemplar vitæ Apostolicæ formata est, Vnde super illud Act. 4. *Erant illis omnia communia*, dicit *glossa*: Communis græcè *cœnos*, vnde *cœnobita*, idest communiter viuentes: *cœnobia*, idest habitacula eorum.

Dupliciter sumitur religio.

F 2. 2. *l. c ad* 1. & q. 188. 1. *ad* 1. & 4. 2. *ad* 3.

Quinam specialiter religiosi dicantur.

Et cur Regulares.

G 4. *d.* 38. 1. 2. *q.* 3. *ad* 3.

Monachi, clerici non erant in primitiua Ecclesia.

H *Op.* 19. *c.* 1. *non longe à fi.*

I *Eod. Op. c.* 4. & 2. 2. 188. 7. *fi. c. Quol.* 4. *a.* 23. *c.* & 1. *Cor.* 16. *l.* 1.

Omnis religio ad Apostolicæ vitæ exemplar.

Cœnobita quis, & vnde dicatur.

b *Cum igitur religiosus status ad exemplar Apostolicæ vitæ sit*, *ex hoc* Religio L perfectionis statum nominat. *Quocirca sciendum*, *quòd* perfectus M dicitur aliquis dupliciter. Vno modo, quia habet perfectionem: alio modo, quia habet statum perfectionis. (Nihil *enim* prohibet N aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis: & aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti.) Perfectio autem hominis in charitate consistit, quæ hominem Deo coniungit. Vnde quantùm ad dilectionem Dei, dicitur Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*: quantùm verò ad dilectionem proximi, postquàm Dominus dixerat, *Diligite inimicos vestros*, concludit Mat. 5. *Estote ergo perfecti*. Statum autem perfectionis habere dicuntur qui solemniter obligantur ad aliquid perfectioni adnexum. Est autem aliquid adnexum perfectioni charitatis dupliciter. *Vno modo* sicut præambulum & præparatorium ad perfectionem, vt paupertas, castitas, & huiusmodi, quibus homo retrahitur à curis secularium rerū, vt liberiùs vacet his, quę Dei sunt. Vnde huiusmodi magis sunt quędam perfectionis instrumenta: propter quod Hieronymus exponens illud verbum Petri dicentis: *Ecce nos reli-*

Religio statum nominat perfectionis.

L 2. 2. 186. 1. *fi. c.*

M *Quol.* 1. *a.* 14. & 2. *Quo.* 3. *a.* 17. & 2. 2. 184. 4. 5. & 7. *c.* & *q.* 186. 1. *c. Op.* 18. *c.* 16. *initio*.

Aliud est habere perfectionē, aliud esse in statu perfectionis.

N 2. 2. 184. 4. *fi. c. Quol.* 3. *a.* 17. *c.*

reliquimus omnia, & secuti sumus te, dicit, quòd non sufficit Petro dicere: *Ecce nos reliquimus omnia*, sed addidit, quod perfectum est: *Et secuti sumus te*. Quicumque ergo, vel uoluntariam paupertatem uel castitatem seruant, habent quidem præparatorium perfectionis, sed non dicuntur habere statū perfectionis, nisi qui se ex solemni professione ad huiusmodi obligant. Aliquid enim solemne & perpetuum, dicitur habere statum: sicut patet in statu libertatis, uel matrimonii, & similium: *Alio modo* aliquid est adnexum perfectioni charitatis, ut effectus: ut scilicet aliquis curam animarum suscipiat. Est enim perfectæ charitatis, ut aliquis propter Dei amorem prætermittat dulcedinem contemplatiuæ uitæ, quàm magis amaret, & accipiat actiuæ uitæ occupationes ad procurandum proximorum salutem. Quicumque ergo hoc modo saluti proximorum intendit, habet quidem aliquem perfectionis effectum, sed non habet perfectionis statum, nisi Episcopus, qui cum quadam solemni consecratione suscipit animarum curam. Archidiaconi uerò, & Parochiales Presbyteri magis habent commissa quædam officia, quam quòd per hoc in aliquo perfectionis statu ponantur. Soli ergo religiosi & Episcopi dicuntur perfecti, quasi statum perfectionis habentes; *hoc tamen cum discrimine, quòd* in genere O perfectionis *secundùm Dionysium* Episcopi se habent, vt perfectores: religiosi autem ut perfecti; quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Vnde status perfectionis potior est in Episcopis, quàm in religiosis. *Nam* & status P religiosorum est ad acquirendum perfectionem. Vnde illi dictum est Mat. 19 *Si uis perfectus esse*, & ad perfectionis statum uenire, *uade, & uende*. Status autem perfectionis non est ad acquirendum sibi perfectionem sed ad habitam communicandam. Vnde Dominus *Io.21.* dixit Petro: *Si diligis me, pasce oues meas*; & non dixit: *Si uis perfectus esse &c.* Talis ergo est differentia inter perfectionem religiosorum, & Prælatorū, qualis inter discipulū & magistrū Vnde discipulo dicitur: *Si uis addiscere, intra scholas, ut addiscas* Magistro autē dicitur: *Lege & perfice*. Vnde securior est status religiosorū, quia ignorantia non imputatur eis, sicut imputatur Prælato: *si nimirū quæ ad suū spectant officiū ignoret*. *Et ita* religio Q quædam perfectionis schola est. *Etenim* ipsa R perfectio charitatis est finis status religionis. Status autem religionis est quædam disciplina uel exercitium ad perfectionem perueniendi. Et ideò ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatē, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. *Ex quo* perfectio S charitatis non cadit religiosis sub uoto, sed est eis, ut finis, ad quem peruenire conantur per ea, quæ uouent. *Et hoc sensu hortatur Apostolus*. 2. *Cor.* 13. Perfecti estote; *id est*, semper T tendatis ad profectum. Non est autem hoc, quod hìc dicitur, præceptum; scilicet quod homo sit perfectus, sed hoc, quòd semper tendat ad perfectionem. Et hoc est necessarium; quia qui non studet ad proficiendum, est in periculo deficiendi. *Concludit proinde Author*: Et ideò V religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus: sed solùm si contemnat (*nota*) ad perfectionem tendere. *Igitur* qui X ad hæc opera perfectionis totam vitam suam voto obligant Deo, manifestum est, eos perfectionis statum assumere. *Assumere inquam, non supponere*: Religionis enim status Y perfectionem non præsupponit, sed ad perfectionem inducit: *ut præmissum est*. *Verumtamen* (*ut detrahentium ora obstruantur*) quamvis Z religiosus sit in statu perfectionis, tamen sine peccato uiuere non potest, *siue ueniali, quia* septies cadit iustus, *Prou. 24. siue quandoque & mor*-

Quinam dicatur habere statum.

Soli Episcopi & religiosi statum perfectionis habent.

O 2. 2. 184. 7. c. & 185. 1. & 4. Op. 18. c. 17. & 18.

P Mat. 19. lit. n. ibi, Sequere me.

Discrimen inter statum perfectionis Episcoporum & religiosorum.

Q Quol. 4. a. 24. ad 6. & a. 23. ad 7.

Securior religiosorum status, quàm Prælatorum.

R 2 2. 186. 2. c. & a 1 ad 3 & 187. 2. c & 188. 2. & 7. c Op. 18. c. 16 & 17 in.

Religio perfectionis schola.

S De Virt. 2. 11. ad 12. Op. 17. c. 6.

Religiosus non tenetur habere perfectionem charitatis, sed ad eam tendere.

T 2. Cor. 13. l. 3. ibi.

V 2 2. 186. 2. ad 1.

X Op. 18. c. 16. init.

Y Op eod c. 19. sub init. & 2 2 186. 1. ad 3. & a 2. c. & ad 1. & a. 3. c.

Z 4 d. 20. 1. 5. q 2. ad 1.

Status perfectionis in religioso non tollit, quin peccet.

tali. Non enim est A domus mea (*aiebat Augustinus*) melior, quàm domus Domini: *Ex quo & Petri negatio, & Thomæ infidelitas produnt, quamuis sub magistrorum magistro statum perfectionis profiterentur*.

A Mat. x. lit. a. ibi, tradidit.

C *Ex præfatis deducitur, religionis statum, & regularem seculari quocumque (Episcopalem si excipias) perfectiorem esse: religiosos proinde claustrales in perfectiori statu esse, quàm presbyteros Curatos, Archidiaconos, & huiusmodi*. *Siquidem* in presbyteris B Curatis & Archidiaconis, tria est considerare, scilicet statum, ordinem, & officium Ad statum pertinet, quod seculares sint: ad ordinem, quòd sint sacerdotes, uel diaconi: ad officium, quòd curam animarum habeant sibi commissam. Si ergo ex alia parte ponamus statum religiosum, ordine diaconum, uel Sacerdotem, officio curam animarum habentem (sicut plerique Monachi & Canonici regulares habent) in primò quidem excellit; in aliis autem par erit. Si autem differat secundus à primo statu & officio: conueniat autem ordine, sicut sunt religiosi sacerdotes, & diaconi, curam animarū non habentes; manifestum est, quòd secundus primo erit statu quidem excellentior, officio autem minor, ordine verò æqualis. Est ergo considerandum, quæ præeminentia potior sit; utrùm status, uel officii. Circa quod duo attendenda uidentur, scilicet bonitas & difficultas. Si ergo fiat comparatio secundùm bonitatem, sic præfertur status religionis officio presbyteri Curati, uel Archidiaconi. Quia religiosus totam vitam suam obligat ad perfectionis studium: presbyter autem Curatus, uel Archidiaconus non obligat totam uitam suam ad curam animarum, sicut Episcopus; nec etiam competit ei principalem curam subditorum habere, sicut Episcopo: sed quędam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur; & ideò comparatio status religionis ad eorum officium est sicut uniuersalis ad particulare, & sicut holocausti ad sacrificium, quod est minus holocausto, ut patet per *Greg. super Ezech.* Sed hæc comparatio intelligenda est secundùm genus operis: nam secundùm charitatem operantis contingit quandoque, quod opus ex genere suo minus existens, magis sit meritorium, scilicet, si ex maiori charitate fiat. Si uerò attendatur difficultas bene conuersandi in religione, & in officio habentis curam animarum: sic difficilius est conuersari bene cum cura animarum propter exteriora pericula; quamuis conuersatio religionis sit difficilior, quantùm ad ipsum genus operis, propter altitudinem obseruantiæ regularis. Si uerò religiosus etiam Ordine careat, sicut patet de conuersis religionum (*quos laicos respectiuè dicunt*:) sic manifestum est excellere præeminentiam ordinis quantùm ad dignitatem, quia per sacrum Ordinē aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo seruitur in sacramento Altaris, ad quod requiritur maior sanctitas interior quàm requirat etiam religionis status: quia sicut dicit *Dionysius* 6. c. Eccl. Hier. *Monasticus ordo debet sequi sacerdotales ordines, & ad eorum imitationem in diuina ascendere*. Vnde grauiùs peccat, cæteris paribus, clericus in sacris Ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quàm aliquis religiosus, qui non habet ordinem sacrum; quamuis laicus religiosus teneatur ad obseruantias regulares, ad quas illi, qui sunt in sacris Ordinibus, non tenentur. *Adeò autem uerum est, statum religionis cuilibet statui seculari præferri, quòd contrarium asserere* continet C hæresim damnatam, quòd scilicet melius sit in seculo remanere, & operibus pietatis uacare, quàm religionem intrare. Continetur enim inter errores *Vigilantii*; qui D non solùm contentus fuit *Iouinianum* imitari, consilium

B 2. 2. 184. 8. c. 186. 3 ad 6. & 3. con G. a c. 136 Op 19. c. 6. Quol. 3. a. 12. ad 2 & a 17. & Quol. 4. a. 23. a. 22.

Status religiosorum quocumque seculari (Episcopali excepto) perfectior.

C Quol. 3. cit. a. 12. ad 2.

Error Virgilianti, Iouiniani & aliorum.

D Op. 19. c. 6.

de virginitate coaequans, sed superaddere ausus est etiam, vt consilium de paupertate seruanda destrueret omninò. Vnde *Hieronymus* de eo dicit; *Quòd autem asserit, eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur; non à me ei, sed à Deo respondebitur*; Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habet &c. *Mat.* 19. Hic autem error per successiones errantium vsque ad hodierna tempora peruenit, & in hæreticis quibusdam, qui *Cathari* nominantur, permansit, & adhuc permanet: sicut patet in quodam Tractatu cuiusdam *Desideri* hæresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra catholicam veritatem: in quo inter cætera, condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo. Nuper autem (quod est horribilius) antiquus error renouatus est ab his, qui fidem defendere videbantur, qui more errantium in peius procedentes non sunt contenti diuitias paupertati æquare, vt *Iouinianus*; vel diuitias paupertati præferre, vt *Vigilantius*; sed paupertatem totaliter condemnare, dicentes, non esse licitum, sua omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem intret, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui labore manuum viuere intendat; *& alia huiusmodi. De quibus infrà. Cum tamen religiosorum status talem immò perfectionem sapiat, vt vel ipsi virginitati præferatur.* Vehementius enim operantur D adhoc, quòd inhæreant Deo, viuentes in monasteriis, qui ad hoc postponunt propriam voluntatem, & omnia, quæ possunt habere: quàm virgines, quæ ad hoc postponunt veneream voluptatem.

D 2.2.152.&c. fi.c. & 186.8.c. & 1.2.98.5 ad 2. & 3. in 4. d. 47.1.2.q.2. ad 1. Quol. 3. l. c.

Status religionis vel ipsi præfertur virginitati.

d *Hinc felix vndequaque dignoscitur cœnobita status, à quo omnis amandatur solicitudo.* Felix E cuius votum est, vxorem fugere: cuius solicitudo est Domino seruire: cuius intentio est, Deo placere. *Felix inquam religiosorum status vel propter vnionem charitatis*, *Ps.* 132. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *Vnde Apostolus ad Philip.* 1. Statis in vno spiritu vnanimes collaborantes &c. Est *enim* Sanctis F necessaria vnitas triplex, scilicet amoris; vnde dicit, *in vno spiritu*: quod est per amorem, Eph. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Item concordiæ; vnde dicit, *vnanimes*, idest vnam voluntatem & animum habentes, Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Item cooperationis; vnde dicit, *collaborantes*, vt scilicet vnus adiuuet alium, *Prou.* 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi Ciuitas firma. *Quarta & alibi ab Authore adiicitur, scilicet* vnitas G conuersationis per vniformem morum honestatem, *Ps.* 67. Deus qui inhabitare facit vnius moris in Domo. *Ideò, quod dicitur Is.* 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur &c. expressius (*inquit Author*) videtur H seruari in religione; vbi homines diuersæ ætatis & conditionis vnanimiter & concorditer viuunt. *In quo potissimùm Apostolos imitantur. Hinc ad illud Io.* 20. Vbi erant discipuli congregati, venit Iesus, & dixit eis, Pax vobis, *docemur, quòd ibi* dispositio I discipulorum describitur imitanda, quia congregati erant. Christus enim ad congregatos venit: Spiritus Sanctus ad congregatos descendit; quia Christus, & Spiritus Sanctus nonnisi in charitate congregatis adsunt. *Consequitur proinde maxima eorum felicitas; nam* fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, *ad Gal.* 5. *Et ad hanc quidem charitatem, vnitatem, & pacem seruandam, annuales potissimùm Prælatorum visitationes instituuntur* (*secundùm illud Eph.* 4. *cit.*

E 1. Cor. 7. l. 7. ibi, solicitudine Op. 18. cap. 8

Felix Religiosorum status.

F Philip. 1. l. 4 ibi Præm. in Apoc. com. 1. Serm. ex Ep. Dom. 17. post Pent.

Triplex eorum vnitas.

G Serm. cit. Quarta ibidem.

H Is. 11. ibi.

I Io. 20. l. 4. lit. a. fi.

Visitationis finis.

Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis) *& ad subditorum corda solandum. Quod innuitur Colos.* 4. Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tichicus carissimus Frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino. Quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat, quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra &c. *Conseruus*, scilicet L in executione ministerij: sed *in Domino*, quia Prælatus debet quærere vtilitatem eorum, quibus præfertur, & Dei honorem. Sed ad quid mittitur? *Vt cognoscat, quæ circa vos sunt*, scilicet statum subditorum, 1. Reg. 17. *Fratres tuos visitabis, si rectè agant, & cum quibus ordinati sunt, disce*; (*In quo vinculum charitatis innuitur, secundùm illud Cant.* 2. Ordinauit in me charitatem.) Item *vt consoletur corda vestra*, scilicet sibi subditorum, Rom. 1. *Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, idest simul consolari in vobis.* Nam & Dominus, missus à Patre, adhoc venit, Is. 61. *Vt consolaretur omnes lugentes.* Item describit eius societatem, *cum Onesimo carissimo & fideli fratre: qui omnia, quæ hìc aguntur, nota facient vobis*; & vestra scilicet mihi, vt corrigam; & mea vobis, vt exemplum habeatis. *Erudiantur hinc regularium visitatores, quo fine suscipienda eis visitatio sit: vt videlicet in vinculo pacis magis coniungant, vt dulciter delinquentes moneant, non cum austeritate imperando, aut increpando irritent: vt consolentur corda eorum salutiferis documentis: potissimùm verò, vt eorum corda in Deum perpetuò dirigantur: hac enim de causa sermonem eis sedendo instituunt, non stando. Id quod docemur ad illud Apoc.* 8. Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: *Videlicet* quia M prædicatores (*per Angelos signati*) quandoque stando prædicant populo, quia & Dominus stans prædicauit turbæ *Luc.* 6. Apostolis autem prædicauit sedendo, *Mat.* 5. In quo notatur, quòd claustralibus est prædicandum ocium contemplationis: laicis verò labor actionis; *in conspectu Dei* actiuè, idest vt Deum conspiciant, & alios conspicere doceant; vel *in conspectu Dei*: quia quicquid dicant vel faciant, conspiciuntur à Deo. Ideò dicebat Elias 3. *Reg.* 17. Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto. *Quod omnibus, at specialiùs religiosis, fixè considerandum.*

L Colos. 4. l. ibi.

Monitum ad visitatores.

M Apoc. 8. com. 2. & 1. ibi lo. 7. l. 5. lit. a. Mat. 5. lit. a. ibi, sedisset.

e Vt Deum *inquam* conspiciant, & alios conspicere doceant, *siue prædicando, siue confessiones audiendo, siue in scholis instruendo: quicquid hæretici, aliique maleuoli dicant, blaterantes, id claustralibus non licere.* Aliquid *enim* dicitur N alicui non licere dupliciter. *Vno modo*, quia habet in se, quod contrariatur ei, quod dicitur non licere; sicut nulli homini licet peccare, quia habet in se quilibet homo rationem, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere, prædicare, vel docere, vel aliquid huiusmodi facere, quia habet in se aliquid, quod his repugnat, vel ratione præcepti: sicut his, qui sunt irregulares, ex statuto Ecclesiæ non licet ascendere ad sacros Ordines, vel propter peccatum, secundùm illud Ps. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas &c.* Hoc autem modo non est illicitum religiosis prædicare, docere, & huiusmodi facere: tum quia ex voto & præcepto regulæ non obligantur ad hoc, quòd ab his abstineant: tum etiam, quia non redduntur adhoc minùs idonei ex aliquo peccato commisso, sed magis idonei exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Stultum autem est dicere, vt per hoc, quòd aliquis in sanctitate promouetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideò stulta est quorundam opinio dicentium, quòd ipse

Religiosis licitum est docere, prædicare &c.

N 2.2. 187. 1. c. Op. 18 c. 26. & fusissimè Op. 19. cap. 2. 3. 4.

Dupliciter aliquid dicitur alicui nõ licere.

status

Damnatur opinio, imò error in hoc aliquorum.

status religionis impedimentum affert talia exequendi. Quorum errorem Bonifacius Papa (vt habetur 16. Q. 9.) excludit dicens; *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, quia Mundo mortui sunt, & Deo viuunt, sacerdotalis officii potestate indignos: sed omninò labuntur*. Quod ostendit. Primò quidem, quia contrariatur regulæ; subdit enim; *Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor*. Et similiter nec in alijs regulis hoc prohibetur. Secundò improbat prædictum errorem ex idoneitate Monachorum, cum in fine capitis subdit: *Quanto quisque est excellentior, tanto & in illis*, spiritualibus scilicet operibus, *potentior*. Alio modo dicitur, aliquid non licere, non propter contrarium, quod habeat, sed propter hoc, quod deficit ei, vnde illud possit: sicut diacono non licet Missam celebrare, quia non habet Ordinem Sacerdotalem; & presbytero non licet sententiam ferre, quia non habet Episcopalem authoritatem. In quibus tamen est distinguendum: quia ea, quæ sunt Ordinis, committi non possunt, nisi ei, qui Ordinem habet: sicut Diacono non potest committi, quod celebret Missam, nisi sit Sacerdos. Ea verò, quæ sunt iurisdictionis, committi possunt eis, qui non habent ordinariam iurisdictionem: sicut prolatio sententiæ committitur ab Episcopo simplici Sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere Monachis, & alijs religiosis, prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: quia status religionis non dat eis potestatem huiusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si ordinem recipiant, vel ordinariam iurisdictionem, aut etiam, si eis committantur ea, quæ sunt iurisdictionis. *Profectò claustralium virorum in Ecclesia Dei (præter allatam doctrinam) necessaria est ad fidelium salutem instructio*. Conueniens enim est O vt præter rectores Ecclesiarum, qui resident in suis Ecclesijs, alijs prædicationis officium committatur, qui per diuersa loca discurrant. Et quòd hoc vtile sit & salubre, satis manifestat occupatio rectorum Ecclesiæ, quos in alijs rebus pijs & Ecclesiasticis oportet frequenter occupari; cum tamen oporteat prædicatorem verbi Dei ab omni alia occupatione liberum esse. Vnde Apostoli dixerunt Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. Vnde patet, quòd satis necessarium est, eos ab alijs iuuari. Hanc etiam necessitatem maximè ostendit imperitia multorum Sacerdotum, qui in aliquibus partibus adeò ignorantes inueniuntur, vt nec etiam loqui latinum sciant. Paucissimi etiam inueniuntur, qui Sacram Scripturam didicerint, & tamen oportet prædicatorem verbi Dei in Sacra Scriptura instructum esse. Vnde satis apertum est, multùm saluti fidelium detrahi, si solùm Sacerdotibus parochialibus verbum Dei relinquatur. In confessionibus autem audiendis non minor necessitas apparet propter ignorantiam multorum Sacerdotum, quæ periculosissima est in confessionibus audiendis. Vnde *Augustinus* in lib. de pœnit. *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare & soluere: ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit*. Item eis (*post pauca*) qui procurant salutem animarum, necessarium est, vt vita, & scientia clareant. Ex quibus non de facili possent tot inueniri, qui singulis parochijs per vniuersum Mundum præficerentur. Cum etiam, propter literatorum inopiam, nec adhuc per seculares potuerit obseruari statutum *Lateranensis Concilii*; vt in singulis Ecclesijs Metropolitanis essent aliqui, qui theologiam docerent. Quod tamen per Religiosos Dei gratia cernimus multò latiùs impletum, quàm etiam fuerit statutum; adeò vt impletum videatur illud Is. 11. *Repleta est terra scientia Domini*. Ergo saluberrime religio aliqua instituitur, in qua sint homines literati, & studio vacantes, ad iuuandum Sacerdotes, qui ad hoc minùs sufficiunt. Item hoc euidentissimè ostenditur ex effectu sequente. Videmus enim talibus religionibus institutis, in pluribus partibus hæreticam prauitatem eorum ministerio extirpatam; infideles etiam nonnullos ad fidem conuersos; multos per Vniuersum Mundum in lege Dei instructos; quamplurimos ad statum pœnitentiæ conuersos; (*solus quippè S. Vincentius Ferrerius* supra 100. perditorum hominum millia ad pœnitentiam, 25. millia Iudæorum ad Christum, 8. millia Saracenorum ad fidem *adduxisse traditur*.) Ita quòd, si quis inutilem talem religionem mentiatur, manifestè conuinci potest, quasi gratiæ inuidus, quæ in eis operatur, in Spiritum Sanctum peccare: (*Quin licèt* exercere P aduocationis officium propter aliquod mundanum, repugnet omni religioni: *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis secularibus* 2. Tim 2. Non tamen, si hoc aliquis exerceat secundum dispositionem sui Prælati pro monasterio suo, vt habetur *extra de postulando*: Neque etiam pro defensione pauperum, aut viduarum. Vnde dicitur *in Decretis dist.* 88. Decreuit Sancta Synodus, nullum deinceps Clericum aut possessiones conducere, aut secularibus negocijs se permiscere, nisi propter curam pupillorum &c. *Sicut etiam licet eis* assistere Q negocijs alienis, non propter fauorem hominum, vel lucra, sed ex pietate, putà in auxilium indigentium, & miserorum: & hoc est religiosum, *secundùm illud Iac.* 1. Religio munda & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. *Et Apostolus ad Rom.* 16. Commendo vobis Phœben sororem nostram, vt assistatis ei in quocumque negocio vestri indiguerit.) *Et ad hunc quidem finem*, quòd R non solùm studio literarum Sacrarum, sed etiam studio literarum secularium, laudabiliter religiosi vacare possint, expressè habetur per *Hieronymum* in Epist. ad Pammachium monachum: (*De quo vide fusiùs ibi, & Tomo 2. V.* Doctor Ecclesiasticus.) *Vnde & Laurea magisterii in laborum, studiorumque suorum præmium ritè decorantur, vt luculenter videre est Tomo 1. V.* Ambitio, *& S. Sanè quantùm profecerit Ecclesia ex Monachorum, cæterorumque claustralium perpetuo priuato studio, & publica eruditione*, lippis & tonsoribus notum est, *vt ex tot religiosorum doctis apparet monimentis*. *Et* hoc T idem ostenditur exemplis Sanctorum, qui in religione viuentes, docuerunt. Sicut patet de *Gregorio Nazanzeno*, qui cum Monachus esset, Constantinopolim est adductus, vt Sacram Scripturam doceret, sicut Ecclesiastica narrat historia. Hoc etiam patet de *Damasceno*, qui cum monachus esset, scholares docuit non solùm in Sacra Scriptura, sed etiam in liberalibus artibus. *Hieronymus* etiam in Prologo Bibliæ, licèt monachus esset, doctrinam Sacræ Scripturæ promittit Paulino monacho, scilicet quòd eum doceret, quem etiam ad studium Sacræ Scripturæ hortatur. *De Augustino* etiam (*quem vnum pro mille satis est adduxisse*) legitur, quòd postquam monasterium instituit, in quo cœpit viuere secundùm regulam sub sanctis Apostolis constitutam, *scribebat libros & docebat indoctos*. Hoc etiam patet de alijs Ecclesiæ Doctoribus, scilicet *Gregorio*, *Basilio*,

Religiosorum in Ecclesia Dei ad instructionem fidelium necessitas.

O *Op. 19. c. 4.*

Claustralium operariorum messis plurima.

Sanctus Vincentius Ferrerius Ord. Prædic.

P *2. 2. 188. 3. ad 2. & q. 71. 2. Op. 17 fi.*

An liceat eis aduocare, & aliena negocia peragere.

Q *Rom. 16 l. 1 ibi, assistatis &. 2. 2. 187. 2*

R *Op. 19. c. 11. & 2. 2 188. 5. c. & ad 3.*

Religiosi laudabiliter vacare possunt vtrarumque studio literarum.

Et laurea magisterij decorari.

S *Op. eod. cap. 2. 3. 4. Quod. 3. a. 9.*

Exemplum SS. Religiosorum, qui publicè docuerunt.

T *Op. 19. c. 2.*

Chry-

Chrysostomo, & aliis multis, qui religiosi fuerunt, & præcipui Ecclesiæ Doctores. *Quibus procomplemento Authorem nostrum adiicito, omnium vere a SS. Patrum compilatorem. Qui & ad præfata illud subiicit:* Nullus dubitat, quin religiosi possint docere & absentes scripto: cum omnia armaria plena inueniantur Operibus, siuè libris, quos religiosi fecerunt ad Ecclesiæ instructionem. *Ex quo non perperam tot priuilegiorum cumule à Sancta Sede donati sunt. Neque vana putetur iactantia, quòd religiosi claustrales se, suumque statum commendent: honeste si quidem sine hoc licere, patet ex Apostolo 1. Cor. 2. dicente:* Vt sciamus, quæ à deo donata sunt nobis; *ad Dei nimirùm maiorem gloriam commendanda. Enimuerò, quòd* Sancti V aliquandò se ipsos commendant, hoc manifestè probatur (*cæteris missis quæ ibi adducuntur*) ex Apostolo 1. Cor. 15. dicente: *Abundantiùs illis omnibus laboraui*; & 2. Cor. 11. *In quo quis audet, audeo & ego.* Et multa alia, quæ ibi in suam commendationem dicit. Item ad Gal. 1. *Non acquieui carni & sanguini.* Et multa alia in eodem, & sequenti capite dicit, quæ ad suam commendationem pertinent. Quòd etiam statum suum commendauerit, expressè patet 2. Cor. 3. *Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu.* Et ibi multa alia subiungit ad commendationem Apostolicæ dignitatis. Item 1. *Cor.* 7. virginitatis perfectionem commendans, & alios ad virginitatis statum, in quo erat ipse, hortabatur dicens: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum.* Ergo et Religiosi in statu perfectionis possunt suam religionem commendare: & seipsos (*post pauca*) non quasi gloriam ab hominibus quærentes, sed propter animæ vtilitatem suam, vel aliorum. Præcipuè autem licet perfecto viro statum perfectionis commendare, vt alii ad perfectionem sequendam inflammentur: sicut Christiano licet Christianam religionem commendare, vt ad fidem conuertantur.

Hinc multis priuilegiis iustè religiosi donati.

Non est vana iactantia, quòd statum suum commendent.

V Ibid. c. 13. & 18.

f *Quòd si adeò Ecclesiæ proficui regulares sunt, haud absurdum putandum est, eos de eleemosynis fidelium viuere, qui omnia propter Christum reliquerunt, cum dignus sit Ecclesiasticæ vineæ operarius mercede sua. Et quidem* vnicuique X licet viuere de eo, quod suum est, vel sibi debitum. Fit autem aliquid alicuius ex liberalitate donantis, & ideò religiosi & clerici, quorum monasteriis, vel Ecclesiis ex munificentia Principum, vel quorumcumque fidelium sunt facultates collatæ, ex quibus sustententur, possunt de eis viuere licitè absque hoc, quòd manibus laborent; & tamen certum est, eos de eleemosyna viuere. Vnde & similiter, si aliqua mobilia religiosis à fidelibus conferantur, possunt de eis licitè viuere. Stultum est enim dicere, quòd aliquis in eleemosynam possit accipere magnas possessiones, non autem panem, vel paruam pecuniam. Sed quia huiusmodi beneficia videntur esse collata ad hoc, quòd liberiùs religiosis actibus insistere possint, quorum cupiunt se ferre participes, qui temporalia subministrant; redderetur eis vsus prædictorum donorum illicitus, si ab actibus religiosis desisterent; quia sic, quantum est de se (*notent religiosi & præsertim clerici*) defraudarent intentionem eorum, qui talia beneficia contulerunt. Debitum autem est alicui aliquid dupliciter. *Vno modo* propter necessitatem, quæ facit omnia communia, vt *Ambrosius* dicit. Ideò si religiosi necessitatem patiantur, licitè possunt de eleemosynis viuere. Quæ quidem necessitas potest esse tripliciter. Primò quidem propter corporis infirmitatem, ex qua contingit, quòd non possunt sibi labore manuum victum quærere. Secundò, si illud, quod ex opere manuali conquirunt, eis ad victum non sufficiat. Tertiò propter pristinam conuersationem eorum, qui non consueuerunt manibus laborare: solent enim tales delicatiùs educati laborem operum corporalium sustinere non posse. *Alio modo* efficitur aliquid alicui debitum ex eo, quod ipse exhibet, siue sit aliquid temporale, siue spirituale, secundùm illud 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et secundùm hoc, quadrupliciter possunt religiosi de eleemosynis viuere, quasi sibi debitis. Primò quidem, si prædicent authoritate Prælatorum. Secundò si sint ministri Altaris: quia vt dicitur 1. Cor. 9. *qui Altari deseruiunt, cum Altari participant.* Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Tertiò, si instent studio Sac. Scripturæ ad communem vtilitatem totius Ecclesiæ. Quartò si bona temporalia, quæ habebant, monasterio largiuntur; de eleemosynis monasterio factis possunt viuere. *Qui laudabiliter agunt* (ait Augustinus) *si manibus operentur: quòd si nolint, quis audeat eos cogere? Nec est attendendum, in quibus monasteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus quisquis hoc, quod habebat, impenderit: omnium enim Christianorum vna Respublica est.* Si verò aliqui sunt religiosi, qui absque necessitate & utilitate, quam afferant, velint ociosi de eleemosynis, quæ dantur pauperibus, viuere; hoc est eis illicitum. *Vnde idem Augustinus dicit in lib. de oper. Monach.* Plerumque ad professionem seruitutis Dei ex conditione seruili aliqui veniunt (*bene nota*) vt ex vita rusticana, & opificum exercitatione, & plebeio labore, de quibus non apparet, vtrùm ex proposito seruitutis Dei veniant, an vitam inopem & laboriosam fugientes, vacui pasci atque vestiri velint, & insuper honorari, à quibus contemni conterique consueuerunt. Tales ergo se, quo minus operentur, de infirmitate corporis excusare non possunt: præteritæ quippe vitæ consuetudine conuincuntur. *Et postea subdit:* Si nolunt operari, nec manducent. Neque propterea ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad superbiam extollantur. Nullo enim modo decet, vt in ea vita, vbi senatores fiunt laboriosi, fiant opifices ociosi: & quò veniunt, relictis deliciis suis qui fuerunt prædiorum Domini, ibi sint rustici delicati: (*Quantum autem veritatis habeant Augustini verba in quibusdam, experientia comperimus.*) *Sed & vlteriùs concedendum est, quòd* religiosi Y prædicti non solùm viuere possint de eleemosynis sponte oblatis, sed etiam eas petere mendicando. Quod probatur exemplo Christi, in cuius persona dicitur Ps. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Vbi glossa: *Hoc dicit Christus de se ex forma serui.* Et infrà. *Mendicus est, qui ab alio petit, & pauper, qui sibi non sufficit.* Ex quòd Dominus victum petierit, expressè habetur Luc. 19. vbi dixit ad Zachæum: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Item Marc. 11. ad illud, *Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora &c.* ait glossa: *Circumspectis omnibus, si quis eum hospitio susciperet.* Ex quo patet, quòd Christus ita pauper erat, quòd hospitium conducere non posset, sed ab aliis hospitium petebat, & expectabat. Vnde blasphemum est dicere, quòd non liceat mendicare. Item hoc probatur exemplo Apostolorum, qui iussi sunt à Domino necessaria ad victum in via non ferre, vt patet *Mat.* 10. *Marc.* 6. *Luc.* 9. & 10. Constat autem, quòd ipsi imperiosè non poterant accipere: ergo satis euidens est, quòd necessaria victus humiliter petebant, quod est mendicare. Item hoc patet de discipulis Apostolorum post resurrectionem Christi. Dicitur enim in 3. Can. Ioan. *Pro nomine eius profecti sunt:* ex glos-

Licitè de eleemosynis viuunt.

X 2. 2. 187. 4. c. Op. 17. c. 16. Op. 19. c. 7. & 3. Con. G. c. 135.

Dupliciter aliquid alicui debitum est.

Triplex necessitas religiosorum.

Ex quatuor sunt religiosis eleemosynæ quasi debitæ.

Religiosorum quorundam ociositas ab Augustino damnatur.

Licet eis & mendicare.

Y Op. 19. c. 7. & Op. 17. c. 14. & 2. 2. q. a. 5.

Exemplo Christi & Apostolorum.

Mendicus & pauper in quo differant.

ex glossa, *pro nomine Christi ampliando, alienati à rebus propriis*. Ergo sine necessarijs vinæ ibat. Ex quo patet, quòd necesse habebant petere. Item homo magis debet sibi prouidere, quàm alijs: sed Paulus Apostolus petebat eleemosynas pro alijs, scilicet pro pauperibus Sanctorum, qui erant in Ierusalem: ergo etiam licet alicui eleemosynas petere pro fratribus suis, vel etiam pro se ipso. Item quòd mendicare liceat, patet per exemplum B. Alexis, qui omnibus suis dimissis propter Christum, sine labore manuum viuebat de eleemosynis, quas mendicando quærebat. *Cur & id claustralibus religiosis non liceat?* Sine labore *inquam* manuum: *quo, volebant aliqui, sibi victum religiosos lucrari, ad quod non tenentur. Nam* labor Z manualis ad quatuor ordinatur. Primò quidem & principaliter ad victum quærendum. Vnde primo homini dictum est: *In sudore vultus tui, vesceris pane*, Gen. 3. & Ps. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis &c.* Secundò ordinatur ad tollendum ocium, ex quo multa mala oriuntur. Vnde dicitur Eccli. 33. *Mitte seruum in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit ociositas.* Tertiò ordinatur ad concupiscentiæ refrænationem, inquantum per hoc maceratur corpus. Vnde 2. Cor. 6. dicitur: *In laboribus, in ieiuniis, in castitate*. Quartò ordinatur ad eleemosynas faciendas. Vnde dicitur ad Eph. 4. *Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Secundùm ergo, quòd labor manualis ordinatur ad victum quærendum, cadit sub necessitate præcepti, prout est necessarium ad talem finem. Quod enim ordinatur ad finem, à fine necessitatem habet: vt scilicet in tantùm sit necessarium, in quantùm finis sine eo esse non potest. Et ideò qui non habet aliunde, vnde viuere possit, tenetur manibus operari, cuiuscumque sit conditionis. Et hoc significant verba Apostoli dicentis 2. Thess. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Q. d. Ea necessitate aliquis tenetur ad operandum manibus, qua tenetur ad manducandum. Vnde si quis absque manducatione posset vitam transigere, non teneretur manibus operari. Et eadem ratio est de illis, qui non habent aliàs, vnde licitè viuere possint. Non enim intelligitur aliquis posse facere, quod non licitè facere potest. Vnde & Apostolus non inuenitur opus manuum præcepisse, nisi ad excludendum peccatum eorum, qui illicitè victum acquirebant. Nam primò quidem præcipit Apostolus opus manuale ad euitandum furtum, vt patet ad *Eph. 4. cit.* Secundò ad vitandum cupiditatem alienarum rerum; vnde dicit 1. Thess. 4. *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, & vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Tertiò ad euitanda turpia negocia ex quibus aliqui victum acquirunt. Vnde 2. Thess. 3. cit. dicit: *Hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet: audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes* (qui fœda cura *ex glossa* necessaria sibi prouident:) *Iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus, vt cum silentio operantes suum panem manducent.* Sciendum tamen, quòd sub opere manuali intelliguntur omnia humana officia, ex quibus homines licitè victum lucrantur, siue manibus, siue pedibus, siue lingua fiant; vigiles enim & cursores, & alij huiusmodi, de suo labore viuentes, intelliguntur de operibus manuum viuere. Quia enim manus est organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, de qua aliquis victum licitè potest lucrari. Secundùm autem, quod opus manuale ordinatur ad ocium tollendum, vel ad corporis macerationem, non cadit sub necessitate præcepti secundùm se consideratum: quia multis alijs modis potest vel caro macerari, vel etiam ocium tolli, quàm per opus manuale. Maceratur enim caro per ieiunia, & vigilias; & ocium tollitur per meditationes Sacrarum Scripturarum, & laudes diuinas. Vnde super illud Ps. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, dicit glossa: *Non est ociosus, qui verbo Dei tantùm studet: nec plus is est, qui extra operatur, quàm qui studium cognoscendæ veritatis exercet.* Et ideò propter has causas religiosi non tenentur ad opera manualia; sicut nec seculares, nisi fortè adhoc per statuta sui Ordinis obligentur, sicut *Hieronymus* dicit in Epist. ad Rusticum monachum: *Ægyptiorum Monasteria hunc tenent morem, vt nullum absque opere, aut labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus.* In quantùm vero opus manuale ordinatur ad eleemosynas faciendas, non cadit sub necessitate præcepti, nisi fortè in aliquo casu, in quo ex necessitate aliquis eleemosynam facere teneretur, & non posset aliàs habere, vnde pauperibus subueniret: in quo casu obligarentur similiter religiosi, & seculares ad opera manualia exequenda. *Vide luculentissimè de præfatis loca in margine citata.*

Non tenentur religiosi ad manualem laborem, vt quidam falsò contendunt. *Z 2.2. 187. 3. c. Op. 17. l. c. Op. 19. c. 5. & 3. in G. l. c. Quol. 7. a. 17. Io. 6. l. 3. lit. e.*

Labor manualis ad quatuor ordinatur.

An & quando manibus laborare sit in præcepto.

Sub opere manuali quænam intelligantur.

g *Nec vilis pariter religiosorum habitus contemnendus, quasi hypocrisim quandam foueant sub humilitate vestium & vilitate. Nam* de Ioanne A legitur Marc. 1. quòd *erat vestitus pilis Cameli*, vbi dicit glossa: *Conueniens vestis prædicatori.* Ex quo patet, quòd serui Dei, & præcipuè qui pœnitentiam prædicant, debent vilibus vestibus indui. Item probatur exemplo antiquorum prophetarum, de quibus dicitur Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, vt Elias *ex glossa*, & alij. (Melus est animal, quod & taxus dicitur, cuius pellis *melota* dicitur & est valde hispida. Vel *melota* est vestis de pilis camelorum, *ex glossa ibi*;) Item probatur B. Hilarionis exemplo, & Arsenij, & aliorum Patrum in eremo, de quibus narratur in eorum gestis, quòd vilissimis vestibus induebantur. Item Apoc. 11. dicitur: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis*, idest *ex glossa* prædicantes pœnitentiam, & exemplo ostendentes: *quales se religiosi profitentur. Quocirca sciendum, quòd* in omnibus B exterioribus rebus (*ex Augustino lib. 3. de Doctrina Christiana*) non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Ad quam discernendam attendendum est, quòd habitus vilis, & incultus dupliciter potest considerari. *Vno modo* prout est signum quoddam dispositionis, vel status humani, quia vt dicitur Eccli. 19. *Amictus hominis enunciat de illo.* Et secundùm hoc vilitas habitus aliquando est signũ tristitiæ: vnde & homines in tristitia existentes solent vilioribus vestibus vti, sicut è conuerso, in tempore solemnitatis, & gaudij vtuntur cultioribus vestimentis. Vnde & pœnitentes vilibus vestibus induuntur, vt patet Ion. 3. de Rege, qui *indutus est sacco*, & 3. Reg. 21. de Achab, qui *operuit cilicio carnem suam*. Quandoque verò est signum contemptus diuitiarum, & mundani fastus. Vnde *Hieronymus* dicit ad Rusticum monachum: *Sordes vestium candidæ mentis indicia sunt, vilis autem tunica contemptum seculi probat; ita duntaxat, ne animus tumeat, nec habitus, sermoque dissentiant.* Et secundùm vtrumque eorum, competit religiosis vilitas vestium; quia religio est status pœnitentiæ, & contemptus humanæ gloriæ. Sed quòd aliquis velit hoc alijs significare, contingit propter tria. Vno modo ad sui humiliationem: sicut enim ex splendore vestium animus hominis eleuatur, ita ex humilitate vestium humiliatur. Vnde de Achab, qui carnem suam cilicio induit, dixit Dominus ad Eliam 3. Reg. 21. cit. *Nonne vi-*

Religiosorũ habitus non contemnendus ex vilitate, vt in Elia, Io: Baptista, & alijs. *A Op. 19. c. 8.*

Melota quid.

B 2.2. 187. 6. c. Et Opusc. cit. ibid.

Vilis & incultus habitus dupliciter cõsideratur.

Qualiter religiosis conueniat.

disti

disti humiliatum Achab coram me? Alio modo propter exemplum aliorum. Vnde super illud Mat.3. *Habebat uestimentum de pilis camelorum*, dicit glossa: *Qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit*. Tertio modo propter inanem gloriam, sicut *Aug.* dicit, quod *in ipsis sordibus luctuosis potest esse iactantia*: (Maximè autem C

C 22. lec. ad 3. Quàm impudenter religiosis ab aliquibus detrahatur.

uidentur hoc non ex ambitione facere religiosi, qui habitum uilem deferunt, quasi signum suæ professionis, qua contemptum mundi profitentur.) Duobus ergo primis modis laudabile est abiectis uestibus uti. Tertio uerò modo uitiosum est. *Alio modo* potest considerari habitus uilis & incultus, secundùm quod procedit ex auaritia, uel negligentia, & sic etiam ad uitium pertinet.

h *Cuncta hæc, quæ hucusque recensuimus, & his similia, religiosorum claustralium hostes improbare nituntur, eis ideircò perpetuò detrahentes: de quibus uidetur Psalmista loqui Ps.* 82. Cogitauerunt aduersùs Sanctos tuos. Dixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultrà. *Cogitauerunt aduersùs Sanctos tuos:*

D Op. 19. Proæ.

non solùm D contra mediocres (*ex glossa*) sed etiam contra cælestes uiros. Vnde *Gregorius* in 13. Moral. *Reprobi grande se aliquid fecisse æstimant, cum uitam prædicatorum necant.* Duo autem contra Sanctos cogitant. Primò ut ipsos annihilent, Esth. 13. *Volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere.* Secundò ut si hoc non possint, saltem eorum famam destruant apud homines, ut in eis fructificare non possint, Iac.2. *Nonne diuites per potentiam opprimunt uos? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super uos?* Et ideò quantùm ad primum horum, Psalmista subiungit: *Dixerunt: Venite* (*ex glossa*, quærentes sibi socios) *& disperdamus eos de gente*, scilicet ne sint inter gentes, idest tollamus eos de Mundo. Quantùm ad secundùm subdit: *Et non memoretur nomen Israel ultrà*; ut scilicet nomen eorum in fama non habeatur. Horum primum, scilicet Sanctorum expulsionem de Mundo, tyranni antiquitus per uiolentiam procurare conati sunt. Sed nunc hoc idem peruersi homines astutis consiliis attentant, quantùm ad religiosos specialiter, qui uerbo & exemplo fructificare possunt, perfectionem profitentes; uolentes quædam astruere, per quæ eorum status totaliter destruitur, & redditur nimis onerosus & uituperabilis, subtrahendo eis spiritualia solatia, & corporalia onera imponentes. *Et post pauca.* Famam Sanctorum prædicti ministri diaboli nituntur corrumpere, in tantum, ut non solùm per se apud præsentes, Sanctos Dei infament uerbo, sed etiam literas per uniuersum Orbem dirigant. (*Veruntamen* in hoc E quòd bona, quæ

E Eod. Op. c. 8. In quo se ipsos condemnant, & illos commendabiles faciunt.

a religiosis aguntur, iudicant esse mala, se ipsos condemnant, & eos contra quos loquuntur, maximè commendabiles ostendunt. Se quidem condemnant, quia sibi bona displicere ostendunt. Vnde de talibus dicit Gregorius in 6. Moral. *Nunc malus bonis derogas, & recta quæ agere negligis, hæc in aliis obtrectando, lacerare non cessat.* Commendabiles etiam ex hoc illos ostendunt, in eis Danielis innocentiam ostendentes, de quo dixerunt principes Babylonis Dan. 6. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui.* Vbi glossa. *Felix conuersatio, in qua inimici culpam non inueniunt, nisi in lege, quam custodit.* Ita & prædicti malignantes, in lege Dei, quam religiosi custodiunt, occasionem detractionis inueniunt, eos in contemptum inducentes.) *Et quidem* in sua F detractione quadrupliciter procedunt. Mala enim, si qua sunt uera, extendunt: dubia asserunt. falsa confingunt: bona peruertunt: (*De quibus fusè Op. 19. cit. à cap. 21.*)

F Ibid. cap. 20. Quadrupliciter in sua detractione procedunt.

Præsertim uerò extendunt G mala, quæ in religiosis inueniri possunt, tripliciter. Primò quantùm ad tempus, uidelicet ea, quæ ante conuersionem ab eis perpetrata sunt, in eorum contumeliam commemorando. Exponentes enim hoc, quod dicitur 2. Tim. 3. *Erunt homines seipsos amantes, &c.* contra religiosos dicunt, in eorum opprobrium, hoc de eis intelligi, quia ex statu, in quo huiusmodi peccatis detinebantur, ad statum religionis perueniunt; quam ipsi detractores *sentinam penetrantium demos* appellant. Non ita Apostolus. 1. Cor. 6. qui post multorum enumerationem peccatorum, subiungit: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis &c.* Secundò extendunt quoad personas: ut uidelicet, quod ab uno, uel duobus geritur, toti religioni imponere præsumant. Sicut cum dicunt, quòd non sunt cibis sibi appositis contenti, lautiora quærentes, & multa huiusmodi, quæ etiamsi ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt toti collegio imponenda. Non ergo propter hoc infamandum est religiosorum collegium, si aliqui ex eorum numero grauia etiam peccata committant: aliàs simili modo & Apostolorum collegium uituperabile fuit, propter hoc quod dicitur Io. 6: *Nonne ego uos 12. elegi: & ex uobis unus diabolus est?* Tertiò extendunt religiosorum mala secundùm quantitatem, uidelicet eorum peccata leuia ultrà modum aggrauando. Non enim potest homo in hoc Mundo sine peccato uiuere secundùm illud 1. Io. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum, non habemus &c.* Sed tamen peccata leuia, quæ etiam in quibuscumque perfectis inueniuntur, quasi grauia exaggerant, contra illud Prou. 24. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti.* Et adhoc pertinet, quòd religiosos pseudoapostolos esse dicunt his signis, quòd quærunt opulentiora hospitia: quòd procurant aliena negocia, ut sic mercantur hospitia: quòd rapiunt bona temporalia illorum quibus prædicant: & alia huiusmodi. Quæ etsi in uitium soneat: non tamen sunt tam grauia, ut pro eis dici possint peccatores, qui hæc committunt, nedum ut pro eis possint dici pseudoapostoli. Et sic eis conuenit quod dicitur Mat. 7. Quòd scilicet *uident festucam in oculo fratris sui, & trabem in oculo suo non uident.* Vbi dicit glossa. *Multi prauenti maioribus, leuiora in fratre malunt uituperare, & damnare, quàm emendare, pleni odio & inuidia & malitia.* (*Et alibi.* Per trabem H & festucam, docet considerare quantitatem peccatorum. Sæpè enim qui grauia peccata committunt, reprehendunt eos qui leuia. Sicut contingit in iudicandis religiosis, cum aliqui, qui grauia faciunt, quæ uident leuia in religiosis, iudicant grauia; sed absorbentur illa, sicut una gutta aquæ in multitudine uini.) Implent etiam quod dicitur Mat. 23. *Excolantes culicem, camelum autem glutientes*, minima scilicet religiosorum peccata mordaciter arguentes, sua grauia non curantes. *Et quamuis* fortè I posset alicui uideri, quod detractiones, quæ personis irrogantur, essent tolerandæ absque contradictione, quia humana iudicia sunt paruipendenda, secundùm Apostolum 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die*: interius tamen considerantibus apparet, huiusmodi detrahentium linguas esse efficaciter reprehendendas propter tria. Primò quia eorum detractio non ad unam personam, aut ad plures determinatas fertur, sed ad totum religiosorum collegium: unde eorum temeritati est uiriliter resistendum, ne oues Christi passim luporum morsibus lacerentur. Secundò quia eorum uitam denigrare nituntur, quibus non solùm conscientia necessaria est propter seipsos, sed etiam fama, ut in proximis per prædicationem proficere possint. Vnde Gregorius: *Hi quorum ui-*

G Ibi. & Mat. 23. lib. b. ibi, culicem. Mala religiosorum, si quæ sunt tripliciter extendunt.

H Mat. 7 lit. a. ibi, trabem

I Eod. Op. 19 c. 20. sub inic. Suis detractoribus obsistere debent religiosi & eorum linguas compescere.

a in exemplum, imitationis est posita debent (si possunt) detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant. Vnde & Ioannes detrahentis sibi verba compescuit in Ep. tertia ad Caium, cum dixit: *Si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos.* Et Paulus 2. Cor. 10. *Epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes: præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales & præsentes in facto.* Tertiò quia non in hoc sistunt, vt infament: sed adhoc tendunt, vt totaliter extirpent. Quod manifestè apparet ex hoc, quòd Prælatos inducunt, vt eos faciant ab omnibus euitari; vt in necessariis eis non prouideatur, & ad eorum consortium nullus admitti permittatur. Vnde eorum crudelitas non debet ampliùs tolerari. *Hinc sequitur, quòd licitè possunt se contra impugnatores defendere. Sanè* quòd L Sanctis viris liceat se per iudicium tueri, patet per id quod habetur *Act.* 25. Vbi Paulus, ne Iudæis traderetur, Cæsarem appellauit: appellatio autem ad iudicium pertinet. Item, quòd possint procurare, quòd armis defendantur, patet exemplo eiusdem Apostoli *Act.* 23. Qui procurauit, vt deduceretur cum custodia militum armatorum, qui eum defenderent ab insidiatoribus. Item, quòd liceat perfectis viris libertatem sui status defendere, præcipuè in iudicio Ecclesiastico, patet per hoc, quod habetur *Act.* 15. Quòd Paulus, & Barnabas contra eos, qui volebant credentes ex Gentibus in seruitutem redigere legis, Ierosolymam ascenderunt ad iudicium Apostolorum. Cum ergo aliqui volunt in seruitutem redigere religiosos & perfectos viros, possunt se defendere iudicio Ecclesiastico: & quòd debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas, etiam non prouocati. Ad officium etiam charitatis pertinet, quòd aliquis oppressos ab opprimentibus liberet, secundùm illud Ps. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate:* sed aliquis tenetur ad impendenda charitatis officia magis illis, qui sunt sibi magis coniuncti: magis autem coniuncti sunt alicui religioso fratres suæ religionis: ergo debet secundùm charitatem resistere illis, qui fratres religionis suæ nituntur opprimere. Sic igitur ex omnibus prędictis patet, quòd religiosi non solùm licitè, sed etiam laudabiliter interdum resistunt violentiis & fraudibus malignorum. *Caterùm (vt alibi instruimur)* in iniuriis M personalibus decet perfectos viros esse maximè patientes, vt sint etiam parati plura sufferre, secundùm illud Mat. 5. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam præbe illi & alteram.* Statum vero suum impugnari, non debent pati, quantum resistere possunt: hoc enim vergeret in iniuriam Dei. Vnde contra quosdam dicitur Ezech. 13. *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Et ideò Dominus, iniurias, quæ contra humanitatem eius inferebantur, patienter tolerauit. Sicut, cum Iudæi dicebant: *Ecce homo vorax, & potator vini*, vt dicitur Mat. 11. Et sicut diabolus dixit ei: *Mitte te deorsum:* quod videbatur ad propriam iniuriam pertinere. Sed iniurias Dei non tolerabat; vnde Pharisæos durè redarguit Mat. 12. quia dicebant, quòd *in Belzebub eiiceret dæmonia*, quod pertinebat ad iniuriam Spiritus Sancti. Et similiter, cum diabolus ei dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me:* quod ad iniuriam Dei pertinebat. Statim enim eum repulit, dicens: *Vade Satana*, vt habetur Mat. 4. Vbi dicit Chrysostomus: *Illius discamus exemplo nostras quidem iniurias, magnanimiter sustinere: Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre. Quoniam in propriis iniuriis esse quemlibet patientem, laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.*

Contrà illos licitè se defédunt.

Ibid. cap. 15 *&* 16 *Quol.* 5. *a.* 26. *&* 2. 2. 108. 1. *ad* 2. *&* 4.

M Quol. 5. *a.* 26. *c. & locis cit.*

Non ita in iniuriis personalibus.

I *Quòd si in tanta religiosorum multitudine nonnulli à recta regula deuient, quam sunt professi; mirum non sit, cum & pusillum ipsum Apostolorum Collegium expers malorum non fuerit, vt & prætactum est. Sed & hoc ex eo deriuatur, quòd deteriores modò filii religioni destinantur, cum deberent meliores offerri, Malach.* 1. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? *Et inferiùs concluditur:* Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino. *Et ideò in vet. lege mandabantur offerri turtures & pulli Columbarum. Nam, quia* in turturibus N meliores sunt maiores, quàm pulli: in Columbis autem è conuerso: ideò, vt *Rabbi Moyses* dicit, mandantur offerri turtures & pulli columbarum: quia omne, quod est optimum, Deo est attribuendum. *Nec perperam, aut sine mysterio Leu.* 21. *defectibus quibusdam corporalibus iubebantur sacerdotes & ministri Dei (quales sunt qui religioni addicuntur) immunes esse.* Prohibetur enim O esse *cæcus*; idest ne sit ignorans; ne *sit claudus*; idest, instabilis, & ad diuersa se inclinans: *ne sit paruo, vel grandi, vel torto naso*; idest, ne per defectum discretionis vel in plus, vel in minus excedat, aut etiam aliqua praua exerceat: per nasum enim discretio designatur, quia est discretiuus odoris: *cum iis, quæ ibi sequuntur. Sunt autem ad religionem filii in puerili ætate recipiendi. Non quidem ad professionem emittendam:* nam votum P solemne, quod facit monachum, vel religiosum, subditur ordinationi Ecclesiæ propter solennitatem, quam habet adnexam. Et quia Ecclesia respicit id, quod in pluribus est, professio ante tempus pubertatis facta, quantumcumque aliquis habeat vsum rationis plenum, vel sit doli capax, non habet suum effectum, vt faciat profitentem iam esse religiosum. (*Et iam ex Tridentino Sess.* 25. *c.* 15. *statutum est, emitti professionem non posse, nisi anno* 16. *expleto.*) Et tamen licèt ante pubertatis annos profiteri non possint: possunt tamen cum voluntate parentum in religione recipi, vt nutriantur ibidem. *Et hæc quidem* consuetudo Q pueros religioni tradendi, non solùm Ecclesiasticis statutis quàm pluribus, sed etiam sanctorum exemplis comprobatur. Narrat enim *Gregorius* in 2. Dial. lib. quòd *cœperunt ad B Benedictum Romanæ Vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles Eutichius Maurum, Tertullus verò Patritius Placidum tradidit: ex quibus Maurus iunior, cum bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere: Placidus verò puerilis adhuc indolis annos gerebat. Ipse etiam B. Benedictus adhuc puer existens, despectis literarum studiis, relicta domo, rebusque Patris, soli Deo placere desiderans, sancti conuersationis habitũ quæsiuit.* Hæc *Gregorius*. Hic etiam mos ab ipsis Apostolis sumpsisse inuenitur exordium. Dicit enim *Dionysius* in fine Eccles. Hier. *Sursum acti infantes ad habitũ sanctum habebunt consuetudinẽ, ab omni remoti errore, & immunda vita experies. Hoc diuinis nostris ducibus ad mentem venit, & visum est suscipere infantes.* Et quamuis ibi loquatur *Dionysius* de susceptione infantium ad Christianam religionem in baptismo assumendam: tamen ratio ibi inducta etiam proposito competit, quia vtrobique pueros expedit nutrire in his, quæ postmodum sunt obseruaturi, vt ad hoc horum habitus informetur. Hoc etiam ipsius Domini authoritate firmatur. Legitur enim Mat.

Si qui religiosi mali, ex eo sæpiùs: quod deteriores filii religioni destinantur.

N 1. 2. 102. 3. *ad* 4. *&* 7.

Deo optima offerenda, nõ debilia & imperfecta.

O Ibid. a. 5. *ad* 10.

2. 2. 189. 5 *fi. c. & a.* 1.

Filii in religione à puero educandi.

Nec tamen ante pubertatem profiteri possunt: nisi 16. ætatis anno completo.

Q Opusc. 17. *c.* 3. 6. *&* 7. *Quol.* 3. *a.* 11. *Quol.* 4 *a.* 23. *Quol.* 5. *a.* 21. *ad* 1.

Mat. 19. quòd *oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos, Iesus verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum Cælorum*. De Io. Baptista etiam legitur Luc. 1. *Puer crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*. Vbi dicit Beda: *Prædicator pœnitentiæ futurus, vt liberiùs auditores suos à Mundi illecebris erudiendo subtollat, primæuam in desertis transegit vitam*. Non solùm igitur licitum est, sed etiam valdè expediens ad maiorem gratiam optimè promerendam, vt aliqui à pueritia seculum deserentes, in deserto religionis viuant. Vnde dicitur Thren. 3. *Bonum est viro, cũ portauerit iugum ad adolescentia sua*: nam Prou. 22. *Adolescens iuxta uiam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Hoc etiam ex communi hominum consuetudine apparet, secundùm quam homines à pueritia applicantur illis officijs, vel artibus, in quibus vitam sunt acturi. Sicut qui futuri sunt clerici, mox à pueritia in clericatu erudiuntur: qui futuri sunt milites, oportet quod à pueritia in militaribus exercitijs nutriantur (sicut Vegetius dicit in lib. de re militari:) qui futuri sunt fabri, fabrilem artem à pueritia discunt. Cur igitur in hoc solo regula fallet, vt qui futuri sunt religiosi, non à pueritia in religione exerceantur? Quinimmò necesse est, vt quantò aliquid est difficilius, tantò ad illud portandum magis homo à pueritia consuescat. *Et ita verò* probantur spiritus, si ex Deo sint, 1. *Io.* 4. *vt ritè possint perfectionis statum suo tempore profiteri. At, vbi non secundùm regulam viuitur, non tam facilè recipiendi, ne malorum exemplo in via Dei retrocedant potiùs, quàm proficiant, vt experientia alicubi magistra est. Quò facit illud Mat.* 23. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. *Vbi docemur, quòd* proselyti R dicuntur, qui conuertuntur à Gentibus, vel à Christianis ad fidem Iudæorum. *Ex quo instruimur, quòd* trahere S alios ad cultum Dei, vel ad religionem, non est vituperabile: sed hoc solùm, quòd aliquis ei, qui conuertitur, det malum exemplum, vnde peior efficiatur: *vti faciebant cum proselytis Pharisæi. Illud verò quoad recipiendos benè aduertendum, quòd* pro ingressu T monasterij non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterij exhibere; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes. Similiter etiam licitum est, si propter deuotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, faciliùs in monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum est aliquem è conuerso prouocare ad deuotionem monasterij per temporalia beneficia, vt ex hoc inclinetur ad Monasterij ingressũ: licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu monasterij, vt habetur 1. Q. 2. *cap. Quàm pio*. *Quid verò consuetudo valeat: sciendum, quòd* consuetudo V non præiudicat iuri naturali, vel diuino, quo simonia prohibetur. Et ideò, si aliqua ex consuetudine exigantur, quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi vel vendendi, est manifestè simonia; & præcipuè, si ab inuito exigantur. Si verò exigantur, quasi quædam stipendia, non est simonia: si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis obseruantiam; & præcipuè quando aliquis voluntariè soluit. In his tamen omnibus cauendum est (*nota*) quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis, secundùm illud Apostoli 1. Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinere vos*. Vide Calet. V. *Excommunicatio* cap. 73.

Homines à pueritia applicantur illis officijs, in quibus sunt vitã ducturi: cur non & Deo seruituri intra claustra?

Vbi malè viuitur, non recipiendi.

Proselyti qui nam dicatur.

R *Mat.* 23. *lit. b. ibi.*

S 2. 2. 189. 9. *ad* 2. *Quol.* 3. *a.* 11. *ad* 5. *vel* 6. *Mat. loc. cit.*

T 2. 2. 100. 3. *ad* 4 & *a.* 6. *ad* 5. *In* 4. *d.* 25. 3. 2. *qu* 2. *ad* 7. *Quol.* 4. *a* 23. *fi. c.*

Simoniacum est, pro ingressu religionis, aliquid dare vel recipere, nisi pro victu, si monasteriũ tenue sit.

An & quid valeat consuetudo in simonia.

V 2. 2. 100. 2 *ad* 4.

m *Verùm* qui X se obligat ad religionis ingressum, tenetur religionem ingredi, secundùm quod se voto obligare intendit; ita scilicet, quòd si intendit se absolutè obligare, tenetur quàm citiùs poterit ingredi, legitimo impedimento cessante: (*secundùm illud Eccle.* 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.) Si autem ad certus tempus vel sub certa conditione, tenetur religionem ingredi tempore adueniente, vel conditione existente. *Et ò quàm felix & proficuus religionis ingressus! siquidem* rationabiliter Y dici potest, quòd per ingressum religionis aliquis consequitur remissionem omnium peccatorum: si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis secundùm illud Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*, multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter diuinis obsequijs mancipet per religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur *in Decretis* 33. Q. 2. *cap.* Admonere. *Vnde & in vitis* Z Patrum dicitur, quòd quidam Patrum vidit eandem gratiam descendentem super eum, qui habitum religionis assumit, & super eum, qui baptizatur. *Quemadmodum autem* non liceret A alicui filios habenti religionem ingredi, omninò prætermissa cura filiorum, idest non prouiso, qualiter educari possint; dicitur enim 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*: Ita parentibus in necessitate existentibus, ita quòd eis commodè aliter, quàm per obsequium filiorum, subueniri non possit, non licet filijs, prætermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si verò non sint in tali necessitate, vt filiorum obsequio multùm indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio filij religionem intrare, etiam contra præceptum parentum. Vnde Dominus, vt legitur *Mat.* 8. & *Luc.* 9. reprehendit discipulum, qui nolebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulturæ: *Erant enim alii, per quos illud opus impleri poterat*, vt Chrysostomus dicit. *Ita Iacobus & Ioannes*, relictis retibus & patre secuti sunt Dominum, *ut dicitur Matth.* 4. *quia nimirùm Zebedæus eorum pater* poterat B se iuuare; & habebat necessaria. *At verò* postquàm C aliquis est iam in religione professus, est mortuus Mundo. Vnde per spiritualem mortem deobligatur à cura impendenda parentibus; sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem. Et ideò non peccat, nec contra præceptum Dei agit, si in claustro remaneat sub præcepto Prælati sui, parentum ministratione prætermissa: est enim factus impotens ad reddendum debitum ministerium absque propria culpa. Debet tamen, quantùm potest, salua Ordinis obedientia satagere, vt per se, vel per alium suis parentibus subueniatur, si in necessitate fuerint constituti. *Non ita tamen religioso iam professo penitùs interdicitur transitus à sua religione ad aliam; sed quandoque transire licet*: Quandoque, dico: *quia* transire D de religione ad religionem, nisi propter magnam necessitatem vel vtilitatem, non est laudabile: tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur: tum quia faciliùs proficit aliquis in religione, quam consueuit, quàm in illa, quam non consueuit, cæteris paribus. Potest tamen aliquis laudabiliter de vna religione transire ad aliam triplici ex causa. *Primò* quidem zelo perfectionis religionis: quę quidem excellentia non attenditur secundùm solam altitudinem, sed principaliter secundùm id, ad quod religio ordinatur. Secundariò verò secũdùm discretionem obseruantiarum debito fini proportionatarum. Tertiò verò propter declinationem religionis

X 2. 2. 189. 3. *fi. c.* & *ad* 2. & *q* 88. 3. *ad* 2. *Quol.* 3. *a.* 12.

Vouens absolutè religionem ingredi, tenetur quàm citiùs potest intrare.

Quàm proficuus religionis ingressus.

Y 2. 2. 189. 3. *ad* 3.

Z 4. *d.* 4. 3. 3. *q.* 3. *ad* 3.

Religio, nouus quidam baptismus.

A 2. 2. 189. 6. *c.* & *q* 101. 4. *ad* 3. & 4. *In* 4. *d.* 38. 2. 4. 92. *ad* 2. *Quol.* 3. *a.* 16. *Quol.* 10. *a.* 9. *Mat.* 15. *lit. a. initio.*

Neque parentes, educati filiis egentibus, neque filij parentibus in necessitate positis, licitè possunt religionem intrare.

B *Mat.* 4. *lit. b fi.*

Non ita obligatur è claustro exire filius iam professus &c.

C *Quol.* 3. *a.* 16 *fi. c. Quol.* 10. *a.* 9. & 2. 2. 101. 4. *ad* 4.

D 2. 2. 189. 8. *c.* & *ad* 2.

Transitus ab vna religione in aliam an in religioso professo laudabile.

gionis à debita perfectione: putà si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissiùs viuere, laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius obseruetur. Vnde in collationibus Patrum Abbas Ioannes de se ipso dicit, quòd à vita solitaria, in qua professus fuerat, transijt ad minorem, scilicet eorum, qui viuunt in societate, propter hoc, quòd vita eremitica cœperat declinare, & laxiùs obseruari. *Tertiò* propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, quòd non potest aliquis arctioris religionis statuta seruare; posset autem obseruare statuta religionis laxioris. (*Discat hinc superiorum discretio, aliquid de rigore disciplinæ infirmis ac debilibus remittere, ne occasionem dent exeundi, vel vt eant altera via, 1. Mach. 2. specialiter ad religionem nuper receptis. Quod facit illud Domini Mat. 9.* Numquid possunt filij Sponsi lugere &c. *Vbi docemur, quòd Christus* discipulos E suos nutrire debuit in amore quodam: & ideò se sponsum nominat, & discipulos filios: quia ista sunt nomina amoris. Vnde bonum est, *inquit*, quòd conferuem eos; & ideò nolo aliquid graue eis imponere, ne abhorreant, & sic retrocedant (*nota*). Et ideò, qui in religione sunt noui, non sunt grauandi. *Summus siquidem rigor, summum infirmis præcipuè grauamen est; quemadmodum & summum ius, summa iniuria dicitur*: præsertim F cum B. Benedictus in sua regula dicat, se aliquid remisisse de rigore monasticæ vitæ à prioribus institutæ, condescendendo infirmitatibus sui temporis Monachorum. *Et hoc sensu videtur Apostolus locutus Rom. 6. cum ait*: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. *Quòd si illius adhuc tempore Patriarchæ conueniens fuit aliquid de monastica relaxari disciplina: quantò magis hodie remittendum aliquid est, & religiosorum infirmitati indulgendum? Nam vniuersaliter, quantò magis vnumquodque à suo principio recedit, & elongatur, eò magis imperficitur, eò deterius fit, eò infirmius. Idcircò non eo modò perfectio est in claustralibus, quæ à principio eorum institutionis fuit (sicut nec ea sanctitas in Ecclesia moderna, quæ in primitiua extitit:) quia nimirum, siue in superioribus, siue in subditis non primæua hoc tempore charitas flammescit; nec eo* confirmati spiritu principali *religiosi sunt, quo priores Patres & Institutores ex diuina bonitate fuerunt; & hic spiritus à solo Deo est, & quibus vult, & quando vult, gratis infundit.*) Sed in his tribus casibus, (*vt redeamus ad primum*) potest esse differentia. Nam in primo casu debet quidem propter humilitatem licentiam petere; quæ tamen ei negari non potest, dummodò constet illam religionem esse arctiorem. Si verò hoc probabiliter dubitetur; est in hoc superioris iudicium inquirendum, vt habetur *Extra de Regularibus, & transf. ad relig. Cap.* Licet. Similiter requiritur superioris iudicium in secundo casu. In tertio verò casu est necessaria dispensatio.

Monitum ad Superiores, vt infirmis aliquid de rigore relaxent disciplinæ, ne deterius quid contingat. E *Mat. 9. lit. c. ibi.*

F *Op. 17. cap. 16. sub initio.* Exemplo B. Benedicti.

Ex quo plurium varietas Ordinum commendabilis redditur in Ecclesia Dei. Et quòd spectat ad exteriora, quælibet G religio suum determinatum habitum habet (*& quidem tanquam* H signum obligationis: *siue quasi* I signum suæ professionis) *ab alijs materialiter distinctiuum. Formaliter tamen aliter distinguuntur.* Status *enim* religionis L est quoddam exercitium, quo aliquis exercetur ad perfectionem charitatis. Sunt autem diuersa charitatis opera, quibus homo vacare potest: sunt etiam diuersi modi exercitiorum. Et ideò religiones distingui possunt dupliciter. *Vno modo* secundùm diuersitatem eorum, ad quæ ordinantur, sic vt vna religio ordinetur ad peregrinos hospitio suscipiendos, & alia ad visitandos, vel ad redimendos captiuos. *Alio modo* potest esse diuersitas religionum secundùm diuersitatem exercitiorum: putà, quòd in vna religione castigatur corpus per abstinentias ciborum, in alia per exercitium operum manualium, vel per nuditatem, aut per aliquid aliud huiusmodi. Sed quia finis est potissimum in vnoquoque, maior est religionum diuersitas, quæ attenditur secundùm diuersos fines, ad quos religiones ordinantur, quàm quæ attenditur secundùm diuersa exercitia. *Cum igitur religionis status ad perfectionem charitatis ordinetur; hinc diuersitas potissimùm religionum elucet. Nam* charitas M Deo debitum obsequium reddit secundùm actus vitæ actiuæ & contemplatiuæ. In actibus quidem actiuæ vitæ diuersimodè, secundùm diuersa officia charitatis, quæ proximis impenduntur. Et ideò sunt aliquæ religiones institutæ ad vacandum Deo per contemplationem; sicut religio monastica & eremitica: aliquæ autem ad seruiendum Deo in membris suis per actionem, sicut illorum, qui ad hoc Deo se dedicant, vt infirmos suscipiant, captiuos redimant, & alia misericordiæ opera exequantur. Nec est aliquod opus misericordiæ, ad cuius executionem religio institui non possit, etsi non sit hactenus instituta. *Et propterea religio aliqua instituta est ad meditandum; alia ad prædicandum; alia ad docendum; alia ad militandum; non quidem propter mundanum aliquid, sed in defensionem diuini cultus & fidei: vti generosè faciunt, strenuèque perpetuò contra infideles decertant nobilissimi Equites Ierosolymitani (nunc* Melitenses *dicti) de nostra in primis Serenissima Venetia Republica optimè meriti. Ex quibus deducitur vnius respectu alterius religionis præstantia. Etenim* excellentia N vnius religionis super aliam principaliter quidem attenditur secundùm religionis finem: secundariò autem secundùm exercitium. Diuersimodè tamen vtraque comparatio attenditur. Nam comparatio, quæ est secundùm finem, est absoluta; eo quòd finis propter se quæritur. Comparatio autem, quæ est secundùm exercitium, est respectiua: quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem. Et ideò illa religio alteri præfertur, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia est maius bonum, vel quia ad plura bona ordinatur. Si verò sit finis idem, secundariò attenditur præeminentia religionis, non secundùm quantitatem exercitij, sed secundùm proportionem eius ad finem intentum. Sic ergo dicendum est, quòd opus vitæ actiuæ est duplex. Vnum quidem, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina & prædicatio: & hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm: ita maius est, contemplata alijs tradere, quàm solùm contemplari. Aliud autem est opus actiuæ vitæ, quod totaliter consistit in occupatione exteriori: sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & alia huiusmodi, quæ sunt minora operibus contemplatiuis, nisi fortè in casu necessitatis. Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum & prædicandum (*qualis est specialiter religio nostra* Prædicatorum:) quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum: sicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs secundorum, vt *Dionysius* dicit *c. 7. de Diu. Nom.* Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. In singulis autem horum graduum potest attendi præeminentia, secundùm quod vna religio ordinatur ad altiorem actum in eodem genere: sicut inter opera actiuæ vitæ potius

Habitus cuiuslibet Ordinis diuersus in signum obligationis. G *Op. 19 c. 3. §.* H *2.2. 186 7. ad 2 & 185 8c.* I *2.2. 187 6 ad 3* L *2.2. 188. 1. & 6. c.*

Ex quo formaliter plures religiones distinguantur.

M *Op. 19. cap. 1. & 2.2. q. 188 cit.*

Quænam præstantior. N *2.2. 188. 6 c. & 189. 8. ad 2. Op. 19. c. 1 §.*

Actiuæ vitæ opus duplex.

Primum gradum quænam religiones teneant.

Quænam secundum & tertium.

Aliqua & in præfatis gradibus præeminentia attendenda.

est redimere captiuos, quàm recipere hospites: & in operibus vitæ contemplatiuæ, potior est oratio, quàm lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si vna earum ad plura horum ordinetur, quàm alia; vel si conuenientiora statuta habeat ad finem propositum consequendum. *Hinc sequitur, quòd non ex eo perfectior dicenda religio est* (nota) *quòd arctioris sit obseruantia: quandoquidem* altitudo N obseruantiarum non est illud, quod præcipuè in religione commendatur, vt *B. Antonius* dicit: Et Is. 58. dicitur: *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?* Assumitur tamen in religione vt necessaria ad carnis macerationem: quæ si sine discretione fit, periculum deficiendi habet adnexum, sicut idem *B. Antonius* dicit. Et ideò non est potior religio ex hoc, quòd habeat (*nota*) arctiores obseruantias: sed ex hoc, quòd ex maiori discretione sunt eius obseruantiæ ordinatæ ad finem religionis: *quod est in ea præcipuum. Vnum superest ad hæc enucleare: num scilicet perfectior religio sit socialem vitam agentium, an solitariam? Pro quo sciendum, quòd* solitudo O non congruit religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ actiuæ, siue corporalia, siue spiritualia, nisi fortè ad tempus, exemplo Christi, qui vt dicitur Luc. 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Et Mat. 14. *Ascendit in montem solus orare.* Competit autem religionibus, quæ sunt ad contemplationem ordinatæ. Considerandum est tamen, quòd id, quod est solitarium, debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est, cui nihil deest: quod pertinet ad rationem perfecti. Et ideò solitudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum peruenit. Quod quidem contingit dupliciter. Vno modo ex solo diuino munere: sicut patet de Io: Baptista, qui *fuit repletus Spiritu Sancto adhuc ex vtero Matris suæ.* Vnde cum adhuc puer esset, *erat in desertis*, vt dicitur *Luc.* 1. Alio modo per exercitium virtuosi actus, secundùm illud ad Hebr. 5. *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali.* Ad exercitium autem huiusmodi iuuatur homo ex aliorum societate dupliciter. Vno modo, quantùm ad intellectum, vt instruatur in his, quæ sunt contemplanda. Secundò quantùm ad affectum, vt scilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo & correctione aliorum. (*Eapropter Eccle. 4. dicitur*: Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.) Et ideò vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis: solitudo autem competit iam perfectis. Sicut ergo id, quod iam perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum si debitè assumitur, præeminet vitæ sociali: si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per diuinam gratiam suppleatur quod in alijs per exercitium acquiritur: sicut patet de beatis *Antonio* & *Benedicto*. Et ideò P Philosophus dicit in 1. Polit. quòd *ille, qui aliis nō cōmunicat, est bestia, aut Deus*, idest diuinus Vir.

N 2.2. 188. 6. ad 3.

Non ex hoc, quòd arctioris obseruantiæ, religio perfectior.

O 2.2. 188. a. 8. c.

Vtra perfectior religio solitariorum, an socialiter viuentium.

Vita socialis necessaria ad exercitium perfectionis: solitudo autē iam perfectis competit.

P Ib. ad 5.

Præcipuum & essentiale religionis, triplex, solemne votum.

Q Op. 19. c. 1. circa fi.

Ad quod ordinantur & releuntur omnes religionum obseruantiæ.

R 2.2. 186. 7. ad 2. & 188. 1. ad 2.

O *Cæterùm essentiale & præcipuum cuilibet religioni & Ordini, triplex solemne votum est, quod in statu perfectionis hominem locat.* Alia autem Q omnia, quæ in religionibus reperiuntur, sunt adminicula quædam ad cauendum ea, quibus per votum religionis abrenunciatur; vel ad obseruandum id, in quo homo per religionis votum Deo se seruiturum promittit. *Et alibi*: Omnes R aliæ religionum obseruantiæ ordinantur ad tria principalia vota. Nam si qua instituta sunt in Religionibus ad procurandum victum, puta labor, mendicitas, vel alia huiusmodi, referuntur ad paupertatē, ad cuius conseruationem religiosi per hos modos victum suum procurant. Alia verò, quibus corpus maceratur, sicut vigiliæ, ieiunia, & si qua sunt huiusmodi, directè ordinantur ad votum continentiæ obseruandum. Si qua verò in religionibus instituta sunt, pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei & proximi, puta lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud est huiusmodi, comprehenduntur sub voto obedientiæ, quod pertinet ad voluntatem, quæ secundùm dispositionem alterius suos actus ordinat ad finem. *Dicitur autem* solemne *votum, vt à simplici differt. Quia* ea S ad solemnitatem rei pertinere dicuntur, quæ ei completum esse tribuunt. Votum autem, cum essentialiter sit promissio; cuius quidem obligatio tunc completur, quando aliquis hoc, quod promittit, in præsenti dat, quodammodo ponens eum, cui fit promissio, in corporali possessione alicuius rei, vnde habere possit, quod promittit. Sicut si aliquis fructus agri promitteret, & promittendo agrum daret: & similiter, si seruitium aliquod promitteret, & se in seruum daret. Et ideò tunc votum solemnizari dicitur, quando aliquis præsentialiter se dat Deo, diuinis se seruitijs mancipando. Quod quidem fit per Ordinis sacri susceptionem, & per professionem certæ Regulæ debito modo factæ, scilicet in manu eius, qui debet recipere, & alijs circumstantijs seruatis, quæ secundùm iura determinantur. *Et hinc est, quòd* votum T simplex continentiæ non dirimit matrimonium contractum, sed solùm solemne. Cuius ratio patet, si differentia vtriusque voti inspiciatur. In voto enim simplici est sola promissio, qua quis promittit Deo, se continentiam seruare. Ex sola autem promissione non transfertur dominium; vnde si aliquis promittat rem aliquam alicui, & postea det eandem alteri, huiusmodi donatio non potest rescindi per priorem promissionem, quamuis malè faciat dando. Et sic ille, qui emisit votum simplex continentiæ, potest postmodum corpus suum tradere vxori: & quamuis peccet hoc faciendo, tamen matrimonium non dirimetur propter votum præcedens. In voto autem solemni est simul promissio, & collatio. Et sic non potest vlterius corpus suum tradere vxori; &, si tradit, contractus nullus est. *Nec idem tamen putetur solemne ac publicum votum. Nam* vota V ex hoc, quòd fiunt in publico, possunt quidem habere quandam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem, & diuinam, sicut habent vota præmissa (*religionem profitentium*) etiamsi coram paucis fiant. Vnde aliud est, votum esse publicum, & aliud esse solemne. *Ex triplici autem solemni voto, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, status religionis re vera integratur. Siquidem* religionis X status potest considerari tripliciter. Vno modo, secundùm quod est exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo, secundùm quod quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus, secundùm illud 1. Cor. 7. *Volo vos sine solicitudine esse.* Tertio modo, secundùm quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo. Et secundùm hoc, ex his tribus votis integratur. *Primò* enim quantùm ad exercitium perfectionis, requiritur, quòd aliquis à se remoueat illa, per quæ posset impediri, ne totaliter eius affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Huiusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per *votum paupertatis*. Secundùm autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per *votum continentiæ*. Tertium autem est

S Quol 8. a. 10. c. 4 d. 38. 1. 2. 3. c. & a. 1. & a. 3. q. 2. & 3. & 2. 2. 88. 7. Quol. 3. a. 18. Quol 8. a. 10. c. Quol. 10. a. 11. ad 1.

Votum solemne, quid & in quo à simplici distinguatur.

T Quol. 8. a. 10. ot.

Cur votum simplex matrimonium contractum non dirimat.

V 2.2. 88. 7. ad 3.

Non idem est publicum ac solemne votum.

X 2.2. 186. 7. & a. 6. c. Op. 19. c. 1.

Ex tribus solemnibus votis status religionis integratus.

est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per *votum obedientiæ*. *Similiter* autem solicitudinis secularis inquietudo præcipuè ingeritur circa tria. Primò quidem circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc solicitudo per *votum paupertatis* homini aufertur. Secundò circa gubernationem vxoris & filiorum: quæ amputatur per *votum continentiæ*. Tertiò circa dispositionem propriorum actuum: quæ amputatur per *votum obedientiæ*, quo aliquis se alterius dispositioni committit. *Similiter* & holocaustum est, cum aliquis totum, quod habet, offert Deo. Habet autem homo Triplex bonum, secundùm Philosophum *in 1. Ethic.* Primò quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per *votum* voluntariæ *paupertatis*. Secundò autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipuè offert Deo per *votum continentiæ*, quo abrenunciat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per *obedientiam*, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo vtitur omnibus potentiis & habitibus animæ. Et ideò conuenienter ex tribus votis status religionis integratur. *Cum autem statum religionis, statum esse perfectionis diximus, cohærenter instruimur*, quòd secundùm triplicem Y viam perfectionis triplex commune votum in religionibus inuenitur: scilicet votum paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vsque ad mortem. Per votum paupertatis primam perfectionis viam (*scilicet per dimissionem temporalium*) religiosi assumunt, omni proprietati abrenunciantes. Per votum autem continentiæ aggrediuntur viam secundam (*scilicet per abdicationem corporalium affectionum & matrimonii*) matrimonio perpetuò abrenunciantes. Per votum autem obedientiæ maximè viam tertiam assumunt (*scilicet per abdicationem propriæ voluntatis*) voluntatem propriam abnegando. Hoc etiam triplex votum congruè religioni adaptatur. Nam religio *ex Augustino* non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur. Cultus autem, soli Deo debitus in sacrificii oblatione ostenditur. Offertur autem Deo sacrificium de exterioribus rebus, quando eas aliquis propter Deum largitur, secundùm illud Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostiis promeretur Deus*. Offertur etiam Deo sacrificium de proprio corpore: quando scilicet *Qui Christi, sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis*, vt dicit Apostolus ad Gal. 5. Vnde & ipse dicit Rom. 12. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*. Est etiam sacrificium tertium Deo acceptissimum, quando aliquis spiritum suum offert Deo, secundùm illud Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Sed sciendum, quòd sicut *Gregorius* dicit *super Ezech.* Hoc inter sacrificium & holocaustum distat, quòd omne holocaustum est sacrificium, & non omne sacrificium est holocaustum. In sacrificio enim pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri consueuerat. Cum ergo aliquis suum ali quid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est: cum verò omne quod habet, omne quod vtuit, omne quod sapit, Omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est; quod quidem impletur per tria vota prædicta. Vnde manifestum est, eos, qui eiusmodi vota Deo emittunt, quasi propter holocausti excellentiam antonomasicè religiosos vocari: *quod aiebat initio Author*. (*De singulis autem prafatis votis, distinctiùs Numeris sequentibus.*) *Ad hæc sanè religiosi adeò ex professione obstringuntur, vt vel ad Episcopatum promoti, nullatenus de obligentur*. *Vnde docemur*, *quòd* si qua Z sunt in regularibus obseruantiis, quæ non impediant pontificale officium; sed magis valeant ad perfectionis custodiam; sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, ad hæc remanet religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est obligationis signum. *Sed nec ab obedientia tunc soluitur*: hoc A est enim per accidens, quòd Episcopi religiosi obedire Prælatis suarum religionum non tenentur: quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati religionum. Manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet, quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, in quantùm tenentur obedire statutis regulæ & suis superioribus, si quos habent. *Vbi & de paupertate subditur*: Proprium autem nullo modo habere possunt: non enim, quia dicitur in decretis 18. Q. 1. *Quem sacra ordinatio de monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem iure vindicandi potestatem habeat*, paternam hereditatem vendicat quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ debitam. Vnde & ibidem subditur: *Quòd postquam Episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur, quod acquirere potuit, restituat*. Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, vt Apostolus dicit *Hebr. 9.* Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur, ex proprio facere testamentum, sed Apostolica authoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, vt eius dispensatio possit valere post mortem.

Y *Op. 18. cap. 11. & cap. præced. & 2. 2. 186. 1. c.*

Per triplex idem votum triplex assumitur perfectionis via.

Trium votorum conuenientia.

Holocaustũ in quo differat à sacrificio.

Religiosus holocaustum Deo offert. Per vota prædicta qui se Deo offerũt, antonomasicè *Religiosi* vocantur.

Z *2. 2. 185. 8. c. & q. 88. 11. ad 4.*

An ad hæc & alias obseruantias maneant obligati, si Episcopi fiant.

A *2. 2. 185. 8. ad 3. In 4. d. 38. 2. 4. q. 1. ad 5*

Testamentũ hi facere non possunt, nisi dispensentur.

P *At verò, qui religionem ingreditur, ad Christum nedum sequendum, sed & imitandum ingredi debet*. Sequentium B namque Christum non eadem intentio est: quidam enim eum sequuntur propter bona temporalia; alii verò propter bona spiritualia. Et ideò dicitur Io. 1. quòd *conuersus Iesus, & videns duos discipulos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis?* non quidem vt discat, sed vt rectam intentionem aperientes, magis familiares faciat, & ostendat eos auditione dignos. Notandum autem, quòd hoc est primum verbũ, quod Christus in isto Euangelio loquitur: & congruè, quia primum, quod quærit Deus ab homine, est recta intentio. *Et hinc inoleuit in Religionibus consuetudo, vt ab eo, qui religionem ingreditur, petat Superior*: Quid petis? *vt nimirùm accedentis innotescat intentio. Non enim omnes ad religionem accedunt, vt Christum sequantur, virtutum omnium exempla præbentem, sed cum turbis corporaliter pascentem; hoc est, vt sine labore manuum cibum, vestitum, & habitaculum obtineant, nil de spiritualibus cogitantes. Quò facit illud Domini ad turbas Io. 6.* Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. *Quasi diceret*: Propter C carnem me quæritis, non propter spiritum: quia scilicet, vt iterum pascamini. *Locum istorum tenent inquit Augustinus qui quærunt Iesum non propter se ipsum, sed vt aliqua commoda secularia consequantur*. Qui ergo non veniunt ad Christum propter virtutem, quam in eo vident, sed propter hoc, quòd ex panibus manducãt, non Christo seruiunt, sed suo ventri, vt dicitur *Philip. 3. & Ps. 48.* Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, *temporaliter videlicet & corporaliter*. *Et his quidem, cum religionem profitentur, nihil professio ad animæ salutem prodest, cum soli prodesse corpori studeant, de regulari disciplina nihil prorsus curantes. Quibus aptari potest illud Apostoli Rom. 2.* Circumcisio quidem prodest, si legem obserues. *Circumcisio prodest &c.* sicut D religiosis prodest professio, si regulam obseruent: circumcisio enim erat quasi quædam professio, obligans homines ad obseruantiam legis. *Si autem præuaricator legis*

Ad Christum nedum sequendum debet quis religionem ingredi, sed imitandum.

B *Io. 1. l. 15. lit. c. ibi.*

Primum quod quærit Deus ab homine, recta est intentio.

Non omnes propter spiritualem cibum, sed propter corporalem, religiosi fiunt.

C *Io. 6. l. 3. d. ibi.*

D *Rom. 2. l. 4 ibi.*

Exterior religionis habitus & tonsura religioso non prodest, nisi regulam obseruet.

legis sis, circumcisio tua præputium facta est; idest non plus ualet tibi, quàm præputium, quia non seruas, quod per circumcisionem profiteris. Quinimmò ex hoc sunt magis rei, quia non seruant, quod promiserunt: *Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio*, ut dicitur Eccle. 5. Et subdit: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu*. Non est enim uera circumcisio illa, quæ est *manifesta in carne*: illa enim est signum, Gen. 17. *Vt sit in signum foederis*: non est autem signum uerum, nisi ei respondeat signatum. Quia scilicet ille uerè est Iudæus, *qui est in abscondito*; idest qui habet in affectu cordis mandata legis, quam Iudæi profitentur. Et similiter circumcisio uera est, *quæ est cordis in spiritu*, idest per spiritum facta, per quam superfluæ cogitationes à corde præciduntur. *Non secùs & de quibusdam exteriùs dumtaxat religiosis dicendum est*. Habitus *enim* non facit Monachum (*aiebat, ni fallor, Aug.*) sed regularis obseruantia. Et *asceta ille* Thomas à Kempis *lib. 1. cap. 17.* Habitus & tonsura modicum confert: sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum. *Nam quid prodest claustralibus habitus religionis exterior, quid capillorum circumcisio, siue tonsura, si regulam non obseruent? Cum tamen eorum omnium, quæ promiserunt, & habitu protestantur, sese debitores constituerint. Vnde Apostolus ad Galatas* 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ. *Etenim* quicumque E profitetur in aliqua religione, facit se debitorem omnium, quæ ad obseruantiam illius religionis pertinent. Et numquam fuit ex *Augustino* aliqua religio sine aliquo uisibili signo, ad quod obligarentur qui in ipsa religione viuunt. Sicut in religione Christiana signum visibile est baptisma, ad quod omnes Christiani tenentur quoad cultum, & obligantur ad omnia, quæ ad cultum Christianæ religionis pertinent. Signum autem legis Mosaicæ fuit circumcisio. Quicumque ergo circumcidebat se, obligabatur ad omnia legalia seruanda ac implenda. *Ita & religiosus ad ea, quæ ad regulam spectant, quam profitetur. Et quidem ad aliquorum confusionem claustralium, videmus interdum seculares homines ea sponte seruare, quæ religiosi ex promissione obstricti minimè seruant*. Contingit (*inquit Author*) quòd F aliqui se obligant, qui non seruant; & aliqui implent, ad quod se non obligauerunt, ut patet *Mat.* 21. de duobus filiis, quorum unus patri dicenti: *Operare in uinea*, respondit: *Nolo*; & postea abiit: alter autem respondens ait: *Eo*; & non iuit. *Et hoc est, quia in religiosis aliquibus charitas refriguit, ne dicam, omninò defecit*.

E *Ad Gal. 5. l. 1 ibi.* Omnium ad eam spectantium debitorem profitendo se facit.

F *2. 2. 184. 4 fi. c.* Quidam obligati non implent, quæ non obligati sponte seruant.

q *Defecit inquam charitas, quæ in primis institutoribus vigebat & Patribus: quorum idcircò quidam filii degeneres sunt, immò neque filii. Vnde & Dominus ad Iudæos Io.* 8. Si filii *inquit* Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Nam &* Signum G filiationis alicuius est, quòd assimiletur ei, cuius est filius. Sicut enim filii carnales ut plurimùm parentibus carnalibus assimilantur, ita & filii spirituales (si sint uerè filii) debent spirituales parentes imitari, Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*. Et quantùm ad hoc dicit: *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*. Quasi dicat: hoc signum esset, quòd essetis filii Abrahæ, si eum imitaremini. *Attendite ad Abraham patrem uestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, Is. 51. *Ad opera igitur Patrum suorum attendant Claustrales, ut eos imitando, verè eorum filii dignoscantur, & fint Rom.* 9. Non omnes, qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, *idest*, Spirituales H filii Abrahæ, quibus Deus benedictionem repromisit; sed solùm illi, qui eius fidem & opera imitantur. *Quoniam uerò charitas est, ex qua tota pendet religionis perfectio: hanc studeant inuicem seruare in uinculo pacis, Ps.* 132. Ecce quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum. *Lites idcircò, & discordia cauenda, penitusque si extent ablegandæ ceu religiosæ unitatis destructiuæ. Vnde* Augustinus *in Regula*: Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis. *Hinc Apostolus 1. Cor. 6.* Iam quidem omninò delictum est in vobis, quòd iudicium habetis inter uos. *Videlicet*, quòd Frater I cum fratre (*ut præmiserat*) in iudicio contendit, non solùm malum est, sed *omninò delictum est in uobis*; idest, ad delictum uobis reputatur quòd *iudicia habetis inter uos*, inter quos scilicet debet esse pax, quia ut dicitur. 2. *Tim.* 2. Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes: *præcipuè uerò claustrales viros, quos uidetur arguere Dominus Is.* 58. Ecce ad lites & ad contentiones ieiunatis. *Quasi diceret: Vt quid ieiuniis carnē maceratis, ubi suscitatis litigia, unde tollitur charitas, sine qua ieiunia non prosunt: sine qua conuiuentium tollitur inquā pax? Tollitur optatissima pax, si non (ut par est) quaquā inter claustrales seruetur hierarchia, unde omne fere assis in religione litigium*. Est *autem* hierarchia ordinatio L comprehendens sub se diuersos gradus. Et hoc modo hierarchia dicitur ordo. Alio modo dicitur ordo gradus unus: & sic dicuntur plures ordines unius hierarchiæ, ut in Angelis. *Quem quidē ordinē tanti faciebat Apostolus Col.* 2. Spiritu vobiscum sum, gaudens & uidens ordinem uestrum, *idest* ordinatam M uestram conuersationem: *nam* ubicumque N est pluralitas sine ordine, ibi est confusio. *Est autem ordinata conuersatio, si frater laicus non se familiarem faciat clericorum: simplex sacerdos graduatorum, graduatus Rectorum: loca confundentes, & ministeria & personas, inter immeritos & emeritos non distinguentes; meritisque uacui, sedes emeritorum obtinentes: ex quo primi parentes delinquentes superbiæ typho (quo sedem sibi non debitam inordinatè appetiit) clauseri Paradisum in Infernum commutant*, ubi nullus ordo est, *ut dicitur Iob* 10. *Id quod intra monasterii septa simpliciter ab religiosis seruandum. Si verò exteriora spectamus, ad eos videtur Apostolus præcipuè loqui Philippens.* 4. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. *Quasi dicat*. Vita O vestra sic moderata sit in exterioribus, ut nullius offendat aspectum. *Quod aiebat & in sua Regula Aug.* In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem: *quam scilicet vel profitemini, vel profiteri debetis. Hanc verò modestiæ virtutem à Domino ediscant, de quo idcò dicitur Io.* 6. Cum subleuasset oculos Iesus; & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, &c. *ad innuendam ipsius singularem modestiam*: Vt P discamus (*inquit Author*) Christi maturitatem, oculos non erigentis hùc atque illùc, sed pudicè sedentis, & attentè cum discipulis suis: Contra quod dicitur Prov. 30. *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrecta*: & Eccli. 19. *Ex uisu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus*.

r *Quid si qui suas & in exterioribus, & in interioribus negligentes, promisso certò certiùs fraudabuntur præmio, Mat.* 19. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. *Subdit enim immediatè de his*: Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. *Quandoquidem illi* Q qui relinquunt aliquid propter Christum; vel omnia (*ut religiosi*) sine-

G *Io. 8. l. 5. lit. b. ibi.* Minùs boni, Patrum suorum filii degeneres.

H *Rom. 9. l. 2. ibi.* Ad charitatem & pacē in eis seruandam, ablegandæ lites.

I *1. Cor. 6. l. 2. ibi.*

L *2. p. q. 108. 2. ad 1. in 2. d. 9. 1. 1. ad 2.* Hierarchia in religionibus seruanda. Quid sit hierarchia.

M *Coloss. 2. l. 2. ibi.*

N *1. p. 42. 3. in* sed contra.

O *Philip. 4. l. 1. ibi.* Modestia religiosis colenda.

P *Io. 6. l. 1. lit. a. ibi.*

Q *Mat. 19. fi. cap. ibi.* Religiosi negligentes præmio fraudabuntur promisso Mat. 19.

si negligenter viuant, non habebunt istud præmium; quia imperfectè religionem assumpserunt, & non erunt primi, sed nouissimi. *Quin & acriùs punientur, sicut dicitur ad Pharisæos Mat. 23.* Propter hoc amplius accipietis iudicium; *ampliùs nimirùm*: quia R sicut habetur *Luc. 12.* Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis. *Enimuerò* peccatum S quod à religiosis committitur, potest esse grauius peccato secularium eiusdem speciei tripliciter. Vno modo, si sit contra votum religionis; puta si religiosus fornicetur, vel furetur, quia fornicando facit contra votum continentiæ, & furando, contra votum paupertatis, & non solùm contra præceptum diuinæ legis. Secundò si ex contemptu peccet, quia ex hoc videtur esse magis ingratus diuinis beneficijs, quibus est sublimatus ad gradum perfectionis. Sicut Apostolus dicit *Hebr. 10.* Quòd fidelis grauiora meretur supplicia ex hoc, quòd peccando filium Dei conculcat per contemptum. Vnde & Dominus conqueritur Ier. 11. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Tertio modo peccatum religiosi potest esse maius propter scandalum quia ad vitam eius (*nota*) plures respiciunt. Vnde dicitur Ier. 23. *In prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua.* (Si verò religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate vel ignorantia aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committit absque scandalo, putà in occulto: leuiùs peccat eodem genere peccati, quàm secularis: quia peccatum eius, si sit leue, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit, & si sit mortale, faciliùs ab eo resurgit.) *Et de hoc quidem expressa habetur parabola Domini Mat. 21.* Homo quidam habebat duos filios; & accedens ad primum dixit: Fili *vade hodie, operare in vinea mea.* Ille autem respondens, ait; *Nolo.* Postea autem, pœnitentia motus, abijt. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: *Eo, Domine*: & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: *Primus.* Illi T duo filij sunt clerici, *siue religiosi*, & laici. Et agitur de obedientia. Vinea Dei iustitia est. *Operare ergo in vinea*; idest, operare iustitiæ. Primus respondens, ait; *Nolo.* Et hoc nihil aliud est, quàm contemnere mandata Dei. Sed post sequitur adimpletio; *postea pœnitentia ductus, abiit.* Secundus respondens ait; *Eo, Domine*: profitetur enim iustitiam se seruaturum, Exod. 24. *Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus.* Sic etiam dicunt clerici & quicumque religiosi. Vnde promisit ire, *& non iuit*, Malach. 2. *Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum &c.* Tunc expetit sententiam: *Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* Primus non promisit, sed fecit. Secundus promisit, & non fecit. *Respondent, & dicunt ei; Primus.* Quia melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere, 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti &c.* Est enim ibi duplex peccatum; peccatum inobedientiæ, & transgressio voti. *Idcircò ait im Dominus subiecit*: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regno Dei; *idest*, magis appropinquant ad regnum. *Vtinam ita non esset! At venia quodammodò digni forent, nisi quidam (quod Deus auertat) manifestè ex contemptu peccarent.* *Quocirca sciendum, quòd* in regula V continetur aliquid dupliciter. *Vno modo*, sicut finis regulæ, putà ea, quæ pertinent ad actus virtutum; & horum transgressio, quantùm ad ea, quæ cadunt communiter sub præcepto, obligat ad mortale; Quantùm verò ad ea, quæ excedunt communiter necessitatem præcepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum, quia religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus: *Alio modo* continetur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores obseruantiæ, inter quas sunt quædam, ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam; alia verò omnia ad hæc ordinantur. Et ideò transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ, quia hoc directè contrariaretur professioni, per quam aliquis vouit regularem vitam, vel propter præceptum, siue oretenus à Prælato factum (*immò in Ordine nostro & in scriptis*) siue in regula expressum: quia hoc esset facere contra obedientiæ votum. *Verumtamen non semper, nec tam facilè dicendus est religiosus ex contemptu peccare: sed verè tunc* X committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ. Et ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem è conuerso propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. *Cauendum tamen ab hac transgressione frequenti: sic enim facilè quis disponitur ad damnabilem contemptum: & quia corruptio optimi pessima (vt communiter asseritur.)* Si qui Y perueniant ad hoc, quòd ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & maximè incorrigibiles, secundùm illud Ier. 2. *Confregisti iugum meum rupisti vincula mea, & dixisti:* Non seruiam. *Vnde Augustinus dicit in Epistola ad plebem Hippon.* Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasterijs profecerunt; ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt. *Et hi sunt, qui Superiores quotidiana consuetudine detractione mordere, contra illud, quod dicitur*: Dijs non detrahes, *Exod. 22.* idest Z Prælatis; *quasi ipsi difficillima imponant, & importabilia. Ad quos Apostolus Philipp. 2.* Omnia facite sine murmurationibus: *Siquidem* opera A virtutum sunt difficillima, & in his habet locum murmuratio, 1. Cor. 10. Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. *Vbi innuitur debita murmuratoribus pœna: quæ & figuratur Exod. 19. cum dicitur*: Bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. *Et 2. Reg. 6.* Oza percussus est à Domino, quia tetigit Arcam. *Etenim* tunc B Prælatus inordinatè videtur tangi, quando irreuerenter obiurgatur, vel quando ei detrahitur. Et hoc significatur per contactum Montis & Arcæ, damnatum à Deo. *Vnde & dicitur in Ps. 104.* Nolite tangere Christos meos. *Detrahunt autem, quia proprio viuere arbitrio non permittuntur; seculares quippe libertatem spiritus habere volunt, diabolicum que arbitrium, quicquid libuerit faciendi, liberiùs etiam, quàm seculares: similes Monachis illis, de quibus* in Collationibus C Patrum dicitur, deterrimum genus Monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes, absoluti à seniorum iugo, habent libertatem agendi quod libitum fuerit. *Quales sub pietatis pallio erant suo tempore & Pharisæi* D qui speciem religionis habebant: *contra quos tamen indignatur Dominus, iustèque minatur pluriès Mat.*

Margin notes:

Et grauiùs punientur.

R Mat. 23. lit. a. §. ibi.

S 2.2. 186. 10. c. & 184. 8. §. c. In 3. d. 14. 1. 54. 3. ad 2.

Peccatum idem à religioso commissum, tripliciter grauius, quàm seculare.

Parabola ad hoc exponitur de duobus filijs Mat. 21.

T Mat. 21. lit. k. ibi.

V 2.2. 186. 9. c. & 4. 2. c. & ad 1. Quol. 1. a. 20

An transgressio regulæ inducat religioso mortalem culpam.

Quandonam dicatur ex contemptu transgredi.

X 2.2. ibid. a. 9. ad 3.

Y 2.2. ibid. a. 10. ad 5.

Peccantes ex contemptu pessimi, & incorrigibiles.

Z Io. 10. l. 6. lit. c. ibi, Dij estis. Hi superioribus perpetuò detrahunt.

A Philip. 2. l. 4. ibi.

Sed puniuntur à Deo.

B 2.2. 33. 4. ad 2.

C 2.2. 186. 5. ad 5.

Monachi Sarabaitæ quinam essent.

D Io. 11. l. 7. lit. b.

Pharisæi quædam religiosorum species.

Mat. 23. Væ vobis Pharisæi hypocritæ &c. Sane Pharisæis non absimiles, praui quidam sunt religiosi, in exteriori habitu pietatem simulantes (veniunt ad vos in vestimentis ouium) vt faciliùs decipiant. Exteriora enim E opera hominis sunt quasi quædam professio interioris hominis: sicut religiosi ad hoc habent habitum, & clerici similiter. Vnde nisi concordet interior cum exteriori, est fictio. Ita etiam de alijs operibus interioribus. Interiùs enim debemus colere pietatem; idest, cultum Dei habere; exteriùs verò promittere & protestari per bona opera, quæ concordant pietati: & similiter habere interiùs, sicut ostendimus exteriùs. Aliter hypocritæ sumus.

Exteriora hominis opera, professio quædam hominis interioris.

E 1. Tim. 2 l. 2. fi.

(Eiusmodi, religiosi ne sint, quibus immò minimarum etiam obseruantiarum omissiones cauendæ, seu quæ impediunt ad perfectionem progressum. Sicut F cum aliquis impeditur, ne surgat ad matutinas, quia nimis vigilauit in sero, circa aliquid se occupando: putà in confabulationibus serotinis, vt sæpe sæpiùs euenire consueuit. Id quod & in cæteris ex nimia frequenter ociositate deriuatur, quæ mortifera est claustralium pestis: Multa enim malitiam docuit ociositas, vt dicitur Eccli. 33. ingraduatis religiosis præsertim, qui & à choro in præcedentium laborum studiorumque præmium solent dispensari: neque enim ex hoc ociari debent, sed curare vt quod G psallendi officio subtrahitur, scribendi studio compensetur. Siquidem superfluè nunquam animum ad studia nostrum applicamus, cum moneat Sapiens Eccle. 12. Faciendi plures libros nullus est finis. Et Eccli. 39. Cogitaui, & scripta dimisi: Omnia opera Domini bona: & omne opus hora sua subministrabit. Præ cæteris autem in claustralibus damnandus vanus per vrbem absque vlla necessitate discursus, ex leuitate animi, aut lucri cupiditate proueniens. Quod H enim Augustinus dicit, quosdam Monachos nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, arguit eorum discursum ex leuitate procedentem, vel potiùs ex cupiditate. Vnde subiungit, quòd propter lucrum quærendum discurrebant. Et in hoc reprehensibiles erant. Qualis animi leuitas describitur Ier. 14. Populus hic dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. Quod quidem ad discursum I ex leuitate procedentem referendum est: quod patet ex hoc, quod dicit, dilexit mouere pedes suos. Eis enim, quæ ex leuitate mouentur, hoc ipsum, quod circumeunt, appetibile videtur. Et huc mysticè allusit Ioannes in sua Apoc. c. 6 his verbis: Et stellæ de Cœlo ceciderunt super terram; idest claustrales L viri de celesti vita ad terrena (secundùm illud: Cella mihi Cœlum) vel de claustrali ad Mundanam, Mat. 24. Stellæ cadent de Cœlo, idest Monachi exibunt de claustro discurrentes per Mundum propter diuitias terrenas, Exod. 5. Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Sicut ficus emittit grossos suos: ita emittit claustrum inutiles Monachos ad peragendum negocia terrena, vel ad causas tractandas. Vnde & docemur, quòd si M Monacho opportunitas corripiendi aduenerit, corripere tenetur, sed non tenetur quærere delinquentem, exiens claustrum, aut Ordinis sui statuta frangere, ne ipse in periculum incidat, à quo alium liberare tenetur. (Nec tamen, ad proximorum salutem procurandam, prudentum, seniorumque religiosorum discursus damnatur, sed iuniorum dumtaxat, & inutilis.) Eo verò damnabilior redditur vanus huiusmodi discursus, vbi solus è claustro egrediens, religiosus incesserit (si, foro iam notum, procuratorem excipias;) tum quia suspicio secularibus ingeritur, tum ob singularis indecentiæ in protessus. Neque laudabilis religionum consuetudo, vt bini religiosi incedant, perperam introducta est; ab Apostolis enim omnis est religio deriuata (vt in superioribus visum fuit) de quibus dicitur Marc. 6. Dominus vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos. Binos autem N Apostolos misit, vt fierent promptiores: quia (vt ait Ecclesiastes cap. 4.) Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cum ceciderit, non habet subleuantem se. Sic & Religiosi, Apostolorum discipuli & imitatores; qui debent O esse & gemini per dilectionem Dei & proximi quapropter sumuntur feruescere, & ideò bini procedunt. Neque ex eo, quòd solitariam vitam sociali excellentiorem dixerimus, sibi soles incedere putent licere. Nam solitaria vita perfectorum est: qui Ciuitatem non circumeunt, sed à secularibus immò plenè recedunt. Solitaria itidem contemplationi intendit, non actioni, qua soli procedentes, Mundi diaboli carnis plerunque negocium agunt. Igitur corde & affectu è Mundo potiùs completè exeant, à quo per funiculum solummodò egressi quidam sunt; non iterùm adeant & ineant. Dicitur enim Io. 4. Quòd exierunt homines de ciuitate, & veniebant ad Iesum. Quibus verbis datur P intelligi, quòd si ad Christum ire volumus, oportet nos exire de Ciuitate; idest amorem carnalis cupiditatis deponere: quod est, affectu de Mundo exire, Hebr. 13. Exeamus ad eum extra castra, idest Q extra communem societatem carnalium, vel solà mente Deo inhærentes, extra sensus corporis. (Sequitur etiam: improperium eius portantes, idest signa passionis Christi, per quæ Christus factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis, vt dicitur Ps. 21. Quales, nostro præsertim tempore effecti sunt propter Christum religiosi; ita vt cum Apostolo 1. ad Cor. 4 dicere possint: Tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc; idest reputati R sumus, vt per nos Mundus inquinetur. Dicitur autem peripsema quodcumque purgamentum, puta vel pomi, vel ferri, vel cuiuscumque alterius rei. Et hoc vsque adhuc: quia scilicet continuè hoc patimur. Sed quandoque deficiet, secundùm illud Sap. 5. vbi ex ore impiorum dicitur, Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Et postea subditur: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.) Hinc idem Apostolus: Et si quidem ipsius (patriæ) meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, idest cælestem, ad Hebr. 11. In quo S significatur, quòd illi, qui exeunt de vanitate seculi, non debent illuc redire mente; vnde Ps. 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; & Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei; & ad Philip. 3. Quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei. Quæ retrò sunt obliuiscens; scilicet T temporalia lucra, vel temporalia bona. Ad ea verò quæ priora sunt, scilicet ad cælestia, extendens me ipsum; qui enim aliquid vult capere, extendit se quantùm potest. Sed ad quid tendit? Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis: quod est præmium solius currentis, 1. Cor. 9. Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.

Minimæ etiam obseruantiæ religiosis non omittendæ.

F Ma. 2. 1. init. & fi. c.

Ocium cauendum.

Dispensati in studiorum præmium à choro, studijs adhuc vacent.

G Opusc. 15. Præfat.

Vanus extra claustra discursus in eis damnatur.

H Op. 19. c. 10. circa fi. 2. The. 3. l. 2. ibi, panem.

I Eod. Opusc. fi. cap. eiusd.

L Apoc. 6. com. 2. §. 6 ibi.

M 4. d. 19. 2. q. 1 ad 4.

Præsertim, si qui soli procedant.

N Cat. Aur. Marc. 6. lit. b. ibi.

O Apoc. 2. com. 2 §. 4. ibi, oculos.

Exeundum eis perfectè de Mundo corde & affectu.

P Io. 4. l. 3. lit. b. ibi.

Q Hebr. 13. l. 2. ibi.

Religiosi modò apud Mundum, opprobrium hominũ & abiectio plebis.

Peripsema quid.

R 1. Cor. 4. l. 2. fi.

S Hebr. 11. l. 4. ibi.

Religiosus ad mundanam vitam non retrospiciat.

T Philip. 3. l. 2. ibi.

t Sanè aliter V non potest vinci Mundus, nisi per exitum ab eo. Sed qui exit, debet exire totaliter, vt nihil de Mundo secum ferat, nec de suo aliquid ferat, nec de suo aliquid in Mundo relinquat. Quidam exeunt de Mundo corpore, sed dimittunt in eo cor, idest affectum suum in Mundo: qui licet corpore sint in claustro, tamen corde & cogitatione sunt in Mundo. Sicut solet dici: Corpus in Choro,

V Apoc. 6. com. 2 § 1 ibi, vincens.

Mundus non vincitur nisi per exitum ab eo totaliter, quod potissimè religiosis incũbit.

Cor

ter infore. Et tales significantur per uxorem Loth, quæ post exitum de Sodomis, retrò respiciens, mutata est in statuam Salis, *Gen.* 19. (& hoc X factū est in signum, quòd exeuntes de sæculo, & assumentes regularē uitam, & tandem corde, quæ retrò sunt respicientes, sunt hypocritalis status: quæ sibi quidem mortua est, aliis verò dat saporem, & sensum benè viuendi.) Statua figuram hominis habet, & non ueritatem: sicut Claustralis, cuius cor est in Mundo, figuram habet monachi, sed non veritatem. Vnde 1. *Reg.* 19. Nuncii Saul credentes inuenire Dauid in lecto suo, idest monachū in claustro, non inuenerunt, nisi statuam, & pellem capræ, idest habitum monachalem sine monacho. Similiter Petrus & Ioannes, credentes inuenire Iesum in sepulchro, non invenerunt, nisi sudarium, ut dicitur *Io.* 20. Ideò Abrahæ, iam egresso de Chaldæa, dixit Dominus Gen. 12. *Egredere de terra tua.* Vbi Augustinus: *Egressus* inquit, *erat iam corpore, sed adhuc illic tenebatur mente.* Alii exeunt de Mundo, Licet enim corde & corpore exierint de Mundo sed non totaliter, quia non toto Mundó quoad diuitias: tamen cor eorum occupatur deliciis Mundi; & sæpè cogitando de divitiis, quas habebant in Mundo, pœnitent exiuisse de Mundo. Et tales significantur per Iudæos, qui in deserto suspirabant ad ollas carnium Ægypti. Vnde dicebant Num. 11. *Quis dabit nobis ad vescendū carnes?* Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, idest sine labore: in mentem nobis ueniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Alii exeuntes de mundo, portant secum multa de mundo. Quidam honores ipsius, quos adhuc ambiunt in religione. Alii divitias, alii delicias, alii mores mundanos, v. g. modum eundi seculariter, modum loquendi, modum comedendi, & huiusmodi gestus seculares. Et tales significantur per Rachel, quæ *furata est idola Laban, & abscondit subter stramenta Cameli*, ut dicitur Gen. 31. Quæ sunt idola Laban, nisi honores Mundi, & diuitiæ, & deliciæ, quas multi abscondunt super stramenta Cameli, idest sub pannis claustri? Sed timendum est, quod dicit ibi Iacob: *Apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris*. Et hoc est, quod dicitur Is. 14. *Perdam Babylonis* (*quæ pro mundo accipitur*) *nomen*, idest uerba secularia, & *reliquias*, idest gestus seculares, & *progeniem*, idest opera secularia, & *germen*, idest secularia desideria. Quod dicitur & ad Tit. 2. *Abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè uiuamus*: sobriè nobis, piè Deo, iustè proximo. Hoc est etiam quod dicitur Abrahæ Gen. 12. *Egredere de terra*, idest de carne, *tua*: *& de cognatione*, idest de parentela, *tua*: *& de domo patris tui*, idest de amore Mundi: *& sic veni in terram* &c. *Quod dictum sit contra eos* (*si qui pauci sunt*) *qui suave religionis iugum excutiunt, ut liberiùs mundo viuant, non Deo. Nec mirum, ubi tot ad normam Apostolorum vitam degunt, vel unū de eorundem collegio aliqui in malo sequantur: quem corporaliter & spiritualiter periisse, stupendum nec est: quando dicitur Io. 13.* Cum accepisset bucellam, exiuit, *de Apostolico utique Collegio cui proinde post malum & scandalosum inde egressum, debita æterna pœna finalis innuitur, dum subiicit Euangelista*: Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis: *videlicet quia* in hoc Y facto, quòd scilicet Iudas exivit ab Apostolis, repræsentatur figura futuri iudicii, ubi mali separabuntur à bonis, cum *statuet oves à dextris, hædos autē à sinistris*, ut habetur *Mat.* 25. In hoc ergo quòd Iudas *exiuit*, quia futurū iudiciū figurabatur. ideò Dominus post exitum Iudæ, agit de gloria iudiciariæ potestatis, qua iudicaturus est, *dicens*: Hunc clarificatus est filius hominis. *Quàm malus & noxius exitus. Discant hinc ad religionem vocati, non tam facilè quocumque prætextu exire; ne cum* filio perditionis *ad perditionem egrediantur. Verùm, cum proditor impiùs sponte suā ad perditionem exierit: nunquid, si qui mali in Collegio religiosorum sunt, à religione expellendi?* Et quidem Apostolus 1. *Cor.* 5. Auferte *inquit* malum ex vobis ipsis: *idest*, de vestra Z societate eiicite, *secundùm illud Deut.* 13. Auferes malum de medio tui. *At notandum, quòd* aufertur A aliquis aut per pœnam corporalem & per hoc, manifestum est, quòd aufertur etiam ille, qui vellet pœnitere quantumcumque: sicut homicida suspenditur quantumcumque peniteat. Vel per pœnam spiritualem: & hoc Ecclesia non facit, nisi quis esset contumax. Et ratio huius est: quia per pœnam corporalem aufertur aliquod temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum. Sed bonum spirituale, quod amittitur, non potest recompensari. Et ideò non debet religio infligere talem pœnam, quandiu vult corrigi: quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita & expulsio à religione. Et ideò dicendum, quòd nullus est nisi propter contumaciam expellendus, sed est sequestrandus in carcere, vel alio modo puniendus. DISCE, *quæ vouendo promisisti, Deo reddere. Vide* Ambitio, Amor hominis erga Deum, Clericus *Tomo* 1. Doctor Ecclesiasticus *Tom.* 2. Mundus, Negligentia, Ocium.

X Gen. 19. ibi,

Th. 13. l. 6. lit. n. ibi,

Non tam facilè Claustrales à religione egrediantur:

Z 1. Cor. 5. lec 3. §.

A Quol. 12. a. 36. Quol. 3. a. 13 In 4. d. 16. exp. tex.

Num, si qui mali sunt, à religione expellendi.

II. Inter ea, quæ sequuntur ad paupertatem, ad perfectionem spectantia, possunt computari & virginitas & martyrium & omnia perfectionis opera; non tamen sunt ita principalia, sicut paupertas, quia principium est maxima pars rei. *In 4. d. 47. 1. 2. q. 2. ad 2.*

u HActenus de statu religionis, *qui perfectionis est, tractatum habuimus: nunc de tribus singillatim votis, ex quibus status religionis integratur. Præmisimus autem, quòd* secundùm triplicem B viam perfectionis, triplex commune votum in religionibus inuenitur. Per votum verò paupertatis primam perfectionis uiam religiosi assumunt. *Certum quippe est, quòd* status C religionis est quoddam exercitium & disciplina, per quā pervenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis affectū suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit enim *Aug. in* 10. *Confess.* ad Deum loquens: *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Vnde & *in l. 83. Quæst.* dicit, quòd *nutrimentum charitatis est diminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas.* Ex hoc autem, quòd aliquis res mundanas possidet allicitur animus ejus ad earum amorem. Vnde & *Chrisostom. dicit* super Mat. quòd *appositio divitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido.* Et inde est, quòd ad perfectionem charitatis acquirendam, primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio viuat, dicente Domino Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me.* Primum *inquam* fundamentum est: *nam et Sancta Ecclesia in paupertate fundatur: sicut ab opposito* Ecclesia malignantium *in diuitiis. Docemur enim quòd* à Cain D incepit ecclesia malorum, & Ecclesia bonorum ab Abel. Cain interpretatus *possessio*: Abel interpretatur *nihil hoc*: quia malorum Ecclesia surgit & fundatur super diuitias: Ecclesia verò bonorum ex paupertate surgit, & super paupertatem fundatur. Ecclesia malignantium termina-

Per votum paupertatis prima assumitur perfectionis via.

B Op. 18. c. 11.

C 2. 2. 186. 3. c. Op. 17. c. 15. Op. 18. c. 7. & 8. Op. 19. c. 1. & 3. con. G. à cap. 131.

Paupertas religioso necessaria.

Paupertas voluntaria primum ad perfectionem fundamentum.

Et ipsa sancta Ecclesia in paupertate fundatur.

D Apoc. 13. cō. 2. §. 1. ibi, capita septem.

tur in Antichristum, qui est vltimum Caput Ecclesiæ malorum: Ecclesia bonorum terminatur in Christum pauperem, qui est vltimum caput Ecclesiæ bonorum. *Igitur* in perfectione E spiritualis vitæ principium esse videtur, vt tendens ad perfectam spiritualium bonorum participationem terrena bona contemnat. Non autem consistit perfectio in ipsa temporalium bonorum desertione: sed hæc est via ad perfectionem. *Quam quidem paupertatem & Dominus noster in se ipse elegit*; *&* discipulos F simul & turbas instruens, a paupertate principium sumpsit, cum ait *Mat.* 5. Beati pauperes spiritu. *Et iterùm*; Electis G duodecim Apostolis, ad prædicandum eos mittens, concessa eis miraculorum potestate, inter cætera vitæ documenta, primò inducit paupertatis doctrinam, dicens *Mat.* 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via &c. *Iddircò & pauperes ad suam sequelam elegit*, *Iac* 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc Mundo? *Siquidem* in Apostolos H elegit piscatores, in Patriarchas pastores, *Gen.* 47. Pastores ouium sumus. *Ad hanc quoque paupertatem seruandam hortatur Luc.* 5. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam; *præmiumque eam custodientibus repromittit*: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum, *Mat.* 5. *Hinc* mos I erat in primitiua Ecclesia (sicut legitur *Act.* 4.) vt conuerti ad fidem, venderent possessiones & omnia, quæ habebant, & pretium ponerent ad pedes Apostolorum; & de eis vnicuique, prout opus erat, prouiderent; vt sic nullus haberet proprium, sed essent illis omnia communia. Et sicut dicitur *in Collat. Patrum*, omnis religio ab illa Sancta Societate sumpsit exordium.

E 2.2. 19. 12. ad 1.

Christus ipse paupertatem elegit, pauperes ad Apostolatum vocauit, primò paupertatem edocuit.

F Op 17. c. 15. Op. de er. Pr. l. 4. c. 7.

G Op 17. loco cit. Pot. 6. 9. c.

H Iac. 2. §. 2. ibi.

I 1. Cor. 16. l. 1. sub initio.

In primitiua Ecclesia nihil proprium, sed omnia communia.

X *De paupertate autem seruanda* manifestè L apparet ratio diuini consilij. Consilium enim datur de eo, quod vtilius est, secundùm illud Apostoli. 2. Cor. 8. *Consilium in hoc do: hoc enim vobis vtile est*. Vtilius autem est ad vitam æternam consequendàm, diuitias abijcere, quàm eas possidere: quia possidentes diuitias *difficilè intrant in regnum Cœlorum*, Mat. 19. eo quòd difficile sit, affectum diuitijs possessis non alligari: quod iam facit impossibilitatem intrandi in regnum Cœlorum. Salubriter ergo Dominus consuluit tanquam vtilius, vt diuitiæ relinquerentur. Sed potest aliquis contra præmissa obijcere: quia Matthæus, Bartholomæus, & Zacchæus diuitias habuerunt; & tamen in regnum Cœlorum intrauerunt. Sed hoc *Hieronymus* soluens, dicit: *Considerandum est, quòd eo tempore, quò intrauerunt, diuites esse desierunt*. Sed cum Abraham nunquam diues esse desierit, quin potiùs in diuitijs mortuus fuerit, & eas in morte filijs reliquerit; videtur secundùm prædicta non fuisse perfectus: cum tamen ad eum Dominus dixerit Gen. 17. *Esto perfectus*. Quæ quidem quæstio solui non posset, si perfectio vitæ Christianæ in ipsa dimissione diuitiarum consisteret: sequeretur enim, quòd qui diuitias possidet, non posset esse perfectus. Sed si verba Domini diligenter considerentur, non in ipsa diuitiarum dimissione perfectionem posuit; sed hoc ostendit esse quasi quandam perfectionis viam, vt ipse modus loquendi ostendit, cum dicit Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me*: quasi in sequela Christi consistat perfectio, dimissio verò diuitiarum sit perfectionis via. Potest ergo contingere, quod aliquis diuitias possidens, perfectus fuerit, non quidem habens animum diuitijs irretitum, sed totaliter Deo coniunctum: & hoc figurant verba Domini ad Abraham dicentis: *Ambula coram me, & esto perfectus*: quasi in hoc eius perfectionem ostendens esse, quòd coram Deo ambulauerit, cum perfectè amando, usque ad contemptum sui, & suorum omnium, quod maximè ex immolatione filij demonstrauit. Vnde & ei dictum est. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi &c.* Gen. 22. Siquis verò ex hoc arguere velit, inutile esse consilium Domini de diuitijs dimittendis, quia Abraham diuitias possidens, fuit perfectus: ad hoc patet iam responsio ex prædictis. Non enim Dominus ea ratione hoc dedit consilium, quasi diuites perfecti esse non possint, aut intrare in regnum Cœlorum; sed quia non de facili possunt: (*ex eius quippe verbis* non intelligitur M quòd ipsa paupertas sit perfectio; sed perfectionis instrumentum, *ad ipsam nimirùm habendam*.) Magna ergo fuit virtus Abrahæ, quia etiam diuitias possidens, à diuitijs liberum animum habuit. Sicut & magna virtus fuit Samson, qui absque armis cum sola mandibula asinæ multos hostes prostrauit; nec tamen consilium inutiliter datur militi, vt ad bellum accedens, assumat arma ad hostes vincendos. Nec ergo inutiliter datur consilium perfectionem desiderantibus, vt dimittant diuitias, quia in diuitijs Abraham potuit esse perfectus: facta enim mirabilia non sunt ad consequentiam trahenda, quia infirmi ea magis mirari & laudare possunt, quàm imitari. Vnde & Eccli. 31. dicitur: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia & thesauris*. Magnæ enim virtutis diues esse ostenditur, & perfecta charitate fixus in Deo, qui ex affectu diuitiarum maculam peccati non trahit, qui post aurum concupiscendo non vadit, nec de diuitijs confidendo, per superbiam super alios se extollit. Sed quantò diuitis taliter instituti maior est beatitudo & virtus, tantò talium diuitum minor est numerus; vnde subditur: *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua*. Vere enim mirabilia facit qui in diuitijs affluentibus cor non apponit. Et si quis talis est, absque dubio probatur perfectus; vnde sequitur: *Qui probatus est in illo*, (idest in hoc, quòd absque macula diuitias habeat) *& perfectus est*: & hoc *erit illi gloria æterna*.

L Opusc. 18. c. 7. & 8.

Dominici vtilitas consilij de paupertate seruanda.

Obiectio soluitur.

Alia de Abraham enucleatur quæstio.

Perfectio non est in dimissione diuitiarum, quæ est perfectionis via; sed in sequela Christi.

M 2. 2. 188. 7. ad 1. & 184. 3. c.

Paupertas voluntaria non est perfectio, sed perfectionis instrumentum.

Y *Porrò magnam paupertas remunerationem habet: ex paucorum scilicet temporalium dimissione maxima habetur abundantia spiritualium bonorum. Quod ait Apostolus* 2. *Cor.* 8. Christus propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. *Videlicet*, vt illius N paupertate in temporalibus vos diuites essetis in spiritualibus. Et hoc est propter duo, scilicet propter exemplum, & propter Sacramentum. Propter exemplum quidem: quia si Christus dilexit paupertatem, & nos exemplo suo debemus eam diligere. Diligendo autem paupertatem in temporalibus, efficimur diuites in spiritualibus, Iac. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in Mundo, diuites in fide &c.* Propter Sacramentum autem: quia omnia, quæ Christus egit, vel sustinuit, fuit propter nos. Vnde sicut per hoc, quòd sustinuit mortem, liberati sumus à morte æterna, & restituti vitæ; ita per hoc, quòd sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopia in spiritualibus, & facti in spiritualibus diuites, 1. *Cor.* 1. Diuites facti estis in illo in omni verbo, & in omni scientia &c. *Et hoc est, quod dicitur Apoc.* 2. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam: sed diues es. *Nimirùm* in augmento O virtutis & spe remunerationis in spiritualibus, licèt pauper in temporalibus: diues in Cœlo, licèt pauper in Mundo, Luc. 12. *Thesaurum non deficientem in Cœlis*. Paupertati enim debetur regnum Cœlorum, *Mat.* 5. *Ex quo* satis P patet, quòd pretiosa res est paupertas, cum

Ex paupertate temporalium abundantia spiritualium, & cœlestium.

N 2. Cor. 8. l. 2. ibi.

O Apoc. 2. Com. 2. §. 2. ibi.

P Serm. 2. de mortuis.

cum per eam acquiratur Cœlorum regnum, quod per sinum Abrahæ significatur, Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*. Venale habeo (*inquit Augustinus*) & quid? Regnum Cælorum. Quanti emitur? Paupertate regnum, luctu gaudium, morte vita. *Et ideò aiebat Dominus Mat.* 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. *Beati pauperes*: quasi Q non beati affluentes. Et dicit, *spiritu*: Quia quidam pauperes necessitate sunt, sed non debetur illis beatitudo; sed illis, qui voluntate. Et isti dicuntur dupliciter: quia & si aliqui diuitias habent, tamen non habent eas in corde, Ps. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Aliqui nec habent, nec affectant; & istud securius est, quia mens trahitur à spiritualibus ex diuitiis. Et isti dicuntur propriè *pauperes spiritu*, quia actus donorum, qui sunt supra humanum modum, sunt hominis beati: quòd autem homo omnes diuitias abiiciat, vt nec aliquo etiam modo eas appetat, hoc est supra humanum modum. Illis autem repromittitur regnum cælorum. In quo notatur non solùm altitudo honoris, sed affluentia diuitiarum cælestium. Et nota, quòd Moyses primò promisit diuitias, Deut. 28. *Faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis Gentibus*. Et infrà: *Benedictus tu in Ciuitate, & benedictus in agro &c.* Et ideò vt distinguat Dominus legem veterem à noua, primò ponit beatitudinem in contemptu diuitiarum temporalium. Item *secundùm Augustinum* ista beatitudo pertinet ad donum timoris, quia timor, maximè filialis, facit habere reuerentiam ad Deum, & ex hoc contemnit homo diuitias. Ponit autem *Isaias* beatitudines descendendo, Is. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilii & fortitudinis: spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini*. Christus è conuerso à dono timoris incipit, scilicet à paupertate, quia Isaias prænunciauit aduentum Christi ad terram: Christus autem de terra sursum trahebat. *Neque ex eo, quòd promiserit Dominus*,: Beati pauperes spiritu, *damnanda est actualis temporalium rerum abdicatio, vti Vigilantius & alii erroneè senserunt: siquidem* asserunt R paupertatem laudari in sacra scriptura, non actualem, qua aliquis se rebus temporalibus expoliat, sed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etsi re possideat. Ad ostendendum autem, paupertatem actualem ad Euangelicam perfectionem pertinere, assumatur primò illud, quod dicitur Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia &c.* Ille autem, qui sua vendit omnia, & pauperibus tribuit, non solùm habitualem paupertatem eligit, sed etiam actualem. Item perfectio Euangelica consistit in imitatione Christi; sed Christus non solùm voluntate, sed etiam realiter fuit pauper. Vnde super illud Mat. 17. *Vade ad mare &c.* dicit glossa: *Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributum solueret, non haberet*. Et super illud Luc. 9. *Vulpes foueas habent &c.* glossa dicit: *Ego sum tantæ paupertatis, vt nec hospitium quidem habeam, nec meo vtar tecto*. Item perfectio Euangelica in Apostolis maximè claruit. Ipsi autem actualem paupertatem habuerunt, sua omnia relinquentes. Vnde Petrus dixit ad Iesum Mat. 19. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Et ideò dicit Hieronymus ad Hebidiam: *Vis esse perfecta, & in primo stare vestigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem. Et nudam, solamque Crucem nuda sequaris, & sola*. Ergo actualis paupertas ad euangelicam pertinet perfectionem. *Immò & hoc Apostolis à Domino expressè impositum est, cum ad prædicandum misisset Mat.* 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via &c. *Quid clarius? (At de hoc, deque præmissi confutatione erroris, Vide fusè in laudatis Opusculis locis cit.) Cum ergo & actualis paupertas prædipiscenda charitatis perfectione, laudabilis sit, & Christus in omnibus completa sit nobis perfectionis exemplar: ipsum imitari in primis debent religiosi, statum perfectionis profitentes. (De cuius exacta paupertate vide pressiùs Tomo 1. V.* Christi educatio.) *Quam quidem consequitur, propria religiosorum, humilitas: in eo enim* qui S voluntariè pauper est (*sicut fuit Christus*) ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium. *Cæterum religiosorum Collegio nil veræ actualis paupertatis deperit, si ad suos pauperumque vsus commune peculium habeant: (vt luculenter probat Author* T. *Quò Lectorem remittimus.) Et ita* illis V religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ, competit habere abundantiam diuitiarum communium. Illis autem religionibus, quæ sunt ordinatæ ad contemplandum, magis competit habere possessiones moderatas (nisi simul oporteat tales religiosos per se vel per alios, hospitalitatem tenere, & pauperibus subuenire.) Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere, maximè ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conseruantur. Et hoc Dominus, paupertatis institutor, docuit suo exemplo. Habebat enim loculos Iudæ commissos, in quibus recondebantur ei oblata, vt habetur Io. 12. Nec obstat, quod *Hieronymus* dicit super Mat. *Si quis obiicere voluerit, quoniam Iudas pecuniam in loculis portabat: respondemus, quòd rem pauperum in vsus suos conuertere nefas putauit*, scilicet soluendo tributum: quia inter illos pauperes præcipuè erant eius discipuli, in quorum necessitates pecunia loculorum Christi expendebatur. Dicitur enim Io. 4. quòd *discipuli abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent*. Et Io. 13. dicitur, quòd discipuli *putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret*. Ex quo patet, quòd conseruare pecuniam, aut quæcumque alias res communes ad sustentationem religiosorum Congregationis eiusdem, vel quorumcumque aliorum pauperum, est perfectioni conforme, quam Christus docuit suo exemplo. Sed & discipuli post resurrectionem (à quibus omnis religio sumpsit originem) pretia prædiorum conseruabant, & distribuebant vnicuique, prout opus erat, vt habetur Act. 4. *Hinc etiam docemur, quòd* Religiosi X qui sunt clerici, si habeant curam animarum, spiritualia populo dispensantes, non tenentur decimas dare, sed possunt eas recipere. De aliis verò religiosis (etiam si sint clerici) qui non dispensant populo spiritualia, est alia ratio: ipsi enim tenentur de iure cõmuni decimas dare. Habent tamen aliquam immunitatẽ secũdùm diuersas cõcessiones eis à sede Apostolica factas. *De quo vide plura Tomo 2. V.* Decima.

Z *Euangelicæ porrò paupertati, minimè putandum est aduersari, quod Salomon sapientissimus petebat à Domino Prov. 30.* Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria. *Siquidem* super abundantia Y diuitiarum, & mendicitas vitanda videntur ab his, qui volunt viuere secundùm virtutem, in quantum sunt occasiones peccandi. Abundantia namque diuitiarum est superbiendi occasio: mendicitas autem est occasio furandi & mentiendi, aut etiam periurandi. Vnde & ibidem Salomon subdit: *Ne fortè satiatus, illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus?*

Q *Mat. 5. lit.* [illegible] *1. 2. 69.* & 2. 2. 19. 12 c. In 3 d. 34. 1. 4. Opusc 17. c. 15. Op. 19. c. 6.

Pauperes multipliciter sunt. Quinam pauperes spiritu.

Eorum præmii altitudo.

Error Vigilantii, et aliorũ, actualem temporalium rerum abdicationem damnantium.

R *Opusc. 19. c. 6. Et Op. 17. c. 15.*

Exploditur.

Christus in paupertate imitandus.

S *3. p. 40. 3. ad 3.*

Paupertas maximæ humilitatis indicium.

T *Op. 17. c. 15 Op. 19. c. 6. &* 2. 2. 188. 7.

V *2. 2. l. c. fi c. Io. 13. l. 5. lit. a. fi. & Opusc. cit. sutis.*

Nil veræ actualis paupertatis religiosis deperit, quòd cõmune peculium habeant.

Exemplo Christi.

X *2. 2. 87. 4. ad 2. In 2. d. 44 2. 2. ad 1 Mat. 17. lit. b. fi.*

An religiosi ad soluendas decimas teneantur.

Exponitur illud Prov. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi &c.*

Y *3. p. 40. 3. ad 1. & 3 con. G. 134. ad 5. et 6.*

minus ? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei. Neque tamen quælibet mendicitas est furandi, & periurandi occasio: sed sola illa, quæ est contraria voluntati, ad quam vitandam, homo furatur & periurat. Sed paupertas voluntaria hoc periculum non habet. *Quænam autem excellens revera paupertas sit, tangit Apostolus 2. ad Cor. 8. cum ait*: Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum, *scilicet Macedonum. Altissima*, idest Z maxima, vel nobilissima: facit enim *ex glossa* paupertatem altam eleuatio spiritus supra res temporales, & contemptus earum. Et sic istorum paupertas *altissima* erat, quia non habebāt diuitias, & contemnebant eas. Sed hæc expositio non videtur esse secundùm intentionem Apostoli; & ideò aliter dicendum est. Sciendum ergo, quòd homo ex duabus causis habet promptum animum ad dandum satis, scilicet ex abundantia diuitiarum, sicut diuites: vel ex contemptu diuitiarum; & sic idem facit in paupere contemptus, quod facit in diuite abundantia. Et ideò dicit, *altissima paupertas eorum sic abundauit*, idest effectum abundantiæ fecitas *in diuitias simplicitatis eorum*; quia cor eorum erat solùm ad Deum: & ex hoc prouenit contemptus diuitiarum, *Prou.* 11. Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio peruersorum vastabit illos; *& mox subiicit*: Non proderunt diuitiæ in die ultionis. *Cor eorum inquam erat solùm ad Deum, ex quo mundana omnia contemnuntur. Quemadmodum & Christum reparatorem nostrum, nudum in cruce suspicientes, temporalia cuncta despicimus. Ad quod hortatur Apostolus Hebr.* 12. Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, *ob corporis præ cæteris nuditatem. Vbi Author*: Si A vis *inquit* saluari, respice in faciem Christi tui. *Ex hoc enim vel solo aspectu totus tibi erit, Religiose, Mundus despectus; Christique efficieris verè discipulus, cui semper paupertas placuisse videtur*. Primò B quia paupertatem sibi assumpsit, 2. Cor. 8. *Cum diues esset, propter vos egenus factus est*. Secundò quia paupertatis signa in sua natiuitate ostendit, Luc. 2. *Inuenietis infantem positum in præsepio*. Tertiò quia pauperes parentes habere voluit, Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam &c.* Quartò quia paupertatem inter homines conuersando tenuit, Mat. 8. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*. Quintò quia pauperes discipulos elegit, Matth. 4. *Vidit duos fratres, mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me*. Sextò quia pauperibus regnum Cœlorum promittit, Mat. 5. *Beati pauperes &c.* Septimò quia paupertatis consilium dedit, Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade &c.* Octauò quia pauperrimus & nudus in cruce pependit; *vt eius aspectu & exemplo paupertatem amplexaremur, temporalia cuncta despicientes: ad hoc enim dicitur Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ, absynthij, & fellis. *Et tanti quidem Dominus paupertatem facit, vt voluntarios pauperes sedem in extremo iudicio promereri voluerit, Orbem suum vniuersum iudicaturos, Iob 36.* Iudicium pauperibus tribuit. *Et expressè Mat. 19. cum dixisset ad eum Petrus*: Ecce nos reliquimus omnia &c. *respondit*: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me &c. sedebitis super sedes duodecim, iudicantes 12. tribus Israel. *Nec enim soli iudicabunt Apostoli*. Sed hoc C erit Apostolorum & similium, qui contemptis rebus Mundi, solis spiritualibus inhæserunt: *Spiritualis enim iudicat omnia*, 1. Cor. 2. Paupertati *autem* debetur D iudiciaria potestas specialiter propter tria. *Primò* ratione congruitatis: quia voluntaria paupertas est eorum, qui omnibus quæ Mundi sunt contemptis, soli Christo inhærent; & ideò non est eis aliquid, quod eorum iudiciū à iustitia deflectat. Vnde idonei ad iudicandum redduntur, quasi veritatem iustitiæ, præ omnibus diligentes. *Secundò* per modum meriti, quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem, quæ hominem in hoc Mundo despectum faciunt, præcipuum est paupertas: (*ex quo canebat ille*:

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit.)

Vnde & pauperibus excellentia iudiciariæ potestatis promittitur, vt sic, qui se propter Christum humiliat, exaltetur. *Tertiò* quia paupertas disponit ad prædictum modum iudicandi. Ex hoc enim aliquis sanctorum judicare dicetur, quòd cor habebit edoctum omni diuina veritate, quam alijs potens erit manifestare. In progressu autem ad perfectionem, primum, quod relinquendum occurrit, sunt exteriores diuitiæ, quia hæc sunt vltimò acquisita. Quod autem est vltimum in generatione, est primum in destructione. Vnde & inter beatitudines, quibus est progressus ad perfectionem, prima ponitur paupertas. Et sic paupertati respondet iudiciaria potestates inquantùm est prima dispositio ad potestatem prædictam. Et hinc est quòd non quibuscumque pauperibus, etiam voluntariè, repromittitur potestas prædicta: sed illis, qui relinquentes omnia, sequuntur Christum perfectione vitæ. *Ex cuius sanè præstantia dignitatis, paupertas quodammodò nedum virginitati, sed etiam martyrio præferri videtur, quatenus* inter ea E quæ sequuntur ad paupertatem, ad perfectionem spectantia, possunt computari & virginitas & martyrium, & omnia perfectionis opera; non tamen sunt ita principalia, sicut paupertas: quia principium est maxima pars rei: (*quod aiebat initio Author*:) *Dominus enim* à paupertate F principium sumpsit, Mat. 5. *Beati pauperes spiritu &c.* Vbi *Ambrosius sup. Lucam*: Primam *inquit* benedictionem hanc vterque Euangelista posuit: ordine enim prima est, & parens quædam generatioque virtutum, quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. *Multi hinc recensentur vtilitates, quæ hominibus ex paupertate voluntaria proueniunt*. Primò *enim* confert G peccatorum recognitionem, Is. 48 *Elegi te in camino paupertatis*. Secundò virtutum consecuationem, Eccli. 10. *Pauper gloriatur per disciplinam, & timorem suum*. Tertiò cordis quietem, Tob. 5. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum*. Quartò desiderij impletionem, Ps. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*. Quintò diuinæ dulcedinis participationem, Ps. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus*. Sextò exaltationem, 1. Reg. 2. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat*. Septimò cælestem hæreditatem, Mat. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum*.

a *At verò (hoc præsertim tempore) vtinam à claustralibus quibusdam parum dumtaxat seruaretur paupertas, nisi & auaritiæ apertè studeretur? Qui vel à secularibus in nullo discreti, non* paupertatem *colunt, sed* proprietatem, *quicquid à minùs piis negociatoribus agitur, laxata conscientia exercentes, turpi inhiantes lucro, oppositumque ad voti promissionem operantes; augenda immò pecunia totam ex industria impendunt operam & ingenium, contra illud Apostoli 2. Tim.* 2. Nemo militans Deo, implicat se negocijs secularibus. *Etenim* finis H militiæ corporalis est, vt obtineant victoriam contra hostes patriæ, & ideò milites debent abstinere ab his, quæ abstrahunt à pugna, 1. Cor 9. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*. Sed militiæ spiritualis finis est, vt victoriam habeant ab hostibus, qui sunt contra Deum;

Quænam altissima paupertas sit.
Z 2. Cor. 8. l. 1. ibi.
Vnde diuitiarum contemptus.
A Hebr. 12. l. 1. ibi.
Christo Domino semper paupertas placuit.
B Iac. 2 § 2 fi. Op. 17. c. 25. initio.
Cum quo pariter voluntarij pauperes iudicabunt.
C 1. Cor. 6. l. 1. ibi, iudicabūt. In 4. d. 47. 1. 2. q. 2. ad 1. & locis mox citandis.
D 4. d. 47. l. c. in corp. & 4. con. G. c. 96. fi. Op. 3. c. 245. Op. 19. c. 6. Mat. 19. fi. ad Cor. l. c.
Debetur paupertati; iudiciaria potestas ex tribus.
Humiliationi responde exaltatio.
Iuuenalis Sat. 3.
Paupertas quodammodo virginitati & martyrio præfertur.
E In 4. l. c. a. 2.
Primum est perfectionis principium.
F Op. 17. c. 15.
Paupertatis vtilitas multiplex.
G Is. 48 fi. Serm. ex Euan. In fest. SS. Fab. & Sebast.
In religiosos paupertatis trāsgressores.
H 2. Tim. 2. l. 1. ibi.

Deum: & ideò oportet, quòd abstineant ab omnibus, quæ distrahunt à Deo: hæc autem sunt negocia secularia, quia *solicitudo seculi istius suffocat uerbum*, ut dicitur *Mat.* 13. Causa autem, quare non debet se implicare, est: *ut ei placeat, cui se probauit*. Qui .n. est miles Christi, deuovit se ad militandũ Deo, & ideò debet conari, ut ei placeat, cui se devouit: *in solemni utique professione. Et benè inquit Apostolus*, implicat se: *nec enim desunt, qui adeò terrenis negociis inhærent, ut ab eis eleuari non possint: Struthionibus similes, qui idcircò ad hoc significandum erant in vet. Lege* Lev. 11. *ad cibum uetiti & evitandi*. Per struthionem I qui cum sit avis, uolare non potest, sed semper est circa terram, significantur Deo militantes, & se negociis secularibus implicantes. *Certum est autem, quòd* causa L cupiditatis, secularia negocia gerere, nec monachis, nec clericis licet. Causa verò charitatis se negociis secularibus cum debita moderatione ingerere possunt, secundùm superioris licentiam, in ministranda & dirigendo. Vnde dicitur in Decret. Dist. 88. *Decrevit Sancta Synodus nullum deinceps clericum, aut possessiones conducere, aut negociis secularibus se permiscere, nisi propter curam pupillorum aut orphanorum, aut viduarum &c. Eadem autem ratio est de religiosis & Clericis: quia utrisque similiter negocia secularia interdicuntur, strictiusque ratione status claustralibus, quàm clericis secularibus. Qui verò ex cupiditate & auaritia claustrales se implicant, prauos referunt Pharisæos* (qui M speciem religionis habebant, *de quibus proinde dicitur Luc.* 16. Pharisæi, qui erant avari.) *Quos redarguit non semel Dominus*, Mat. 23. *præsertim, cum ait*: Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per Templum; qui autem iurauerit in auro Templi, debet: & quicunque iurauerit in Altari, nihil est; quicumque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. *Vbi Author*; Illi *inquit* totam N religionem trahebant ad quæstum, ut scilicet traherent homines ad offerendum. In templo autem erat multum aurum positum; unde dicebant, quòd si aliquis iuraret per Templum, nihil debebat; sed qui iurabat per aurum, obligabat se ad tantum, pro quo iurabat. Item erat ibi Altare, & offerebantur multa super altare; unde dicebant, quòd qui iurabat per Altare, nihil soluebat: qui autem per oblationem, obligabat se ad ualorem oblationis. Et quare? vt lucrarentur ex pœnis (*nota*) & ut incitarentur homines ad magis offerendum. *O re vera auri* sacra fames, *non per antithesim, sed ex parte appetentium propriè dicta. Execrabilior siquidem in Ecclesiasticis quibusdam notatur uorandas, quàm inter seculi negociatores: at longè in claustralibus detestabilior. De his, si qui sunt, lacrymabiliter exponit Author illud Gen.* 6. Videntes filii Dei filios hominum, quòd essent pulchræ &c. *Filii Dei*, scilicet O Clerici & Religiosi, *videntes filias hominum*, idest uillas & temporales divitias, *quòd essent pulchra*, & quòd de facili generant multam & magnam prolem, *acceperunt sibi* pro libito undequaque *uxores*; & ex tunc orti sunt in Ecclesia *gigantes* in magnis & mirabilibus super se ambulantes. & hi sunt fortes, vel *potentes à seculo uiri famosi*: & ideò non mirùm, si per eos erigatur imago bestiæ & statua Babylonis, & terrena Civitas dilatetur. Et præcipuè hoc timendum est, si filii Euangelicæ paupertatis prædictas filias hominum amplectantur, & ambiant, ne ex eis generent pseudo Christos & prodigia magna. *Quod quidem & prophetice tangitur* Apoc. 8. *ubi dicitur, quòd* percussa est tertia pars stellarum &c. *Quandoquidem* Religiosi P per stellas significantur. Stellæ enim parvæ uidentur, & tamen magnæ sunt: Sic religiosi, parui debent videri exterius Mundo, & magni esse interius coram Deo. Item stellæ noctem illuminant: & religiosi Ecclesiam; unde ad Philip. 2. *Inter quos lucetis, sicut luminaria in Mundo*. Item stellæ stant fixæ in Cælo, nisi paucæ, quæ mouentur sub Cælo: sic & religiosi fixi stant in Claustro, nisi pauci, qui sunt officiales, & procurant negocia exteriora: unde Iudic. 5. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersùs Sisaram pugnauerunt*. Horum tres sunt partes, iuxta tria, quæ vouent omnes, scilicet obedientiam, continentiam, & paupertatem. Prima, & secunda pars non sunt adhuc ita apertè percussæ: sed *tertia pars*, scilicet paupertas, iam omninò & apertè fere ubique *percussa est*, ita ut dicat Apostolus *ad Philip.* 2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. *Cui respondet illud Ier.* 6. & 8. A minimo usque ad maximum omnes auaritiam sequuntur: à propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. *Nec mirum: hoc enim est præcipuum satanæ studium insidiatoris, ut uidelicet Ecclesiam abundantia temporalium expugnet. Quod tangitur* Apoc. 12. *ubi dicitur*: Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine. Et adiuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. *Misit serpens*, idest Q diabolus, *ex ore suo* uenenato, idest suggestione, *post mulierem*, idest Ecclesiam, *aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine*; idest à fluxu temporalium. Et benè dicit, *trahi*; tractus enim motus est violentus: nam contra naturam est, quòd Ecclesia deorsum feratur, quæ facta est, ut feratur sursum: *& adiuvit terra*, idest princeps terrenus, *mulierem*, idest Ecclesiam, *& aperuit terra os suum, & absorbuit flumen*, idest abundantiam temporalium, *quod misit draco de ore suo*, quam scilicet procuravit Ecclesiæ dari: non quòd Constantinus hoc fecerit ex diabolica suggestione (credo enim, quòd magis fecit hoc ex instinctu Spiritu Sancti:) sed quia diabolus procurauit, & procurat quotidie, quòd Ecclesia cor apponat in istis temporalibus: ideò dixi, quòd diabolus procurauit dari Ecclesiæ abundantiam temporalem. *Hinc ad illud Cant.* 5. Inuenerunt me, qui circumeunt Civitatem &c. *coharenter docemur, quòd* quantùm R ad persecutionem, plùs turbata est primitiua Ecclesia, quàm ista: quia modò cessaverunt sævitiæ tyrannorum. Sed quantùm ad distractionem, plùs turbatur ista, quàm illa; quia modò Ecclesia maximis diuitiis est dotata; & ideò plùs distrahitur interiùs propter curam temporalium, quàm distracta fuerit primitivo Ecclesia, *à impiorum scilicet crudelitatem tyrannorum*. DISCE, *ut perfectus sit, Christum pauperem pauper sequi. Vide V.* Auaritia, & Bona temporalia. *Tomo* 1. Divitiæ *Tomo* 2. Mundus.

I 1. 2. 102. 6. *ad* 1.

Qui struthionibus assimilantur, se se negociis secularibus implicantes.

L 2. 2. 187. 2. *fi. c. &* q. 40. 2. *c. &* 77. 4 *ad* 3. *In* 4. *d* 16. 4. 2. *q* 3 *c. Rom.* 16. *l.* 1. *ibi*, negocio.

Hæc sicut clericis, ita strictiùs religiosis interdicuntur.

M Io. 11. *l.* 7. *lit. b. ibi*, Pharisei.

Claustrales auari similes Pharisæis, qui religionis speciẽ habebant.

N Mat. 23. *lit. b. ibi*,

O Gen. 8. *ante med.*

Detestabilis in Ecclesiasticis *auri sacra fames*: in claustralibus detestabilior.

P Apoc. 8. *com.* 2. §. *ult. ibi*.

Religiosi cur stellæ dicantur.

Q Apoc. 12. *com.* 2. §. 5. *circ. fi. ibi*.

Abundantia temporalium nititur diabolus Ecclesiam expugnare.

R Cant. 5. *Com.* 2. *ibi*.

Qua quidem opulentia magis distrahitur Ecclesia moderna, quàm sævitia tyrannorum primitiua.

III. Opor-

III. Oportet, continentiæ viam assumentes, carnem propriam (abstractis delicijs) vigilijs & ieiunijs & huiusmodi exercitiis castigare. *Op. 18. cap. 9. sub initio.*

Secunda ad perfectionem via perpetua continentia, religioso necessaria ex duplici causa. *S 2. 2. 186. 4. c. & q. 88. 11. a. Op. 18. c. 9. Op. 19. c. 1. & 1. Cor. 7. l. 7. ibi, solicitus.*

b *SEcunda ad perfectionem charitatis uia, religioso praesertim necessaria; perpetua continentia est, quam & solemniter profitetur.* Nam ad statum S religionis requiritur abstractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei seruitium. Vsus autem carnalis copulæ, retrahit animum, ne totaliter in Dei seruitium feratur, dupliciter. Vno modo propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia (*non minuitur aut tollitur, secundùm stultam aliquorum æstimationem*) vt etiam Philosophus dicit *in 3. Ethic.* Et inde est, quòd vsus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum: & hoc est, quod *Augustinus* dicit in 1. Soliloq *Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animum uirilem, quàm blandimenta fœmina, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest.* Alio modo propter solicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione vxoris, filiorum & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant. Vnde Apostolus dicit 1. Cor. 7. *Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

T Ad Cor. l. c.

(Vnde T Iacob acceptis vxoribus, ait Gen. 30. *Iustum est, vt aliquando prouideam etiam domui meæ*; idest solicitus sim, quomodo placeam vxori. Et talis diuisus est non natura, sed actu, scilicet diuisione officij, non intentionis principalis. *Partim* (inquit glossa) *seruit Deo, partim Mundo.* Vnde V & nomen Monachi ab vnitate sumitur per oppositum ad diuisionem prædictam.) Et ideò continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis: Sicut voluntaria paupertas. Vnde sicut damnatus est *Vigilantius*, qui adæquauit diuitias paupertati: ita damnatus est *Iouinianus*, qui adæquauit matrimonium virginitati: *vt pramissum est. Sanè, quemadmodum non solum verbo, sed & exemplo (vt vidimus)* perfectio X paupertatis, ita etiam perfectio continentiæ introducta est per Christum, qui dicit Mat. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Cælorum*; & postea subdit: *Qui potest capere, capiat.* Nec obstat, *quòd omnis Christiana, ac religiosa vita perfectio ab Apostolis deriuata sit, inter quos nihilominùs à Domino Petrus vxoratus electus est, & ad Apostolatum vocatus. Neque enim diffitemur, posse quempiam & cum vxore perfectionem consequi: non tamen ita facilè, sicut per viam continentiæ, vt & de paupertate præmisimus. Et ideò Dominus*, ne Y alicui spes perueniendi ad perfectionem tolleretur, assumpsit ad perfectionis statum etiam illos, quos inuenit matrimonio iunctos. Non autem poterat absque iniuria fieri, quòd viri vxores desererent; sicut absque iniuria fiebat, quòd omnes diuitias derelinquerent: & ideò Petrum, quem inuenit matrimonio iunctum, non separauit ab vxore (*& fortè non sine mysterio, quippe qui Ecclesiæ sponsus futurus erat.*) Ioannem tamen volentem nubere, à nuptijs reuocauit.

V 2. 2. 88. 11. ft. c.

Monachus vnde dicatur.

Vigilantius & Iouinianus damnantur.

X 2. 2. 186. 4. ad 1.

Sicut paupertatis, ita & continentiæ perfectio per Christum introducta.

Y Ib. & Prol. Hier. in Io.

Obiectio soluitur.

c *Non potest autem perpetua hæc continentia de facili à quocunque seruari, secundùm illud Sap. 8.* Sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; *& Dominus Mat. 19. cit.* Qui potest capere, capiat. *Idcircò Apostolus difficultatem prauidens, modum seruandi præscribit, cum ait 2. Cor. 6.* In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs: *& postea subdit*, in castitate. *Vbi ex Authore* notandum Z est, quòd immediatè post multos labores, vigilias, & ieiunia, subdit de castitate. Qui enim vult habere virtutem castitatis, necesse habet laboribus dari, vigilijs insistere, & macerari ieiunijs, 1. *Cor. 9.* Castigo corpus meum & in seruitutem redigo. *Et cur, ô Paule? Quia* datus est mihi (*respondet 2. Cor. 12.*) stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. *Stimulus carnis meæ*, idest A concupiscentiæ, surgens ex carne mea, à qua multùm infestabatur. *Sine his castam vitam agere, humanis viribus impar est, & quodammodo impossibilitatem inducit. Delitias ergo, atque carnales voluptates ablegat religiosus oportet, vt continentiam seruet, quam Deo promisit, corpusque suum cum uoluntate quasi holocaustum deuouit. Vt enim dicitur Eccli. 13.* Quæ communicatio sancto homini ad carnem? *Idcircò in ueteri lege Leuit. 2.* Mel B non offerebatur in sacrificijs Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his, qui Deo sacrificare intendunt: *quales se religiosi profitentur, specialiter Dei seruitio mancipati. Et quidem* status C religionis est status perfectæ pœnitentiæ, & nulla satisfactio adæquari potest pœnitentiæ religiosorum, qui & se, & sua totaliter Deo dant. Vnde pro nullo peccato imponi potest homini pro pœnitentia, vt religionem introeat, in commutationem satisfactionis quantumcumque grauis: consulitur tamen religionis ingressus, vt patet 33. Q. 2. cap. *Admonere.* Vbi Stephanus Papa quendam, qui vxorem interfecerat, inducit vt ingrediatur Monasterium, & humiliatus sub manu Abbatis, cuncta obseruet, quæ sibi fuerint imperata. *Neque enim minus exigitur ad continentiæ integritatem, quàm regularis austeritas disciplina. At verò hac abiecta, quis continere confidat? Caueant idcircò pauperes quidam in Claustro delitati (in seculo fortassè non ita) ac deliciosam, aut voluptuosam vitam siuè in cibis, siuè in vestibus, siuè in cæteris agentes, à statu perfectionis in vitia prolabantur grauiora, vt in aliquibus, ne dicam pluribus, contingit. Qui enim remedia ad continendum opportuna respuit, non potest libidini non esse obnoxius.* Oportet *quippe* (*non tantùm conuenit, aut expedit:*) Oportet *inquam* continentiæ D viam assumentes, carnem propriam, abstractis delicijs, vigilijs, & ieiunijs, & huiusmodi exercitijs castigare: *quod promebat initio Author. Aliàs* qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem, *Prou. 29. & Eccli. 33.* Seruo maleuolo tortura, & compedes. *Et ad hoc quidem silentia religiosis indicuntur, ne in verba, aut sermones prorumpant minùs puros: orationes, ne mens ad carnalia distrahatur: ieiunia, vigiliæ, flagella, ne caro ad libidinem incalescat: intra claustra immoratio, ne oculus ad libidines prouocatiua diuagetur*, Thren. 3. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. *At verò ex perpetuo turpiloquio, ex frequentibus comessationibus, ex tabernaculis aut inattenta, ex continua otiositate, & euagatione per vrbem, quid nisi carnales lapsus expectent, quid nisi rubiginem contrahant aliquorum conscientiæ religiosorum, secularium more uiuentium? Et heu!* Hæc E macula (*inquit Author*) multùm deformat Ecclesiam: & multùm laboratum est, & quotidie laboratur ad emundationem huius maculæ. Multæ siquidem fuerunt eius constitutiones, multæ prohibitiones multæ visitatio-

Cum difficilè continentia seruetur, ad hibendæ corporis macerationes.

Z 2. Cor. 6. 2. sub initi.

Exemp. Apostoli P.

A 2. Cor. 12. l. 3. ibi.

Ad continentiam seruandam, omnes delicias carnis religiosus ableget.

Cur mel non offerretur in vet. lege.

B 1. 2. 102. 3. ad 14.

Status religionis, verè status pœnitentiæ, cui nulla potest æquari satisfactio.

C Quol. 3. a. 13. c. & 2. 2. 186. 1. ad 4. Op. 18. c. 8.

D Opusc. 18. c. 9. sub. initio.

Ad carnem edomandam vigiliæ, ieiunia, & huiusmodi in religionibus instituta.

Continentiæ transgressionem in cassum Superiores impedire nituntur.

E Apoc. 14. com. 2. §. 1. ibi.

Væ religiosis continentiam non seruantibus.

tationes, multæ suspensiones, & excantationes contra hanc maculam: nec aliquid valent. Vnde *Ezec.* 24. Væ ciuitati sanguinum; ollæ, cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea &c. *Et post pauca:* Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. *At metuat (si quis est claustralis eiusmodi) quod subjicit ibi indignatus Dominus:* Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te, Ego Dominus locutus sum. Veniet, & faciam, non transeam, nec parcam, nec placabor.

Cæterùm in hac de continentia voto materia parum immoramur, cum satis superque hac de re dictum sit V. Cælibatus, *& V.* Clericus *Tomo* I. *Quò Lectorem remittimus.* DISCE *de mente & corpore tuo immaculatum sacrificium Deo offerre.*

IV. Bethania, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, Castellum erat Mariæ, & Marthæ sororum, per quas duplex vita signatur, actiua scilicet & contemplatiua. Vt sic per hoc detur intelligi, quòd per obedientiam homo perfectus redditur in vita actiua & contemplatiua. *Io.* 11. *l.* 1. *lit. a. ibi*, à Bethania.

Obedientia tertia ad perfectionē via. *F* 2. 2. 4. 7. *ad* 3. *&* 104. 2. *c. In* 2. *d.* 35. 1. 2. *ad* 5. *& d.* 44. 2. 1 *c.*

Dupliciter dicitur.

d TErtia ad perfectionem via propria, est abdicatio voluntatis per obedientiam, *quam religiosus Superiori perpetuam profitetur. Ex quo* obedientia F dupliciter dicitur. Quandoque enim importat inclinationem voluntatis ad implendum diuina mandata; & sic non est specialis virtus, sed generaliter includitur in omni virtute: quia omnes actus virtutum cadunt sub præceptis legis diuinæ. Alio modo potest accipi obedientia, secundùm quod importat inclinationem quantùm ad implenda mandata, secundùm quod habent rationem debiti: & sic obedientia est specialis virtus, & pars iustitiæ. *Sic igitur* obedientia G est specialis virtus, & eius speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum: voluntas enim superioris quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum præceptum. Et tantò videtur obedientia promptior, quantò expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate tamen Superioris intellecta. *Et virtus quidem difficilis obedientia est, sensui vt plurimùm ex amore proprio repugnans. Hinc illud Hebr.* 5. Christus didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, *exponitur:* idest H expertus est, quàm graue sit obedire: ipse enim obediuit in grauissimis, & difficillimis, quia vsque ad mortem (*sicuti eam religiosi profitentur*) *Phil.* 2. Et hic ostendit, quàm difficile sit bonum obedientiæ. Quia qui non sunt experti obedientiam, & non didicerunt eam in rebus difficilibus, credunt, quòd obedire sit valdè facile. Sed ad hoc quòd scias quid sit obedientia, oportet, quòd discas obedire in rebus difficilibus. Et qui non didicit obediendo subesse (*bene nota*) nunquam nouit benè præcipiendo præesse. *Sanè, si theologicas virtutes excipias, moralium virtutum maxima, obedientia dignoscitur. Siquidem* inter I virtutes morales tanto aliqua potior est, quantò aliquis magis aliquid contemnit, vt Deo inhæreat.

Specialis est virtus. G 2. 2 104. 2. *fi. c. & ad* 3.

Quid eius obiectum.

Superioris voluntas tacitum quoddam præceptum. G *Hebr.* 5. *l.* 2. *ibi.*

Obedientia virtus difficilis.

Quam expertus est Christus.

Qui non didicit subesse, nunquam nouit benè præesse.

I 2. 2. 104. 3 *c. &* 186. 8. *c. Philip.* 2 *l.* 3. *ibi*, obedistis.

Moralium virtutum maxima.

Sunt autem tria genera bonorum humanorum; quæ homo potest contemnere propter Deum. Quorum infimum sunt exteriora bona; medium autem sunt bona corporis: supremum autem sunt bona animæ, inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, in quantùm scilicet per voluntatem homo omnibus alijs bonis vtitur. Et ideò, per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Vnde *Gregorius* dicit in vlt. Moral. Quòd *Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Vnde etiam quæcumque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quòd fiunt, vt obediatur voluntati diuinæ. Nam si quis etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem diuinæ voluntatis (quod rectè ad obedientiam pertinet) meritoria esse non possent: sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia esse non potest. Dicitur enim 1. Io. 2. *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, Qui autem seruat verba eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Et hoc ideò est, quia amicitia facit idem velle & nolle.

Religioso ad perfectionem necessaria. *L* 2. 2. 186. 5. *c. Op.* 18. *c.* 10. *&* 11. *Op.* 19. *c.* 4.

e *Et hæc quidem religioso ad perfectionem tendenti necessaria est, veluti primum mobile, quo cæterarum actionum diriguntur motus. Si enim* status L religionis est quædam disciplina vel exercitium tendendi in perfectionem: quicumque autem instruuntur, vel exercitantur, vt perueniant ad aliquem finem, oportet, quòd directionem alicuius sequantur, secundùm cuius arbitrium instruantur, vel exercitentur, vt perueniant ad illum finem, quasi discipuli sub Magistro; oportet etiam, quòd religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicuius instructioni & imperio subdantur. Vnde & 7. q. 1. cap. *Hoc nequaquam*, dicitur: *Monachorum vita subiectionis habet verbum & disciplinatus.* Imperio autem & alterius instructioni subijcitur homo per obedientiam; & ideò obedientia requiritur ad religionis perfectionem. *Quod quidem salubre consilium introduxit Dominus Math.* 16. *cum dicit:* Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Inter cætera autem omnia* nihil est M homini amabilius libertate propriæ voluntatis. Per hanc enim homo est aliorum Dominus: per hanc alijs vti, vel frui potest: per hanc etiam actibus suis dominatur. Vnde sicut homo, dimittens diuitias vel personas coniunctas, eas abnegat: ita deserens propriæ voluntatis arbitrium, per quod ipse sui ipsius Dominus est, seipsum abnegare inuenitur. Nihil est etiam, quod homo naturali affectu magis refugiat, quàm seruitutem: vnde & nihil possit homo pro alio amplius impendere post hoc, quòd seipsum in mortem pro eo traderet, quàm quòd se seruituti eius subiugaret, Tob. 9. *Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Huius autem voluntatis libertatem aliqui sibi propter Deum particulariter adimunt, dum quodcumque particulare votum emittunt de quocumque faciendo, vel non faciendo: per votum enim necessitas quædam imponitur voуenti, vt de cætero non liceat quod priùs licebat, sed quadam necessitate constringitur ad reddendum, quod vouit, Ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Aliqui verò libertati propriæ voluntatis totaliter abrenunciant, se propter Deum alijs subijcientes per obedientiæ votum. (*Et ita, caram libertatem, qua nil pretiosius in homine,*

Non bene pro toto libertas venditur auro,

Sponte

Vbi hoc Domini consiliū expressum. *M Opusc.* 18. *c.* 10.

Nil homini libertate voluntatis amabilius.

Quid sui ipsius abnegatio.

sponte sibi adimit Cœnobita, in sola alicubi Prælatorum electione liber: quam tamen vnicam libertatē, vt liberiùs viuant, homini perpetuò non pauci donant, ingo Baal sacrificium offerentes, non holocaustum Deo. Cuius quidem obedientiæ exemptum præcipuum habuimus in Christo, de quo Apostolus Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Quam quidem obedientiam Apostolus manifestat *ad Philip.* 2. dicens: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Hæc autem obedientia in obrenunciatione propriæ voluntatis consistit. Vnde ipse dicebat Mat. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu.* In quo nobis dedit exemplum, vt sicut ipse suam voluntatem humanam abnegabat, supponendo eam diuinæ: ita & nos nostram voluntatem Deo totaliter supponamus, & hominibus, qui nobis præponuntur tanquam Dei ministri, *ad Hebr.* 13. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. *In hoc quippe consistit propria abnegatio voluntatis, quam suadet Dominus iis verbis:* Abneget semetipsum, & sequatur me; *idest, vt me sequi possit ad acquirendam hac via perfectionem.* Consilium *enim* obedientiæ N Dominus intelligitur dedisse in hoc, quod dixit: *Et sequatur me.* Quem sequimur, non solum imitando opera, sed etiam obediendo mandatis ipsius, *secundùm illud Io.* 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. *Quo quidem obedientia solemni voto magisq; laudabilior sine dubio redditur, magisque meritoria claustralium vita.* Quantò *enim* aliquis O plus dat alicui, tantò maius aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solùm, quod facit propter eius amorem. Qui autem non solùm facit, sed etiam vouet, non solùm dat ei, quod facit, sed etiam potentiam, qua facit; facit enim se non posse, quin faciat, quod priùs non facere licitè poterat. Ampliùs, ad laudem boni operis pertinet, quòd voluntas firmetur in bono: sicut ad aggrauationem culpæ pertinet, quòd voluntas sit obstinata in malo. Manifestum est autem, quòd qui aliquid vouet, voluntatem suam firmat ad id, quod vouet; & sic cum implet, quod vouerat, opus bonum ex voluntate firmata procedit. Sicut igitur ad grauamen culpæ pertinet, quòd ex proposito firmato aliquis malum operetur; hoc enim est ex malitia peccare: ita ad augmentum meriti pertinet, quòd aliquis bonum opus operetur ex voto. *Quinimmò* detur, quòd aliquod bonum opus, quod quis facit ex voto, vel obedientia, simpliciter consideratum sit inuoluntarium, sed tamen facit hoc ex necessitate voti vel obedientiæ, quam nō vult præterire: adhuc, dū hoc facit, laudabiliùs operatur, & maiori merito, quàm si prompta voluntate illud faceret sine voto. Etsi enim non habeat voluntatem promptā illud faciēdi, putà ieiunandi; habet tamen voluntatem promptam votum implendi, vel obediendi: quod est multò laudabilius, & magis meritorium, quàm ieiunare. Vnde plus meretur, quàm ille, qui sua voluntate ieiunat: tantoque voluntas votum implendi, aut obediendi promptior iudicatur, quantò id quod aliquis facit propter obedientiam vel votum, magis in se consideratum voluntati repugnat. *Cum hoc ergo discrimine tenetur obedire Prælato suo regularis, & secularis: quòd* per votum P obedientiæ supponitur religiosus Prælato suo, quantùm ad generalem dispositionem vitæ suæ; licèt non quantùm ad omnes actùs particulares: secularis autem suo Prælato obedire tenetur quantùm ad aliquos actus speciales, non quantum ad generalem dispositionem vitæ suæ. *Ex quo sequitur, quòd* obedire Q Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune: sed obedire in his, quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet propriè ad religiosos. Et comparatur ista obedientia ad illam, sicut vniuersale ad particulare. Illi enim, qui in seculo viuunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur: & secundùm hoc obedientiæ Prælatorū subduntur. Illi verò, qui in religione viuunt, totaliter se, & sua tribuunt Deo; unde obedientia eorum est vniuersalis.

In quo obedientiæ votú consistat.

N 1. 2. 108. 4. ad 3.

Ex quo laudabilior meritoria claustralium vita.

O Op. 18. c. 12. Op. 17. c. 12. & 2. 2. 88. 6. c. & 189. 2. c. & 3. p. 28. 4. c. & 3. con. G. c. 138. Quol 3. a. 12. ad 3.

Magis meritorium aliquid ex voto & obedientia repugnanter facere, quam prompte sine voto.

P Quol. 10. a. 10 ad 3.

Qualiter obligetur obedire Prelato suo regularis, & qualiter secularis.

Q 2. 2. 186. 5 ad 1. In 2. d. 44 2. 3. ad 5.

Religiosorū obedientia vniuersalis: non ita secularium.

f *Et quidem obedientia hæc, cæca potiùs esse debet ad Superiorem.* Non enim R subditus habet iudicare de præcepto Prælati, sed de impletione præcepti, quæ ad ipsum spectat. *Quin* Beatus S Benedictus dicit in Regula, quòd si Prælatus etiam impossibile præcipiat, tentandum impossibile tamen est. *Quod de perfecta obedientia intelligendum.* Loquitur T de obedientia perfecta, quam omnes obedientiam profitentes ex honestate æmulari debent. *Et ratio adducitur:* quia V an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio diffinire, sed in vnoquoque Superioris iudicio stare. *Hanc profectò obedientiam omnino cæcam ostendit satis Matthæus: quem vt* vidit sedentem in telonio, *ait Dominus:* Sequere me; *moxque subditur:* Et surgens, secutus est eum, *Mat. 9. Vbi Author:* Ad X vnum *inquit* verbum secutus est eum: in quo ostenditur obedientia, quia statim secutus est. *Hinc Chrysostomus:* Confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum suis profectus sit. *Et priùs Simon & Andreas, vix semel vocati,* continuò relictis retibus sequuti sunt eum, *vt dicitur Mat.* 4. Ostendit Y obedientiam eorum quantùm ad promptitudinem, quia non distulerunt. *Sed & Iacobus, atque Ioannes ad vnam Domini vocem,* statim relictis retibus, & (*quod plus est*) patre, secuti sunt eum, *vt ibidem subiicitur. Ita & post resurrectionem Domini Saulus, de Cælis abeo vocatus, immediatè voluntatem suam vocanti submisit, Act.* 4. Domine quid me vis facere? *Quod & ipse* ad Gal. 1. *confirmat, ubi ait:* Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam &c. *continuò* non acquieui carni & sanguini. *Non secus & religiosus quisque vel ad unum superioris nedum verbum, sed nutum, statim obtemperare debet, illud cum Paulo perpetuò subiiciens:* Domine, quid me vis facere? *Cum enim Superior præcipit, Dominus mandat.* Virtus *quippe* obedientiæ Z propriè in voluntate consistit, & ideò ad actum obedientiæ sufficit promptitudo voluntatis subiectæ præcipienti. *Ex qua commendabilius proculdubio redditur obedientis opus. Vnde & de Christo legitur Philip.* 2. *supra cit.. quòd* factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: *Nimirùm* quia A si fuisset passus non ex obedientia, non fuisset ita commendabilis, quia obedientia dat meritum passionibus nostris. *Et alibi:* Omne B bonum, quantumcumque bonum est per se, per obedientiam redditur melius; *unde Prou.* 21. Vir obediens loquetur victoriam. *Eapropter obedientia ad perfectionem recta via est. Hinc ad illud Io.* 11. Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororum eius, *ad rem instruimur, quòd* Bethania C, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, Castellum erat Mariæ & Marthæ sororum, per quas duplex vita signatur, actiua scilicet & contemplatiua, vt sic per hoc detur intelligi, quòd per obedientiam homo perfectus redditur in vita actiua, & contemplatiua. *Quod aiebat initio Author, Et quidem* per assuetudinē D obediendi mens magis ac magis ad obediendum inclinatur, & ex hoc iustitiam perficit. *Ea verò perfecta obedientia est, quam amor, non timor progignit, Io.* 14. Si diligitis me, mandata mea seruate. *Quod quidem*

R Ver. 17. 5 ad 4.

Quæ cæca omninò esse debet, & prompta.

S 2. d. 44. 2. 3 arg 2. Quol. 10 a. 10 arg. 2. & 1. 2. 13. 5. arg. 3.

T In 2. loc cit. ad 2. Et Quol. 10. l. c. ad 2.

V 1. 2. 13. 5. ad 3.

Qualis Matthæi à Christo vocati.

X Mat. 9 lit. b. ibi.

Et aliorum Apostolorū.

Y Mat. 4 lit. ibi.

Z 2. 2. 92. 5. ad 3. & 104. 2. ad 3.

Ad actum obedientiæ sufficit promptitudo voluntatis.

Christi passio commendabilior, quia ex obedientia.

A Philip. 2. l. 2. ibi.

B Ibid. l. 3. ibi, obeditis.

C Io. 11. l. 1. lit. a ibi. Hebr. 5. l. 2. ibi, consummatus.

Obedientia, recta ad perfectionē via.

D Rom. 6 l. 3. ibi, ad obediendum.

Vera obedientia non ex timore, sed ex amore procedit.

dem ad discipulos Dominus promptsit, vbi erat ab eis recessurus. Quasi diceret: Non ostendatis Y amorem, quem habetis ad me, in fletu: sed in obedientia mandatorum meorum. Hoc enim est manifestum dilectionis signum, *infrà*, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. *Sicut & ipse amorem ad Patrem ex obedientia monstrauit*: Vt cognoscat Mundus, quia diligo Patrem. *Diligo Patrem*: & hoc Z efficaciter, quia scilicet morior; vnde subdit: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Quod est, secundùm quod Pater mouit eum ad mortem suscipiendam, scilicet obedientia, quæ ex amore causatur. *Ex tali autem obedientia, opus quis faciens, etiamsi alioqui debitum, nil meriti amittit, sed auget*: Aliquid *enim* potest A iudicari gratuitum dupliciter. Vno modo ex parte ipsius operis, quia scilicet homo ad id non obligatur: alio modo ex parte operantis, quia scilicet libera voluntate hoc facit. Opus autem redditur virtuosum & laudabile & meritorium, præcipuè secundùm quod ex voluntate procedit: & ideò quamuis obedire sit debitum, si propria voluntate aliquis obediat, non propter hoc minoratur eius meritum, maximè apud Deum, qui non solùm exteriora opera, verùm etiam interiorem voluntatem videt.

Y Io. 14. l. 4. lit. a. ibi.

Z Ibid. l. 8. lit. e.

Opus aliquod aliàs debitum ex obedientia quis faciens, meritum non amittit, sed auget.

A 2. 2. 104. 1. ad 3. & a 2. ad 3.

Opus aliquod dupliciter gratuitum dicitur.

g *At verò, quoniam* religiosi B obedientiam profitentur quantùm ad regularem conuersationem, secundùm quam suis Prælatis subduntur: ideò quantùm ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conuersationem pertinere. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulæ: quia talis obedientia esset illicita. Sic ergo potest triplex obedientia distingui. Vna sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit, in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit. *Sanè* circa C indifferentia, vel ea quæ sunt infrà arctitudinem Regulæ, aut æqualia Regulæ, duæ sunt opiniones, quibusdam dicentibus, quòd obedire in huiusmodi est de necessitate obedientiæ: aliis autem, quòd non est de necessitate obedientiæ, sed de perfectione. Quæ quidem duæ opiniones, & si multùm differre videantur quantùm ad vocem; tamen quantùm ad rem, parùm, vel nihil differre inueniuntur. Nam ad regulam pertinere intelligenda sunt, non solùm ea, quæ sunt expresse in regula, sed etiam illa, quæ quocumque modo ad regulam reducuntur, vt pote quæ pertinent ad obsequium fraternæ societatis, & ad punitionem culparum; ad quæ duo ferè omnia huiusmodi indifferentia possunt reduci. Si tamen aliqua sunt, quæ nullatenùs ad regulam reducuntur, videtur esse verior opinio, quòd obedire in huiusmodi non sit de necessitate obedientiæ, sed de perfectione: & hoc ideò, quia obedientia non se extendit vltrà potestatem, vel ius prælationis, quæ quidem secundùm regulam limitantur. *Ex quibus hactenus præmissis ea quoque soluitur quæstio; an Prælato præcipienti, vt sibi reueletur peccatum occultum fratris, obediendum sit. Dicendum enim, quòd* Prælato D non est obediendum contra præceptum Domini, secundùm illud Act. 5. *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus*. Et ideò, quando Prælatus præcipit, vt sibi dicatur, quod quis sciuerit corrigendum, intelligendum est præceptum sanè, saluo scilicet ordine fraternæ correptionis, siue præceptum fiat communiter ad omnes, siue ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum; & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens; vnde non esset ei obediendum. Quia Prælatus non est iudex iudiciorum occultorum, sed solus Deus. Vnde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantùm per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones: in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & Iudex secularis, vel Ecclesiasticus potest exigere iuramentum de veritate dicenda. *Igitur* si ego E scio, quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato. Si autem videtur, quòd hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersùs illum subditum: tunc licitè potest hoc denunciare illi. Et tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei, sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam. Sed quia propter conditiones diuersas Prælatorum & subditorum, non potest in hoc dari generale iudicium: quia aliquando vel Prælatus mouetur ad odium aduersùs subditum; vel subditus non benè ferret verba Prælati; ideò tenendum est hoc pro regula, quòd in omnibus illis semper seruanda est charitas; & quod meliùs & magis expedire videtur: & si hoc intendat, scilicet emendam proximi, & seruet quantùm potest bonum charitatis, tunc denunciando non peccat. Si verò denunciet cuicumque personæ hoc ex malitia, & vt proximus confundatur & deprimatur, tunc denuncians, siue accusans peccat mortaliter. *Sed nec secretum quisquam sua fidei commissum tenetur mandanti Prælato detegere, nisi occultatio in detrimentum vergeret proximorum*. Est enim F aliquod secretum, quod illicitum est celare, sicut quod in periculum vergit aliorum, quibus aliquis cauere tenetur: vnde & in iuramento fidelitatis continetur, quòd huiusmodi secreta serui debeant dominis reuelare. Ad præceptum ergo Prælati tenetur religiosus tale secretum pandere, etiamsi promisit, se non reuelare, dicente Isidoro: *In malè promissis rescinde fidem*: nisi fortè in confessione audierit, quia tunc nullo modo esset reuelandum. Est autem aliud secretum, quod de se celari potest sine peccato: & tale secretum religiosus nullo modo Prælato præcipiente, pandere debet, si sit fidei suæ commissum; peccaret enim, frangendo fidem commisso. *Cæterùm cum omnis prælatio à Deo sit*: Non est enim potestas, nisi à Deo, *vt dicitur Rom. 13. idcircò est Prælato obtemperandum, si à Deo talis fuerit prælatio*. Potest autem prælatio G à Deo non esse dupliciter: vel quantùm ad modum acquirendi prælationem vel quantùm ad usum prælationis. Quantùm ad primum, contingit dupliciter: aut propter defectum personæ, quia indignus est: aut propter defectum in ipso modo acquirendi, quia scilicet per violentiam vel per simoniam, vel aliquo alio illicito modo acquirit: (*de quo vide fusiùs Tomo 1. V.* Ambitio.) Ex primo defectu non impeditur, quin ius prælationis ei acquiratur. Et quoniam prælatio secundùm suam formam semper à Deo est, quod debitum obedientiæ creat, ideò talibus Prælatis, quamuis indignis, obedire tenentur subditi. Sed secundus defectus impedit ius prælationis: qui enim per violentiam dominium, *aut prælationem* suscipit, non efficitur verè Dominus, vel Prælatus; & ideò, cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere: nisi fortè postmodum Dominus, *aut Prælatus* verus effectus sit

B 2. 2. loc. cit. a. 5. ad 3. & in corp. In 2. d. 44. 2. 3. Quol. 10. a. 10.

In quibus religiosi obedire teneantur.

Obedientia triplex: sufficiens, perfecta, et indiscreta.

C Quol. 10. a. 10. c. Quol. 1. a. 15. initio c.

Quid circa indifferentia.

An prælato præcipienti reuelationem peccati occulti cuiuspiā fratris, obediendum sit.

D 2. 2. 33. 7. ad 5. & 4. In 4. d. 19. 2. 3. q. 1. ad 5. Quol. 1. a. 16.

E Quol. 11. a. 13. c.

Dupliciter aliquid potest Prælato denunciari.

Quid de secreti reuelatione ad superioris præceptum.

F Quol. 1. a. 15. c. & ad 1.

Quibus Superioribus parendum.

G 2. d. 44. 2. 2. c.

Prælatio dupliciter potest à Deo non esse.

Prælatis etiā malis obtemperandum.

vel per consensum subditorum, vel per authoritatem Superioris. Abusus autem prælationis potest esse dupliciter. Vel ex eo, quòd præceptum à Prelato est contrarium eius, ad quod prælatio, ordinata est: ut si præcipiat actum peccati contrarium virtuti, ad quam inducēdam, & conseruandam prelatio ordinatur. Et tunc aliquis Prælato non solùm non tenetur obedire, sed etiam tenetur, non obedire: sicut & SS. Martyres mortem passi sunt ne impijs iussis tyrannorum obedirent. Vel quia cogunt, ad quod ordo prælationis non se extendit: vt si dominus exigat tributa, quæ seruus non tenetur dare, vel aliquid huiusmodi. Et tunc subditus non tenetur obedire, nec etiam tenetur non obedire. *Quod facilè potest ad religiosorum prælationem applicari. Includit autem obedientia (indignis præsertim exhibita Prælatis) virtutem humilitatis: Idcircò dicit Apostolus de Christo Phil. 2.* Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: *nimirùm, quia* modus H humiliationis, & signum humilitatis est obedientia: proprium enim superborum est sequi propriam voluntatem. Quia superbus quærit altitudinem: ad rem autem altam pertinet, quòd non reguletur alio, sed ipsa alia regulet: & ideò obedientia contrariatur superbiæ. Vnde volens Apostolus ostendere perfectionem humilitatis, & passionis Christi, dicit, quòd *factus est obediens vsque ad mortem.*

Abusus prælationis; duplex.

Obedientia humiliationis modus, & signum humilitatis.

H *Phil. 2. l. 2. ibi.*

h *Quatuor porrò ad obedientiam maximè exiguntur, quæ notantur in B. V. Sponso, de quo dicitur Mat. 1.* Exurgens Ioseph à somno, fecit, sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. *Et quidem* Primum est I vt sit ordinata. Et dico, *ordinata*, quia primò deserenda sunt vitia, & postea obediendum est ad operationem virtutum, Ier. 4. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Et ideò hic dicitur, quòd *Ioseph surgens à somno*, pigritiæ scilicet, & dubietatis, Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis &c.* Secundùm est, quòd debet esse festina, Eccli. 5. *Ne differas de die in diem &c.* Et ideo hic dicitur, quod statim *fecit*: Quisquis, *ait glossa*, à Deo monetur, soluat moras, surgat à somno, faciat quod iubetur. Tertium est, quòd debet esse perfecta, vt non solum quod iubetur, sed eo modo, quo iubetur, fiat; vnde hic dicitur: *Sicut præcepit*; fecit scilicet perfecta obedientia, Coloss. 3. *Filii obedite Parentibus per omnia.* Quartum est, quòd debet esse discreta, vt obediatur cui obediendum est; & in quo, vt non fiat aliquid contra Deum. Vnde dicit; *Sicut præcepit ei Angelus*, non malus, sed *Domini*, 1. Io. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Sequitur: *& accepit coniugem suam.* Vbi ostenditur, in quibus obediuit. *Sed & vlteriùs monemur, quòd* septem L sunt laudabiles conditiones ad perfectam obedientiam pertinentes: scilicet obedire libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter, perseueranter. Multùm valet voluntatis intentio adhoc, quòd obedientia sit grata & obedienti fructuosa, 1. Reg. 16. *Dominus intuetur cor.* Parum placet Sacrificium diuinæ Maiestati, nisi placeat & offerens: nec mirum, cum *bonorum nostrorum non egeat*, & vtilitas ad nos pertineat. Coacta sacrificia ei non placent. Vnde ait Moyses Exod. 35. *Iste est sermo, quem præcepit Dominus, dicens: Omnis voluntarius & prono animo offerat primitias Domino.* Et Dauid Ps. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi. Et* Apostolus 2. ad Cor 8. *Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est.* 2. Simplicitas obedientiæ Deo imperanti, vel per se, vel per eum, qui est loco sui, multùm est gloriosa; & ideò valdè ei accepta: cum scilicet aliquid, quod à Deo dicitur, creditur verum: et quod ab ipso iubetur, creditur bonum. Hippocrates & Pythagoras indixerunt hanc legem discipulis suis, vt non essent ausi in sententijs suis interrogare *propter quid*: sed esset eis pro ratione, dicentis authoritas; Multùm placuit Deo in Abraham obedientiæ simplicitas. De hac commendat Saluator primitiuam Ecclesiam, dicens: *In auditu auris obediuit mihi.* Diabolica quæstio est: *Cur præcepit vobis Deus?* Gen. 3. & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Bernardus: *Quicquid vice Dei præcipit homo (quod tamen non sit certum displicere Deo) non aliter omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, verùm per se, aut per suos ministros, siue homines, siue Angelos, innotescat suum placitum Deus?* 3. Hilaritas etiam obedientis multùm est grata imperanti, 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus:* Et Bernardus: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermone, multùm colorant obedientiam obsequentis.* Cum operibus obedientiæ pascatur Deus, quasi fel in escam Deo ponit, qui cum tristitia obedit, Ps. 68. *Dederunt in escam meam fel.* 4. Item grata est imperanti obedientiæ velocitas. Seneca: *Proprium est libenter facientis, citò facere.* Et Prou. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit.* 5. Necessaria est virilitas ad perfectionem obedientiæ. Bernardus loquens obedienti: *Manum tuam misisti ad fortia? agendum est instanter, & constanter obediendum, nec inter asperitatem verborum, tam regalis est semita relinquenda.* Semitam obedientiæ etiam pro ignominiosa morte noluit Christus relinquere, *factus obediens usque ad mortem.* 6. Item necessaria est humilitas obedienti, quæ obedientiam custodiat, ne euanescat, & in vitium transeat; Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; serui inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus.* Sicut ramus arboris tantò magis inclinatur, quantò magis fructu est oneratus: sic humilior esse debet, qui plura bona opera habet, cum omnia sint dona Dei, 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 7. Laudabilis est valdè perseuerantia in obedientia, quæ summi Regis singularis est filia; & hæc sola est regni Cœlestis heres. Bernardus: *Quid currere prodest, & ante metam cursus deficere?* Sic currite, *inquit Apostolus*, vt comprehendatis. *Et Dominus Mat.* 24. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *Idcircò laudabiliter religiosi obedientiam profitentur, eamque Superioribus deuouent vsque ad mortem, vt obedientia perseuerantia innuatur ad perfectionem tendentibus necessaria!*

Quatuor ad obedientiam rectam exiguntur.

I *Mat. 1. lit. f. ibi.*

Item septem eius conditiones.

L *Op. de er. Pr. l. 5. c. 39*

Prima vt fiat libenter.

2. simpliciter.

3. hilariter.

4. velociter.

5. viriliter.

6. humiliter.

7. perseueranter.

i *Sicut autem corporali cibo reficimur & recreamur: ita Prælati spiritualiter reficiuntur promptà obedientià subditorum. Vnde Apostolus 2. Cor. 7.* Gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. *Siquidem* tunc M reficitur animus Prælati, quando subditi eius sunt ei obedientes, *Epist. ad Philem.* Refice viscera mea in Domino. *Quin ex obedientia religiosorum videtur refici vel ipse Christus D. N. Quod mysticè facit quod habetur Io. 12. vbi dicitur, quòd* venit Iesus in Bethaniam: fecerunt autem cœnam ibi, *Ibi*, scilicet N in Bethania (quæ *Domus obedientia* interpretatur) *& fecerunt cœnam*, quia Dominus in domo obedientiæ (*qualis religiosorum est*) spiritualiter reficitur, delectatus in obedientia nostra. *Coharenter adhæc petiit post*

Subditorum obedientiā spiritualiter reficiuntur Prælati.

M *2. Cor. 7. l. 4. ibi.*

N *Io. 12. l. 1. lit. c.*

Immò et Christus obedientiā religiosorum.

post resurrectionem suam à discipulis expiscantibus, Io. 21. Pueri, nunquid pulmentarium habetis? *Etenim* mysticè O à nobis pulmentum petit, vnde reficiatur: quod est obedientia mandatorum. *Iddircò & de se ipso respectu Patris dicebat Io. 4.* Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius: *quo erudiuntur claustrales, per obedientiam operibus perfectionem dari. Nec mirum, in obedientia nostra adeò sibi Dominus complaceat. Quamuis enim paupertatis & continentia vota, vt vidimus, quadam sacrificia sint*: sacrificium *tamen* Deo P acceptissimum est, quando aliquis (*non res exteriores tantùm per paupertatem, vel corpus dumtaxat per continentiam*) *sed* spiritum suum offert Deo, *per obedientiam, vtique & abdicationem voluntatis: quod (vt præmisimus) holocaustum quoddam est, cæteris præpollens sacrificiis. Quibus immò omnibus regularis obedientia antefertur*, 1. *Reg.* 15. Melior est obedientia, quàm victimæ: & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum. *Sanè pluris fecit Dominus obedientiam Abrahæ, quàm sacrificium, quo filium vnicum erat immolaturus: hoc enim consummari vetuit, illam verò plenè acceptauit, Gen.* 22. Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi &c. (*De singulari Abrahæ obedientia vide fusè* Gen. 22. Et Op. de er. Pt. lib. 5. cap. 36 Et Conformatio ad diuinam voluntatem *Tomo* 1.) *Profectò* votum Q obedientiæ est præcipuum inter tria vota religionis. Et hoc triplici ratione. Primò quidem, quia per votum obedientiæ aliquid maius homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior, quàm corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam: & quàm res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Vnde illud, quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum, quam id, quod fit per propriam voluntatem. Vnde & ieiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate, secundùm illud Is. 58. *Ecce in die ieiunii vestri inuenitur voluntas vestra*. Secundò quia votum obedientiæ continet sub se alia vota; sed non conuertitur. Nam religiosus etsi teneatur ex voto continentiam seruare, & paupertatem: tamen hæc etiam sub obedientia cadunt, ad quam pertinet, multa alia, præter continentiam, & paupertatem seruare. (*Hinc religionem nostram Prædicatorum profitentes, in ipsa solemni professione solam promittunt, & exprimunt obedientiam, nulla facta de paupertate, aut continentia mentione.*) Tertiò quia votum obedientiæ propriè se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quantò autem aliquid propinquius est fini, tantò melius est: & inde etiam est, quòd votum obedientiæ est religioni essentialius. Si enim aliquis absque voto obedientiæ voluntariam paupertatem & continentiam etiam voto seruet, non propter hoc pertinet ad statum religionis, qui præfertur etiam ipsi virginitati ex voto obseruatæ: dicit enim Augustinus lib. de Virginit. *Nemo, quantùm puto, ausus fuerit virginitatem præferre monasterio*. Ille autem R qui profitetur regulam, non vouet seruare omnia, quæ sunt in Regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis votis. Vnde & in quibusdam religionibus cautiùs aliqui profitentur non quidem regulam, sed viuere secundùm Regulam, idest tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informet secundùm Regulam, sicut secundùm quoddam exemplar: & hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem Religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam secundùm Regulam, ita quòd professioni non contrariatur nisi id, quod est contra præceptum regulæ: trangressio verò, vel omissio aliorum, obligat solùm ad peccatum veniale, quia huiusmodi dispositiones sunt ad principalia vota. Peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, in quantùm impedit ea, quibus aliquis disponitur ad obseruanda principalia præcepta legis Christi, quæ sunt præcepta charitatis. In aliqua tamen religione, scilicet Ordinis Prædicatorum, trangressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem neque venialem, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam, quia per hunc modum ad talia obseruanda obligantur. (*Hinc alibi instruimur, quòd* in Ordine S fratrum Prædicatorum est cautissima, & securissima forma profitendi, quia non promittitur se seruare regulam, sed obedientiam secundùm regulam, vnde ex voto obligantur ad seruanda ea, quæ ponuntur in regula tanquam præcepta, & quæ Prælatus secundùm tenorem Regulæ sibi præcipere voluerit. Cætera verò, quæ non continentur in regula sub præcepto, non cadunt directè sub voto; vnde ea prætermittens, non peccat mortaliter.) Hi tamen possent venialiter vel mortaliter peccare ex negligentia vel libidine, seu contemptu.

O Io. 21. l. 1. lit. e.

Obedientia acceptissimũ Deo sacrificium, immò holocaustum. P Op. 18. c. 11 Et Op. 19. c. 1. Quin et sacrificiis antefertur.

Q 2.2.186.8. c. & 188.7. ad 1. & 104.3. c. Eius super alia uota præstantia ex tribus.

Religionem Prædicatorũ profitentes, solam promittunt et exprimunt obedientiam. Obedientiæ votum religioni essentialius.

R 2.2.186.9. ad 1. & 2. Quol. 1. a 20. An religioné profitentes, semper peccent mortaliter transgredientes quæ sunt in regula propter obedientiæ votum.

In religione Prædicatorũ quid obliget ad culpam.

S Quol. 1. l. c. ad 2.

Forma in ea profitendi cautissima et securissima.

Obedientia verò contrariatur inobedientia, non quæcumque, sed quæ opponitur obedientia prout specialis est virtus: quando scilicet T specialis ratio ad faciendum aliquid, est auctoritas præcipientis: huic enim opponitur inobedientia, quæ est speciale peccatum: quando scilicet aliquis prætermittit hoc, quod est præceptum specialiter, in contemptum præcipientis. Aliquando autem obedientia sumitur, quasi omnem virtutem consequens; actus enim omnis virtutis in præcepto legis est: vnde quicumque aliquem actum virtutis facit, obedit: & huic obedientiæ opponitur inobedientia, quæ omne p. m. consequitur. *Cæterùm* peccatum V veniale non est inobedientia: quia non est contra præceptum, sed præter præceptum. Nec etiam omne p. m. est inobedientia propriè, & per se loquendo; sed solùm tunc, quando aliquis præceptum contemnit: quia ex fine morales actus speciem habent. Cum autem facit aliquid contra præceptum, non propter præcepti contemptum, sed propter aliquid aliud, est inobedientia materialiter tantùm, sed pertinet formaliter ad aliam speciem peccati. *Quemadmodum tunc est peccatum scandali formaliter ad speciem scandali pertinens, quando directè intenditur, vt finis, ruina proximi: cum verò quis peccat, hanc non intendens, quamuis inducatur ex hoc alius ad peccandum, materialiter tantùm scandalum dicitur, non formaliter: quamuis peccet sic agendo, quia facit aliquid de se ad peccandum inductiuum. Prout verò inobedientia specialo peccatum est, ponitur inanis gloria filia*: quia *enim* videtur X ad quandam excellentiam pertinere, quòd homo præceptis alterius non subdatur: inde est, quòd inobedientia ex inani gloria oritur. *Et graue quidem peccatum inobedientia est cuius nihilominus grauitas secundùm diuersos gradus pensanda est. Nam* inobedientia Y qua contemnitur Dei præceptum, ex ipsa ratione inobedientiæ grauius est peccatum, quàm peccatum, quo peccatur in hominem, si secerneretur inobedientia Dei. Et hoc ideò dico, quia qui contra proximum peccat, etiam contra Dei præceptum agit. Si tamen in aliquo potiori præceptum Dei contemneret, adhuc peccatum grauius esset. Inobedientia autem, qua contemnitur præceptum hominis, leuior est peccato, quo contemnitur ipse præcipiens: quia ex reuerentia præcipientis procedere debet reuerentia præcepti. Et similiter peccatum, quod directè pertinet ad contemptum Dei,

Obedientiæ, ut specialis est virtus, opponitur inobedientia, quę est speciale peccatum: et in quo istud consistat.

T 2.d.35.1.2. ad 2. Hebr. 2. l. 1. ibi, inobedientia.

V 2.2.105.1. ad 1. Hebr. 2. l. 1. ibi, inobedientia.

Quid obedientia generalis, et inobedientia.

Inobedientia inanis gloriæ filia.

X 2.2. l. c. ad 2. Ma. 9. 3. ad 2.

Graue peccatum: magis tamen vel minus secundùm diuersos eius gradus.

Y 2.2.105.2.c.

sicut blasphemia, vel aliquid huiusmodi, grauius est, etiam semota per intellectum inobedientia à peccato, quàm esset illud peccatum, in quo contemnitur solum Dei præceptum. *Et tamen eadem taxatur pœna* Deut. 21. *inobedientibus & blasphemis, scilicet lapidatio.* Secundùm Z legem (*inquit Author*) lapidatio solis blasphemis & adulteris debebatur, & filijs inobedientibus. Blasphemos autem nominat hic aberrantes à Deo; & in eodem genere inobedientes computantur, quia *quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere*, vt dicitur 1. Reg. 15. *Verumtamen* illa A Samuelis comparatio non est æqualitatis, sed similitudis, quia inobedientia redūdat in cōtēptū Dei, sicut & idololatria, licèt idololatria magis *Grauissimè profectò cōtra Regularem obedientiam delinquitur, quando quis* non obedit B præceptis cum rebellione quadam. Dico autem, *cum rebellione*; cum & pertinaciter præcepta Ecclesiæ contemnit, & iudicium eius subire recusat: *Quod tunc fit, quando præter interiorem Regulæ vel authoritatis contemptum (quod mortale proculdubio peccatum est) adest & contemptio Superioris exterior cum effræni proteruiâ acrique contentione; & (quod absit) cum verbis iniurijs. Qua quidem inobedientia religiosi peccantes, grauiter puniendi omninò sunt: alioquin totum rueret, obedientia sublata, spirituale religionis ædificium. Graue inquam peccatum inobedientia est*, & tantum C peccatum, quòd per eum mors venit in hunc Mundum, Rom. 5. *Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et paulò ante: *Per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit; & per peccatum mors.* Sed D videtur primum hominis peccatum fuisse superbia, magis quàm inobedientia, secundùm illud Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Sed dicendum est, quòd (vt ibidem dicitur) *initium superbiæ* facit *apostatare à Deo*; quia scilicet prima pars superbiæ consistit in hoc, quòd homo non vult subijci præceptis diuinis: quod ad inobedientiam pertinet. Vnde primum hominis peccatum fuisse videtur inobedientia, non secundùm actum exteriorem, sed secundùm interiorem motum superbiæ, quo voluit diuino præcepto contraire. Vnde eius inobedientiam Dominus arguit *Gen.* 3. Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes &c. *In hoc ergo peccauit Adam, quòd voluit ex superbia voluntatem suam diuinæ voluntati per obedientiam subijcere. Et ita* Sicut diabolus E volens facere voluntatem suam, quod est superbiæ, eiectus est de Cœlo: *ita* primus homo de Paradiso. *At ex opposito* secundus homo de Cælo cælestis Christus: Descendi *inquit* de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, *Io.* 6. *Eiectus inquam est primus homo de Paradiso: nec enim peccatum est, quod magis Deum exacerbet, quàm inobedientiæ culpa. Hinc ad illud Apostoli Hebr. 3. ex Ps.* 94. Sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto &c. *docemur, quòd* inter F alias culpas filiorum Israel grauissimè punitas, vna fuit inobedientiæ, quam habuerunt in facto exploratorum, de quo *Num.* 13. *&* 14. Pro quo facto indignatus Dominus voluit totum populum delere. Vnde iurauit, quòd nullus intraret terram promissionis (*Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*) exceptis duobus, scilicet Caleb & Iosue. Istud autem vocat specialiter *exacerbationem*: quia licèt per alia peccata offendissent Deum, tamen per illud exacerbauerunt ipsum. Sicut enim fructus acerbus, qui opponitur maturo, non est aptus ad cibum, sic tunc ira Dei fuit inflexibilis, *Psal.* 77. Exacerbauerunt eum in deserto: in ira concitauerunt eum in inaquoso. *Id quod & in pœna conspicitur, inobedienti vxori Loth salitus inflicta, quæ versa est in statuam salis, Gen.* 19. *Hoc enim factum est*, vt G aduertentes pœnam vxoris inobedientis, timeremus etiam in præceptis minimis non obedire.

Z 4.d.38.exp. tex. initio.

Idololatriæ comparatur.

A 2.2.105.2. ad 1.

B 2.2.39.1. ad 3.

C 2.Thess.3.l.2. ibi, non obediunt.

Per inobedientiam mors in Mundum.

D Rom.5.l.5. fi.

Quomodo peccatum Adæ & inobedientiæ fuerit & superbiæ.

E Io.6.l.4.lit.1

F Hebr.3.l.2. ibi.

Nil magis Deum exacerbat, quàm inobedientia.

Quæ seuerissimè à Deo punitur.

G Gen.19.ibi, post tergum.

Moralitas.

m *Et nihilominùs non desunt plures, qui solemniter intra claustra obedientiam professi, nil magis auersantur, quàm vel in minimo obedire, quasi obediendo in proprio grauiter læderentur honore. Cum tamen, actus exercendo virtutis, nonnisi laudem referre possimus. Ex quo frequentes contra Prælatos ad tribunalia recursus, quotidianæ protestationes, appellationes, instantiæ, cum religionis detrimento, secularium scandalo, religiosorum excidio. Tantumque abest hodie, vt quidam minùs morigeri promptè Prælatis obediant, quòd immò, ex eo quòd aliquid sibi præcipitur, velint oppositum agere; ita vt de his respectu Prælatorum, verum habeat, quod respectu Dei (idem enim est, cum eius vices gerant) dicitur Iudic.* 2. Citò deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant Patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. *Et hoc quidem ex eo potissimùm prouenit, quòd propter hominem operamur, non propter Deum: solo quippe ad Deum respectu, & propter amorem illius, ac quo honorem, humiliari debemus homini & obedire, ceu qui Dei vices gerit in munere suo. Quod ait Apostolus Petrus in sua 1. cap.* 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. *Propter Deum*, scilicet H sic ordinantem, Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Vel *propter Deum*, idest secundùm amorem; non propter hominum fauorem. Vel *propter Deum*, huius exemplum ostendentem, de quo dicitur Luc. 2. *Erat subditus illis*, scilicet parentibus suis. *Et hoc quidem pacto propter Dei amorem Prælatis obedientes nostris temporaliter, æternali cum Deo vitæ eò magis appropinquamus: cum dicat Apostolus ad Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos; non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus? *Viuemus inquam*: Finis enim I obedientiæ est vita æterna, *ad Hebr.* 5. Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. *Idcircò ad illud de Magis Mat.* 2. Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, *ritè instruimur, quòd* ad regionem L nostram Paradisum, à qua per peccatum expulsi sumus, per obedientiam peruenimus. *Et ad illud pariter Mat.* 28. Vndecim discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus: & videntes eum adorauerunt &c. *notat Author, quòd Christus* apparet M discipulis in loco, *vbi constituerat illis*: in quo signatur obedientia, quia soli obedientes veniunt ad visionem diuinam, *Io.* 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. *Et sequitur*: Ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. *Occasione tandem eorum verborum, Io.* 11. Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam &c. *docemur, quòd* mysticè N per Bethaniam, quæ interpretatur *Domus obedientiæ*, & Ierusalem *visio pacis*, datur intelligi, quòd qui sunt in statu obedientiæ, sunt propinqui ad pacem vitæ æternæ. *Quam religiosis claustralibus Prælato suo obtemperantibus concedat Dominus, qui ex obedientia pro Mundi salute passus, est benedictus in secula.* Amen.

Obediendū Prælatis propter Deum.

H 1.Pet.2.§.5. ibi.

I Hebr.12.l.2. ibi.

Per obedientiam ad vitam appropiamus æternam.

L Mat.2.lit.c.§

M Mat.28.ibi.

N Io.11.l.4. lit.b.

n Cæterùm, de S.R.E. quàm benemeriti sint omnes & singuli Regularium Ordines, vniuerso Christi fidelium cœtui notum satis. Philosophicis siquidem missis doctrinis (quibus etiam iuuentutem vsquequaque erudiunt) vbinam frequentiùs aut accuratiùs aut sanctiùs siue mystica, siue dogmatica, siue scholastica, siue moralis Theologia, tum

Regularium Ordines de S.R.E. benemeriti.

tum verbo tum scripto, & ordinatè docendo, & subtiliter disceptando, nisi in Regularium Collegijs, studijs generalibus, singulisque ferè conuentibus traditur? Vbinam erecta Vniuersitas, in qua primarij non suspiciantur. Cathedratici, Regulares? Quinam, nisi claustrales viri, remotas dissitasque Barbarorum atque Infidelium regiones promptiùs aut audaciùs adiere, idola inibi comminuentes, catholicæ verbum fidei seminantes, vtque in messem cresceret copiosam, proprio irrigantes cruore? Quinam præter illos, grassantes destruxerunt hæreses, vel hæreticorum retudere tela, aut retundunt? Idcircò & in tota fermè Ecclesia Dei hæreticæ prauitatis Inquisitores, nonnisi Regulares instituuntur. Quinam vt in pluribus sacræ paginæ interpretes & commentatores leguntur, nisi ex claustralibus? Quinam frequentiùs, vt illi, sacra suggesta ad fideles moraliter instruendos concedunt? Quinà sedulitiùs aut fructuosiùs pœnitentiæ Sacramentum in Sancta Ecclesia administrant? Quosnam præ cæteris Sacra vnaquæque Cardinalium Congregatio ad consulendum aduocat, nisi claustrales? Quin & œcumenica Concilia, præter Episcopos (ex quibus etiam claustrales nonnulli) ex Regularium præcipuè Ordinibus Theologos consueuerunt accire: Vnde & in Synodo Tridentina ex solo Prædicatorum Ordine Episcopi 18. Theologi 27. numerati sunt. Quod quidem Concilium solam præterea Regularis S. R. E. Doctoris *D. Thomæ* Aquinatis Theologicam Summam pro dogmatum stabilienda veritate ad manum habere voluit: ad cuius doctrinæ normam (Euangelicæ veritati nunquam non consonæ) orthodoxus ille Catechismus iussu S. M. *Pii V.* editus est, à Fr. *Francisco Forerio* Lusitano Ord. Præd. Magistro concinnatus. Ecclesiæ quippe vtiliores codices sacri perpetuò ex claustris prodiere, & in dies prodeunt incessanter. Ad diuinum verò cultum Christianorum cordibus firmiùs inserendum, pietatemque magis ac magis exaugendam, qualis & quantus sit Regularium zelus: ex deuota quotidiana statutis horis noctu dieque ipsorum psalmodia, alijsque sacris functionibus atque exercitijs innotescit. Nec vllus Ordo est, qui frequenti Eucharistiæ ministerio peculiarem aliquam, ad pia fidelium vota, in sua quisque Ecclesia, deuotionem non excolat: vnde & ad eorum Templa concursus celebrior, ac libentior populorum accessus, vt vel ipsis *lippis, & tonsoribus* manifestum est. Sanè ab ipsis Ordinum Regularium primordijs ad hæc vsque tempora & sapientia excellentes & sanctitate viros insignes iugiter Ecclesiæ peperit & progignit claustralis Religio. Quin & hodie Regulares vt in pluribus viros, aut Sanctimoniales, beatorum Cælitum adscriptos cathalogo audimus: quos vniuersus veneratur Christianus Orbis atque gratulabundus adorat. Hi namque seduli Operarij sunt, quos Dominus ad Ecclesiasticæ vineæ culturam mittere nunquam destitit, neque in futurum desistet. *Fructiferos* hinc *in agro Domini palmites* vocat eos *S. M. Pius V.* (ex nostro Prædicatorum Ordine ad summum Pontificatum assumptus) in suo Breui, quod incipit: *Etsi mendicantium*, dat. 1567. 17. Cal. Iunij dat. Et *Leo X.* in sua Bulla, quæ incipit, *Cum inter*, dat. 1518. 28. Jun. eos expressiùs *Operarios* appellat, *qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth vocati sunt*. Immò *B. Pius V.* præfatus vbi suprà: *Qui onus* ait *diei & æstus, tam in prædicationibus, quàm in cæteris spiritualibus muneribus, quotidie sustinent*. Quòd si labor omnis suum exposcit præmium, & ex ore Domini Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*: non mirum, si tot honoribus, dignitatibus, ac præeminentijs à summis Pontificibus omni tempore decorati sunt: si tot immunitatibus ac priuilegijs muniti, adeò vt nullus fermè extiterit Romanus Hierarcha, qui non aliquo priuilegio vel quempiam vel omnes generaliter Ordines munificenter donauerit, vel dignitate insigniuerit. Ex his idcircò innumeri Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ renunciati; quin & plurimi Cardinalitia in dies exornati purpura: vlteriusque non pauci ab Ecclesia ad summi Pontificatus apicem (non sine præcedentibus vtique singularibus meritis) euecti, sacro Cardinalium Collegio, tota Catholica Ecclesia, Orbe immò vniuerso gratulantibus. Non mirum, inquam, cum Regulares nedum fidei orthodoxæ veritatem, sed & Ecclesiæ pacem sanctæque Sedis dignitatem viriliter propugnauerint semper atque propugnent, vt (præ cæteris pluribus) *Leo X.* præfatus, vbi suprà, de sacro Prædicatorum Ordine testatur ijs verbis: *Cum Ordo Prædicatorum magnos & probitatis & doctrinæ & animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur; doceatque vt etiam in hac vita pro tot suis sanctis studiis honestisque laboribus ab Apostolica Sede (cuius nostris quoque periculosis temporibus pacem & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est) spiritualia subsidia, ornamentaque suscipiat &c.* (Huic consimile testimonium reddit & *Clemens VIII.* in suo Breui, *Iniuncti nobis*, dat. 5. Oct. 1604.) Id quod & *B. Pius V.* loco superiùs laudato de omnibus singulisque (Mendicantium præsertim) Ordinibus affirmat, cum ait: *Facere non possumus, quin eos propensiori charitate & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studiis honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede (cuius continuè pacem & dignitatem Ordines ipsi fortiter tutati sunt) tam spiritualia quàm temporalia subsidia ornamentaque acceperint & accipiant &c.* Quam sanè veritatem vel illud solum Mundo fideli suadere sufficiat, quod *Innocentio Papæ III.* cælitus in visu contigit: Lateranensem videlicet Basilicam, veluti corruentem, SS. Patriarchas Dominicum & Franciscum (Mendicantium Ordinum Coryphæos) suis humeris sustulisse.

Catechismi Romani quis Author.

Sum. Pontificum de Regularibus cōmendationes

Nec tamen temporibus actis defuerunt (sed nec hodie desunt) qui maligno spiritu ducti, sacros hosce Ordines deijcere, impugnare, calumniari, persequi, affligere, immò & opprimere nullo vnquam tempore destitere: contra quos aurea illa duo Opuscula (in ordine 17. & 19) Author noster, Regularium omnium defensor inuictus, Angelico verè calamo deprompsit. Sed & Sanctissimus Pontifex *Pius V.* claustralium virorum (Mendicantium præcipuè) amantissimus Pater, simulque propugnator acerrimus, cantatissimam illam edidit Bullam superiùs citatam: vbi quales tunc & quantas persecutiones Mendicantium Ordines paterentur, sigillatim enarrat. Et est tenoris sequentis.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Pii V. pro Regularibus.

ETsi mendicantium Ordines, qui sedulum in vinea Domini quotidie exhibere non cessant famulatum, summo semper studio (etiam dum in minoribus essemus) amplexi fuimus; ad summi tamen Apostolatus apicem (meritis licèt imparibus) diuina fauente clementia assumpti, dum id mente recolimus, facere non possumus, quin eos propensiori charitate & paterno affectu amplectamur, ac exinde pro suis sanctis studijs honestisque laboribus, proque salute animarum, ab Apostolica Sede (cuius continuè pacem & dignitatem

tem Ordines ipsi fortiter tutati sunt) tam spiritualia, quàm temporalia subsidia, ornamentaque, acceperint & accipiant, quibus & sancta sua officia, ac vitam suam regularem faciliùs atque expeditiùs exequi & transigere possint; & cæteræ religiosæ personæ, Ordinesque alij, exemplo ipsorum promptiores alacrioresque ad sua officia persoluenda reddantur: hinc est, quòd Nos attendentes, plerosque ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, qui eosdem Ordines præcipuè, tamquam fructiferos in agro Domini palmites, & colere & adiuuare deberent; non solùm id exequi negligere, verùm etiam Concilij Tridentini decretis in prauum sensum retortis, eos & eorum quemlibet varijs afficere incommodis & perturbationibus, eorumque priuilegijs non modicum afferre grauamen conantur.

Molestiæ plures Regularibus illatæ.

Quidam n. Episcopi (vt accepimus) nolunt admittere quosdam Regulares ad prædicationem, etiam in suis Ecclesijs faciendam, quamuis de eorum habilitate ad huiusmodi opus exercendum habeant bonum testimonium à suis Superioribus.

Alij verò volunt, vt nedum semel, sed etiam pluries in anno, coram ipsis vel eorum Vicarijs Prædicatores præsententur, ac pro licentia prædicandi nonnisi in scriptis dare volunt) aliquid quandoq; exigunt.

Alij etiam Episcopi maximam Regularibus iniuriam irrogare videntur, dum propter ordinem & veterem consuetudinem absque vlla ratione quosdam reijciunt, & quosdam (pro eorum libito) admittunt ad prædicationem huiusmodi habendam in locis suæ Diœcesis.

Quorundam etiam locorum Ordinarij quosdam religiosos probos viros & idoneos (etiam à suis Superioribus approbatos) ad confessiones audiendas admittere nullo modo volunt.

Quidam ex eis volunt, non solùm singulis annis, sed etiam pluries in anno in aliquibus partibus eosdem Confessores sibi præsentari. In aliquibus verò Oppidis tam Episcopi seu eorum Vicarij, quàm presbyteri Curati, nolunt vt fratres Mendicantes, vocati ad audiendas confessiones infirmorum (maximè si infirmitas est grauis) aut etiam sanorum in priuatis illorum domibus vel alibi præterquam in suis Ecclesijs aut Monasterijs, possint accedere.

Nonnulli etiam audent Confessores Monialium (qui pleno iure subsunt Regularibus) examinare, cum tamen id minimè per Concilium decernatur, sicut & de Fratribus, qui sunt audituri confessiones aliorum Fratrum.

Qui etiam in aliquibus partibus nituntur asserere seu facere, ne quisquam infra annum possit sacram Eucharistiam in Ecclesijs Mendicantium recipere, neque etiam Moniales *Tertiarias* nuncupatas suorum Ordinum, vt aliqui asserunt, in aliquibus partibus fieri: cum tamen solùm in Paschate (quoad seculares duntaxat) iuxta priuilegia summorum Pontificum prædecessorum nostrorum eisdem Ordinibus concessa, id obseruari debeat.

Alij verò Episcopi, seu eorum Vicarij, audent ad eorum libitum dare licentiam quibuscunque, quæcunque monasteria Monialium, etiam Sanctæ Claræ, ingrediendi, etiamsi Regularium curæ subdita sint. Quidam verò, sub prætextu exquirendi voluntates puellarum, ante professionem earum volunt eas extrahere à Monasterijs, & per longum tempus alibi detinere; ipsasque puellas seu nouitias de plerisque rebus interrogant neque necessarijs neque in decreto Concilij Tridentini desuper contentis, ex quibus non modica potest oriri occasio scandali.

Alij verò plerique noluerunt quosdam Regulares aliarum Diœcesium sacris Ordinibus initiare, ac etiam à sui Ordinis Prælatis approbatos, admittere nolunt.

Aliqui verò singulis Dominicis diebus in suos Parochianos ad sonum campanę excomunicationē promulgant, vt non possint interesse Missis, concionibus, & diuinis Officijs, nisi in propria Parochia. Alij verò ipsis prohibent, vt omnino in alijs Ecclesijs (etiam requisiti) non celebrent.

Alij verò in aliquibus partibus in eorum Ecclesijs conciones Sacræ Scripturæ & sermones pro mortuis haberi nolunt; &, si aliquid ipsis relictum fuerit, vt ab ipsis Missæ dicantur, vel alia officia pro mortuis celebrentur, ipsis sibi ea vsurpant, dicentes, quòd ipsi ea exequi non possunt, quia ipsi sunt Pastores. Alij verò sub excommunicationis latæ sententiæ & exilij per decennium à Diœcesi pœna inhibuerunt, ne Missæ in eorum Ecclesijs celebrentur in diebus festiuis, antequam rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Alij etiam nolunt, vt dum prædicatio in Ecclesia Cathedrali habetur, alibi prædicetur. Ac insuper in quibusdam locis omnem ordinem & quietem perturbant, dum controuersias jamdiu sopitas & extinctas super præcedentia excitarunt, & vbi nullæ erant, pepererunt, dum pro arbitrio & voluntate eorum hos illis præferre voluerunt.

Quidam etiam Episcopi volunt, Regulares à cura animarum excludi, & illam solis presbyteris secularibus commiti.

Quidam verò quartam funeralium extendere volunt etiam ad Missas, legata, & alia quæcunque, quæ domibus Regularium relinquuntur. Alij autem volunt quartam partem omniū, eorumque etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarum, pannorum, & eorum etiam, quæ pro victu Fratrum relinquuntur. Aliqui etiam in quibusdam partibus etiam volunt, vt non solùm jus sepulturæ solui consuetum, quod semper soluitur neque denegatur, sed etiam omne illud, quod Ecclesijs Ordinum ad eorum libitum partes dant, quando sepeliuntur ibidem defunctorum corpora, id totum Curatis etiam de nouo soluatur, instanter conantur, impedientes ne aliter corpora defunctorum ad Monasteria Fratrum deferantur: vnde in hoc maxime tam partes quàm ipsos Fratres grauari contingit.

Aliqui verò, etiam ex locis Mendicantium, qui curam habent animarum, volunt pro seminario decimas exigere, ac in casu retinentiæ etiam pignus exigunt. Alij autem per præfatos Fratres, ac Moniales sub eorum cura degentes, subsidium Regium persoluere cogunt, cum multæ earundem Monialium vix habeant pro earum victu & vestitu necessaria vitæ.

Alij etiam in quibusdam partibus pauperes Mendicantes eleemosynas petere prohibent pro eorum duntaxat sustentatione: &, si inuenerint eos panem, vel aliquid aliud simile amore Dei sibi collatum portantes, quandoque ab eis auferre minantur, afficientes eos graui iniuria & contumelia.

Nonnulli verò Episcopi, vel Capitula Canonicorum, pauperes Mendicantes tam Fratres quàm Moniales suorum Ordinum, tam de redditibus bonorum, si quæ habent, quàm de possessionibus, vineis, agris, & alijs suis bonis quibuscunque, non solùm largitione fidelium sibi concessis, sed etiam aliàs, iustis de causis ab eis acquisitis, ac pecunijs emptis, sibi decimas, ac primitias alijs respectiuè, soluere cogunt.

Alij

Alij autem ausi sunt inquirere & processus facere contra aliquos Regulares, intra claustra delinquentes, vel de quorum delictis aliqua erat suspicio, non expectata suorum Superiorum censura. Alij verò Episcopi Monialium Monasteria ingredi, & illa ingrediendi licentias alijs concedere, & aduersùs illas processus formare, ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis, præsumunt.

Aliqui etiam Dominium temporale super Moniales habere prętendunt. Nonnulli verò frequentissimè Regulares citant, & iurisdictioni suæ subijcere tentant, ac eorum conuentum occupant, ipsos expellendo, ac in ipsos iurisdictionem vel potestatem exercent. Aliqui verò ipsos carceribus (absque causæ cognitione) mancipant, ac manibus pedibusque laborant, vt Regulares Mendicantes suæ ditioni subijciant: & vsque adeò se intromiserunt in gubernatione Conuentuum & in correctionibus Fratrum, vt Prouincialibus & Generalibus nullus ampliùs videatur relictus locus aut vlla iurisdictio.

Aliqui autem, conuentuum Priores & Guardianos rationes & computa facere cum Syndicis Conuentuum huiusmodi, prohibent. Fratres quoque, qui ad Episcopos huiusmodi recursum habent, à Prioribus & Guardianis præfatis castigati & puniri interdicuntur. Inhibent quoque Superioribus Ordinum, ne faciant processus contra Fratres: ac in ipsos imperium & brachium seculare exercent. Alij verò, ipsos extra claustra degentes sub eorum protectione recipiunt, eosque sic permanere permittunt, eosque etiam inuitis suis Superioribus detinent.

Aliqui verò, bonorum ipsorum Fratrum, tanquam ad eos (si extra claustra defuncti fuerint) spectantium, possessionem occupare præsumunt, & ad habitum Religionis reuersis, sua bona consignare nolunt. Ac etiam uniones à Sede prædicta aut aliàs ritè factas de beneficijs Ecclesiasticis impediunt, & sibi relaxari debere volunt, & contradictores excommunicationis gladio feriunt.

Alij verò, Regulares campanas diebus festiuis pulsare, vel eodem tempore, quo ipsi celebrant, Missas celebrare nolunt.


Aliqui etiam, pro licētia danda ædificandi quamdam domum Regularem; 30. vel 40. ducatos exigere non erubuerunt.

Alij verò, eos mortuorum corpora associare: Alij autem illos cum Parocho similia munera subire non permittunt, nisi maior Canonicorum pars interuenerit. Alij verò mortuorum officia in Regularium Ecclesijs peragi nolunt, nisi cum ipsorum præsentia; & ipsorum Moniales, vel alias personas, etiamsi in earum funere Parochus interuenire non deberet, sepelire prohibent, nisi ipsi Parocho priùs certum quid solutum fuerit: &, si aliquem, ipsi sciuerint, in Regularium Ecclesijs sepulturam elegisse, eum (vt dicitur) non ante ad illas deferre sinunt, quàm ad Parochi Ecclesiam delatum, inibique officium peractum fuerit.

Postremò verò, testamenta sine Presbyterorum præsentia fieri, prohibent: & si quid ipsis Regularibus relictum fuerit, id asserentes contra Concilij Tridentini Canones esse, reuocare omnino procurant &c. *Hactenus Sanctissimus Pontifex Pius.*

Quibus ille persecutionibus ac molestiis cætui Regularium iniuriis Apostolica authoritate obuiat, easque piè in totidem immò nouaque priuilegia conuertit, vt in progressu eiusdem Bullæ videre est. Et quamuis priuilegia aliqua, specialiter quoad Confessariorum approbationem, per aliam Bullam (quæ incipit, Romani Pontificis prouidentia circumspecta, *dat. 22. Augu: 1571.) ob quadam inconuenientia reuocauerit eaque* Gregorius XIII. *ad terminos iuris reduxerit (vt habetur in Bulla, quæ incipit,* In tanta, *dat. 1. Martii 1573.) non exinde ibi adductas Regularibus illatas molestias, falsas esse declarat; nec idcircò paterna tollitur Beati Pontificis in Regulares propensio; quos verè nouit S. R. E. proficuos generaliter Operarios, subditosque Christi Vicario semper deuotos. Neque mirandum est, in tam multiplici Religiosorum numero quosdam minùs probos existere; nam &* in Angelis suis (*Iob 4.*) reperit prauitatem *Deus, & in Apostolis Christus Dominus infidelitatem. Quod dictum sit,* vt omne os obseruatur *malignantium, de quibus Ps. 73.* Quanta malignatus est inimicus in Sancto! *At de iisdem præmittitur Ps. 36.* Qui malignantur, exterminabuntur. DISCE *claustrales viros, tam proficuos Ecclesiæ Operarios, ea qua par est pietate venerari.* Vide *plura de Religiosis, eorumque statu, & ad eos spectantibus* O, *Et verbo* Conformatio ad diuinam voluntatem *Tome 1.*

O Op. 17. 18. 19. Op. de er. Pr. l. 5. à c. 36. Quol. 3. a. 16. & 17. & 2. 2. à q. 184. & 3. con. G. à c. 130.



RELIQVIÆ SS. *Vide* Ecclesia *T.* 2.

REMINISCENTIA. *Vide* Memoria.

REMORSVS.) *Vide* Conscientia

REMVRMVRATIO.) *Tomo* 1.

REPROBATIO. *Vide* Prædestinatio.

REPVDIVM. *Vide* Matrimonium.

RESPVBLICA VENETA. *Vide* Bellum, Blasphemia *Tomo* 1. Princeps.

RESTITVTIO. *Vide* Furtum *Tomo* 2. Lingua, Simonia, Vſura.

RESVRRECTIO.

V. Resurrectionem futuram fieri, non est impoſſibile: quia ſi natura ex eo, quod mortuum eſt, poteſt reparare idem ſpecie, multò magis Deus poteſt reparare idem numero: quia & hoc ipſum, quod natura facit, opus Dei eſt. Habet enim hoc natura à Deo, quòd hoc facere poſſit. 1. *ad Cor.* 15. *lect.* 5. *ibi*, ſeminas.

Fides de resurrectione fundamentum ſalutis.

n INter *articulos fidei præcipuos* Carnis reſurrectionem *Eccleſia recenſet, ceu in quo totum ſalutis noſtræ fundamentum ſtabilitur. Hoc eſt enim, quod aiebat Paulus* 1. *Cor.* 15. Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. *Si autem Chriſtus prædicatur &c. quia* ſcilicet P reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ. Neque eſt cauſa efficiens tantùm per modum meriti, quia reſurgendo non meruit eam, cum iam eſſet comprehenſor, & viveret vità glorioſa: niſi fortè meritum reſurrectionis mortuorum referatur ad paſſionem Chriſti. Nec eſt cauſa exemplaris tantùm (ut quidam dicunt:) ſed eſt cauſa efficiens, & exemplaris. Vnde *Auguſtinus* dicit ſuper Ioannem, quòd *Verbum caro factum viuificat animas, & reſuſcitat mortuos.* Sic ergo patet, quòd ſi Chriſtus reſurrexit, & mortui reſurgent. *Et quidem* in quantùm Deus, ſiue in quantùm diuinitas eſt in Chriſto, Chriſtus eſt & exemplar, & cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum per humanitatem ſuam, ſicut per inſtrumentum diuinitatis ſuæ. *Ex quo benè deducit Apoſtolus*: Si autem Chriſtus non reſurrexit: Inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. *Sublata enim Chriſti reſurrectione, proinde & noſtra, totà ruit Eccleſiæ fides, tota ſalutis ſpes æterna. Vnde & ad inconveniens præſentata deducens, concludit*: Si in hac uita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. *Quaſi diceret*: Si Q reſurrectio mortuorum non eſt, ſequitur, quòd nihil boni habeatur ab hominibus, niſi ſolùm in vita iſta. Et, ſi hoc eſt, tunc illi ſunt miſerabiliores, qui in vita iſta multa mala & tribulationes patiuntur. Cum ergo plures tribulationes Apoſtoli, & Chriſtiani patiantur, ſequitur, quòd ſint miſerabiliores cæteris hominibus, qui ad minus perfruuntur huius Mundi bonis. *Eſt igitur articulus iſte, fidei præcipuus, in quo tota veluti fundatur fides noſtra. Vnde & de Apoſtolis, primariis fidei ſatoribus, legitur* Act. 4. *quòd in ſua prædicatione* virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu C. D. N. & cap. 1. *cum deberent in locum proditoris Iudæ duodecimum Apoſtolum ſubſtituere, ad congregatos fratres ea Petrus verba præmiſit*: Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati &c. teſtem reſurrectionis eius (*Chriſti Domini*) nobiſcum fieri unum ex iſtis: *quaſi ad unicum hunc ſcopum, pro fide Chriſti diſſeminanda, tota Apoſtolica dirigeretur prædicatio: & hoc unum ſufficeret. Ex quo* circa hunc R articulum plures fuerunt errores. Quorum primus eſt *Valentini*, qui *carnis reſurrectionem* negavit: quem etiam plures hæretici ſunt ſecuti: Contra quem loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 15. *cit.* (Cum enim S non conſiderarent, niſi principia naturæ & poſſe, & uiderent, quòd ſecundùm principia naturæ & poſſe, nullus de morte poteſt redire ad vitam, nec cæcus poteſt recuperare viſum: ideò totaliter negauerunt reſurrectionem. Ex quorum perſona dicitur Sap. 2. *Vmbra tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri &c.* & priùs *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus &c.* Et Iob 14. *Putas ne mortuus homo rurſum vivat?*) Secundus eſt error *Hymenæi & Phileti*, contra quos dicit Apoſtolus 2. Tim. 2. quòd *à veritate fidei exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam*: vel quia non credebant niſi reſurrectionem ſpiritualem; uel quia non credebant alios reſurrecturos, niſi illos, qui cum Chriſto reſurrexerunt. Tertius eſt error aliquorum hæreticorum modernorum, qui dicunt reſurrectionem futuram, non tamen eorundem corporum: ſed quòd animæ reſument quædam corpora cæleſtia: contra quos dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. cit. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Quartus eſt error *Eutychii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui poſuit, corpora noſtra in reſurrectione aeri uel vento aſſimilari, ut *Greg.* narrat *in* 14. *Moral.* Contra quem eſt, quòd Dominus poſt reſurrectionem ſuam corpus ſuum diſcipulis palpandum præbuit, dicens Luc. 24. *Palpate & videte.* Cum tamen Apoſtolus dicat Phil. 2. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Quintus error eſt dicentium quòd corpora humana in reſurrectione vertentur in ſpiritum, contra quos dicit Dominus Luc. 24. *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Sextus error eſt *Cherinthi*, qui mille annos poſt reſurrectionem in terreno regno fabulatur futuros, in quibus homines carnales ventris ac libidinis voluptates habebunt (*ex illo Apoc.* 20. & regnaverunt cum Chriſto mille annis: *unde & Cherinthiani* vocati ſunt T *Chiliaſtæ*, quaſi millenarii:) contra quem dicitur Mat. 22. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur.* Quidam dixerunt etiam, quòd poſt reſurrectionem mortuorum in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, Mundus manebit. Contra quos dicitur Apoc. 21. *Vidi Cælum novum & terram novam.* Et Apoſtolus Rom. 8. *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Alii etiam V dixerunt, reſurrectionem mortuorum futuram eſſe; ſed dicebant, quòd reſurgebant ad cun-

P 1. *Cor.* 15. *l.* 2. *ibi. Rom.* 6. *l.* 1. *&* 3. *Eph.* 4. *l.* 7. *fi. Coloſſ.* 3. *l.* 2. *&* 3. *p.* 50. *6. s. & q.* 56. 1. *&* 2.

Reſurrectionis noſtræ Chriſtus exemplar & cauſa efficiens, in quantùm Deus, per humanitatem ſuam.

Benè infert Apoſtolus, [illegible] Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra.

Q *Ad Corinth. loco cit.*

R *Op.* 6. *de art. fid.* §. 5. *In* 4. *d.* 43. 1. 1. *q.* 1. *c. & d.* 44. 1. 1. *q.* 1. *c. &* 3. *con. G. c.* 27. *fi.*

Plures circa reſurrectionem errores.

Valentini.

S 1. *Cor.* 15. *le.* 5. *init.*

Hymænei, & Phileti.

Eutychii Patriarchæ.

Cherinthi.

T 4. *d.* 43. 1. 3. *q.* 1. *ad* 4. *&* 3. *con. G. c.* 27.

V *Ibid. &* 4. *con. G. c.* 82.

Pharisæorũ, & Saracenorum.

eundem modum viuendi, & ad eosdem actus. Et hoc etiam posuerunt quidam Philosophi, qui dicunt, quòd post multa annorum curricula Plato adhuc resurget, & habebit eosdem scholares Athenis, quos aliquando habuit. Hoc etiam asserunt Pharisæi *Mat.* 22. de muliere septem virorum; vnde dicebant: *In resurrectione cuius erit?* Saraceni etiam fingunt, quòd habebunt post resurrectionem vxores, & voluptates & delicias corporales, Iob 20. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* Quidam S vero resurrectionem peruersè intelligentes, resurrectionem corporum futuram non credunt: sed quod de resurrectione legitur in Scripturis, ad spiritualem resurrectionem referre conantur (*vt prætactum est*) secundùm quod aliqui a morte peccati resurgunt per gratiam. Hic autem error ab ipso Apostolo reprobatur 2. *ad Tim.* 2. *cit. Idcircò* ad veram T fidem resurrectionis confitendam, in symbolo Apostolorum positum est: *Carnis resurrectionem.* Et vt resurrectio (*corporalis, non sola spiritualis iam facta*) futura credatur, dicitur in Symbolo Patrum: *Expecto resurrectionem mortuorum.*

S 4.con.G.c. 79.& 1.Cor.15 l.2 & 7.& 2. Tim. 2.l.3.ici, resurrectionē b.5.l.5. ibi, omnes Op 3.c. 162.

T Op 3.c.162.

Ex pluribus Sacræ Scripturæ locis resurrectionis veritas comprobatur

V Iob.14 l.1.ibi

o *Comprobatur autem futura hæc corporum resurrectio, ex pluribus sacra pagina locis. Et primò quidem Iob* 14. Recede paululum ab eo (*homine*) vt quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies eius. *Vbi Author:* Signanter V dicit *paululum*: ab aliis enim rebus, quæ non rediturae intereunt, non paululum, sed in æternum Deus recedit: sed ab hominibus, qui sic intereunt, vt resurgant, per modicum tempus. Et ideò subdit: *vt quiescat*; idest, vt moriatur, non tamen in perpetuum; sed *donec optata veniat, sicut mercenarii, dies eius*: dies enim mercenarii est optata, in qua mercedem recipit. *Et iterum*: Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. *Quo loci*: Notandum X est, quòd optatum finem non expectat in aliqua parte temporis huius vitæ, quia cunctos huius vitæ dies statui militiæ deputat, dicens: *Cunctis diebus, quibus nunc milito.* Iterum notandum est, quòd homo non expectat aliam vitam huic similem, quia tunc & illa esset militia: sed expectat vitam, in qua non militet, sed triumphet & regnet. Et ideò dicit: *Expecto donec veniat immutatio mea.* Quasi dicat: In hac tota vita milito, mutabilitati laboribus augustiis subiectus: sed *expecto* immutari in statum alterius vitæ, quæ sit sine labore & angustia. Et de hac immutatione dicit Apostolus 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et ne aliquis crederet, quòd naturali virtute homo in statum alterius vitæ immutaretur, hoc excludit, subdens: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Quasi dicat: Futura immutatio ex virtute tuæ vocis, siue ex tuo imperio procedet, secundùm illud Io. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & qui audierint, viuent.* Vocare enim ad imperium pertinet; sed respondere ad obedientiam, qua creatura Creatori obedit; vnde & subdit: *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Quasi dicat: Homo resurgens non erit opus naturæ sed opus tuæ virtutis: cui quidem operi adiutricem dexteram tuam porriges, dum per auxillum tuæ gratiæ in gloriam nouitatis exaltabitur. *Præterea cap.* 19. Scio (*inquit*) quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. *Scio*, scilicet Y per certitudinem fidei, *quòd Redemptor meus viuit.* Vbi considerandum, quòd homo, qui immortalis constitutus fuerat à Deo, mortem per peccatum incurrit, Rom. 5. *Per peccatum mors*: à quo quidem peccato per Christum redimendum erat genus humanum (quod Iob per spiritum fidei præuidebat) pro nobis moriendo. Qui etsi mortuus sit secundùm humanitatem, mori tamen non potuit secundùm diuinitatem. Ex vita autem diuinitatis etiam humanitas est reparata ad vitam resurgendo, secundùm illud 2. Cor. 13. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute Dei.* Vita autem Christi resurgentis ad omnes homines diffundetur in resurrectione communi; vnde & ibidem subdit Apostolus: *Nam & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in nobis.* Est ergo primordialis causa resurrectionis humanæ, vita filii Dei, quæ non sumit initium ex Maria (sicut Hebionitæ dixerunt) sed semper fuit, secundùm Apostolum ad Hebr. 13. *Iesus Christus heri & hodie: ipse & in secula.* Et ideò signanter non dicit: *Redemptor meus viuet*; sed *viuit*: & ex hac causa futuram resurrectionem prænunciat, tempus ipsius determinans: *Et in nouissimo die de terra surrecturus sum. Is.* 26. *vlteriùs legitur*: Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Ex pergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere. *Et cap.* 66. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabunt &c. *Et adhuc apertiùs Ezech.* 37. Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes: & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & viuetis. Et scietis, quia ego Dominus: *vt innuatur in hoc diuina operatio, non natura.* Dan. 12. *pariter legimus*: In tempore illo &c. multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, vt videant semper: (*quem locum* Augustinus Z exponit: *multi*, idest omnes: hic enim modus loquendi frequenter inuenitur in Sacra Scriptura. *Sicut illud Iob* 36. Qui dat escas multis mortalibus: *Et illud Ps.* 96. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur Insulæ multæ. *Et alia huiusmodi.*) *Cui respondet in nouo testamento, præter multa de resurrectione apertè expressa testimonia, illud Io.* 5. Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii. *Sed & Mat.* 22. *nedum resurrectionem Dominus astruit contra Sadducæos*, qui dicunt non esse resurrectionem, *dum promisit*: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo: *verùm & comprobandam suscepit resurrectionem ex Sac. Scriptura verbis, vbi subiecit*: De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est à Deo, dicente vobis (*Exod.* 3.) *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Ad hæc autem verba* quærit A Hieronymus: Cum multæ aliæ authoritates sint magis expressæ de resurrectione, quare istam, quæ ambigua est, Dominus posuit? Et respondet, quòd non recipiebant Prophetas, sed quinque libros Moysi. Et quomodò facit ad propositum? Dicit, *Ego sum Deus Abraham &c.* Deus autem dicitur aliquorum in colendo eum; isti ergo colunt eum. Sed colere Deum non est mortuorum, sed viuentium: ergo Abraham, Isaac, & Iacob viuunt; sed non secundùm

X ibid.l.3.ibi.

Ex Iob c. 14.

Et cap. 19.

Y Iob.19.l.2. ibi.

Ex Isaja c.26. & 66.

Ex Dan.c.12

Z 4.d.43.2.1 q.2.ad 2.

Ex Io. cap. 5. & Mat. 22.

A Mat. 22. lic. e.ibi.

Quomodo Mat. 22. probet Dominus resurrectionē ex illo Ex. 3. Ego sum Deus Abraha, Deus Isaac, & Deus Iacob.

cundùm corpus, ergo secundùm animam. Sed quid valet hoc ad resurrectionem? Valet; quia illi dicebant, animam non esse. Ipse autem ostendit, animam remanere; &, si anima remanet, ergo & resurrectio; quia naturaliter anima inclinatur ad corpus. Sed quid est, quòd dicit, quòd *non est Deus mortuorum*? Verum est secundùm corpus: est tamen etiam Deus mortuorum, quia viuunt secundùm spiritum: *Siue enim viuimus, siue morimur, Domini sumus*, vt dicitur Rom. 14.

Num resurrectio naturalis sit, an miraculosa.

B 4 d. 43. 1. 1. q. 3. c. In 2. d. 3. c. exp. tex. 1. p. 105. 7. ad 2. Pot. 6. 2. c. & ad 4. Op. 3. c. 154. & 4. con. G. c. 81. fi. 1. Cor. 15. l. 5.

Motus aliquis se habet ad naturam tripliciter.

p *Hac autem corporum resurrectio simpliciter miraculosa est, licèt secundùm quid naturalis dici possit. Pro quo sciendum, quòd* motus B siue actio aliqua se habet ad naturam tripliciter. Est enim aliquis motus, siue actio, cuius natura, nec est principium, nec terminus; & talis motus quandoque est à principio supra naturam, vt patet de glorificatione corporis. Quandoque autem à principio alio quocumque, sicut patet de motu violento lapidis sursum, qui terminatur ad quietem violentam. Est etiam aliquis motus, cuius principium & terminus est natura, vt patet in motu lapidis deorsum. Est & aliquis motus, cuius terminus est natura, sed non principium: sed quandoque aliquid supra naturam, sicut patet in illuminatione cæci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam: quandoque autem aliquid aliud, vt patet in acceleratione florum, vel fructuum per artificium facta. Quòd autem principium sit natura, & non terminus, esse non potest: quia principia naturalia sunt ad determinatos effectus diffinita, vltrà quos se extendere non possunt. Operatio ergo, vel motus, primo modo se habens ad naturam, nullo modo potest dici naturalis: sed vel est miraculosa, si sit à principio suprà naturam, vel violenta, si sit ab alio quocumque principio. Operatio autem vel motus, secundo modo se habens ad naturam, est simpliciter naturalis. Sed operatio, quæ tertio modo se habet ad naturam, non potest dici simpliciter naturalis, sed secundùm quid, in quantùm scilicet perducit ad id, quod secundùm naturam est: sed vel dicitur miraculosa, vel artificialis, vel violenta. Nullum autem actiuum principium resurrectionis est in natura, neque respectu coniunctionis animæ ad corpus, neque respectu dispositionis, quæ est necessitas ad talem coniunctionem, quia talis dispositio, non potest à natura induci, nisi determinato modo per viam generationis ex semine. Vnde, etsi ponatur esse aliqua potentia passiua ex parte corporis, seu etiam inclinatio quæcumque ad animæ coniunctionem, non est talis, quòd sufficiat ad rationem motus naturalis. Ideò resurrectio simpliciter loquendo est miraculosa, non naturalis, nisi secundùm quid, *scilicet ratione termini*. Resurrectio enim C quantùm ad finem naturalis est, in quantùm naturale est animæ esse corpori vnitam: sed principium eius actiuum non est naturale, sed sola virtute diuina causatur. *Sicut autem omnes moriuntur, ita & omnes resurgemus*. Ea enim quorum D ratio sumitur ex natura speciei, oportet similiter inueniri in omnibus, quæ sunt speciei eiusdem. Talis autem est resurrectio; hæc enim est eius ratio, quòd anima in perfectione vltima speciei humanæ esse non potest à corpore separata; vnde nullius anima in perpetuum remanebit à suo corpore separata: & ideò necesse est, sicut vnum, ita omnes resurgere. *Hinc Apostolus* 1. *Cor.* 15.

Resurrectio ex parte termini naturalis est, miraculosa ex parte actiui principij.

C 4 con. G c. 81. fi.

Omnes resurgent.

D 4. d. 43. 1. 1. q. 2. c.

Omnes quidem resurgemus. *Et iterùm*: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur; *scilicet* boni E & mali (*vt tacita soluatur obiectio*) vita naturæ: sed vita gratiæ nonnisi boni. Sed tamen Apostolus loquitur hic de resurrectione ad vitam naturæ, ad quam omnes viuificabuntur: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei &c*, vt dicitur Io. 5. *Et quia resurrectio nostra (vt vidimus) ex resurrectione Christi est, cui conformari debemus, cum sit* Primogenitus mortuorum, *vt dicitur Apoc.* 1. *ideò* sicut tam boni F quàm mali conformantur Christo, viuendo in hac vita in his, quæ ad naturam speciei pertinent, non autem in his, quæ ad gratiam spectant: *Ita* omnes ei conformabuntur in reparatione vitæ naturalis; non autem in similitudine gloriæ, sed soli boni. *Vnde & illi* G qui in materuis vteris decedunt, quamuis renati non fuerint per susceptionem gratiæ, tamen resurgent propter conformitatem naturæ ad ipsum, quam consecuti sunt ad perfectionem humanæ speciei pertingentes.

E 1. Cor. 15. l. 3. ibi & 4. con. G. c. 81. fi. Io. 5. l. 5. lit. b. ibi, omnes.

F 4. d. 43. 1. 1. q. 2. ad 3.

G Ibid ad 5.

q *Ex quo* resurrectionis H Christi habitudo ita se habet ad resurrectionem aliorum, sicut primitiæ fructuum ad sequentes fructus, quæ excedunt alios fructus tempore & melioritate, seu dignitate. Et ideò dicit Apostolus 1. Cor. 15. quòd *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*, idest primò tempore, & dignitate. *Primitiæ* dico *dormientium*, idest mortuorum, qui in spe resurrectionis quiescunt. (Dicuntur enim mortui *dormientes*: *quia* dormiens I tria facit. Cubat in spe surgendi, Ps. 40. *Nunquid qui dormit non adiiciet, vt resurgat?* Sic & qui moritur in fide. Item in dormiente anima vigilat, Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Item postea homo resurgit magis refectus & vegetus: sic & Sancti resurgent incorruptibiles, 1. Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti*.) Sed videtur, quòd Christus non resurrexit *primitiæ dormientium*: quia Lazarus fuit resuscitatus à Christo nondum passo, & aliqui prophetæ suscitauerunt alios à mortuis, vt habetur in veteri testamento. Ad hoc dicendum, quòd duplex est resurrectio. Vna est ad vitam mortalem: & ad istam Lazarus & alij, qui suscitati fuerunt, resurrexerunt ante Christum: Alia ad vitam immortalem: & de hac loquitur hic Apostolus. Sed contra est; nam Mat. 27. dicitur: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Cum ergo hoc legatur ante Christi resurrectionem, & constet, quòd non resurrexerunt ad vitam mortalem, videtur quòd adhuc restet quæstio prima. Sed dicendum est quòd hoc quod Mattheus dicit de resurrectione illorum, dicit per anticipationem, quia licèt dicatur in tractatu de passione, non tunc resurrexerunt, sed postquam Christus resurrexit. *Vnde & signanter subditur*: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in Sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. *At verò* surrexerunt L non iterùm morituri: (*non sic Lazarus, & alii præfati*) quia surrexerunt ad manifestationem resurrectionis Christi. Certum est autem, quòd *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur*, vt dicitur Rom. 6. *Augustinus* tamen M sentire videtur, quòd resurrexerint iterùm morituri: *vt videlicet omnium simul resurrectio fiat, secundùm illud Apostoli*: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi &c. *vt dicitur* 1. *Cor.* 15. *cit.* Per quod N excludit Apostolus errorem dicen-

H 1. Cor. 15. l. 3. ibi Mat. 27 lit. b. ibi, surrexerunt. Ap. 1. com. 1. & 2. ibi, mortuorũ. 3. P. 53. 3. ad 2. In 4. d. 43. q. 1. ad 3.

Christus primitiæ dormientium.

I 1. Thess. 4. l. 2. ibi, de dormientibus.

Mortui cur *dormientes* dicantur.

Soluitur obiectio.

Resurrectio duplex.

L Mat. 27. lit. b. ibi 3. p. 53. 3. ad 2. In 4. d. 43. 1. 3. q. 1. ad 3. 1. Cor. 15. l. 3. sub initio.

M 3. p. loco cit.

N 1. Cor. 15. l. 8. ibi. In 4. d. 43. 1. 3. q. 1. & ad 4. & q. 3. c. Ps. 6. lit. a.

dicentium, resurrectionem non esse futuram omnium simul, sed dicunt, quòd martyres resurgent ante alios per mille annos; & tunc Christus descendet cum illis, & possidebit Regnum corporale Ierusalem mille annis cum eis: (*fortasse quia magis hi, quàm cæteri iusti, passioni eius conformati videntur*.) Et hæc fuit opinio Lactantii.

Error *Lactantii*.

Sed hoc patet esse falsum: quia omnes *in momento resurgemus*, inquit Apostolus, *& in ictu oculi*. Excluditur etiam per hoc alius error eiusdem, qui dicebat, quòd iudicium duraturum erat per spatium mille annorum. Sed hoc est falsum; quia non erit ibi aliquod perceptibile tempus, *sed in momento &c.* Sciendum est autem, quod momentum potest accipi, vel pro ipso instanti temporis, quod dicitur *nunc*: vel pro aliquo tempore imperceptibili. Tamen vtroque modo potest hic accipi, referendo illud ad diuersa.

Num vniuersalis resuscitatio sit in instanti facienda, an in tempore.

Quia si hoc referimus ad collectionem puluerum, quæ fiet ministerio Angelorum: tunc momentum accipitur pro tempore imperceptibili. Cum enim in collectione illorum puluerum sit mutatio de loco ad locum, oportet quòd sit ibi tempus aliquod. Si autem referamus ad reunitionem corporum, & pro vnione animæ, quæ omnia fient à Deo: tunc momentum accipitur pro instanti temporis, quia Deus in instanti vnit animam corpori, & viuificat illud. Potest etiam hoc, quod dicit, *in ictu oculi*, ad vtrumque referri: quia si *in ictu oculi* intelligitur tantùm apertio palpebrarum, quæ fit in tempore imperceptibili: tunc refertur ad collationem puluerum. Si verò *in ictu oculi* intelligatur ipse subitus contuitus oculi qui fit in instanti, tunc refertur ad vnionem animæ ad corpus. (Quòd si O aliquorum resurrectio non sit vsque ad communem resurrectionem dilata, sicut piè creditur de B. V. & Io. Euangelista: hoc est ex speciali gratiæ priuilegio concessum.) *At oppositum videtur asserere Apostolus, dum alibi ait*: Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera &c. *vt habetur 1. ad Thessal.* 4. Ergo P priùs aliqui resurgent, & sic non erit omnium resurrectio simul, quod est contra illud *Apostoli 1. Cor. 15. cit.*

Ex speciali gratiæ priuilegio est, si qui ante resurrectionem communem resurrexerūt, sicut creditur de B. V. & Io. Euangelista.

O 4. d. 43. 1. 3. q. 1. ad 2. & a. 4. q. 2. c.

Exponitur illud Apostoli ad Thessal. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus &c.*

P 1. Thess. 4. l. 2. 161. & 1. Cor. 15. l. 8. Op. 3. c. 243.

At dicendum, quòd duplex est hic opinio. Quidam enim dicunt, quòd resurrectio non erit simul; sed primò mortui venient cum Christo: & tunc in aduentu Christi viui rapientur in nubibus (aliqui *enim* inuenientur viui in tempore illo, quo Christus veniet ad iudicium:) & in illo raptu morientur & resurgent. Et ideò, quòd dicitur esse *in momento*, intelligitur, quia in modico tempore fiet. Et si dicatur, quod erit in instanti, tunc non est referendum ad totam resurrectionem omnium, sed ad resurrectionem singularium, quia singulus resurget in instanti. Alii verò dicunt, quòd omnes simul, & in instanti resurgent. Quod ergo dicit, *resurgent primi*, denotat ordinem dignitatis, non temporis. Sed videtur hoc difficile, quia de viuis multi erunt probati in persecutione Antichristi, qui dignitate præcellent multos priùs defunctos. Et ideò videtur aliter esse dicendum, quòd scilicet omnes morientur, & omnes resurgent, & quòd simul. Nec Apostolus dicit hìc, quòd illi priùs resurgent, quàm isti: sed quòd illi priùs resurgent, quàm isti occurrant. Apostolus enim non ponit ordinem resurrectionis ad resurrectionem, sed ordinem ad raptum, vel ad occurrentiam. Nam primò veniente Domino, morientur qui inuenientur viui, & tunc statim cum illis, qui priùs mortui fuerant, resurgentes, rapientur in nubibus &c. vt Apostolus dicit. Est autem hæc inter bonos & malos differentia, quia mali remanebunt in terra, quam dilexerunt; boni verò rapientur ad Christum, quem quæsierunt, Mat. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*. In resurrectione etiam Sancti conformabuntur Christo non solùm quantùm ad gloriam corporis, *Philipp.* 3. Sed etiam quantùm ad situm, quia Christus erit in nube, Act. 1. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Et, *sic veniet, quemadmodum vidistis eum, euntem in Cælum*. Sic & Sancti à nubibus rapientur. Et quare hoc? ad ostendendam eorum deiformitatem: in veteri enim testamento gloria Domini apparuit per modum nubis, vt habetur 3. *Reg.* 8. *&* 2. *Paral.* 5. Hæ verò nubes erunt præparatæ virtute diuina ad ostensionem gloriæ Sanctorum.

Resurrectio communis erit in extremo Mundi die; nec sine causa.

r *Hoc autem fiet in die Mundi cursus extremo*, *Iob* 19 Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. *Cui respondet in nouo testamento illud Domini Io. 6.* Ego resuscitabo eum in nouissimo die. *Nec sine rationabili quidem causa: nam* secundùm Augustinum *3. de Trin.* diuina Q prouidentia statuit, vt corpora crassiora, & inferiora per subtiliora & potentiora (*vel fortè* superiora) quodam ordine regantur: & ideò tota materia corporum inferiorum subiacet varietati secundùm motum cælestium corporum. Vnde esset contra ordinem, quem diuina prouidentia in rebus statuit, si materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur, manente motu corporum superiorum. Et quia secundùm positionem fidei, resurrectio erit in vitam immortalem conformiter Christo, qui *resurgens à mortuis iam non moritur*, vt dicitur *Rom. 6.* ideò humanorum corporum resurrectio vsque ad finem Mundi differetur, in quo motus Cæli quiescet.

Q 4. d. 43. 1. 3. q. 1. c. & ad 1. Iob 19. l. 2. ibi, in nouissimo.

Et propter hoc etiam, quidam Philosophi, qui posuerunt motum Cæli numquam cessare, posuerunt reditum humanarum animarum ad corpora mortalia, qualia nunc habemus, siue ponerent reditum animæ ad idem corpus in fine magni anni, vt Empedocles, siue ad aliud, vt Pithagoras posuit quamlibet animam quodlibet corpus ingredi, vt dicitur in *primo de Anima*. *Et quamuis* determinata R hora temporis, qua fiet resurrectio, pro certo sciri non possit; tamen satis dicitur probabiliter à quibusdam, quòd resurrectio erit quasi in crepusculo, Sole existente in Oriente, & Luna in Occidente, quia in tali dispositione, Sol & Luna creduntur creata: vt sic eorum circulatio compleatur penitùs per reditum ad eundem punctum. Vnde & de Christo (*cui in resurrectione conformamur*) dicitur, quòd resurrexit tali hora. *Crepusculum autem, noctis potius videtur esse pars (cum nondum Sol in Emisphario nostro illucescat) quàm diei, secundùm illud Mat.* 25. Media autem nocte clamor factus est &c. *Quod dicitur, inquit Augustinus*, non propter S rationem temporis, sed propter occultationem, 1. Thess. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte*. Dicitur enim T dies venire in nocte; quia *in die* venit propter manifestationem cordium, 1. Cor. 4. *Quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*; sed *in nocte* propter incertitudinem, incertum enim est, qua hora erit: *cum apertè ex Scripturis*

Empedoclis & Pithagoræ opinio.

R In 4. l. c. a. 3. q. 4. c.

Qua hora diei sit resurrectio futura.

S Mat. 25. lit. a. ibi.

T 1. Thess. 5. l. 1. ibi, & 2. Pet. 3. ibi, Fur.

ris non innotescat; immò clarè habentur Mat. 24. De die illa & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater. *Cui consonat illud Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. *Fiet autem in*

Haud perperam in octava ætate.

octava ætate communis hac resurrectio. Quod quidem figurabatur per circumcisionem, quæ fiebat in die octavo. Figuralis V ratio circumcisionis erat, quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Christum, quæ perfecte complebitur in octava ætate: quæ est ætas resurgentium. *Huc etiam mysticè facit quorundam titulus Psalmorum David*, Pro octaua: (Pro octaua, *inquit Ambrosius super Lucam*, multi scribuntur Psalmi:) *speciatim* Psal. 6. *Vbi decemur, quòd* per octauam X designatur resurrectio, quia in præsenti seculo duplex vita est. Vna, qua vacat homo rebus corporalibus; alia, qua vacat spiritualibus. Prima vita significatur per quaternarium, qui est numerus corporum, ut etiam dixit *Plato*: quia per ipsū significantur dimensiones: In solidis namque primus numerus corporalis est pyramis, ut tradit *Boetius* in Arithmetica sua. Cum igitur pyramis sit prima, quæ triangula basi in altitudinem se tollit, sequitur, quòd quaternarius sit primus numerus solidus. Secunda verò vita, quæ spiritualis est, significatur per ternarium: nam in planis figuris ternarius, primus numerus superficialis existit. Et idem *Boetius* in eodem libro dicit. *Est enim prima superficies triangularis, omni prorsus crassitudine carens.* Septenario autem, qui ex huiusmodi quaternario & ternario constituitur, succedit octava resurrectio, corporum scilicet & animarum. Alia tamen ratio assignatur *ex glossa*: ut dicatur, quòd ad corpus pertinet quaternarius, quia constat ex quatuor elementis, & quatuor afficitur qualitatibus; scilicet sicca & humida, calida & frigida: & quatuor temporibus administratur, vere, æstate, autumno, & hyeme. Ad animam verò pertinet ternarius propter tres vires animæ, scilicet rationalē, irascibilē, & concupiscibilē. Peracta verò utraq; vita, scilicet corporali, & spirituali, quasi septenario numero translacto, veniet dies iudicii, & suis unicuique promeritis ius reddetur. Vel ideò per octavam significatur resurrectio, quia octava ætate erit. Nam prima ætas currit ab Adam usque ad Noe. Secunda à Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta à David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta à transmigratione Babylonis usque ad Christum. Sexta a Christo usque ad finem Mundi: currunt enim simul sexta & septima ætas, scilicet quiescentium & laborantium. Et post has erit octava ætas, resurgentium. *Vnde & legimus Io.* 20. quòd post dies octo, iterum venit *Iesus*, & stetit in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis. *Post dies octo*, scilicet Y à die resurrectionis Dominicæ cuius ratio mystica est: quia huiusmodi apparitio illa designat, qua nobis apparebit in gloria, 1. Io. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus* &c. Quæ quidem apparitio erit in octava ætate resurgentium.

V 1. 2. 102. 5. *ad* 1. *&* 3. *p.* 70. 3. *ad* 3.

X Ps 6. *lit. a. Rom.* 4. *l.* 2. *ibi*, circumcisionis.

Duplex in hoc seculo hominis vita.

7. Mundi ætates.

Y Io. 20. *l.* 6. *lit. a. ibi*,

¶ *Cæterùm* resurrectio Z dici non potest, nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio, est iterata surrectio. Eiusdem autem est surgere & cadere: unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quàm anima, quæ post mortem viuit. Et ita, si non est idem corpus, quod anima resumit, non dicetur resurrectio, sed magis noui corporis assumptio. *Enimverò* necessitas A ponendi resurrectionem est ex hoc, ut homo finem ultimum, propter quem factus est, consequatur (quod in hac vita fieri non potest, nec in vita animæ separatæ:) aliàs vanè esset homo constitutus, si ad finem, ad quem factus est, peruenire non posset (*Ps.* 88. Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?) Et quia oportet, quòd illud idem numero ad finem perueniat, quod propter finem est factum, ne in vanum factum esse videatur; oportet, quòd idem numero homo resurgat: & hoc quidem fit, cum eadem anima eidem numero corpori coniungitur. Aliàs enim non esset resurrectio propriè loquendo, nisi idem homo repararetur. *Quòd autem ita fit, & contingat in resurrectione, ex eo liquet: quia* ad hoc B quòd aliquid sit idem numero, requiritur identitas principiorū essentialiū. Vnde quodcumque principiorum essentialium etiam in ipso individuō varietur necesse est etiā identitatē variari. Illud autē essentiale cuiuslibet indiuidui, quod est de ratione ipsius: Sicut cuilibet rei materiali sunt essentialia materia & forma. Vnde si accidentia varientur & mutentur, remanentibus principiis essentialibus indiuidui, ipsum individuum remanent idē. Cum ergo principia essentialia hominis sint anima & idem, & corpus, & hæc remaneant, quia resurget eadem anima & corpus: dicendum est, quòd corpus hominis resurget idem numero. *Nec valet, si obiicias Philosophum* in Topic. *asserentem, illud idem numero dici, quod est idem proprio, accidente, & diffinitione.* Non enim C dicitur idem numero illud, quod habet idem accidens nunc & postea, & idem proprium: sed illud est idem numero, quod est idem cum accidente, & idem cum proprio, sicut cum subiectum est idem cum accidente proprio, & diffinitione, & non illa, quæ habent idem accidens, idem proprium, & unam diffinitionem. Vnde obiiciens falsè intelligit textum. Dato autem, quòd secundùm illum intellectum procedat obiectio, dicendum, quòd intelligitur de accidentibus indiuiduantibus, scilicet de dimensionibus: & erunt hæc in corporibus glorificatis. Item erit ibi idem proprium, scilicet risus, Iob 8. *Donec repleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.* De diffinitione verò dicendum, quòd licet resurgat immortale, tamen vera mortalitas non tolletur ab eo: quia natura humana erit ibi, quæ ex se habet, quòd sit mortalis. *Nec obstat pariter, ex eodem Philosopho*, impossibile esse D quòd illa, quorum substantia corruptibilis est, redintegrentur eadem numero. sed specie: substantia autem corporum humanorum est corruptibilis, ergo impossibile est redintegrari eadem numero. Dicendum enim, quòd ratio Philosophi procedit contra illos, qui ponebant, omnia in istis inferioribus causari ex motu corporū cœlestiū & quòd revolutis eisdē revolutionibus corporum superiorū sequebantur iidem effectus numero, qui aliquando fuerant (*ut prætactum* est:) & ideò Philosophus contra eosdem arguit, quòd licèt idem Cœlum numero & idem Sol sit in eisdem reuolutionibus: tamen effectus, qui inde proueniunt, non consequuntur identitatem numero, sed speciei: & hoc secundùm viam naturæ. Similiter dico, quòd si corpora induerent incorruptionem & resurgerent secundùm viam naturæ, quòd non resurgerent eadem numero, sed eadem specie. Sed cum redintegratio & resurrectio fiant virtute diuina, dicimus, quòd corpora erunt eadem numero, cum neque principia individuantia huius hominis sint aliud, quàm hæc anima, & hoc corpus. In resurrectione autem redibit & hæc anima eadem numero, cum sit incorruptibilis: & hoc corpus idem numero, ex eisdem pulveribus, in quos resolutum fuit, ex virtute divina reparatum; & sic erit idem numero resurgens. Nec facio vim informis intermediis: quia non pono esse aliquam aliam formam substantialem in homine, nisi animam rationalem, à qua habet cor-

Z 4. *d.* 44. 1. 1. *q.* 1. *fi. c.*

Necessitas resurrectionis unde sit.

A Ibid. a. 1. *q.* 2. *c.*

Idem numero homo resurgere debet & resurget.

Ratio affertur.

B Quol. 11. *a.* 6. *c. Quol.* 4. *a.* 5. *Op.* 3. *c.* 153. 154. *et An. a.* 19. *ad* 5. *&* 13. *&* 4. *con. G. c.* 80. 81. *In* 4. *loco cit. &* 1. *Cor.* 15. *l.* 5. *fine l.* 9.

C Quol. 11. *l. c. ad* 1.

Soluitur obiectio.

D 1. *Cor.* 15. *l.* 9. *ibi*, corruptibile, *& locis cit.*

Et alia diluitur.

corpus humanum, quòd sit animatum natura sensibili, & vegetabili, & quod sit rationale. Formæ verò accidentales nihil impediunt identitatem numeralem, quam ponimus: *vt præmissum est. Et ita* resurrectionem E futuram fieri, non est impossibile: quia si natura ex eo, quod mortuum est, potest reparare idem specie, multò magis Deus potest reparare idem numero, quia & hoc ipsum, quod natura facit, opus Dei est. Habet enim hoc natura à Deo, quòd hoc facere possit. *Quod aiebat à principio Author. Et ad hoc innuendum, signanter dicit Apostolus 1. Cor. 15. cit.* Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. *Quibus in verbis ex Authore* notandum F quòd ipsam incorruptionem, seu immortalitatem, assimilat Apostolus vestimento, cùm dicit, *induere*; vestimentum enim adest vestito, & abest, manente eadem numero substantia vestiti. Vt per hoc ostendat, quòd corpora eadem numero resurgent: & ijdem homines ijdem numero erunt in statu incorruptionis, & immortalitatis, in quo sunt modò. Dicit autem, *oportet*, necessitate scilicet congruentiæ. Et hoc propter tria. Primò propter completionem humanæ naturæ. Nam (sicut etiam dicit *Augustinus*) anima quandiu est separata à corpore, est imperfecta, non habens perfectionem suæ naturæ; & ideò non est in tanta beatitudine separata, in quanta erit corpori vnita in resurrectione. Vt ergo perfruatur beatitudine perfecta, *oportet corruptibile hoc &c.* Secundò propter exigentiam diuinæ iustitiæ, vt scilicet illi, qui bona fecerunt, seu mala in corpore, præmientur, vel puniantur, etiam in ipsis corporibus. Tertiò propter conformitatem membrorum ad Caput: vt sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitę ambulemus, vt dicitur *Rom. 6.*

E Ibid. l. 5. ibi, seminas.

Exponitur illud Apostoli: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem &c.*

F Ibid. l. 9. ibi.

Quod intelligitur de necessitate congruentiæ propter tria.

G 4. d. 44. 1. q. 2. & 3. c. & exp. tex. & 4. con. G. c. 81. ad 4

Resurgent homines non in æquali omnes statura.

Cæterùm non omnes G resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate, in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset, vel defecisset. Quod autem superest, vel quod deficit in homine, resecabit vel supplebit diuina potentia. (*Et hinc est, quòd costa Adæ, de qua formata est mulier, resurget in Eua, non in Adam; quia scilicet* costa H illa non fuit in Adam de perfectione indiuidui, sed ordinata ad multiplicationem speciei; vnde non resurget in Adam: resurget I tamen in Eua, quia in ea principalius fuit, vt scilicet pertinens ad perfectionem indiuidui, & non solùm ad perfectionem speciei, sicut fuerat in Adam.) *Proinde* sicut L considerata natura indiuidui, debetur quantitas diuersa diuersis hominibus: ita considerata natura indiuidui, debetur diuersis diuersus sexus. Et hæc etiam diuersitas competit perfectioni speciei, cuius diuersi gradus implentur per dictam diuersitatem sexus, vel quantitatis. Et ideò sicut resurgent homines in diuersis staturis, ita in diuersis sexibus. Et quamuis sit differentia sexuum, deerit tamen confusio mutuæ visionis: quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur. *Nec obest, quòd dicat Apostolus ad Eph. 4.* Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum &c. *Hoc enim dicitur* ad designandum M omnimodam perfectionem illius status. Et propter hoc *vir* magis sumitur, secundùm quod diuiditur contra puerum, quàm secundùm quod diuiditur contra fœminam. *Vel ita loquitur Apostolus*, non N propter sexum virilem, sed propter virtutem animi, quæ erit in omnibus & viris & mulieribus. *Præterea* quantùm O ad omnes quadruplex conditio attendi potest in resurrectione. *Prima* est quoad identitatem corporum resurgentium: quia idem corpus, quod nunc est, & quantùm ad carnem, & quantùm ad ossa resurget;

H In 4. l. c. a. 2. q. 4. ad 2. In 2. d. 18. 1. 1. ad 3.

Costa Adæ ex qua formata Eua, in hac resurget, non in Adam.

I In 4. l. c. exp. tex. & 4. con. G. c. 81. fi.

L In 4. d. 44. 1. 3. q. 2. & q. 4. ad 2. & 3. con. G. c. 88.

Resurgent in promiscuo sexu, non omnes in virili.

Soluitur obiectio.

M Eph. 4. l. 4. ibi.

Quadruplex conditio respectu omniũ in resurrectione.

N In 4. l. c. a. 3. q. 3. ad 1.

O Op. 6. §. penult. In 4. d. 44. 1. 3. q. 1. 2. 4. & 4. con. G. à c. 83 vsque ad 89. Mat. 22. lit. c. & 1. Cor. 15. l. 8. & 9. Eph. 4. l. 4.

(*vt visum & probatum est.*) *Secunda* conditio erit quantùm ad qualitatem, quia corpora resurgentia erunt alterius qualitatis, quàm nunc sint, quia & quantùm ad beatos, & quantùm ad malos, corpora erunt incorruptibilia, quia boni erunt semper in gloria, & mali semper in pœna eorum. Et quia corpus erit incorruptibile, & immortale, non erit vsus ciborum, & venereorum, Mat. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo. Tertia* conditio erit quantùm ad integritatem: quia omnes & mali & boni resurgent cum omni integritate, quæ ad perfectionem hominis pertinet. Non enim erit ibi cæcus, vel claudus, nec aliquis defectus, 1. Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, idest impassibiles, quantùm ad corruptiones præsentes. *Quarta* conditio est quantùm ad ætatem: quia omnes resurgent in ætate perfecta, idest triginta trium, vel triginta duorum annorum. Cuius ratio est: quia qui nondum peruenerunt ad hoc, non habent ætatem perfectam, & senes hanc iam amiserunt: & ideò iuuenibus, & pueris addetur quod deest, senibus verò restituetur, Eph. 4. *Donec occurramus &c. in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vlteriùs quantùm ad bonos, erit specialis gloria: quia Sancti habebunt corpora glorificata, in quibus erit quadruplex conditio (*siue quatuor vt vocant dotes*) Prima est claritas, Mat. 13. *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Secunda est impassibilitas, 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria.* Et Apoc. 21. *Mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.* Tertia est agilitas, Sap. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Quarta est subtilitas, 1. Cor. 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*: non quod omninò sit spiritus, sed quia erit totaliter spiritui subiectum. Damnatorum verò conditio contraria erit conditioni beatorum, quia erit in eis pœna æterna, in qua est quadruplex mala conditio. Nam corpora eorum erunt obscura, Is. 13. *Facies combustæ, vultus eorum.* Item erunt passibilia, licèt nunquam corrumpantur, quia semper in igne ardebunt, & nunquam consummabuntur, Is. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Item erunt grauia: anima enim erit ibi quasi catenata, Ps. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Item erunt quodammodo carnalia & anima, & corpus, *Ioel.* 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. *Et hoc est, quod dicit Apostolus, 1. Cor. 15.* Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. *Siquidem* soli P boni immutabuntur ad gloriam: malorum verò corpora absque gloria resurgent. Vel *non omnes immutabimur*: quia Q Soli electi surgent Sole pulchriores, & *deformes*: reprobi verò resurgent infirmi & deformes. Quale enim semen est, quod cadit in terram, talis fructus surget de terra. Similiter, qualis est vita tua, dum morieris, talis erit tempore suo resurrectio tua. Seminatur zizania, & surgit ex ea deformis & odibilis herba: seminatur triticum, resurgit frumentum pulchrum. Hæc figurata sunt *Gen.* 41. in somnio Regis Pharaonis: *Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formosæ: aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ vredine*, idest vento vrente, *oriebantur*; qui scilicet eas infirmauit & denigrauit. Septem spicæ deformes signant omnes reprobos cum magna deformitate in iudicio apparentes: septem formosæ omnes electos, cum gloriosis corporibus resurgentes; *quod innuit Apostolus 1. Cor. 15.* Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale: seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate,

Corpora non erunt eiusdem qualitatis, ac modò sunt.

Non erit vsus ciborum, neque venereorum.

Resurgent omnes absq; omni defectu. Et in ætate perfecta.

Dotes corporum glorificatorum quatuor.

Quadruplex mala cõditio damnatorum

Exponitur illud Apostoli: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

P 4. con. G. c. 89. Iob 14. l. 3. ibi, immutatio, 1. Cor. 15. l. 8. ibi.

Q Opusc. 58. c. 23. circa fi.

te, surget in gloria &c.

De spectantibus ad resurrectioné compédiosa ex Iob narratio, & errorum circa eam confutatio.
R Iob 19. l. 3. ibi.

u *Praefata verò penè cuncta, compendio veluti, perstringit Iob cap. 19. paucis verbis, vbi ait*. In nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursùm circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Circa quæ prophetæ verba* considerandum R est (*inquit Author*) quòd quidam ponentes motum Cœli, & hunc statum Mundi, in æternum duraturum, posuerunt, quòd circa reuolutiones annorum redeuntibus stellis ad situs eosdem, homines mortui repararentur ad vitam. Cùm autem dies ex motu Cœli causetur, si motus Cœli in æternum durabit, nullus erit *nouissimus dies*. Et ideò ad prædictum errorem tollendum, signanter dicit: *In nouissimo die*. Et concordat sententiæ Domini Io. 6. *Ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Fuerunt item alij, qui dixerunt, quòd homines resurgent resumendo, non terrena, sed quædam cælestia corpora; sed ad hoc excludendum, subdit: *& rursùm circundabor pelle mea*. Quod signanter dicit, quia suprà dixerat, solam pellem circa ossa remansisse. Ex ipso autem modo loquendi rationem resurrectionis assignat, ne scilicet anima à proprio indumento semper remaneat denudata. Rursùs fuerunt alij, qui dixerunt, animam idem corpus, quod deposuerat, resumpturam, sed secundùm conditionem eandem, vt scilicet indigeat cibis & potibus, & alia opera carnalia huius vitæ exerceat. Sed hoc excludit, subdens: *& in carne mea videbo Deum meum*: manifestum est enim, quòd caro hominis secundùm statum vitæ præsentis corruptibilis est: *Corpus autem, quod corrumpitur, aggrauat animam*, vt dicitur Sap. 9. & ideò nullus in hac mortali carne viuens, potest videre Deum. Sed caro, quam anima in resurrectione resumet; eadem quidem erit per substantiam, neque corruptionem habebit ex diuino munere, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: & ideò illa caro huius conditionis erit, quòd in nullo animam impediet, quin Deum possit videre, sed erit ei omninò subiecta. Quod ignorans *Porphyrius* dixit, quòd *anima, ad hoc quòd fiat beata, omne corpus fugiendum est*: quasi anima sit Deum visura, non homo. Et ad hoc excludendum, subdit: *Quem visurus sum ego ipse*. Quasi dicat: Non solùm anima mea Deum videbit, sed *ego ipse*, qui ex anima & corpore subsisto. Et vt ostendat, quòd illius visionis etiam suo modo erit particeps corpus, subiungit: *Et oculi mei conspecturi sunt*: non quia oculi corporis diuinam essentiam sint visuri: sed quia oculi corporis videbunt Deum hominem factum: videbunt etiam gloriam Dei in creatura refulgentem, *secundùm Augustinum in fi. de Ciu. Dei*. Et vt idem numero. non solùm specie reparandus homo credatur ad Deum videndum, subiungit: *& non alius*, scilicet numero: ne scilicet credatur talem se vitæ reparationem expectare, qualem describit *Aristoteles in 2. de Gen.* dicens, quòd quorumcumque substantia est corruptibilis, redintegrantur eadem specie, non eadem numero. His autem præmissis, subiungit: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*: ad ostendendum, quòd hanc resurrectionis spem non solùm habebat in verbis, sed & in corde absconditam: non dubiam, sed firmissimam: non quasi vilem, sed quasi pretiosam: quod enim in sinu absconditur, in occulto habetur, & firmiter conseruatur, & carum reputatur.

Ad Quatuor homini vtilis fides & spes resurrectionis.
S Op. 6. §. Penu lt.

x *Sicut autem necessaria est, & vtilis ista hæc resurrectionis spes: ita non minùs & resurrectionis fides*. Ad S quatuor verò est nobis vtilis fides, & spes resurrectionis. Primò ad tollendum tristitias, quas ex mortuis concipimus. Impossibile est enim, quòd homo non doleat de morte chari sui: sed per hoc, quòd sperat eum resurrecturum, multùm temperatur dolor, 1. Thess. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent*. Secundò aufert timorem mortis: si enim homo post mortem, non speraret aliam vitam meliorem, sine dubio mors esset valdè timenda: & potiùs deberet homo quæcumque mala facere, quàm incurrere mortem. Sed quia credimus, esse aliam vitam meliorem, ad quam perueniemus post mortem, constat quòd nullus debet mortem timere, nec timore mortis aliqua mala facere, ad Hebr. 2. *Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, idest diabolum; *& liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti*. Tertiò reddit solicitos & studiosos homines ad bene operandum. Si enim vita hominis esset tantùm ista, in qua viuimus, non inesset hominibus magnum studium ad bene operandum: quia quicquid faceret, parum esset, cum eius desiderium non sit ad bonum determinatum secundùm certum tempus, sed ad æternitatem. Sed quia credimus, quòd per hæc, quæ hic facimus, recipiemus bona æterna in resurrectione: ideò studemus bona operari, 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Quartò retrahit à malo. Sicut enim spes præmij allicit ad bonum operandum, ita timor pœnæ, quam credimus malis reseruari, retrahit à malo. Vnde dicitur *Io.* 5. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. *Certam igitur fidem, firmamque de corporali resurrectione spem habentes, vt gloriosè post mortem ad vitam sempiternam resurgamus, spiritualem priùs curare debemus à peccatis resurrectionem, ad hoc Paulo exhortante Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. *Surge*, scilicet T à negligentia boni operis, *qui dormis*, Prou. 6. *Vsquequò piger dormies? quando consurges à somno tuo?* (1. Thess. 5. *Igitur non dormiamus* somno V peccati nec pigritiæ, *sed vigilemus* per solicitudinem:) *& exurge à mortuis* idest ab operibus mortuis, seu mortificantibus, ad Hebr. 9. *Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*. Exurge ergo, *& illuminabit te Christus*, Ps. 12. *Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*. Christus *inquam per lumen gratiæ*: duo enim requiruntur ad iustificationem impij, scilicet liberum arbitrium cooperans ad resurgendum, & ipsa gratia. Et hoc ipsum habet liberum arbitrium à gratia præueniente, & postea meritoriè operari à gratia subsequente. *Gratia autem est semen gloriæ. Vnde consequenter post primam ad gratiam resurrectionem, tandem in secunda per lumen gloriæ* illuminabit te Christus, *qui est* lumen vitæ, *vtique sempiternæ; ad quam vtinam post temporalem hanc, eo adiuuante, in vltima resurrectione perueniamus*. DISCE *per resurrectionem ad gratiam resurrectioni ad gloriam viam parari*. *Vide* Antichristus, Beatus, Christi Resurrectio *Tomo* 1. Damnatus, Iudicium vniuersale *Tomo* 2.

A' peccato hic resurgendum: vt ad gloriosam resurrectionem pertingamus post mortem.
T Eph. 5. l. 5. ibi.
V 1. Thess. 5. l. 1. ibi.

REVE-

REVELATIO. *Vide* Prophetia.
REVERENTIA. *Vide* Ecclesia, Honor *Tomo* 2. Parentes Sacerdos, Sacramentum.
REX. *Vide* Princeps.
RIXA. *Vide* Ira *Tomo* 2.
ROMA. *Vide* Papa, Petrus Apostolus, Princeps.
ROSARIVM. *Vide* Maria Deipara.

S

SABBATVM. *Vide* Festus dies *Tomo* 2. Maria Deipara.

SACERDOS.

I. Ipse Sacerdos, in quantùm est medius inter Deum & populum, Angeli nomen habet, secundùm illud Mal. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*. 3. par. Quest. 22. art. 1. ad 1.

a E*A est dignitas Sacerdotis ac præstantia, vt* per V characterem, *quem recipit*, principali Sacerdoti Christo configuretur. *Hoc autem charactere insignitus Sacra dispensat. Ex quo* Sacerdos X quasi sacra dans *nominatur. Idcircò &* Moyses Y Sacerdos dicitur, non officio oblationes offerendi (*quod ad Aaron spectabat*) sed quia Sacra primitùs populo dedit. *Et hinc est, quòd* Sacramenta Z in quibus gratia confertur, dispensare, ad solos Sacerdotes pertinet. *Illud autem inter Sacerdotem veteris testamenti discrimen intercedit & noui, quod inter umbram & corpus, inter figuram & figuratum. Expropter* quia A sacerdotium veteris legis erat figura Sacerdotij Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuralium Sacerdotum: vt ostenderetur non esse omninò idem sacerdotium, sed differre sicut verùm à figurali. *Qua vtique de causa in spirituali Christi regimine Sacerdotium temporali regno præfertur. Docemur proinde, quòd* quia B Sacerdotium Gentilium, & totus diuinorum cultus, erat propter temporalia bona conquirenda (quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cuius regi cura incumbit) conuenienter Sacerdotes Gentilium regibus subdebantur. Sed & quia in vet. lege promittebantur bona terrena, non à dæmonibus, sed à Deo vero, religioso populo exhibenda: inde in lege veteri Sacerdotes regibus leguntur fuisse subiecti. Sed in noua lege est Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cælestia; vnde in lege Christi reges debent Sacerdo-

V 4. d. 41. 3. 1. q. 5. ad 1.

Sacerdotis dignitas.

X 3. p. 22. 1. initio corp.

Sacerdos vnde dicatur.

Y 4. d. 19. exp. tex.

Z 4. d. 18. 2. 2 q. 2. c. & d. 7. 3. 1. q. 1. c. & d. 17. 3. 3. q. 1. c. & 1. Cor. 4. l. 1. ibi, ministros.

Differentia inter Sacerdotem veteris testamenti & noui.

A 3. p. 22. 1. ad 2.

Sacerdotium nouæ legis temporali regno præfertur: nõ ita in lege veteri.

B Op. 20. l. 1. c. 14. fi.

tibus esse subiecti. Propter quod mirabiliter ex diuina prouidentia factum est, vt in Romana Vrbe, quam Deus prouiderat Christiani populi principalem sedem futuram, hic mos paulatim inolesceret, vt ciuitatum rectores Sacerdotibus subiacerent. Sicut enim *Valerius Maximus* refert: *Omnia post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici voluit &c.* Regale *hinc* Sacerdotium 1. *Pet.* 2. *appellatur, cum priùs diceretur* Regnum sacerdotale, *Exod.* 19. Vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale; *nimirùm* ad innuendam C prærogatiuam noui testamenti respectu veteris. In nouo enim testamento sacerdotium præeminet regno; sicut spiritus præeminet corpori: regnum enim consistit in regimine corporali; Sacerdotium verò in regimine spirituali. Et ideò potestas sacerdotalis ponitur in substantiuo: regalis autem in adiectiuo. *Sanè* Sacerdotes D veteris legis habebant quidem authoritatem discernendi & iudicandi; sed non, vt admitteretur homo ab eis iudicatus in cælestia (*sicut nouæ legis sacerdos, vt Christi minister*) sed in figuras cælestium. *Et hanc quidem potestatem in cælestia transmittendi nouæ Sacerdos legis indelebilem habet & perpetuam ex sacerdotio Christi, ad quem dicitur ab Æterno Patri Ps.* 109. Tu es Sacerdos in æternum. *Vnde & per hoc quòd* Sacerdos E aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramentum (*quæ perpetua est*) sed tantùm licentiam vtendi hac potestate. *Et ò qualis & quanta hæc Sacerdotis potestas! vel ex hoc solùm, quòd diebus singulis duplex in altari patrat miraculum, conficiendo Corpus & Sanguinem Christi.* (*Perpendat Sacerdos quali honore dignatus & potestate.*) *Nec mirùm: nam* Christus F est fons totius Sacerdotij. Sacerdos autem legalis erat figura ipsius: Sacerdos verò nouæ legis in persona ipsius operatur, secundùm illud 2. Cor. 2. *Et ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Solus *proinde* sacerdos G habet actus immediatè ad Deum ordinatos: quia ipse solus potest gerere actus totius Ecclesiæ, qui consecrat Eucharistiam, quæ est Sacramentum vniuersalis Ecclesiæ. *Sed & vicem Dei gerit in terris, Ps* 81. Ego dixi: Dij estis. *Et Ex.* 22. Dijs non detrahes; *id est Sacerdotibus*. Sacerdotes H autem dicuntur Dij, quia Dei ministri, *Is.* 61. Vos Sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri. *Qualem & Magnus Alexander, gentilis quanquam, Sacerdotem recognouit.* Vt enim I historiæ tradunt, cum proposito vadens in Iudæam destruendi regionem, cum appropinquanti Ierusalem ei irato in albis summus Pontifex occurrisset cum ministris Templi: mansuefactus, & de equo descendens, ipse eum vice Dei reueritus est: & ingressus templum, maximis honorauit donis, & gentem totam pro diuina reuerentia libertate donauit. *Ea propter Sacerdotis munus, & officium sibi vendicantes, seuerè à Deo, tanquam diuinæ vsurpatores potestatis, animaduertuntur, vt de Oza legitur* 2. Reg. 6. *Arcam fœderis contingente. Nam* tangere L Arcam non erat Leuitarum, sed Sacerdotum: & ideò Oza percussus fuit, quia officium superioris, *scilicet Sacerdotis*, vsurpauit. *Idem legitur de impio Rege Ozia* 2. Par. 26. *qui* ingressus templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis; *monitusque à Sacerdotibus*: Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum: iratus Ozias, tenens in manu thuribulum minabatur Sacerdotibus. *Et mox subiicitur*: statimque orta est lepra in fronte eius; & perterritus accelerauit egredi, eo quòd sensisset *illicò* plagam Domini. Fuit igitur Ozias

C 1. Pet. 2. §. 3. ibi.

D 4. d. 19. 1. 1. q. 1. ad 2. & in corp.

Sacerdos in sua potestate perpetuus.

E 3. p. 64. 9. ad 3. & 2. & q. 82. 7. 8. 9. ad 2. In 4. d. 6. 1. 3. q. 3. & d. 19. 1. 2. q. 2. ad 3. & d. 25. 1. 2.

Duplex singulis diebus patrat in altari miraculum.

F 3. p. 22. 4. c.

Operatur in persona Christi.

G 4. d. 24. 2. 2. ad 2.

Vicem Dei gerit in terris.

H Prol. ad Hebr. & 1 Cor. 4. l. 1. ibi, ministros.

I Op. 20. l. 2. c. 16.

Magnus Alexander Deũ in Sacerdote veneratur.

Sacerdotis munus sibi vendicantes, puniuntur à Deo, tanquã diuinæ vsurpatores potestatis.

L 4. d. 19. 2. q. 3. ad 3.

Oza ob id punitus.

Et Ozias Rex.

Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ: *ut esset exemplo cunctis, Sacerdotum ministeria non esse à cæteris usurpanda. Et tamen ueteris testamenti Sacerdotium figura erat & umbra sacerdotis legis nouæ.*

M 2.2. 185. 2. arg. 3. & in resp. In 4. d. 13. 1. 2. q. 1. arg. 1.

S. Marci humilitas in ordine ad Sacerdotium.

Sacerdos mediator inter Deum & populum.

N 1. 2. 102. 4. ad 6.

b *Eiusmodi culmen potestatis, ubi B. Marcus aduertit, adeò excelsa imparem sese humiliter reputans dignitati*, narrat *Hieronymus* quòd M sibi pollicem amputauerit, ut Sacerdotio reprobus haberetur: (quamvis eum credibile sit hoc ex instinctu Spiritu Sancti fecisse, sine quo non licet alicui sibi manum iniicere.) *Nec seraphicus item Patriarcha* Franciscus *ob sacerdotalis excellentiam dignitatis ad Sacerdotium ex humilitate prouehi passus est. Isthæc porrò* Sacerdotalis N dignitas in Arca significabatur per uirgam: in exteriori verò tabernaculo per altare thymiamatis: quia Sacerdos mediator est inter Deum & populum, regens populum per potestatem diuinam, quam virga signant: & fructum sui regiminis, scilicet sanctitatem populi, Deo offert, quasi in altari thymiamatis. *Mediator inquam est Sacerdos inter Deum & populum*, in O quantum scilicet diuina populo tradit: & itertim in quantum preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Vnde Apostolus dicit *ad Hebr.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, prò hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. *Hinc Leu.* 9. *dictum est ad Aaron*: Offer holocaustum & deprecare pro te & pro populo: cumque mactaueris hostiam populi, ora pro eo. *De quo dicitur & Num.* 16. *quòd* stans inter mortuos & viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. *Et Sap* 18, Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati. *Sed & in sola veste Sacerdotali virtus erat ad flagellum arcendum; subditur enim*: In veste poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum, & parentum magnalia &c. His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit. *Verùm* Prophetæ P & Sacerdotes ueteris testamenti dicti sunt mediatores inter Deum & homines dispositiuè & ministerialiter, in quantum scilicet prænunciabant, & præfigurabant uerum, & perfectum Dei & hominum Mediatorem: (1. *ad Tim.* 2. Vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus) Sacerdotes verò noui testamenti possunt dici mediatores Dei & hominum, in quantum sunt ministri ueri Mediatoris, uice ipsius salutaria Sacramenta hominibus exhibentes. *Quoniam verò* & ipsi Q Angeli sunt medii inter Deum & hominem, ut patet per Dionysium *in lib. cal. hier.* ideò Sacerdos, inquantum est medius inter Deum & populum, Angeli nomen habet, *secundùm illud Mal.* 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. *Quod aiebat initio Author. Et hoc est quod ait Apostolus.* 1. *Cor.* 11. Debet mulier potestatem (*legit Author*, uelamen) habere super caput propter Angelos: *idest* propter R Sacerdotes duplici ratione. Primò quidem propter eorum reuerentiam, ad quam pertinet, quòd mulieres coram eis honestè se habeant: (*non ita tempore nostro, accedentes immò ad templum*, circumornatæ ut similitudo Templi, *ad pœnitenciam & Eucharistiam suscipiendum, non sine piorum scandalo.*) Secundò propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu mulierum non velatarum, ad concupiscentiam prouocentur. *Vnde dicitur Eccl.* 9. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. *Medius ergo est Sacerdos, & sequester inter Deum & populum, Deut.* 5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & uos. *Et licèt sacerdos malus intercedat: in quantùm tamen Sacerdos, impetrat.* Quamuis *enim* intercessio S quam Sacerdos malus ex propria persona facit, non habeat efficaciam: illa tamen, quam facit ut minister Ecclesiæ, habet efficaciam ex merito Christi, *cuius vices gerit*. (*Quia nimirùm* iniquitas T ministri non potest auferre liberalitatem Domini.) *Quod quidem in lege ueteri præfiguratum est per hostia pacifica sacrificium*, quæ V offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute & prosperitate offerentium ex debito beneficij uel accipiendi vel accepti. Et ista diuidebatur in tres partes. Nam una pars incendebatur ad honorem Dei: alia pars cedebat in usum Sacerdotum: Tertia verò pars in usum offerentium. Et hoc ad significandum, quòd salus hominis procedit à Deo, dirigentibus ministris Dei, & cooperantibus ipsis hominibus, qui saluantur.

O 3. p. 22. 1. c. & 1. Cor. 4. lec. 1. init. Et Hebr. 7. l. 4. ibi, melioris.

P 3. p. 26. 1. ad 1.

Aliter ueteris aliter noui testamenti Sacerdos.

Q 3. p. 22. 1. ad 1.

Cur sacerdos *Angelus* dicatur.

R 1. Cor. 11. l. 2. ibi.

Mulieres in Ecclesia coram Sacerdotibus honestè se habeant.

S 4. d. 19. 1. 2. 4. 2. ad 4.

T Ibid. in 2. sed contra.

Sacerdos etiam malus, inquantùm Sacerdos & minister Ecclesiæ, impetrat à Deo.

V 1. 2. 102. 3. ad 8.

c *Ex omnibus præfatis rectè, infert Apostolus* 1. *Tim.* 5. *quòd* qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. *Duplici honore*: quorum X primus est in ministratione necessariorum, *Prov.* 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da ei. (*Debetur siquidem Sacerdoti à populo sustentatio, secundùm illud* 1. *Cor.* 9. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant. *Et Matt.* 10. Dignus est operarius cibo suo. *De quo vide* Y *Sed heu! conqueritur Author.* Hodie Z multi sunt, qui stipendia accipiunt, & non militant: edunt fructum vineæ, & non plantant: lac comedunt, & gregem non pascunt, Ezech. 35. *Lac comedabatis, gregem autem meum non pascebatis.*) Item alius honor est in exhibitione reuerentiæ, *Eccli.* 4. Presbytero humilia animam tuam; *Hebr.* 12. Obedite Præpositis vestris. *Et de utroque hoc honore dicitur Prov.* 31. Omnes domestici eius uestiti sunt duplicibus. *Et Is.* 61. In terra sua duplicia possidebunt. *Et hac quidem de causa in uet. lege* Sacerdotes A per successionem originis sacris deputabantur, ut scilicet in maiori reuerentia haberentur, si non quilibet ex populo posset Sacerdos fieri, quorum honor cedebat in reuerentiam diuini cultus. Et ideò oportuit, ut eis specialia quædam deputarentur, tam in decimis, quàm in primitijs, quàm etiam in oblationibus & sacrificijs, ex quibus viuerent. *Enim verò* sicut B qui ministros Dei spernit, Deum spernit *Luc.* 10. Sic qui eos honorat, Deum honorat, *Eccli.* 7. In omni uirtute tua dilige eum, qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes. *Quòd si adhortatur Sapiens Eccl.* 38. Honora medicum propter necessitatem, *utique corporis: quantò magis honorandus spiritualis medicus, qualis Sacerdos propter necessitatem animæ? Qui quidem honor, Sacerdotibus exhibitus, Deo exhibetur & Christo, cuius immediatè in terris ministri sunt. Vnde & iniurias, quæ Sacerdotibus inferuntur, sibi reputat Deus inferri. Ps.* 104. Nolite tangere Christos meos. *Et Zach.* 2. Qui tetigerit uos, tangit pupillam oculi mei. *Hinc est, quòd filiis Israel contra se murmurantibus, dixerunt Moyses, & Aaron Ex.* 16. Audiuit Dominus murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. *Et* 1. *Reg.* 8. *ait Dominus ad Samuelem* Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, sed me. *Ve-*

Sacerdos duplici dignus honore sustentatione scilicet & reuerentia.

X 1. Tim. 5. l. 3. ibi.

Y 1. 2. 102. 4. ad 6. & 105. 1. ad 4. & 2. 2. 100. 2. c. & ad 2. & 1. Cor. 9. l. 1. & 2. Hebr. 7. l. 1. & 2.

Z 1. Cor. 9. l. 1. ibi, pascit.

A 1. 2. 105. 1. ad 4. & 102. 5. ad 10.

Cur in ueteri lege Sacerdotes per successionem.

B Op. de er. Pr. l. 2. c. 11.

Qui Sacerdotem honorat, Deum honorat.

Væ sacerdotes lædentibus.

autem spernentibus Sacerdotes, aut lædentibus! Vnde legimus de filiis Israel Ps. 105. quòd irritauerunt Moysen in Castris, Aaron Sanctum Domini; *& mox pœna subiicitur:* Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super Congregationem Abiron. Et exarsit ignis in Synagoga eorum: flamma combussit peccatores. *Item 1. Reg. 22. cum iussisset Saul Sacerdotes occidi:* Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini: conuersus Doeg Idumæus, irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa 85. viros vestitos Ephod lineo. *Et tunc vel vnum, Abiathar nomine, à cæde fugientem legitur excepisse Dauid iis verbis:* Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis. *Quale autem hic præmium ex benefacto; qualem ille pœnam ex malefacto in Sacerdotes reportauerit, habetur 1.* Reg. 28. *cum ipse malefactor Saul ait ad Samuelem:* Coarctor nimis: siquidem Philisthiim pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit neque in manu Prophetarum, neque per somnia. Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi, quid faciam. *Et ait Samuel:* Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea: & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: (*quòd hic nimirùm Sacerdotem* Abiathar *benignè exceperit:*) *vti & euenit. Sed & mortis angustia eum denique tenuerunt, cum videlicet ipsemet* arripuit gladium, & irruit super eum; & mortuus est: *vt habetur cap. 31. Honoretur igitur Sacerdos Minister Dei, sive in Sacerdote honoretur Deus, ne oppositum operantes diuinæ sentiamus indignationis flagella. Quem quidem honorem videtur & ipse Dominus sacerdotibus impedisse, vbi* Mat. 8. *hominem illum à lepra mundatum ad sacerdotem transmisit.* Vade, ostende te sacerdoti. *Quamuis enim summus esset sacerdos, homo, & Deus, voluit ad exemplum nostrum sacerdotis officio deferre, cuius erat lepram mundare, vt habetur* Leu. 13. *Et Paulus* Act. 23. *cum iniustè ab Anania percuti in ore iussus, respondisset:* Percutiet & te Deus, paries de albate: *admonitus, quòd Ananias esset sacerdotum Princeps, humiliter se excusault, dicens:* Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. *Quòd si Paulus excelsa Apostolatus dignitate insignitus, tantum detulit veteris testamenti sacerdoti: quantò magis Christianæ consonum pietati erit, à secularibus, quamuis etiam dignitate fulgentibus, noui testamenti sacerdotem honorari? Et tamen à quibusdam vel ipsum immò presbyteri aut religiosi nomen ad iniuriam, & contumeliam assumitur; minusque in hominis seruulus, quàm Dei minister, despicitur, cum nihilominus, sicut honor, ita iniuria, quæ sacerdoti fit, Deo reputetur fieri, vt prætactum est: non secus ac plebeio viro ad seruitium Principis deputato irrogata, Principi dicitur irrogari.*

Christus ipse sacerdotibus defert.

Ad hoc Pauli Apostoli exemplum.

Sacerdos Sanctus esto.

d *At verò tametsi & malus, minùsque pius sacerdos honorandus sit, habito ad eum respectu quem repræsentat: nihilominùs vt veneratione, quæ par est, honoretur; debet & ipse sese virtutum exemplar populis exhibere. Hinc illud, Is. 61.* Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, *exponitur, ac si diceret:* Vitam C sanctam sacerdotio dignam ducentes. *Sanctus enim esse debet, qui Sancta tractat, Leuit. 11.* Sancti estote, quia ego Sanctus sum. *Et cap. 21.* Sancti erunt Deo suo, & non pollucnt nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt; & ideò Sancti erunt. *Alioqui vetatur ei Sanctuarium, & ad altare Sacrum accessus. Leu. 21.* Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario, ita duntaxat, vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. *Quod & in exteriori sacerdotis indumento exprimebatur. Postquam enim præceptum est, qualis esse deberet vestis sacerdotalis ornatus, subditur Ex. 28.* Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris: *Sanctum Domino:* Ligabisque eam vitta hiacinthina, & erit super tiaram, imminens fronti Pontificis. *Sanè ad hanc innuendam ministri Dei Sanctitatem, clamabat Iacob Gen. 28.* Quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli. *Et Mal. 2.* Dedi Leui timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Cum *ergo* Dominus D Sanctus sit, in Sanctitate vult appropinquari ad eius ministerium, Ex. 28. *Aaron Sanctificatus ministret mihi.* Qui verò Deum non ostendit Sanctum, ad ministerium eius in Sanctitate appropinquando: ipse ostendet eum Sanctum (*notet sacerdos*) pro immunditia sua pœnam à Deo recipiendo. *Vnde legitur Leu. 10.* Arreptis Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino. Dixitque Moyses ad Aaron: *Hoc est, quod locutus est Dominus:* Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi: *Esto igitur Sanctus, esto & sacerdos cum mente, tum corpore immaculatus, Ps. 100.* Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Et hoc est, quod dicitur Is. 52.* Recedite, recedite; exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. *Qui enim ad alios emundandos electi à Deo sunt, immaculatos esse oportet. Idcircò polluto à Gentibus Templo, elegit* Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt Sancta, *vt dicitur 1. Mac. 4. Præceptum est hac de causa Aaroni Leu. 21.* Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offert panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, vel torto naso &c. Horum autem figuralis E ratio manifesta est. Nam maculæ, vel defectus corporales, à quibus debebant sacerdotes (*veteris vtique legis: quantò magis noui testamenti, vbi non figura, sed figuratum, ipsum sacerdotium est?*) esse immunes, significant diuersa vitia & peccata, quibus debent carere: (*quæ vide V.* clericus Tomo 1.) *Et hæc est ratio, quare Lucas in Genealogia Christi nullam assumit mulierum, quas recenset Matthæus: quia nimirùm* Matthæus F eius texit generationem carnalem: & ideò ibi ponuntur aliquæ mulieres peccatrices, vel quæ in aliquo fuerant peccato notatæ, ad designandum, quòd ille (ex *Hieronymo*) cuius genealogia texitur, intrauit propter peccatores redimendos. Lucas verò commendat maximè sacerdotalem dignitatem: in sacerdote autem maxima requiritur puritas. *Enimuerò cum noui sacerdos testamenti personam Christi gerat, debet & Christi qualitatum particeps esse. De ipso autem dicitur Hebr. 7.* Ta-

t Is. 61. ibi.

D Op. de er. Pr. l. 3. c. 5. §.

Aliàs sacrilegii sui pœnas luet.

Esto sacerdos & immaculatus.

E 1. 2. 102. 5 ad 10. & a 6. ad 11.

Et ab omni defectu immunis.

Cur Matthæus, non Lucas, in genealogia Christi mulieres recenseat.

F Mat. 1. lit. b.

Quatuor sacerdotis conditiones.

br. 7. Talis decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. *Vbi docemur, quòd* quatuor G conditiones debebant esse in Sacerdote legali. Primò sanctitas, Leu. 11. *Sancti estote &c.* Sanctitas autem importat puritatem, consecratam Deo. Secundò innocentia, Leu. 22. *Custodiant præcepta mea, vt non subiaceant peccato.* Propriè autem dicitur innocentia, puritas ad proximum. Tertiò quòd esset impollutus; & hoc quoad se, Leu. 21. *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino &c.* Quartò quòd non commisceretur cum coinquinatis; *ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ*, Leu. 21. cit. *Et hoc est, quod dicit:* segregatus à peccatoribus. *Quia nimirùm Sacerdos Hebr.* 5. ex hominibus assumptus, constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, *non ad homines, & præsertim peccatores: quantò magis noua legis Sacerdos? Scientiam quoque & prudentiam callere Sacerdotes debent, vt plebem erudiant. Prudens quidem sit, & prudenter operetur, oportet. Ex eo enim* Præsbyter H dicitur, quasi senior: *in senibus autem est prudentia. Vnde Apostolus 1. Tim.* 3. Oportet irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, prudentem: *videlicet* quia I prudentia est regitiua omnium virtutum. Eligitur autem, vt alios regat *in via Dei, Mat.* 10. Estote prudentes, sicut serpentes. *Sciens verò esse debet, vt legem edoceat, & explanet, Mal.* 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. *Vnde dicitur Leu.* 10. *Et Ezech.* 44. Populum meum docebunt: quid sit inter Sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, ostendent eis. *Et ideò in vestimento Sacerdotali, hoc apponendum præcepit Dominus, Ex.* 28. Pones in Rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino &c. *Sanè* Scientia L legis est adeò adnexa officio Sacerdotis, vt simul cum iniunctione officij ideò intelligatur & scientiæ legis iniunctio. *Ea propter dicitur Ose.* 4. Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit scientiam, Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, *Vt innuat, Sacerdotes ignorantes Sacerdotali munere indignos esse. Id quoque figuraliter in eo significatur, quòd* in hostijs M pacificis in vsum Sacerdotis cedebant pectusculum, & armus dexter (*vt dicitur* Leu, 7.) Et per hoc significabatur, quòd Sacerdoti erat necessaria Sapientia cordis ad instruendum populum, quod significatur per pectus, quod est tegumentum cordis: & etiam fortitudo ad sustentandum defectus, quæ significatur per armum dextrum.

G Hebr. 7. l. 4. ibi.

Scientiam quoque, & prudentiam calleat.

Præsbyter, idest senior.

H 1. Tim. 5. l. 3. ibi, præsbyteri Et 1. Tim. 3. l. 1. & ad Tit. 1. l. 2.

I 1. Tim. 3. l. 1. ibi, prudentem.

L 2. 2. 16. 2. ad 3.

Scientia legis officio Sacerdotali adnexa.

M 1. 2. 102. 3. ad 8. fi.

e *Debet ergo Sacerdos & scientia simul pollere & vita honestate. Id quod compendiosè docet Author, cum ait:* Minister N magni Regis debet esse formosus in specie, intelligens in discretione, fidelis in opere. Formosus debet esse per munditiæ puritatem, morum honestatem, vestium varietatem. Debet ergo Minister Christi habere cordis puritatem, Prou. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Morum honestatem, 1. Pet. 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam &c.* Vestium (idest virtutum) speciositatem, Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* De his duobus Ex. 40. *Applicabis Aaron & filios eius, & lotosque indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat.* In vestibus virtutum varietas, in vnctione morum honestas, ex qua exit odor bonæ famæ,

Qualis debeat esse Christi Minister.

N Serm. ex Eu. in Fe. S. Th. E. M.

Item debet esse in discretione intelligens, vt intelligat Domini voluntatem, seruiendi congruitatem, seruitij vtilitatem. De primo Ps. 102. *Ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* De 2o. Luc. 12. *Quis putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam &c.* De tertio Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* Debet esse etiam fidelis in opere: ne bona Dei auferat, vel eum hostibus prodat, nec ipsum deserat. Dona Dei aufert qui de seruitio Dei gloriam quærit, quam sibi soli seruauit, Is. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hostibus prodit Dominum, qui in cameram suam, idest in animam suam, introducit diabolum, Ps. 87. *Traditus sum, & non egrediebar.* Et Ps. 40. *Homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panis meos* (cælestem ad altarem panem) *magnificauit super me supplantationem*, Derelinquit etiam eum, Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.* Talis debet minister Christi esse. *Hoc etiam significabant vestes Sacerdotales, earumque ornamenta. Nam* intentio O legis erat inducere ad reuerentiam diuini cultus. Et hoc dupliciter. Vno modo excludendo à cultu diuino omne id, quod poterat esse contemptibile. Alio modo apponendo ad cultum diuinum omne illud, quod videbatur ad honorificentiam pertinere. Et si hoc quidem obseruabatur in tabernaculo & vasis eius, & animalibus immolandis: multò magis hoc obseruandum erat in ipsis ministris. Et ideò ad remouendum contemptum ministrorum, præceptum fuit (*quod præmisimus*) vt non haberent maculam, vel defectum corporalem; quia huiusmodi homines solent apud alios in contemptu haberi. Propter quod etiam institutum fuit, vt non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicarentur, sed ex certa prosapia secundùm generis successiones; vt ex hoc clariores, & nobiliores haberentur, Ad hoc autem, quòd in reuerentia haberentur, adhibebatur eis specialis ornatus vestium. Cuius figuralis ratio est, quia per ornamenta designantur virtutes ministrorum Dei. Sunt autem quatuor, quæ sunt necessariæ omnibus ministris: scilicet castitas, quæ significatur per femoralia; puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam; moderatio discretionis, quæ significatur per cingulum; & rectitudo intentionis, quæ significatur per tiaram, protegentem caput. (*De vestibus sacerdotum nouæ legis vide V. Missa.*)

O 1. 2. 102. 5. ad 10. & 9. & 105. 1. ad 4.

Cur specialis vestium ornatus in Templi ministris vet. legis.

Figuralis ratio vestium Sacerdotalium.

Quatuor Sacris ministris necessaria.

f *Et ò vtinam tales essent in Ecclesia Dei Sacerdotes, quales oportet, ad spiritualem fidelium vtilitatem! Sic enim multiplicior proueniret vinea Domini fructus & Ecclesiastici agri messis copiosior, At operarij pauci, tametsi plurimi (& fortè supra exigentiam; ex eo enim* inter omnes P tribus minùs multiplicabatur tribus Leui, quia ordinata erat ad officium diuinum & Sacerdotium, ad quod pauciores sufficiebant: *) quia nimirùm pauci electi, pauci adlaborantes, pauci, quæ* Iesu Christi sunt, quærentes; *sed plures* quæ sua sunt, *in foro ociosi, mundanis intenti, sacrum studium auersantes, carnalibus impleximi. Eiusmodi idcircò suum in Ecclesia ministrum arguit Dominus. Is.* 22. Quid tu hic, *supple*, facis Q in domo mea, indignus tali habitatione? *Et adducitur causa Ier.* 11. Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?

In prauos Sacerdotes declamatio.

P Mat. 1. lit. b. ibi, Naason.

Q Is. 22. ibi.

multa? *Et priùs cap. 6. indolebat Dominus*: Vt quid mihi thus de Saba offertis, & calamum suaue olentem de terra longingua? Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. *Vbi* ponit R sacrorum abusum, in quantùm peccatis polluti Deo sacrificia offerre præsumebant: quæ propter hoc accepta non erant. *Cui respondet illud Ier. 23.* Propheta & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum. *Polluti*, scilicet S diuersis criminibus: *in domo mea*, idest in Templo, vel populo, quia malitia eorum, quasi causa militiæ populi, *videlicet propter scandalum. Vnde subditur*: Confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua. *Ezech. item 22.* Sacerdotes contempserunt legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea &c. & coinquinabar in medio eorum. *Et Soph. 3.* Sacerdotes polluerunt Sanctum: iniustè egerunt contra legem. *Nobili proinde sacerdotis nomine indigni: quod innuitur Thren. 1. cum dicitur*: Vidit (*hostis*) gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. *Gentes*, scilicet T sacerdotes verbo, sed gentiliter viuentes (*qualis fuit Iason, de quo 2. Mach. 4. vbi* impius, & non sacerdos *nominatur*:) *de quibus preceperas &c.* quòd scilicet homo, etiam de stirpe Aaron, in quo est macula, non vesceretur de sanctificatis Domino, *vt habetur Leu. 22. Sanè, vel de uno ex his prauis sacerdotibus* (*si qui sunt*) *uerum habet, quod scribit Author de summo Sacerdote Lysimacho. Ad ea enim uerba 2. Mach. 5.* Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat &c. *sciscitatur*: Cur V non fit mentio de Lysimacho? *Et respondet*: quia statim interfectus fuit. Vnde nihil aliud fecit, ad officium Sacerdotis pertinens, nisi tantùm sacrilegia, ut patet *cap.* 4. Alii verò, etsi mali fuerunt, tamen aliquid ex officio perfecerunt. *Idcircò nec recenseri inter sacerdotes dignus fuit.* Vtinam ipsum quoque (*aiebat de Iuda impio proditore* Chrysostomus) nescire licuisset! *Sacerdotium quippe sacrilego sacerdoti in ignominiam vertatur, iustum est. Quò facit illud Is. 22.* Ibi morieris: & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. *Currus gloriæ tuæ*, qua scilicet X ferebaris gloriosus, in confusionem tuam conuersus est: *ignominia domus &c.* idest gloria, quam habuisti in domo Domini, vertetur tibi in ignominiam, Ose. 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

R Ier. 6. §. 9. ibi
S Ier. 23. §. 5. ibi.
T Thren. 1. §. 10. ibi.
V 2. Mach. 5. fi.
Sacerdotium impio sacerdoti in ignominiam cedit
X Is. 22. ibi.

g *De huiusmodi sacerdotibus aiebat Dominus Ier. 2.* Sacerdotes non dixerunt: *Vbi est Dominus?* & tenentes legem, nescierunt me. *Et Mal. 1.* Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Ad vos, ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: *In quo despeximus nomen tuum?* Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis: *In quo polluimus te? Et cap. 2.* Et nunc ad vos mandatum hoc, ò Sacerdotes: si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. *Et ò super quot hodie hæc cadere posset maledictio! De his quoque dicitur 2. Mach. 4.* Ita vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto Templo, & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palestræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitiis disci. *Quibus verbis* vult Y dicere, quòd sacerdotes non erant occupati circa Templum, sed circa tale Gentilium exercitium: *Sicut & modò Sacerdotes aliqui ad theatra, ad comœdias, ad spectacula* (*ne deteriora recenseam*,) *se conferunt*, contempto Templo, & sacrificiis neglectis, *vel ob stipem celerrimè & indeuotè confectis, sicut & sacra psalmodia præcipitanter persoluta; itant aptari possit illud Mat. 22.* Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam. *Ad negociationem inquam suam: siquidem omnes hi* à minore vsque ad maiorem auaritiæ student, *Ier. 6. Cum tamen dicat Apostolus* Hebr. 5. *quòd sacerdos* constituitur in iis, quæ sunt ad Deum; *idest* quæ Z ad Deum ordinantur, Ex. 4. *Tu eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Et 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt &c.* Non ergo debet se implicare negociis secularibus, prætermissis *his, quæ sunt ad Deum.* Actus autem eius est, *vt offerat dona*, idest voluntariè oblata, non extorta, *Ex. 25.* Ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis. *Oppositum enim odit Dominus, Is. 61.* Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto. *Odit præterea Dominus, simoniacè Sacramenta & spiritualia aut sacras dignitates ementes, & vendentes, quod est execrandum malum, quale fuit in summo sacerdote Iasone, de quo dicitur 2. Mach. 4.* Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuersationis propter impii, & non sacerdotis Iasonis, nefarium & inauditum scelus. *Inauditum scelus* illud A fuit emptio sacerdotii. Vnde *secundùm Augustinum* dicitur, quòd ignis, qui 70. annis in aqua vixit, vendente Antiocho Iasoni sacerdotium, extinctus est. *Idcircò Dominus Io. 2.* in Templo vendentes oues, & boues, & columbas & nummularios sedentes, omnes eiecit de Templo. *Vbi aduertit Author, quòd* per vendentes B & ementes significantur illi, qui Ecclesiasticas res vendunt, vel emunt. Nam bona Ecclesiastica spiritualia, & eis adnexa, significantur per oues, & boues & columbas. Ipsa consecrata quidem & confirmata sunt ex doctrinis Apostolorum, & Doctorum, qui significantur per boues, Prou. 14. *Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Item ex sanguine martyrum, qui significantur per oues. Vnde in persona eorum dicitur in Ps. 43. *Æstimati sumus, sicut oues occisionis.* Item dona Spiritus Sancti, quæ significantur per columbas; quia Spiritus Sanctus in columbæ specie apparuit. Omnia ergo hæc vendunt, scilicet doctrinam Apostolorum, sanguinem mártyrum & dona Spiritus Sancti, quicumque bona Ecclesiastica spiritualia, & eis adnexa vendere præsumunt. *Hoc autem* nefarium & inauditum scelus *ex sola auaritia originem trahit, quam idcircò improperat Dominus Pharisæis Mat. 15.* Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me. *Hypocritæ*, qui scilicet C exteriùs aliud prætendunt, quàm habeant interiùs: interiùs enim intendebant lucra; exteriùs mouebant homines ad offerendum Deo. *Populus hic labiis me honorat &c. ad* literam, quia honorabant labio, sed corde longè erant à Deo: non enim tendebant ad honorem Dei, sed ad cupiditatem: quantò autem cupiditas maior, tantò charitas minor: *immò, vbi cupiditas maxima* (*qualis in sacerdotibus quibusdam*) *charitas nulla. His quoque conuenit illud Domini ad eosdem Pharisæos cap. 23.* Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, *videlicet* facultates D viduarum. Sed quare magis *viduarum*, quàm aliorum? Ratio est: quia magis intendunt seducere mulieres: viri enim sapientiores

Declamatur iterùm in sacerdotes minùs pios.
Y 2. Mach. 4. ibi.
Aliquorum ad secularia applicatio, sacris neglectis.
Z Hebr. 5. l. 1. ibi.
Simoniæ in eis damnatur nefarium, & inauditum scelus: quale Iasonis.
A 2. Mach. 4. ibi.
B Io. 2. l. 2 lit. d. Mat. 21. lit. a. ibi, vendentes.
Et auaritia.
C Mat. 15. lit. a. ibi.
D Mat. 23 lit. a. ibi.

ſunt, & diſcretiores; nec ita citò decipiuntur, Item mulieres habent affectum magis procliuem ad largiendum, Item mulier, quæ habet virum, habet eum vt Caput & Conſiliarium: ideo non ita decipitur, Item coniugata non habet poteſtatem domus ſuæ, ſed vidua habet; ideo magis poteſt dare, quàm coniugata: proinde magis faciebant quæſtum circa eas, quam circa alias. Vnde benè conuenit eis illud *Pſ. 93.* Viduam & aduenam interfecerunt. *Quòd ſi auaritia aliqui ſtudent, non deſunt ex oppoſito Sacerdotes, prodigalitati intendentes.* Præcipuè (*inquit Author*) hoc E apparet in clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodigè expendendo (*contra Apoſtolum Rom. 13.*) in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs: *ad gulam nimirùm explendam, vel exſaturandam luxuriam, de quorum luxu dicitur Thren. 4.* Tenuerunt lacinias ſuas. *Tenuerunt*; in quo F oſtenditur, quòd à voluptatibus non ceſſabant: (*cum nihilominùs doceamur, quòd* mel G non offerebatur in Sacrificijs Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his, qui Deo ſacrificare intendunt.) Vel ſecundùm aliam literam, *tenuerunt lacinias ſuas*; & planius eſt: à quibus nimirùm non tam facilè emergunt aut extricantur.

E 2.2.119.3. ad 1.
Et in quibuſdam prodigalitas.
F Thren. 4.5. 14.
G 1.2.102.3 ad 14.

h *Et hæc, ea potiſſimùm macula & immunditia eſt, quæ polluti vetabantur in lege veteri Sacerdotes accedere ad Sacrificia.* Immunditia quippè duplex H erat: vna quidem per aliquam corruptionem mentis, vel corporis; alia erat ex ſolo contactu rei immundæ. *Quamuis enim per has immunditias omnia peccata figuraliter ſignentur; ſpecialiter per immunditiam deſignatur peccatum luxuriæ, quæ & mentem & corpus inquinat luxuriantis. Ad hanc porrò amouendam laſciuiæ immunditiam, & occaſionem tollendam, quidam antiqui populi haud perperam* propter I caſtitatem, eunuchos in Sacerdotes eligebant; (*ſicut & modò Eccleſia aſſumit illos*, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Cœlorum:) *vt legitur de Putiphare Gen. 37.* Vendiderunt Ioſeph Putiphari Eunucho. *De quo ibidem Author*: Secundùm L Hieronymum, & Hebræos, hic eſt ille, cuius filiam Ioſeph dicitur accepiſſe vxorem *Gen. 41.* Et dicunt, quòd hic *eunuchus* anticipatiuè dicitur, quia nondum erat eunuchus: immò mercatus fuerat Ioſeph ad turpem abuſum ob nimiam pulchritudinem eius. Sed virilibus eius arefactis à Deo, eſt poſtmodum electus ad Pontificatum vrbis Heliopoleos, Alij verò dicunt, quòd iſte alter eſt ab illo, magiſter militum Pharaonis, *vt dicitur Gen. 37. cit. Profectò ſi filii Heli in Templo miniſtrantes, fuiſſent Eunuchi*, non dormiſſent cum mulieribus, quæ obſeruant ad oſtium Tabernaculi, *vt dicitur 1. Reg. 2. Cui reſpondet illud 2. Mach. 6.* Templum luxuria & comeſſationibus Gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus. *Quod à quibuſdam Sacerdotibus & modò in Eccleſia fit, ſi non facto, aſpectu ſaltem & deſiderio (& fortè tactu:) cum nihilominus apud Deum voluntas pro facto habeatur. Vnde Auguſtinus in Regula*: Neque enim fœminas videre prohibemini (*aliud tamen videre eſt, aliud fixè inſpectare*;) ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. *Hinc ad maiorem tantæ maculæ, turpem Sacerdoti notam inurentis, deteſtationem, fornicarii Sacerdotis prohibemur miſſam audire: Docemur enim, quòd* quicumque M Sacerdos in peccato mortali exiſtens celebrat, peccat mortaliter, Vnde ſi conſtaret mihi, eum eſſe in peccato mortali, & inducerem eum ad celebrandum, peccarem mortaliter. Et hoc eſt ſecundùm ius naturale: quia hoc eſt prouocare ad mortale peccatum. Ius autem politiuum addit plus, quòd ſcilicet non ſolum non debeam inducere eum ad celebrandum; ſed etiam ſi audio eius miſſam, pecco mortaliter. Quod quidem inſtitutum eſt in pœnam Sacerdotis fornicarij. Attendendum tamen eſt, quòd hoc non intelligitur de quolibet Sacerdote fornicario, ſed de fornicarijs publicis, qui propriè dicuntur publici, quando iudicio, & ſententia Eccleſiæ publici vocantur. Vnde quicumque à tali fornicario publico audit miſſam, peccat mortaliter. *Profectò irreuerentia maior ad Deum, & Sacramentum, quo conficitur, & ſumitur corpus & Sanguis Chriſti immaculati agni, excogitari non poteſt, quàm Sacerdotem* ijſdem N labijs Filium Dei oſculari, quibus oſculatus eſt labia meretricis: *vt in quadam Epiſtola declamat* Hieronymus. *Qui & alibi quorundam luxum Eccleſiaſticorum deteſtatus*: Sunt *inquit* multi, qui ideo præsbyteratum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant; ſi pes laxa pelle non folleat &c. Tales cum videris, ſponſos magis dic, quàm clericos. *Non paucos & hodie videmus*.

Damnatur & luxuria.
H 1.2.102.5. ad 5. & 10. & q. 103. 2. c.
Duplex & in veteri lege Sacerdotis immundicia.
I Gen. 37. ibi, eunucho.
Eunuchos quidam in Sacerdotes eligebant.
De Putiphare Eunucho quoddam notabile.
L Ibidem.
M Quol. 11. a. 8. c. & ad 1. & 3. p. 82. a. 6. & 9.
Publici fornicarij Sacerdotis miſſam audire ſub mortali vetamur.
N 3. p. 80. 5. arg. 2.
Cuius exaggeratur impudentia.

i *Einſmodi porrò Sacerdotum, ſi qui reperiuntur, accepta Deo Sacrificia eſſe non poſſunt, cum non ſacrificia ad Deum placandum, ſed immò ſacrilegia ad irritandum ſint. Quod innuitur Iſ. 66.* Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat. *Quod idem eſt*, ac O ſi diceret; Ita ſunt abominabilia ipſorum ſacrificia, ac ſi aliquid contra legem facerent: *quod in ſacro altari iram Dei non demulcet, ſed laceſſit magis. Ea de cauſa primùm in malos Sacerdotes, propter aliorum ſcandalum exinde prouenient, diuina cadet punitio, & grauior, quàm in cæteros, Ezech. 9.* Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vſque ad internecionem: & à Sanctuario meo incipite, *Et Ier. 25.* Dominus de excelſo rugiet (*hoc eſt Chriſtus Dominus, qui* Leo eſt de tribu Iuda, *ſacerdotum criminibus irritatus*) rugiens rugiet ſuper decorem ſuum; *id eſt* terribiliter P quaſi Leo iratus, Amos 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* rugiet inquam *ſuper decorem ſuum*, id eſt Templum. *Quaſi dicat*; Incipiet à Templo: & procedet ita ipſius in omnem terram. *Vnde & 1. Pet. 4.* Tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei. *Et Thren. 1.* Vocaui amicos meos: & ipſi deceperunt me. Sacerdotes mei & ſenes mei (*præsbyter idem ac* ſenior) in vrbe conſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animam ſuam. *Sacerdotes mei*, de Q quibus ſcilicet videtur magis indignum; (*quia* regale Sacerdotium) *in vrbe conſumpti ſunt* fame: (ſimiles paſſim cernuntur in plateis, veſtibus laceri, ſordidi manibus, liuidi facie, ſtipem expectantes ad celebrandum:) *quia quæſierunt cibum ſibi* ad refocillandum *animam ſuam*, non ad ſatiandam: & non inuenerunt. Vel aſſignat in hoc rationem, culpam eorum: *quia quæſierunt ſibi*, non populo, *Ezech. 34.* Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. *Quòd ſi in Sacerdotes veteri teſtamenti adeò indignatur, tamque ſeuerè Deus punit*: quantò magis putatis (*infert Apoſtolus ad Hebr. 10.*) deteriora mereri ſupplicia *noui teſtamenti ſacerdotem*, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit? *Horreant Sacerdotes minùs pii, & contremiſcant ad Apoſtoli verba, quæ ſubiicit*: Scimus enim, qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. *Et concludit*: Horrendum

Priùs & ſeriùs Sacerdotes mali, quàm cæteri, à Deo puniuntur propter ſcandalum.
O Iſ. 66. ibi.
P Ier. 25. 5. ibi.
Q Thren. 1. circa fi. ibi.

est incidere in manus Dei viuentis. *Et iustè quidem tales puniuntur à Deo, quippe qui scandalosè viuentes, populum ad liberiùs peccandum suo manent exemplo prauo*. Si enim R Sacerdos est corruptus, de facili corrumpetur populus. Et ideò Dominus Mat. 21. *Cum intrasset Ierosolymam*, primò adiuit Templum, vt primò circa Templum curationem adhiberet. *Nec perperam* de S his (*malis vtique sacerdotibus*) olim à Domino prædicta est sententia, & nunc tempus aduenit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Amara quippe fuit in nece martyrum: amarior in conflictu hæreticorum: amarissima nunc in moribus clericorum. *Cuius etiam sunt* ex parte T Ecclesiæ ea verba Ps. 30. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde*. Vicini enim Ecclesiæ sunt, qui nondum sunt conuersi, sed proponunt conuerti. In Ecclesia autem sunt aliqui malæ vitæ, ita quòd propter eos (*si Sacerdotes præsertim sint*) Ecclesia est contemptibilis apud illos, qui debebant accedere. Et benè dicit, *super omnes inimicos meos*: quia turpior apparet vita eorum, quàm infidelium. *Et quidem propter peccata Sacerdotum datur Auerno facilius hosti in Ecclesiam ingressus, ad fidelium deiectionem & excidium. Id quod innui videtur Thren.* 4. Non crediderunt, quoniam ingrederetur hostis (*scilicet diabolus*) per portas Ierusalem (*militantis*) propter peccata prophetarum, & iniquitates Sacerdotum eius, *Ecclesia nimirùm*. *Non igitur abutatur Sacerdos dignitate & potestate sua, in suum ac proximorum detrimentum: sed (quantùm à Domino datum fuerit) ad maiorem Dei gloriam, propriumque & Ecclesiæ spiritualem profectum, ea vtatur*. Quia V enim *dum crescunt dona* (ex Gregorio) *rationes crescunt donorum*: reus negligentiæ erit, nisi illa vtatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum, viuorum scilicet & mortuorum, *secundùm illud 1. Pet. 4.* Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. *Illud postremò fixè perpendat Sacerdos, per Sacramentum Eucharistiæ gratiam in anima augeri. Augmenti autem gratiæ & charitatis signum est spiritualis in virtutibus profectus. Quòd si quotidie celebrans, in actibus virtutum, nedum se minimè pregredi percipit, immò retrogredi: coniicere licet, nec in se habere gratiam, nec habuisse. Quantum debet reflexio hæc timorem ingerere!* DISCE *Sacerdos honorare Deum, vt honorificeris ab homine. Vide* plura. *V.*

R Mat. 21. lit. b. ibi, in Templo.

Ex corruptione Sacerdotum corruptio populi.

S Apoc. 19. tom. 2. §. 1. ibi, de manibus.

T Ps. 30. lit. 1

De quo vehementer conqueritur Dominus.

Sunt in causa, quòd aliqui ad Ecclesiam non accedunt.

V 4. d. 13. 1. 2. q. 1. c. & 3. p. 82. 10. c.

Sua vtatur Sacerdos potestate ac dignitate in Dei gloria m & proximorum salutem.

Ambitio, Bona Ecclesiastica, Cælibatus, Clericus *Tomo* 1. Ecclesia, Episcopus *Tomo* 2. Missa, Ordo, Sacramentum, Simonia.

(***)



SACRAMENTVM.

II. Sacramenta veteris legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantùm significabant passionem Christi, & effectus eius. 3. p. 62. 6. fi. corp.

1 **M***Vltifariam consueuit Sacramentum accipi. Vnde inter cæremonialia vet. legis & Sacramenta recensebantur*. Cæremonialia *enim* præcepta X ordinantur ad cultum Dei. In quo quidem cultu considerari possunt & ipse cultus, & colentes, & instrumenta colendi. Ipse autem cultus specialiter consistit in sacrificijs, quæ in Dei reuerentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi pertinent ad Sacra: sicut est tabernaculum, vasa, & alia huiusmodi. Ex parte autem colentium duo possunt considerari; scilicet eorum institutio ad cultum diuinum, quod fit per quandam consecrationem vel populi, vel ministrorum; & ad hoc pertinent Sacramenta: & iterum eorum singularis conuersatio, per quam distinguuntur ab his, qui Deum non colunt; & ad hoc pertinent obseruantiæ, putà in cibis & vestimentis & alijs huiusmodi. *Et quidem, prout* sanctificatio Y importat mancipationem alicuius ad aliquod Sacrum sic dicebantur Sacramenta, quasi sanctificantia; quia per ea fiebat quædam idoneitas ad sacros vsus & in Templo, & in vasis, & in ministris, & in populo. Et per hunc etiam modum apud Gentiles dicebantur Sacramenta militaria, quibus homo mancipatur officio militari, quod Sacramentum reputabant, sicut & omnia, quæ ad communitatem pertinebant. *Hinc Apostolus Coloss.* 2. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum: Corpus autem Christi. *Vbi coherenter ad præfata notat Author, quòd* cæremonialia Z erant quatuor, scilicet Sacrificia, Sacra, Sacramenta, & Obseruantiæ. Sacrificia immolabantur Deo, vt oues, vituli, & huiusmodi. Sacra erant, sicut vasa, & solemnia tempora. Sacramenta erant tria, scilicet circumcisio, Agnus paschalis, & consecratio Sacerdotum. Obseruantiæ autem erant ea, quæ pertinebant ad singulare in conuersatione populi Israel, vt cibi, vestes, & huiusmodi. *Alibi quoque instruimur, quòd* aliquando A Sacramentum importat rem, qua fit consecratio: & sic passio Christi dicitur Sacramentum. Aliquando verò includit modum consecrationis, qui homini competit, secundùm quod causæ sanctificantes, & sua sanctificatio, per similitudines sensibilium sibi notificantur: & sic Sacramenta nouæ legis Sacramenta dicuntur, quia & consecrant & Sanctitatem signant, & etiam primas sanctificationis causas signant: sicut baptismus significat, & puritatem designat, & mortis Christi signum est. Aliquando etiam includit tantùm significationem prædictarum consecrationum: sicut signum sanitatis dicitur sanum. Et hoc modo Sacramenta vet. legis, Sacramenta dicuntur, in quantum signant ea, quæ in Christo sunt gesta, & etiam Sacramenta nouæ. *Denique* Sacramentum B potest aliquid dici vel quia in se habet aliquam Sanctitatem occultam; & secundùm hoc, Sacramentum idem est, quod sacrum secretum, vel quia habet aliquem ordinem ad hanc sanctitatem vel causæ vel signi, vel secundùm quamcumque aliam habitudinem. Specialiter autem

Quid sacrificium, sacrum Sacramentũ, & obseruantia.

X 1. 2. 101. 4. c. & 102. 5. c.

Y 4. d. 1. 1. 5 q. 1. ad 1.

Sacramẽtum multifariam accipitur.

Z Coloss. 2. l. 4. initio.

Cæremonialia vet. legis quatuor, Sacramẽta tria.

A 4. d. 1. 1. 1. q 1. c. Prol. 1. ad Cor.

B 3. p. 60 1. c in 3 d. 19 exp. tex.

Sacramentum ponitur in genere signi.

C 3.p. l.c.a.2. c. In 4.d.1. 1. q. 1. & a. 3. ad 1. & a. 4. q. 1. ad 1.

Sacramenti diffinitio multiplex.

Authoris.

Magistri Sententiarum.

D 4. d. 1. 1. 1. q. 3. c.

Augustini.

E Ibid. a. 1. q. 4. c.

Hugonis de S. Victore.

F Ibid. a. 1. q. 5. c.

G 3. p. 60. 3. c. In 4. d. 1. 1. q. 1. ad 4. & a. 3. c.

Sacramentum quid signet.

H 3 p. 61. 1. c. In 4. d. 1. 1. 2. q. 1. c. & ad 2. & 3. con G. c. 119. & l. 4. c. 56.

Sacramenta ex triplici ratione ad nostram salutẽ necessaria.

tem nunc loquimur de Sacramentis, secundùm quod important habitudinem signi: & secundùm hoc Sacramentum ponitur in genere signi. *Quoniam verò*: signa C propriè dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota peruenire: ideò propriè dicitur Sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ, ad homines pertinentis, vt scilicet propriè dicatur Sacramentum (secundùm quod nunc de Sacramentis loquimur) quod est signum rei sacræ, in quantùm est sanctificans homines. *Cui respondet diffinitio Magistri in 4. d. 1.* Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt imaginem gerat, & causa existat. *In qua* ponitur D efficientia sanctitatis in hoc, quod dicit, *ut causa existat*: & modus competens homini quantùm ad cognitionem, in hoc, quod dicit, *inuisibilis gratia uisibilis forma*: & modus significationis homini connaturalis, scilicet ex similitudine sensibilium, in hoc quod dicit: *ut imaginem gerat*. Augustini *uerò diffinitio, scilicet*, Sacramentum est, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretiùs operatur salutem (*si tamen in uerbis illis Sacramentum diffinire intendit*) datur E de Sacramento quantùm ad id, quod est principale in ratione ipsius, scilicet causare sanctitatem. Diffinitio autem *Hugonis de S. Vict.* scilicet, Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecùs oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens: (*si bene consideretur*, eadem F est cum diffinitione Magistri, hoc excepto, quòd addit causam significationis, quæ est institutio, & causam efficientiæ, quæ est sanctificatio. Idem enim est dictum, *materiale elementum exteriùs oculis suppositum*, & *ex institutione significans*, quod *inuisibilis gratia uisibilis forma*. *Et ex similitudine repræsentans*, idem est ei, quod dicitur, *ut imaginem gerat*: & *ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens*; idem est ei, quod dicitur, *ut causa existat*. Sacramentum *igitur* propriè G dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari: videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi (*de quo infrà*) & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia & virtutibus: & vltimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per Sacramenta significantur. Vnde Sacramentum est & signum rememoratiuum eius, quod præcessit, scilicet passionis Christi: & demonstratiuum eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ: & prognosticum, idest prænunciatiuum futuræ gloriæ.

m *Porrò* Sacramenta H sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione: Quarum *Prima* sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est, vt per corporalia & sensibilia in spiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam prouidentiam, vt vnicuique rei prouideat secundùm modum suæ conditionis. Et ideò conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quæ Sacramenta dicuntur. *Secunda* ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, vbi patitur morbum: Et ideò conueniens fuit, vt Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet. Nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditus. *Tertia* ratio sumenda est ex studio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur euitando superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dæmonum, vel qualitercumque noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per Sacramentorum institutionem, homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxijs actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. *Consequenter* per hoc I excluditur error quorundam hæreticorum, qui omnia huiusmodi visibilia à Sacramentis Ecclesiæ volunt esse remouenda. Nec mirum: quia ipsi opinantur, omnia visibilia ex sui natura mala esse, & ex malo Authore producta. *Ex præmissis autem deducitur, quòd* in statu L innocentiæ ante peccatum, Sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam, per aliquid corporale, quod fit in Sacramentis: & ideò in statu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non solùm in quantùm Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantùm ipsa ordinantur ad animæ perfectionem. *Cæterùm in triplici temporis differentia possunt Sacramenta considerari: nimirùm tempore legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ. Et quidem* in lege M naturæ multa signa gratiæ præcesserunt; sicut diluuium, occisio Abel, & huiusmodi: quæ tamen non debent dici Sacramenta; sed illa tantùm, quę ad aliquod remedium exhibebantur: ea enim significabant rem sacram, vt actu sacrantem, quod est de ratione Sacramenti. Et ideò in lege naturæ *Hugo* tantùm ponit tria Sacramenta, scilicet sacrificia, oblationes, & decimas: quia per hæc, ut dicit *Gregorius*, remedium ante circumcisionem contra originale erat. Et quamuis tunc esset tempus figurarum, magis quàm modò, non oportebat esse signa determinata ad determinatos effectus gratię, sicut modò sunt: & ideò in quadam generalitate Sacramenta illa, nostra Sacramenta & ipsorum causam, scilicet passionem Christi, significabant: sicut quòd per sacrificia significabatur passio: per oblationes, dispositio patientis ad passionem; quia ipse se voluntariè obtulit ad eam, *Is.* 53. per decimas autem comparatio patientis ad illos, pro quibus patiebatur: qui imperfecti erant, ab ipso omnem perfectionem expectantes, sicut nouem per decem complentur. Horum autem duo referuntur ad Eucharistiam; scilicet sacrificium quantùm ad signatum; & oblatio, quantùm ad materiam & vsum: sed decima præfigurabat baptismum, in quantùm aliquid auferebatur: Matrimonium autem, & Pœnitentia, & Ordo erant illo tempore: sed tamen non computantur inter Sacramenta illius temporis, quia non fiebant cum aliqua consecratione Quilibet enim primogenitus *secundum Hieronymum* Sacerdos erat; nec erat aliquis modus determinatus ipsorum, nisi secundùm instinctum naturæ, prout cuique ratio fide innata dictabat faciendum. *Et ideò* sicut N in statu legis naturæ homines, nulla lege exteriùs data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum: ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. (*Verùm* Sacramenta O illa legis naturæ non habebant aliquam efficaciam ex opere operato, sed solùm ex fide; & ideò determinatio eorum ab homine puro habente fidem fieri

I 4. con G. c. 56 f.

Error hæreticorum explóditur.

L 3 p. 61. 2. c. In 4. d. 1. 1. a. 2.

In statu innocentiæ non erant necessaria Sacramenta.

Sacramenta in triplici tẽpore, legis scilicet naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ.

M 4. d. 2. 1. 4. 2. ad 4. & d. 1. 1-2. q. 3. c.

Sacramenta in lege naturæ, quæ,

N 3 p. 60. 5. ad 3.

Et qualis virtutis.

O 4. d. 2. 1. 4. ad 2.

fieri poterat,) Postmodum verò necesse fuit etiam exteriùs legem dari; tùm propter obscuritatem legis naturæ ex peccatis hominum, tùm etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur: & ideò etiam necesse fuit determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis. *Et hinc est, quòd* quia P In Abraham fides primò habuit quasi notabilem quantitatem; itaut propter fidei religionem ab aliis separaretur (unde & Pater fidei dicitur) ideò sibi signaculum, siue Sacramentum fidei determinatum fuit, scilicet circumcisio. Et quia tempore Moysi iam fides ad tantam quantitatem devenerat, ut non solùm in uno homine refulgeret, vel in familia, sed in una tota gente, populo Dei multiplicato: ideò oportuit, & legem dari, & Sacramenta in speciali determinari & multiplicari. Et propter hoc necessarium fuit in lege Moysi determinari sacrificia, oblationes, & decimas, quantùm ad omnes singulares circumstantias, & matrimonia ordinari, & pœnitentiæ satisfactiones distingui. *Quia igitur* Sacramenta Q necessaria sunt ad humanam salutem, in quantùm sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur: nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum: *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi* (*Rom.* 3.) ideò oportebat ante Christi aduentum esse quædam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris adventu. Et huiusmodi signa dicuntur Sacramenta. Et sic patet, quòd ante Christi aduentum necesse fuit quædam Sacramenta institui. *At verò*, sicut R antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos saluamur per fidem Christi iam nati & passi. Sunt autem Sacramenta quædam signa protestantia fidem, qua homo iustificatur. Oportet autem aliis signis significari futura, præterita, & præsentia. Vt enim *Augustinus* dicit lib. 19. contra Faustum: *Eadem res aliter annunciatur facienda, aliter facta*: sicut ipsa verba *passurus* & *passus* non similiter sonant. Et ideò opoortet quædam alia Sacramenta esse in noua lege, quibus significentur ea, quæ præcesserunt in Christo, præter Sacramenta uet. legis, quibus prænunciabantur futura. *Eadem enim fides* S *est modernorum & antiquorum*, ut Augustinus dicit: quia quem illi credebant venturum, nos credimus iam venisse. *Verùm* Sacramenta T non erant necessaria necessitate absoluta: sicut necessarium est Deum esse, cum ex sola diuina bonitate instituta sint; sed necessitate, quæ est ex suppositione finis: non ita tamen, quòd sine his Deus hominē sanare non posset, quia Sacramentis virtutē suā non alligavit. *Atqui* necessarium V respectu finis dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, sine quo non potest haberi finis: sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem. Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita conuenienter: Sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria Sacramenta necessaria. Duo quidem personæ singulari: Baptismus quidem simpliciter & absolutè: Pœnitentia autem supposito peccato mortali post baptismum. Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia *ubi non est gubernator, populus corruet*, ut dicitur *Prov.* 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta. Nam Confirmatio quodammodò perficit Baptismum, & extrema Vnctio Pœnitentiam. Matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat.

P 4. d. 1. 1. 2. q. 4. c.

Abrahę fides.

Sacramenta vet. legis.

Q 3. p. 61. 3. c.

Ante Christi adventum cur necessaria Sacramenta.

R 3. p. 61. 4. c. & q. 60. 6. ad 3. In 4. d. 1. 1. 2. q. 5. c.

Cur & post aduentum eiusdem.

Eadem est antiquorum & modernorum fides.

S In 4. loco cit.

T In 4. l. c. a. 2. q. 1. init. c.

Quonam sint necessitate Sacramenta necessaria ad salutem.

V 3. p. 65. 4. c. In 4. l. c. & d. 7. 1. 1. q. 2. c. & d. 8. 1. 2. q. 1. c.

n *Ceterùm* Sacramentum X non diuiditur per Sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & signans eam. Sacramentum autem simpliciter est, quod causat sanctitatem; quod autem signat tantùm, non est Sacramentum, nisi secundùm quid. *Et hinc multiplex elucescit Sacramentorum uet. & nouæ legis discrimen.* Sacramenta *enim* ueteris Y legis prænunciabant Christi uenturi: & ideò non ita expressè significabant Christum, sicut Sacramenta nouæ legis, quæ ab ipso Christo effluunt, & quandam similitudinem ipsius in se habent. *Vlteriùs* Sacramenta Z legalia solùm significabant Christi gratiam, non tamen eam causabant. Vnde Apostolus ad Gal. 4. vocat ea *egena & infirma elementa*; Egena quidem, quia gratiam non continebant: & infirma, quia gratiam conferre non poterant. Sacramenta verò nouæ legis & continent & conferunt gratiam. In eis enim *virtus Christi sub tegumento rerum uisibilium secretiùs operatur salutem*: ut dicit Aug. *Siquidem* à passione Christi A quæ est causa humanæ iustificationis, conuenienter derivatur uirtus iustificatiua ad Sacramenta nouæ legis, non autem ad Sacramenta uet. legis. Et tamen per fidem passionis Christi iustificabantur antiqui Patres, sicut & nos. Sacramenta autem uet. legis erant quædam illius fidei protestationes, in quantùm significabant passionem Christi, & effectus eius: (*quod aiebat initio Author.*) Et sic patet, quòd Sacramenta vet. legis non habebant in se aliquam uirtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam iustificantem, sed solùm significabant fidem, per quam iustificabantur. *Quocirca ad pleniorem cognitionem notandum, quòd* in Sacramento B est duo considerare, scilicet ipsum Sacramentum, & usum Sacramenti. Ipsum Sacramentum dicitur à quibusdam opus operatum; usus autem Sacramenti est ipsa operatio, quæ à quibusdam opus operans dicitur. Cū ergo dicitur, Sacramentū per se loquendo gratiā conferre; vel non conferre iustificare, uel non iustificare, referendū est ad opus operatū. De opere autē operato in Sacramentis ueteris legis duplex est opinio. Quidā enim dicunt, quòd in illis Sacramentis opus operatum erat signum Sacramentorum nouæ legis & passionis Christi, à quo efficaciam habent: & ideò illud opus operatum erat cum quadam protestatione fidei, & ideò indirectè & ex consequenti habebant iustificare, quasi mediantibus nostris Sacramentis per ea significatis, à Deo significationem habentia, ut dicit *Hugo de Sancto Victore*. Nostra autem Sacramenta directè & immediatè iustificant, quia ad hoc directè sunt instituta. Sed hæc opinio non videtur conuenire dictis Sanctorum. Dicunt enim quòd lex erat occasiò mortis, in quantùm ostendebat peccatum, & gratiam ad inuicem non conferebat. Nec differt quantùm ad hoc, qualitercumque vel directè, vel indirectè gratiam conferrent. Et prætereà secundùm hoc nulla esset vel valde modica præeminentia Sacramentorum nouæ legis ad Sacramenta ueteris legis: quia etiam Sacramenta nouæ legis à fide, & significatione causandi efficaciam habent. Et ideò alii dicunt, & meliùs, quòd nullo modo Sacramenta ipsa veteris legis, idest opus operatum, in eis gratiam conferebant, excepta circumcisione.

o *Excepta inquam circumcisione*, in C qua (*quicquid alii senserint*) conferebatur gratia quantùm ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen, quàm in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, inquantùm est instrumentum passionis Christi iam perfe-

X 4. d. 1. 1. q. 3. ad 5.

Sacramentū non dividitur per Sacramenta veteris & nouæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes

Y 3. p. 60. 6. ad 3.

Multiplex Sacramentorum nouæ & uet. legis differentia.

Z Op. 5. § de Sacram. init. Et Op. 6. §. 13. ad Gal. 2. l. 4. ibi, ex operibus.

A 3. p. 62. 6. c.

B 4. d. 1. 1. 5. q. 1. c. & 3. p. l. c.

Duo in Sacramento consideranda.

Opus operatum, & opus operans quid.

De opere operato in Sacramentis uet. legis duplex opinio.

C 3. p. 70. 4. c. & q. 62. 6. ad 3. In 4. d. 1. 2. a. 4. Ver. 28. 2. ad 12. Rom. 4. l. 2.

An & quomodo circūcisio gratiam conferret.

fectæ. In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet, quòd homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus prose, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dicit Rom. 4. quòd *Abraham signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei*: quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio; ideò baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert, quàm circumcisio: maior enim est effectus rei iam præsentis, quàm spei. *Ea propter dicebat* Augustinus *ad Valerium contra Iulianum*: Ex quo D instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei iustitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis, veterisque peccati: sicut & baptismus ex illo cœpit valere tempore ad innouationem hominis, ex quo institutus est. *Sanè conueniens fuit, vt à Deo prouideretur homini modus, quo expurgaretur ab originali culpa in quocumque statu: sicut post Christi aduentum prouisum est Sacramentum baptismi, sic ante illum ex fide ipsius circumcisio. Et rationem adducit Author. Nam* peccatum E quod ex alio contrahitur, conueniens est, vt per alium tollatur; & ideò in quolibet statu post peccatum fuit aliquod remedium, per quod peccatum originale ex virtute passionis Christi tolleretur. Et iterum; quia non poterat puer natus, antequam haberet vsum lib. arbitrij, se ad gratiam præparare: ne omninò sine religione relinqueretur, oportuit aliquod remedium dari, quod peccatum aboleret: & tale remedium fuit circumcisio, *ad hoc necessaria, sicut modò baptismus, qui idcircò Sacramentum dicitur necessitatis. Hac de causa, quemadmodum nunc in Ecclesiâ homo sine baptismo aliorum Sacramentorum capax non est*: *ita* sine F circumcisione nullus admittebatur ad aliquod legalium; vnde ad esum Paschalis conuiuij nullus in circumcisus admittebatur, vt patet *Ex. 12. fi. cap. Circumcisione igitur excepta, Sacramenta vet. legis non conferebant ex se ipsis gratiam, neque iustificabant: vnde rationabiliter erant mutanda, sicut & sacrificia*. Et hoc G probatur à tribus: quia scilicet Deo non placuerunt, quia peccata non abstulerunt, quia gratiam non contulerunt. De primo Ier. 6. *Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi*. De 2. Ps. 39. *Holocaustum pro peccato non postulasti*. Et ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo*. Ad Hebr. 10. *Impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. De 3. Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona & iudicia, in quibus non viuent*. Præcepta *non bona*, idest minùs bona: *& iudicia*, scilicet cæremonialia, *in quibus non viuent*, quia vitam gratiæ non conferebant, ad Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem*: quasi propter eius sterilitatem, quia non conferebat gratiam. *Quò facit illud Eccli. 36.* Innoua signa, & immuta mirabilia. *Quasi diceret*: quia H vetera signa non continebant gratiam, quam figurabant: fac noua, quæ continent quod figurant. *Sanè* iustorum I sacrificia non secundùm se, sed propter fidem Saluatoris, quem in illis venturum pro redemptione Mundi credebant, Deo placebant, & eis remissionem peccatorum, quantùm ad pœnam legis, & quantùm ad culpam animæ, conferre valebant, ad Gal. 2. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi*. Ad Hebr. 11. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo*. *Plurimam*, idest acceptabiliorem, & plùs sibi valentem. Intellexit enim, & credidit in agno, quem Deo obtulit, hostiam meliorem, idest Saluatorem; quod non Cain & cæteri indigni. *Hinc est, quòd quædam* L Sacramenta nouæ legis habuerunt in veteri lege Sacramenta figuralia sibi correspondentia. Nam circumcisioni respondet baptismus, qui est fidei Sacramentum; unde dicitur ad Coloss. 2. *Circumcisi estis in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo*. Conuiuio verò Agni Paschalis respondet in noua lege Sacramentum Eucharistiæ. Omnibus autem purificationibus ueteris legis respondet in noua lege Sacramentum Pœnitentiæ. Consecrationi autem Pontificis & Sacerdotum respondet Sacramentum Ordinis. Sacramento autem Confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod Sacramentum: quia nondum aduenerat tempus plenitudinis, eo quòd *nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebr. 7. Similiter autem & Sacramento extremæ vnctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondum patebat in vet. lege, pretio nondum soluto. Matrimonium autem fuit quidem in veteri lege, prout erat in officium naturæ: non autem prout est Sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta; vnde & in veteri lege dabatur libellus repudij, quod est contra Sacramenti rationem. *Ex quo liquet, quòd Sacramenta & sacrificia illa, Sacramentis noua legis (quæ ab eis figurabantur) instituendis, cessare debebant*. Per hoc autem M euitatur Iudæorum opinio, qui credunt Sacramenta legalia, propter hoc, quod à Deo sunt instituta, in perpetuum esse seruanda, cum Deus non pœniteat, neque mutetur. Fit enim absque mutatione disponentis, vel pœnitentia, quòd diuersa disponat secundùm congruentiam temporum diversorum. Sicut Pater familias, alia præcepta tradit Filio paruulo, & alia iam adulto. Sic & Deus congruenter alia Sacramenta, & præcepta ante incarnationem tradidit ad significandum futura: alia post incarnationem ad exhibendum præsentia, & rememorandum præterita. Magis autem irrationabilis est Nazaræorum & Heloniarum error, qui Sacramenta legalia simul cum Euangelio dicebant esse seruanda. Quia huiusmodi error, quasi contraria implicat: Dum enim seruant Euangelica Sacramenta, profitentur incarnationem, & alia Christi mysteria iam esse perfecta. Dum autem etiam Sacramenta legalia seruant, profitentur ea esse futura. DISCE *fidelis, veterem exuere, & Christum induere nouum hominem*.

[Margin notes: D 3 p. 70. 4. in sed contra. — Quòd gratiam conferret, conuenientia. — E 4. d. 1. 2. 4 q. 2. c. — Necessaria tunc, sicut modò baptismus. — F 1. 2. 102. 5 c. — Incircumcisus ad nullum admittebatur legalium: sicut sine baptismo nullus ad Sacramenta cetera. — G Op. 58. c. 1. & 3. — Sacramenta & sacrificia vet. legis, eo quòd imperfecta, mutanda erant. — H Ib. c. 11. — I Ib. c. 3. — Vnde grata vet. legis Sacrificia Deo. — L 1. 2. 102. 5 ad 3. In. 4. d. 1. 1. 2. ad. 5. — Sacramenta nouæ legis respondent figuralibus legis veteris, quæ in illa erant mutanda. — Excluditur opinio Iudæorum de perpetuitate legalium. — M 4. con Gt. 57. — Et Nazaræorum, atque Heloniarum de legalibus simul cum Euangelio seruandis.]



III. Sa-

III. Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad subueniendum homini in vita spirituali. 3. p. 73. 1. *initio corp.*

Sacramentũ debet aliquid esse sensibile.

N. 3.p.60.4. c.& 61. 1.c. In 4.d.1.1.q.1. & a.2.q.1.& d.14.1.1.q.1. Ver.27.4. ad 16.& 4.con.G. c.56.

P AD *differentiam legis veteris Sacramentorum, veram habent Sacramenti rationem noua legis Sacramenta, vt præmissum est. Verum autem Sacramentum, cum sit inuisibilis gratia (vt vidimus) visibilis formã, res aliqua debet esse sensibilis.* Est *enim* homini N connaturale vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium. Signum autem est, per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius: vnde cum res Sacræ, quæ per Sacramenta significantur, sint quædam spiritualia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, vt per aliquas res sensibiles significatio Sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in diuina Scriptura res spirituales nobis describuntur. *Et quidem res esse debet determinata.*

Et determinatum ex institutione diuina.

O 3.p.60.5. & 7.c.

In O vsu *enim* Sacramentorum, duo possunt considerari, scilicet cultus diuinus & Sanctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum. Secundum autem è conuerso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare, quod est in potestate alterius, sed solum id, quod est in sua potest. te. Quia ergo Sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur: sed hoc debet esse ex diuina institutione determinatum. Et ideò in Sacramentis nouæ legis, quibus homines sanctificantur, secundùm illud 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis*, oportet vti rebus ex diuina institutione determinatis.

Duo in Sacramento cõsiderantur: cultus Dei, & sanctificatio hominis.

Quomodo rei corporeæ virtus insit spiritualis.

P 4 d.1.1.4. q.2.ad 4. Ver. 27.4.ad.4.& 10.

Nec mirandum, rei corporali posse spiritualem inesse virtutem; quamquam enim in re P corporali non potest esse virtus spiritualis secundùm esse completum: potest tamen ibi esse per modum intentionis. Sicut in instrumentis motis ab Artifice est virtus artis: & sermo audibilis existens causa disciplinæ (*vt dicitur in lib. de sensu & sensate*) continet intentiones animæ: quodammodò etiam in motu est virtus substantiæ separatæ mouentis secundùm Philosophos: & semen agit in virtute animæ, vt dicitur *in 1. de gen. anim.* Virtus autem P illa neque potest dici corporea, neque incorporea, propriè loquendo (corporeum enim & incorporeum sunt differentiæ entis completi:) sed propriè dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus magis dicitur ad ens, quàm ens. *Hæc autem* virtus Q est ex tribus, scilicet ex institutione diuina, sicut ex principali causa agente: ex passione Christi, sicut ex causa prima meritoria: & ex fide Ecclesiæ, sicut ex continuante instrumentũ principali agenti. *Verba autem addita rei, Sacramentum perficiunt, secundùm illud Eph. 5.* Vt sanctificaret Ecclesiam, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ. *Et Augustinus sup. Io.* Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et quamuis R verba et aliæ res sensibiles sint in diuerso genere quantùm pertinet ad naturam rei: conueniunt tamen in ratione significandi, quæ perfectiùs est in verbis, quàm in aliis rebus, & ideò ex verbis & rebus fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicut ex forma & materia: in quantùm scilicet per verba perficitur significatio rerum. Sub rebus autem comprehenduntur etiam ipsi actus sensibiles, puta ablutio, inunctio, & alia huiusmodi, quia in his est eadem ratio significandi, & in rebus.

P Ver.27.4. ad 5.

Q 4.d.1.1.4. q.3.f.c.

Talis virtus ex tribus.

R 3. p.60.6. ad 2.& in corp & 62. 4.ad 4. & 86.6.c. In 4. d.1.1.3.c.& ad 2.& d 23.1.4. q.1 c.

Ex verbis & rebus fit Sacramentum, sicut ex forma & materia.

Tria porrò in omnibus Sacramentis considerantur, scilicet Sacramentum tantùm, res tantùm, & res ac Sacramentum simul. Detemur enim, quòd in Sacramento ex gr. baptismi id, quod est S Sacramentum tantùm (*scilicet exterior ablutio*) transit: permanet autem & id, quod est Sacramentum, & res, scilicet character, & id, quod est res tantùm, scilicet interior iustificatio. *Et iterùm* in pœnitentia T Sacramentum tantùm est actus exteriùs exercitus tam per peccatorem pœnitentem, quàm etiam per sacerdotem absoluentem: res autem & Sacramentum est pœnitentia interior peccatoris; res autem tantùm & non Sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum est causa secundi: primum autem, & secundum sunt quodammodo causa tertii: *& sic de cæteris.*

Tria in quolibet Sacramento considerantur.

S 3.p.66.1. ad 1.In 4.d.24. 1.1.q.2.ad 1.

T 3.p.84.1. ad 3.

Ex præmissis autem deducitur, quòd in Sacramentis V verba se habent per modum formæ: res autem sensibiles per modum materiæ. In omnibus autem compositis ex materia & forma principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis & terminus materiæ. Et ideò principaliùs requiritur ad esse rei determinata forma, quàm determinata materia: materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formę. Cum igitur in Sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in Sacramentis, sicut materia; multò magis requiritur in eis determinata forma verborum.

V 3.p.60.7.et

Verba debẽt esse determinata.

Forma autem Sacramentorum per traditionem Apostolorum habita in Ecclesia sunt. Multa enim X seruabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in scripturis communiter propositis non sunt tradita. Vnde *Dionysius* dicit in fine Eccles. hier. *Consummatiuas inuocationes*, idest verba, quibus perficiuntur Sacramenta, *non est iustum scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio sine pompa*, idest occultè, *eas edocet*. Vnde & Apostolus loquens de celebratione Eucharistiæ, dicit 1. Cor. 11. Cætera, cum venero, disponam. *Et quidem* formæ Y sacramentales, & alia, quæ in sacramentis exiguntur, occultanda erant in primitiua Ecclesia propter irrisiones Gentilium, *vt Dionysius dicit.*

Res sensibiles in Sacramentis habent rationem materiæ: verba rationem formæ.

X 3.p.72.4. ad 1.

Sacramentorum formæ per traditionem habẽtur Apostolorũ.

Y 4.d.7.1.r. q.1.ad 1.& a. 3.q 1.ad 2.

Occultæ in primitiua Ecclesia, propter irrisiones Gẽtilium.

q *At quæres, num corruptè quis formam proferens, perficiat nihilominùs Sacramentum. Et* dicendum Z quòd ille, qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia; & ita non videtur perfici sacramentum. Si autem hoc faciat ex errore, vel lapsu linguæ: si tanta sit corruptio, quæ omninò auferat sensum locutionis, non videtur sacramentum perfici. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte principii dictionis: puta si loco eius quod est, *in nomine Patris*, dicat, *in nomine Matris*. Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis per huiusmodi corruptelam: nihilominus perficitur sacramentum. Et hoc præcipuè contingit, quando fit corruptio ex parte finis: putà si aliquis dicat, *in nomine Patrias, & Filias*. Quamuis enim huiusmodi verba corruptè prolata nihil significent ex virtute impositionis: accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus; & ideò, licèt mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Quod autem dictum est de differentia corruptionis circa principium, vel finem dictionis, rationem habet: quia apud nos variatio dictionis ex parte principii mu-

Z 3 p 60.7. ad 3.In 4 d.3.1 2.q 2.ad 6.

An corruptè proferens formam, Sacramentum perficiat.

mutat significationem; variatio autem ex parte finis dictionis, vt plurimùm mutat consignificationem: quæ tamen apud Græcos variatur etiam secundùm principium dictionis in declinationibus uerborum. Magis tamen uidetur attendenda quantitas corruptionis: quia ex utraq; parte potest esse tã parua, quòd non aufert sensũ uerborũ: & potest esse tã magna, quòd aufert. Sed unũ horũ faciliùs accidit ex parte principii, & aliud ex parte finis. *Quæres secundò: Verum detrahere, uel adiicere quidquam liceat uerbis, in quibus formæ consistunt Sacramentorum, vel ea mutare? Et respondet Author, quòd circa* A omnes istas mutationes, quæ possunt in formis Sacramentorũ contingere, duo uidentur esse consideranda. Vnum quidem ex parte eius, qui profert uerba, cuius intentio requiritur ad Sacramentum (*de qua infra:*) & ideò si intendat per huiusmodi additionem, uel diminutionem, alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non uidetur perfici Sacramentum; quia non videtur, quòd intendat facere id, quod facit Ecclesia. Aliud autem est considerandum ex parte significationis verborum. Cum enim verba operentur in Sacramentis, quantùm ad sensum, quem faciunt, oportet considerare, utrùm per talem mutationem tollatur debitus sensus verborum; quia sic manifestum est, quòd tollitur ueritas Sacramenti. Manifestum est, autẽ quòd si diminuatur aliquid eorũ quæ sunt de substantia formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus uerborum: & ideò non perficitur Sacramentum. Vnde *Didymus* dicit in lib. de Spiritu sancto: *Si quis ita baptizare tenetur*, ut unum de prædictis nominibus (scilicet Patris, & Filii, & Spiritu sancti) *prætermittat, sine perfectione baptizabit*. Si autem subtrahatur aliquid, quod non sit de substantia formæ, talis diminutio non tollit debitum sensum uerborum, & per consequens nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistiæ, quæ est: *Hoc est enim corpus meum*, ly *enim* sublatum non tollit debitum sensum uerborum, & ideò non impedit perfectionem Sacramenti; quamuis possit contingere, quòd ille qui prætermittit, peccet ex negligentia, uel contemptu. Circa additionem etiam, contingit aliquid apponi, quod est corruptiuum debiti sensus: putà si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & filii minoris*; sicut Ariani baptizabant: & ideò talis additio tollit veritatem Sacramenti. Si verò sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas. Nec refert utrùm talis additio fiat in principio, medio, vel fine: ut si aliquis dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, & filii eius Vnigeniti, & Spiritus sancti paracliti*; erit uerum baptisma. Et similiter, si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & B.V. te adiuuet*, erit uerum baptisma. Fortè autem si diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti & B.V. Mariæ*, non esset baptismus: quia dicitur 1. Cor. 1. *Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Sed hoc uerum est, si sic intelligatur *in nomine* B. V. baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur: talis enim sensus esset contrarius ueræ fidei, & per consequens tolleret veritatem Sacramenti. Si verò sic intelligatur, quod additur, in nomine B. V. non quasi nomen B. V. aliquid operetur in baptismo, sed ut eius intercessio prosit baptizato ad conseruandam gratiam baptismalem: non tollitur perfectio Sacramenti. *Denique quo ad uerborum interruptionem*, si sit B tanta interruptio uerborum, quòd intercipiatur intentio pronunciantis, tollitur sensus Sacramenti, & per consequens veritas eius; non autem tollitur, quando est parua interruptio, quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert. Et idem dicendum est etiam de transpositione uerborum: quia si tollit sensum locutionis, non perficitur Sacramentum: sicut patet de negatione præposita uel postposita signo; si autem sit talis transpositio, quæ sensum locutionis non variet, non tollitur ueritas Sacramenti; quia secundùm Philosophum nomina & uerba transposita idem significant.

Num liceat formæ verba mutare, uel eis adiicere, aut detrahere quidquam.

A 3.p.60.8.c. In 4.l.c.a.2.q. 2. & 3.

Quid de interruptione, aut transpositione verborum.

B 3.p.c ad 3. In 4.l.c.a.2.q.4.c.

1 *Quoad materiam verò Sacramenti, illud sciendum, quòd* nomine C corporalium rerum intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles qui ita se habent in aliquo Sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in Confirmatione. Est autem attendendum, quòd in illis Sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exteriùs: sicut in Baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: & in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti, & in Extrema Vnctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis: quæ proueniunt ex uirtute Christi, quasi ex quodã extrinseco principio. Vnde si quis actus humani sunt in talibus Sacramentis, non sunt de essentia Sacramentorum. Sed dispositivè se habent ad Sacramenta. In illis autem Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio. Sicut in medicinis corporalibus, quædam sunt res exteriùs adhibitæ, ut emplastra & electuaria: quædam verò sunt actus sanandorum, putà exercitationes quædam. *Præterea* quædam D Sacramenta sunt, in quibus requiritur materia sanctificata, sicut in extrema Vnctione & Confirmatione: quędam verò sunt, in quibus non requiritur ex necessitate Sacramenti. In omnibus tamen uerum est, quòd uirtus Sacramenti non consistit in materia tantùm, sed in materia & forma simul, quæ duo sunt unum Sacramentum. Vnde quantumcumque applicetur materia Sacramenti ad hominem sine debita forma uerborum, & aliis, quæ ad hoc requiruntur, non sequitur Sacramenti effectus: sed in Sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, manet uirtus Sacramenti in materia post usum Sacramenti partialiter, sed non completè. In Sacramentis verò, quæ non indigent materia sanctificata, nihil remanet post Sacramenti usum. Vnde aqua, in qua celebratus est baptismus, nihil plus habet, quàm alia aqua, nisi fortè propter permistionem chrismatis, quod tamen non est de necessitate Sacramenti. Nec est inconveniens, quòd uirtus illa cesset: quia virtus illa se habet ut in fieri existens & moueri; & huiusmodi cessat cessante motione mouentis: statim enim quando movens cessat mouere, & mobile cessat moveri. *Ratio verò, cur aliquorum Sacramentorum materia præexigatur consecrata, ea est, quod* quibusdam E Sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet baptismo & Eucharistia: & ideò ex ipso usu Christi materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti. Et propter hoc non est de necessitate horum Sacramentorum, quòd materia priùs benedicatur. Si qua verò benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem Sacramenti, non ad necessitatem. Vnctionibus autem visibilibus Christus non est visus, ne fieret iniuria inuisi-

C 3.p.84.1.ad 1. & a.4.ad 3. In 4.d.7.1.2.q.1.c. & d.22.2.1.q.1.c. & d.24.1.1.q.5.c.

Actus humani sensibiles habent rationem materiæ in aliquibus Sacramentis.

D Ver.27.4.ad 10. & 3.p.72.3.c In 4.d.5.2.1.q.1.c. & d.7.1.2.q.3. & d.23.1.3.q.2.

Cur quædam Sacramenta, materiam exigant consecratam, quædam non, de necessitate Sacramenti.

Materia & forma debent esse simul, ut Sacramentum conficiatur.

An maneat virtus Sacramenti in materia post Sacramenti usum.

E 3.p.72.3.c

bili

bili vnctioni, qua est vnctus *præ consortibus suis.* Et ideò tam Chrisma, quàm Oleum Sanctum infirmorum, priùs benedicuntur, quàm adhibeantur ad vsum Sacramenti. *Cæterùm pro materia Sacramenti* inter res F sensibiles illa assumitur (*& assumi debet*) ad significationem Sacramenti, cuius vsus est communior ad actum, per quem Sacramenti effectus significatur; sicut aqua communiùs vtuntur homines ad ablutionem corporalem, per quam spiritualis ablutio significatur; & ideò aqua assumitur vt materia in baptismo. Et panis G & vinum, quibus communiùs homines reficiuntur, assumuntur in Sacramento Eucharistiæ ad vsum spiritualis manducationis. *Hinc deducitur, quòd non omnia, quæ in Sacramentis adhibentur, Sacramenta sunt: sed quædam, ceu ad Sacramentum spectantia, Sacramentalia dicuntur.* Sacramentum enim H secundùm sui nominis proprietatem, Sanctitatem actiuè importat: vnde secundùm hoc aliquid habet Sacramenti rationem, secundùm quod habet rationem Sanctificationis, qua Sanctum aliquid fit. Dicitur autem aliquid Sanctum dupliciter. Vno modo simpliciter & per se, sicut quod est subiectum Sanctitatis, sicut dicitur homo Sanctus. Alio modo secundariò & secundùm quid, ex eo quòd habet ordinem ad hanc sanctitatem; vel sicut habens virtutem Sanctificandi, sicut Chrisma dicitur Sanctum; vel quocumque alio modo ad aliquid Sanctum deputetur, sicut Altare dicitur Sanctum. Et ideò ea quibus aliquid fit Sanctum primo modo, dicuntur Sacramenta simpliciter: illa autem, quibus fit aliquid Sanctum secundo modo, non dicuntur Sacramenta, sed Sacramentalia magis. *Et alibi*: Cum Sacramenta I sint quædam actiones hierarchicæ *secundùm Dionysium* ordinatæ ad aliquos effectus salutis: quando plures actiones Sacramentales ordinantur ad vnum effectum, vna vt perficiens, alia vt disponens, vel impedimentum remouens, vel aliquo modo ornans; tunc in illa, quæ efficit effectum principalem, consistit essentialiter ratio Sacramenti: aliæ autem non dicuntur per se Sacramenta, sed Sacramentalia quædam, quasi Sacramentis adiuncta; sicut patet circa baptismum in exorcismo, catechismo, & aliis huiusmodi. *Vnde & hæc Sacra potiùs, quàm Sacramenta dicuntur, quæ & ab Ecclesia instituta sunt. Quia enim* in Sacramentis L nouæ legis datur gratia, quæ non est nisi à Christo, ideò oportuit, quòd ab ipso institutionem haberent. Sed in sacris, *siue Sacramentalibus*, non datur aliqua gratia, puta in consecratione Templi, vel altaris, vel aliorum huiusmodi: & ideò, quia talia secundùm se ipsa non pertinent ad necessitatem interioris gratiæ, Dominus fidelibus instituenda reliquit pro suo arbitrio, idest *Ecclesiæ Prælatis*.

F 3. p. 60. 7. ad 2. & 66. 5. ad 7. Quol. 3. a. 10. c.

Materia in Sacramentis adhibenda, qua communiùs homines vtuntur.

G 3. p. 74. 1. & 3. c.

H 4. d. 8. 1. 1. q. 1. c. & 3. p. 60. 2. ad 3.

Non omnia, quæ in Sacramentis adhibentur, Sacramenta sũ, sed quædam Sacramẽtalia dicuntur.

Dupliciter aliquid dicitur Sanctum.

I 4. d. 7. 1. 1. q. 1. c. & d. 13. 1. 11. q. 1. c.

L 1. 2. 108. 2. ad 2.

Sacramẽtalia ab Ecclesia instituta.

§ In Sacramentis inquam nouæ legis datur gratia: quam scilicet in se ipsis & causant & continent. Et hic est præcipuus Sacramentorum effectus. Secundus autem est spiritualis character, in aliquibus quidem, non in omnibus Sacramentis. Igitur Sacramenta M nouæ legis non solùm significant, sed causant gratiam. Sed duplex est causa agens: principalis scilicet, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; & hoc modo non potest causare gratiam, nisi Deus: quia gratia nihil est aliud, quàm quædam participata similitudo diuinæ naturæ, secundùm illud 2. Petri 1. *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.*

Duplex Sacramenti effectus, gratia, & character.

M 3. p. 62. 1. c. In 4. d. 1. 1. 4. q. 1. & 3. Ver. 27. 4. & c. & 4. con G. c. 56.

Sacramẽtum nouæ legis & signat gratiã, & causat.

Duplex causa agens.

Gratia quid.

Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente: vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis. Et hoc modo Sacramenta nouæ legis gratiam causant. Adhibentur enim ex diuina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Vnde *Augustinus* dicit lib. 19. contra Faustum: *Hæc omnia*, scilicet Sacramentalia, *fiunt & transeunt: virtus tamen*, scilicet Dei, *quæ per ista operatur, iugiter manet.* Hoc autem propriè dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur, vnde & dicitur *ad Tit.* 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, *vt contingit in Sacramento baptismi. Et hoc est, quod ait Magister in 4. D. 1.* Homo N non quærit salutem in Sacramentis, quasi ab eis, sed per illa à Deo. Hæc enim præpositio, à, denotat principale agens; sed hæc præpositio, *per*, denotat causam instrumentalem. *Proinde* secundùm hoc O Sacramenta nouæ legis simul sunt causæ & signa. Et inde est, quòd (sicut communiter dicitur) efficiunt quod figurant. Ex quo etiam patet, quòd habent perfectè rationem Sacramenti, in quantùm ordinantur ad aliquid Sacrum: non solùm per modum signi, sed etiam per modum causæ. *Notandum autem, quòd* instrumentum P habet duas actiones. Vnam instrumentalem, secundùm quam operatur non virtute propria, sed principalis agentis. Aliam habet actionem propriam, quæ competit sibi secundùm propriam formam: sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis; facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam: scindendo enim facit lectum. Et similiter Sacramenta corporalia, per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam: Sicut aqua baptismi abluendo corpus secundùm propriam virtutem, abluit animam, in quantùm est instrumentum virtutis diuinæ: nam ex anima & corpore vnum fit. Et hoc est, quod dicit *Augustinus*: Corpus tangit, & cor abluit. *Causant igitur omnia & singula Sacramenta, quantùm in ipsis est, gratiam in anima. Quòd si aliqua primam gratiam non causant, non ex defectu eorum est, sed quia aut inueniunt, aut præexigitur in suscipiente. Hinc distinguunt Sacramenta Doctores in Sacramenta viuorum & mortuorum. Quæ primam ex natura sua gratiam causant, dicuntur* mortuorum (*per peccatum enim mors animæ*) *nisi per accidens in subiecto inueniant. Et hæc, duo sunt, baptismus scilicet & pœnitentia. Cætera* viuorum *dicuntur, quæ de sui natura non causant primam gratiam, nisi per accidens aliquando. De Sacramentis mortuorum patet in contrito cum pœnitentia Sacramento in voto: hic enim ad Sacramentum accedens, primam ex eo non recipit gratiam (cum ex vi contritionis iam habeat) sed eius augmentum & gratiam Sacramentalem, de qua infrà. De Sacramentis viuorum patet in Eucharistia, de qua Author:* Potest (*inquit*) hoc Q Sacramentum operari remissionem peccati, etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus; sed deuotè & reuerenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. *Igitur, si prima Sacramenta gratiam non causant, illam ad minùs augent inuentam, proinde & ab ea fluen-*

Quomodo Sacramentũ causet gratiam.

N In 4. loc. cit. a. 4. q. 1. fi. c.

O 3. p. 62. 1. ad 1. In 4. l. c. Ver. 27. 4. c.

Sacramẽta nouæ legis simul sunt causæ & signa. & efficiunt quod figurant.

P 3. p. l. c. ad 2. In 4. l. c. Ver. l. c. ad 2. & 4. con G. c. 56. fi.

Instrumenti duplex actio.

Explicatur actio & virtus instrumẽtalis Sacramentorum.

Sacramenta viuorum, & mortuorum, quænam sint.

Q 3. p. 79. 3. c. & ad 1. In 4. d. 9. 1. 3. q. 2. fi. & d. 12. 2. 2. q. 2. ad 1. & 3.

Sacramenta gratiam causant, aut augent inuentam.

T 4. d. 12. 2. 1. q. 1. ad 1.

tes virtutes R augentur per omnia Sacramenta, quæ gratiam inueniunt in subiecto, ex eo quòd ipsa de se nata sunt gratiam causare. *Additur præterea in singulis Sacramentis ad gratiam communiter dictam & gratia Sacramentalis.* Sicut enim virtutes S & dona addunt super gratiam communiter dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam & super virtutes, & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Ordinantur enim Sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios in uita Christiana. Sicut baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, & fit membrum Christi: qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadē ratio est in aliis Sacramentis. *Id quod clarius alio explicatur loco.* Sicut T diuersæ virtutes, & diuersa dona Spiritus sancti ad diuersos actus ordinantur: ita diuersi Sacramentorum effectus sunt, ut diuersæ medicinæ peccati, & participationes virtutis Dominicæ Passionis, quæ à gratia gratum faciente dependent, sicut uirtutes & dona. Sed virtutes & dona nomen speciale habent, propter hoc quòd actus, ad quos ordinantur, sunt manifesti; unde secundū nomen à gratia distinguuntur. Defectus autem peccati, contra quos Sacramenta instituuntur, latentes sunt: unde Sacramentorum effectus nomen proprium non habent, sed nomine gratiæ nominantur: dicuntur enim gratiæ Sacramentales; & penes has Sacramenta distinguuntur, sicut penes proprios effectus. Pertinent autem isti effectus ad gratiam gratum facientem, quæ istis effectibus coniungitur; & sic cum propriis effectibus habent effectum communem, qui est gratiā gratū faciens: quæ etiā per Sacramentū & non habenti datur, & habenti augetur. *Sanè unica hæc radix est, unde Sacramenta multiplicentur.* Nā ubi V occurit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale Sacramentum. *Ex quo sequitur, quòd & continetur in Sacramentis gratia, quam causant. Cum autem Sacramentum, & signum & causa sit:* duplici X modo gratia est in Sacramentis. Vno modo sicut in signo: nam Sacramentum est signum gratiæ. Alio modo sicut in causa. Nam Sacramentum novæ legis, est instrumentalis gratiæ causa. Vnde gratia est in Sacramento nouæ legis; non quidem secundùm similitudinem speciei, sicut effectus est in causa uniuoca: neque etiam secundùm aliquam formam propriam & permanentem, proportionatam ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis non uniuocis, putà res generatæ in Sole; sed secundùm quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens & incompleta in esse naturæ, *ut præmissum est. Et hæc est res Sacramenti: quæ duplex est.* Vna Y significata, & contenta, scilicet gratia, quæ statim cum Sacramento confertur: alia significata, & non contenta, scilicet gloria resurrectionis, quæ in fine expectatur. *Gratia enim est semen gloriæ, per quam scilicet ad beatitudinem peruenitur*, 1. Io. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. *Semen ipsius*, scilicet Z gratiæ iustificantis. *Quòd si Sacramenta gratiam continent & causant, peccata consequenter tollunt.* Est *enim* omnibus A Sacramentis commune, quòd per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc, quòd gratiam conferunt. *Vnde & docemur, quòd* per virtutes B & dona excluduntur sufficienter vitia & peccata quantùm ad præsens & futurum, in quantùm scilicet impeditur homo per virtutes & dona à peccando: sed quantùm ad præterita peccata, quæ transeunt actu, & remanent reatu, adhibetur homini remedium specialiter per Sacramenta. *Et ita* per omnia C Sacramenta sanctificatur homo, secundùm quod sanctitas importat munditiam à peccato, quæ fit per gratiam. *Munditia inquam à peccato, nedum mortali, sed & ueniali. Licèt namque* contra D ueniale non ordinetur aliquod Sacramentum ad curationem ipsius principaliter institutum: ex consequenti tamen multa Sacramenta contra venialia valent. Veniale enim & culpa est, & dispositio ad culpam, imperfectam tamen rationem habens culpæ, ita quòd gratiam non excludit. Et ideò in quantum culpa est, potest tolli per omnia Sacramenta, quæ contra culpam tollendam ordinantur. In quantùm verò est dispositio ad culpam ex ablata mortali culpa remanens, potest tolli etiam per Sacramenta illa, quæ contra pœnam ex culpa relictam, & ad culpam inclinantem, ordinantur:

Addunt ad gratiam communiter dictam & gratiam Sacramentalem.

S 3. p. 62. 2. c. & 63. 1. & 3. c. In 4. d. 1. 1. 4. q. 5. c. & ad 1. & 2.

Quid hæc sit. Omnia Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus.

T Ver. 27. 5. ad 12.

V 3. p. 72. 1. 1. inis c.

Vnde Sacramenta multiplicentur.

X 3. p. 62. a. 4. 3. 4. 5. c. In 4. d. 1. 1. 4. q. 2. & 4. Ver. 27. 7. init. c. & ad 4.

Quomodo gratia sit & contineatur in illis.

Res Sacramenti duplex.

Y 1. Cor. 12. l. 1. init. & c. 1. l. 2. init. & c. 15. l. 1. init.

Z 1. Io. 3. §. 4.

Gratia semen gloriæ.

A 3. p. 63. 6. 1. init. c. & a. 1. c. & 62. 5. c. & 65. 1. c.

Per Sacramenta & peccata tolluntur.

B 3. p. 62. 2. ad 2.

C 3. p. 63. 6. ad 2.

Etiam uenialia, licèt principaliter contra ea non sit aliquod Sacramentum institutum.

D 4. d. 2. 1. 1. q. 4. c.

1 *Ea porro Sacramentorum est virtus, quod nedum* operantur E secundùm quòd exhibentur in actu, sed etiam secundùm quòd habentur in voto: & hoc ideò, quia Sacramenta operantur, ut instrumenta diuinæ misericordiæ iustificantis. Dei enim est respicere ad hominis cor, secundùm illud 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor.* Et ideo, quamuis res naturales non agant, nisi præsentialiter adhibitæ: Sacramenta tamen agunt etiam, secundùm quod sunt in voto. Sed pleniùs Sacramentalem effectum inducunt, quando actu exhibentur, sicut patet in baptismo (*qui & fluminis dicitur*) & in Sacramento pœnitentiæ. *Cæterùm virtus Sacramentorum præfata, ex virtute passionis Christi deriuatur. Nam* inter mēbra F Ecclesiæ principale membrū Christus est, quia est caput; Eph. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Bonum ergo Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris: & hæc communicatio fit per Sacramenta Ecclesiæ, in quibus operatur uirtus passionis Christi, quæ operatur ad conferendam gratiam in remissionem peccatorum. *Operatur inquam in Sacramentis virtus passionis Christi.* Sacramentum *autem* operatur G ad gratiam causandam per modum instrumenti. Est autem duplex instrumentum, unum quidem separatum, ut baculus; aliud coniunctum, ut manus. Per instrumentum autem coniunctum mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum: Sacramentum autem, sicut instrumentum separatum. Et ideò oportet quòd virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem in ipsa Sacramenta deriuetur. Gratia autem Sacramentalis ad duo præcipuè ordinari uidetur, videlicet ad tollendos defectus præteritorum peccatorum, & iterùm ad perficiendam animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundùm religionem vitæ Christianæ. Manifestum est autem, quòd Christus liberavit nos à peccatis nostris, præcipuè per suam passionem, non solùm efficienter & meritoriè, sed etiam satisfactoriè. Similiter etiam per suam passionem initiauit ritum Christianæ religionis, offerens se ipsum *oblationem, & hostiam Deo* ut dicitur Eph. 5. Vnde manifestum est, quòd Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi cuius virtus quodammodò nobis copulatur per susceptionem Sacramentorum. In cuius signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua & sanguis, quorum vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima Sacramenta. *Idcircò & alibi instrui-*

E Quol. 4. a. 10. c. In 4. d. 18. 1. 3. q. 1. c.

Sacramenta operantur etiam ut habentur in voto: licèt pleniùs in actu exhibita.

F Op. 6. §. 13.

Eorum uirtus ex uirtute passione Christi.

Instrumentum duplex: coniunctum scilicet, & separatum.

G 3. p. 62. 5. c. & 61. 1. ad 3. In 4. d. 1. 1. 4. q. 1.

Gratia Sacramentalis ad duo ordinatur.

De Latere Christi fluxerunt Sacramenta, quibus Ecclesia formata est.

H Rom. 5. l. 4. & lo. 19. l. 5. Lic. 1. & 3 p. 64. 2. ad 3. Ad Hann. Prol. in 4. Sent.

I Is. 60 ibi.

fruimur, quòd sicut H de latere Adæ dormientis sumpta est mulier: ita ex latere Christi dormientis in Cruce *fluxit sanguis & aqua*; quæ significant Sacramenta, quibus est formata Ecclesia. *Quod præcinuit Isaias c. 60. cum ait*: Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent: *de latere* scilicet I Christi in cruce aperto, vnde Sacramenta salutes emanauerunt.

L 3. p. 63. 3. & 1. & 2. c. In 4. d. 4. 1. 2. c.

Secundus Sacramenti effectus, character.

Quidnam sit character.

M 3. p. l. c. a. 1. c. In 4. l. c. a. 4. q. 1. c.

u *Secundus Sacramenti effectus est character*. Est *autem* character L propriè signaculum quoddam, quo aliquid insignitur, vt ordinatum ad aliquem finem; sicut charactere insignitur denarius ad vsum commutationum, & milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati. Sacramenta *autem* nouæ M legis ad duo ordinantur, videlicet ad remedium contra peccata, & ad perficiendum animam in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundùm ritum Christianæ vitæ (*vt præmissum est*:) & ideò cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, quòd per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur. *At verò* diuinus N cultus consistit, vel in recipiendò aliqua diuina, vel in tradendo alijs. Ad vtrumque autem horum requiritur quædam potentia: nam ad tradendum aliquid alijs, requiritur potentia actiua: ad recipiendum autem requiritur potentia passiua. Et ideò character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. Sciendum tamen, quòd hæc spiritualis potentia est instrumentalis, sicut dictum est de virtute, quæ est in Sacramentis. Habere enim Sacramenti characterem, competit ministris Dei: minister autem habet se per modum instrumenti, vt Philosophus dicit *in 1. Polit.* Et ideò sicut virtus, quæ est in Sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quòd est quoddam fluens, & incompletum: ita etiam character non propriè est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis. *Et hæc quidem potestas, ipsius Sacerdotij Christi character est*. Homo *siquidem* fidelis O ad duo deputatur. Primò quidem & principaliter ad fruitionem gloriæ; & adhoc insignitur signaculo gratiæ, *secundùm illud Ezech. 9. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium*; & *Apoc. 7. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*. Secundò autem deputatur quisque fidelis ad recipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad cultum Dei; & ad hoc propriè deputatur character Sacramentalis. Totus autem ritus Christianæ religionis deriuatur à Sacerdotio Christi; & ideò manifestum est, quòd character Sacramentalis specialiter est character Christi, cuius Sacerdotio configurantur fideles secundùm Sacramentales characteres; qui nihil aliud sunt, quàm quædam participationes Sacerdotij Christi, ab ipso Christo deriuatæ. *Quoniam verò* diuinus P cultus in quibusdam actibus consistit (*vnde &* character Q est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata:) ad actus autem propriè ordinantur potentiæ animæ, sicut essentia ordinatur ad esse: Ideò character non est sicut in subiecto in essentia animæ, sed in eius potentia. *Et quia, vt præmissum est*, character R ordinatur ad ea, quæ sunt diuini cultus, qui quidem est quædam fidei protestatio per exteriora signa; ideò oportet, quòd character sit in cognoscitiua potentia animæ, in qua est fides. *Cui quidem potentiæ indelebiliter inest: nam* character S Sacramentalis est quædam participatio Sacerdotij Christi in fidelibus eius: vt scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis Sacerdotij potestatem, ita fideles eius ei configurentur in hoc, quòd participant aliquam spiritualem potestatem respectu Sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad diuinum cultum. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem; sed potestas Sacerdotij eius comparatur ad characterem, sicut id, quod est plenum & perfectum, ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est æternum, secundùm illud Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Et inde est, quòd omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium eius, est perpetua, reconsecrata manente: quod patet etiam in rebus inanimatis. Nam Ecclesiæ, vel Altaris manet consecratio semper, nisi destruatur. Cum igitur anima sit subiectum characteris secundùm intellectiuam partem, manifestum est, quòd sicut intellectus perpetuus est & incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. *Hinc sequitur, quòd non omnia Sacramenta possunt iterari, sed ea tantùm, quæ characterem non imprimunt: non ita characteris impressiua*. Si *enim* Sacramentum T quod inducit effectum perpetuum (*qualia sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo*) iteratur, datur intelligi, quòd primum non fuit efficax: & sic fit primo iniuria, sicut patet in omnibus Sacramentis, quæ imprimunt characterem. Sed illa Sacramenta, quæ habent effectum non perpetuum, possunt iterari sine iniuria Sacramenti, sicut patet de Pœnitentia: & similiter de Matrimonio. Quia enim vinculum matrimoniale tollitur per mortem, nulla fit iniuria Sacramento, si mulier post mortem viri nubat, secundùm illud Rom. 7. *Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*. Aliter enim V res se habet in Sacramentis, quæ imprimunt characterem, qui est quædam consecratio animæ immortalis. Et ideò si Baptizatus vel Confirmatus, vel Ordinatus moriatur, & resurgat, non debet iterum eadem Sacramenta recipere; *cum character perpetuus sit*.

N 3. p. l. c. à. 2. c. in 4. l. c. a. 1

In Sacramentis quid importet.

O 3. p. l. c. a. 3. & 5 c. in 4 l. c. a. 3 q 5. c.

Deriuatur à Sacerdotio Christi.

Characteris Sacramentalis diffinitio.

P 3 p. l. c. a. 4. in 4. d. 4. 1. 1. c.

Q 3. p. 72. 5. c. in 4. d. 4. 1. a. 2 & d. 7. 2. 19. 1c.

Vbinam subiectetur.

R 3. p. 63. 4. ad 3. & a. 5. & c. in 4. d. 4. 1. 3. q. 3. c.

Indelebiliter inhæret.

S 3. p. l. c. a. 5. c. in 4. l. c. a. 3. q 4. c.

Christo non competit habere characterem.

Sacramenta, quæ non imprimunt characterem, iterantur...

Si vel... tus, vel ordinatus, moriatur & resurgat, non debet iterum ea Sacramenta recipere.

V Rom. 7. l. 1. ibi Hebr. 11. l. c.

x *Porrò signanter septem, nec perperam, Sacramenta sunt*. Quia *enim* remedia X spiritualis salutis sub signis sensibilibus sunt hominibus tradita: consequens etiam fuit, vt distinguerentur remedia, quibus prouideretur spirituali vitæ, secundùm similitudinem vitæ corporalis. In vita autem corporali duplicem ordinem inuenimus. Sunt enim propagatores, & ordinatores corporalis vitæ in alijs; & sunt qui propagantur & ordinantur, secundùm corporalem vitam. Vitæ autem corporali & naturali tria sunt per se necessaria, & quartum per accidens. Oportet enim primò, quod per generationem, seu natiuitatem, res aliqua vitam accipiat. Secundò per augmentum ad debitam & quantitatem & robur perueniat. Tertiò ad conseruationem vitæ per generationem adeptæ, & augmentum perductæ, est necessarium nutrimentum. Et hæc quidem sunt per se necessaria naturali vitæ, quia sine his vita corporalis perfici non potest. Vnde & animæ vegetatiuæ, quæ est viuendi principium, tres vires assignantur, scilicet generatiua, augmentatiua, & nutritiua. Sed quia contingit aliquod impedimentum circa vitam corporalem, ex quo res vna infirmatur: per accidens necessarium est quartum, quod est sanatio rei viuentis ægrotæ. Sic igitur & in vita spirituali primum est spiritualis generatio per *Baptismum*. Secundum est spirituale augmentum, perducens ad robur perfectum; per Sacramentum *Confirmationis*. Tertium est spirituale nutrimentum per *Euchari-*

Septem signãter Sacraméta per comparationem vitæ corporalis ad spiritualem.

X 4 con. G. c. 58. & 3 p. 65. 1. & 2. c. In 4. d. 2. 1. a. 2. & 3. & d. 7. 1. q. 3c.

charistia Sacramentum. Restat quartum, quod est spiritualis sanatio, quæ fit vel in anima tantùm per *Pœnitentia* Sacramentum: vel si ex anima deriuatur ad corpus, quando fuerit opportunum, per *Extremam Vnctionem*. Hæc igitur pertinent ad eos, qui in vita spirituali propagantur & conseruantur. Propagatores autem, & ordinatores corporalis vitæ secundùm duo attenduntur: scilicet secundùm originem naturalem, quod ad parentes pertinet: & secundùm regimen politicum, per quod vita hominis pacifica conseruatur; & hoc pertinet ad Reges & Principes. Sic & in spirituali vita. Sunt enim quidam propagatores, & conseruatores spiritualis vitæ secundùm spirituale ministerium tantùm: ad quod pertinet *Ordinis* Sacramentum. Quidam verò secundùm corporalem & spiritualem simul, quod fit per Sacramentum *Matrimonii*, quo vir & mulier conueniunt ad prolem generandam, & educandam ad cultum diuinum. *Sed & vlteriùs* ex his Y patet Sacramentorum numerus, secundùm quod ordinantur contra defectum peccati. Nam *Baptismus* ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis: *Confirmatio* contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur: *Eucharistia* contra labilitatem animi ad peccandum: *Pœnitentia* contra actuale peccatum, post baptismum commissum: *extrema vnctio* contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia aut ex ignorantia: *Ordo* contra dissolutionem multitudinis: *Matrimonium* in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam verò accipiunt numerum Sacramentorum per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum, dicentes: Quòd *Fidei* respondet *Baptismus*, & ordinatur contra culpam originalem: *Spei extrema Vnctio*, & ordinatur contra culpam venialem: *Charitati Eucharistia*, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ: *Prudentia Ordo*, & ordinatur contra ignorantiam: *Iustitia Pœnitentia*, & ordinatur contra peccatum mortale: *Temperantia Matrimonium*, & ordinatur contra concupiscentiam: *Fortitudini Confirmatio*, & ordinatur contra infirmitatem. *Ex quo optimè expressit ab initio Author*: Sacramenta Z Ecclesiæ ordinantur ad subueniendum homini in vita spirituali.

Et iterum, vt ordinantur contra defectum peccati.

Y 3.p.65.1. med.corp. in 4. d.2.1.1.q.1.

Item per adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum & pœnalitatum.

Z 3.p.73.1. init.corp.

Sacramenta spirituales medicinæ.

A 4.d.1.1.2. q.1.ad 1.& 1. 2.110 2. ad 1.

B Prol. in 4. Sent. ad Hann. & Prol. in alio scripto.

y *Et quidem Sacramenta pro humana spirituali infirmitate validissima medicina sunt. Docemur enim, quòd* gratia A & virtutes sanant formaliter, sicut sanitas: sed Sacramenta quodammodo effectiuè, sicut medicinæ quædam. *Et hoc est quod dicitur Eccli. 43.* Medicina omnium in festinatione nebulæ. *Vbi* per nebulam B Sacramenta nouæ legis designantur triplici ratione. Primò propter principium: nam nebularum principium sunt pluuiæ: sunt enim pluuiarum reliquiæ. Ita & Sacramenta nouæ legis, sunt quædam diuinæ incarnationis reliquiæ. Secundò propter signum: nam nebula est signum serenitatis futuræ. Ita & Sacramenta sunt signa serenitatis gratiæ. Tertiò, propter occultationis effectum: nam per nebulam occultantur res à nostris aspectibus. Ita & in Sacramentis occultatur inuisibilis gratia, quæ operatur salutem, 3. Reg. 8. *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Ecclesiæ ergo Sacramenta describuntur in verbis præmissis quantùm ad tria. Tangitur namque Sacramentorum effectus, virtus, & tempus. Effectus quidem in hoc, quod dicit, *Medicina*: sunt enim Sacramenta quædam spirituales medicinæ, sanantes peccati vulnera. Et de hac medicina dicitur, Eccli. 38. *Altissimus creauit de terra medicamenta*. De terra namque, idest de humanitate Christi, Sacramenta medicinalem efficaciam habent contra peccatum, Is. 44. *Deleui, vt nubem, iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Virtus verò ostenditur in hoc, quod dicit *omnium*: quia efficaciam habent sufficientem ad omnem medelam; & hoc est propter virtutem passionis Christi, quæ in eis operatur, qui est *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*, vt dicitur 1. Io. 2. Et ideò dicitur Eccli. 24. *Sicut nebula texi omnem terram*, remedium scilicet per Sacramenta contra fomitis ardorem præbendo. Tempus verò ostenditur in hoc, quod dicit, *in festinatione*. Per Sacramenta enim fit quædam prælibatio futuræ salutis, quæ erit in beatis: vt sic per Sacramentorum institutionem salus repromissa festinare videatur quantùm ad sui primordia. Vnde dicitur Eccli. 36. *Festina tempus*, scilicet gratiæ, in quo Sacramenta dantur: *& memento finis*, scilicet perfectionis gloriæ. *Idcircò & alibi quoad hac cohærenter docemur, quòd* virtus C Christi operatur in Sacramentis per modum sanationis. *Quod facit Parabola de Samaritano Luc. 10. qui appropians ad vulneratum illum* alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum. *Quibus in verbis* notatur D Sacramentorum ad salutem peccatorum institutio à Christo. Samaritanus enim ille ex *glossa* Christus est, qui propter nos homo factus, vitæ præsentis iter arripuit, *vtique ad nos ex peccato vulneratos per Sacramenta sanandos*. Sunt *enim* Sacramenta E vnguenta sanitatis, quæ Christus quasi vnguentarius confecit, *secundùm illud Eccli. 38.* Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones efficiet sanitatis.

C 3.p.52.8.ad 2.

D Serm. ex In. Dom. 13. post Pent.

E Prol. in 4. Sent.

z *Qualem verò dignitatis ordinem seruent inter se Sacramenta, docemur, quòd* Sacramentum F Eucharistiæ est potissimum inter alia Sacramenta (*de quo vide suo loco.*) Aliorum autem Sacramentorum comparatio ad inuicem potest esse multiplex. Nam in via necessitatis Baptismus est potissimum Sacramentorum: in via autem perfectionis Sacramentum Ordinis: medio autem modo se habet Sacramentum Confirmationis. Sacramenta verò Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis sunt inferioris gradus à prædictis Sacramentis; quia ordinantur ad vitam Christianam, non per se, sed quasi per accidens, scilicet in remedium superuenientis defectus. Quæ tamen extrema Vnctio comparatur ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum: ita scilicet, quòd Pœnitentia est maioris necessitatis, sed extrema Vnctio est maioris perfectionis. *Nihilominùs ad illud Apostoli Eph. 5.* Sacramentum hoc (*matrimonii*) magnum est: Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia, *notat Author, quòd* quatuor G Sacramenta dicuntur magna; scilicet Baptismus ratione effectus, quia delet culpam, & aperit ianuam Paradisi: Confirmatio ratione Ministri, quia solùm à Pontificibus, & non ab alijs confertur: Eucharistia ratione continentiæ; quia totùm Christum continet: & Matrimonium ratione significationis, quia significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Et ideò ea verba Apostoli, *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori suæ*, si mysticè exponantur, debet sic litera exponi. *Relinquet homo*, scilicet Christus, *patrem & Matrem*. Reliquit *inquam* Patrem, in quantùm est missus in Mundum & incarnatus, *Exiui à Patre, & veni in Mundum*, Io. 16. *& Matrem*, scilicet Synagogam: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam &c.* Ier. 12. *Et adhærebit vxori suæ*, scilicet Ecclesiæ, *Mat. 28.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Nobiscum inquam iugi-*

Quem habeant inter se dignitatis ordinem Sacramenta.

F 3.p.65.3.c. In 4.d.7.1.1. q.3.c.

Quatuor Sacramenta dicuntur magna diuersimodè.

G Eph. 5. & 3.p.65.3.ad 4. & 67.2.ad 3. In 4.l.c.

ter est protomedicus cælestis, variis animarum languoribus, varias per Sacramenta adhibens medicinas, *Ps.* 102. Qui sanat omnes infirmitates tuas. *Eopropter dicitur Mat.* 4. *quòd* circuibat Iesus sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. *Vnde & subditur*: Obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus & tormentis comprehensos: & curauit eos. *Vbi docemur, quòd* languor H potest referri ad infirmitates corporales, infirmitas ad infirmitatem animæ. Vel per languores intellige graues infirmitates, & diuturnas: per infirmitates quamcumque aliam. *Et curauit eos*, scilicet perfectè: *quemadmodum tunc personaliter, ita modò per Sacramenta, quæ ad spiritualem salutem nostram, tanquam exquisitissima pharmaca, in Ecclesia reliquit. At nauseantibus, vel contemnentibus subtrahenda*, *Mat.* 7. Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis. *Quo loci* per Sancta I & margaritas significantur Ecclesiastica Sacramenta, & mysteria veritatis, quæ non debent canibus aut porcis dari, idest immundis, *nè fortè conculcent*, idest contemnant, *Prou.* 27. Anima saturata calcabit fauum. *Et huc facit illud Apostoli Hebr.* 10 Qui Filium Dei (*in Sacramentis*) conculcauerit. *Aliàs graue imminet supplicium fideli contemnenti, & quidem deteriùs, quàm infideli, qui minimè nouit*: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia &c. *Quia nimirùm* seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui &c. vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis, *Luc.* 12. *Profectò* si Altissimus creauit de terra medicamenta, (*idest Sacramenta, vt visum est*) vir prudens non abhorrebit illa, Eccli. 38. *Quin in summo desiderabit, & exquiret*. At non recipit stultus verba prudentiæ, (*Prou.* 18.) & impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, *& Deum scilicet, & Sacramenta: & medicum & medicinas*. DISCE *qui spiritualiter ægrotas, spirituale pharmacum adhibere. Vide plura de singulis Sacramentis suo loco.*

(*.*)

Sanat Christus per Sacramẽta omnem animæ infirmitatem. *H Mat. 4. lit. c. ibi.*

Sacramentorum medicinæ contemnentibus subtrahendæ. *I Mat. 7. lit. a. ibi.*

Væ fideli contemnenti.



IV. Ministri Ecclesiæ neque à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. 3. *p.* 64. 5. *ad* 1.

a S*Acramentorum institutor, solus Deus est. Quod ex eo liquet, quia* Sacramenta L instrumentaliter (*vt visum est*) operantur ad spirituales effectus. Instrumentum autem habet virtutem à principali agente. Agens autem respectu Sacramenti est duplex; scilicet instituens Sacramentum, & vtens Sacramento instituto, applicando scilicet ipsum ad inducendum effectum. Virtus autem Sacramenti non potest esse ab eo, qui vtitur Sacramento, quia non operatur, nisi per modum ministerij: vnde relinquitur, quòd virtus Sacramenti sit ab eo, qui instituit Sacramentum. Cum igitur uirtus Sacramenti sit à solo Deo, consequens est, quòd solus Deus sit Sacramentorum institutor. *Et ita* quæ M aguntur in Sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti: sed ad quandam solemnitatem, quæ adhibetur Sacramentis ad excitandam deuotionem & reuerentiam in his, qui Sacramenta suscipiunt. Ea verò, quæ sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus & homo. Et licèt non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione. *Congruo autem tempore ea Christus instituit. Nam* Sacramenta N nouæ legis dupliciter instituta sunt. Primò ad documentum & exercitium quoddam: & sic potuerant ante passionem Christi institui. Secundò quantùm ad necessitatem & obligationem: & sic eorum institutio non fuit ante passionem, quia adhuc legalia non fuerant mortua. Vnde à tempore prædicationis Christi vsque ad passionem, Sacramenta nouæ legis simul currebant cum legalibus: & vtraque ad salutem operabantur. Sic ergo quantùm ad secundum modum institutionis omnia simul in passione Christi instituta sunt: sed quantùm ad primum, oportuit, vt primò instituerentur illa, quæ sunt maioris necessitatis. Vnde statim in principio prædicationis suæ pœnitentiam prædicauit, vt legitur *Mat.* 4. & baptismum docuit, vt legitur *Io.* 3. Alia autem Sacramenta processu temporis instituit, & docuit. *Et hinc est, quòd quia* Sacramenta O sunt quædam fidei protestationes, oportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra cognitionem rationis naturalis: vnde & Sacramenta sunt supra rationis naturalis dictamina. Et quia ius naturale est, *quod non opinio genuit, sed innata quadam vis inseruit*, vt Tullius dicit: ideò Sacramenta non sunt de iure naturali, sed de iure diuino, quod est supra naturale. Quandoque etiam naturale dicitur, secundùm quod cuilibet rei illud est naturale, quod ei à suo Creatore imponitur: propriè tamen naturalia dicuntur, quæ ex principijs naturæ causantur; supra naturam autem, quæ ipse Deus sibi reseruat, sine naturæ ministerio operanda, siue in operationibus miraculorum, siue in reuelationibus mysteriorum, siue in institutionibus Sacramentorum. *Ex quo sequitur, quòd* hominis P puri non est Sacramenta mutare, vel à Sacramentis absolue-

Institutor Sacramẽtorum solus Deus. *L 3 p. 64. 2. c. In 4 d. 3. 1. 2 q. 2. c. & d. 5. 1. 1. c.*

Quæ in Sacramentis ab homine instituta, ad solemnitatem pertinent Sacramentisque de necessitate, à Christo Deo & homine instituta sunt. *M 3. p. l. c. ad 1 In 4. d. 2. 1. 4. q. 4.*

Et congruo tempore. *N 4. d. 2. 1. 4. q. 3. c.*

Quandonam obligauerint.

O 4. d. 17. 3. 1. q. 2. c.

Ius naturale quid.

Sacramenta de iure diuino.

P 4. d. 2. 1. 4. q. 4 fi. c. & d. 3. 1 2. q. 2. c. & d. 17. 3. 1 q. 5. c.

Hominis puri non est Sacramenta mutare, aut noua instituere: quod neque Apostolis cõmunicatum fuit.

solvere, nec noua Sacramenta instituere. *Quod neque Apostolis communicatum est*. Quamuis *enim* erant Q bases Ecclesiæ, tamen non fuerunt legislatores: vnde ad eos non pertinebat Sacramenta instituere. *Et alibi*: Quantumcumque R essent Apostoli magnæ authoritatis, tamen potestatem Excellentię in Sacramentis dispensandis non habebant. *Profectò* potuit Christus S sine baptismo saluare, & mutare formam Sacramentorum, & materiam; quod Petrus non potuit, nec successores eius. *Apostolis inquam id communicatum non fuit, vt V.* Apostoli *Tomo* 1. *visum est*. *Etenim, quamuis simpliciter Christus talem* potestatem T excellentiæ, quæ competit ei secundùm quod homo, potuerit ministris communicare, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, vt & ipsi possent Sacramenta instituere, & sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio: potest enim instrumentum coniunctum (*qualehumanitas erat Christi respectu diuinitatis*) quantò fuerit fortius, tantò magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo: *Non tamen potestas huiusmodi fuit Apostolis, aut aliis, conuenienter communicanda*: ad hoc *siquidem* inconueniens V euitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare: si tamen communicasset, ipse esset Caput principaliter, alij verò secundariò. *Cum igitur solus Deus in Sacramentis principale sit agens*: solus *consequenter* Deus X operatur interiorem effectum Sacramenti: tum quia solus Deus illabitur animæ, in qua Sacraměti effectus existit vbi non est: tum quia gratia, quæ est interior Sacramenti effectus, est à solo Deo. Homo verò potest operari ad interiorem effectum Sacramenti, in quantùm operatur per modum ministri: nam eadem ratio est ministri, & instrumenti (vtriusque enim actio exteriùs adhibetur) sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus. *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: Ministri Y Ecclesiæ neque à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta.

Q 4.d.7.1.1.q.1.ad 1.
R Ibid.a.3.q.1.ad 2.
S Op.20.l.3.c.10.& 15.& 3.p.64.2.ad 3.
T 3.p.64.4.c. In 4.d.5.1.2.c. & a.3.q.2.c.
V 3.p.l.c.ad 3. in 4.l.c.a.3.q.2.c.& ad 3.
X 3.p.64.1.c. & ad 3 in 4.d.5.2.2 q 2.c.
Y 3.p.64.5.ad 1.

Quinam proprij Sacramentorum dispensatores.

b *Cæterùm* proprij Z dispensatores Sacramentorum sunt ministri Ecclesiæ per Sacramentum Ordinis consecrati, vt sint medij inter Deum, & plebem, diuina populo tradentes: & ideò solis ijs competit ex officio Sacramenta ministrare; nec per alium conferri possunt, excepto baptismo propter necessitatem. *Proinde ad Sacrum ministerium de necessitate Sacramenti exigitur sexus virilis: Ordinis enim Sacramenti incapax fœmina est*. *Nam* cum in sexu A fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet, ideò non potest Ordinis Sacramentum suscipere. *Tum etiam, quia sacrorum ministrorum est erudire plebem: quia populo diuina tradunt; & vtrumque mulieri interdictum est. Vnde Apostolus* 1. *ad Tim.* 2. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto: *(quod de publica intellige in Ecclesia instructione, non priuata.) An verò Angeli possint Sacramenta ministrare: negatiuè respondendum videtur ex illo Apostoli, ad Hebr.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum. *Angeli autem, siuè boni, siuè mali, non sunt* ex hominibus *neque ad Ecclesiam pertinent militantem, cuius sunt Sacramenta: idcircò ad eos non spectat Sacramenta ministrare. Vlteriùs* tota B virtus Sacramentorum à passione Christi deriuatur, quæ est Christi, secundùm quod homo est: cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, sed potiùs secundùm passionem dicitur ad Hebr. 2. *modico quàm Angeli minoratus*; & ideò ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare; non autem ad Angelos. Sciendum tamen, quòd sicut Deus virtutem suam non alligauit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesiæ ministris, quin & Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli sunt nuncij veritatis: si aliquod Sacramentale ministerium à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare, hoc fieri voluntate diuina: sicut quædam Templa dicuntur Angelico ministerio consecrata: (*vnde* & C iudicatum est, Templum quod per Angelos consecratum est, non oportere per hominem consecrari, vt legitur in historia dedicationis Templi S. Michaelis *in Sipontinis. Et Beata nostra Agnes de monte Politiano sæpiùs Angelus Eucharistiam sua manu porrexit, sicut & per manus Angelicas exhibitum est Magdalenæ.*) Si verò Dæmones, qui sicut spiritus mendacij, aliquod Sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. *Nec in ministro bonitas necessariò ad Sacramenti perfectionem exigitur, sed & per malos (quamuis illicitè, nec sine mortali culpa) conferri Sacramenta validè possunt*. Ministri *enim* Ecclesiæ D instrumentaliter (*vt præmissum est*) operantur in Sacramentis. Instrumentum autem non agit secundùm propriam virtutem, sed secundùm virtutem eius, à quo mouetur. Et ideò accidit instrumento, in quantùm est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti: sicut quod corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum, vel infirmum: & sicut quòd fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali. *Quoad illos verò, qui ab eis Sacramenta suscipiunt, illud sciendum, quòd* qui E ad Sacramentum accedit, suscipit Sacramenta à ministro Ecclesiæ: non in quantùm est talis persona, sed in quantùm est minister Ecclesiæ. Et ideò, quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleretur (puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius. *Quòd si constaret cuipiam, talem ministrum mortali esse peccato obnoxium: etiamsi ab Ecclesia sustineatur*, præter F necessitatis articulum, non esset tutum, quòd eum induceret ad aliquid sui Ordinis exequendum, durante tali conscientia, quòd ille in peccato mortali esset: quam tamen deponere posset, quia in instanti homo à diuina gratia emendatur. *Igitur* per hoc G quòd aliquis etiam ab Ecclesia suspenditur vel excommunicatur, vel degradatur, non amittit potestatem conferendi Sacramentum, sed licentiam vtendi hac potestate. Et ideò Sacramentum quidem confert, sed tamen peccat conferendo: & similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum; & sic non percipit rem Sacramenti; nisi fortè per ignorantiam excusetur.

c *Sanè* sicut H pertinet ad propriam virtutem hominis charitas: ita & fides. Vnde sicut non requiritur ad perfectionem Sacramenti, quòd minister sit in charitate: ita non requiritur ad perfectionem Sacramenti fides eius: sed infidelis potest verum Sacramentum præbere, dummodò cætera adsint,

Z 4.d.7.3.1.q.1.c.& d.13.1.3.q.1.c.& d.23.2.1.q.1.c.
A 4.d.25.2.1.q.1.c.
Mulier Sacri incapax ministerij.
An possint Angeli boni vel mali Sacramenta dispensare.
B 3.p.64.7.c. in 4.d.5.2.3.q.2.c.
C In 4. loco cit. §.c.
Num in ministro ad perfectionem Sacramenti bonitas exigatur & charitas.
D 3.p.64.5.& 9.c.in 4.d.5.2.2.& 4 con.G.c.77.
An liceat à malis ministris Sacramẽta suscipere.
E 3.p.64.6.ad 2.et a.9.ad 3. in 4.d.24.1.3.q.5.ad 3.
F In 4. loco cit. et 3.p.l.c.ad 3.
G 3.p.64.9.ad 3.
H Ibid in corp. in 4.d.6.1.3.q.2.c.
Num necessaria in ministro fides.

sint, quæ sunt de necessitate Sacramenti. *Quod additur; quia* hæreticorum I quidam in collatione Sacramentorum, formam Ecclesiæ non seruant: & tales neque Sacramentum conferunt neque rem Sacramenti. Quidam verò seruant Ecclesiæ formam: & tales conferunt quidem Sacramentum, sed non conferunt rem Sacramenti. Et hoc dico, si sint manifestè ab Ecclesia præcisi: quia ex hoc ipso, quòd aliquis accipit Sacramenta ab eis, peccat; & per hoc impeditur, ne effectum Sacramenti consequatur: *vt in consimili præmissum est. Quòd si ad valorem Sacramenti, neque fides ministri de necessitate exigitur, neque charitas: per consequens neque deuotio necessaria erit. Quocirca sciendum, quòd* orationes L quæ dicuntur in Sacramentorum collatione, proponuntur Deo, non ex parte singularis personæ, sed ex parte totius Ecclesiæ, cuius preces sunt apud Deum exaudibiles, secundùm illud Mat. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Nihil tamen prohibet, quin deuotio viri iusti, ad hoc aliquid operetur. Illud tamen, quod est Sacramenti effectus, non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in Sacramentis: vnde effectus Sacramenti non datur melior per meliorem ministrum. Aliquid tamen adnexum impetrari potest recipienti Sacramentum per deuotionem ministri: nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo. *Ex hoc deducitur, quòd vt Ecclesiæ minister est*, est M fructuosa non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes eius orationes, quas facit in Ecclesiasticis officijs, in quibus gerit personam Ecclesiæ: licèt orationes eius priuatæ non sint fructuosæ, *secundùm illud Prou.* 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. *Vnde &* benedictio N Sacerdotis peccatoris, in quantùm ab ipso indignè fit, est maledictione digna: in quantùm autem profertur ex persona Christi, est sancta & efficax ad sanctificandum. *At verò, si de ministri Sacramentum exhibentis intentione sermo sit, nulli dubium est, quin exigatur.* Cum *enim* vnius O effectus vna sit causa: si ex aliquibus pluribus causis vnus effectus procedat, oportet, quòd illæ causæ sint aliquo modo factæ vnum ad inuicem. Ad effectum autem Sacramenti videmus multa concurrere, scilicet ministrum, formam verborum & materiam: hæc autem non possunt colligari ad inuicem, vt sint vna causa v. g. in baptismo, nisi per intentionem baptizantis, qui scilicet formam ad materiam applicat, suum verò ministerium ad vtrumque, & totum hoc ad Sacramenti collationem: & ideò requiritur intentio baptizantis. Et similiter etiam in omnibus alijs Sacramentis requiritur intentio ministri cum debita materia & forma, non solùm ad effectum Sacramenti consequendum, sed & ad Sacramenti perceptionem (*vel forte* perfectionem.) *Sanè* quæ P in Sacramentis aguntur, possunt diuersimodè agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari, & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia huiusmodi, & ideò oportet, quòd determinetur ad vnum, idest ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur, putà, cum dicit minister: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Et quamuis Q minister Sacramenti debeat niti ad custodiendum cor suum, quantùm potest, vt maximè in verbis Sacramentalis formæ intentionem habeat actualem: quia tamen cogitatio est valdè labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando verba profert; dummodò priùs intenderit, & contraria intentio non interuenerit, Sacramentum non impeditur, quia operatur tunc in vi principalis intentionis (*quæ manet in virtute: vnde & intentionem* virtualem *vocant: quamuis alicubi Author* habitualem *dixerit, hoc tamen eodem sensu*, vt bene notat Caietanus 3. p. 64. ad 2. 8. in resp. ad 3.) non enim oportet, quòd in opere semper intentio coniungatur in actu, sed sufficit, quòd opus (*nota*) ab intentione procedat. *Intentionis verò peruersitas (si qua in ministro foret) an Sacramenti impediat perfectionem*: Dicendum R quòd intentio ministri potest peruerti, dupliciter. Vno modo respectu ipsius Sacramenti; putà cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, & talis peruersitas tollit veritatem Sacramenti, præsertim quando suam intentionem exteriùs manifestat. Alio modo potest peruerti intentio ministri, quantùm ad id, quod sequitur Sacramentum: putà si Sacerdos intendat aliquam fœminam baptizare, vt abutatur ea; vel si intendat conficere corpus Christi, vt eo ad veneficia vtatur. Et quia priùs non dependet à posteriori, inde est, quòd talis intentionis peruersitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse minister ex tali intentione grauiter peccat. *Porrò ad tollendum scrupulum aliquorum, de suo ipsorum baptismo ob defectum intentionis fortè ministri dubitantium, docemur, quòd* minister S Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte ministri: (*Vide ibi Caietanum*:) vel recipientis Sacramentum. *Nam & in suscipiente non minùs quàm in ministrante conferendi, intentio suscipiendi Sacramentum exigitur.* In T baptismo *enim* (*sicut & in cæteris Sacramentis*:) baptizatus duo recipit, scilicet Sacramentum, & rem Sacramenti. Sed ad hęc recipienda non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solùm impedimentum remouens: quod quidem impedimentum, nihil aliud est, quàm voluntas contraria alteri prædictorum. Et ideò in adultis, & in habentibus vsum rationis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio siue deuotio ad percipiendam rem Sacramenti: et intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum. In pueris autem absque vtroque percipitur & Sacramentum & res Sacramenti. Et similiter est in carentibus vsu rationis nisi contraria voluntas habitu insit, etsi non actu. *Pueri inquam sine proprio actu vtrumque percipiunt: quia* sicut pueri V in maternis vteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes vsum rationis, quasi in vtero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur, & plorent, sed per actum eorum, à quibus offeruntur. *Cætera, quæ in suscipiente exiguntur, vide de singulis Sacramentis suo loco. Quali verò debeat Sacer minister bonitate pollere & sanctitate, satis dictum est V.* Clericus; *Et V.* Sacerdos. *Quòd si oppositum indignè ministrans agat, erit Sacrilegii reus: de quo* Num. seq. DISCE *Sacer minister munda mundè tractare, sanctè Sancta peragere. Vide plura V.* Baptismus, Cælibatus, Clericus *Tomo* 1. Ecclesia, Eucharistia *Tomo* 2. Sacerdos, Ordo. *Et de singulis Sacramentis.*

Marginal notes:

I 3. p. 64. ad 2. & 82. a. 7. 8. 9. in 4. l. c. a. 3. q. 3. & d. 19. 1. 2. q. 2 ad 3.

An deuotio. *L* 3 p. 64 1 ad 2. & 82 6. c. in 4. d. 5. 2. 2. q. 3. Quantum valeant orationes ministri boni vel mali.

M 3. p. 82. 6. & c.

N 3. p. 82. 5. ad 3.

O 4. d. 6. 1. 2. q. 1. c. Ministri exigitur & intentio.

Tria in quolibet Sacramento exiguntur: materia scilicet, forma, & intentio. *P* 3. p. 64 8. c.

Q In 4. loco cit. ad 4. & 3. p. l. c. ad 3. Qualis intentio sufficiat.

R 3. p. 64. 10. c. & 74. 2. ad 2. in 4. d. 6. 1. 2. q. 2. c. & d. 11. 2. 1 q. 3. ad 1. & d. 30. 1. 3. ad 3. Intentionis peruersitas an impediat.

S 3. p. 64. 8. ad 2. in 4 d. 6. 2. q. 1. ad 2. Tollitur scrupulus de suo baptismo ob defectum intentionis ministri dubitantium.

T 4. d. 6. 1. 2. q. 3. c. & 3. p. 68. 7. Et in suscipiente Sacramentum intentio requiritur.

Quomodo suppleatur in pueris ante rationis vsum. *V* 3. p. 68. 9. ad 1.

Quænam in suscipiente dispositio exigatur.

SACRIFICIVM. *Vide* Anima Rationalis, Christi mors *Tom.* 1. Ecclesia *Tom.* 2.

SACRILEGIVM.

V. Sacrilegium, quod contra Sacramentum Eucharistiæ committitur, grauissimum est inter omnia. 2. 2. 99. 3. *in corp*.

Sacrilegium quid. X 2.2.99.1. & 3.c.

d POst *habitum de Sacramentis tractatum, non abs re de sacrilegio consequutus est sermo*: *Nam* sacrum X dicitur aliquid ex eo, quòd ad diuinum cultum ordinatur. Ex hoc autem, quòd aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum: (*vnde, quia ex* 1. *Ethic*. bonum, Y commune gentis est quoddam diuinum, ideo antiquitus Rectores Reipublicæ *Diuini* vocabantur, quasi diuinæ prouidentiæ ministri, secundùm illud Sap. 6. *Cum essetis ministri Regni illius*. &c.) Et sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum. Et ideò omne illud, quod ad irreuerentiam rerum Sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, & habet sacrilegii rationem.

Y Ibid. a. 1. ad 1.

Ex quo sacrilegium manifestè speciale peccatum est. *Nam* vbicumque Z inuenitur specialis ratio deformitatis, ibi necesse est quòd sit speciale peccatum: quia species cuiuslibet rei præcipuè attenditur secundùm rationem formalem ipsius, non autem secundùm materiam vel subiectum. In sacrilegio autem inuenitur specialis ratio deformitatis, qua scilicet violatur res sacra per aliquam irreuerentiam: & ideò est speciale peccatum, & opponitur religioni. Si quis enim rem sacram violat, ex hoc ipso contra Dei reuerentiam agit, & sic per irreligiositatem peccat. *Etenim* opponitur A religioni aliquid dupliciter. Vno modo per excessum, quando scilicet id, quod est religionis, alteri indebitè exhibetur, quod pertinet ad superstitionem: Alio modo quasi per defectum reuerentiæ, cum scilicet Deus contemnitur; quod pertinet ad vitium irreligiositatis. *Cuius species est sacrilegium: nam irreligiositatis quatuor assignantur species, scilicet* Dei tentatio B periurium, sacrilegium, & simonia. *Porrò ad tria reducuntur capita, siuè species, sacrilegium quodcumque*. *Etenim* peccatum C sacrilegii in hoc consistit, quòd aliquis irreuerenter se habet ad rem sacram. Debetur autem reuerentia rei sacræ ratione sanctitatis; & ideò secundùm diuersam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreuerentia exhibetur, necesse est, quòd sacrilegii species distinguantur. Tantò enim sacrilegium est grauius, quantò res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas & personis sacris, idest diuino cultui dedicatis, & locis sacris, & rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet: dicitur enim 2. Mach. 5. *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit*: & ideò grauius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam Sacram, quàm quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in vtraque sacrilegii specie diuersi gradus secundùm differentiam personarum, & locorum sacrorum: similiter etiam & tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diuersos habet gradus, secundùm differentiam rerum sacrarum, inter quas summum locum obtinent sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideò sacrilegium, quod contra hoc Sacramentum committitur, grauissimum est inter omnia: (*quod expressit initio Author*.) Post Sacramenta autem, secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsæ imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo personæ Sanctorum venerantur & dehonorantur. Deinde quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ & ministrorum. Deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, siuè sint mobilia, siuè immobilia. Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit.

Z Ibid. a. 2. c. An speciale peccatum.

A 2.2. 122. 3. c. Vna est ex irreligiositatis speciebus.

Quæ sunt quatuor.

B 2.2.97. 98. 99. & 100. & 154. 10. ad 1.

C 2.2.99.3. c & 154. 10. ad 3

Triplex sacrilegii species.

Tribus potest Sanctitas attribui.

Quod nam sacrilegium grauius.

c *Hinc ad triplex hoc sacrilegium*, *quæcumque possunt sacrilegia committi*, *reducuntur & spectant*. *Ad personale enim spectant clerici percussio*, *& violentia eidem illata* (*immò*, si aliquis D ex ira iniuriam inferat personæ sacræ, sacrilegium committit:) *& violatio luxuriosa personæ castitatis voto Deo sacratæ*. *Quod quidem sacrilegium*, *& inter luxuriæ species connumeratur*. Est *autem* sacrilegium E species luxuriæ, secundùm quod ordinatur ad alterius viri finem, & potest concurrere cum diuersis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur persona coniuncta sibi secundùm spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus: si autem abutatur virgine Deo sacrata, in quantùm est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii: in quantùm verò est sub spiritualis patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; &, si violentia inferatur, erit spiritualis raptus: qui etiam secundùm leges ciuiles, grauius punitur, quàm alius raptus. *Vnde Iustinianus Imperator dicit*: Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantummodò matrimonii coniungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. *Ad locale autem sacrilegium attinent illicita*, *& notoria in loco Sacro humani seminis effusio*: *item violenta humani sanguinis*: *sepultura excommunicati hominis*, *vel infidelis*: *negociationes*, *seditiones*, *secularia concilia*, *stabulationes*, *incendia*, *effractiones*, *spoliationes*, *materiæ rei sacræ vel Ecclesiæ ad profanos vsus conuersio*: *reorum* (*nisi in casibus iure expressis*) *ex Ecclesia tanquam asylo extractio*, *furtum rerum Ecclesiæ aut ibi depositarum* (*qualem legimus in impio Antiocho* 2. Mac. 5.) *vnde* Isidorus F dicit *in lib. etym*. Sacrilegus dicitur ab eo, quòd sacra legit, idest furatur. *Ad reale tandem sacrilegium pertinent indigna tractatio*, *administratio*, *aut susceptio Sacramentorum* (*qualis fuit in Iuda proditore*) *Sacrorum vasorum aut instrumentorum profanatio* (*qualis Balthasaris* Dan. 5. *& præfati Antiochi* 2. Mach. 5.) *sacrarum imaginum*, *aut reliquiarum violatio aut indigna tractatio*, *piorum legatorum aut iurium Ecclesiæ defraudatio*, *& Sacræ Scripturæ abusus* (*de quo suo loco*: *vnde & docemur*, *quòd* qui G diuinæ legis verba peruertunt, sacrilegium incurrunt. *De singulis autem ad triplex præfatum sacrilegium spectantibus*, *vide fusius apud summistas*, *& Canonistas*. *Quamuis autem sacrilegium alterius peccati speciei vt plurimùm adnectatur*: *interdum tamen* inuenitur H sacrilegium separatum ab aliis peccatis, eo quòd actus non habet aliam deformitatem, nisi quia res sacra violatur; putà si quis

Quænam spectent ad sacrilegium personale.

D 2.2.154. 1. c.

Sacrilegium & species luxuriæ.

E Ibid. a. 10. ad 2. In 4. d. 41. 1. 4. q. 2. a. 7.

Monialis raptus seuerè lege etiam humana punitur vel attentatus.

F 2.2. 99. 1. in sed contra.

Quenam ad reale.

Sacræ Scripturæ verba peruertens, sacrilegus.

G Ibid. a. 2. ad 1

H Ibid. ad 3.

Sacrilegium non semper alii peccato adnexum, sed ab aliis quandoque deformitatibus separatum.

quis Iudex capiat aliquem de loco sacro, quem in aliis locis licitè capere posset. *Caeterùm non qualibet persona sacra culpa, ex hoc quòd sacra, sacrilegium dici debet, aut esse: sed* omne l peccatum, quod sacra persona committit, materialiter quidem & quasi per accidens est Sacrilegium: (unde *Hieron.* dicit, quòd *nugae in ore Sacerdotis sacrilegium sunt vel blasphemia*:) formaliter autem & propriè illud solum peccatum sacrae personae sacrilegium est, quod agitur directè contra eius sanctitatem; putà si uirgo Deo dicata fornicetur: & eadem ratio est in aliis.

l *Ibid. a. 3. ad 3.* Non omne peccatum personae sacrae sacrilegium est, nisi materialiter & per accidens. Formaliter autem solum modo sacrilegium est, quod agitur directè contra ipsius sanctitatem. *L 2. 2. 66. 6. ad 2.*

f *Quoad poenam deniq; sacrilegis à iure statutam secundùm seculares leges poena capitis decernitur: decernur enim, quòd* pro furto L ut aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam, sicut patet de sacrilegio, quod est furtum rei sacrae quis morte punitur. *Ecclesia uerò praeter excommunicationis poenam adijcit & pecuniariam. Vnde dicitur 17. q. 4.* Quisquis M inuentus fuerit reus sacrilegij, 30. libras examinati argenti purissimi componat. *Pro quo sciendum, quòd* in poenis N infligendis duo sunt consideranda. Primò quidem aequalitas, ad hoc quòd pena sit iusta: ut scilicet *per quae peccat quis, per haec & torqueatur*, ut dicitur *Sap. 11.* Et hoc modo conueniens poena sacrilegi, qui sacris iniuriam infert, est excommunicatio, per quam à sacris arcetur. (Hanc tamen pro aliquibus, non pro omnibus sacrilegiis, Ecclesia tulit.) Secundò autē consideratur utilitas nā: poenę, quasi medicinae quaedam infliguntur, ut his territi homines, à peccato desistant. Sacrilegus autem, qui sacra non reueretur, non sufficienter videtur à peccando arceri, per hoc quòd sacra ei interdicuntur, de quibus non curat; ideò secundùm leges humanas adhibetur capitalis poena; secundùm verò Ecclesiae statuta, quae mortem corporalem non infligit, adhibetur poena pecuniaria: ut saltem poenis temporalibus homines à sacrilegiis reuocentur. *Nec ualet, quòd nemo duplici poena punitur*, Necesse O est *enim* duas poenas adhiberi, quando per unam non sufficienter reuocatur aliquis à peccando (*hoc enim est inflictionis poenarum finis*:) & ideò oportuit supra poenam excommunicationis adhiberi aliquam temporalem poenam ad coercendum homines, qui spiritualia contemnunt. *Veruntamen ex hoc non est Ecclesia auaritia nota inurenda (ut haeretici & minus pii quidam catholici impudenter oblequuntur) eo quòd dicat Apostolus 1. ad Thess. 2.* Non fuimus aliquando in occasione auaritiae. *Etenim* si P pecunia exigeretur absque rationabili causa, hoc uideretur ad occasionem auaritiae pertinere: sed quando exigitur ad hominum correctionem, habet manifestam utilitatem. Et ideò non pertinet ad occasionem auaritiae. *Quòd si* sacrilegium, quod contra Eucharistiae Sacramentum committitur, grauissimum est inter omnia, *ut aiebat Author: videat Sacerdos, qua anima & corporis dispositione ad celebrandum accedat, ne sacrilegus alter Iudas* reus *efficiatur* corporis & sanguinis Domini. Probet ergo seipsum, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, *ut ait Apostolus 1. Cor. 11.* Iudicium *inquam* sibi manducat: *quia nimirùm* nullum *secundùm Gregorium* ab aliis maius praeiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus. *Vbi enim vel perditissimus saecularis homo peccatis suis terminum ponit, ibi Sacerdos sacrilegus incipit. Secularis quippe peccator quanquam impius, citra indignam Eucharistiae sumptionem delinquere consueuit: at malus sacerdos* Filio Dei *per indignum ad altare accessum (ut idem Apostolus inquit)* conculcato *semper ad deteriora progreditur. Conculcatis autem Sacramentis (ad salutem animae comparandam, alta Christi sapientia ac prouidentia institutis) nulla relinquitur saluationis spes, una superest finalis cum sacrilego proditore desperatio. Quisquis enim lethali morbo laborans uitalia medicamina respuit, sanitatem desperet & vitam, necessum est.* DISCE *in Sacris personis, locis, rebus, diuinam uenerari Maiestatem.*

Qualis & quanta sacrilegi poena. *M 2. 2. 99. 4. in sed contra* N *Ibid. in corp.* Duo in poenis infligendis consideranda.

O *Ibid. ad 2.*

Impiè inuritur Ecclesiae ab aliquibus auaritiae nota & iniustè. *P Ibid. ad 3.*

Exaggeratur Sacerdotis sacrilegium indignè celebrantis.

SADDVCAEI. *Vide* Iudaei *Tomo 2.*

SALVATOR. *Vide* Christi Conceptio, Natiuitas, Nomen *Tomo 1.*

SANCTORVM INTERCESSIO.

VI. Ex hoc ipso aliquis efficitur dignus, ut Sanctus aliquis pro eo oret, quòd ad ipsum cum pura deuotione in sua necessitate recurrit. *In 4. d. 45. 3. 2. ad 5.*

g DE *Sanctis in Patria existentibus sermonem hic facimus, quibus propter eorum excellentiam uirtutis supra caeteros homines, duliae uenerationem impendimus.* Sanctis *proinde* non Q seruimus, quasi eis obnoxij, sed seruitute reuerentiae, quia sunt nostri ductores, uel per doctrinam, vel per administrationem, uel per intercessionem & exemplum. *Eapropter, tametsi solus Deus uideatur orandus, eoquòd* Oratio est ascensus mentis in Deum: *nihilominùs & ad sanctos pro eorum impetrando suffragio, dirigi posse, manifestum est: si consideretur, quòd* Oratio R porrigitur alicui dupliciter. Vno modo quasi per ipsum implenda. Alio modo sicut per ipsum impetranda. Primò quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam, quae solus Deus dat, secundùm illud Ps. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus, & meritis orationes nostrae sortiantur effectum. Et ideò dicitur Apoc. 8. quòd *ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando. Nam à S. Trinitate petimus, ut misereatur nostri: ab aliis autem Sanctis quibuscumq; petimus ut orent pro nobis. (*Sed & Christus ipse, inquantùm homo pro nobis orat. 1. Io. 2.* Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. *Nec tamen ad eum dicimus*: Christe ora pro nobis: *quia nimirùm* oratio S est actus quidam: actus autem sunt particularium suppositorum; & ideò si diceremus, *Christe ora pro nobis*, nisi aliquid adderetur, videremur hoc ad personam Christi referre; & ita videretur esse consonum errori Nestorij, qui distinxit in Christo personam Filii hominis à persona Filij Dei: uel errori Arij, qui posuit personā filij minorem Patre. Vnde ad hos errores euitandos, Ecclesia nō dicit, *Christe ora pro nobis sed potiùs; Christe audi nos ex audi nos*, vel *miserere nobis*.) *Et hoc etiam pacto Sanctis votum facimus*, Votum *enim*

Cur sanctis duliae uenerationem, super caeteros homines impendamus. *Q 3. d. 9. 2. 3. ad 7.*

Et Sancti praeter Deum possint orari. *R 2. 2. 83. 4. c. In 4 d. 15. 4. 5. q. 1 c. & d. 45. 3. 2.*

Quomodo Deo, quomodo Sanctis oratio porrigatur.

Cur non dicatur ad Christum *Ora pro nobis* *S 4 d. 45. 3. 2. ad 3. & d. 15. 4. 6. q. 2. ad 1.*

T 4.d.38.1. 1.q.1.ad 4. & 2.2.88.5.ad 3.

Votum propriè Deo fit: sed sanctis promissio.

V 2.2.loco cit.

non T fit Sanctis; nisi secundùm quod per suffragia sunt mediatores inter nos & Deum: & ideò omne votum principaliter ad Deum reducitur, sicut & Oratio. *Propriè enim* votum V soli Deo fit: sed promissio potest etiam fieri homini, ita vt ipsa promissio facta Sanctis, cadat sub voto materialiter, in quantùm scilicet homo vouet Deo se impleturum quod Sanctis promittit. *Ex quo Sanctos magis propriè dicimur deprecari, solum verò Deum orare.* Vnde dicit X Cassianus *Collat.* 9. quòd oratio propriè fit ad Deum, sed deprecatio ad sanctos: *Quemadmodum* & supplicatio Y etiam directè ad alios dirigi potest. *Deprecamur autem sanctos, vt orent pro nobis, ad vitam aeternam principaliter comparandam. Idcircò ad animas in Purgatorio detentas, quamuis in gratia existant, Deoque accepta sint, nullatenus potest oratio dirigi.* Nihil *enim* petitur Z ab aliquo, quod non habet: vnde cum beata vita sit, quae in orando petitur, ad illos solos dirigi potest, qui beatam vitam habent, non autem ad illos, qui sunt in Mundo, neque ad illos, qui in Purgatorio sunt. Quamuis illis, qui in Mundo sunt, supplicatio vel petitio aliqua fieri possit. *Et ideò illi* A qui sunt in Purgatorio, et si sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantùm ad poenas, quas patiuntur. Et secundùm hoc non sunt in statu orandi: (*Quòd enim aliquando Deus quum eis suffragando petimus, gratiam concedit, hoc est, quia talem vult charitatis actum remunerare, non ex eo quòd pro nobis orent:*) sed magis ut oretur pro eis: *per orationes nimirùm in Mundo viuentium, & Ecclesiae suffragia. Nec obstat, quòd* Paschasius B qui etiam post mortem miraculum fecit, reuelatus est B. Germano Capuano Episcopo in Purgatorio esse. *Dicendum namque, quòd* in miraculis C praecipuè attenditur fides & deuotio orantis: vnde etiam Dominus mulieri, quam sanauit, dixit Matth. 9. *Fides tua te saluam fecit.* Et, quia ille propter excellentiam meritorum credebatur in Patria esse, ideò orabatur; & talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tunc, vt vita illius approbaretur: non quòd ille pro aliis, in Purgatorio existens, oraret.

X 4.d.15.4.5 q.1.fi.c.

Oratio ad sanctos, deprecatio dicitur, vel supplicatio: oratio ad Deum.

Y Ibid. ad 5.

Ad animas in Purgatorio detentas, an possit oratio dirigi.

Z Ibid.4.5.q. 2.c. & 2.2.83. 4. ad 3.

A 2.2.83.11. ad 3. In 4. l.c. ad 2.

B In 4. loco cit.art.3.

Non sunt hae in statu orandi, sed vt oretur pro eis.

C Ibid. in resp. ad 3.

h *Sancti igitur in beatâ solummodò Patria existentes deprecandi, vt à Deo, quae iustè piéque petimus, ipsorum precatu atque interuentu obtineamus. Cognoscunt autem, ad hoc, orantes, & desideria eorum ac vota sibi porrecta.* Ad D sanctorum enim beatitudinem pertinet, vt cognoscant eos, qui eorum beneficia implorant. *Et quamuis* mortui E ea, quae in hoc Mundo aguntur, considerata eorum naturali conditione non cognoscant, & praecipuè interiores motus cordis: beatis tamen (*vt Gregorius* dicit *in* 12. *Moral.*) in verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quae circa nos aguntur, etiam quantùm ad interiores motus cordis: maximè autem excellentiam eorum decet, vt cognoscant petitiones ad se factas vel voce vel corde. Et ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt. *Et quidem* ad sanctorum F gloriam pertinet, quòd auxilium indigentibus praebeant ad salutem: sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est diuinius, *vt Dionysius* dicit cap. 3. Eccles. hier. *Et ita indigentiam nostram intuentes, miseriamque considerantes,* nunc G antè diem iudicii miserentur sancti eorum, qui in statu huius miseriae viuunt. *Quocirca sciendum, quòd* misericordia H vel compassio potest inueniri in aliquo dupliciter. Vno modo per modum passionis; alio modo per modum electionis. In beatis autem non erit aliqua passio in parte inferiori, nisi consequens electionem rationis. Vnde non erit

D Ver. 8. 4. ad 12.

E 2.2.83.4. ad 2. In 4.d.45. 3.1.

Sancti in Patria cognoscunt & se inuocantes & vota eorum.

F In 4. l.c. fi. corp.

Cooperatores Dei ad salutem hominũ.

G 2.2.121.1 ad 3.

H 4.d.50.2. 4.q.2.c.

Miserentur miseriae nostrae, & quo sensu.

in eis compassio, vel misericordia, nisi secundùm rationis electionem. Hoc autem modo ex electione misericordia vel compassio nascitur, prout scilicet aliquis vult malum alterius repelli; vnde in illis, quae non volumus secundùm iudicium rationis repelli, compassionem talem non habemus. Peccatores autem quandiu sunt in hoc Mundo, in tali statu sunt, quòd sine praeiudicio diuinae iustitiae possunt in beatitudinem transferri à statu miseriae & peccati: & ideò beatorum compassio ad eos locum habet & secundùm electionem voluntatis, prout Deus, Angeli & beati eis compati dicuntur, eorum salutem volendo: & secundùm compassionem, sicut compatiuntur eis homines boni in statu viae existentes. *Orant exinde pro nobis Deum, quod impiè negauit Vigilantius,* cuius I error fuit, quòd dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio sit exaudienda oratio: praesertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare nequeant. Sed hoc est omninò falsum: quia cum oratio pro aliis facta ex charitate proueniat, quantò sancti, qui sunt in Patria, sunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari possunt: & quantò sunt Deo coniunctiores, tantò eorum orationes sunt magis efficaces. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem. Vnde & de Christo dicitur ad Hebr. 7. quòd est *semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et hoc *quidem,* quod *Vigilantius* asserit, est L contra articulum fidei, qui est *Sanctorum communio,* quae per charitatem fit. (*Fit inquam per charitatem* Sanctorum communio. *Quamuis enim colligentur Ecclesiae membra per fidem: quia tamen haec sine charitate est informis, perfectiùs per charitatem connectuntur, quod est* vinculum perfectionis, *vt ait Apostolus Coloss.* 3. *& ad Eph.* 4. Veritatem autem facientes, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. *Igitur* sicut M in corpore materiali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur, Rom. 12. *Singuli autem alter alterius membra.* Principale autem membrum est Christus, quia est caput. Et ita bonum Christi communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris. Nec solùm virtus passionis eius communicatur nobis per sacramenta, sed etiam meritum vitae Christi, & quicquid boni fecerunt omnes Sancti, communicatur in charitate existentibus, quia omnes vnum sunt, Ps. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et inde est, quòd qui in charitate viuit, particeps est omnis boni, quod fit in toto Mundo. Sic ergo per hanc communionem consequimur duo. Vnum scilicet, quòd meritum Christi communicatur omnibus: aliud, quòd bonum vnius communicatur alteri. Vnde excommunicati, per hoc quòd sunt extra Ecclesiam, perdunt partem omnium bonorum, quae fiunt. *Et alibi:* Omnes N qui inuicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant; tamen secundùm mensuram status vniuscuiusque: quia etiam in Patria vnusquisque de bonis gaudebit alterius. Et inde est, quòd articulus fidei ponitur *Sanctorum communio.*) *Et licèt* Sanctis O non orantibus, homines saluarentur, si se praeparent ad gratiam; non tamen sequitur, quòd etiam praeparatus suffragia Sanctorum non conferant: quia Deus hoc modo praeuidit, & ordinauit, vt per horum

Sancti in Patria verè Deum pro nobis orant.

I 2.2.83.11. c. In 4.d.15.4.6 q.2.c. & d.45. 3.2. Ad Heb. ibid.q.1.a.4.

Error in hoc Vigilantii exploditur.

Quippe contra articulum Sanctorum communionem.

L In 4.d.15. loco cit.

M Op.6.§.13 initio & fi. In 4 d.20.1.3 q.2 ad 5.

N 4.d.45.2. 1.q.1.fi.c.

Quid haec sit.

O 2 d.27.1.6 ad 5. In 4.d.45 3.3.ad 5.

Praedestinatis non superfluunt orationes sanctorum.

horum merita illam gratiam accipiant. *Neque oppositum suadet, quòd sancti in Patria non sint in statu merendi.* Licèt *enim* sancti P non sint in statu merendi sibi, postquam sunt in Patria: sunt tamen in statu merendi alijs, vel potiùs ex merito præcedenti, alios iuuandi; hoc enim apud Deum viuentes meruerunt, vt eorum orationes exaudirentur post mortem. Vel dicendum, quòd oratio ex alio meretur, & ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adæquatione actus ad finem, propter quem est, qui ei quasi merces redditur: sed orationis impetratio innititur liberalitati eius, qui rogatur; impetrat enim aliquis quandoque ex liberalitate eius, qui rogatur, quod tamen ipse non meruit. Et ita quamuis Sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur, quòd non sint in statu impetrandi. *Nec pariter obstat Domini ad Apostolos dictum Io. 16.* In illo die me non rogabitis quidquam. *Siquidem secundùm* Augustinum *exponitur* de die Q visionis gloriæ hoc modo. *In illo die*, quando scilicet videbo vos in gloria, *me non rogabitis quidquam*; idest nihil petetis, quia nil desiderandum remanebit. Sed dicendum, quòd tempus gloriæ potest considerari dupliciter: scilicet secundùm gloriæ inchoationem, & secundùm plenariam consummationem. Tempus autem inchoationis gloriæ est vsque ad diem iudicij: nam Sancti quantùm ad animam receperunt gloriam, sed aliquid adhuc expectant ad recipiendum, scilicet gloriam corporis in se; & quantùm ad alios, vt impleatur numerus electorum. Et sic vsque ad iudicij diem & petere possunt, & rogare: non tamen de his, quæ pertinent ad essentiam beatitudinis. Tempus autem gloriæ consummatæ, plenariè est post diem iudicij, post quem nihil restat petendum; & de eo dicit *in illo die*, scilicet gloriæ consummatæ, *me non rogabitis quidquam*; idest nihil petetis.

P In 4. l. c. ad 4. & d. 15. 4. 6. q. 2. in 3. d. 18. 1. 2. ad 2. & 2. 2. 83. 11. ad 1.

Quomodo orando impetrent, cum non sint in statu merendi.

Alia diluitur obiectio ex Io. 16.

Q Io. 16. l. 6. lit. a. §. & 2. 2. l. c. & q. 121. 1 ad 3. in 4. d. 45 3. 3. ad 1.

Tempus gloriæ dupliciter consideratur: scilicet ante iudicii diem, & post.

i *Sanè hanc pro nobis sanctorum intercessionem plura roborant sacra Scripturæ testimonia. Nam Is. 63. dicitur:* Conuertere Domine propter seruos tuos, tribus hereditatis tuæ. *Conuertere*, scilicet R de ira ad misericordiam, *propter seruos tuos* Patres nostros, *qui detesserunt. Vnde & Moyses ad placandum Dominum orabat Ex. 32.* Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. *Item Iob cap. 5.* Voca ergo, si est, qui tibi respondeat: & ad aliquem Sanctorum conuertere. *Quasi diceret*: Si S per merita propria hoc à Deo obtinere non putas, *ad aliquem Sanctorum conuertere*: vt eo mediante huius rei veritatem à Deo cognoscere possis. *Sed & manifestè habetur 2. Mach. 15.* Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est, qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. *Vbi Author*: Hinc T patet, Sanctos habere curam de viuis: & eos, qui mortui sunt in sanctitate, viuos suis orationibus ante Deum iuuare (*quamuis enim Ieremias, & SS. Patres tunc in Patria non essent, sed & limbo: tamen* quoad orationes pro vobis *ait Caietanus* est eadem ratio *de SS. Patribus, & beatis, ad differentiam animarum purgantium. Vide* 2. 2. 83. 11. ad 2. *Et Caietanum ad eund. art.*) *Ex quo dicitur Ps. 19.* Mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. *Auxilium de Sancto*, idest V de collegio Sanctorum. Est autem duplex Sanctorum Collegium: Vnum regnantium cum Deo in gloria, aliud est militantium in terra: & ex vtrisque adiuuamur. *Igitur mittat tibi auxilium de Sancto*, scilicet de beatorum Collegio? *Tu autem in Sancto habitas*, Ps. 21. *Et de Sion tueatur te*. Sion, idest specula, hoc est de arce Dauid, vbi erat Arca, & tunc ibi colebatur Deus. *Quasi dicat*: ex precibus illorum, qui speculantur in hoc Mundo cælestia, *tueatur te*, idest faciat te esse tutum. Vel è conuerso: *De Sancto*, scilicet Collegio eorum, qui sunt in Mundo: *& de Sion tueatur te*, idest de illis, qui sunt in gloria: omnium scilicet istorum precibus te tueatur. *Hinc deducitur, quòd & iustorum vel in mundo viuentium patrocinio atque interuentu apud Deum adiuuamur. Vnde* Gen. 18. *legimus, quòd Abrahæ prò Sodomis supplicanti respondit Dominus*: Non delebo propter decem. *Quasi diceret*: Tuarum X precum interuentu propter solos decem iustos ibi inuentos, omnibus parcam. Et secundùm hoc significatur admirabilis efficacia precis & meriti præcipuorum Sanctorum. *Et ex cap. 19. habetur, quòd solo Abrahæ aspectu liberatus est Loth ab regionis illius incendio. Dicitur enim, quòd* Abraham consurgens mane, vbi steterat priùs cum Domino, intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius &c. *Mox que subiicitur*: Cum enim subuerteret Deus Ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Loth de subuersione vrbium, in quibus habitauerat: *Vbi Author*: Ad Y quid enim diceret, *eum enim*, nisi vellet innuere, quòd Abraham tanquam Dominum pro Loth exorans, aspexit illuc, & obtinuit, quod petebat? *Et cap. 20. in fine scribitur, quòd* orante Abraham sanauit Deus Abimelech & vxorem ancillasque eius &c. *Iob quoque cap. 42. dicitur à Domino quibusdam amicis illius*: Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis: Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. *Ite ad seruum meum Iob*: vt scilicet Z eo mediante reconciliemini mihi (nam & homo potest alteri de congruo primam gratiam mereri, vt suo loco visum est:) *& offerte pro vobis holocaustum*, vt scilicet vos satisfaciatis, qui peccastis: sed vestra satisfactio indiget fidelis viri patrocinio; vnde subdit: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis*: qui scilicet dignus est exaudiri propter suam fidem; vnde subdit: *Faciem eius*, scilicet deprecantis, *suscipiam*, scilicet exaudiendo eius orationem &c. *Quin generaliter propter tot, quæ committuntur, scelera, non destruitur, sed* stat A Mundus per orationem bonorum. *Vnde & SS. Patriarchas* Dominicum & Franciscum *legimus Dei post remum Orbi excidium minitantis suis iram precibus extinxisse, iust fulmina meritis retardasse. Dicitur idcircò Prou. 11.* Benedictione iustorum exaltabitur Ciuitas, & ore impiorum subuertetur. *Et Ps. 105.* Dixit, vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in conspectu eius, *Et iterùm*: Stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. *De Noe pariter legitur Eccli. 44. quòd quia* inuentus est perfectus iustus, in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: vnde dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium. *Is. tandem 65.* Hæc dicit Dominus: Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur: *Ne dissipes illud, quoniam benedictio est*: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. *Si ergo viri iusti in hoc etiam seculo degentes; hoc est, aliquibus mundanis defectibus adhuc obnoxii, tantum à Deo valent orando impetrare: quanto magis diuina præsentia fruentes, in Patria beatâ? Et hoc est, quod* Hieronymus B dixit *contra Vigilantium*: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse soliciti, pro alijs orant: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?

Sanctorum intercessionem probant plura sacræ Scripturæ testimonia.

R Is. 63. ibi. Is. 63. Iob. 5. 2. Mach. 15.

S Iob 5. l. 1. ibi in 4. d. 45. 3. 3. in 1. sed contra.

T 2. Mach. 15. §.

Psalm. 19.

V Ps. 19. lit. a. ibi.

Iustorum etiam in hoc mundo viuentium interuentu apud Deum adiuuamur.

De quo plura in Sacris paginis.

X Gen. 18. §.

Y Gen. 19. ibi

Z Iob 42. l. 1. ibi.

A Matth. 24. lit. a. ibi, dolorum.

Stat nec destruitur Mundus per orationes iustorum.

SS. Dominicus & Franciscus fulmina retundunt iræ diuinæ ad huc viuentes in carne.

Si iusti hic etiam viuentes pro aliis orant & impetrant: quantò magis in gloria SS.

B 2. 2. 83. 11. §. 1. Ad Hann. 4. d. 45. 1. 4.

I *Et quidem orationes Sanctorum, ad Deum pro nobis exhibita, vtplurimùm exaudiuntur à Deo, immò vt eorum orationes sunt, nunquam non exaudiuntur. Quocirca sciendum, quòd* Sancti C dupliciter dicuntur orare pro nobis. Vnò modo oratione expressa, dum votis suis aures diuinæ clemen-

An semper Sanctorum preces exaudiantur à Deo.

C 4 d. 45. 3. 3. c & ad 5 & 2. 2 l. c. ad 2.

Dupliciter dicuntur pro nobis orare.

mentiæ pro nobis pulsant. Alio modo orate interpretatiua, scilicet per eorum merita: quæ in conspectu Dei existentia, non solùm eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia & orationes quædam. Sicut etiam sanguis Christi, pro nobis effusus, dicitur veniam petere: (*Hebr.* 12. Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel: *videlicet*; quia D sanguis Abel clamabat vindictam, sed Sanguis Christi clamat veniam, Luc. 23. *Pater dimitte illis &c.*) Vtroque autem modo Sanctorum orationes sunt, quantum est in ipsis, efficaces ad impetrandum quod petunt; sed ex parte nostra potest esse defectus, quòd non assequamur fructum orationum ipsorum, secundùm quod pro nobis orare dicuntur, ex hoc quòd merita ipsorum nobis proficiunt. Sed secundùm quod orant pro nobis, votis suis nobis aliquid postulando, semper exaudiuntur, quia non volunt, nisi quod Deus vult; nec petunt, nisi quod volunt fieri. Quod autem Deus simpliciter vult, impletur. Nisi loquamur de voluntate antecedente, secundùm quam *omnes homines vult saluos fieri*: quæ non semper impletur; vnde nec mirum, si etiam quod Sancti volunt, per hunc modum voluntas eorum interdum non impleatur. *Quòd si obiicias illud Ier.* 15. Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. *Respondet Author, quòd* Dominus E loquitur ibi de Moyse & Samuele secundùm statum, quo fuerunt in hac vita. Ipsi enim leguntur pro populo orantes iræ Dei restitisse, vt *Interlinearis* dicit. Et tamen si illo tempore fuissent, non potuissent orationibus Deum placare ad populum propter populi illius malitiam: & hic est intellectus literæ. *Vnde & in expositione Ieremiæ cit. cap.* 15. *docemur, quòd* non est F ex defectu orantis, quòd oratio non exauditur, sed ex defectu populi, pro quo oratur: *propter eorum scilicet incapacitatem ex contumacia in culpis. Nec ideò à supplicando Sanctis sua retrahat peccatorem indignitas (nisi forsè velis in peccato perseuerare:) nam si non repellit Dominus peccatorem ad se confugientem, nec Sancti profectò reiicient.* Ex hoc G ipso *enim* aliquis efficitur dignus, vt Sanctus aliquis pro eo oret, quòd ad ipsum cum pura deuotione in sua necessitate recurrit: *vt Author ab initio expressit. Quin & ad rem nostram docemur, quòd* nihil H prohiberet per aliquem peccatorem miracula fieri ad inuocationem alicuius Sancti: quæ tamen miracula non diceretur ille facere, sed ille, ad cuius sanctitatem denunciandam hæc fierent.

D Hebr. 12. l. 4. ibi.

Soluitur obiectio.

E 4.d.45.3.3. ad 2.

Impedit quandoq; effectum intercessionis Sanctorum contumacia nostra.

F Ier. 15. init. ibi.

G 4.d.45 3 2. ad 5.

Dignè recurrit ad Sanctos, qui deuotè eos inuocat.

Adquorum inuocationẽ nil prohibet, etiam per peccatores miracula fieri.

H 2 2. 178. 2. fi. c.

m *Cæterùm* oportet I non solùm superiores, sed etiam inferiores Sanctos implorare: alioquin esset solius Dei misericordia imploranda. Contingit etiam quandoque, quòd imploratio inferioris Sancti efficacior est: vel quia deuotiùs imploratur, vel quia Deus vult eius Sanctitatem declarare. *Quod alibi confirmat Author cum ait*: Quamuis L superiores Sancti sint magis Deo accepti, quàm inferiores: vtile tamen est, etiam minores Sanctos interdum orare: & hoc propter quinque. *Primò* ex hoc, quòd aliquis quandoque habet maiorem deuotionem ad Sanctum minorem, quàm ad maiorem: ex deuotione autem maximè dependet orationis effectus. *Secundò* propter fastidium tollendum, quia assiduitas vnius rei fastidium parit (*vt in familiaribus & quotidianis, quæ ad Sanctos protectores dirigimus, oratis manifestè experimur*:) per hoc autem, quòd diuersos Sanctos oramus, quasi in singulis nouus feruor deuotionis excitatur. *Tertiò* quia quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut Sancto Antonio ad ignem infernalem. *Quartò* vt honor debitus omnibus exhibeatur. *Quintò* quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod vnius oratione non impetraretur. *Porrò* cum ex deuotione maximè dependeat orationis effectus: *ne credat quis perfunctoriè & vsuali quodam cultu, per quotidianum etiam ad eorum aras accessum, Sanctorum patrocinium obtinere: nisi videlicet deuotè, piè, & necessaria ad salutem principaliter petat, vt exigit bonæ orationis conditio. Præsertim verò mulieres (quæ deuotionem ut in pluribus ex vsu potiùs & natura, quàm ex electione & pietate præseferunt) non vana postulent, non inania: nec ore tantùm depromant, sed ex corde preces effundant: mentis oculos ad Deum, & Sanctos erigant, non corporis in Adonidem orando, immò peccando figant: ut nimirùm valeant suffragia impetrare Sanctorum.* Nescit enim iustitia Dei (*aiebat Chrysostomus*) patrocinium dare criminibus. *Sancti igitur deuotè orandi, ut nos securiùs exaudiant: quod profectò per charitatem efficitur, ut innuitur in verbis illis Apoc.* 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. *Ascendit*, idest M factus est acceptabilis, *fumus*, idest compunctio & deuotio, *incensorum*, idest ad modum incensorum redolens, *de orationibus Sanctorum*, quæ sunt incensæ, de quibus præmisit: *Et data sunt illi incensa multa.* Compunctio autem & deuotio dicitur *fumus*; quia sicut ex igne operante in lignis, dum ea ignit & concremat, *ascendit fumus*: sic ex igne amoris operante interiùs in cogitationibus & affectionibus, & igniente, & concremante eas, procedit compunctio & deuotio in oratione: quæ deuotio est Deo acceptabilis; & ideò dicitur de orationibus fumus ascendere *de manu Angeli*; idest mediante operatione Christi, *coram Deo*, scilicet Patre; ipse enim est Mediator, per quem deuotio orationum fit efficax & acceptabilis apud Patrem, 1. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* DISCE *patrocinia implorare Sanctorum, exempla æmulari. Vide plura V.* Beatus *Tomo* 1. Iustus *To.* 2. Oratio.

I 2.2. 83. 11. ad 4.

Omnes inuocandi.

Quandoque inferioris Sancti imploratio efficacior est quàm superioris.

L 4.d.45. 3.2. ad 2.

Oratio ad Sanctos deuotionem potissimùm exigit, vt exaudiatur.

Ex charitate deuotio mensuratur.

M Apoc. 8. com. 1. ibi, & Ps 19 lit. a. ibi, de Sancto.



SAN-

SANGVIS CHRISTI. *Vide* Christi Sanguis *Tomo* 1.

SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DONA. *Vide* Spiritus Sanctus.

SATAN. *Vide* Diabolus *Tomo* 2.

SATISFACTIO. *Vide* Pœnitentia.

SATISFACTIO CHRISTI. *Vide* Christi conceptio, Passio, Mors, *Tomo* 1.

SCANDALVM. *Vide* Exemplum maiorum *Tomo* 2.

SCENOPEGIA. *Vide* Eleemosyna *Tomo* 2.

SCHISMA. *Vide* Fides infusa *Tomo* 2.

SCRIPTVRA SACRA.

VII. *Sume tibi librum grandem &c.* Sacra pagina dicitur *liber grandis* quantùm ad grande contentum: *signatus* quantùm ad visum: *inuolutus* propter multiplicem sensum: *amarus* propter laboris studium: *dulcis* quantùm ad affectum: *volans* quantùm ad intellectum: *viuificans* quantùm ad fructum. *Is.* 8. *ibi*.

Sacra Scriptura cur dicatur *Sancta*.

N *Rom.* 1. *l.* 2. *ibi* & 2. *Tim.* 3. *l.* 3. *ibi*, sacras.

O 2. *Tim.* 3. *l. c.*

Author eius Spiritus Sanctus.

P *Quol.* 7. *a.* 16 *fi. c.* & *a.* 14. *a.* 1 5. & 1. *p.* 1. 10 *c. Pot.* 4. 1. *c.* & 4. *con G. c.* 17 *ad* 11. *Prol. in Ps.* & *in Isa.* & *Ps.* 5. *lit. g. Ps.* 44. *lit. a ad Tim l. c. Hebr.* 2. *l.* 2. *initio*.

n Biblia *Sacri libri, hoc est Sancta & diuina Scriptura, per quandam excellentiam appellantur*, *Rom.* 1. Segregatus in Euangelium Dei, quod promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis. *Sanctis* ad differentiam N scripturarum Gentilium. Dicuntur autem *Sancta*: Primò quidem, quia vt dicitur 2. Pet. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*. Secundò quia Sancta continent, *Ps.* 96 *Confitemini memoria sanctificationis eius*. Tertiò quia sanctificant, Io. 17. *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est*. Vnde dicitur 1. *Mach.* 12. Habentes solatio Sanctos libros &c. *Sancta inquam scriptura est, quia vt dicitur* 2. *Tim.* 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata &c. *Sed obiicit Author*: Quomodo O non alia omnis Scriptura diuinitus inspiratur, cum secundùm Ambrosium *Omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est*? Et dicendum, quòd Deus dupliciter aliquid operatur: scilicet immediatè, vt proprium opus, sicut miracula: aliquid mediantibus causis inferioribus, sicut opera naturalia, Iob 10. *Manus tua Domine fecerunt me &c.* quæ tamen fiunt operatione naturæ: & sic in homine instruit intellectum & immediatè per Sacras literas, & mediatè per alias Scripturas. *Ex quo Sacra Scriptura Author est Spiritus Sanctus. Quod ad literam exprimit Apostolus ad Hebr.* 3. Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus, Hodie si vocem eius audieritis &c. *Docemur ideircò, quòd* in nulla P scientia, humana industria inuenta, propriè loquendo potest inueniri, nisi literalis sensus: sed solùm in ista Scriptura, cuius Spiritus Sanctus est Author, homo verò Instrumentum, secundùm illud Ps. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Quasi Q diceret: Non intelligatur, quòd ex proprio hunc Psalmum fecerim, sed auxilio Spiritus Sancti, qui vtitur lingua mea, sicut scriptor vtitur calamo. Et ideò principalis author huius Psalmi est Spiritus Sanctus, 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus est per me*, quasi per instrumentum. Et cuius calamus est? *Scribæ velociter scribentis*, scilicet Spiritus Sancti, qui velociter scribit in corde hominum. Qui enim per studium quærunt Sapientiam, per partes & etiam longo tempore student: sed qui habent eam à Spiritu Sancto, velociter accipiunt, Act. 2. *Factus est repente de Cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis*. Illi enim, qui habent scientiam per reuelationem diuinam, subitò implentur Sapientia, sicut illi sunt subitò repleti Spiritu Sancto, Ps. 147. *Velociter currit sermo eius*. Et ideò R lingua hominis se habet in Scriptura Sacra, sicut lingua pueri dicentis verba, quæ alius subministrat, 2. *Reg.* 23. Sermo eius per linguam meam. *Et hac quidem de causa Sacra Scriptura verba dicuntur Ps.* 17. Eloquia Domini, igne examinata; *videlicet* quia R sicut aurum per ignem purgatum, nihil habet impuritatis; ita sunt purgata verba Domini igne Spiritus Sancti, *Prou.* 8. Iusti sunt omnes Sermones mei: non est in eis prauum quid, neque peruersum. *De hac diuina Scriptura loquitur Ioannes* Apoc. 5. *cum ait*: Et vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus & foris. *Librum* idest S Scripturam Sacram, *scriptum intus* quoad vetus testamentum, in quo erat abscondita sub figuris redemptio nostra; & *foris* quoad nouum testamentum, vbi est manifesta redemptio nostra. Item *scriptum intùs* per sensum mysticum; & *foris* per sensum historicum Item *scriptum intùs* ad perfectorum exercitium; & *foris* ad minorum documentùm, Item *scriptum intus*, vt secreta sapientiæ indignis claudantur; & *foris*, vt dignis occasio exercendi se in studio detur, & sic meritum augeatur. Item *scriptum intus*, ne manifesta veritas contemnatur; & *foris*, ne ignota penitùs dimittatur. Item *scriptum intùs*, quoad mysterium diuinitatis; & *foris*, quoad mysteria humanitatis. Et debet iste liber esse *in dextera*, non in sinistra, quia promittit æterna, non temporalia; & quia ducit ad dexteram, vbi agni collocandi dicuntur; *Venite benedicti Patris mei &c.* Mat. 25. *Porrò Tridentinum Concilium Sess.* 4. *vt* ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica habeatur; & vt nemo illam reijcere quouis pretextu audeat, vel præsumat. *Idcircò & praced. Decreto*: Siquis (*inquit*) libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit: anathema sit. *Quis autem fuerit prafata veteris vulgata latina editionis ex hebraeo, & graeco translator, apertè nondum habetur, quamuis partim ab aliquibus attribuatur Hieronymo. Vnde & ex Authore nostro* editio vulgata *dicitur*, qua T vulgus vtitur, vel quæ non attribuitur alicui certæ personæ. *De quo vide fusè* Sixtum Senensem *ad finem sua Bibliotheca*, & Mag. Cano *de loc. Theol. cap.* 2. & *alios*. *Caterùm magister* Innocētius Pencini *noster* Prologo in Matthæum *refert, post ducentos & quindecim circiter annos Ierosolymis eam repertam*.

o *Et hic est liber grandis, de quo Isaias cap.* 8. *supe-*

Q *Ps.* 44. *lit. a. ibi*.

Cuius homo instrumentū & calamus.

R *Prol. in Psalmos*.

R *Ps.* 17. *lit. s. ibi*, & *Ps.* 11. *fi*.

S *Apoc.* 5. *com.* 2. & 1. *sub init*.

Vetus vulgata latina editio pro authētica & canonica habēda.

Quis illius translator.

T *Ps.* 13. *lit. x*.

V Is. 8 § 1. cir. fi. ibi, Notandum.

superiùs locutus est: qui ex Authore dicitur grandis V quantùm ad grandem contentum, *Prov.* 8. Audite: quoniam de rebus magnis locutura sum: & & aperientur labia mea, ut recta prædicent. *Ideircò significatur in parabola Mat.* 22. Ecce prandium meum paravi. Tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: uenite ad nuptias. *Etenim* quicquid X necessarium est, inuenitur in Sacra Scriptura; & ideò in ea *omnia parata* dicuntur. Hæc est invitatio Sapientiæ Prov. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite uinum, quod miscui uobis.* Per Tauros significantur exempla Sanctorum, quæ Dominus præparauit in exemplum, Iac. 5. *Exemplum accipite exitus mali, laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.* Vnde tribulationes Sanctorum ponit in exemplum. Per *tauros* etiam (*secundum Gregorium*, significantur Patres ueteris testamenti; quia taurus ferit cornibus: & in tempore Patrum semper quærebatur vindicta. Præcipiebat enim lex, oculum dari pro oculo &c. Per *altilia* Patres novi testamenti, quia omnia dimiserunt pro Christo, & impinguantur sapientia Dei: *occisa* propter Deum, & utrique occisi sunt: & *omnia parata, uenite ad nuptias.* Passus est Christus, aperuit Cœlos, misit Apostolos. Vel per *tauros* intelliguntur Sacerdotes ueteris testamenti quia taurus est animal immolatitium: per *altilia* prophetæ, qui impinguati sunt sapientia Dei. *Et quidem* multifariam, multisque modis locutus est Deus in prophetis, ut *ait Apostolus ad Hebr.* 1. Quod refertur Y ad tria diuersa genera visionum: scilicet ad uisionem corporalem, sicut Dan. 5. *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis.* Aliquando aliquibus per visionem imaginariam, Is. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.* Aliquibus uerò apparebat per visionem intellectualem, sicut Dauid Ps. 118. *Super senes intellexi.* Vnde dicitur Ose. 12. *Locutus sum super prophetas, & ego uisionem multiplicaui.* Refertur etiam ad diuersos modos loquendi, quia aliquando planè loquebatur, aliquando uerò obscurè; nec est aliquis modus loquendi, quo Scriptura uet. testamenti non loquatur. Prou. 22. *Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia: ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis* &c. Tertiò quia arguendo malos, alliciendo iustos, instruendo ignorantes, 2. Tim. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in iustitia.* Et ad Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Liber *enim* Scripturæ Z docet tria bona, scilicet præcepta, consilia, & promissiones: sicut triplex bonum est, honestum scilicet, iucundum, & utile. Præcepta docent bonum honestum, quia docent cultum unius Dei, & pulchritudinem morum & virtutum, quæ honestum faciunt hominem. In consiliis est bonum utile, Mat. 19. *Si vis perfectus esse, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo.* In promissionibus est bonum delectabile, sive iucundum, Io. 16. *Iterùm uidebo uos, & gaudebit cor uestrum,* Deut. 4. *Israel audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea uiuas; & ingrediens possideas terram, quam Dominus daturus est vobis.* Tria similiter ponit mala, scilicet prohibitiones, dissuasiones, & comminationes; & hoc secundùm triplex malum: malum scilicet mortalis culpæ, malum uenialis culpæ, & malum æternæ pœnæ. Prohibitiones respiciunt malum mortalis culpæ, Ex. 20. *Non fornicaberis; Non occides &c.* Dissuasiones malum uenialis culpæ, Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Comminationes respiciunt malum æternæ pœnę,

X Mat. 22. lit. a. ibi.

Multis modis locutus est Deus in Scriptura per Prophetas.

Y Hebr. 1. l. 1. ibi, & 2. Tim. 3. l. 3. Ver. 12. 7. c. & 2. 2. 173. 2.

Triplex visionum genus.

Non est aliquis modus loquendi, quo Scriptura non utatur.

Docet tria bona.

Z Serm. 2. ex Ep. Dom. 2. Adu.

Monet & tria mala uitare.

Is. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Benè ergo dicit, *Quæcumque scripta sunt*, scilicet in libro Scripturæ, *ad nostram doctrinam scripta sunt.* Hoc autem tenendum A est, quòd quicquid in Sacra Scriptura continetur, uerum est: aliàs qui contra hoc sentiret esset hæreticus. Scripturæ enim B diuinæ à Spiritu sancto traditæ non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quæ per eam docetur. *Et quidem*, in Scriptura C Sacra secundùm veritatem nihil est contrarium. Sed si aliquid apparet contrarium, vel est, quia non intelligitur, uel quia aliqua corrupta sunt uitio scriptorum, quod patet specialiter in numeris & genealogijs. *Continet igitur omnia*, & circa D omnia nos illustrat: in ipsa enim reuelantur diuina, docentur cælestia, terrestria iudicantur, & honestæ vitæ documenta traduntur, ut sic impleri uideatur quod dicitur. 1. Cor. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia.* Et ideò de eius communitate dicitur Sap. 7. *Attingit ubique propter suam munditiam.* Vnde *Aug.* in Epistola ad Volusianum: *Hic* (idest in Sacra Scriptura) *physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica, quoniam uita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cùm ea, quæ diligenda sunt, diliguntur. Hic est Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est.* Circa omnia inquam nos illustrat, *quoad figuras & figurata, quoad doctrinas & exempla, quoad dicta, & quoad humana & cælestia, quoad & quoad facta mystica & literalia.*

P *Mystica sanè, præter literalia, & quidem principaliter, tradit Scriptura diuina. Ex quo nedum* liber grandis quantùm ad grande contentum *est, sed &* signatus *dicitur* quantùm ad visum *Is.* 29. Erit uobis uisio omnium, sicut uerba libri signati, & *Habac.* 2. Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. *Et hoc est, quod ad illud Apoc.* 5. Vidi in dextera sedentis librum scriptum intus & foris, *subiicitur*, signatum sigillis septem. *Hoc est* septiformi E spiritu, qui scripturam condidit clausam, & ipse aperit. *Vel ad rem nostram* sigillis septem, *idest* multis F obscuritatibus clausum, Ps. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, idest obscura intelligentia in scripturis, Is. 29. cit. *Erit uobis uisio omnium, sicut verba libri signati*: & subditur: *Quem cum dederint scienti literas, dicent*: Lege istum; & *respondebit*: Non possum; signatus est enim. Cuius signacula sunt septem Sacramenta nostræ redemptionis in lege figurata, & à prophetis prædicta. *Primum est* Conceptio, siue Incarnatio Christi, *Secundum* natiuitas eius: quæ fuerunt figuratæ in conceptione & natiuitate Isaac Gen. 22. Et approbatæ Is. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et de utroque istorum duorum, dicitur Is. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Vtrumque etiam figuratum fuit *Num.* 16. in virga Aaron, quæ una nocte frondiut, & fructum fecit. *Tertium* est Passio, quæ fuit figurata in morte Abel *Gen.* 4. & immolatione uitulæ rufæ *Num.* 19. & agni *Ex.* 12. At prophetata Is. 53. *Tanquam ouis ad occisionem ducetur*, & Ier. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam.* *Quartum* est descensus ad inferos, qui fuit figuratus in Samsone, qui tulit portas Gazæ *Iudic.* 16. & approbatus Zach. 9. *Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti uinctos de lacu, in quo non erat aqua.* *Quintum* est resurrectio, quæ fuit figurata in suscitatione filii mulieris Sarephtanæ 3. *Reg.* 17. & prophetata Ose. 6. *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos.* *Sextum* est ascensio, quæ fuit figurata in translatione Henoch *Gen.* 5. Et in raptu Eliæ 4. *Reg.* 2. & prophetata Is. 63. *Quis est*

Quicquid in Sac. Scriptura continetur, uerum est: aliter sentiens, hæreticus.

A Quol. 12. a. 26. ad 1.

Nihil in ea contrarium.

B Pet. 4. 1. c.

C Actis. 3. l. 2. ibi, stultas.

D Prol. ad Annib.

Omnia continet.

2. Liber dicitur signatus quoad visum.

E Apoc. 5. com. 1. ibi.

F Apoc. 5. com. 2 sub init. & c. 4. com. 2. § 1. ibi, in Cœlo.

Septem huius signacula, septem redemptionis Sacramenta.

est iste, qui venit de Edom? Et Psal. 46. *Ascendit Deus in iubilo.* 7. est aduentus eius ad iudicium, qui fuit figuratus in arcu Cœli post diluuium Gen. 9. Et prophetatus Is. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.* His sigillis clausus & signatus fuit liber, donec ipsemet Christus aperuit ea. (Vide luculenter de his 1. 2. à q. 101.) *Ad qua coharenter initio sua Apocalypsis Ioannes dicebat:* Quæ oportet fieri citò, & significauit; *idest* sub signo G siue sigillo figurarum ostendit. *Et cap.* 4 Ecce ostium apertum in Cœlo. *Vbi* nomine H Cœli potest intelligi scriptura sacra dicitur enim Cœlum à celando, quia sub litera celatur multiplex intelligentia, & eius ostium intelligitur Christus; quia per ipsum intelligentia soluitur scripturarum. Vel ostium scripturarum est obscuritas figurarum, quæ usque ad Christum clausæ fuerunt; ita vt pauci intellexerint aliquid de scripturis. Sed quando venit Christus, qui est *lux vera*, recessit figurarum obscuritas, & patuit ostium scripturarum. Vnde dicitur *Prou.* 27. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes. *Cui adsonat illud Luc.* 24. Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. *Et hinc sacrarum patet necessitas scripturarum.* Vt *enim* salus I hominibus & conuenientiùs & certiùs proueniat, necessarium fuit, quòd de diuinis per diuinam reuelationem instruantur. Necessarium igitur fuit, sacram doctrinam per reuelationem haberi. *Et sanè* veritas L sacræ scripturæ est quoddam lumen per modum radii deriuatum à prima veritate; quod quidem lumen non se extendit ad hoc, quòd per ipsum possimus videre Dei essentiam, aut cognoscere omnia quæ Deus in se ipso cognoscit, aut Angeli, aut Beati, eius essentiam videntes: sed vsque ad aliquem certum limitem, vel mensuram intelligibilia diuinorum lumine sacræ scripturæ manifestantur. *Propter sublimem hanc pagina sacra lectionem, & mysticam significationem, ad maiorem venerationem eiusdem, & ad errores vitandos, cautè ab Ecclesia inhibitum est ne Biblia sacra in vulgare transferrentur idioma, aut translata legerentur.* Apparet enim M quòd si ea, quæ in Latino literaliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit expositio, si semper verbum ex verbo sumitur: *vt manifestè patet, si vulgariter* Cantica Canticorum *exponerentur.* *Ceterùm* sapientissimè N condita est scriptura: ita quòd in quibusdam locis est aperta, ne omninò clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur; & vt simplices aliquid inde capiant; & vt per ea, quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum. In quibusdam verò locis est occulta & velata: & hoc triplici ratione. Primò propter indignos: ne sit eis locus peruertendi. *Non propter fornes fideles* (inquit Ambrosius) *sed propter fures diuitia sub sigillo clauduntur.* Item propter fastidiosos, quia multa fastidirent & contemnerent: nunc autem gratius & pretiosius & sapidius est, cum inuestigatur: & hoc exigit reuerentia diuinæ virtutis. Item propter diuersos exponendi modos: ex obscuritate enim verbi habetur via ad multiplicem modum exponendi veraciter. Vnde *Augustinus* lib. 3. de Doct. Christ. *Quid in diuinis eloquiis largiùs & vberiùs potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis?* Cauendum *enim* est O ne aliquis ita scripturam ad vnum sensum cogere, velit quòd alii sensus, qui in se veritatem continent, & possunt salua circumstantia literæ scripturæ aptari, penitùs excludantur. Hoc enim ad dignitatem diuinæ scripturæ pertinet, vt sub vna litera multos sensus contineat, vt sic & diuersis intellectibus hominum conueniat, & vnusquisque miretur, se in diuina scriptura posse inuenire veritatem, quam mente conceperit: & per hoc etiam contra infideles faciliùs defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus.

G Apoc. 1. com. 1. ibi.
H Apoc. 4. com. 3. ibi & cap. 12 com. 1. ibi, in Cœlo.
I 1. p. q. 1 a. 1 c. & 2. 2. q. 2. a. 3. & 4. In 1. Quest. Proem. Ver. 14. a. 11. & 1 con. G. c. 4 & 6.
Sacræ scripturæ necessitas.
L De Diu. nom. c. 1. lect. 1. ibi, ad splendorē.
Intelligibilia diuinorum in sacra scriptura manifestantur.
Biblia vulgari idiomate iustè prohibita.
M Opusc. 1. s. Præfat.
N Apoc. 1. com. 1. ibi, significauit.
Sacra scriptura sapientissimè condita.
Alibi plana & aperta, alibi obscura & clausa, propter mysteria abscondita. Et hoc ex triplici ratione.
O Pot. 4. a. 1. c.
Multiplex eius intelligentia.

q *Ex quo bene dicitur sacra pagina* liber inuolutus propter multiplicem sensum, *Ezech.* 2. Vidi: & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber. *Idcircò & scriptus dicitur* intus & foris: *intus* per intellectum P spiritualem quantùm ad sapientes, *& foris* per intellectum literalem quantùm ad simplices. *Nec mirùm: nam ut vidimus,* Author Q principalis sacræ scripturæ est Spiritus sanctus; qui in uno sacræ scripturæ verbo intellexit multò plura, quàm per expositores exponantur, vel discernantur. *Et ideò nomine thesauri sacra scriptura appellatur. Ps.* 32. Ponens in thesauris abyssos. *Abyssos*, idest R profunditatem diuinorum sensuum, *in thesauris* sacræ scripturæ, *Sap.* 7. Infinitus enim thesaurus est hominibus &c. *Quò facit illud Cant.* 4. Fauus distillans labia tua. *Vbi* non solùm S fauus, sed etiam *distillans* vocatur labia Ecclesiæ: distillat enim fauus cum mellis copia exuberans, iam non potest cereis capsulis contineri: Rectè ergo diuina scriptura *fauus distillans* vocatur; quia multipliciter intelligitur, & variis sensibus exponitur: nunc iuxta literam, nunc iuxta allegoriam, nunc iuxta moralem, nunc iuxta anagogen, idest superiorem sensum. *Quod quidem & sancti Expositores à Spiritu sancto habent, diuersimodè explanantes, secundùm illud Io.* 16. Docebit vos omnem veritatem. *Siquidem* sacræ T scripturæ ab eodem Spiritu expositæ sunt & editæ, & ideò interpretatio sermonum numeratur inter alia dona Spiritus sancti 1. Cor. 12. *Vnde & Eccli.* 24. *dicitur:* Adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam, & 2. *Pet.* 1. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. *Multiplex igitur est sacra scriptura sensus. Quod & mysticè innuitur* Apoc. 11. *his verbis:* Et apertum est Templum Dei in Cœlo: *idest,* manifestatum V est mysterium D. N. I. C. latentis priùs in scriptura. Nomine enim Cœli intelligitur scriptura, habens luminaria: luminare maius, nouum est testamentum, luminare minus vetus testamentum: stellæ sunt Sanctorum expositiones, singulæ scilicet sententiæ. Quatuor partes Cœli, scilicet Oriens, Occidens, Auster, Septentrio, sunt quatuor modi exponendi, scilicet historicus, allegoricus, tropologicus, anagogicus. In hoc Cœlo fuit clausum Templum, quod diu mysticum latuit sub figuris. Sed apertum est, quando veritate in medium veniente, recessit vmbra, euanuerunt tenebræ ascendente aurora. Et de hoc Cœlo dicitur in Ps. 103. *Extendens Cœlum sicut pellem*, idest scripturam dilatans per multiplicem expositionem, *Dan.* 12. Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. *Id quod plenè planèque declarat Author ad ea verba Apostoli ad Gal.* 4. Quæ sunt per allegoriam dicta. *Quibus in verbis* attendendum est X quòd allegoria sumitur aliquando pro quolibet mystico intellectu, aliquando pro vno tantùm ex quatuor, qui sunt historicus, allegoricus, mysticus, & anagogicus. Et hi sunt quatuor sensus sacræ scripturæ; & tamen differunt quantùm ad significationem. Est enim duplex significatio. Vna est per voces, alia est per res, quas voces significant. Et hoc specialiter est in sacra scriptura, & non in aliis. Cum enim eius Author sit Deus, in cuius potestate est, quòd non solùm voces ad designandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas; ideò in aliis scientiis ab hominibus traditis, qui non possunt accommodari ad significandum, nisi secundùm verba, voces solùm signant: sed hoc est proprium

3. Liber dicitur *inuolutus* propter multiplicem sensum.
P Apoc. 5. com. 1. ibi.
Q Quol. 7. a. 14 ad 5. lo. 16. l. 3 lit d.
Sacra scriptura thesaurus.
R Ps. 32. lit. f.
S Cant. 4. com. 1 ibi.
Et fauus distillans.
T Quol. 12. a. 26. c. Rom. 12. l. 2. ibi siue prophetia. Et Prol in Thren.
Eodem spiritu interpretatur, quo condita.
V Apoc. 11. com 2. §. 4 ibi.
Mysticum Cœlum.
Quadruplex eius sensus explanatur.
X Ad Gal. 4. l. 6. vel 7. ibi 1. Prol in Thren. Hann. 1. sent. Prol. q. 2. 5. Quol. 7. a. 15. & 16. & 1. p. 1. a. 9. & 10. & 1. 2. 102. 2. Apoc. 5. com. 1. ibi, sigillis.
Allegoria duplex sumitur.
Duplex significatio, rerum scilicet, & vocum.
Prima specialis est sac scripturæ, non aliarum.

Sensus literalis, siue historicus, quis.

In ista Scientia, vt & voces & ipsæ res significatæ per eas, aliquid significent. Et ideò hæc scientia potest habere plures sensus. Nam illa significatio, qua voces significant aliquid, pertinet ad sensum literalem, seu historicum. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, pertinet ad sensum mysticum. Per literalem autem sensum potest aliquid significari dupliciter; scilicet secundùm proprietatem locutionis, sicut cum dico: *homo ridet*, vel secundùm similitudinem, seu metaphoram, sicut cum dico: *pratum ridet*. Et vtroque modo vtimur in sacra scriptura: sicut cum dicimus quantùm ad primum, quòd Iesus ascendit: & cum dicimus, quòd sedet à dextris Dei, quantùm ad secundum. Et ideò sub sensu literali includitur parabolicus, seu metaphoricus. Mysticus autem sensus, seu spiritualis, diuiditur in tres. Primò namque, (sicut dicit Apostolus) lex vetus est figura nouæ legis, & ideò secundùm quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ, est sensus allegoricus. Item *secundùm Dionysium in lib. de Cæl. Hier.* Noua lex est figura futuræ: & ideò secundùm quod ea, quæ sunt in noua lege, & in Christo, significant ea, quæ sunt in Patria, est sensus anagogicus. Item in noua lege, ea quæ in capite sunt gesta, sunt exempla eorum, quæ nos facere debemus: quia *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, Rom. 15. Et ideò secundùm quod ea, quæ in noua lege facta sunt in Christo, & in iis, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos facere debemus, est sensus moralis (*qui* & tropologicus *dicitur*) & omnium horum pater exemplum. Per hoc enim, quòd dicitur, *fiat lux*, ad literam de luce corporali, pertinet ad sensum literalem. Si autem intelligatur, *fiat lux*, idest nascatur Christus in Ecclesia, pertinet ad sensum allegoricum. Si verò dicatur, *fiat lux*, idest vt per Christum introducamur ad gloriam, pertinet ad sensum anagogicum. Si autem dicatur, *fiat lux*, idest per Christum illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu, pertinet ad sensum moralem. *Cæterùm, vt hac de re clariùs instruamur, sciendum, quòd* quatuor Y isti sensus non attribuuntur sacræ scripturæ, ita vt in qualibet eius parte sit in istis quattuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quattuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque vno tantùm. In Sacra enim scriptura præcipuè ex prioribus posteriora significantur; & ideò quandoque in sacra scriptura secundùm sensum literalem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi: sed non conuertitur. Inter omnia autem, quæ in sacra scriptura narrantur, prima sunt illa, quæ ad vetus testamentum pertinent, & ideò, quæ secundùm literalem sensum ad facta veteris testamenti spectant, possunt quatuor sensibus exponi. Secunda verò sunt illa, quæ pertinent ad statum præsentis Ecclesiæ, in quibus illa sunt priora, quæ ad caput pertinent respectu eorum, quæ pertinent ad membra, quia ipsum corpus verum Christi, & ea quæ in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici, & eorum, quæ in ipso geruntur, vt in ipso scilicet Christo exemplum viuendi sumere debeamus. In Christo etiam futura gloria nobis præmonstrata est; vnde ea, quæ secundùm literam de ipso Christo capite dicuntur, possunt exponi & allegoricè, referendo ad corpus eius mysticum (scilicet Ecclesiam:) & moraliter referendo ad actus nostros, qui secundùm ipsum debent reformari: & anagogicè, inquantùm in Christo est nobis iter gloriæ demonstratum. Sed quando secundùm literalem sensum dicitur aliquid de Ecclesia, non potest exponi allegoricè: (nisi fortè ea, quæ dicuntur de primitiua Ecclesia, exponantur quantùm ad futurum statum Ecclesiæ præsentis:) potest tamen exponi moraliter & anagogicè. Ea verò, quæ moraliter dicuntur secundùm sensum literalem, non consueuerunt exponi nisi allegoricè. Illa verò, quæ secundùm sensum literalem pertinent ad statum gloriæ, nullo alio sensu consueuerunt exponi; eo quòd ipsi non sunt figura aliorum, sed ab omnibus aliis figurata. *Illud verò aduertendum, quòd* in his Z quæ in veteri testamento dicuntur, primò obseruanda est veritas literalis. *Et alibi docemur pariter, quòd* in omnibus A quæ per modum narrationis historicæ scriptura tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiæ, & desuper spirituales expositiones fabricandæ. *Et quidem* omnis B veritas, quæ salua literæ circumstantia potest diuinæ scripturæ aptari, est eius sensus. *Vlteriùs Sacra pagina studiosos latere non debet, quòd* modus C seu forma in sacra scriptura multiplex inuenitur. Narratiuus, Eccl. 42. *Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua?* Et hic in historialibus libris inuenitur: Admonitorius, exhortatorius, & præceptiuus, 2. Tim. 2. *Hæc commone, testificans coram Domino*, & Tit. 2. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio*. Hic modus inuenitur in lege & Prophetis, & libris Salomonis. Disputatiuus: & hic in Iob & in Apostolo, Iob 13. *Disputare cum Deo cupio*. Deprecatiuus vel laudatiuus: & hic inuenitur in libro Psalmorum; quia quicquid in aliis libris, prædictis modis dicitur, hic ponitur per modum laudis, & orationis, Ps. 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua &c.*

Quis sensus mysticus.

Per literalem sensum dupliciter aliquid significatur.

Mysticus triplex.

1. Allegoricus

2. Anagogicus.

Tertius moralis, seu tropologicus.

Exemplum de singulis præfatis.

Y Quol. 7. a. 15. ad 5.

Declaratur adhuc per multiplicem sẽsũ expositionũ pluralitas.

Z Quol. 3. a. 30. init. & 1. 2. 102. 2. c.

A 1. p. 102. 1. c. & Quol. 7. a. 14. ad 5.

Multiplex loquendi modus in sacra pagina.

B Pot. 4. 1. c.

C Prol. in Psal. & Apoc. 5. com. 1. ibi, sigillis.

¶ *Ad horum porrò intelligentiam comparandam, speciale profectò studium exigitur. Et ideò diuina scriptura dicitur &* liber amarus propter laboris studium, *Apoc.* 10. Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum. *Quia nimirum* Sacra D scriptura difficilis est ad intelligendum, maximè fragilibus: & magnus labor est in studio Legis. *At verè* secundùm quod E dicit *Augustinus* in lib. de doct. Christi; *Vtiliter est à Deo dispositum vt veritas in Sacra scriptura cum aliqua difficultate manifestetur*. Est enim hoc vtile ad tollendum fastidium, quia ad ea, quæ sunt difficilia, maior surgit attentio, quæ tædium tollit. Similiter ex hoc tollitur superbiendi occasio, dum homo difficulter veritatem sacræ scripturæ capere potest. Similiter per hoc veritas fidei ab irrisione infidelium defenditur (*vt prætactum est.*) Vnde Dominus *Mat.* 7. Nolite *inquit* Sanctum dare canibus. *Proinde, cum difficilis captu sit*, ex multa luctatione & contritione, intelligitur, *vt ait* Dionysius *cap. 2. de diu. Nom.* Sacræ *etenim* scripturæ F discussio in duobus consistit; scilicet *in multa luctatione*, in quo assiduitas studii designatur; tunc enim aliquis multùm luctatur cum Scriptura, quando inspecta difficultate scripturæ, nititur ad vincendum difficultatem; *& contritione*, in quo designatur diligens scripturæ expositio: quod enim conteritur, vsque ad minima diuiditur. Tunc ergo aliquis scripturam sacram conterit, quando subtiles sensus in ea latentes exquirit. *Non nisi igitur multo exantlato studii labore, latens in sacra scriptura veritas eruitur. Et hoc est, quod dicitur cit. Apoc.* 10. Faciet amaricari ventrem tuum, *idest* sensualitatem G tuam, quæ mollis & fragilis est. *At vide, post verba hæc, quid Ioannes subiiciat*: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel; *idest* illud H quod cum amaritudine intellexisti studendo, cum iucunditate & dulcedine dices prædicando, Iob. 3. *Antequam comedam*, idest reficiar per deuotionem, *suspiro*, scilicet in studio & operatione. Sequitur: *& accepi librum*, idest

4. Dicitur liber amarus propter laboris studium.

D Apoc. 10. com. 2. & 3. & com. 1 ibi.

E Quol. 7. a. 14 ad 2.

Sacræ scripturæ intelligentia difficilis: sed vtiliter ex tribus.

F De diu. nom. c. 2. lect. 4. ibi.

G Apoc. 10. com. 2. & 1.

H Ibid. ibi, com. 2.

idest scripturæ intellectum, *de manu Angeli*, idest ex dono & opere Filij Dei, non ex meo merito, vel studio: *nisi diuino lumine suffulciatur*. *Vel* (*vt alibi*) in ore tuo erit dulce tanquam mel:
I Ibid. ibi, com. 1. *nimirùm*, quia I verbum Dei, dum deuotè consideratur, dulcedinem parit in mente, licèt faciat amaritudinem in carne. *Vnde & Ps.* 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

5. Liber est dulcis quantùm ad affectum. ¶ *Et hinc est, quòd Sacra pagina dicitur etiam* liber dulcis quantùm ad affectum, *Ezech. 3.* Comede volumen istud. Et comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce. *Amara enim est ex difficultate intellectui, exinde dulcis affectui, atque suauis*. Aliæ siquidem scientiæ L fructum habere videntur in sola intellectus illustratione: hæc verò doctrina & intellectum sublimiter illuminat, & affectum dulciter accendit. *Vnde dicitur Eccli. 24.* Spiritus meus super mel dulcis. *Et Sap. 8.* Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. *Et hoc est, quod ait Apostolus Rom. 15.* Vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. *Vbi* per patientiam, *intellige sufferentiam in earum studio*: per consolationem *spiritualem gaudium in intelligentia earum*. At *meliùs*: Vt per patientiam & consolationem scripturarum, *videlicet* quas M Scripturæ continet. Continetur enim in sacra Scriptura patientia Sanctorũ in malis sustinendis Iac. 5. *Sufferentiam Iob audistis*: continetur etiam in ea consolatio, quam Deus eis exhibuit, Ps. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Vnde & 1. Pet. 1. dicitur: *Prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones*, quod pertinet ad patientiam: *& posteriores glorias*, quod pertinet ad consolationem: *spem habeamus*; per hoc enim, quòd ex sacra Scriptura instruimur, eos qui patienter propter Deum tribulationes sustinuerunt, diuinitùs consolatos fuisse, spem accipimus, vt & ipsi consolemur, si in ipsis fuerimus patientes. *Quemadmodum & ipse Apostolus in Scripturis sacris solaminis non parum sentiebat. Idcircò* 2. ad Tim. 4. *scribens*: Veniens *inquit* affer tecum & libros &c. *Vbi Author*: Sed N quid (*ait*) Apostolo de libris pleno Spiritusancto? *Et Respondet*, quòd propter duo. Primò vt in legendo haberet solatium, 1. Mach. 12. *Habentes solatio Sanctos libros* (qui *scilicet* dant O nobis occasionem confidendi de virtute Dei magna:) in his enim Libris est remedium contra tribulationes. Vel dicit hoc, ne perderentur, sed remanerent fidelibus. Item quantò magis appropinquabat morti, tantò magis instabat seruitio Scripturarum: sicut de *Ambrosio* dicitur, quòd vsque ad vltimam ægritudinem non cessauit scribere. Vnde scribens super Ps. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, mortuus est. *Quemadmodum & Author noster, candidus alter Cygnus, morti proximus, in Canticum canticorum expositionem mirabiliter modulatus est. Sanè ad intelligentiam scripturarum, & meditationem, pia exigitur præcipuè affectio voluntatis*. Sicut autem P aliquis virtuosus ex habitu virtutis, quam habet in affectu, perficitur ad rectè iudicandum de his, quæ ad virtutem illam pertinent: ita qui afficitur ad diuina, accipit diuinitus rectum iudicium de rebus diuinis.

(Marginal notes, left column:)
L Prol. in 1. sent. ad Hann. b. 4. l. 2. lit. b. fi.
M Rom. 15. l. 1. ibi.
Ex eius lectione spes nostra erigitur.
N 2. ad Tim. 4. l. 3. ibi.
Pauli pia affectio ad Sanctos libros.
O 1. Mach. 12. ibi.
Ambrosius & Author ulque ad mortem Sac. Scripturæ Expositores.
Ad intelligentiam scripturarum pia affectio exigitur & voluntatis.
P De Diu. Nom. c. 2. lect. 4. ibi, discens.

6. Liber volans dicitur quantùm ad intellectum. ¶ *Et ideò Sacra Scriptura liber dicitur* volans quantùm ad intellectum, *Iob. 39.* Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? *Nedum enim sacra Scriptura accendunt affectum, sed & intellectum illustrant, vt vidimus, ad mysteria latentia capessenda. Quod mysticè innuit Ioannes* Apoc. 8. *Vbi audiuit* vocem vnius aquilæ volantis per medium Cæli &c. *Volantis*, idest Q per intellectum eleuatum velociter transeuntis (*Ps. 44.* velociter scribentis) *per medium Cæli*, idest per medium Scripturæ, non declinando scilicet ad dexteram per scrutinium Maiestatis, Prou. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*: nec ad sinistram per solam acceptionem sensus literalis, quia non omnia sunt ad literam accipienda. *Vnde & cap. 4. postquam vidit Ioannes* ostium apertum in Cœlo (*idest*, scripturam R per quam est ingressus ad vitam) audiuit vocem tanquam tubæ: *Ascende huc &c.* scilicet ad spiritualem intellectum: & noli morari in superficie literæ. *Ascende, inquam*. Conueniens enim est S vt intelligantur diuina, sicut decet Deum. *Anima verò quæ* adhæret pauimento, *hoc est sensibilibus & terrenis, cælestibus percipiendis impar est*, 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. *Hinc Apostolus Petrus in sua 2. c. 1.* Habemus *inquit* firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ in caliginoso loco. *Cui benè facitis, attendentes*, scilicet T propter sui vtilitatem, & inconcussam veritatem, *quasi lucerna*, idest quæ est quasi lucerna, quæ illuminat intellectum ad veritatis cognitionem, *lucenti*, quia accendit affectionem. Vnde quia veritas Sacræ Scripturæ illuminat intellectum, ideò dicitur *lucerna*: quia accendit affectum, ideò dicitur *ardens*. Et ideò est scientia perfecta. Lucere enim solùm, vanum est: ardere, parum: sed lucere & ardere simul, perfectum est: (*vnde & de magno propheta Ioanne legitur Io. 5.* Ille erat lucerna ardens & lucens.) *Lucenti* inquam *in caliginoso loco*, idest in nocte huius seculi, quæ est plena caligine ignorantiæ, tenebris peccatorum, & nebulis errorum. *Expropter dicitur Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. *Pedibus meis*, idest affectibus: Deo *enim* non V appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. *Diuina autem Scriptura* Sacra X doctrina est velut quædam impressio diuinæ Scientiæ. *Solus quippe Deus est*, qui aperit & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, Apoc. 3. *Qui aperit*, scilicet Y scripturas ad intelligendum, *& nemo claudit*, quia nemo potest destruere donum Dei in homine. *Claudit* Scripturas porcis, qui conculcarent eas, & etiam bonis quandoque in quibusdam Scripturæ locis, vt diligentiùs quærant intellectum Scripturæ: *& nemo aperit* aliquod horum, ipso claudente. *Aperit* inquam *& nemo claudit*: Deus enim Z aperit Scripturarum verba, Luc. 24. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*: reuelat occulta mysteria, Dan. 2. *Est Deus in Cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi*: explicat similitudinem, Ps. 17. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt. Vnde nec perperam dicitur Apoc.* 5. Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum; *& quod maius est*, neque respicere illum. *Et hoc idem signat illud Ezech. 2.* Ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber. *Quod exponitur*: Hæc A manus, Sapientia Dei est, qua omnia facta sunt, Ps. 103. *Omnia in Sapientia fecisti*. Ipsa est, quæ intellectum aperit ad videndum, Ezech. 40. *Facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc in visionibus Dei*. Ipsa est, quæ linguam expedit ad loquendum, Ier. 1. *Misit manum suam, & tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me: Ecce posui verba mea in ore tuo*. Ipsa est, quæ manum dirigit ad scribendum, Dan. 5. *Apparuerunt digiti, quasi homi-*

(Marginal notes, right column:)
Q Apoc. 8. com. 1. ibi.
A sensibilibus hic eleuandus, ut cælestia percipiat.
R Apoc. 4. com. 1. & 2. ibi.
S De Diu. Nom. c. 7. lect. 3. sub initio.
T 2. Pet. 1. §. 5. ibi.
Sacræ Scripturæ veritas, lucerna lucens & ardens.
V 2. 2. 24. 4. c.
X 1. p. q. 1. ad 2.
Non passibus corporis, sed mentis affectibus Deo appropinquatur.
Y Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi.
Sacra hæc doctrina, impressio est diuinæ scientiæ.
Solus Deus illuminat ad intelligentiam Scripturarũ.
Z Prol. in Thren.
A Ibid.

Hæc humiliter à Deo petenda.

nis scribentis: qui sunt prophetæ & alii DD. Et hæc quidem sapientia tam alta est, vt dum nos in infimo sumus, nihil ab ipsa possemus accipere, nisi nobis mitteretur. *Idcircò, vt nobis eam mittat, Deus rogandus. Qua de causa audiuit Ioannes Apoc. 10. vocem dicentem:* Vade & accipe librum apertum de manu Angeli; *Vade*, idest B pete & *accipe librum apertum*, idest intelligentiam Scripturæ, quam Christus aperuit, *de manu Angeli*, idest à Christo, qui eam habet in potestate sua: ipse enim Christus dat sapientiam suis & intelligentiam Scripturæ. *Et hæc est aqua sapientiæ cælestis, de qua mulier Samaritana ad Christum Io. 4.* Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? *Vbi docemur, quòd* per altitudinem C seu profunditatem putei intelligitur Sacræ Scripturæ profunditas & sapientiæ diuinæ, Eccle. 7. *Alta profunditas, quis inueniet eam?* Hauritorium autem, quo aqua sapientiæ salutaris hauritur, est Oratio, Iac. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. Ita Sanctus Author noster à Deo postulauit, & obtinuit (qui nimirùm* nunquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem.) *Ita postulabat frequenter David*: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. *Ps. 118. Proinde, si à Deo est intelligentia scripturarum, certissima est veritas earum. Hinc Ioannes (quippe* cui reuelata sunt secreta cælestia) *de seipso dicebat cap. 21.* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius. *Quo loci* loquitur D in persona totius Ecclesiæ, à qua receptum est Euangelium. Notandum autem, quòd cum multi scriberent de catholica veritate, hæc est differentia, quia illi, qui scripserunt canonicam scripturam, ita constanter eam asserunt, quòd nihil dubitandum relinquunt. Cuius ratio est, quia sola canonica scriptura est regula fidei. Alii autem sic ediderunt de veritate, quod nolunt sibi credi, nisi in his, quæ vera dicunt. *Ad quam vtique immuendam certitudinem ponitur, nec infrequenter, præteritum tempus pro futuro: sicut illud Psalmistæ de Apostolis Ps. 18.* In omnem terram exiuit sonus eorum. *Vbi* notandum E quòd hæc verba nondum erant completa, sed prævidebat ea esse complenda: & ideò vtitur præterito pro futuro propter certitudinem diuinæ præordinationis.

B Apoc. 10. com. 1. & 2. ibi.

Scripturæ diuinæ doctrina, aqua viua.

C Io. 4. l. 2. lit. b.

Veritas Sac. Scripturę certissima.

D Io. 21. l. 6. lit. b Apoc. 22. Com. 1. & 2. fi.

Canonica Scriptura, regula fidei.

E Rom. 10. l. 3 ibi, exiuit. Hebr. 2. l. 2. ibi, subiecisti.

V *In hac tandem diuina scriptura spei, fideique nostra ad salutem æternam comparandam certitudo firmatur. Ex quo bene dicitur &* liber viuificans quantùm ad fructum, *Eccli. 24.* Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis; *& Prou. 8.* Qui me inuenerit, inueniet vitam. *Liber inquam vitæ est scriptura diuina*. Vita *enim* dupliciter F repræsentari potest. Vno modo ipsa vita secundùm se, alio modo secundùm quod ab aliquibus participabilis est. Vita autem secundùm se ipsam repræsentari potest dupliciter. Vno modo per modum doctrinæ: quæ quidem repræsentatio maximè pertinet ad auditum, qui est maximè sensus disciplinæ, vt dicitur in principio *de sensu & sensato*. Et hoc modo liber vitæ dicitur, in quo continetur doctrina de vita consequenda: & sic nouum & vetus testamentum *liber vitæ* dicuntur. Alio modo per modum exemplaris: & hæc quidem repræsentatio pertinet ad visum. Et sic *liber vitæ* dicitur ipse Christus, quia in eo, sicut in exemplari, possumus aspicere, qualiter sit viuendum, vt perueniamus ad vitam æternam. *Quod quidem & nobis exhibet sacra Euangelii doctrina ad imitandum. Et hoc est, quod ait Apostolus 2. ad Tim. 3.* Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem &c. *Sacras literas*, quæ G non sunt contemnendæ, quia vtiles, Is. 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, &* Io. 5. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et hæ literæ *te possunt instruere ad salutem*. Effectus autem huius scripturæ est duplex: scilicet, quia docet cognoscere veritatem, & suadet operari iustitiam, Io. 14. *Paraclitus autē Spiritus docebit vos omnia*; scilicet cognoscenda: *& suggeret omnia*, scilicet operanda. Et ideò vtilis est ad cognoscendam veritatem, & ad dirigendum in operatione. Est enim ratio speculatiua, & est etiam ratio practica; & in vtroque sunt duo necessaria: scilicet, quòd veritatem cognoscat, & errorem refellat. Hoc enim opus, est opus sapientis: scilicet non mentiri, & mentientem refellere. Vnde subdit: *Omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum*, scilicet veritatem quantùm ad primum, Ps. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*: quantum ad secundum dicit, *ad arguendum*, ad Tit. 1. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere*. Item quantùm ad practicam sunt duo necessaria, scilicet vt reducat à malo, & ad bonum inducat, Ps. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum*. Quantùm ad primum dicit *ad corripiendum*, quod est eripere à malo, Mat. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*; & Iob 5. *Beatus homo, qui corripitur à Deo*. Quantùm ad secundum dicit, *ad erudiendum in iustitia*, Is. 8. *In manu forti erudiuit me*. Et hæc omnia sacra scriptura facit. Sic ergo quadruplex est effectus sacræ scripturæ: scilicet docere veritatem, & arguere falsitatem, quantùm ad speculatiuam: eripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam. Vltimus eius effectus est, vt perducat homines ad perfectum: non enim qualitercumque bonum facit, sed perficit, Hebr. 6. *Ad perfectiora feramur*: & ideò subdit: *vt perfectus sit homo Dei*, quia non potest homo esse perfectus, nisi sit *homo Dei*: perfectum enim est cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus, quando est *instructus*, idest paratus *ad omne opus bonum*: non solum scilicet ad ea, quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea, quæ sunt supererogationis, ad Gal. 6. *Bonum autem facientes, non deficiamus*. Sacra H scriptura *proinde* magna est authoritate, delectabilis est suauitate, fecunda est vbertate, quia non solùm sapientibus, sed etiam insipientibus communicatur, *fructusque reddit immarcescibiles æternæ vitæ. Vnde dicitur Io. 6.* Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. *Ea propter diuina scriptura ad æternam vitam* secundùm Chrysostomum *ostium dicitur, Io. 10.* Qui non intrat per ostium &c. *Quo loci* ostium I vocat Christus scripturas sacras, secundùm illud Colos. 4. *Orantes, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis &c.* Dicitur autem Sacra scriptura ostium. Primò, quia per ipsam accessum habemus ad Dei cognitionem, Rom. 1. *Quod promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo &c.* Secundò quia sicut ostium oues custodit, ita Sacra scriptura conseruat vitam (*vtique spiritualem*) fidelium, Io. 5. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere*. Tertiò quia ostium lupos superuenire non permittit: sic sac. scriptura arcet hæreticos à nocumento fidelium, 2. Tim. 3. cit. *Vtilis est ad arguendum &c.*

7 Liber est viuificans quantùm ad fructum.

F Ver. 7. 1. c. & 1. p. 24. 1. ad 1.

Vita dupliciter repræsentatur.

Diuina scriptura *liber vitæ*.

Sacræ literæ vtiles ad vitam æternam consequendam.

G 2. Tim. 3. l. 3. ibi.

Quadruplex Scripturæ effectus, siue fructus.

Perfectum hominem facit.

H Io. 4. l. 2 lit. b. fi.

Ostium ad vitam æternam.

I Io. 10. l. 1 ibi.

Dicitur ostium propter tria.

X Arcet *inquam* hæreticos à nocumento fidelium, *& ab Ecclesia ouili: Vnde & Apoc. 6. signatur per arcum*: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, *idest* Christus L rector & dux Eccle-

Arcus contra hereticos.

L Apoc. 6 com. 2 §. 1. C com. 1 ibi.

Ecclesiæ, *habebat arcum*, scilicet Sacram Scripturam, quæ dicitur arcus, quia Castrum Domini, idest Ecclesiam, defendit, & inimicos eius vulnerat, & occidit: si tamen manuteneatur, Iob 29. *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. (Arcus fit ex duobus, scilicet ex duro ligno, & chorda molli; & licèt chorda sit mollis, tamen durum lignum inflectit. Lignum ergo est duritia veteris testamenti; chorda est gratia noui.) Ex hoc arcu emittuntur sagittæ, quæ alios vulnerant ad mortem, & alios ad salutem. *De his dicitur 4. Reg. 13.* Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. *De illis in Ps. 119.* Sagittæ potentis acutæ. *Et Is. 13.* Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus vteris non miserebuntur. *Et Deut. 32.* Inebriabo sagittas meas sanguine. *Et iusta quidem punitio sacras deprauantium scripturas. Quocirca (vt alibi aduertimus) notandum, quòd* tribus M modis deprauat quis authoritatem Sacræ Scripturæ. Aliquando sicut cum dicitur de vno, & exponitur de alio, sicut si dicitur de vno iusto, & exponitur de Christo E. G. *Qui potuit transgredi & non est transgressus*, Eccli. 31. Item, *Pater maior me est*: hoc dicitur de Christo, secundùm quod homo; vnde si exponatur de eo, secundùm quod filius Dei, deprauatur authoritas. Ita Diabolus fecit, vbi Christo dixit Mat. 4. *Angelis suis mandauit de te: & in manibus tollent te &c.* Quia Psalmus 90. dicit hoc de membro Christi, qui indiget custodia Angelorum. Quod patet, quia subdit: *ne fortè offendas &c.* hoc enim non potest dici de Christo, quia non poterat offendere occasione alicuius peccati. Secundo modo deprauat, quando inducit quis authoritatem Scripturæ ad aliquid, ad quod non est authoritas: sicut illud Prou. 25. & Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum &c.* Si enim aliquid facit alicui, vt ille puniatur à Deo, hoc facit contra sensum authoritatis. Et ita fecit diabolus: quia Scriptura intendit, quòd homo iustus ita per Angelos custoditur, quòd in periculo non incidat; diabolus autem exponit, quòd homo periculo se ingerat: *Mitte te deorsum*, quod est Deum tentare. Vnde & Christus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tertio modo quando illud, quod est pro se, de authoritate accipit: & aliud, quod est contra se, dimittit. Quod mos est hæretici. Ita fecit diabolus: quia ex Psalmo accepit illud: *Angelis suis mandauit &c.* & dimisit illud, quod subditur, quod erat contra eum, scilicet, *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis &c.* Vnde factus est exemplar omnium scripturas deprauantium. *Quales sunt heretici, diaboli exemplum imitantes. De quo dicitur Apoc. 6.* Et ecce equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. *Equus niger*, idest N cœtus hæreticorum, sordibus peccatorum denigratus: & sessor istius est diabolus; vnde subditur: *& qui sedebat super illum*, scilicet diabolus, qui regit & ducit alios, quò vult, *habebat stateram in manu sua*, idest peruersam Scripturæ expositionem. Quæ stateræ comparatur; quia sicut statera sine pondere de facili mouetur huc atque illuc: sic Scriptura, si non habeat pondus catholicæ expositionis, fluctuat huc & illuc. Et sicut statera per astutiam falsi mercatoris potest malè inclinari: sic Scriptura per astutiam falsi expositoris potest malè exponi. Et signanter dicit, *habebat stateram*: quia hæretici Scripturam habent, sed non habentur ab ea: è contrario catholici DD. non habent, sed habentur à Scriptura; quia humiliter subiiciunt se illi, *captiuantes intellectum suum in obsequium Christi*, sicut dicitur 2. Cor. 10. Hæretici verò superbè ei dominantes, suo sensui eam coaptant. *De quibus Apostolus Petrus in sua 2. c. 3.* In omnibus Epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. *Quæ indocti*, supple O hæretici, *indocti* quoad scientiam diuinam, *& instabiles* quoad fidei perseuerantiam: quia diuina non sapiunt, nec curare volunt: *deprauant* malè interpretando & minuendo, peruertendo & mutando: *sicut & cæteras scripturas*; nullus, enim *ex glossa* veteris testamenti, vel noui liber est, in quo heretici aliquid non peruerterint vel diminuendo, vel addendo, vel mutando. Et hoc *ad suam ipsorum perditionem*, idest damnationem: huiusmodi enim deprauatio Scripturarum, causa est eis perditionis in præsenti & in futuro. *Damnationis in præsenti*, quia nunc præscinduntur ab Ecclesia militante; damnationis in futuro; quia ab Ecclesia triumphante (*quod & deprauantibus contigit Iudæis, quibus & iustè ideò subtracta est intelligentia scripturarum, 2. Cor. 3.* Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. *De quo vide Tomo 2. l. XV. q. & r.*) *Hinc alibi Author*: A Sacra P Scriptura (*inquit*) recipientes manifestationem Dei, ea, quæ in Sacra Scriptura sunt posita, oportet nos custodire, sicut quandam regulam veritatis, ita vt neque multiplicemus addentes, neque minoremus subtrahentes, neque peruertamus malè exponentes: quia dum nos custodimus sancta, ab ipsis custodimur, & ab ipsis confirmamur ad custodiendum eos, qui custodiunt Sancta. *Ex propter conclusit Ioannes Apocalypsim iis verbis*: Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius: Siquis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & siquis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de Ciuitate Sancta. *Si quis apposuerit*, idest Q textui interuerit, volens opus deprauare: *apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*, videlicet cap. 15. & 16. Non autem excommunicat Ioannes, qui exposuerit verba libri, sed *qui apposuerit verbum*, Eccle. 3. *Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur*, Eccli. 18. *Non est minuere, neque adiicere, nec est inuenire magnalia Dei*; Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor; nec auferetis ex eo.* Vnde subditur: *& si quis diminuerit &c. auferet Deus partem eius de libro vitæ*; idest non habebit partem in Cœlo, *& de Ciuitate Sancta*, idest de Societate Sanctorum. *Et hoc est quod ait Apostolus 2. Cor. 2. & 4.* Non adulterantes verbum Dei. *Ex quo ad illud Ps. 49.* Si videbas furem, currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas, *docemur, quid* spirituale R furtum est, quando ex verbis Sacræ Scripturæ deprauator furatur verum intellectum, Ier. 23. *Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea.* Adulterium vero spirituale est, quando verba retorquentur in alium sensum (*vero scilicet intellectui contrarium*) vel ad alium finem, putà si prædicetur ad lucrum, vel ad seductionem, *sicut haeretici, vel minùs pii prædicatores faciunt, de quibus Apostolus citato loco*: Non sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei. *Sanè (ut ex Authore Num. præced. docuimus)* ex hoc S quòd aliqui diuinæ legis verba peruertunt, sacrilegium incurrunt. *Et hac de causa, quamuis ludus honestus & iocus possit quandoque actus esse virtutis (ut videre est T.) non ita in Scripturis Sacris. Nam* iocosa V debent congruere negocijs & personis. Vnde *Tullius* dicit in 1. Rhet. *Quando auditores sunt defatigati, non est inutile, ab aliqua re noua, aut ridicula Oratorem incipere: si tamen rei dignitas non adimit iocandi facultatem.*

Docti-

Hæreticorum Scripturas deprauantium, iusta pœna.
M Mat. 4. lit. a. ibi, Angelis.

N Apoc. 6. com. 2. §. 3. & com. 1. ibi.

Cur stateræ comparetur.

Sac. Scriptura multipliciter deprauatur.
O 2. Pet. 3. §. 5 ibi.

Deprauator, imitator Diaboli.

P De diu. nom. c. 2. lect. 1. circa fi.

Q Apoc. 22. Com. 2. & etiã 1. fi.

Furtum & adulterium in Sac. Scriptura quid.
R Ps. 49 lit. i fi. & 2. Cor. 2. fi. & cap. 4 l. 1. ibi, adulterantes.

Scripturæ deprauator sacrilegus.
S 2. 2. 99. 2. ad 1.
T 2. 2. 168. 2. In 4. d. 16. 4. 2. q. 1.

Ludus & iocus possunt esse actus virtutis iocus tamen in sacris literis nunquã licet.
V 2. 2. loco cit. ad 1.

Doctrina autem Sacra maximis rebus intendit, secundùm illud, Prov. 8. *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum.* Vnde Ambrosius: *Licèt* inquit *interdùm honesta ioca, ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula; quoniam in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possimus.* Tridentinum *idcircò* Concilium *id strictissimè inhibuit Sess. 4.* temeritatem *damnans* qua ad prophana quæq; conuertuntur & torquentur verba & sententiæ Sac. Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, uana &c. *ut passim in humanis auditur colloquiis, gentilium nunquam Poetarum, aut Oratorum sententiis ad dicteria concinnanda in medium adductis, sed uenerabiliaus dumtaxat Sacra Scriptura testimoniis allatis: nullo habito respectu ad diuinum Authorem, cuius tota sacra pagina dictatum est purum.*

Y *Eapropter ab expositoribus sacris, adhoc ut rectiùs explanent, humiliter legenda est diuina Scriptura; quandoquidem, si (ut uidimus) ostium est:* Clauis X qua aperitur ostium Scripturarum est humilitas orationis, Eccli. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, idest Scripturarum obscurationes, & Apoc. 3. *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes uirtutem*, idest humilitatem, quæ modicam facit animam quantùm ad sui reputationem. *Hinc* & cap. 10. *scribit idem Ioannes, quòd uidit* alium Angelum fortem &c. Et habebat in manu sua libellum apertum. *Vbi obijcit Author*: Cum supra Y dixerit *librum*, cur nunc dicit *libellum*, diminutiuo nomine utens? *Et respondet.* Ibi clausus ostenditur quem superbia clausit: hic autem apertus ostenditur, quem humilitas aperuit, quia per humilitatem uenitur ad intelligentiam legis. *Humilitas inquam aperuit Christi*; quia Z ea, quæ sunt in Scriptura, pro magna parte sui ad Christi humilitatem referuntur; *mediasiquidem sua uita & mortis humilitate, mysteria redemptionis in Scriptura latentia reserauit.* *Ex quo discamus, quòd* specialiter A humilitas necessaria est volenti addiscere Scripturam Sacram, propter humilem modum loquendi, quem habet, qui à superbis contemnitur: *Scriptura Sacra*, (ait Augustinus) *inuitat omnes humili sermone.* Ideò loquens de se secundùm statum ante conuersionem suam: *Visa est mihi* inquit *Scriptura Sacra indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius.* Ad humilitatem volentis addiscere pertinet, ut ignorantiam suam fateri non erubescat: & quod nescit, humiliter quærat *Non est* (idem ait Augustinus) *erubescendum homini confiteri se nescire, quod nescit: ne, dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur.* Valet & adhoc timor Dei, Prov. 1. & Ps. 110. *Timor Domini principium Sapientiæ.* Timor Dei addiscentem declinare facit à malo, scilicet ab errore, ab addiscendi præsumptione, à sinistra intentione, à negligentia implendi quod addiscitur, Eccle. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Si addiscenti desit timor Dei: quod legit uel audit, ad alios refert; nec uult secundùm ea se dirigere, sed potiùs alios, Prov. 15. *Vir prudens dirigit gressus suos*: & imprudens, neglectis proprijs, dirigit alienos. *Timor inquam Domini exigitur ad intelligentiam Scripturarum. Ex quo veri sensus peccatoribus abscondunt ur, Deum timentibus reuelantur, Mat. 11.* Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Abscondisti à sapientibus.* Sapientes B dicit secundù carnê uiuentes, quæ carnis sunt quærentes, non quæ Dei. Item *Sapientes sunt, ut faciant mala; benè autem facere nescierunt*, Ier. 4. Et talibus non reuelatur, *sed paruulis*, scilicet humilibus & simplicibus, *hoc est, innocentibus, quales sunt paruuli, Mat. 18.* Nisi efficiamini, sicut paruuli &c. *Nam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ut dicitur Sapient. 1.*

X Apoc. 4. com. 2. §. 1. ibi, Ostium. Clauis ad aperiendum Scripturæ ostium, humilitas est.

T Apo. 10. com. 2. §. 1. ibi,

Z Ibid. com. 2. ibi.

A Op. de er. Pr. l. 5. c. 10.

Et timor Domini.

Sacr. Scripturæ mysteria peccatoribus abduntur: Deum timentibus reuelantur.

B Mat. 11. lit. c. ibi. Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi, claudit.

Z *Perrò, ubi Sacra pagina exponitur, non superficie tenus explananda; sed quàm diligenter perscrutanda est, Io. 5.* Scrutamini Scripturas, *scilicet* veteris C testamenti: nam fides Christi in veteri testamento continebatur, sed non in superficie: quia in profundo obumbrata figura latebat. Et ideò signanter dicit, *scrutamini*: Quasi dicat in profundum quærátis: *Vnde dicitur Prou. 2.* Si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc Scientiam Dei inuenies. *Et Ps. 118.* Mirabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea. *Sed neque secundùm proprium sensum exponenda sacra uerba sunt, 2. Pet. 1.* Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: *idest*, proprij D cordis ficta expositione. Sicut enim *ex Glossa* prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant: ita lector, non sua interpretatione, vel propria expositione vti debet, ne à fide exorbitet. Ex hoc autem, quod dicitur, *propria interpretatione non fit*, docemur, non ad nostrum sensum Scripturã exponere, sed nostrum intellectum sententijs prophetarum, & aliorum Sanctorum expositionibus subijcere, *Sanctaque in primis matris Ecclesiæ Decretis substernere*, cuius est iudicare de uero sensu & interpretatione Scripturarum sanctorum, *ut ait Trid. Sess. 4. Profectò (ut alibi instruimur)* non sufficit E in rebus diuinis humano ingenio ueritatem discutere & aperire: nisi ueritas, quæ post discussionem inuenitur, Sacræ Scripturæ concordet, & per eam confirmetur. *Id quod significari uidetur* Cant. 1. *cum dicitur*: Murænulas aureas faciemus tibi uermiculatas argento. *Vbi Author*: Mysticè *inquit* murænulæ F sunt perplexa Scripturarum dogmata, ex diuersis S.S. P.P. sententiis inter se iuncta. Aurum quippe claritatem significat sensus spiritualis: argentum uerò nitorem eloquij designat. Murænulas ergo aureas sponsus sponsæ suæ facit, cum Christus Ecclesiam suam doctrinis SS. Patrum, sensu & eloquio fulgentibus, instruit: atque ad illorum fidem virtutem imitandam accendit. Notandum verò, quod dicit pluraliter, *faciemus tibi*: quasi enim Christus se personis Doctorum coniungit, per quos ipsæ murenulæ incatenantur, ut istis Ecclesia exornetur. *Vitandæ præterea expositoribus quæstiones inutiles, ad Tit. 3.* Stultas autem quæstiones, & genealogias &c. deuita: sunt enim inutiles & uanæ. *Etenim* Doctor G ad duo intendere debet, scilicet ad utilitatem & ad veritatem, Prov. 8. *Veritatem meditabitur guttur meum*; & Is. 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Non est ergo intromittendum de inutilibus, & quæ non habent solidam veritatem. Scire enim singularia, ut sunt genealogiæ, non est ad perfectionem intellectus, nec ad instructionem morum, nec fidei. Vnde sunt quæstiones *inutiles*: & sunt *uanæ*, quia non habent solidam ueritatem. *Et alibi circa quæstiones scripturales instruimur, quòd* in aliquibus H quæstionibus duo ex *Aug.* sunt obseruanda. Primò quidem, ut ueritas scripturæ inconcusse teneatur. Secundò (cum Scriptura diuina multipliciter exponi possit) quòd nulli expositioni aliquis ita præcisè inhæreat quòd si certa ratione constiterit hoc esse falsum, sensum Scripturæ esse asserere præsumat: ne Scriptura ex hoc uerbo ab infidelibus derideatur, & ne eis uia credendi præcludatur. *DISCITE sacri DD. postulare à Deo*, ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni Sapientia: & intellectu Spirituali, *Col. 1. Vede* Cantus Ecclesiasticus, Christi doctrina T. 1. Doctor Eccles. Fides infusa, Iudæi T. 2.

In expositione perscrutandæ Scripturæ.

C Io. 5. l. 6. fi.

D 2. Pet. 1. §. 5. ibi.

Ab expositoribus non secundùm proprium sensum exponendæ.

Sed ad sensum Ecclesiæ, & sanctorum.

E de Diu. nom. c. 2. lect. 4. sub initi.

F Cant. 1. Com. 2. ibi.

Quæstiones inutiles expositoribus deuitandæ.

G Ad Tit. 3. l. 2. ibi.

H 1. p. 68. 1 initio. In 2. d. 12. 1 2 fi. c. Pot 4. 4. 1. initi.

SCRV-

SCRVPVLVS. *Vide* Conſcientia *Tomo* 1.

SCVRRILITAS. *Vide* Lingua.

SEDITIO. *Vide* Collegium *Tomo* 1.

SEPVLCRVM. SEPVLTVRA. *Vide* Chriſti Sepultura *Tomo* 1. Defuncti *To.* 2.

SERAPHIM. *Vide* Angelus *Tomo* 1.

SERMONIS GRATIA. *Vide* Chriſti educatio, Doctrina *Tomo* 1. Doctor Eccleſiaſticus, Gratia Dei *Tomo* 2. Lingua.

SIGILLVM CONFESSIONIS. *Vide* Pœnitentia.

SIMONIA.

VIII. Vendunt doctrinam Apoſtolorum, ſanguinem Martyrum, & dona Spiritus Sancti, quicumque bona Eccleſiaſtica ſpiritualia, & eis adnexa, vendere præſumunt. *Io.* 2. *l.* 2. *lit. d. ibi*, oues &c.

Simonia vnde dicatur. Ementes ſpiritualia *Simoniaci*: vendentes *Giezitæ* vocantur.

a SImonia à Simone *quodam Mago nomenclaturam trahit: de quo* Act. 8. *legitur, quòd* cum vidiſſet, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. *Et ita ſicut ab vno* Simone *Petro fidelis ſpiritualium adminiſtratio ſumpſit exordium: ſic ab vno* Simone *Mago turpis negociatio ſpiritualium. Et quidem* ſecundùm communem I vſum loquendi vocatur *ſimoniacus* & emens & vendens ſpiritualia: ſed tamen, ſi diſtinctè loqui volumus, ementes dicuntur *ſimoniaci*, vendentes *Giezitæ*, quia *Giezi* ſpiritualia vendere voluit, vt patet. 4. *Reg.* 5. *Erat enim puer Eliſei, qui à Naaman Syro ob curationem à lepra (quæ mundationem à peccato, per baptiſmi, aut pœnitentiæ Sacramentum ſignat) ſibi per Eliſeum impertitam, quam reſpuerat Dominus ſuus, pecuniam accepit, immò exegit. At verò* Simon L Magus ad hoc emere voluit poteſtatem ſpiritualem, vt eam poſtea venderet: dicitur enim 1. *q.* 3. *cap.* Saluator, quòd *Simon Magus donum Spiritus Sancti emere voluit, vt ex venditione ſignorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Et ſic illi, qui ſpiritualia vendunt, conformantur Simoni Mago in intentione: in actu verò illi, qui emere volunt. Illi autem, qui vendunt in actu, imitantur Giezi. Vnde venditores ſpiritualium poſſunt dici, non ſolùm Simoniaci, ſed etiam Giezitæ. *Eſt autem Simonia ſecundùm ſe mala: quia* actus M aliquis eſt malus ex genere, eo quòd cadit ſuper materiam indebitam. Emptionis autem & venditionis eſt materia indebita res ſpiritualis triplici ratione. Primò quidem, quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari, vt de ſapientia dicitur Prou. 3. *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Ideò etiam Petrus in ipſa ſui radice Simoniacam prauitatem condemnans, dixit Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti, pecunia poſſideri.* Secundò quia id non poteſt eſſe debita venditionis materia, cuius venditor non eſt Dominus. Prælatus autem Eccleſiæ non eſt Dominus ſpiritualium rerum, ſed diſpenſator, ſecundùm illud 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Tertiò quia venditio repugnat Spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei prouenſunt. Vnde & Dominus dicit Mat. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et ideò aliquis emendo, vel vendendo rem ſpiritualem, irreuerentiam exhibet Deo, & rebus diuinis, propter quod peccat peccato irreligioſitatis. *Ex quo communiter benè diffinitur Simonia, quòd ſit* ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali adnexum. *Quia enim* omne N peccatum in actu voluntatis conſiſtit; ideò in diffinitione Simoniæ tria ponuntur. Primò actus voluntatis in hoc, quod dicit, *ſtudioſa voluntas* (additur O autem, *ſtudioſa*, ad deſignandum electionem, quæ principaliter pertinet ad virtutem & vitium.) Secundò materia proxima huius peccati, ſcilicet emptio & venditio, cum dicit, *emendi, vel vendendi.* Tertiò materia remota, ſcilicet obiectum actionis prædictæ, cum dicit, *aliquod ſpirituale vel ſpirituali adnexum.* Per hoc verò, quod dicitur *emendi vel vendendi*, non ideò ſola, qua pecunia committitur, ſimonia æſtimanda eſt: nam per pecuniam P intelligitur omne illud, cuius pretium poteſt pecunia æſtimari (*vt Philoſophus dicit in* 3. *Ethic.*) *vel menſurari. Vnde* Vrbanus Q Papa (*vt habetur* 1. *q.* 3. *cap.* Saluator) dicit: *Quiſquis res Eccleſiaſticas non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel obſequii, vel pecunia largitur, vel adipiſcitur, Simoniacus eſt.* Manifeſtum R eſt enim, quòd obſequium hominis ad aliquam vtilitatem ordinatur, quæ poteſt pretio pecuniæ æſtimari: vnde pecuniaria mercede miniſtri conducuntur. Et ideò idem eſt, quòd aliquis det rem ſpiritualem pro aliquo obſequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac ſi daret pro pecunia data vel promiſſa, qua illud obſequium æſtimari poſſet. Similiter etiam, quòd aliquis ſatisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam vtilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari. Et ideò ſicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à manu: ita etiam contrahitur per munus à lingua, vel ab obſequio. *Additur autem præfatæ diffinitioni*: vel ſpirituali adnexum. *Quod dupliciter eſſe contingit.* Vno S modo, ſicut ex ſpiritualibus dependens, ſicut habere beneficia Eccleſiaſtica, dicitur ſpiritualibus adnexum, quia non competit, niſi habenti officium clericale. Vnde huiuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſine ſpiritualibus. Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubijci. Quædam autem ſunt adnexa ſpiritualibus, in quantùm ad ſpiritualia ordinantur: ſicut ius patronatus, quod ordinatur ad præſentandum clericos ad Eccleſiaſtica beneficia: & vaſa ſacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum vſum. Vnde huiuſmodi non præſupponunt ſpiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt. Et ideò aliquo modo vendi poſſunt, non autem in quantùm ſunt ſpiritualibus adnexa. *Ex quo* vaſa T ſacra *v. g.* nullo modo ratione conſecrationis vendenda ſunt, vt ſcilicet pro conſecratione eorum aliquid plus exigatur. Tamen in neceſſi-

I 4. d. 25. 3. 1. q. 1. ad 4. & exp. tex.

L 2. 2. 100. 1. ad 4.

Simonia mala ſecundùm ſe.

M Ib. in corp. In 4 d 25. 3. 2. q. 1. c.

Peccatum eſt irreligioſitatis.

N In 4. l. c. a. 1. q. 1. c.

Simoniæ diffinitio.

O 2. 2. 100. 1. ad 2.

P Ib. a. 2. & 5. c.

Per pecuniam intelligitur omne id, cuius pretium poteſt pecunia æſtimari.

Q Ib. a. 5. In ſed contra.

R Ib. in corp. In 4 d. 25. 3. 3.

Simonia per munus à manu, à lingua, ab obſequio.

S 2. 2. 100. a. 4. c. & a. 1. ad 6 In 4. l. c. a. 2. q. 3.

Dupliciter aliquid dicitur ſpirituali adnexum.

An hoc emi licitè, aut vendi poſſit.

T In 4. l. c. a. 1. & 2. 2. l. c. ad 2.

necessitate Ecclesiæ, possunt vendi ex parte eius, quod in eis est non spirituale, scilicet materia auri & argenti. Et tunc, si venduntur Ecclesiasticæ personæ, possunt integra vendi: Si autem venduntur alijs, non ad vsum Ecclesiæ, debent prius frangi, præmissa oratione, ne sancta ab alijs tractentur, quàm à ministris Ecclesiæ.

Pecuniam accipere pro Sacramentali gratia, simoniæ crimen est, nulla consuetudine excusabile. V 2.2. 100. 2. c. in 4 d.25. 3. 2 q.1 c.

b *Ex præfatis deducitur, quòd quia* Sacramenta V nouæ legis sunt maximè spiritualia, in quantùm sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & eius rationi repugnat, quòd non gratuitè detur, accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præiudicat iuri naturali vel diuino. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta ministrant, secundùm ordinationem Ecclesiæ & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. Vnde super illud 1. ad Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri &c.* dicit Glossa *Augustini*: Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. *Quod intellige etiam de Sacramentis necessitatis.* Quia *enim* nullo X modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, qui baptizaret. Vnde ille, qui gerit curam pueri, in tali casu licitè potest eum baptizare, vel à quocumque alio facere baptizari. Posset tamen licitè aquam à Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos vellet sine pretio baptizare: deberet, si posset, per alium baptizari. Quòd si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potiùs absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset. *Quoniam verò* sicut Y Sacramenta dicuntur spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt, & ad eam disponunt: quæ tamen per hominum ministerium exhibentur, quos oportet à populo sustentari, cui spiritualia administrant, secundùm illud 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* ideò vendere quod spirituale est in huiusmodi actibus, aut emere, simoniacum est. Sed accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundùm ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est. Ita tamen, quòd desit intentio emptionis vel venditionis, & quòd ab inuitis non exigatur (*nota*) per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda. Hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus priùs exhibitis, licitè possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alij prouentus exigi à nolentibus, & valentibus soluere, authoritate superioris interueniente. *Proinde* si quis Z aliquid acciperet pro vsu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officij debet impendere: sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ vsum. Et propter hoc, non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere. Nec etiam per hoc, quòd vices suas committant; nec etiam pro hoc, quòd subditos suos corrigant, vel à corrigendo desistant. Licet tamen eis accipere procurationes, quando subditos visitant, non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium. Ille autem, qui habet scientiam, & non suscipit secundùm hoc officium, ex quo obligetur alijs vsum scientiæ impendere, licitè potest pretium suæ doctrinæ, vel consilij accipere: non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, vnde grauiter peccaret. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesijs ad docendum clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt: à quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc, quòd doceant; nec ad hoc, quòd aliqua festa faciant vel prætermittant.

Accipere autem ad sustentationem Sacramenta ministrantium secundùm Ecclesiæ ordinationem, non est simonia, neque peccatum, cum sit necessitatis stipendium. X 2.2. l.c. ad 1.

Quod intelligitur etiam de Sacramentis necessitatis.

Y 2.2. 100.3.c. & a 2. ad 4. in 4. l.c. a.2. q.2.

Pro actibus spiritualibus, an liceat pecuniam accipere.

Z 2.2. l.c. ad 3. in 4. l.c. ad 6. & 9.

c *Obseruandum vlteriùs, quòd* nomine A emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Vnde nec permutatio præbendarum vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest authoritate partium absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, vt iura determinant. Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes huiusmodi facere pro causa vtili, vel necessaria. *Ex quo autem simonia contrahitur est non gratuitus: qua contractus, pactum aliquod includit. Et hinc triplex distinguitur simonia. Primò* mentalis, *cum exteriùs vel nihil datur temporale (& dicitur purè mentalis) vel cum aliquid datur (& dicitur mistè mentalis) cum intentione obligandi ad reddendum spirituale sine vllo pacto externo. Secundò* Conuentionalis, *qua ad ipsum pactum exteriùs procedit sine reali executione: & dicitur pura, si sistat in mutua conuentione; mista autem, si de reali & conuentionali aliquid participet. V.G. si ex altera tantùm parte realiter compleatur. Quò reducitur* simonia *quam* confidentiæ *dicunt, cum quis V.G. alteri dat beneficium, vt illud sibi vel alteri resignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. Tertia est* realis, *qua scilicet ex vtraque parte realiter completur. Simonia item diuiditur in* simoniam iuris diuini, *qua prohibita est ex malitia sua: E.G. hostiam emere, aut vendere consecratam: & in eam, quæ est* iuris humani, *quæ mala est, quia prohibita: sicut venditio beneficiorum, secundùm id, quod in eis temporale est: venditio officiorum, quæ extrinsecè tantùm ad res Sacras ordinantur, V.G. Sacristia: oblatio pecuniæ alicui facta, vt suadeat alteri ad beneficium conferendum: & alia huiusmodi, quæ ab Ecclesia prohibentur. De quibus omnibus vide fusiùs Authorem Quæst. citatis, & apud Summistas. Duo tamen ad maiorem Ecclesiasticorum instructionem minimè hìc prætereunda: circa prædicationem scilicet, & defunctorum funus. Docemur enim (quoad primum) quòd Apostolus prædicabat pro temporalibus, vt scilicet pro pauperibus collectæ fierent. Quod colligitur* ex 1. Cor. 16. *At verò sciendum, quòd* prædicare B pro pecunia, potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt pecunia sit pretium prædicationis; & sic nullo modo licet. Alio modo, vt pecuniæ datio, sit res quædam prædicata: & ita potest aliquis prædicare pro pecunia, sicut pro alijs operibus meritorijs, in quantùm meretur dans, & subleuatur defectus recipientis. Et sic Apostolus pro collectis faciendis (*vtique pro pauperibus*) prædicauit. Non tamen in pecuniæ collatione ponendus est prædicationis finis. *Cæterùm* Prædicantibus C temporalia debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Vnde super illud 1. ad Tim. 5. *Qui benè præsunt presbyteri &c.* dicit *Glossa*: Necesse est accipere vnde viuitur, charitatis est præbere: non tamen venale est Euangelium, vt pro his prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. (*Quod quidem committi videtur vbi præsertim interuenit pactio, & ex condicto prædicatur. Caueant hi, ne pecunia hæc* secum

A 2.2. 100. 1. ad 5. in 4. d.25. 3. ad 8.

Nomine emptionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sicut permutationes beneficiorũ, transactiones &c.

Simonia pactum includit.

Triplex Simonia.

Item iuris diuini & humani.

An liceat pro pecunia prædicare.

B In 4. loco cit. a.2. q.2. ad 4. & 2.2. 100.3. ad 2. Quol. 2. a. 12. c.

C 2.2. loco cit. in 4. ibid. ad 5.

secum sit in perditionem.) *Hinc Apostolus* 1.*Cor*.9. Debet *inquit* in spe, qui arat, arare. *In spe*, scilicet D stipendiorum temporalium: non tamen *propter spem hanc*. Debet enim *primùm quaerere regnum Dei*. Similiter E etiam (*quoad secundum*) aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastici Officij, siue pro viuis, siue pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. (*Docemur ideircò, quòd* si quis F distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit. & mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu: ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quòd non vendit actum spiritualem; & ita simoniam non committit; nec peccat.) Eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquae eleemosynae recipiuntur. Si autem huiusmodi, pacto interueniente, fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis: simonia esset. Vnde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quòd non fieret processio in funere alicuius, nisi solueret certam pecunię quantitatem; quia per tale statutum praecluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur quòd omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non praecluderetur via alijs exhibendi. Et praeterea prima ordinatio habet speciem exactionis: secunda autem habet speciem gratuitae recompensationis.

D 1.*Cor*.9. *l*.1. *ibi & l*.5. *fi*.

Et officium diuinum propter distributiones persoluere.

E 2.2.100.3. *ad*2. *in* 4.*d*.25 3.2.*q*.3.*ad*2.*fi*.
F *Quol*.8. *a*. 11.*c*. & *Quol*. 4.23.*fi*.*c*.

Nam pacisci liceat pro faciendis in funere processionibus.

d *Ex hactenus praemissis sequitur, quòd licèt* simonia G non sit maximum peccatum simpliciter, est tamen maximum inter illa, quae committuntur circa contractus pecuniarios: & ex hoc etiam quòd irreuerenter se habet homo ad res sacras, in quo attingit peccata, quae sunt contra praecepta primae tabulae. *Item* propter nocumentum H maius, quia totum ordinem Ecclesiae peruertit. *Hinc & inter haereses quodámmodò computatur. Dicitur enim in Decretis* 1. q. 1. cap. *Eos qui*. Tolerabilior I est Macedonij, & eorum, qui circa ipsum sunt, sancti Spiritus impugnatorum, impia haeresis, quàm simoniacorum. *Et Gregorius in Registro*: Altare vel decimas, vel Spiritum Sanctum emere vel vendere, simoniacam haeresim esse, nullus fidelium ignorat. *Nihilominùs* Simoniaci L non sunt propriè & per se loquendo haeretici, cum non habeant aliquam falsam opinionem: sed dicuntur haeretici propter similitudinem actus, quia ita operantur, ac si aestimarent (*cum Simone mago*) donum Spiritussancti pecunia possideri: quae aestimatio esset haeretica. *Et ideò* ratione M falsae aestimationis, quam simoniacus in actu demonstrat, dicitur simonia esse grauior, quàm Macedonij haeresis, qui posuit Spiritumsanctum esse Patris, & Filij seruum. Simoniaci autem ostendunt in suo actu, se aestimare, quòd sit seruus hominis, si ab homine emi potest & vendi: *vel vendi consueuerunt serui & emi. Sed & vlteriùs* sciendum N quòd Simon magus praeter hoc, quòd ab Apostolis Spiritussancti gratiam pecunia emere voluit, dixit quòd Mundus non erat à Deo creatus, sed à quadam superna virtute, vt dicit *Isidorus* in lib.8 Etymol. Et sic secundùm hoc inter alios haereticos simoniaci computantur, vt patet *ex Augustino* in lib. de haeresibus. *Hinc non mirum, quòd simonia crimen, scelus dicatur inauditum*, 2. *Mach*.4. Impij & non Sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: *quod exponitur*. Istud O fuit emptio Sacerdotij. Vnde *secundùm Augustinum dicitur*; quòd ignis, qui 70. annis in aqua vixit, vendente Antiocho Iasoni Sacerdotium, extinctus est: *in tam nefarii videlicet sceleris detestationem*. *Detestabilis autem haec simoniae labes satis innuitur* Io. 2. *vbi legitur, quòd Dominus, simoniacorum osor*, inuenit in templo vendentes oues & boues, & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo. *Quo loco* per vendentes P & ementes significantur illi, qui Ecclesiasticas res vendunt vel emũt. Nam bona Ecclesiastica spiritualia, & eis adnexa, significantur per oues, & boues, & columbas. Ipsa enim consecrata quidem & confirmata sunt ex doctrinis Apostolorum & Doctorum, qui significantur per boues, Prou. 14. *Vbi plurimae segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis*. Item ex sanguine Martyrum, qui significantur per oues: vnde in persona eorum dicitur Rom. 8. & Ps.43. *Aestimati sumus, sicut oues occisionis*: (*& ex sanguine potissimùm Christi, de quo Is*. 53. Sicut ouis ad occisionem ducetur.) Item dona Spiritus Sancti, quae significantur per columbas, quia Spiritus Sanctus in specie columbae apparuit. Omnia ergo haec vendunt. scilicet doctrinam Apostolorum, sanguinem Martyrum (*immò & Christi pro nobis passi*) & dona Spiritus Sancti, quicumque bona Ecclesiastica spiritualia, & ei adnexa vendere praesumunt. *Quod aiebat initio Author. Hac proinde vendens impius, ac impudens* Simoniacus Q non dat id, quod est suum, sed quod Christi. *Vnde & venditores illos ipse latrones vocat Mat*.21. Vos autem fecistis illam (*scilicet Ecclesiam*) speluncam latronum: *Siquidem* latrones R in speluncis latitant, vt spolient transeuntes, & sibi acquirant quod non est suum. *Sic & isti in domo Dei*: quia ea, quae religionis sunt, in quaestum conuertunt. *Et ideò* in principio S non latrones, sed negociatores vocat, Io. 2. *Nolite facere domum Patris mei, domum negociationis*. Sed quia ex eorum duritia adhuc à tali negociatione non cessabant: ideò Dominus alia vice eos expellens, duriùs eos increpat, vocans latrocinium, quod primò vocauerat negociationem. Quod enim Io. 2. dicitur, primò factum fuit.

G *Quol*. 5. *a*. 20. *ad* 2.

Quàm graue simoniae crimen

Totum Ecclesiae ordinem peruertit.

H 4.*d*.25.3.1. 2. *ad* 2.

Quo sensu inter hereses recenseatur.

I 2.2. 100.1. *arg* 1. & *in sed contra*. *In* 4. *loco cit*. *arg*.1. & 2.

L *In* 4 *loco cit*. *in corp*. & *d*.13 2.1 *ad* 3. & 2. 2. *l.c*. *ad* 1.

M *In* 4. *d*. 25. *l.c*. *ad* 2.

Macedonij error.

N 2.2.100.1. *ad* 1.

Duplex & Simonis magi. Cur simoniaci inter haereticos computentur.

Simonia nefarium & inauditum scelus.

O 2. *Mach*. 4. *ibi ad* 1.

Innuitur in eiectione vendentium in Templo.

P 2.2. *l*.2. *lit*. *d ibi*, *Mat*.21. *lit*. *a ibi*, *columbas*.

Q *Ma*. 13. 4. *ad* 13.

Simoniaci latrones.

R *Mat*. 21. *lit*. *a*. *ibi*.

S *Io*.2.*l*.2. *lit*. *g*.

e *Sanè in hac materia simonia, ex auaritia venditio sacrilega, emptio vtplurimùm ex ambitione procedit. Ex auaritia inquam venditio: ex eo enim* simonia T dicitur grauius peccatum propter pronitatem ad ipsum ex cupiditate humana. *Et Gregorius in Registro*: Cum omnis V auaritia sit idolorum seruitus, quisquis hanc in Ecclesiasticis dignitatibus dandis non praecauet, infidelitatis perditioni subijcitur; etiamsi fidem, quam negligit, tenere videatur. *Hinc ad illud Matth*. 21. Eiiciebat omnes vendentes & ementes in Templo &c. *instruimur, quòd* mysticè X sunt in Templo, idest in Ecclesia, qui lucris temporalibus inhiant: qui de Ecclesia eijciuntur, quia *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli &c*. 1. ad Tim. 6. Numularij possunt dici Diaconi (*vel alii quicumque sacri Ministri*) quibus datur administratio temporalium, vt habetur *Act*. 6. Vnde cum officium dispensationis retorqueant ad quaestum, debent eijci de Ecclesia. Per columbam intelligitur Spiritus sanctus: vnde vendentes columbas sunt Praelati vendentes dona spiritualia, vt Ordinem, vel huiusmodi: *sicut & beneficia, Canonicatus &c*. *Similes hi sanè efficiuntur impio proditori Iudae, qui ex cupiditate pecuniae Christum Deum & hominem proditoriè vendidit*, *Mat*. 26. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? *Hic enim* quia Y vidit, quòd fraudatus erat pretio vnguenti, voluit recuperare in prodendo Christum: *& ideò* ex auaritia Z factus est proditor Christi. *Et hoc quidem prae caeteris vitium in sacrilegis Iudaeorum Sacerdotibus & Ponti-*

In simonia venditio ex auaritia.

T 4 *d*.25.3.1. *q*.2. *ad* 2.

V *Ibid*. *fi*. *corp*.

X *Mat* 21. *lit*. *a*. *ibi*, Columbas.

Simoniaci Iudae similes impio proditori.

Y *Mat*.26. *lit*. *a*. *ibi*, tradam: *Io*.12.*l*.1.*lit* *g*. 2.2.118.8.*c*. & 3 *p*.47. 3. *ad* 3. *Ma*. 13 3. *c*. *Gal*.2.*l*.6.*fi*.

Z *Ma*.13. 3.*c*.

Z Mat. 26. lit. e. ibi, Caiphas.

Pontificibus Iudaeorum ... Praeceperat enim Z Dominus, quòd esset vnus solus summus Sacerdos, sed non sufficiebat eis. Vnde propter cupiditatem Sacerdotium dimiserant. Item, iam amiserant & à Romanis Sacerdotium emebant: *ut nimirum sacra venderent ministeria, aut exinde sacram famem ex saturarent. Sed & supremum Pontificatum sacrilegè ex ambitione comparabant, ut liquet de Caipha impiissimo Pontifice Iudaeorum.* Mandauerat A Dominus (*repetit alibi Author*), quòd Aaron & filii eius essent Sacerdotes iure hereditario, ita quòd mortuo uno, remaneret alter, Sacerdos; Sed post, ambitione crescente, non potuerunt pati: sed subiecta Iudęa Romanis, Caiphas emerat Sacerdotium à Iudaeis, emerat à Pilato; & ideò iniquus erat Princeps. Et non mirum, si iniquus Iudex, siue Princeps iniquum fecit iudicium *contra Christum, viuorum iudicem & mortuorum. Utinam & modò in noua lege Ecclesiastica dignitates, & sacramenta per munera ab aliquibus ex ambitione non emerentur! De quo vide fusiùs* V. Ambitio *Tomo 1. Quòd si quaeras, an Dominus Papa propter plenitudinem authoritatis & potestatis, quam in Ecclesia habet, labem possit incurrere simoniae? Dicendum, quòd aliquorum opinio fuit, incurrere non posse, (praesertim cùm Ecclesiastica persona) quia res Ecclesiae, sua sunt. Sed apertè asserit Author, quòd* opinio B illa erronea est: *quinimmò ratione personae & status, grauiùs potest, quàm caeteri, simoniacè peccare. Quamuis enim in summo Ecclesiae capite crimen eiusmodi praesumi non debeat, docet nihilominus, quòd* Papa C potest incurrere vitium simoniae, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tantò in aliqua persona est grauius, quanto maiorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiae sint eius, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius ut domini & possessoris. (1. Cor. 4. *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur.*) Et ideò si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiae alicuius, non careret uitio simoniae. Et similiter etiam posset simoniam committere, recipiendo pecuniam ab aliquo laico, non de bonis Ecclesiae.

Emptio in Simonia ut plurimùm ex ambitione.

A ibid. lit. g. ibi, ad Caipham, & Io 18. l. 3. lit. b. ibi, Caiphas.

Qualis in Pontificibus Iudaeorum, Caipha praesertim.

Num summus Pontifex labem possit incurrere simoniae.

B 4 d. 25. 3. 3. ad 2.

C 2. 2. 100. 1. ad 7. In q. [illegible]

§ *Quoniam uerò cuilibet culpae non dum à Deo, sed ab humana lege, sua poena debetur: primò quidem simoniacus à iure Ecclesiastico priuatur eo, quod simoniacè acquisiuit, sacrilegè emendo: & qui uendidit, restituere tenetur munus aut pecuniam aut aliorum, quod simoniacè lucratus est.* Nullus *enim* potest D licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisiuit: puta, si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem & ordinationem Domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cuius Ecclesiarum Praelati sunt dispensatores & ministri, ordinauit ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Mat. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideò, qui muneris interuentu spiritualia quaecumque assequitur, ea licitè retinere non potest. Insuper autem simoniaci tam vendentes, quàm ementes spiritualia, & etiam mediatores, aliis poenis puniuntur, scilicet infamia, & depositione, si sunt clerici: & excommunicatione, si sint laici, ut habetur 1. q. 1. cap. *Si quis Episcopus.* Nec potest E simoniacus repetere pecuniam, quam turpiter dedit, licet alius iniustè detineat, *& ad restitutionem tenetur. Cui autem facienda restitutio sit? dicendum, quòd* pecunia F uel possessio, vel fructus simoniacè accepti debent restitui Ecclesiae, in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante, quòd Praelatus, vel alius de Collegio illius Ecclesiae fuerit in culpa, quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen, quòd quantum fieri potest, ipsi qui peccauerunt, inde commodum non consequantur.

Simoniaci poena qualis & quotuplex.

D 2. 2. l. c. 4. 6. & ad arg.

E Ibid. ad 1.

Cui restituenda simoniacè acquisita.

F ibid. ad 4.

Si verò Praelatus & totum Collegium fuit in culpa, tunc debet cum authoritate superioris, uel pauperibus, uel alteri Ecclesiae erogari. *Et haec quidem iusta simoniaci poena est,* ut per quae peccat quis, per haec & torqueatur, *ut dicitur* Sap. 11. *Ita Giezi, quia pecuniam acceperat à Naaman Syro pro lepra curatione, quam Eliseus Dominus suus gratis à Deo impetrauerat, eadem lepra iustè percussus est* 4. Reg. 5. Lepra Naaman adhaerebit tibi & semini tuo, usque in sempiternum. *Quòd si purè mentalis fuerit simonia, poena quidem fit quis obnoxius apud Deum, non tamen apud Ecclesiam, quae de exterioris (ut mune) tantummodo iudicat.* Quoad G Deum *autem* sola uoluntas facit simoniacum (*unde & simonia dicitur* studiosa uoluntas emendi &c.) sed quoad poenam Ecclesiasticam exteriorem, non punitur ut simoniacus, ut scilicet abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione poenitere. *Porrò in materia simoniae paruitas materiae non uidetur admitti: nam quamuis habeatur extra de simonia Cap.* Etsi quaest. *quòd* licet H iudici spirituali aliquod munus accipere pecuniae, uel alicuius huiusmodi: *hoc dicitur, quia* Ecclesiae I iudicium est quantum ad exteriora. Et quia non est probabile, quòd animus iudicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum propter paruo munere: ideò in paruis muneribus iudici datis, non iudicat simoniam committi. Sed apud Deum, qui cor uidet, simonia est & in paruis & in magnis muneribus si animus iudicis ex eis flectatur. *DISCE Simonem Petrum in amando, non magum* Simonem *in emendo imitari. Vide,* Ambitio, Clericus *Tomo 1, & fusè apud Summistas.*

Giezi iustè lepra percussus.

G ibid. ad 6.

An detur paruitas materiae in simonia.

H 4. d. 25. 3. 3. arg. 1.

I ibid. in resp. ad 1. & 2. 2. 100. 6. ad 6.

SOBRIETAS.

IX. *Vigilemus, & sobrij simus*, 1. Thess. 5. *Vigilemus* per solicitudinem; & ad hoc est necessarium, quòd *sobrij simus*, ut & corpus, & mens sint sobria, idest non occupata voluptatibus, & curis Mundi. *1. ad Thess. 5. lect. 1. ibi.*

g NOmen L sobrietatis sumitur à mensura. Dicitur enim aliquis sobrius, quasi *briam* idest *mensuram*, seruans (*unde ex opposito* ebrius *quis dicitur quasi* extra mensuram:) & ideò illam materiam specialiter sibi sobrietas adscribit, in qua maximè laudabile est mensuram seruare. Huiusmodi autem est potus inebriare valens, quia eius usus mensuratus multùm confert, & modicus excessus multùm laedit, quia impedit usum rationis, magis etiam, quàm excessus cibi (*circa quem uirtus attendit ur abstinentia.*) Et ideò specialiter sobrietas attenditur circa potum, non quemcumque, sed eum qui sua fumositate natus est caput conturbare, sicut uinum & omne quod inebriare potest. *Vnde benè dicitur Eccli.* 31. Aequa vita hominibus uinum in sobrietate. Si bibas illud moderatè, eris sobrius. *E contrario:* Quae vita est ei, qui minuitur vino? Quid defraudat uitam? mors. (*Discant ebriosi.*) *Et quia* potus M inebrians habet specialem rationem impediendi usum rationis, inquantùm scilicet perturbat cerebrum sua fumositate; ideò ad remouendum hoc impedimentum rationis, requiritur specialis uirtus, quae est sobrietas. *Quae quidem ex eo quòd* est N circa ea, quae sunt propriè concupiscibilis, dicitur esse in concupiscibili, sicut in subiecto. *Est autem ad rectè viuendum uirtus haec omnibus necessaria. At uerò*

L 2. 2. 149. 1. & 141. 1. 0. Virt. 1. 4. [illegible]

Sobrius unde dicatur.

Sobrietas circa quid sit.

M 2. 2. 149. 2.

Specialis est virtus

Subiectatur in concupiscibili.

N Virt. 1. 4 [illegible] e.

P 2.2. l. c. a. 4. c. & 1. Tim. 2. l. 2.

Omnibus diuersimodè necessaria.

aliqua P virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione. *Vno modo*, vt pote magis necessaria ad propriam operationem ipsorum: & ita quia vinum immoderatè sumptum præcipuè impedit vsum rationis, ideò senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem (Tit. 2. *Senes vt sobrii sint:*) & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente deuota debent spiritualibus officijs insistere: & Regibus, qui per Sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur. *Aliomodo* in aliquibus magis requiritur, quia in eis est maior pronitas ad concupiscentias, quas oportet per virtutem refrænari: & ad vitia, quæ per virtutem tolluntur. Et secundùm hoc, sobrietas maximè requiritur in iuuenibus, & mulieribus; quia in iuuenibus viget concupiscentia delectabilis propter feruorem ætatis (Tit. 2. *Iuuenes similiter hortare, vt sobrii sint:*) in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis, ad hoc quòd concupiscentijs resistant: (1. Tim. 3. *Mulieres similiter pudicas, sobrias &c*) Vnde secundùm Valerium Maximum mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. *Eapropter de his dicebat, monendo Apostolus* 1. *Tim.* 2. Cum verecundia & sobrietate ornantes se: *Tum quia moderatè, & ad mensuram debent ornamenta adhibere, tum quia* sobrietas Q est maximum ornamentum mulierum: *tum quia* in mulieribus R ratio est debilis; sobrietas autem conseruat virtutem rationis: & ideò in mulieribus maximè reprehenditur ebrietas: *tum quia* porus S superfluus est causa luxuriæ, & præcipue vinum, quod calefacit & mouet, Prou. 20. *Luxuriosa res vinum.* Vnde hortabatur Apostolus Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ex quo* 1. Tim. 3. *vult Episcopum esse* vnius vxoris virum, sobrium &c. *Quòd nimirùm* duo T sunt, quæ faciunt sanctitatem, scilicet castitas & sobrietas (quæ sunt V partes subiectiuæ temperantiæ:) quia per delectabilia carnis maximè anima inquietatur. *Nolite* inquam *inebriari vino*: quia X ebrietas est principium vitiorum *omnium: sublata quippe recta rationis vsu, tollitur omnis virtus, omne introducitur vitium & peccatum contra diuinam legem: quod innuere voluit Diuus* Basilius, *cum ait:* Quas tabulas Dei digito conscriptas Moysi ieiunium accepit, has ebrietas contriuit, *vt habetur Ex.* 32.

Iuuenibus & mulieribus præsertim.

Sobrietas maximum ornamentum mulieris.

Q 1. Tim. 3. l. 2. ibi, sobrias.

R Ibid. cap. 2. l. 2. fi.

Ebrietas ex opposito in eis detestabilis.

S Eph. 5. l. 7. ibi, vino.

Vinum causa luxuriæ, superfluè potatum.

T 1. Tim. 3. l. 1. ibi.

Castitas & sobrietas faciunt sanctitatem.

V 3. d. 33. 3. 2. q. 2. c.

X ad Tit. 2. l. 1. fi.

h *Quòd si* ebrietas est principium vitiorum: *sobrietas ex opposito omnes fouet virtutes, non tantùm vt specialis est virtus, sed prout sumitur pro generali quadam humanorum actuum exteriorum moderatione & mensura.* Communiter *enim* sumendo Y nomen sobrietatis, potest in quacumque materia dici. *Et quia* omnia Z quæ ad temperantiam propriè pertinent, necessaria sunt præsenti vitæ, & eorum excessus nocet: ideò in omnibus necessarium est adhibere mensuram, quod pertinet ad officium sobrietatis. Propter hoc nomine sobrietatis temperantia significatur: ad quam A sobrietas reducitur tanquam pars eius. *Vnde & ab Apostolo sobrietas pro discretione vsurpatur* 2. *Tim* 4. Ministerium tuum imple, sobrius esto. *Vbi* sobrietas B ponitur pro discretione; *quæ secundùm D. Antonium* genitrix C est & custos, & moderatrix virtutum. *Et ad Tit.* 2. *pro nostrorum generali mensura actuum exteriorum eam accipit, cum ait:* Vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. *Sobriè* quantùm D ad se: *iustè* ad proximum: *piè* ad Deum. *Sobriè* ad se, quasi scilicet mensuratè: *Bria* enim est mensura. Et hoc est, si homo cum mensura rationis vtatur exterioribus rebus, & proprijs passionibus. Vnde hic sobrietas accipitur pro quolibet mensurato vsu rerum exteriorum & interiorum passionum. *Idcirco dicitur Sap.* 8. Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus. *Eodem quoque sensu ad sobrietatem hortabatur & Apostolus Petrus in sua* 1. *cap.* 5. Sobrij estote, & vigilate. *Sobrii estote*: sobrietas enim E multùm iuuat, si habeatur in omnibus actibus nostris, tam verbis, quàm factis, & in maceratione corporis. *Et vigilate*: vbi præponit sobrietatem vigilijs, vt causam effectui, secundùm illud *Luc.* 21. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ. *Cui item respondet cohæretque Paulus, ad vtrumque exhortans* 1. *Thess.* 5. Vigilemus & sobrij simus. *Vigilemus* per F sollicitudinem, & adhoc est necessarium, quòd *sobrii simus*, vt & corpus & mens sint sobria, idest non occupata voluptatibus & curis Mundi. *Quod aiebat initio Author.* DISCE sobriè *tibi viuere*, iustè *proximo*, piè *Deo*. *Vide* Abstinentia *Tomo* 1. Gula, Ieiunium *Tomo* 2. Mulier.

Y 2.2. 149. 1. fi. c.

Z Ibid ad 2.

A 2. d. 44. 2. 1. ad 3.

Pro discretione vsurpatur.

B 2. Tim. 4. l. 1. fi.

Quid hæc sit.

C 3. d. 33. 2. 1. initio.

Pro generali moderatione in exterioribus ab Apostolo accipitur.

D Tit. 2. l. 3. ibi.

Et ab Apostolo Petro.

E 1. Pet. 5. 5. 3. ibi.

F 1. Thess. 5. l. 1. ibi.

SOCIETAS. *Vide* Collegium *Tomo* 1. Ecclesia *Tomo* 2.

SODOMIA. *Vide* Luxuria.

SOLERTIA. *Vide* Consilium *Tomo* 1.

SOMNIVM. *Vide* Diuinatio *Tomo* 2.

SOMNVS. / SOPOR.) *Vide* Adam *Tomo* 1.

SORS. *Vide* Clericus *Tomo* 1. Diuinatio, Electio *Tomo* 2.

SPECTACVLVM. *Vide* Curiositas *Tomo* 1.

S P E S.

X. Existimatio ardui excitat attentionem; existimatio verò possibilis non retardat conatum: vnde sequitur, quòd homo intentè operetur propter spem. 1. 2. 40. 8. *corp.*

1 DE *spe & vt passio est, loqui possumus, & vt virtus. Præsenti numero de passione Spei: sequenti de virtute sermo erit. Quoad primum, præmittamus oportet, quòd appetitus sensitiui duæ potissima assignantur vires, Concupiscibilis nimirùm, & Irascibilis, quæ sunt passionum animæ fontes duæ.* Necesse G est enim, quòd in parte sensitiua sint duæ appetitiuæ potentiæ. Vna, per quam animal simpliciter inclinatur ad prosequendum ea, quæ sunt conuenientia secundùm sensum, & ad refugiendum nociua: & hæc dicitur *Concupiscibilis*. Alia verò, per quam animal resistit impugnantibus, quæ conuenientia impugnant, & nocumenta inferunt: & hæc vis vocatur *Irascibilis*. Vnde dicitur, quòd eius obiectum est arduum; quia scilicet tendit adhoc, quòd superet contraria, & superemineat eis. *Et ita* irascibilis H ad conseruationem concupiscibilis ordinatur, vt scilicet propter difficultatem interuenientem delectatio conueniens non prætermittatur. Et ideò dicit *Damascenus* in 2. lib. de Fide, quòd *ira est audax concupiscentia vindex.* Et pro-

Concupiscibilis & Irascibilis, appetitus sensitiui vires duæ, passionum animæ fontes.

G 1. p. 81. 2. c. & 1. 2. 23. 1. & 2. 2. 129. 1. ad 1 in 3 d. 26. 1. 2. Ver. 25. 2. Ma. 8. 3. Virt. 4. 2. An. a. 13. fi. c.

H 3. d. 26. 1. 2. ad 5. & 1. 2. 23. 1. ad 1. & 2. 2. 50 4 c. & 108. 2. c. Ver. 25. 2. c.

Irascibilis propugnatrix est concupiscibilis.

Et propter hoc etiam Philosophus *in lib. de Animal.* dicit, quòd animalia pugnant ad inuicem propter cibum, & propter coitum: quia circa has delectationes præcipuè est concupiscibilis. *Porrò* in concupiscibili I tres sunt coniugationes passionum: scilicet amor & odium; desiderium & fuga; gaudium & tristitia. Similiter in irascibili sunt tres: scilicet spes, & desperatio, timor & audacia, & ira, cui nulla passio opponitur: sub quibus omnes animæ passiones continentur. Et *quidem* si L ordinem omnium passionum secundùm viam generationis scire vellimus: primò occurrunt amor & odium. Secundò desiderium & fuga. Tertiò spes & desperatio. Quartò timor & audacia. Quintò ira. Sextò & vltimò gaudium & tristitia, quæ consequuntur ad omnes passiones, vt dicitur *in 2. Ethic.* ita tamen, quòd amor est prior odio, & desiderium fuga, & spes desperatione, & timor audacia, & gaudium quàm tristitia. *Ex quibus omnibus* quatuor M passiones communiter principales esse dicuntur: quarum duæ, scilicet gaudium & tristitia, principales dicuntur; quia sunt completiuæ & finales simpliciter respectu omnium passionum; vnde & ad omnes passiones consequuntur, vt dicitur in 2. *Ethic.* Timor autem & spes. sunt principales, non quidem quasi completiuæ simpliciter, sed quia sunt completiuæ in genere motus appetitiui ad aliquid. Nam respectu boni incipit motus in amore, & procedit in desiderium, & terminatur in spe: respectu verò mali incipit in odio, & procedit ad fugam, & terminatur in timore. Et ideò solet harum quatuor passionum numerus accipi secundùm differentiam præsentis & futuri; motus enim respicit futurum, sed quies est in aliquo præsenti. De bono igitur præsenti est gaudium, de malo præsenti est tristitia: de bono futuro est spes, de malo futuro est timor. Omnes autem aliæ passiones, quæ sunt de bono vel malo, præsenti vel futuro, ad has completiuè reducuntur. *Et hinc liquet, quòd* spes N est prima inter omnes passiones irascibilis.

I 1.2.23.4 ſ. c.
Vtriusque passiones quę.
Earum ordo.
L 1.2.25.3 ſ. c.
M ib. a.4.c. Ver. 26.3. ad 10 & a.5.c.
Ex his quatuor principales, ad quas cæteræ reducuntur.
N 1.2.25.3 c. & a.23.4.c. & 2.2. 141.7. ad 3. In 3.d. 26. 1. 4.c.

I *Præcipuè plenioris notitiæ sciendum, quòd* sperare O importat motum quendam appetitiuæ virtutis, tendentem in bonum, non quidem vt iam habitum, sicut gaudium & delectatio, sed tanquam assequendum; sicut etiam desiderium & cupiditas. Differt tamen spes à desiderio in duobus. Primò quidē, quia desiderium est communiter cuiuscumque boni; & ideò attribuitur concupiscibili: spes autem est boni ardui, quod difficile est assequi; & ideò attribuitur irascibili. Secundò quia desiderium est alicuius boni absolutè absque consideratione possibilitatis & impossibilitatis illius: sed spes tendit in aliquod bonum, sicut in id, quod est possibile adipisci; importat enim in sui ratione quandam securitatem adipiscendi. Sic ergo in obiecto spei quatuor considerantur. Primò quidem, quòd sit bonum, per quod differt à timore. Secundò quòd sit boni futuri, per quod differt à gaudio vel delectatione. Tertiò quòd sit boni ardui, per quod differt à desiderio. Quartò quòd sit boni possibilis, per quod differt à desperatione. *Ex quo sequitur, quòd* spes P desiderium præsupponit: vnde ad hoc, quòd aliquid sit sperandum, requiritur, quòd sit desideratum: quæ enim non desiderantur, sperari non dicuntur, sed timeri, vel etiam despici. *Vnde & spes* Q supra desiderium addit quendam conatum, & quandam eleuationem animi ad consequendum bonum arduum. *Cæterùm* quamuis R omnis operatio potentiarum animæ, quæ per sua obiecta in actum reducuntur (sicut & intellectus possibilis, sensus, & appetitus) possint dici passiones: tamen propriè loquendo, passio est in operationibus appetitus sensitiuæ partis, secundùm quod *Damascenus* dicit in 2. lib. quòd *passio est motus appetitiuæ virtutis sensibilis; qui est in imaginatione boni vel mali;* Spes autem dicit extensionem appetitus in illud, quod appetibile est. Inuenitur autem non solùm in hominibus, sed etiam in alijs animalibus. Quod patet: quia inueniuntur animalia operari propter aliquod bonum futurum, æstimatum possibile (per S instinctum scilicet naturæ, qui dicitur æstimatio;) sicut aues faciunt nidum propter filiorum educationem: nec propter finem aliquid facerent, nisi in finem illum, quasi eis possibilem, tenderent: quia naturalis appetitus non est impossibilium. Similiter etiam patet, quòd vnum animal aggreditur aliud nonnisi ex spe victoriæ. Patet ergo, quòd spes sit in appetitu sensitiuæ partis, quæ nobis & brutis communis est. *Et quidem in irascibili:* omnis enim T passio, de cuius intellectu est appetitus in bonum vel conueniens simpliciter, est in concupiscibili: omnis autem passio, de cuius intellectu est appetitus in bonum cum circumstantia difficultatis, est in irascibili. Spes autem importat motum appetitus in aliquod bonum commensuratum appetenti: non enim est de bono tanto, ad quod nullo modo possit peruenire; nec iterum de tam paruo, quòd pro nihilo habeatur: sed de eo, quod est possibile haberi; & tamen est difficile ad habendum, propter quod dicitur arduum. Vnde patet, quòd spes, secundùm quod est passio, est in irascibili.

Spes inter passiones irascibilis prima.
O Virt.4 1.c. & 1.2.40.1. & 2.2.144.1. c. In 3.d.26.1. a.2. & 4.
A desiderio in duobus differt.
Quatuor in obiecto spei considerada.
Spes desiderium supponit.
P Op.3 p.2.c. 7. In 3.d.26.q.2. 3. q.2.c.
Quid supra illud addat.
Q 1.2.25.1.c.
R 3.d.26.1.1. & 2.c. & 1.2. 40 a.2. & 3. c. Virt.4.2.c.
Spes (sicut & omnis passio) est in appetitu sensitiuo.
S Ib. ad 4.
T 3.d.26.1.2. ſ.c. & q.2.2. ad 1. & a.3 q. 2.c. & 1.2.q. 59. 1. ad 2. & 1.2. 40. 1. in sed cōtra in corp. & ad 3. Ma 11. 3. ad 6. Virt.4. 1.c.
Et spes quidē in irascibili.

m *Tria porrò præcipuè enumerantur, quæ consueuerunt spem vt plurimùm causare: experientia videlicet, iuuentus, & ebrietas. Quocirca sciendum quoad primum, quòd* spei V obiectum (vt *præmissum est*) est bonum futurum arduum, possibile adipisci. Potest ergo aliquid esse causa spei, vel quia facit homini aliquid esse possibile: vel quia facit eum existimare, aliquid esse possibile. *Primo modo* est causa spei omne illud, quod auget potestatem hominis, sicut diuitiæ & fortitudo, & inter cætera etiam experientia. Nam per experientiam homo acquirit facultatem aliquid de facili faciendi, & ex hoc sequitur spes. Vnde *Vegetius* dicit in lib. de re milit. *Nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit. Alio modo* est causa spei omne illud, quod facit alicui existimationem, quòd aliquid sit sibi possibile: & hoc modo & doctrina & persuasio quælibet potest esse causa spei. Ex quo in senibus X est defectus spei propter experientiam, in quantùm experientia facit existimationem impossibilis. *At verò* iuuentus Y est causa spei propter tria, vt Philosophus dicit *in 2. Rhet.* Et hæc tria possunt accipi secundùm tres conditiones boni, quod est obiectum spei: quod est futurum, & arduum, & possibile. Iuuenes enim multum habent de futuro, & parum de præterito: & ideò, quia memoria est præteriti, spes autem futuri, parùm habent de memoria, sed multùm viuunt in spe. Iuuenes etiam propter caliditatem naturæ habent multos spiritus, & ita in eis cor ampliatur: ex amplitudine autem cordis est, quòd aliquis ad ardua tendat. Et ideò iuuenes sunt animosi & bonæ spei. Similiter etiam illi, qui non sunt passi repulsam, nec experti impedimenta in suis conatibus, de facili reputant aliquid sibi possibile: vnde & iuuenes propter inexperientiam impedimentorum, & defectuum, de facili reputant aliquid sibi possibile, (ea *enim* ratione Z inexperientia est causa spei quasi per accidens, qua experientia, causa est defectus spei, *vt in senibus;* quia per experientiam fit homini existimatio, quòd aliquid non sit sibi possibile, quod possibile existimabat) & ideò sunt bonæ spei. Duo etiam istorum sunt in ebrijs, scilicet caliditas & multiplicatio spirituum propter vinum: & iterum inconsideratio periculorum, vel defectuum. Et propter eandem

Quænam spem causent.
V 1.2.40.5.c. & 42.5. ad 1.
X 1.2.40.5. ad 2.
An Senecta & iuuentus.
Y 1.2.40.6.c.
Z 1.2.40.5. ad 3. & in corp. & a.6. ad 3. & q.45.3.
An ebrietas & stultitia.

dem rationem etiam omnes stulti, & delibera- tione non utentes, omnia tentant: & sunt bonæ spei. *Et licet* A in iuuenibus, & in ebrijs non sit firmitas, & certitudo secundùm rei ueritatem, (*quam spes importat*:) est tamen in eis secundùm eorum æstimationem: reputant enim se firmiter assecuturos illud, quod sperant. Et similiter iuuenes & ebrij habent quidem infirmitatem secundùm rei veritatem: sed secundùm eorum existimationem, habent potestatem, quia suos defectus non cognoscunt.

A 1.2.40.a.6. ad 1.& 2. & q. 45.3. ad 2.

n *Habita verò spes delectationem causat. Nec obstat, quòd dicatur, Prov.* 13. Spes quæ differtur, affligit animam: *Siquidem* spes B non affligit animam, sed magis est causa delectationis, in quantùm facit rem speratam quodammodo esse præsentem secundùm fiduciam adipiscendi. Vnde & Apostolus dicit Rom 13. *Spe gaudentes* (facit enim C spes hominem gaudentem ratione certitudinis, sed tamen affligit ratione dilationis.) Dilatio ergo rei speratæ est, quæ quandoque affligit: *non spes*. Spes *enim* delectationem D facit. & hæc delectatio non est in concupiscibili, sed in irascibili. Quælibet enim potentia appetit sibi conueniens, & de eo delectatur: bonum autem arduum, ex hoc ipso, quòd est possibile adipisci, conueniens est irascibili. *Quia uerò nonnisi de re amata, delectatio est: cum spes delectationem causet, eam uidetur præcedere amor & causare. Nihilominus & amoris causa spes est, si consideremus, quòd* spes E duo respicere potest: respicit enim, sicut obiectum, bonum speratum. Sed quia bonum speratū est arduum possibile, aliquando autem fit aliquod arduum possibile nobis, non per nos, sed per alios: ideò spes etiam respicit illud per quod fit nobis aliquid possibile. In quantùm igitur spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur; non enim est spes nisi de bono desiderato & amato. Sic amor causatur ex spe, & non è conuerso. Ex hoc enim, quòd per aliquem speramus nobis posse prouenire bona, mouemur in ipsum, sicut in bonum nostrum: & sic incipimus ipsum amare. Ex hoc autem, quòd amamus aliquem, non speramus de eo, nisi per accidens, in quantùm scilicet credimus nos redamari ab ipso. Vnde amari ab aliquo facit nos sperare de eo: sed amor eius causatur ex spe, quam de eo habemus. *Igitur* respectu F huius, à quo se sperat posse consequi bonum, primò quidem spes præcedit amorem, quamuis postea ex ipso amore spes augeatur. Per hoc enim, quòd aliquis reputat, per aliquem se posse consequi aliquod bonum, incipit amare ipsum, & ex hoc ipso, quòd ipsum amat, postea fortiùs de eo sperat. *Ex quo deducitur, quòd spes multùm confert ad operandum*. Spes *enim* per se G habet, quòd adiuuet operationem, intendendo ipsam. Et hoc ex duobus. Primò quidem ex ratione sui obiecti, quod est bonum arduum possibile: existimatio enim ardui excitat attentionem; existimatio uerò possibilis non retardat conatum: unde sequitur, quòd homo intentè operetur propter spem: (*quod asserebat initio Author*.) Secundò uerò ratione sui effectus: spes enim (*ut uisum est*) delectationem causat, quæ adiuuat operationem: *& hoc* ex parte H eiusdem agentis, non quidem directè: quia Philosophus dicit *in* 10. *Ethic. quòd perficit operationem delectatio, non sicut medicus sanum, sed sicut sanitas*: indirectè autem, in quantùm scilicet agens, quia delectatur in sua actione, vehementiùs attendit ad ipsam, & diligentiùs eam operatur. Et secundùm hoc dicitur in 10. *Ethic. cit.* quòd delectationes adaugent proprias operationes, & impediunt extraneas. *Hinc dicebat Apostolus* 1. *Cor.* 9. Debet in spe qui arat arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi, *Quandoquidem ut dicitur* 2. *Tim.* 2. Laboriosum agricolam oportet primùm de fructibus percipere. *Nec valet, quòd immoderatè desperatio videtur operationem iuuare, in rebus præsertim bellicis, secundùm illud* 2. *Reg.* 2. Periculosa est desperatio. *Etenim* desperatio I in bello fit periculosa propter aliquam spem adiunctam. Illi enim, qui desperant de fuga, debilitantur in fugiendo, sed sperant mortem suam uindicare: & ideò ex hac spe acriùs pugnant, unde periculosi hostibus fiunt. *Idcirco profanus ille*:

Spes delectationē causat. B Virt. 4.1. ad 13. & 1.2.32. 3 ad 2 & 40 8. ad 2. In 1.d.1. exp. tex. In 3. d.26.2.5.q.3. ad 1.

Soluitur obiectio. C Rom 12.l.2. ibi.

D 3 d 26. 1.2. ad 3.

Delectatio hæc est in irascibili.

E 1.2.40.7. c. & 62.4.ad 3. & 2.2.17.8.c.

An spes possit esse amoris causa.

Duo respicit.

F 1.2.62.4.ad 3 & 27.4.ad 3.

Confert ad operandum. G 1.2.40.8.c.

H 1.2.33.4.fi.c. & locis ibi.cit.

Quomodo delectatio operationem perficiat.

Soluitur obiectio. I 1.2.40.8.ad 3.

Vna salus uictis, nullam sperare salutem.

Et hinc docemur, quòd audacia L consequitur ad spem. Ex hoc enim quòd aliquis sperat superare terribile imminens, ex hoc audacter insequitur ipsum. Ad timorem uerò sequitur desperatio: ideò enim aliquis desperat, quia timet difficultatē, quæ est circa bonum sperandum. *Et licèt* audacia M sit circa malum, cui coniunctum est bonum victoriæ secundùm æstimationem audacis: tamen respicit malum; bonum verò adiunctum respicit spes: Et similiter desperatio respicit directè bonum, quod refugit: malum uerò adiunctum respicit timor. Vnde propriè loquendo, audacia non est pars spei, sed eius effectus: sicut nec desperatio est pars timoris, sed effectus eius.

Ad spem sequitur audacia, & ad timorem desperatio. L 1.2.45.2 fi c. M Ibi. ad 3.

o *Igitur* audacia N consequitur spem, & contrariatur timori. Vnde quæcumque nata sunt causare spem, uel excludere timorem, sunt causa audaciæ, siuè quantùm ad prouocationem spei, siue quantùm ad exclusionem timoris. Vno quidem modo ex parte appetitivi motus: alio verò modo ex parte transmutationis corporalis. Ex parte quidem appetitivi motus, qui sequitur apprehensionem prouocatur spes, causans audaciam, per ea, quæ faciunt nos æstimare, quòd possibile sit adipisci victoriam: uel secundùm propriam potentiam, sicut fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, & alia huiusmodi: siue per potentiam aliorum, sicut multitudo amicorum, vel quorumcumq; auxiliantium, & præcipuè si homo confidat de diuino auxilio: (Vnde illi, qui se bene habent ad diuina, audaciores sunt, ut etiam Philosophus dicit *in* 2. *Rhet.* Et Apostolus 2. Cor. 5. *Audentes igitur semper &c.* Et cap. 11. *In quo quis audet, audeo & ego.*) Timor autem excluditur secundùm istū modū per remotionē terribilium appropinquantium: putà quia homo non habet inimicos, quia nulli nocuit: quia non uidet aliquod periculum imminere. Illis enim videntur maximè pericula imminere, qui aliis nocuerunt. Ex parte uerò transmutationis corporalis causatur audacia per prouocationem spei, & exclusionem timoris, ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor; unde Philosophus dicit *in lib. de partibus animalium*, quòd illi, qui habent parvum cor secundùm quantitatem, sunt magis audaces: & animalia habentia magnum cor secundùm quantitatem, sunt timida; quia calor naturalis non tantum potest calefacere magnum cor, sicut paruum: sicut ignis non tantū potest calefacere magnam domum, sicut paruam. Et *in lib. de problem.* dicit, quòd habentes magnum pulmonem sanguineum, sunt audaciores propter caliditatem cordis exinde consequentem. Et ibidem dicit, quòd uini amatores sunt magis audaces propter caliditatem uini; unde & ebrietas (*ut uisum est*) facit ad bonitatē spei; caliditas enim cordis repellit timorem, & causat spem propter cordis extensionem & amplificationem. *Hactenùs de spe, ut passio quædam est. De uirtute spei*, Num. sequentibus. DISCE *bene sperare, ne mala spes te confundat. Vide* Fortitudo, *Tomo* 2. Timor.

N Ibid. a. 3. c. & ad arg.

Audacia opponitur timori.

Quænam audaciam causent & timorem excludant, siuè ex parte appetitiui motus, siue ex parte transmutationis corporalis.

XI. Per

X I. Per spem reuocamùr à malis, & inducimur ad bona prosequenda: & ideò sublata spe, irrefrænatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. 2. 2. 20. 3. *corp.*

O 3. d. 26. 2. 1. ad 3.
Spes multipliciter dicitur.

P VT *clariùs hac in materia procedamus, praenotandum, quòd* spes O multis modis dicitur. Quandoque enim nominat passionem: & sic non est virtus. Quandoque nominat habitum inclinantem ad actum voluntatis similem spei, quæ est in parte sensitiua, quæ est passio: & sic est virtus. Quandoque verò nominat ipsum actum, & sic est actus virtutis. Quandoque autem nominat rem speratam, ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem*: & sic est obiectum virtutis. Quandoque autem nominat certitudinem, quæ consequitur spem, Rom. 5. *Probatio verò spem*, idest spei certitudinem: & sic nominat statum perfectionis in virtute, quantùm ad certitudinis intensionem. *Et sic habemus, quòd* Spes P secundùm quod est passio, non est virtus, sed secundùm quod est in appetitu intellectiuæ partis. Nec aliarum passionum nomina ita conuenienter ad virtutes transumi possunt, sicut nomen spei: quia spes dicitur in ordine ad bonum; & propter hoc importat motum appetitus in bonum tendentis, & habet quandam similitudinem cum intentione & electione boni, quæ requiruntur in omni virtute. *Proinde veram spes virtutis rationem habet. Nam* secundùm Q Philosophum *in 2. Ethic.* Virtus vniuscuiusque rei est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Oportet ergo, vbicumque inuenitur aliquis actus hominis bonus, quòd respondeat alicui virtuti humanæ. In omnibus autem regulatis, & mensuratis, bonum consideratur per hoc, quòd aliquid propriam regulam attingit. Sicut dicimus, vestem esse bonam, quæ nec excedit nec deficit à debita mensura. Humanorum autem actuum duplex est mensura. Vna quidem proxima & homogenea, scilicet ratio. Alia autem suprema & excedens, scilicet Deus. Et ob hoc omnis actus humanus attingens ad rationem, aut ad ipsum Deum, est bonus. Actus autem spei, de qua nunc loquimur, attingit ad Deum: obiectum enim spei est bonum futurum arduum possibile haberi. Possibile autem est aliquid nobis dupliciter. Vno modo per nosmetipsos: alio modo per alios, vt patet *in 3. Ethic.* In quantum ergo speramus aliquid vt possibile nobis per diuinum auxilium, spes nostra attingit ipsum Deum, cuius auxilio innititur. Et sic patet, quòd spes est virtus, cum faciat actum hominis bonū, & debitam regulam attingentem. *Et quidem virtus ex hoc Theologica est. Quocirca ex præmissis supponimus, quòd* spes R de ratione sua dicit extensionem appetitus in aliquid arduum, quod non omninò excedit facultatem sperantis. Ea enim, quæ excedunt, & velut excedentia apprehenduntur, desperationem magis quàm spem faciunt. Vnde secundùm quod inest alicui facultas in aliquod arduum secundùm hoc est inclinatio in illud. Et ideò in illud arduum, quod proportionatur facultati naturæ sensitiuæ, inclinatio sensitiui appetitus spem facit, quæ est passio. In illud verò arduum, quod proportionatur naturæ intellectiuæ, inclinatio illius facit spem, quæ est actus voluntatis. Sed quia est aliquod arduum, quod excedit facultatem naturæ, ad quod homo per gratiam potest peruenire, scilicet ipse Deus, in quantùm est nostra beatitudo: ideò oportet, quòd ex aliquo dono gratuito, naturæ superaddito, fiat inclinatio in illud arduum, & illud donum est habitus spei. Et quia habet obiectum ipsum Deum, ideò oportet, quòd sit virtus Theologica. Et ideò in diffinitione spei, quam Magister ponit (scilicet *est certa expectatio, futuræ beatitudinis, ex gratia & meritis proueniens*) exprimitur tota ratio spei, secundùm quod est virtus Theologica. *Expectatio* enim, propriè loquendo, dicit extensionem appetitus in aliquod arduum. *Certa* autem dicit completionem prædictæ extensionis, & quasi determinationem. Et in hoc completur ratio spei absolutè. Obiectum autem, quod facit spem esse Theologicam virtutem, est *futura beatitudo*. Illud autem, vnde est facultas perueniendi in finem istum, est *gratia & merita*, siue accipiatur gratia pro diuina liberalitate, siue pro dono gratuito.

P Ibid. ad 1. Virt. 4. 1. ad 5. & 6.
Vt passio non est virtus, sed vt est in appetitu intellectiuo.
Magis propriè, quàm aliis passionibus, attribuitur ei esse virtutem.
Q 2. 2. 17. 1. 6. in 3. d. 26. 2. 1. & ad Hann. ib. q. 1. 1. Virt. 4. 1.
Cuius veram habet rationem:
Humanorum actuum mensura duplex.
Spes, virtus Theologica.
R In 3. l. c. a. 2. c. & 2. 2. l. c. a. 5. Virt. l. c. ad 2.
Et habitus infusus.
Eius ex Magistro diffinitio.

q *Verùm cum* S dicitur spes esse *expectatio futuræ beatitudinis ex gratia & meritis proueniens, dupliciter* potest intelligi. *Vno modo*, vt expectatio intelligatur ex meritis prouenire ex parte expectantis, vt scilicet expectatio talis causetur in homine ex præcedentibus meritis: & hic sensus falsus est. *Alio modo* potest intelligi expectatio esse ex meritis ex parte rei expectatæ; & hic est sensus verus. Expectamus enim, quòd per gratiam Dei & bona merita, beatitudinem consequamur. *Neque spei impropria putanda est expectatio, ex eo quòd in fidei symbolo dicitur*: Expecto resurrectionem mortuorum. *Siquidem* expectatio T ponitur in symbolo fidei, non quia sit actus proprius fidei, sed in quantùm actus spei præsupponit fidem: & sic actus fidei manifestatur per actus spei. (*Hinc Apostolus Rom. 8.* Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? *Etenim*, quia V spes ex fide quodammodo oritur, attribuit spei opus illud, quod est fidei, scilicet esse de non visis.) *Et alibi cohærenter*: Fides X dicitur expectare, in quantùm est origo expectationis, ostendendo illud, quod est expectandum, ex se possibile acquiri. *Cum autem dictum sit, quòd spes habet pro obiecto Deum, id cum distinctione intelligendum.* Spes *enim* adipiscendi Y vitam æternam, habet duo obiecta, scilicet ipsam vitam æternam, quam quis sperat: & auxilium diuinum, à quo sperat. Sicut etiam fides habet duo obiecta, scilicet rem, quam credit, & veritatem primam, cui correspondet. Sicut igitur formale obiectum fidei est veritas prima, per quam, sicut per quoddam medium, assentit his, quæ creduntur, quæ sunt materiale obiectū fidei: ita etiam formale obiectum spei est auxilium diuinæ potestatis, & pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum spei. Sicut ergo ea, quæ creduntur materialiter, omnia referuntur ad Deum, quamuis aliqua eorū sint creata, sicut quòd credimus omnes creaturas esse à Deo, & Corpus Christi esse à Filio Dei assumptum in vnitatem personæ: Ita etiam omnia, quæ materialiter sperantur, ordinantur in vnum finale speratum, quod est fruitio Dei. In ordine enim ad hanc fruitionem speramus adiuuari à Deo non solùm spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficijs. *Hinc, licèt* idem Z secundùm rem sit obiectum omnium virtutum theologicarum, differt tamen secundùm rationem: quia in quantùm est primum verum, est obiectum Fidei: in quantùm est summum bonum, est obiectum charitatis: in quantùm est altissimum arduum, est obiectum spei. *Elucet proinde discrimen inter magnanimitatem & spem. Nam* magnanimitas A est circa arduum, quod consistit in rebus humanis, non circa arduum, quod est Deus. Vnde non

S Virt. loco cit. in 3 d. 26. 2. 1. ad 3. & 2. 2. 17. 5. ad 3. Rom. 8. l. 5. ibi, spe.
Præfatæ diffinitionis verus sensus.
Expectatio, spei propria.
T 2. 2. 17. 6. ad 2.
Cur in symbolo fidei dicatur: Expecto etc.
V Rom. 8. l. 5. ibi.
X 3. d. 26. 2. 3. q. 1. ad 3.
Spei obiecta duplex, sicut & fidei: formale & materiale.
Y Virt. 4. 1. f. c. et a. 4. c. et 2. 2. 17. 2 et 2. ad 4. Ps. 30. lis. 4.
Z 3 d. 26. 2. 2. q. 1. ad 1. ibid. 4. 2. ad 4.
Virtutum Theologicarum idem obiectum secundùm rem, sed, ratione differens.
A 2. 2. 17. 5. ad 4.
In quo spes differat à magnanimitate, quæ est circa arduum.

non eſt virtus theologica ; ſed moralis, participans aliquid à ſpe. *Item* magnanimitas B tendit in arduum, ſperans aliquid, quod eſt ſuæ poteſtatis; vnde propriè reſpicit operationem aliquorum magnorum: ſed ſpes, ſecundùm quod eſt virtus Theologica, reſpicit arduum, alterius auxilio aſſequendum; (*vt præmiſſum eſt*.) Alterius *inquam* auxilio aſſequendum, *nempe Dei, ex quo firmitas ſpei, & certitudo eſt. Nam* ſpes C ſupra expectationem addit certitudinem, vt patet per diffinitionem in litera poſitam.

B 2.2. 17. 5. ad 4.

Spes ſupra expectationem addit certitudinem.

C 3. d.26. 1. 3. ad 1. et q 2. a. 1. et 2. c.

D Op. de er. Pr. l.2. c. 4.

Cui ſpes innitatur.

E Ibid, cap. 5. et Op. 2. cap. 1.

r Spes *igitur* quaſi D duabus baſibus innititur, ſcilicet Dei liberalitati, ſeruientes ſibi, vt decet, remuneranti: & Dei iuſtitia promiſſa ſoluenti. Et *iterum*: Spes E Omnipotenti innititur, & iuxta fontem bonitatis plantata eſt. Ex hoc, quòd omnipotenti innititur, habet ſecuritatem & fortitudinem. Ex hoc, quòd eſt iuxta fontem bonitatis, habet bonorum vbertatem. De primo dicitur Pſ. 124 *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion &c.* & ſubdit: *Dominus in circuitu populi ſui*. Iſ. 26. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale*. Murus eſt virtus diuinitatis, antemurale eſt meritum humanitatis: & vtrum quo facit ad ſecuritatem noſtram, Pſ. 17. *Protector eſt omnium ſperantium in te*. Ex hoc quòd ſpes eſt iuxta fontem bonitatis, abundanter influit ei bona, Thren. 3. *Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum*, & Pſ. 31. *Sperantem autem Domino miſericordia circumdabit*. Spes, arbor benedicta eſt, fructus vberes habens, cum à miſericordia Dei abundanter irrigetur, Ier. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius*. Et ſtatim ſubditur: *Et erit quaſi lignum, quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit, cum venerit æſtus*. Spes in præſenti tempore, quæ eſt quaſi quædam vigilia ſolemnitatis æternæ, habet quaſi iuge conuiuium, cum ſecuritatem habeat. *Vnde dicitur Prou.* 15. Secura mens, quaſi iuge conuiuium. *Et in hoc differt diuina, ſiue infuſa ſpes ab humana. Nam ſuper illud de Abraham Rom.* 4. Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, *docemur*, *quòd* ſpes F importat certam expectationem boni futuri: quæ quidem certitudo eſt quandoque ex cauſa humana, ſiue naturali, ſecundùm illud 1. Cor. 9. *Debet in ſpe qui arat arare*: quandoque verò certitudo expectantis eſt ex cauſa diuina, ſecundùm illud Pſ. 30. *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum*. Quòd ergo *Abraham* (inquit Apoſtolus) *fieret pater multarum gentium*, certitudinem habebat ex parte Dei promittentis: ſed contrarium apparebat ex cauſa naturali, ſiue humana (*quæ fallax eſt*;) ideò dicit: *qui contra ſpem*, ſcilicet cauſæ naturalis vel humanæ, *in ſpem credidit*, ſcilicet diuinæ promiſſionis. *Firmitas autem hæc ſpei noſtræ, atque certitudo, ex fide, quam ſupponit, deriuatur*. Sicut *enim* virtutes G morales, certiùs arte dicuntur operari, in quantùm per modum naturæ mouentur à ratione ad ſuos actus; ſic etiam ſpes (quamuis in voluntate ſit) certitudinaliter tendit in ſuum finem, quaſi participans certitudinem à fide, quæ eſt in vi cognoſcitiua. *Ex fide inquam prouenit certitudo ſpei, & ex fide præſertim humanitatis Chriſti*. Per H hoc *etenim*, quòd Deus factus eſt homo, ſpes datur homini, vt peruenire poſſit ad perfectæ beatitudinis participationem, quam ſolus Deus naturaliter habet. Homo enim ſuam infirmitatem cognoſcens, ſi ei promitteretur, quòd ad hanc beatitudinem perueniret (*cuius vix Angeli ſunt capaces*) quæ ſcilicet in viſione Dei & fruitione conſiſtit; vix hoc ſperare poſſet, niſi ex alia parte ſibi dignitas naturæ humanæ oſtenderetur, quam tanti æſtimat Deus, vt pro eius ſalute fieri homo voluerit: & ſic per hoc, quòd Deus factus eſt homo, ſpem nobis dedit, vt etiam homo poſſet peruenire ad hoc, quòd vniretur Deo per beatam fruitionem. *Vnde & 1. Pet. 1. dicitur*: Secundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit vos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hereditatem incorruptibilem &c. *Hinc Apoſtolus ad Hebr. 6.* Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. *Quo loci* comparat I ſpem ipſi anchoræ, quæ ſicut in mari nauem immobilitat, ita ſpes animam firmat in Deo in hoc Mundo, qui eſt quaſi quoddam mare, Pſ. 103. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus &c.* Iſta tamen anchora debet eſſe ſecura, vt ſcilicet non deficiat, vnde fit de ferro, 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem &c.* Item debet eſſe firma, vt ſcilicet non citò à naui remoueatur: ita homo debet alligari illi ſpei, ſicut anchora naui alligatur. Eſt autem differentia inter anchoram & ſpem; quia anchora in imo figitur, ſed ſpes in ſummo, ſcilicet Deo. Nihil enim in præſenti vita eſt firmum, vbi poſſet anima firmari, & quieſcere. Vnde Gen. 8. dicitur, quòd *columba* (*Cant. 2.* Veni columba mea) *non inuenit vbi requieſceret pes eius*. Et ideò dicit Apoſtolus, quòd debet *incedere vſque ad interiora velaminis*: per Sancta enim, quæ erant in tabernaculo, intelligit ſtatum præſentem Eccleſiæ; ſed per Sancta ſanctorum, quæ per velum diſtinguebantur à ſanctis, intelligit ſtatum futuræ gloriæ. In illo ergo vult, quòd figatur anchora ſpei noſtræ, qui eſt modò velatus ab oculis noſtris, Iſ. 64. *Oculus non vidit, Deus, abſque te quæ præparaſti expectantibus te* (*per virtutem vtique ſpei*.) Hanc ibi fixit præcurſor noſter Ieſus, qui ibi ingreſſus eſt, Io. 14. *Vado parare vobis locum*. Et ideò dicit, quòd ipſe tanquam *præcurſor pro nobis introiuit vſque ad interiora velaminis*, & ibi fixit ſpem noſtram, ſicut dicitur in collecta in vigilia, & in die Aſcenſionis. Et quia intra velum non licebat intrare niſi ſummo ſacerdoti, vt habetur, *Leu. 16.* ideò dicit, quòd *introiuit Ieſus Pontifex factus in æternum*. *Quòd ſi quis obiiciat, quomodo præſciti, ſpes certa ſit. Reſpondet Author, quòd* quamuis L præſcitus non ſit habiturus vitam æternam in rei veritate, & ita non ſit ei futura; eſt tamen ei futura quantùm ad ſuam æſtimationem; aliàs autem non ſperaret. Et iterum in quantùm eſt in ordine diuinæ largitatis, & poſſibilitatis ipſius, vel ad recipiendam gratiam, vel merendum. Sicut dicitur illud futurum, ad cuius euentum ſunt cauſæ ordinatæ in natura, quamuis nunquam eueniet, ſecundùm quod dicit Philoſophus *in 2. de Generat*. Quòd futurus quis incedere, non incedet. *Sanè* quòd aliqui M habentes ſpem, deficiant à conſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arb. ponentis obſtaculum peccati; non autem ex defectu diuinæ potentiæ vel miſericordiæ, cui ſpes innititur. Vnde hoc non præiudicat certitudini ſpei.

Spes diuina, ſiue infuſa, habet certitudinem ex Dei promiſſione, non ita humana, quæ fallax eſt.

F Rom. 4. l. 3. ibi, contra ſpem.

Spei certitudo ex fidei firmitate.

G 2. 2. 18. 4. fi. c et 2. Cor. 1 l. 5. ibi, ſignauit

Chriſti humanitatis percipuè.

H Op 3. c. 5. fi.

Cur ſpes anchoræ comparetur ab Apoſtolo.

I Hebr. 6. l. 4. fi.

Nihil in hoc Mundo firmum.

Quomodo præſciti ſpes certa ſit.

L 3. d. 26. exp. tex.

M 2.2. 18. 4. ad 3.

s *Porrò ſpem hanc* (*non minùs, quàm fidem & charitatem*) *ad ſalutem hominum neceſſariam oſtendit Pſaltes Pſ. 16., cum ait*: Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. *Et Apoſtolus Rom. 8.* Spe ſalui facti ſumus. *Vnde & cap. 5. præmiſerat*: Per quem (*Chriſtum*) habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. *Enim verò* habita N fide, adhuc remanet animæ motus ad aliud ſcilicet ad videndum perfectè veritatem, quam credit, & aſſequendum ea, per quæ ad veritatem huiuſ-

Virtutis ſpei neceſſitas ad ſalutem.

N Op. 3. p. 2. cap 1. et 4 et 3 con. G. c. 153.

modi

modi poterit introduci. Sed quia inter cætera fidei documẽta vnum est, vt credatur Deus prouidentiã de rebus humanis habere: insurgit ex hoc in animo credentis motus Spei; vt scilicet bona, quæ naturaliter desiderat, vt edoctus ex fide, per eius auxilium consequatur. Vnde post fidem ad perfectionem Christianæ vitæ spes necessaria est. *Sicut igitur ad salutem necessaria fides est & charitas: ita & Spes. Nam* duplicem O habemus coniunctionem, siue communicationem cum Deo. Vna est, quantùm ad bona naturæ, quæ hîc participamus ab ipso. Alia quantùm ad beatitudinem, in quantùm hîc sumus participes per gratiam supernæ felicitatis, secundùm quod hîc est possibile, & speramus ad perfectam consecutionem illius peruenire. Secundùm primam communicationem ad Deum, est amicitia naturalis, secundùm quam vnumquodque secundùm quod est, Deum, vt causam primam, & summum bonum, appetit, & desiderat, vt finem suum. Secundùm verò communicationem secundam est amor charitatis, qua solùm creatura intellectualis Deum diligit. Quia verò nihil potest amari, nisi sit cognitum, ideò ad amorem charitatis exigitur primò cognitio Dei: & quia hoc est supra naturam, primò exigitur fides, quæ est non apparentium. Secundò, ne homo deficiat vel aberret, exigitur spes, per quam tendat in illum finem, sicut ad se pertinentem. Et de his tribus dicitur Eccli. 2. *Qui timetis Deum, credite illi*, quantùm ad fidem. *Qui timetis Dominum, sperate in illum*; quantùm ad Spem. *Qui timetis Dominum, diligite illum*, quantùm ad charitatem. Vnde Apostolus 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.*

O 1. Cor. 13. fi. cap.

Et ratio affertur nedum de spei necessitate, sed & charitatis & fidei

Causa autem, quare non faciat mentionem de omnibus donis, sed de istis tribus tantùm, est: quia hæc tria coniungunt nos Deo: alia autem non coniungunt Deo, nisi mediantibus istis. Alia etiam dona, sunt quædam dispositiones ad gignendum ista tria in cordibus hominum. *Ex quo trium harum virtutum necessitas innotescit.*

Cur de spe in Decalogo non detur præceptum. Præceptorum alia de substantia legis, alia ad legem præambula. P 2.2.22.1.c. & q 16.1.c. & 3. con G.c.118.

¶ *Cum autem spei virtus necessaria sit: cur de illa diuinum in lege præceptum non datur? Et dicendum: quòd* præceptorum P quæ in Sacra Scriptura inueniuntur, quædam sunt de substantia legis; quædam verò sunt præambula ad legem. Præambula quidem sunt ad legem illa, quibus non existentibus lex locum habere non potest. Huiusmodi autem sunt præcepta de actu fidei, & de actu spei: Quia per actum fidei mens hominis inclinatur, vt recognoscat actorem legis talem, cui se subdere debeat: per spem verò præmij homo inducitur ad obseruantiam præceptorum. Præcepta verò de substantia legis sunt, quæ homini iam subiecto, & ad obediendum parato imponuntur, pertinentia ad rectitudinem vitæ. Et ideò huiusmodi præcepta statim in ipsa legislatione proponuntur per modum præceptorum. Spei verò & fidei præcepta non erant proponenda per modum præceptorum: quia nisi homo iam crederet & speraret, frustra ei lex proponeretur. Sed sicut præceptum fidei proponendum fuit per modum denunciationis, & commemorationis: (*vnde Ex.* 20. id Q quod est fidei, præmittitur ante legis præcepta, cum dicitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*. Et Deut. 6. præmittitur: *Audi Israel; Dominus Deus tuus, Dominus unus est*: & postea statim incipit agere de præceptis.) Ita etiam præceptum spei in prima legislatione proponendum fuit per modum promissionis. Quod enim obedientibus præmia promittit, ex hoc ipso incitat ad Spem: vnde omnia promissa, quæ in lege continentur, sunt spei excitatiua. Sed quia, lege iam imposita, pertinet ad Sapientes viros, vt non solùm inducant homines ad obseruantiam præceptorum, sed etiam multò magis ad conseruandum legis fundamentum: ideò post primam legislationem in Sacra Scriptura multipliciter inducuntur homines ad sperandum, etiã per modum admonitionis vel præcepti, & non solùm per modum promissionis, vt in lege: sicut patet in Psal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi*: & in multis alijs scripturæ locis. *Et quia* præcepta R legis Decalogi pertinent ad primam legislationem: ideò inter ea non fuit dandum præceptum aliquod de spe, sed sufficit per aliquas promissiones positas ad spem inducere, vt patet in primo & quarto præcepto. *Quoniam verò spem ad vim irascibilem diximus pertinere; non ideò in ea asserimus, ut virtutis habitum, subiectari, sed in voluntate. Nam* habitus S per actus cognoscuntur. Actus autem spei est quidam motus appetitiuæ partis, cùm sit eius obiectum, bonum. Cum autem duplex sit appetitus in homine, scilicet appetitus sensitiuus, qui diuiditur per irascibilem & concupiscibilem: & appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas; illi motus, qui sunt in appetitu inferiori, sunt cum passione, in superiori autem sine passione. Actus autem virtutis spei non potest pertinere ad appetitum sensitiuum: quia bonum, quod est obiectum principale huius virtutis, non est aliquod bonum sensibile, sed bonum diuinum. Et ideò spes est in appetitu superiori, qui dicitur voluntas, sicut in subiecto: non autem in appetitu inferiori, ad quem pertinet irascibilis. *Cæterùm & ipsa* T voluntas potest dici irascibilis, prout vult impugnare malum, non ex impetu passionis, sed ex iudicio rationis: & eodem modo potest dici concupiscibilis propter desiderium boni. Et sic in irascibili & concupiscibili dicuntur esse charitas & spes: idest in voluntate, secundum quod habet ordinem ad huiusmodi actus, *quasi consimiles*.

Q 2.2.16.1.c.

R 2.2.22.1. ad 2.

Spei virtutis habitus in quo subiectetur. S 2.2.18.1.c. & 1.p.59.4 ad 3. In 3.d.26.1.5. & q.2.2. ad 1. Virt.1.5.fi.c. & ad 12. & q.4.4.2.

T 1.p.82.5. ad 2. Ver.25.3 ad 5.

u *Ex his omnibus sequitur. Primò quòd in Christo non fuit Spes, ut virtus Theologica est.* Spes enim in quantùm V est virtus theologica, habet pro obiecto ipsum Deum, cuius fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem: sed ex consequenti ille, qui habet virtutem spei, potest etiam in alijs diuinum auxilium expectare: (sicut & ille, qui habet virtutem fidei, non solùm credit Deo de rebus diuinis, sed de quibuscumque alijs diuinitùs sibi reuelatis.) Christus autem à principio suæ conceptionis plenè habuit fruitionem diuinam, & ideò virtutem spei non habuit. Habuit tamen spem respectu aliquorum, quę nondum erat adeptus, licèt non habuerit fidem respectu quorumcumque, quia licèt plenè cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo; non tamen adhuc plenè habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, putà immortalitatem & gloriam corporis, quam poterat sperare. *Vnde & in persona Christi prophoticè dicitur Ps.* 15. Caro mea requiescet in spe: *in spe scilicet* X *resurrectionis, ad immortalitatem nimirùm, & gloriam corporis adipiscendam. Sequitur cohærenter secundò, in beatis spem minimè locum habere.* Subtracto enim eo Y quod dat speciem rei, resoluitur species, & res non potest eadem remanere: sicut remota forma corporis naturalis, non remanet idem secundùm speciem. Spes autem recipit speciem à suo obiecto principali, sicut & cæteræ virtutes. Obiectum autem principale eius est beatitudo æterna, secundùm quod est possibilis haberi ex auxilio diuino. Quia ergo bonum arduum possibile non cadit sub ratione spei, nisi secundùm quod est futurum: ideò cum beatitudo iam non fuerit futura, sed præsens, non potest ibi esse virtus spei. Et ideò spes, sicut & fides, euacuatur in Patria, & neutrum eorum in beatis esse potest. *Sequitur tertiò, quòd spes neque in dæmonibus,*

An in Christo fuerit spes. V 3 p.7.4.c. & locis ibi cit. & 2.2.18.2. ad 1. Ps.15. lit. a Ps. 30 lit. a fi.

X Ps.15. lit. g.

Y 2.2.18.2.c. et 1.2.67.a.4. et 5. In 3 d.26. 2.5.q.2. et d.31. 2.1.q.2 et 3. Virt 4.4.

An sit in beatis.

Num in damnatis & dæmonibus.

nibus neque in aliis damnatis admittenda est. Vt enim præmisimus, spes Z fundatur super facultatem perueniendi ad illud, quod speratur, vel verum vel æstimatam. In dæmonibus autem, & damnatis non est facultas ad beatitudinem perueniendi neque in rei veritate, neque in eorum æstimatione, quia suæ damnationis ignari non sunt: & ideò in eis spes futuræ beatitudinis esse non potest. *Nec oppositum suadet, quòd de diabolo dicitur Iob* 14. Spes eius frustrabitur. *Etenim* hoc A dicitur de diabolo secundùm membra eius, quorum spes annullabitur. (*Ita* Greg. 33. *Moral.*) Vel si intelligatur de ipso diabolo, potest referri ad spem, qua sperat de sanctis victoriam obtinere. Hæc autem non est spes, de qua loquimur. *Vel dicendum, quòd* spes B ibi impropriè sumitur pro expectatione dilationis iudicii. Vnde de Christo dicebant *Mat.* 8. Venisti huc ante tempus torquere nos. *Sequitur quartò, & vltimo, quòd* illi C qui sunt in Purgatorio, & Patres, qui erant in limbo, habebant spem: quia spes non euacuatur, nisi secundùm, hoc, quòd aliquis habet actu id, quod sperauit: (sicut fides euacuatur per id, quod videt illud, quod credidit.) Illi autem, qui in limbo Patrum erant, & qui modò sunt in Purgatorio, nondum habent beatitudinem, de qua est spes; ideò spes eorum, quam in hac vita habebant, non est euacuata. *Et quamuis dicatur, Prou.* 13. Spes, quæ differtur, affligit animam: *nihilominùs* dilatio D spei antiquis Patribus non faciebat afflictionem, quia afflictionis capaces non erant. Vel dicendum, quòd quamuis spes ratione absentiæ sperati afflictionem faciat, tamen ratione certitudinis delectationem facit (*vt visum est.*) Et quia certitudo spei in eis deficere non poterat: ideò delectatio, quæ ex certitudine causabatur, absorbebat omnem afflictionem, quæ ex absentia contingere posset. *Ita & purgantes animas non spes (quæ immò delectationem causat ex certitudine) sed rei speratæ angit dilatio & affligit, vt & Num. praeced. praenotatum est.*

Z 3. d. 26. 2. 5. q. 4. c. & 2. 2. 18. 3.

A 2. 2. l. c. ad 3

B In 3. loco cit. ad 1.

An in patribus Limbi, et in animabus purgantibus.

C In 3. l. c. a. 5. q. 3. c

D Ibid. ad 1. Virt. 4. 1. ad 13

X *Quemadmodum verò fides admittitur informis, sic pariter & spes; hoc est, sine charitate, quæ (vt hic supponimus) omnium est forma virtutum.* Cum enim E fidei opus sit, credere Deo; credere autem sic, alicui propria voluntate assentire: si non debito modo velit, non erit fidei opus perfectum. Quòd autē debito modo velit, hoc est per charitatem, quæ perficit voluntatem: omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit, vt dicit Augustinus *in* 14. *de Ciu. Dei*: & sic fides est quidem sine charitate, sed non perfecta virtus; sicut temperantia, vel fortitudo sine prudentia. Et similiter dicendum est de spe. Nam actus spei est expectare futuram beatitudinē à Deo, qui quidem actus perfectus est, si fiat ex meritis, quæ quis habet, quod non potest esse sine charitate. Si autem hoc expectet ex meritis, quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere; erit actus imperfectus: & hoc potest esse sine charitate. Et ideo fides & spes possunt esse sine charitate; sed sine charitate, propriè loquendo, virtutes non sunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, vt non solùm secundùm ipsam aliquod bonum operemur, sed etiam bene, vt dicitur *in* 2. *Ethic. Et hinc est, quòd licèt fides, spes, & charitas habeant Deum pro obiecto, per peccatum tamen amittitur charitas; non ita fides, & spes. Nam* charitas F importat vnionem quandam ad Deum, non autem fides, neque spes. Omne autem peccatum consistit in auersione à Deo: & ideò omne peccatum mortale contrariatur charitati. Non autem omne p.m. contrariatur fidei, vel spei, sed quædam determinata peccata, per quæ habitus fidei, vel spei tollitur (*vt sunt infidelitas & desperatio:*) sicut & per omne p.m. tollitur habitus charitatis. *Quòd si obiicias, virtutes morales infusas non posse sine charitate esse; igitur nec fidem, aut spem:* Respondetur, *quòd* virtutes G morales dependent à prudentia: prudentia autem infusa nec rationem prudentiæ habere potest absque charitate, vt pote deficiente debita habitudine ad primum principium, quod est vltimus finis. Fides autem & spes secundùm proprias rationes nec à prudentia, nec à charitate dependent; & ideò sine charitate esse possunt, licèt non sint virtutes sine charitate, vt dictum est. *Cum hac tamen distinctione, quòd* fides H informis nullo modo facit tendere in Deum, sicut facit spes etiam informis aliquo modo. *Etenim* spes I informis quamuis non sit ex amore, est tamen ex desiderio; *nam* actus L fidei præcedit desiderium, quia omnis actus affectiuæ potentiæ præsupponit actum cognoscitiuæ: desiderium autem præcedit spem. *Et ita aliquo modo spes facit tendere in Deum. In quem singulæ tres theologicæ virtutes: vt perfectæ virtutes sunt, diuersimodè tendunt, & ei inhærent.* Charitas *enim* facit M hominem Deo inhærere propter se ipsum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris. Spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio ex quo aliqua nobis proueniunt. Ex Deo autem prouenit nobis & cognitio veritatis & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantùm est nobis principium cognoscendi veritatem: credimus enim, ea vera esse, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantùm scilicet per spem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.

Fides et spes possunt esse informes.

E 1. 2. 65. 4. c. & 71. 4. In 3. d. 26. 2. 3. q. 2. Virt. 2. 6. c. & ad 10.

F 2. 2. 24. 12. ad 5. In 3. d. 31 1. 1. ad 8. Virt. loco cit. & a. 13

G 1. 2. 65. 4. ad 1.

H 3. d. 26. 2. 5. q. 4. ad 2.

I Ibid. a. 3. q. 2. ad 2.

Spes etiam informis aliquo modo facit tendere in Deum, fides informis nullo modo.

L Ibid. fi. corp.

Tres theologicæ virtutes diuersimodè in Deum tēdunt, et ei inhærent.

M 2. 2. 17. 6. c. & 23. 6. c. In 3. d. 26. 2. 3. q. 1. c. & ad 3. Virt. 2. 3. c.

Quem verò ordinem teneant inter se virtutes istæ: dicendum, quòd duplex N est ordo, scilicet generationis & perfectionis. Ordine quidem generationis, quo materia est prior forma, & imperfectum perfecto, in vno & eodem fides præcedit spem, & spes charitatem secundùm actus: nam habitus simul infunduntur. Non enim potest in aliquid motus appetitiuus tendere, vel sperando, vel amando, nisi quod est apprehensum sensu aut intellectu. Per fidem autem apprehendit intellectus ea, quæ sperat & amat: vnde oportet, quòd ordine generationis fides præcedat spem & charitatem. Similiter autem ex hoc homo aliquid amat, quòd apprehendit illud, vt bonum suum: per hoc autem, quòd homo ab aliquo sperat, se bonum consequi posse, reputat ipsum, in quo spem habet, quoddam bonum suum; vnde ex hoc ipso quòd homo sperat de aliquo, procedit ad amandum ipsum: & sic ordine generationis secundùm actus spes præcedit charitatem. Ordine verò perfectionis charitas præcedit fidem, & spem, eo quòd tam fides, quàm spes per charitatem formatur, & perfectionem virtutis acquirit. Sic enim charitas est mater omnium virtutum, & radix, in quantùm est omnium virtutum forma: *vt suo loco visum est. Et hoc facit quod dicitur Mat.* 1. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob: *per quos, tres praefatæ virtutes signantur.* Moraliter *quippe* designatur O fides per Abraham, iustificatum ex fidei iustitia. Alibi enim ipse principium dicitur fidei, Rom. 4. *Vt sit pater omnium credentium.* Per Isaac spes, quia interpretatur *risus*, Rom. 12. *Spe gaudentes.* Per Iacob charitas, qui duxit duas vxores. *Liam* (quæ interpretatur *laborans*, siue *laboriosa*) & Rachel; idest duas vitas, quæ sunt in charitate secundùm duo præcepta: Contemplatiua enim delectatur in Deo; actiua autem est, per quam subuenitur proximo. *Vnde secundùm glossam interlinearem*, Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob: *idest* Fides P genuit spem; spes charitatem: *qui est inter has virtutes generationis ordo praefatus.*

N 1. 2. 62. 4. c. & 2. 2. 17. a. 7. & 8. In 3. d. 23. 2. 5. et d. 26. 2. 3. q. 1. c. Virt. 4. 3.

Quem teneāt ordinē inter se.

Per Abraham, Isaac, et Iacob mysticè designantur.

O Mat. 1. lit. a ibi.

P Virt. 4. a. 3. in 1. sed contra, et 2. 2. 17. 7. in sed cōtra

y *Et quamuis peccata, hisce virtutibus opposita, sint cæteris grauiora; & inter hæc minoris videatur reatus, quod opponitur spei, scilicet desperatio: docemur nihilominùs, quòd* virtutibus Q theologicis opponuntur infidelitas, desperatio, & odium Dei: inter quæ odium Dei & infidelitas, si de-

Peccata his virtutibus opposita, cæteris grauiora.

Q 2. 2. 20. 3.

Desperatio periculosior, si nō grauior culpa, quàm infidelitas et odium Dei.

desperationi comparentur, inueniuntur secundùm se quidem, idest secundùm rationem propriæ speciei grauiora. Infidelitas, enim prouenit ex hoc quod homo ipsam Dei ueritatem non credit. Odium uerò Dei prouenit ex hoc, quod uoluntas hominis ipsi diuinæ bonitati contrariatur. Desperatio autem ex hoc, quòd homo non sperat, se bonitatem Dei participare. Ex quo patet, quòd infidelitas & odium Dei sunt contra Deum, secundum quod in se est. Desperatio autem, secundùm quod eius bonum participatur à nobis. Vnde maius peccatum est, secundùm se loquendo, non credere Dei ueritatem, uel odire Deum, quàm non sperare consequi gloriam ab ipso. Sed si comparetur desperatio ad alia duo peccata ex parte nostra, sic desperatio est periculosior, quia per spem reuocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda: & ideò sublata spe, irrefrænatè homines labuntur in uitia, & à bonis laboribus retrahuntur: (*quod aiebat initio Author.*) Vnde super illud Pro. 24. *Si desperaueris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua*, dicit glossa: *Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus huius uitæ laboribus, & quod peius est in fidei certamine constantiam perdit*. Et Isidorus dicit *in lib. de summo bono*: Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ est; sed desperare, est descendere in Infernum. *Sicut infelici contingit proditori de sua desperanti salute*, ut abiret in locum suum (*Act. 1.*) *ut uidelicet in Infernum descenderet*. Diffidens, R siue desperans de Deo, similis est Cain: Caput habet tremulum, uagus & profugus est, procella tentationis à terra uiuentium proiectus, eo quòd non habeat anchoram spei qua retineatur. Desperatio peccatum est in Spiritum sanctum: Vnde super illud Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear*, dicit glossa. Desperatio est blasphemia in Spiritū Sanctum, quæ non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro: quia aut putant Deum nolle dimittere, aut non posse, tanquam aut omnia non possit, aut inuideat saluti. *Ad eruditionem porrò nostram, illud obseruatione dignū quòd duo sunt uitia, ex quibus consueuit desperatio prouenire: luxuria nimirùm, & acedia. Siquidem* obiectum S spei est bonum arduum, possibile adipisci uel per se uel per alium. Dupliciter ergo potest in aliquo spes deficere de beatitudine obtinenda. Vno modo, quia non reputat eam, ut bonum arduum alio modo, quia non reputat eam, ut possibilem adipisci uel per se, uel per alium. Ad hoc autem, quòd bona spiritualia non sapiant nobis quasi bona, uel non uideatur nobis quasi magna bona, præcipuè perducimur per hoc, quòd affectus noster est infectus amori delectationū corporaliū, inter quas præcipuæ sunt delectationes venereæ. Nam ex affectu harum delectationum contingit, quòd homo fastidit bona spiritualia, & non sperat ea quasi quædam bona ardua: & secundùm hoc desperatio causatur ex luxuria (*in qua non pauci vsque ad senectā & senium, & vsusque ad mortem inuoluti marcescunt, de quibus Soph. 1.* Visitabo super uiros defixos in fœcibus suis: *qui neglecta sacerdotum assistentia, inter manus, ne dicam inter amicorum amplexus, desperare efflant animam.*) Ad hoc autem, quòd aliquod bonum arduum non æstimet homo, ut possibile sibi adipisci per se, uel per alium, perducitur ex nimia animi deiectione, quæ quando in affectu hominis dominatur, uidetur ei, quòd nunquam possit ad aliquod bonum releuari. Et quia acedia est tristitia quædam deiectiua spiritus, ideo per hunc modum desperatio ex acedia generatur. Hoc autem est proprium obiectum spei, scilicet, quòd sit possibile: nam bonum & arduum etiam ad alias passiones pertinent. Vnde specialiùs oritur ex acedia: *& inter acediæ filias ideircò connumeratur, ut suo loco uisum est. Sed & acedia ex ipsa luxuria deriuatur: nil enim magis spiritum mentemque deiicit hominis, quàm usus venereorum*. Nihil T esse sentio (*aiebat August.*) quod magis ex arce deiiciat animū uirilē, quàm blandimenta fœminæ corporūque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.

Z *Igitur, ne in desperationem inducamur, tolenda potissimū nobis uirtus spei est, quippe quæ non minùs quàm charitas & fides ad spiritualē salutem necessaria: tamen à sacris præconibus tam frequenter ad fidei, & charitatis actus eliciendos, tam rarò ad spei firmitatem seruandam excitentur fideles. Duo sunt in uia Dei necessaria præcipuè sunt: spes uidelicet in Deo & Dei timor, Ps. 32.* Oculi Domini super metuentes eū, & in eis, qui sperant super misericordia eius. *Quia nimirū* respicit V Dominus super eos qui timorē habent & spem. Vnum enim sine altero non sufficit, quia timor sine spe desperat; & spes sine timore præsumit. Timor autē consurgit ex consideratione diuinæ potestatis, Ier. 10. *Quis non timebit te ô Rex gentiū?* Spes uerò consurgit ex Dei misericordia. Ex primo consurgit fuga peccati, ex secundo spes ueniæ. *Item Ps. 39.* Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. *Quibus in uerbis* notatur X ordo conuersionis. Primò enim oportet, quòd homo uideat illud, ad quod debet conuerti, unde dicit: *Videbunt multi*. Et hoc per fidē. Secundò oportet, quòd timeat illū, ad quem conuerti debet, unde dicit: *& timebunt*, Eccli. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari*. Tertiū est spes, Rom. 8. *Spe enim salui facti sumus*. Nisi enim adesset spes timori, homo fugeret à Deo. Et ideò oportet, quod sit timor, quo fugiat peccatū, & spes qua accedat ad Deū. Fructus autē erit beatitudo, *unde subdit*: Beatus uir, cuius est nomen Domini spes eius. *Ad gloriæ enim consecutionem dirigitur uirtus spei, nec tamen sine timore unam, ut dicitur Ps. 113.* Qui timent Dominū sperauerunt in Domino; *ex quo bene sequitur* Adiutor eorū & protector eorum est. *Ideircò inter metum & spem in uia Domini procedendum, ut securiùs salutem consequamur.*

Inter utrumque uola: medio tutissimus ibis.

Et quidem spes Y non solùm facit tendere in ipsum Deum, ut quoddam arduum consequendum, sed etiam ut ex ipso est auxilium in omnibus aliis arduis uel bonis acquirendis, uel malis uitandis. Vnde qui habet spem, sperat Deum consequi, sperat q; per ipsum omnia necessaria, quantumcumq; sint difficilia, obtinere sperat; omnia nociua, quantūcum q; sint difficilia, repellere. Et secundùm hoc spes est in homine principium omnium operationum, quæ ad bonum arduum ordinantur: Sicut charitas omniū, quæ in bonum tendunt; & sicut fides omnium, quæ ad cognitionem pertinent. *Proinde facit spes, & fortiter omnia sufferri aduersa; unde dicitur Is. 30.* In spe erit fortitudo vestra; *eo uidelicet sensu*, non quasi Z spes sit ipsa fortitudo, sed quia est principiū ipsius fortitudinis. *Hinc Apostolus 1. ad Thessal. 1.* Memores operis fidei uestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei D.N.I.C. *Quasi dicat*: Memores A fidei uestræ operantis & laborantis: item *charitatis*, in cuius operibus abundatis: item *Spei*, quæ facit patienter sustineri aduersa, Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*; & addit *sustinentiæ*, quam scilicet spes facit; *Spei* inquam D.N.I.C. idest quam habemus de Christo, uel quam Christus dedit nobis. *Et ad Rom. 5.* Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, *In quo* ostendit B uehementiam spei. Qui enim uehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia & amara: sicut infirmus, si vehementer sperat sanitatem, libenter bibit potionem amaram, vt sanetur per ipsam. Signum ergo vehementis spei, quam habemus, est quòd *non solùm gloriamur in spe* futuræ gloriæ, sed etiam de malis, quæ pro ipsa patimur; vnde dicit: *non solùm autem gloriamur*, scilicet in spe glo-

R Op. de er. Pe. 5.2.5.7. init.

Desperatio ex luxuria aut ex acedia o

S 2.2. 20.4.c.

Acedia, tristitia deiectiua spiritus.

T 2.2. 153. a. ad 2.

In uia Dei duo necessaria, timor & spes.

V Ps. 32. lit. q.

X Ps. 39. lit. h.

Y 3 d. 26. 2. 2. ad 2.

Spes principium omniū operationum quæ ad bonum arduum ordinantur.

Z Ibid. fi.

A 1. Thess. 1. l. 1. ibi.

Facit adversa patienter sustineri.

B Rom. 5. l. 1. ibi.

Et vniuersaliter bene operari.

spe gloriæ, *sed & gloriamur in tribulationibus*, per quas ad gloriam peruenimus, *Act. 14.* Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. *Qua quidem spe & Dauid munitus, dicebat Ps. 26.* Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. *Et Ps. 55.* In Deo speraui: non timebo quid faciat mihi homo: *sed & vniuersaliter facit spes hominem bene operari. Idque ex ratione sui obiecti, quod est bonum arduum possibile. Nam (vt supra vidimus)* existimatio C ardui excitat attentionem: existimatio verò possibilis non retardat conatum; vnde sequitur, quòd homo intentè operetur propter spem. *Idcircò Psaltes protestabatur Deo Ps. 118.* Inchinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem; *nimirùm in spe mercedis in beata Patria recipiendæ. Ex quo nec tam facilè peccant in Deo sperantes, Ps. 33.* Non delinquent omnes, qui sperant in eo. *Profectò & in hac vita initium quoddam gloriæ spes ipsa est; quæ ideò & pro eadem gloria vsurpatur, Colos. 1.* Propter spem, quæ reposita est vobis in Cœlis; *idest* propter D gloriam æternam, quæ ideò dicitur spes, quia pro certo custoditur. *Vnde Apostolus Rom. 5. supr. cit.* Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: *quia nimirùm* gloria E quæ in futuro in nobis complebitur, interim nunc in nobis inchoatur per spem, Rom. 8. *Spe enim salui facti sumus.* Spes quippe in hac F valle miseriæ hominem beatum facit, Ps. 33. *Beatus vir, qui sperat in eo.* Et Prou. 16. *Qui sperat in Domino, beatus est.* Omnes beatitudines illę quas ponit Saluator Mat. 5. *Beati pauperes &c.* Spei sunt. Spes in deserto huius Mundi deliciis affluit, secundùm illud Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Fides enim hominem in via regni cœlestis dirigit: sed, cum via illa sit ardua, necessaria est spes, quæ cum omnipotenti innitatur, hominem potentem ad perueniendum facit.

C 1.2.40.8.c.

In Deo sperantes non tã facile peccant

D Coloss. 1. l. 2. ibi.

Spes initium quoddam gloriæ futuræ

E Rom. 5. l. 1. ibi.

F Op. de cr. Pr. l. 2. cap. 5.

a *Cæterùm spes hæc debet esse viua (non mortua & informis) hoc est informata charitate, sicut & fides, 1. Pet. 1.* Regenerauit nos in spem viuam &c. *Hoc est* vt G spe viua speremus habere vitam æternam. Et dicit, *viuam*, ad differentiam illius, quæ degenerat in præsumptionem: item ad differentiam spei illorum, qui sperant bona peritura, & transitoria, quorum spes mortua, non viua est, *Sap. 3.* Vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. *Et ò vtinam spes hæc in fidelibus viua esset! nempè haud tam facilè mortifera, seu mortua opera admitterentur in dies.* Hæc autem H fiducia, quam homo habet de Deo, debet esse certissima. Agens enim à recta sui operis dispositione non recedit, nisi propter aliquem eius defectum. In Deo autem nullus defectus cadere potest, neque ignorantia, quia *omnia nuda & aperta sunt oculis eius*, vt dicitur *ad Hebræos 4.* neque impotentia, quia *non est abbreuiata manus eius*, vt saluare nequeat, vt dicitur *Is. 59.* neque iterum defectus bonæ voluntatis, quia *bonus est Dominus sperantibus in eum* vt dicitur *Thren. 3.* Et ideò spes, qua aliquis de Deo confidit, sperantem non confundit, Rom. 5. *Spes autem non confundit*: idest I non deficit, nisi homo ei deficiat. Ille enim dicitur à spe sua confundi, qui deficit ab eo, quod sperat. *Vnde Psaltes Ps. 30.* In te Domine speraui, non confundar in æternum: & *Eccli. 2.* Nullus sperauit in Domino, & confusus est. *Quam vt significaret spei certitudinem & firmitatem, dicebat Apostolus ad Hebr. 3.* Si fiduciam & gloriam spei, vsque ad finem firmam retineamus. *Ex quo instruimur, quòd quatuor exiguntur ad perfectam cuiusque spem.* Primò L quòd sit certa & permanens; & ideò dicit: *si fiduciam retineamus.* Fiducia enim

Debet esse viua, non mortua & informis, sicut & fides.

G 1. Pet. 1. §. 2. ibi.

H Op. 3. p. 2. c. 4.

Item certissima.

I Rom. 5. l. 1. ibi.

L Hebr. 3. l. 1. fi.

Quatuor ad spem requisita.

est spes cum expectatione firma, & sine timore, 2. Cor. 3. *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum.* Secundò quòd sit ordinatè disposita; & ideò dicit, *gloriam spei*, idest ad gloriam Dei ordinatæ, ita quòd contemptis aliis, gloriemur in spe gloriæ, Ier. 9. *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Tertiò quòd sit perseuerans, unde dicit, *vsque ad finem*, Mat. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quartò quòd sit firma, vt scilicet nulla aduersitate moueatur; vnde dicit, *firmam. Et ideò dicitur ad Hebr. 6.* Confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. *Talem procul dubio callebat spem Iob patientissimus. Hinc promebat cap. 19.* Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum &c. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Videlicet*, ad ostendendum M quòd hanc spem non solùm habebat in verbis, sed & in corde absconditam: non dubiam, sed firmissimam: non quasi vilem, sed quasi pretiosam. Quod enim in sinu absconditur, in occulto habetur, & firmiter conseruatur, & carum reputatur. *Et quidem spes hæc ad proprium habetur prouentum, ad impetrandam scilicet à Deo misericordiam, cui innititur*: Sperantem *enim* in Domino misericordia circumdabit, *vt dicitur* Ps. 31. *Ad mensuram siquidem spei diuina effunditur misericordia, vt petebat Dauid Ps. 32.* Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum sperauimus in te. *At verò iugiter adhoc, & indeficienter sperandum: quod idem faciebat Psaltes; propterea canebat Ps. 39.* Expectans expectaui Dominum: & intendit mihi, & exaudiuit preces meas. *Propria enim spei expectatio est.* Et ideò N dicit, *expectans expectaui*, vt ostendat continuationem: quia licet tardaret, non tamen defecit, Habac. 2. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet.* Et sic debet quilibet iustus semper in fiducia Dei manere, quia non deficit sperantibus in se. Expectationi adiungit intentionem, cum dicit: *& intendit mihi*; idest, ad vtilitatem meam. Signum autem fiduciæ est deprecatio: quia nullus finaliter rogat, nisi quia sperat exaudiri. *Et ideò dicit*, & exaudiuit preces meas.

Fiducia quid

Jobi spes imitanda.

M Iob. 19. l. 2. ibi.

Iugiter & indeficienter sperandum.

N Ps. 39. lit. a. ibi.

b *Nec plura sanè desunt motiua ad sperandum in Deo hominem excitantia. Et vnum quidem est*; quia O pertinemus ad ipsum sicut effectus ad causam; nihil autem in vanum operatur, sed propter aliquem finem certum. Pertinet igitur ad vnumquodque agens sic effectum producere, vt ei non desint, per quæ possit peruenire ad finem. Et inde est, quòd in his, quæ à naturalibus agentibus fiunt, natura deficere in necessariis non inuenitur, sed attribuit vnicuique generato quæ sunt necessaria ad consistentiam sui esse, & ad perficiendum operationem, quæ pertingat ad finem: nisi fortè hoc impediatur per defectum agentis, qui sit insufficiens ad hæc exhibenda. Agens autem per intellectum, non solùm in ipsa effectus productione ea confert suo effectui, quæ sunt necessaria ad finem intentum, sed etiam opere iam perfecto, disponit de vsu ipsius, qui est operis finis. Sicut faber non solùm cultellum fabricat, sed etiam disponit de incisione illius. Homo autem à Deo est productus, vt artificiatum ab artifice; vnde dicitur Is. 64. *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Et ideò, sicut vas fictile, si sensum haberet, sperare de figulo posset, vt benè disponeretur: ita etiam homo debet habere spem de Deo, vt rectè ab eo gubernetur. Vnde dicitur Ier. 18. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Et autem considerandum vlteriùs, quòd et si Deus respectu omnium creaturarum prouidentia dispositionis inuigilet:

Varia ad sperandum in Deo motiua excitantia.

O Op. 3. p. 2. c. 4. Rom. 5. l. 1. ibi, in spe gloriæ.

In ordine rationalium.

let ; speciali tamen ratione, curam habet de rationalibus ; quæ scilicet dignitate imaginis ipsius sunt insignitæ, & ad eum cognoscendum & amandum possunt pertingere, & suorum actuum dominium habent, vt boni & mali discretionem habentes. Vnde competit eis fiduciam habere de Deo, non solùm vt conseruentur in esse secundùm conditionem suæ naturæ (quod competit cæteris creaturis) sed etiam vt recedendo à malo, & operando bonum, aliquid promereantur ab ipso. Vnde in Ps. 35. dicitur: *Homines & iumenta saluabis, Domine*, in quantùm scilicet, hominibus, simul cum irrationabilibus creaturis confert ea, quæ pertinent ad subsidium vitæ; sed postea subdit: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, quasi speciali quadam cura protecti ab ipso.

In ordine gratiæ.

Vlteriùs autem considerari oportet, quòd perfectione quacumque naturæ accedente, supperadditur facultas aliquid faciendi, uel adipiscendi: sicut aer illuminatus à Sole, facultatem habet, ut possit esse medium uisionis; & aqua calefacta ab igne, facultatem habet decoquendi: & hoc sperare posset, si sensum haberet. Homini autem supra animæ naturam additur perfectio gratiæ, per quam *efficitur diuinæ consors naturæ*, ut dicitur 2. *Pet*. 1. Vnde & secundùm hoc dicimur regenerari in filios Dei, secundùm illud Io. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Filii autem effecti, conuenienter possunt hæreditatem sperare, secundùm illud Rom. 8. *Si filii & hæredes*. Et ideò secundùm hanc spiritualem regenerationem competit homini quandam altiorem spē, de Deo habere hereditatis scilicet æternæ consequendæ, secundùm illud 1. Pet 1. *Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in Coelis in nobis*, idest P pro vobis: uel *in nobis* futuram: uel *conseruatam* per id, quod *in nobis* est, scilicet per gratiam, & lib. arbitrium, & per bona merita vestra.

P 1. Pet. 1. § 2.
Alia ad idem motiua.
Q Op. de tr. Pr. l. 2. c. 5.

Sunt multùm Q debet mouere hominem ad sperandum in Deo, quòd Deus ad hoc frequenter eum monet. Vnde Augustinus: *Quare Dominus toties nos ad innitendum sibi moneret, si supportare nos nollet? Non est illusor Deus, ut se ad supportandum nos offerat, & nobis innitentibus ei se subtrahat*. Hinc super illud *ad Rom*. 5. Spes autem non confundit: *Confunditur* inquit *qui quod sperat, non inuenit. Cum Deus non fallatur, nec fallere possit, sperans in eo non confunditur. Vanitas est non præstare fulcimentum innitenti. Veritas uerò est, non negare fulcimentum innitenti*. Vnde cum Deus sit ueritas, innitenti sibi se non subtrahit. Item ad sperandum mouere debet imbecillitas & insufficientia nostra. Paruulum, qui non habet uires ad standum, uel ambulandum, monet natura, ut rei stabili, quæ iuxta eum est, adhæreat; & sic casum uitet. Erubescere debet adultus, si nesciat facere, quod naturaliter facit infans ut scilicet cognita infirmitate & imbecillitate, sua Deo adhæreat, & ei spe innitatur. *Hinc Psaltes Ps. 20. dicebat*: Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia Altissimi non commouebitur. *Nimirùm* quia R spes in Deo est firmamentum, 1. *Mach*. 2. Omnes, qui sperant in eum, non infirmantur: *Ideò hæc ad Hebr*. 6. comparatur anchoræ.

R Ps. 20. lit. t.

Sed notandum, quòd tria sunt, quæ debent mouere ad sperandum in Domino. Primò diuina prouidentia. Homo enim non conuenit sperare in illis, ad quos sui cura non pertinet: ad Deum autem pertinet cura nostra; & ideò dicit, *sperat in Domino*, cuius est gubernare. Secundum est misericordia, Luc. 1. *Misericordia eius à progenie in progenies*; ideò dicit, *& in misericordia*. Tertium est potestas; & ideò dicit, *Altissimi*, Ps. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione* Dei *Cœli commorabitur*; unde subditur: *non commouebitur. Hoc autem adiutorium ex sola* Dei *misericordia est, de qua sperare debemus: quemadmodum firmiter sperauit Dauid* Rex, *de peccato poenitens, cum orauit ad Deum Ps*. 50. Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Tria adhuc ad sperandum mouere debent.

Quo loci notat Author, quòd aliquis S potest sperare de misericordia diuina duplici ratione: scilicet ex consideratione naturæ diuinæ, & ex consideratione, & secundùm multitudinem effectuum eius. Primò ergo ostendit, quòd sperat de misericordia Dei ex consideratione naturæ diuinæ, quia naturæ diuinæ proprium est, quòd sit ipsa bonitas. Vnde *Dionysius* dicit, quòd *Deus est ipsa substantia bonitatis*: & *Boetius* de Trin. similiter. Vnde nihil aliud est hæc Dei misericordia, nisi bonitas relata ad depellendam miseriam Ergo cum considero (*ait Dauid*) quòd bonitatis miseriam repellere est proprium, & tamen est ipsa bonitas, confidenter ad misericordiam recurro. Ex consideratione verò effectuum eius, quia in omnibus à principio Mundi inueni effectus misericordiæ tuæ. Et ideò dicit: *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Quasi dicat: Miserere mei, secundùm quod multipliciter, & in diuersis misertus es omnibus hominibus. *Ex quo certò sperabat, & accedebat securius: nam ut alibi canit Ps*. 146. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.

S Ps. 50. lit. a. ibi.

Non sperandum in homine, neque in mundanis.

c Super misericordia *inquam* eius *& summa potestate, non in potestate humana, aut mundanorum auxilio, quæ possunt deficere, Ps*. 145. Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. *Idcircò dicebat idem Psaltes Ps*. 30. In te Domine speraui, non confundar in æternum: *Quia* non T potest spes esse recta in homine, sed in Deo. Vnde dicit, *non confundar in æternum*, quia innititur Deo, qui est incommutabilis: sed qui sperat in homine, qui deficit, confunditur aliquando. *Idcircò dicitur Ier*. 17. Maledictus homo qui confidit in homine; *& postea subditur*: Benedictus uir (*quasi uiriliter agens*) qui confidit in Domino. *Cui respondet alibi Psaltes Ps*. 51. Videbunt iusti, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum. *Non posuit Deum adiutorem suum*: idest V peccator non posuit, quòd indigeret Dei auxilio, Deut. 32. *Dereliquit Deum factorem suum*. Sequitur: *sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum*, Prou. 11. *Qui confidit in diuitiis suis, corruet*; & 1. Tim. 6. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo uiuo*, in quo verè ipse sperauit: *Ego autem, sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum*: scilicet X non meis meritis, sed illius misericordia, ad Tit. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suā misericordiam saluos nos fecit*. Et hæc misericordia est *in æternum*; ex misericordia enim Dei conceduntur bona æterna: *in quæ spes nostra tendere debet*.

T Ps. 30. lit. a.
V Ps. 51. lit. d.
X Ibid. lit. e.

Quocirca notandum est, quòd confidentia Y in creatura triplex est, scilicet præsumptio de se, confidentia in homine, confidentia in re, inferiori homine. prima dicitur Proverb. 28. *Qui confidit in corde suo, destultus est*: scilicet de se præsumens, cum homo ualde sit insufficiens. Confidentes de se, maledicti sunt, Is. 5. *Væ, qui sapientes estis in oculis uestris*. Confidentia verò in homine fallax est, hominem confundens, Is. 20. *Confunden-*

Y Op. de tr. Pr. l. 2 c. 7. & 1. Tim. 6. l. 4 ibi, diuitiarum.
Confidentia in creatura triplex.

dentur ab Æthiopia spe sua; & cap. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Confidentes in homine, maledicti sunt, Is. 31. *Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes &c., & non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.* Confidentia in rebus inferioribus valdè periculosa est. *Gregorius* super Iob: *De Creatore desperassem, si spem in creatura posuissem*, Sap. 5. *Spes impii, tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur*, Eccli. 31. *Beatus diues, qui non sperauit in pecunia & thesauris*, Iob 31. *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea*, Prou. 10. *Substantia diuitis, urbs fortitudinis eius.* Cum aurum & argentum vix possint haberi securè etiam in arcis ferratis; fatuus est, qui ex his securitatem vult sibi facere. Quomodo enim possunt securitatem dare, quam non habent? *Vnde & Dominus Mat.* 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. *Quod pariter inducitur Ps.* 32. Non saluatur rex per multam virtutem; & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. *Quod quidem* mysticè Z moraliter & allegoricè sic exponitur, quòd homo non saluatur propria virtute, quodcumque bonum obtineat. Est enim triplex bonum, per quod videtur posse consequi salutem. Primum est potentia; & quantùm ad hoc dicit: *Non saluatur rex per multam virtutem.* Si verò sit potens, vt regat alios, hoc non est per virtutem suam; sed habet à Deo. Secundum est constantia: & hanc non habet per virtutem suam; vnde dicit: *& gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Tertium est bona dispositio corporis, & fortitudo; vnde dicit: *Fallax equus ad salutem*, scilicet corpus forte, & robustum, est fallax. Vel est vniuersaliter, *in abundantia virtutis suæ*. idest, vndecumque habeat aptitudinem ad bonum, non saluatur, nisi ei Deus salutem tribuat. *Et hoc est, quod dicitur Ier.* 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur diues in diuitijs suis. *Vel, ut ibi præmittit Author*: Potestas A secularis triplex est. Vna, quæ consistit in multitudine subditorum: alia in robore corporis; & alia in diuitijs. Ostendit autem, quòd nullum eorum potest perducere ad salutem. Et primò de prima potestate: & hæc est regia; ideò dicit: *Non saluatur rex per multam uirtutem.* Hieronymus habet: *in multitudine exercitus.* Immò, si aliquando habent salutem, hoc est per Deum, Ps. 143. *Qui das salutem regibus.* Secundò ostendit, quòd non est salus in robore corporis; vnde dicit: *& gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ*, idest roboris, Bar. 3. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio &c.* Tertiò quòd non in diuitijs: & ponit duo adminiculatiua, scilicet equum, & abundantiam rerum. Quantùm ad primum dicit: *fallax equus ad salutem*; idest quantumcumque habeat bonum equum, tamen non potest saluari corporaliter, vel spiritualiter, Prou. 21. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Quantùm ad secundum dicit: *In abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur*, idest rerum exteriorum. *Prou.* 11. Qui confidit in diuitijs suis, corruet. *Ex quibus omnibus deducitur, neque in humana potestate, neque in fortitudine, neque in abundantia terrenorum, habendam esse fiduciam, aut spem reponendam*: sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia (*non aliqua*) abundè ad fruendum, vt dicitur 1. Tim. 6. *In Deo uiuo*, in quo B scilicet est vera spes ponenda: *qui præstat omnia &c.* Iac. 1. *Dat omnibus affluenter*; & addit *ad fruendum*; idest, vt per hæc perueniamus ad fruitionem Dei: *quò tota spei nostra fiducia collimat. Illud uerumtamen sciendum, quòd* vituperantur *quidem* illi C qui sperant in homine, sicut in principali authore salutis; non autem qui sperant in homine, sicut adiuuante ministerialiter sub Deo. Licet *enim* sperare D de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de agente secundario, & instrumentali, per quod aliquis adiuuatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad Sanctos conuertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus; & vituperantur illi, de quibus aliquis confidere non potest ad auxilium ferendum. *Sic & diuitiis utimur aliquando, tanquam adiumentis quibusdam ad uirtutem comparandam, & ad meritum æternam uitæ æternæ.* *Quo sensu* dicitur *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Igitur & spes bona, & spes mala est: & sicut bona spes summè commendatur, ita uituperatur ualdè spes mala.* Cauenda *proinde* est E spes maledicta, quæ Deum offendit, quia de magnitudine misericordiæ eius confidit; de qua *Bernardus* in sermone; *Est infidelis fiducia solius vtique maledictionis capax*, cum videlicet in spe peccamus: hic enim peccat in bonitatem Dei, Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius contemnis?* Item cauenda est spes præsumptuosa, qua aliquis sperat se facturum, cum voluerit, quod vires eius excedit, vt cum aliquis præsumit, se à malis conuertendum, cum voluerit: de qua Eccli. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Item cauenda est spes falsa, qua aliquis sperat quod futurum non est: vt cum quis promittit sibi longam vitam, qui citò moriturus est. Sicut ille, cui dictum est Luc. 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Is. 28. *Posuimus mendacium spem nostram.* DISCE, *nec nimiùm in homine, nec minùs sperare in Deo. Vide* Amor hominis erga Deum *Tom.* 1. Fides infusa *Tomo* 2. Virtus.

Z Ps. 32. lit. p.

Triplex bonum, per quod videtur salus posse obtineri.

Potestas secularis triplex.

A Ib. paulo ante.

In solo Deo spes nostra reponenda.

B 1. Tim. 6. 1. 4. ibi.

C 2. 2. 25. 1 ad 3.

Quo sensu liceat in homine sperare, & de temporalibus confidere.

D 2. 2. 17. 4. fi. c.

E Op de er. Pr. l 2 c 7. fi.

Triplex cauenda mala spes.

SPI-

SPIRITVS SANCTVS.

XII. Per Spiritum Sanctum Deo configuramur, & per ipsum ad benè operandum habiles reddimur, & per eundem ad beatitudinem nobis via præparatur. 4. con Gen. cap. 21.

Spiritus Sanctus] vna ex tribus in diuina Trinitate personis.
F 4. con. G. cap. 15.

d *VNam ex tribus in diuina Trinitate personis Spiritum Sanctum catholicè credimus & adoramus.* Diuinæ *enim* Scripturæ F authoritas non solùm in diuinis Patrem & Filium, sed his duobus Spiritum Sanctum connumerat, Mat. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Huius etiam Spiritus Sancti processionem quandam commemorat: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, vt dicitur Io. 15. *Cuius quidem processionis necessitas ex eo innotescit, quòd* in diuinis G non est processio, nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Huiusmodi autem actio, in intellectuali natura est actio intellectus, & actio voluntatis. Processio autem verbi attenditur secundùm actionem intelligibilem. Secundùm autem operationem voluntatis inuenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundùm quam amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi res dicta vel intellecta, est in intelligente. Vnde & præter processionem verbi ponitur alia processio in diuinis, quæ est processio Amoris. *Proinde* sicut H Verbum procedit naturaliter à Deo dicente, ita & Amor similiter à Deo amante. *Verùm*, quòd I in sola natura diuina pluribus modis natura communicatur (non enim L in creaturis inuenitur aliqua persona procedens per modum voluntatis, vt amor; sicut inuenitur aliqua persona procedens per modum naturæ, vt filius) rationabile est: quia in solo Deo eius operatio est suum esse. Vnde cum in eo, sicut & in qualibet intellectuali natura, sit intelligere & velle: id, quod procedit in eo per modum intellectus, vt verbum; aut amoris & voluntatis, vt amor, oportet, quòd habeat esse diuinum, & sit Deus. *Nec à solo Patre Spiritum Sanctum procedentem dicimus (quod est error Græcorum) sed à Patre & Filio. Et quidem præter rationes plures, quæ ad hanc manifestandam veritatem adducuntur (quas vide M.) hanc vnam Authoris afferimus, ad triplex inconueniens deducentem.* Quorum N *Primum* est, quòd Pater, & Filius non essent perfectè vnum: quod est hæresis *Arii*. Ex hoc enim, quòd perfectè Pater & Filius sunt vnum, sequitur quòd Pater & Filius in omnibus communicant, nisi in paternitate & filiatione. Esse autem principium Spiritus Sancti, neque ad rationem paternitatis pertinet, neque ad rationem filiationis: vnde oportet, quòd in hoc Pater & Filius communicent. *Secundum* est, quòd Filius & Spiritus Sanctus non essent personæ distinctæ: quod est error *Sabellii*. Nam cum tres personæ sint vnius essentiæ, non potest esse personarum distinctio, nisi secundùm relationes originis, prout vna persona est ab alia. Spiritus Sanctus autem à Filio non distinguitur per hoc, quòd est à Patre: si ergo non distinguitur ab eo per hoc, quòd vnus eorum est ab alio, nulla erit distinctio inter eos.

Duplex in diuinis processio, Verbi scilicet & Amoris.
G. 1. p. 27. 3. c. In 1. d. 13. 1. 2. & 4. cō G. cap. 15. & 23. fi. Pet 10. 2.
H Op. 9. Quæst. 12. fi.
Cur in sola natura diuina pluribus modis natura communicetur.
I 4. con G. c. 23. fi.
L Io. 15. l. 5. lit. g. circa fi.
Spiritus Sanctus verus Deus.
Procedit à Patre & Filio; non à Patre solùm; quod est error Græcorū;
M Op. 1. fuse à cap 32.
N Hann. 1. d. 11. 1. 14. & 4. con G. c. 15. fi. Op 6. §. 11. & 1 p. q. 36. a. 2. 3. 4.
Triplex ex eorum positione inconueniens.
Errores Arii, Sabelii, & Macedonii.

Non autem Filius est à Spiritu Sancto; quia ex hoc quòd Filius est, solùm à Patre est: restat ergo, vt Spiritus Sanctus sit à Filio. *Tertium* est, quòd Spiritus Sanctus sit creatura: quod est error *Macedonii*. In his enim, in quibus processus necessarius est vnius ab altero, necesse est, quòd vnum sit ab vno: sed in his, quæ producuntur vt volita, possibile est ab vno procedere plura. Si ergo præter processionem Filij, qui naturæ ordine à solo Patre procedit, procedat vt est à solo Patre, Spiritus Sanctus, sequitur, quòd Spiritus Sanctus non procedat à Patre naturæ ordine, sed solùm quia Pater sic voluit. Hic autem modus est, quo à Deo creaturæ procedunt: sequitur ergo, Spiritum Sanctum esse creaturam, quod est hæreticum. Et ideò oportet dicere, quòd Spiritus Sanctus sit à Patre, & Filio. *Hinc Apostolus ad Gal.* 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra. *Vbi acutissimè obseruat Author, quòd* vbicumque O inuenitur, quòd Pater mittat Spiritum Sanctum, fit mentio de Filio, sicut Io. 14. dicitur. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et similiter, vbi dicitur mitti à Filio, fit mentio de Patre, Vnde dicitur Io. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Et hic etiam, cum dicitur, *Misit Deus Spiritum*, statim fit mentio de Filio, cum dicit, *Filii sui*. Nec refert, si alicubi dicatur Spiritus Sanctus solùm à Patre procedere: quia ex quo Filius mittit eum, manifestum est, quòd ab ipso procedit. Vnde dicitur Spiritus Filij sicut mittentis, & sicut à quo procedit, & sicut à quo habet Spiritus Sanctus quicquid habet, sicut & à Patre, Io. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet &c.* quia P Filius ab æterno est habens quod accipit à Patre, & Spiritus Sanctus quod à Patre, & Filio accipit. Et ita accipere in diuinis dicit ordinem originis. Cum autem dicit, *de meo accipiet*, ly *de* non importat participationem, sed consubstantialitatem, quia totum accipit, quod Filius habet. Sicut enim Filius dicitur de substantia Patris, quia accipit totam substantiam Patris: ita & Spiritus Sanctus de substantia Filij, quia accipit totam substantiam eius. *Et huc apprimè facit textus ille Ioannis cap. 20. dicentis de Christo, quòd* insufflauit, & dixit discipulis: Accipite Spiritum Sanctum &c. *Vbi profectò* non est Q intelligendum, quòd huiusmodi flatus Christi fuerit Spiritus Sanctus, sed signum eius. Vnde *Augustinus* dicit *in lib. 4. de Trin.* Flatus ille corporeus substantia Spiritus Sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedere Spiritum Sanctum. *Cæterùm* etiam R ipsi Græci, processionem Spiritus Sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt; concedunt enim, Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii, & esse à Patre per Filium. Et quidam eorum dicuntur concedere, quòd sit à Filio, vel profluat ab eo: non tamen, quòd procedat; quod videtur vel ex ignorantia vel ex proteruia esse. Quia si quis rectè consideret, inueniet, processionis verbum inter omnia, quæ ad originem qualemcumque pertinent, communissimum esse. Vtimur enim eo ad designandum qualemcumque originem: sicut, quòd linea procedit à puncto, radius à Sole, riuus à fonte. Et similiter in quibuscumque alijs. Vnde ex quocumque alio ad originem pertinente potest concludi, quòd Spiritus Sanctus procedit à Filio. *Hinc in Symbolo Patrum dicitur*: Credo in Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit. *Nec obstat, quòd Damascenus lib. 1. de fid. orthod. dicat*: Spiritum Sanctum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, Spiritum verò Filij nominamus. *Dicemus enim*,

Deducitur hæc veritas & ex sacris literis.
O Ad Gal. 4. l. 3. ibi, Io 14 l. 4. lit. c. & l. 6. lit. f. & cap. 15. l. 5. lit. g.
P Io. 16. l. 4. lit. b.
Q Io. 20. l. 4. lit. a. ibi.
Quid concedat, quid negent Græci de processione Spiritus Sancti.
R 1. p. 36. 2. fi. c. Io. 15 l. 5. lit. g. Op. 1. per totum.

S 1.p.l.c.ad 3. in 1.d.11.1.1. ad 3.

Error Nestorianorum & Theodorici. Id sensisse videtur & Damascenus: nec tamen hæreticus censendus, quia non pertinax.

T 1 p 36.2. ad 2.

et m; quòd Spiritum Sanctum S non procedere à Filio, primò fuit a Nestorianis introductum, vt patet in quodam Symbolo Nestorianorum, damnato in Ephesina Synodo. Et hunc errorem secutus fuit *Theodoricus* Nestorianus, & plures post ipsum. Inter quos fuit etiam *Damascenus*. Vnde in hoc sententiæ eius non est standum: (*nec ideò hæreticus censendus: hoc enim pertinaciter non sensit contra Ecclesiasticum dogma, quod nondum Ecclesia decreuerat, vt ibid. ad 3. obseruat* Caietanus. *Quod posteriùs detractum est*: quia enim T in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, non fuit necessarium, quòd hoc explicitè poneretur. Sed postea, insurgente errore quorundam, in quodam Concilio, in Occidentalibus partibus congregato (III. *fortassè Toletano*) expressum fuit authoritate Romani Pontificis. Quamuis à quibusdam dicatur, quòd *Damascenus* sicut non confitetur Spiritum Sanctum esse à Filio: ita etiam non negat ex vi illorum verborum. *Ex quo* ad signandum V diuinam personam, quæ procedit per modum amoris, accommodatum est ex vsu Scripturæ hoc nomen *Spiritus sanctus*.

V 1.p 36. 1.c. in 1.d 11. 1.4. 1.& 4 con G.c. 19. fi. & cap. 22. Op 3. c.46. 47 Io.14.l.4.c.

Huius nominis Spiritus Sanctus duplex congruentiæ ratio.

Et huius quidem conuenientiæ ratio sumi potest ex duobus. Primò quidem ex ipsa communitate eius, quod dicitur *Spiritus sanctus*. Vt enim *August.* dicit 15. de Trin. *Quia Spiritus Sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter*: nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus, & Pater est sanctus, & Filius est sanctus. Secundò verò ex propria significatione. Nam nomen *Spiritus* in rebus corporeis impulsionem & motionem significare videtur: Flatum enim & ventum *Spiritum* nominamus. Est autem proprium amoris, quòd moueat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter *Spiritus Sanctus* nominatur. *Et ita* hoc X quod dico, *Spiritus Sanctus*, prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati, quia nomine *Spiritus* significatur immaterialitas diuinæ substantiæ: per hoc verò, quòd dicitur, *sanctus*, significatur puritas diuinæ bonitatis. Si autem accipiatur hoc, quod dico, *Spiritus Sanctus*, in vi vnius dictionis: sic ex vsu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam vnam trium personarum, scilicet quæ procedit per modum amoris.

X 1.p.l.c.ad 1. & in 1.d.11.l. c.ad 1.

An sit proprium Spiritus Sancti.

Y 1.p 35.2.initio & fi.&.in 1. d.18 2.3.

Propriè non dicitur imago Patris.

Et hinc est, quòd quamuis Doctores Y Græcorum communiter dicant, Spiritum Sanctum esse imaginem Patris, & Filij: Doctores tamen Latini soli Filio attribuunt nomen imaginis. Non enim inuenitur in canonica Scriptura, nisi de Filio: dicitur enim Coloss. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ*. Et ad Hebr. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius &c.* Sicut ergo Spiritus Sanctus, quamuis sua processione accipiat naturam Patris, sicut & Filius; non tamen dicitur natus: ita licèt accipiat speciem similem Patri, non dicitur imago. Quia Filius procedit vt Verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id, à quo procedit, non autem de ratione amoris: quamuis hoc conueniat Amori, qui est Spiritus Sanctus, in quantùm est Amor diuinus.

Sicut persona diuina æternaliter procedit: ita per gratiam mittitur & procedit temporaliter.

Z 1.p.43.3. c. & 1.d.15 4.1.c.

c *Verùm sicut in diuinis æternaliter procedit: ita* secundùm gratiam Z gratum facientem mittitur & procedit temporaliter persona diuina. *Etenim* proprius A modus, quo Spiritus Sanctus refertur ad Patrem, est Amor; & proprius modus referendi Filium in Patrem est, quia est Verbum ipsius manifestans ipsum. Vnde sicut Filius inuisibiliter procedit in mentem per donum sapientiæ, in quo est manifestatio ipsius Patris, qui est vltimum, ad quod recurrimus: Ita Spiritus Sanctus inuisibiliter procedit in mentem per donum amoris. Et quia secundùm receptionem horum duorum efficitur in nobis similitudo ad propria personarum, ideò secundùm nouum modum essendi, prout res est in sua similitudine, dicuntur personæ diuinæ in nobis esse, secundùm quod nouo modo eis assimilamur. Et secundùm hoc vtraque processio dicitur missio. *Quamuis igitur* per gratiam B gratum facientem tota Trinitas mentem inhabitet, secundùm illud Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: mitti tamen personam diuinam ad aliquem per inuisibilem gratiam, significat nouum modum inhabitandi illius personæ, & originem eius ab alia. Vnde cum tam Filio, quàm Spiritui sancto conueniat & inhabitare per gratiam, & ab alio esse, vtrique conuenit inuisibiliter mitti. Patri autem licèt conueniat inhabitare per gratiam, non tamen sibi conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti. *An autem missiones hæ distinguantur, dicendum, quòd* si C loquamur de missione quantùm ad originem: sic missio Filij distinguitur à missione Spiritus Sancti: sicut & generatio à processione. Si autem quantùm ad effectum gratiæ: sic communicant hæ duæ missiones in radice gratiæ, sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus. Et sic vna non potest esse sine alia; quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec vna persona separatur ab alia. *Quemadmodum autem persona diuina facta est, & fit quotidie temporaliter inuisibilis missio, ita & visibilis facta est. Docemur enim, quòd* quia esse D nouo modo existendi in creatura, est quoddam temporale: ideò missio & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantùm: generatio autem & spiratio solùm ab æterno. Processio autem & exitus dicuntur in diuinis & æternaliter & temporaliter. Nam Filius ab æterno processit vt sit Deus: temporaliter autem, vt etiam sit homo secundùm missionem visibilem, vel etiam vt sit in homine secundùm inuisibilem missionem. *Nec abs re quidem*: sicut *enim* se ipsum E Deus, & processiones æternas personarum per creaturas visibiles secundùm aliqua indicia hominibus quodammodò demonstrauit: ita conueniens fuit, vt etiam inuisibiles missiones diuinarum personarum secundùm aliquas visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius, & Spiritus Sanctus. Nam Spiritui Sancto, in quantùm procedit, vt Amor, competit esse sanctificationis donum: Filio autem, in quantùm est Spiritus Sancti principium, competit esse sanctificationis authorem. Et ideò Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis author, sed Spiritus Sanctus tanquam sanctificationis indicium. *Sanè* sicut F processio temporalis non est alia, quàm processio æterna essentialiter, sed addit aliquem respectum ad effectum temporalem: ita etiam missio visibilis non est alia essentialiter ab inuisibili missione. Spiritus Sancti, sed addit totam rationem manifestationis per visibile signum. *Hæc proinde* missio G visibilis semper est signum missionis inuisibilis. *Et quidem* fit H ad significandum plenitudinem gratiæ redundantis in multos. *Etenim* sicut I in missione inuisibili Spiritus Sancti ex plenitudine diuini amoris redundat gratia in mentem, & per illum effectum gratiæ accipitur cognitio illius personæ diuinæ experimentalis ab ipso, cui fit missio: ita in missione visibili attenditur alius gradus redundantiæ, in quantùm scillicet gratia interior propter sui plenitudinem quodammodo redundat in visibilem ostensionem, per quam manifestatur inhabitatio diuinæ personæ,

non

Quid sit diuinæ personæ missio in mentem nostram.

B 1.p.43.5 c. in 1.d.15 4.1. & 4.cō G.c.29.

Verbo & Spiritui sancto conuenit inuisibiliter mitti: non ita Patri.

C 1.p.l.c.ad 3. in 1.d.15. 4. & 4.con.G.l.c.

An missiones hæ inter se distinguantur.

Missio visibilis quid.

D 1.p.l.c.a. 2.c.

Visibilis temporalis missionis conuenientia Filij & Spiritus Sancti, diuersimode tamen.

E 1.p 43 7.c. in 1.d.15.3.1.

F 1.d.16.1.1.c.

Missio visibilis Spiritus Sancti in quo ab inuisibili distinguatur.

G Mat. 3. lit. b. ibi, columbam, & 1.p. 43.7. ad 6.

Signum est inuisibilis & quorsum fiat.

H 1.d.16. 1.3. c.& 1 p.l.c.Io. 20.l.4. lit.c.

I In 1.l.c.a.2. c.& 4. con.G. c.23. ad 5.

Duo ad visibilem missionem requisita.

non tantùm ei, cui fit missio, sed etiam alijs. Vnde oportet, quòd ad missionem visibilem duo concurrant, scilicet quòd sit gratiæ plenitudo in illis, ad quos fit missio, & vlteriùs quòd plenitudo ordinetur ad alios, vt per aliquem modum gratia abundans redundet in eos: propter quod manifestatio gratiæ interioris, non tantùm habenti, sed etiam alijs fit. Et ideò Christo primò, & postmodum Apostolis missio visibilis facta est: quia per eos pluries gratia diffusa fuit, secundùm quod per eos Ecclesia plantata est. *Et ita visibiliter* super Christum L Spiritus sanctus missus est. Primo quidem in Columbæ specie in baptismo Mat. 3. & in specie nubis in transfiguratione *Mat.* 17. Cuius ratio est: quia gratia Christi, quæ datur per Spiritum Sanctum, deriuanda erat ad nos per propagationem gratiæ in Sacramentis; & sic descendit in baptismo in specie Columbæ, quæ est animal fecundum. Et per doctrinam, & sic descendit in nube lucida. Vnde & ibi ostenditur Doctor, & ideò dicitur: *Ipsum audite.* (*Et alibi, Ad illud Mat.* 3. Vidit Iesus Spiritum Dei descendentem sicut columbam super se, *docemur, quod* apparuit M in specie Columbæ. Primò propter charitatem; Columba enim est animal amorosum, Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, Columba mea.* Secundò propter innocentiam & simplicitatem, Mat. 10. *Estote simplices, sicut columbæ.* Tertiò quia habet gemitum pro cantu: & homo sanctificatus per Spiritum Sanctum, debet gemere pro peccatis, Nah. 2. *Gementes vt Columbæ.* Quarto propter fecunditatem; vnde etiam præcipiebatur in lege, vt offerrent columbam, Io. 3. *Quod natum est ex spiritu, spiritus est.*) Super Apostolus autem primò descendit in flatu, ad designandam propagationem gratiæ in Sacramentis, cuius ipsi ministri erant; vnde dicit Io. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* (*Flatum autem & Spiritum dicimus, vt præmissum est.*) Secundò verò in igneis linguis, ad significandam propagationem gratiæ per doctrinam; vnde dicitur *Act.* 2. quòd postquam *repleti sunt Spiritu Sancto statim cœperunt loqui.*

Cur Spiritus Sanctus in specie columbæ missus, & nubis

L *Io.* 20. *l.* 4. *lit. c. & cap.* 1. *l.* 14. *lit. d. ibi*, Columbam, *&* 3. *p.* 39. *c. ad* 4.

Et super Apostolos in flatu & igneis linguis descenderit.

M *Mat.* 3. *lit. b. ibi*, columbam.

Effectus gratiæ Spiritus Sancti habitantis in anima.

f *Quos verò, quales & quanti inuisibilis missionis Spiritus Sancti sint effectus in anima*, nemo scit (*Apoc.* 2.) nisi qui accipit, *ipsius videlicet gratiam &* charitatem Dei, *quæ per eum* diffunditur in cordibus nostris. *Signatur ideircò nomine fluuij*, *Ps.* 45. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei &c. *Quibus in verbis* spiritualis N consolatio exprimitur sub similitudine fluminis: quod signat gratiam per aquæ abundantiam; quia in gratia est abundantia donorum, Ps. 64. *Flumen Dei repletum est aquis*: & quia deriuatur à principio, scilicet fonte; sed non fons à flumine, quia fons est in suo principio: & Spiritus Sanctus est à Patre & Filio, Apoc. 22. *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ procedentem à sede Dei & Agni.* Item quia fluuius mouet arenam & lapides: sic Spiritus Sanctus mouet cor ad opus, Io. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: sed aliqui sunt fluuij, qui habent tardum motum. Non est talis iste, quia est festinus, vnde dicit: *Fluminis impetus.* Et hoc refertur ad duo. Primò quia Spiritus Sanctus gratia perfundit subitò cor, Act. 2. *Factus est repente de Cœlo sonus &c.* Alio modo, quia Spiritus Sanctus impetu amoris cor mouet, Is. 59. *Cum venerit quasi fluuius violentus*, Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur &c.* Cant. 4. *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Effectus est duplex: iucunditatis est vnus, Gal. 5. *Fructus spiritus est charitas, gaudium &c.* quia facit amare Deum, & in hoc amore semper est iucunditas: quia quilibet delectatur in præsentia amati; & qui diligit Deum; Deum habet præsentem, 1. Io. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et hoc designat, cum dicit: *lætificat ciuitatem Dei*: (*vnde gratia Spiritus Sancti, qua inuisibiliter vnctus est Christus*, Oleum lætitiæ, *dicitur Ps.* 44.) Secundus effectus est sanctitatis; *vnde dicit*: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: *quale est fidelis anima, Hebr.* 3. Quæ domus sumus nos; & 2. *Cor.* 6. Vos estis templum Dei. *Id quod manifestè confirmat Dominus Io.* 7. *cit.* Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. *Et vt gratiam innuat Spiritus Sancti, mox subiicit*: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. *Vnde & per aquam viuam, iterùm huiusmodi gratia signatur Io.* 4. Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, *Da mihi bibere*: tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. *Vbi docemur, quòd* duplex O est aqua, scilicet viua & non viua. Non viua quidem est, quæ non continuatur suo principio, vnde scaturit: sed collecta de pluuia, seu aliunde, in lacunas & cisternas, à suo principio separata seruatur. Viua autem aqua est, quæ suo principio continuatur, & effluit. Secundùm hoc ergo gratia Spiritus Sancti rectè dicitur aqua viua: quia ita datur homini, quòd tamen ipse fons gratiæ datur, scilicet Spiritus Sanctus; immò per ipsum datur gratia, Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: nam ipse Spiritus Sanctus est fons indeficiens, à quo omnia dona gratiarum effluunt, 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus &c.* Et inde est, quòd si aliquis donum Spiritus Sancti habeat, & non spiritum (*vt contingit quandoque in gratiis gratis datis*) aqua non continuatur suo principio; & ideò est mortua, & non viua, Iac. 2. *Fides sine operibus mortua est.* *Vnde & eod. Io. cap.* 4. *coherenter subiecit Dominus*: Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Siquidem* alius P est cursus aquæ materialis, scilicet deorsum; alius aquæ huius spiritualis, quia ducit sursum. Est enim aqua viua, quia coniuncta fonti; vnde dicit: *Fiet in eo fons*; & addit, *aquæ salientis*, idest salire facientis, *in vitam æternam*, quia *Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna, *quatenùs semen gloriæ est.*

Gratia, aqua viua, non stagnans.

O *Io.* 4. *l.* 2. *lit. a.*

P *Ibid. lit. b.*

Semen gloriæ.

g *Datur inquam nobis Spiritus sanctus.* Quia *enim* effectus Q diuini non solùm diuina operatione esse incipiunt, sed etiam per eam tenentur in esse (oportet enim operans & operatum in actu esse simul, sicut mouens & motum:) necesse est, vt vbicumque est aliquis effectus Dei, ibi sit & ipse Deus effector. Vnde cum charitas, qua Deum diligimus, sit in nobis per Spiritum Sanctum, oportet quòd ipse etiam Spiritus Sanctus in nobis sit, quandiu charitas in nobis est. Hunc Apostolus dicit 1. Cor. 4. *Nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Cum igitur per Spiritum Sanctum Dei amatores efficiamur, omne autem amatum in amante est, in quantùm huiusmodi: necesse est, quòd per Spiritum Sanctum Pater etiam, & Filius in nobis habitent. Vnde Dominus dicit Io. 14. *Ad eum veniemus*, scilicet diligentem Deum, *& mansionem apud eum faciemus.* Et 1. Io. 3. dicitur: *In hoc scimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu* (scilicet R Sancto, *idest per Spiritum Sanctum*) *quem dedit nobis.* Et quia S Spiritus Sanctus Dei nos amicos constituit, & eum in nobis habitare facit, & nos in ipso: consequens est, vt per Spiritum Sanctum gaudium de Deo & consolationem habeamus, contra omnes aduersitates

Q 4. *con. G. c.* 21.

Ipse Spiritus Sanctus in nobis per gratiam.

Tota Trinitas per gratiam Spiritus Sancti mentem inhabitat.

R 1. *Io* 3. *fi. c.*

S 4 *con. G. c.* 22. *& Ps.* 50. *lit. f.*

Gaudium ex hoc, & spiritualis, consolatio.

tates & impugnationes. Vnde & Ps.50. dicitur: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Et Rom. 4. *Regnum Dei iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto*. Et ideò Dominus spiritum sanctum paraclitum, idest consolatorem, nominat, Io. 14. *Paraclitus autem spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo &c.* Paraclitus T quidem est, quia consolatur nos, quantùm ad tristitias de tribulationibus huius Mundi, de quibus nos consolatur, 2 Cor. 7. *Foris pugna, intus timores &c.* Et 2. Cor. 1. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*. Et hoc facit in quantùm est amor, faciens nos amare Deum, & eum pro magno habere, propter quod cum gaudio contumelias patimur, secundùm illud Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Item consolatur nos contra tristitias de peccatis præteritis, de quibus dicitur Mat. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Et hoc facit, in quantùm dat nobis spem veniæ, Io. 20. *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & Is. 61. *Spiritus Domini super me &c., vt consolarer omnes lugentes*. Spiritus quidem est, quia mouet corda nostra ad obediendum Deo, Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur &c.* Sanctus autem est: quia consecrat nos Deo, 1. Cor. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis uos*. Spiritus sanctus ergo est V consolator, & Aduocatus noster: & Filius similiter. Quòd enim Filius sit aduocatus, dicitur 1. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*. Quòd sit Consolator, Is. 61. cit. *Spiritus Domini super me, vt consolarer &c.* Tamen alia, & alia ratione est consolator & Aduocatus Filius & Spiritus Sanctus, si accipiamus per appropriationem personarum. Nam Christus dicitur Aduocatus, in quantùm secundùm quod homo interpellat pro nobis ad Patrem: Spiritus Sanctus autem, in quantùm nos postulare facit (*Rom. 8.* Ipse spiritus postulat pro nobis &c. *idest* postulantes X nos facit: sicut & *Gen. 22.* dicitur: *Nunc cognoui, quòd times Deum*; idest, cognoscere feci. Facit autem spiritus sanctus nos postulare, in quantùm recta in nobis desideria causat; nam postulatio est quædam desideriorũ explicatio. Desideria autem recta ex amore charitatis proueniunt, quam in nobis scilicet facit.) Item Spiritus Sanctus dicitur Consolator, in quantùm est amor formaliter: Filius verò, in quantùm est Verbum; & hoc dupliciter: quia per doctrinam, & in quantum ipse Filius dat spiritũ sanctum (*qui est Consolator*) & incendit amorem in cordibus nostris. Et sic cum dicit: *Alium Paraclitum dabit vobis*, non designat alietatem naturæ in Filio & Spiritu Sancto, sed designat alium modum, quo vterque Consolator est & Aduocatus. *Ad hanc pariter spiritualem innuendam consolationem, quam indis spiritus sanctus, olei nomine signatur: Vnde de Christo dicitur Ps. 44.* Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, *siue (vt ad Hebr. 1.)* oleo exultationis: *idest*, non Y materiali oleo vnctus est, sed oleo Spiritus Sãcti. Et dicitur spiritus sanctus oleũ quia, oleũ supereminet omnibus liquoribus, & spiritus sanctus omnibus creaturis, Gen. 1. *Spiritus dei ferebatur super aquas*; idest debet esse super omnia in cordibus hominũ: quia est amor Dei. Secundò propter suauitatem suam: misericordia enim & omnis suauitas mentis à spiritu sancto est, 1. Cor. 5. *In charitate & spiritu mansuetudinis*, & 2. Cor. 6. *In suauitate, in spiritu sancto*. Tertiò quia oleum est diffusiuum, sicut spiritus sanctus est communicatiuus, 2. Cor. 13. *Communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis*. Item oleum est fomentum ignis & caloris: & spiritus sanctus fouet & nutrit amoris calorem in nobis, Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis*. Item oleum illuminat: ita & spiritus sanctus, Iob 32. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Illuminat

T Io. 14. l. 6. lit. f.

Paraclitus est (idest Consolator) spiritus est: et sanctus est.

V ibid. l. 4. lit. b. ibi, paraclitum, & cap. 15. l. 5. lit. g. sub ini tio.

Consolator noster et Aduocatus, differenter tamẽ à Filio.

X Rom. 8. l. 5. ibi. In 4. d. 15. q. 6. q. 1. ad 3. & 3. p. 26. 1. ad 3.

Y Ps. 44. lit. e. ibi.

Spiritus Sanctus cur oleum dicatur.

Illuminat mentem et omnia docet: et quomodo.

inquam spiritus sanctus; *vnde & Dominus dicebat Io. 14.* Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c. *Quandoquidem* sicut Z effectus missionis Filii fuit ducere ad Patrem: ita effectus missionis Spiritus Sancti est ducere fideles ad Filium. Filius autem, cum sit ipsa sapientia genita, est ipsa Veritas, Io. 14. *Ego sum via, & veritas, & vita*: & ideò effectus missionis huiusmodi est, vt faciat homines participes diuinæ sapientiæ, & cognitores veritatis. Filius ergo tradit nobis doctrinam, cum sit Verbum: sed spiritus sanctus doctrinæ eius nos capaces facit. Dicit ergo: *Ille vos docebit omnia*: Quia scilicet quæcumque homo doceat extrà, nisi spiritus sanctus det interius intelligentiam, frustrà laborat: nisi enim spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo doctoris, in tantùm quòd etiam ipse Filius, organo humanitatis loquens, non valeat, nisi ipsemet interiùs operetur per spiritum sanctum. Facit autem nos scire omnia, interiùs inspirando, dirigendo, & ad spiritualia eleuando: sicut enim qui habet gustum infectum, non habet veram cognitionem de saporibus: ita & qui infectus est amore Mundi, non potest gustare diuina, *secundùm illud 1. Cor. 2.* Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *Ex quibus omnibus in Ps. 50. spiritus sanctus* dicitur A spiritus rectus, spiritus sanctus, & spiritus principalis. Tria enim facit spiritus sanctus in homine. Primò rectitudinem intentionis, Ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Item sanctificat nos, Rom. 1. *Secundùm spiritum sanctificationis &c.* Item nobilitat & facit nos Principes, Gal. 4. *Quoniã estis filii, misit Deus spiritũ Filii sui in corda vestra*.

h *Quoniam verò* Deus B per suam voluntatem res in esse producit: amor, quo suam bonitatem amat, est causa creationis rerum. Vnde & quidam antiqui Philosophi, amorem deorum, causam omnium esse posuerunt, vt patet in 1. *Metaph.* Et *Dionysius* dicit in cap. 4. de Diu. Nom. Quòd *diuinus amor non permisit ipsum sine germine esse*. Spiritus Sanctus autem procedit per modum amoris, quo Deus amat se ipsum: igitur spiritus sanctus est principium creationis rerum. Et hoc significatur in Ps. 103. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur: (vnde & eum inuocãs Ecclesia:* Veni *inquit* Creator Spiritus) Ex hoc etiam quòd spiritus sanctus per modum amoris procedit, amor autem vim quandam impulsiuam, & motiuã habet: motus, qui est à Deo in rebus, spiritui sancto propriè attribui videtur. Prima autem mutatio in rebus à Deo existens intelligitur, secundùm quod ex materia creata informi species diuersas produxit: vnde hoc opus spiritui sancto sacra scriptura attribuit. Dicitur enim Gen. 1. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Vult enim *Augustinus*, per aquas intelligi materiã primã, super quam spiritus Dei ferri dicitur, non quasi ipse moueatur, sed quia est motionis principium. *Vel, vt alibi ex B. Basilio*, super ferebatur C elemento aquæ, idest fouebat & viuificabat naturam aquæ ad similitudinem gallinæ cubantis, vitalem virtutem his, quę fouentur, iniiciens. Habet enim aqua præcipuè vitalem virtutem, quia plurima animalia generantur in aqua, & omnium animalium semina sunt humida. Vita etiam spiritualis datur per aquam baptismi; *vnde dicitur Io. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. *Idcircò & in symbolo Patrum ponitur:* In Spiritũ Sanctũ Dominũ & viuificantem. *Quocirca sciẽdũ, quòd quia* fuerũt D aliqui, qui malè senserũt de Spiritu Sãcto, ideò Sãcti Patres ad remouẽdũ horũ errores (Macedonii *præsertim, quòd Spiritus sanctus* erat seruus & minister Dei) addiderunt quinque verba in alio symbolo de Spiritu sancto. Et Primũ est quòd licèt sint alii spiritus, scilicet Angeli, sũt tamẽ ministri Dei, secũdùm illud Hebr. 1. *Omnes sũt administratorii spiritus*: sed Spiritus sanctus Dominus est, Io. 4. *Spiritus est Deus*; & 2. Cor. 3. *Dominus*

Z Io. 14. l. 6. f. & cap. 15. f. & cap. 16. l. 3. lib. d.

A Ps. 50. lit. f. f.

Spiritus sanctus, rectus, sanctus, et principalis dicitur quia tria facit in homine.

B 4. con. G. c. 20 & 1. p. 74. 3. ad 3. Pot. 4. 1. ad 2.

Spiritus Sanctus, creationis rerũ principiũ, et omnis motionis.

C 1. p. l. c. ad 4. Exponitur illud; *Spiritus Dei ferebatur super aquas*:

Cur Spiritus Sanctus, *Dominus* dicatur, et *viuificans*.

D Op. 6. §. 11. & 4. con. G. c. 20. 21. 22.

nus autem spiritus est; & inde est, quòd *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, vt ibidē dicitur. Cuius ratio est: quia facit diligere Deū, & aufert amorē Mūdi. Et ideò dicitur: *In Spiritū sanctū Dominū. Secundū* est, quia in hoc est uita animæ, quòd coniungatur Deo cum ipse Deus sit vita animæ, sicut anima est vita corporis. Deo autē coniungit Spiritus sanctus per amorē, quia ipse est amor Dei; & ideò viuificat, Io. 6. *Spiritus est, qui viuificat*. Vnde dicitur: *Et uiuificantem*. (*Hinc & anima Ecclesiæ dicitur*. Sicut *enim* videmus E quòd in uno homine est una anima, & unum corpus; & tamen sunt diuersa membra ipsius: ita Ecclesia catholica est unum corpus: & habet diuersa membra. Anima autem, quæ hoc corpus viuificat, est Spiritus sanctus. *Immò cum ipse sit vita spiritualis initium, cor eiusdem Ecclesiæ appellatur, sicuti Christus caput*: Caput *quippe* habet F manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideò cordi comparatur Spiritus sanctus, qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat & unit, Capiti uerò comparatur ipse Christus secundū visibilē naturā, secundū quā homo hominibus præfertur.) *Tertiū* est, quòd spiritus sanctus est eiusdē substantiæ cū Patre & filio: quia sicut Filius est Verbum Patris, ita Spiritus sanctus est amor Patris, & Filij; & ideò procedit ab utroque: & sicut Verbum Dei est eiusdem substantiæ cum Patre, ita & amor cum Patre & Filio. Et ideò dicitur: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Vnde & per hoc patet, quòd non est creatura. *Quartum* est, quòd est æqualis Patri & Filio etiam quantùm ad cultum, Io. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate* (ubi Trinitas exprimitur personarum, 1. Io. 5. Christus est veritas) *Mat.* 28. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *quorum unus est cultus, una glorificatio*. Et ideò dicitur: *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur*. *Quintum*, per quod manifestatur, quòd sit æqualis Deo, est; quia sancti Prophetæ locuti sunt à Deo. Constat autem, quòd Prophetæ fuerunt locuti ab eo, 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Et Is. 48. *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*. Vnde dicitur: *Qui locutus est per Prophetas*. Per hoc autem destruuntur duo errores: error scilicet *Manichæorum*, qui dixerunt, quod vetus Testamentum non erat à Deo. Quod falsum est: quia per Prophetas locutus est Spiritus sanctus. Item error *Priscillæ & Montani*, qui dixerunt, quòd Prophetæ non sunt locuti à Spiritu sancto, sed quasi amentes. *Cum tamen non* amentes *faciat Spiritus sanctus, sed uerò* amantes *per charitatem, quam diffundit in cordibus nostris*.

E Eol. Op. 5. 12. inic.

Anima Ecclesiæ, uel cor, sicut Christus caput.

F 3. p. 8. 1. ad 3.

Ex patre, Filioque procedit.

Æqualis Patri & Filio in cultu & gloria.

Error Manichæorum: Item Priscillæ & Montani.

3 *Et hoc est unicum Christianorum signum*: Signati estis Spiritu promissionis sancto, *ad Ephes.* 1. signum G quidem est, in quantùm per eum infunditur charitas in cordibus nostris, qua distinguimur ab his, qui non sunt Filii Dei. Et quantùm ad hoc dicit: *signati estis*; idest diuisi à grege diaboli. Sicut enim homines gregibus suis apponunt signa, ut ab aliis distinguantur: ita Dominus gregem suum, idest populum suum, spirituali signo voluit signari. Dominus autem populum peculiarem habuit, in ueteri quidem Testamento Iudæos, Ezech. 34. *Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis*. Vnde & Ps. 94. *Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius*. Sed quia hic grex in pascuis corporalibus pascebatur, scilicet in doctrina corporali, & in bonis temporalibus, *Is.* 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*: ideò eum Dominus corporali signo, scilicet circumcisionis, ab aliis separauit & distinxit, Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*. In nouo autem testamento gregem habuit populum Christianum, 1. Pet. 2. *Conuersi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*, & Io. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt &c.* Sed grex iste pascitur in pascuis doctrinæ spiritualis, & in spiritualibus bonis: & ideò eum signo spirituali ab aliis cum Dominus distinxit. Hoc autem est Spiritus sanctus, per quem illi, qui Christi sunt, distinguuntur ab aliis, qui non sunt eius. Quia verò Spiritus sanctus Amor est, tunc Spiritus sanctus datur alicui, quando efficitur amator Dei & proximi. Signum ergo distinctionis est charitas, quæ est à Spiritu sancto, Io. 13. *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Cum enim H Spiritus sanctus sit amor, non datur, nisi amantibus *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo, *Et hæc est causa, quare* Mundus eum non potest accipere, *Io.* 14. Mundus I idest Mundi dilectores: qui quandiu Mundum diligunt, Spiritum sanctum non possunt accipere: est enim amor Dei. Non potest autem quis finali dilectione Deum & Mundum diligere, 1. Io. 2. *si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo*. *Quasi dicat*: Amor L Patris est contrarius amori Mundi. *Augustinus*: Duo sunt amores, Dei & Mundi: sed si amor Mundi inhabitet, non est quò amor Dei intret, Iac. 4. *Amicitia huius Mundi inimica est Deo*. Vnde Glossa: *Vnum cor duos sibi adversarios amores non capit*. Sicut dilectio Dei est fons omnium virtutum: ita dilectio Mundi omnium vitiorum. *Hinc Isai.* 28. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat. *Cui respondet illud Mat.* 6. Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. *Et hoc est, quod ait ad discipulos Dominus Io.* 16. Expedit uobis, ut ego vadam: Si e. n. non abiero, Paraclitus non veniet ad uos. *Etenim Spiritui sancto* M cū sit amor spiritualis, contrariatur amor carnalis. Discipuli autē quodā carnali amore afficiebantur ad Christi humanitatē, nec dū eleuati erant spirituali amore ad eius diuinitatem: & ideò nondum capaces erant spiritus sancti, 2. Cor. 5. *Ex hoc neminem novimus secundùm carnem*; idest secundùm carnis affectum: *& si cognovimus secundùm carnem Christum*, scilicet ante passionem; *sed nunc iam non nouimus*. Vide *qualis exigatur charitatis perfectio, ut accipiatur Spiritus sanctus*.

G Eph. 1. l. 5. & c. 4. l. 10. ibi, signati. 2. Cor. 1. l. 5. ibi, signauit.

Spiritus sancti charitas distinctiuum Christianorū, & filiorum Dei signum

Judæorum signum corporale, scilicet circumcisio: Christianorū spirituale, scilicet charitas.

H Io. 14. l. 4. lit. a.

Spiritus sanctus, cum sit amor Dei, non datur nisi Deum amantibus.

I Ibid. lit. c.

L 1. Io. 2. §. 5. ibi.

Hinc Mundus non potest Spiritum sanctum accipere: idest Mundi dilectores.

M Io. 16. l. 2. lit. c. & l. 7. lit. a. fi.

1 *Mundus inquam eum non accipit, nisi oderit quis Mundum, & per charitatis amorem Deo inhæreat*. *Quòd si quis in corde Spiritum sanctum habeat inhabitantem, sola potest inde culpa depelli*. *Siquidem* gratia N adoptionis nunquam perditur sine culpa. *Et hoc est, quod ait Apostolus ad Eph.* 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei. *Et hæc Apostoli* metaphorica O est locutio: sicut enim Deus dicitur irasci propter similitudinem effectus, ita etiam dicitur contristari: quia sicut quando aliquis contristatur, recedit à contristante, ita spiritus sanctus à peccante. Et sic est sensus: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*; idest, nolite eum fugare, vel expellere per peccatum, Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate*. Corripietur: idest P expelletur. *Eodemque quoque sensu, cum Spiritus sanctus ignis sit charitatis, dicitur 1. Thess.* 5. Spiritum nolite extinguere. *Vbi Author*: Dicitur Q quis extinguere Spiritum, uno modo feruorem eius extinguendo, vel in se, vel in alio, Rom. 12. *spiritu feruentes*; cum enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus sancti vult facere; vel etiam cum aliquis bonus motus surgit, & ipse impedit: extinguit Spiritum sanctum, Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Alio modo mortaliter peccando, Spiritus sanctus e.

N 3. p. 50. 2. c.

O Eph. 4. l. 10. ibi.

Gratia Spiritus sancti nunquam perditur sine culpa, quæ solummodò pellitur ab humano corde per illam.

P Hebr. 10. l. 3. ibi, spiritur

Q 1. Thes. 5. l. 2. ibi.

Exponitur illud: *Spiritum nolite extinguere*.

Si Spiritum Sanctum non recipimus, culpa nostra est.

in se semper viuit, sed in nobis viuit, quando facit nos in se viuere: sed quando quis peccat mortaliter, non viuit in ipso Spiritus sanctus. *Porrò ignis iste diuinus inflammat omnes, omnes illuminat, qui nec ab eo se abdunt, nec longè stant*, Ps. 18. A summo Cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius. *Quibus in uerbis prophet icè innuitur missio spiritus sancti à Christo in discipulos*. Quando enim sol R est in alto, omnes calefacit: sicut Christus *iustitia sol* ascendens (Ps. 67. *Ascendisti in altum &c.*) misit Spiritum sanctum discipulis, vnde dicit: *Nec est qui se abscondat à calore eius*. Sed numquid multi non recipiunt calorem eius? Et dicendum; quòd sicut est de sole materiali, ita contingit de Spiritu Sancto. Multi autem possunt se abscondere, & non recipere calorem solis, sed sol ex parte sua se exhibet omnibus. Sic & Spiritus Sanctus effunditur vbique, & petit ab omnibus recipi, nisi aliqui se per malitiam abscondant. *Illuminat ergo omnes sol iste diuinus, qui lucem non oderint, & tenebras peccati non quærunt: omnes inflammat calicus iste ignis, qui per culpam ab eo non distant, aut longè sunt*, Eph. 2. Qui aliquando eratis longè &c. *Sanè qui diuinum hunc ignem in corde fouet eius inducit similiter proprietates. Hinc Dominus ad Nicodemum dicebat* Io. 3. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: *Oportet vos nasci denuo*. Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis, vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. *Vbi docemur, quòd hæc verba dupliciter exponuntur*. Vno S modo *secundùm Chrysostomum* accipitur spiritus pro vento, sicut in Ps. 148. *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Et secundùm hoc quatuor dicit de vento. Primò venti potestatem, cum dicit: *Spiritus ubi vult spirat*; idest ventus, quò vult flat. Et si dicas, quòd ventus non habet voluntatem: dicendum, quòd voluntas sumitur pro appetitu naturali, qui nihil est aliud, quàm naturalis inclinatio, de qua dicitur Iob 28. *Qui fecit ventis pondus*. Secundò ponit venti indicium, cum dicit: *& vocem eius audis*. Et sumitur vox pro sono, quem facit ventus ex percussione ad aliquod corpus, de quo dicitur in Ps. 76. *Vox tonitrui tui in rota*. Tertiò ponit venti originem, quæ occulta est; vnde dicit: *Et nescis, vnde veniat*, idest vbi oriatur, Ps. 134. *Qui producit ventos de thesauris suis*. Quartò ponit venti finem, qui similiter occultus est; vnde dicit: *aut quò uadat*, supple *nescis*, idest vbi persistat. Et hanc quidem similitudinem inducit Dominus ad propositum, cum dicit: *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu*. Quasi dicat: Si ventus, qui est corpus, habet occultam originem, nec potest sciri eius processus: quomodo miraris, si tu non potes scire processum regenerationis spiritualis? Sed contra hanc expositionem obiicit *Augustinus*, dicens, quòd Dominus non intellexit de vento, cum dixit: *Spiritus ubi uult spirat &c.* Nam de quolibet vento *scimus unde ueniat, aut quò uadat*. Auster enim venit à meridie, & vadit ad Aquilonem. Boreas verò è conuerso ab Aquilone ad meridiem vadit & c. Quomodo ergo de spiritu corporeo dicit Dominus: *Nescis unde ueniat, aut quò uadat?* Sed ad hoc responderi potest, quòd principium venti potest sciri dupliciter. Vno modo in generali: & hoc modo scitur, *unde ueniat*, idest à qua Mundi parte sicut scitur, quòd Auster venit à meridie: *& quò uadat*, quia ad Aquilonem. Alio modo in speciali: & hoc modo nescitur, *unde ueniat*, idest in qua plaga determinatè incipiat: *aut quò uadat*, vbi scilicet determinatè cesset. Et cum *Chrysostomo* ad hanc expositionem conueniunt omnes ferè Græci Doctores. *Alio modo* exponitur de Spiritu Sancto; & secundùm hoc quatuor ponit de Spiritu Sancto. Primò quidem eius potestatem, cum dicit: *Spiritus ubi uult spirat*; quia pro libero potestatis arbitrio inspirat, vbi vult, & quando vult, corda illustrando, 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout uult*. (Ex quo confutatur error *Macedonii* ponentis Spiritum Sanctum esse ministrum Patris & Filii: non enim spiraret, vbi ipse vellet, sed vbi ei mandaretur.) Secundò ponit Spiritus Sancti indicium, cum dicit: *Et uocem eius audis*, Ps. 94. *Hodie si uocem eius audieritis &c.* (Sed contra hoc obiicit *Chrysostomus*, dicens quòd non potest intelligi de Spiritu Sancto. Dominus enim loquebatur cum Nicodemo, qui adhuc infidelis erat, cui non competebat audire vocem Spiritus Sancti: Sed dicendum *secundùm Augustinum*, quòd Spiritus Sancti est duplex vox. Vna qua loquitur intus in corde hominis: & hanc audiunt solùm fideles & Sancti, de qua dicitur in Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Alia est, qua Spiritus Sanctus loquitur in scripturis, vel per Prædicatores, secundùm illud Mat. 10. *Non enim uos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis*. Et hanc audiunt etiam infideles & peccatores.) Tertiò ponit Spiritus Sancti originem, quæ occulta est; vnde dicit: *Et nescis, unde ueniat*, licèt vocem eius audias. Et hoc ideò, quia venit à Patre & Filio. Pater autem & Filius *lucem inhabitant inaccessibilem, quam nullus hominum uidit, sed nec uidere potest*, vt dicitur 1. Tim. 6. Quartò ponit Spiritus Sancti finem, qui quidem occultus est; & ideò dicit, *aut quò uadat*, supple *nescis*, quia perducit ad occultum finem, scilicet ad beatitudinem æternam, 1. Cor. 2. *Oculus non uidit, nec auris audiuit &c.* Vel *nescis, unde ueniat*; idest, quomodo hominem introeat: *aut quò uadat*; idest ad quam perfectionem illum adducat. *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, idest sicut Spiritus Sanctus. Nec mirum; nam supra dixerat: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*; quia in viro spirituali sunt proprietates Spiritus Sancti, sicut in carbone succenso sunt proprietates ignis. Primò namque habet libertatem, 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*: quia Spiritus Domini ducit ad id, quod rectum est, Ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me &c.*, & liberat à seruitute peccati, & legis. Rom. 8. *Lex spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis*. Secundò eius indicium sumis per vocem verborum suorum, quæ dum audis, cognoscis eius spiritualitatem, Mat. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur*. Tertiò habet originem occultam & finem: quia nullus potest spiritualem iudicare, 1. Cor. 2. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*. Vel *nescis* (*specialiter Nicodemo respondet Dominus*) *unde ueniat* principium spiritualis natiuitatis eius, quod est gratia baptismalis: *aut quò uadat*, idest quo dignus efficiatur, idest vita æterna, quæ tibi adhuc occulta est. *Et hinc legem ueterem uocat Apostolus spiritualem*, Rom. 7. Scimus enim, quòd lex spiritualis est. *Lex scilicet* T *vetus*, *spiritualis est*, idest à Spiritu Sancto data, qui digitus Dei dicitur in scripturis, Luc. 11. *Si in digito Dei eiicio demonia* (*pro quo* Mat. 12. *legimus*: Si in Spiritu Dei eiicio demonia; *idest* in Spiritu Sancto V quia digitus Dei Spiritus Sanctus est, sicut Filius manus, Ps. 20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*: *Dextera tua &c.* idest X Christus Filius tuus:) Vnde dicitur Ex. 31. *Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei*. Lex tamen noua, non solùm dicitur spiritualis, sed lex Spiritus, Rom. 8. *Lex Spiritus uitæ &c.* quia non solùm à Spiritu Sancto est: sed Spiritus Sanctus eam imprimit cordi, quod inhabitat.

Margin notes:

R *Ps. 18. lit. ibi.*

S *Io. 3. l. 2. ibi. Op. 6. §. 11.*

Exponitur illud: *Spiritus ubi uult spirat etc.*

Spiritus et pro vento sumitur.

Ventorum origo occulta et finis.

Principium venti potest sciri in generali, in speciali non ita.

Cum Chrysostomo exponunt de vento ferè omnes Græci Doctores.

Aliter exponitur de Spiritu Sancto: Error Macedonii confutatur.

Spiritus Sancti duplex vox

In homine Spiritum Sanctum habente sunt proprietates Spiritus Sancti, sicut in carbone accenso proprietates ignis.

T *Rom. 7. l. 3 initio.*

Spiritus Sanctus digitus Dei, Filius manus.

Lex vetus, spiritualis: noua, lex spiritus.

V *Mat. 12. lit. ibi.*

X *Ps. 20. lit. f.*

Viri spirituales Spiritu Dei aguntur: nec tamen tollitur, quin per lib. arbitrium operentur.

Y Rom. 8. l. 3. ibi, & cap. 9. l. 2.

m *Cuius ideò instinctu ad benè operandum mens hominis mouetur & cor. Vnde Apostolus Rom.* 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei. *Etenim* illa Y agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu mouentur; vnde de brutis dicimus., quòd non agunt, sed aguntur: quia à natura mouentur, & non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundùm illud Is. 59. *Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Dei cogit*. Et Luc. 4. dicitur, quòd Christus *agebatur à spiritu in desertum*. Non tamen per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem & liberum arb. operentur: quia ipsum motum voluntatis, & lib. arb. Spiritus Sanctus in eis causat, secundùm illud Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere*. Considerandum est autem, quomodo *illi, qui spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei*. Quod manifestum est ex similitudine filiorum carnalium, qui per semen carnale à patre procedens generantur. Semen autem spirituale à Patre procedens est Spiritus Sanctus. Et ideò per hoc semen aliqui homines in filios Dei generantur. *Vnde* 1. *Io.* 3. *dicitur*: Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. *Et alibi coherenter, super illud ad Gal.* 4. Quoniam autem estis Filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra &c. *instruimur, quòd Apostolus* ibi Z dicit *in corda vestra*, quia duplex est generatio. Vna carnalis, quæ fit per semen carnale missum in locum generationis: quod quidem semen, licet sit quantitate paruum, tamen virtute continet totum. Alia est spiritualis: quæ fit per semen spirituale transmissum in locum spiritualis generationis, qui quidem locus est mens, siue cor hominis, quia in Filios Dei generamur per mentis renouationem. Semen autem spirituale est gratia Spiritus Sancti, 1. Io. 3. *Qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conseruat eum*. Et hoc semen est virtute continens totam perfectionem beatitudinis. Vnde dicitur beatitudinis pignus, Eph. 1. *Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ*. Dicitur *autem* pignus A in quantum facit certitudinem de promissa hereditate. Nam Spiritus Sanctus, in quantum adoptat in filios Dei, est spiritus promissionis: & ipse met est pignus promissionis hereditatis adipiscendæ. Sed ut dicitur in glossa, alia litera habet, *qui est arrha hereditatis nostræ*; & fortè meliùs: quia pignus est aliud à re, pro qua datur, & redditur postquam ille, qui pignus recepit, rem sibi debitam recipit. Arrha autem non est aliud à re, pro qua datur; nec redditur, quia datur de ipso pretio, quod non est auferendum, sed complendum. Deus autem dedit nobis charitatem, tanquam pignus per Spiritum Sanctum, qui est Spiritus veritatis & dilectionis. Et ideo huiusmodi non est aliud, quàm quædam particularis & imperfecta participatio diuinæ charitatis & dilectionis; quæ quidem non est auferenda, sed perficienda. Et ideò magis propriè dicitur Arrha, quàm pignus. Potest nihilominus & pignus dici. Nam per Spiritum Sanctum Deus nobis diuersa dona largitur: quorum quædam manent in Patria, ut *charitas*, quæ *nunquam excidit*, 1. Corin. 13. quædam verò propter sui imperfectionem non manent, sicut fides & spes, quæ euacuabuntur, ut ibidem dicitur. Sic ergo Spiritus sanctus dicitur Arrha per respectum ad ea, quæ manent: pignus verò per respectum ad ea, quæ euacuabuntur. *Et ad illud* 2. *Cor.* 1. Qui dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, *notat Author, quòd* in pignore B duo sunt consideranda, scilicet quòd faciat spem habendæ rei, & quòd valeat tantum, quantum valet res, uel plus: & hæc duo sunt in Spiritu sancto quia si consideremus substantiam Spiritus sancti, sic ualet tantum Spiritus sanctus, quantum uita æterna, quæ est ipse Deus: quia scilicet ualet, quantum omnes tres personæ. Si verò consideretur modus habendi, sic facit spem, & non possessionem vitæ æternæ, quia nondum perfectè habemus ipsum in vita illa. *Habemus tamen ipsum ut pignus hereditatis æternæ, quatenus per dona sua uiam nobis parat ad illam*. Manifestum C est *enim*, quòd sicut ad hoc, quòd corpus aliquod ad locum ignis perueniat, oportet quòd igni assimiletur, leuitatem acquirens, ex qua motu ignis proprio moueatur: ita ad hoc, quòd homo ad diuinæ fruitionis beatitudinem, quæ Deo propria est secundùm suam naturam perueniat; necesse est primò quidem, quòd per spirituales perfectiones Deo assimiletur; & deinde secundùm eas operetur, & sic tandem prædictam beatitudinem consequetur. Dona autem spiritualia nobis per Spiritum sanctum dantur; & sic per Spiritum sanctum Deo configuramur, & per ipsum ad benè operandum habiles reddimur; & per eundem ad beatitudinem nobis via præparatur: (*quod aiebat initio Author.*) Quæ tria Apostolus nobis insinuat 2 Cor. 1. dicens *Vnxit nos Deus: & signauit nos: & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*. Signatio enim ad similitudinem configurationis pertinere uidetur: unctio autem ad habilitatem hominis ad perfectas operationes: pignus autem ad spem, qua ordinamur in cælestem hereditatem, quæ est beatitudo perfecta. *De his autem singillatim donis fusè Num. seq.*

Spiritus Sanctus spirituale semen, quo in Filios Dei generamur.

Z Gal. 4. l. 3. ibi.

Pignus æternæ hereditatis.

A Ephe. 1. l. 5. ibi. Op. 6. §. 11.

Differentia inter pignus et arrham.

Duo in pignore consideranda, quæ sunt in spiritu sancto.

B 2. Cor. 1. l. 5. ibi, & c. 5. l. 2. ibi, pignus. ad Gal. 3. l. 2. f.

C 4. con. G. c. 21.

Per Spiritum sanctum Deo configuramur: habiles reddimur ad bene operandum: et ad hereditatem æternam præparamur.

Moralitas.

D Gal. 5. l. 4. ibi.

n *Hortabatur ideircò Apostolus ad Gal.* 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. *Spiritu ambulate*, idest D Spiritu sancto proficite, benè operando. Ad hoc enim Spiritus sanctus movet & instigat corda. Nam Spiritus humanus per se vanus est; & nisi regatur aliunde, fluctuat hac atque illac, Eccli. 34. *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa uisitatio &c.* & ideò dicit Apostolus: *Spiritu ambulate*, idest per Spiritum sanctum regentem & ducentem. Quem sequi debemus, sicut demonstrantem viam: nam cognitio supernaturalis finis non est nobis, nisi à Spiritu sancto, 1. Cor. 2. O*culus non vidit &c.* Et sequitur: *nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*. Item sicut inclinantem: nam Spiritus sanctus instigat, & inclinat affectum ad benevolendum, Ps. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me &c.* Ideò autem spiritu ambulandum est, quia liberat à corruptione carnis. Vnde sequitur: *& desideria carnis non perficietis*, idest delectiones, quas caro suggerit. Et rationem subdit: Caro enim concupiscit aduersùs spiritum; spiritus autem adversùs carnem. *At verò quamuis tanti valeat primum hoc ac donum, uidelicet Spiritus sanctus, tantùm abest, ut ab aliquibus super omnia & præ omnibus æstimetur, quòd immò illorum eam vocem reddant, qui* Act. *19. dicebant*: Neque si Spiritus sanctus est, audiuimus: *qui tamen spiritum fornicationis benè norunt, cuius & facillimè instinctum sequuntur & ductum. Ex quo non mirum, si consolatorem spiritum, eiusque in donis dulcedinem non sapiunt, quia carnalium sapore palatum habent infectum*, 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. *Non percipit*: sicut E etiam homini habenti gustum infectum malo humore, non sapiunt dulcia, 1. Pet. 2. *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*, videlicet F palato sano, quàuis amarus videtur palato febricitantis; nã qui nihil de eius dulcedine gustat, nõ est mirũ, si terrenis desiderijs sordidari non euitat. *Aliqui verò intellectu quidẽ per fidẽ percipiunt, sed*

E 2. 2. q. 46. a. 1. & 1. Cor. 2. l. 3. ibi, animalis.

F 1. Pet. 2. § 6. ibi.

volun-

voluntati contradicunt, & renituntur, Act. 7. Vos autem semper Spiritui Sancto resistitis. *Cuius tamen iustum, seuerumque iudicium non effugient, dicente Apostolo ad Hebr.* 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? *idest* Spiritui G gratis dato. *Ad quod benè sequitur*: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. *Neque enim datur euasionis modus*, Iob 11. Effugium peribit ab eis. *Et Ps.* 138. Quò ibo à Spiritu tuo? *Certum est enim, quòd* Spiritus vbi vult spirat, *vel in bonos, eos consolando: vel in malos, affligendo & condemnando, in præsenti nimirùm vita & in futura*. DISCE *Spiritus Sancti ductum sequi, non suggestionem spiritus mali*. *Vide* Adoptio diuina, Amor hominis erga Deum, Apostoli, Christi gratia, & Baptismus *Tomo* 1. Deus Trinus, Fortitudo, Gratia Dei *Tomo* 2. Virtus.

O Hebr, 10. l. 3 ibi.

XIII. Si habitus virtutis perficiat ad benè operandum humano modo, dicitur virtus: si verò perficiat ad bene operandum supra modum humanum, dicitur donum: Actus autem virtutis, vel est perficiens; & sic est beatitudo: vel est delectans; & sic est fructus. *Ad Gal.* 5. *lit. b.* ibi, *fructus*.

O C*Vm Numero præcedenti visum sit, quòd Spiritus Sanctus procedit in diuinis, vt amor, consequenter & in ratione doni procedere, asserendum est. Nam* donum H propriè est datio irredibilis secundùm Philosophum; idest, quod non datur intentione retributionis; & sic importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitæ donationis est amor: ideò enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Vnde manifestum est, quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus Sanctus procedat vt Amor, procedit in ratione doni primi. *Ex quo infertur, quòd quia* illud I quod est primum in quolibet genere, est causa omnium, quæ sunt in illo genere (*vt habetur ex verbis Philosophi in 2. Metaph.*) & Spiritus Sanctus habet rationem primi doni, per ipsum dantur omnia dona. *Vnde* dicit L Augustinus 15. *de Trin*, quòd per donum, quod est Spiritus Sanctus multa propria dona diuiduntur membris Christi. *Quod habetur & in Ps. 67.* Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. *Et hæc quidem dona, septem sunt: ex quibus Spiritus Sanctus septiformis dicitur Spiritus, Apoc.* 1. Et à septem spiritibus, *idest* à Spiritu Sancto M qui est vnus in natura, sed septuplex in gratia, Sap. 7. *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex. Vnicus* virtute naturæ, *multiplex* gratiarum distributione. *Singillatim autem septem hæc Spiritus Sancti dona recensentur Is.* 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini. *Quocirca & ad euidentiam* N eorum, quæ hic dicuntur, oportet videre quinque circa hæc dona. Primò qualiter differant à virtutibus, beatitudinibus, & fructibus. Secundò de numero ipsorum. Tertiò de ipsorum ordine. Quartò qualiter sint in Christo. Quintò quomodo attribuantur

H 1. p. 38. 2. c. In 1. d 18. 1. 2. ad Hann. ibid. Ver. 7. 3. ad 3.

Donũ quid.

Amor rationem habet primi doni.

I 1. d 18. 1. 3. in sed contra & in corp.

Spiritus Sanctus procedẽs vt Amor, procedit in ratione doni primi.

L 1. p. 38. 2. fi. c.

Dona Spiritus Sancti septem, vnde Spiritus dicitur septiformis.

M Apoc. 1. Com. 2. 9. 2. & com. 1. ibi.

N Is. 11 ibi, & 1. 2. 68. 69. & 70. a 1. 2. 3. In 3 d. 34. 9. 1.

Qualiter differant à virtutibus.

Spiritui Sancto. Circa primum sciendum est, quòd dona dantur in adiutorium virtutum, quibus perficiuntur animæ potentiæ ad actus proportionatos secundùm modum humanum; sicut fides, quæ facit videre in speculo, & in ænigmate. Est autem duplex defectus virtutis. Vnus per accidens, qui est ex indispositione habẽtis, ex qua indispositione manet in subiecto; & iste defectus tollitur per augmentum virtutis. Alius defectus est per se ex parte ipsius habitus: sicut fides secundùm dispositionem est in continente imperfecta, quia ænigmatica. Et iste defectus tollitur per altiorem habitum, qui vocatur donum, quia quasi excedit modum humanæ operationis à Deo datum; sicut donum intellectus, quod facit aliquo modo limpidè & clarè intueri quæ sunt fidei. Operatio autem procedens à virtute perfecti dono, dicitur beatitudo; quæ nihil aliud est, quàm operatio secundùm virtutem perfectam, vt dicit Philosophus; sicut dicitur Mat. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Talem autem operationem necessariò sequitur delectatio, quia delectatio est operatio proprij habitus non impedita, vt dicit Philosophus. Et secundùm hoc dicitur fructus. Vnde dicit *Ambrosius* super illud ad Gal. 5. *Fructus autem Spiritus charitas, gaudium &c.* quòd dicuntur fructus, *in quantùm mentes sincera dilectione reficiunt*. Circa secundum sciendum, quòd numerus donorum potest accipi tripliciter: quia dona perficiunt, aut per recessum à malo; & sic est *Timor*. Aut per accessum ad bonum; & sic vel secundùm vitam contemplatiuam, vel secundùm actiuam. Si secundùm contemplatiuam, aut secundùm contemplationem finis; & sic est *Sapientia*, quæ est de causis altissimis: aut de his, quæ sunt ad finem; & sic est *intellectus*: sicut de substantijs spiritualibus, & de his, quæ ad eas pertinent. Si secundùm actiuam, aut quantùm ad ea, ad quæ tenentur omnes; & sic exequens est *Pietas*, quæ est beneuolentia in eos, qui fide vel imagine Dei sunt nuncij, & dirigens *Scientia*. Aut de his ad quæ non tenentur omnes, & exequens est *Fortitudo*, vt exponat se difficilibus: dirigens verò *Consilium*. *Quoad* Tertium, ordinantur primò, secundùm quod perfectiones sunt. Et hic ordo consideratur secundùm exitum donorum à dante, & non secundùm quod recipiuntur. Et sic patet quòd sapientia dirigit intellectum, quia sapientis est ordinare & per prima aliquis regulatur, sicut Metaphysicus alias scientias: consilium dirigit fortitudinem, scientia pietatem, timor in omnibus, quia idem dirigit in accessu ad bonum, & in recessu à malo. *Circa quartum* sciendum, quòd Christus habuit ista dona secundùm excellentissimos vsus ipsorum. Non enim habuit timorem seruilem, vt timeret pœnam: vel filialem, vt timeret peccare; sed castum timorem, qui est reuerentiæ, Hebr. 4. *Exauditus est pro sua reuerentia*. Et sic de alijs. Dicitur autem specialiter, quòd *repleuit eum spiritus timoris Domini*, ne ex magnitudine donorum superbus credatur, sicut primus Angelus: vel quia per humilitatem saluare venerat: vel quia in hoc se imitari voluit. *Circa quintum* sciendum est, quòd si considerentur ista dona secundùm proprias rationes, sicut scientia, in quantùm est scientia: tunc quædam appropriantur Filio, quæ pertinent ad perfectionem intellectus: quædam Spiritui Sancto, quæ pertinent ad perfectionem affectus: quamuis omnia communiter sint dona totius Trinitatis. Si autem considerentur, in quantùm habent rationem doni: sic omnia attribuuntur Spiritui Sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur. Similiter etiam, si considerentur quantùm ad principium motionis talium donorum, quod est amor: bonitas enim Dei, vt dicit

Diony-

Quid beatitudo, & in quo differat à dono & virtute.

Quid fructus & eius à præfatis distinctiuum.

Numeri donorum conuenientia.

Ipsorũ ordo.

An fuerit in Christo.

An omnia appropriari debeant Spiritui Sancto.

Dionysius, est diffusiua omnium, quæ recipiuntur in creaturis à Deo, quæ appropriantur Spiritui Sancto.

Distinctio eorum à virtutibus apertiùs probatur.

P 1.2.68.1.c. & 2.2.19.9.c. & 139.1.& 3.p.7.5.ad 1.in 3.d.34.1.4.1.& 4.& 9.3.1. Gal.5.l.6.

p *Quamuis autem in præmissis necessaria ad donorum notitiam exposita sint: ad clariorem tamen intelligentiam, alia quadam subiicimus. Et quidem à virtutibus distingui, ex modo probatur loquendi sacræ Scripturæ*: in qua P nobis traduntur, non quidem sub ratione donorum, sed magis sub nomine spirituum: dicitur enim Is.11.cit. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus* &c. ex quibus verbis manifestè datur intelligi, quòd ista septem enumerantur ibi, secundùm quod sunt in nobis ab inspiratione diuina: inspiratio autem significat quandam motionem ab exteriori. Est enim considerandum, quòd in homine est duplex principium mouens: vnum quidem interius, quod est ratio; aliud autem exterius, quod est Deus. Manifestum est autem, quòd omne, quod mouetur, necesse est proportionatum esse motori; & hæc est perfectio mobilis, in quantùm est mobile, dispositio qua disponitur ad hoc, quòd benè moueatur à suo motore. Quanto igitur mouens est altior, tantò necesse est, quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur: sicut videmus, quod perfectius oportet esse discipulum dispositum ad hoc, quòd altiorem doctrinam capiat à Doctore. Manifestum est autem, quòd virtutes humanæ perficiunt hominem, secundùm quod homo natus est moueri per rationem in his, quæ interiùs, vel exteriùs agit. Oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundùm quas sit dispositus ad hoc, quòd diuinitus moueatur: & istæ perfectiones vocantur dona, non solùm, quia infunduntur à Deo, sed quia secundùm ea homo disponitur, vt efficiatur promptè mobilis ab inspiratione diuina, sicut dicitur Is.50. *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii*. Et Philosophus etiam dicit *in cap. de bona fortuna*, quod his, qui mouentur per instinctum diuinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam; sed quòd sequantur interiorem instinctum, quia mouentur à meliori principio, quàm sit ratio humana. Et hoc est, quod quidam dicunt, quòd dona perficiunt hominem ad altiores actus, quam sint actus virtutum.

In quo propriè donum consistat.

Quod verum est etiam respectu virtutum infusarum: *nam* modus Q operandi, qui est in virtutibus, est secundùm conditionem humanam, quamuis substantia habitus sit ex diuino munere. *Et hinc est, quòd* si R comparemus dona ad alias virtutes intellectuales, vel morales, dona præferuntur virtutibus, quia dona perficiunt vires animæ in comparatione ad Spiritum Sanctum mouentem; virtutes autem perficiunt vel ipsam rationem, vel alias vires in ordine ad rationem. Manifestum est autem, quòd ad altiorem motorem oportet maiori perfectione mobile esse dispositum; vnde perfectiora sunt dona virtutibus. *Cæterùm* animus S hominis non mouetur à Spiritu Sancto, nisi ei secundùm aliquem modum vniatur; sicut instrumentum non mouetur ab artifice, nisi per contactum, aut per aliquam aliam vnionem. Prima autem vnio hominis ad Deum est per fidem, spem, & charitatem: vnde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum. Vnde & omnia dona pertinent ad has tres virtutes, sicut quædam deriuationes prædictarum virtutum: *proinde* dona T non sunt perfectiora virtutibus theologicis: *sed* magis omnia dona ad perfectionem theologicarum virtutum ordinantur, sicut ad finem. *Nec dubium est, quin præfata dona sint habitus quidam*. Hoc *enim* modo V dona Spiritus Sancti se habent ad homines in comparatione ad Spiritum Sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vim appetitiuam in comparatione ad rationem. Virtutes autem morales, habitus quidam sunt, quibus vires appetitiuæ disponuntur ad promptè obediendum rationi: vnde & dona Spiritus Sancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui Sancto. *Et earum quidem* tria X scilicet dona pietatis, fortitudinis, & timoris, pertinent ad vim appetitiuam: alia, scilicet sapientia, intellectus, scientia, & consilium, ad vim cognoscitiuam pertinent.

Q 3.d.34.1.1.ad 2.& 2.2.68.1.ad 3.

R 1.2.68.8.fi. c.& 2.2.9.1.ad 3.in 3.d.34.1.1.ad 5.& d.35.2.3.Virt.2.2.ad 17.

Dona præferuntur virtutibus.

S 1.2.l.c.a.4.ad 3.& 2.2.19.9.ad 4.& 139.2.ad 2.

Virtutes theologicæ præsupponuntur ad dona, sicut radices donorum.

T 2.2.9.1.ad 3.& locis cit.

Dona sunt habitus quidam.

V 1.2.68.3.c.

X 2.2.8.6.initio c.

Tria ad vim appetitiuam, cætera ad cognoscitiuam pertinent.

Y 2.2.45.1.c.in 3.d.35.2.1.q.1.

Donum sapientiæ quid.

q *Inter hæc autem primum, quod recensetur, est donum sapientiæ*. Ad Y sapientem enim pertinet considerare causam altissimam, per quam certissimè de alijs iudicatur, & secundùm quam omnia ordinari oportet. Causa autem altissima dupliciter accipi potest, vel simpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo, qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere, & per eam potest de omnibus, quæ sunt illius generis, iudicare, & ordinare, dicitur esse sapiens in illo genere, vt in medicina, vel architectura, secundum illud 1.Cor.3. *Vt sapiens architectus fundamentum posui*. Ille autem, qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quæ est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantùm per regulas diuinas omnia potest iudicare & ordinare. Huiusmodi autem iudicium consequitur homo per Spiritum Sanctum, secundùm illud 1. Cor. 2. *Spiritualis iudicat omnia, quia spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, vt ibidem dicitur. *Neque sapientia hæc eadem est aut cum ea, quæ ponitur virtus intellectualis; neque ex eo, quòd diuina contempletur, eadem cum fide. Nam* illa Z acquiritur studio humano, hæc autem est desursum descendens, vt dicitur *Iac.* 3. Similiter & differt à fide: nam fides assentit veritati diuinæ secundùm se ipsam; sed iudicium, quod est secundùm veritatem diuinam, pertinet ad donum Sapientiæ. Et ideò donum sapientiæ præsupponit fidem, quia vnusquisque benè iudicat, quæ cognoscit, vt dicitur *in 1. Ethic*. *Vnde* sicut A se habet sapientia, quæ est virtus intellectualis, ad intellectum principiorum: ita se habet sapientia, quæ est donum, ad fidem, quæ est cognitio simplex articulorum, quæ sunt principia totius Christianæ sapientiæ. Et ideò sapientia est donum, fides autem virtus. *Nec solùm speculatiua est, sed & practica*: sicut *enim* dicit B Augustinus 12. *de Trin*. Superior pars rationis, sapientiæ deputatur: inferior autem, scientiæ. Superior autem ratio intendit rationibus supernis, scilicet diuinis, & conspiciendis & consulendis. Conspiciendis quidem, secundùm quod diuina in se ipsis contemplatur: consulendis autem, secundùm quod per diuina iudicat de humanis actibus, per diuinas regulas dirigens actus humanos. Et sic sapientia, secundùm quod est donum, non solùm est speculatiua, sed etiam practica. *Hinc dono sapientiæ contrariatur stultitia*. Stultus *quippe* dicitur C ex hoc, quòd peruersè iudicat circa communem finem vitæ: & ideò propriè opponitur sapientiæ, quæ facit rectum iudicium circa vniuersalem causam. *Cum autem dicitur Iob* 28. Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & *Prou*. 1. Timor Domini, principium sapientiæ: *eo sensu intelligitur, quia timor Domini est manifestatiuus sapientiæ*. Per D hoc enim ostenditur, quòd homo habet rectum iudicium de diuinis, quòd Deum timet & colit. *Et iterùm* quia E ratio timendi Deum præcipuè sumitur ex consideratione excellentiæ diuinæ, quam considerat sapientia. *Vel tandem*: quia F per timorem Domini homo Deo inhæret; in quo est vera Sapientia hominis, sicut in altissima causa. *Donum autem intellectus consideratur*: *quia* (multa G sunt genera eorum quæ interiùs latent, ad quæ oportet cognitionem homi-

Z 2.2.l.c.a.2.in 3.l.c.ad 1.

Differt à sapientia virtute, & à fide.

A In 3.loco cit.

B 2.2.45.3.c.& 4.6.ad 3.in 3.l.c.a.1.q.3.

Sapientia hæc, speculatiua est, & practica.

Ei opponitur stultitia.

C 2.2.8.6.ad 1.& 46.a 1.

Exponitur illud Iob: *Timor Domini, ipsa est sapientia*.

D 2.2.45.1.ad 3.

E 1.2.68.4.ad 5.

Donum intellectus quid.

F Iob 28.fi.c.

G 2.2.8.1.c.in 3.d.35.2.2.q.1.

hominis, quasi intrinsecus penetrare. Cum autem cognitio hominis à sensu incipiat, quasi ab exteriori, manifestum est, quòd quanto lumen intellectus est fortius, tantò potest magis ad intima penetrare. Lumen autem naturale nostri intellectus est finitæ virtutis: vnde vsque ad terminatum aliquid pertingere potest. Indiget ergo homo supernaturali lumine, vt vlteriùs penetret ad cognoscendum quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Et illud lumen supernaturale homini datum, vocatur donum intellectus. *Ex quo differentia huius doni à cæteris ad vim cognoscitiuam pertinentibus innotescit. Nam* circa ea H quæ fidei proponuntur credenda, duo requiruntur ex parte nostra. Primò quidem, vt intellectu penetrentur vel capiantur; & hoc pertinet ad donum intellectus. Secundò autem oportet, vt de eis homo habeat iudicium rectum, vt æstimet, his esse inhærendum, & ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo iudicium quantùm ad res diuinas, pertinet ad donum sapientiæ: quantùm verò ad res creatas, pertinet ad donum scientiæ: quantum verò ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilij. *Donum ergo consilij astruitur: quia* proprium est I rationali creaturæ, quòd per inquisitionem rationis moueatur ad aliquid agendum: quæ quidem inquisitio consilium dicitur. Et ideò Spiritus Sanctus dicitur per modum consilij creaturam rationalem mouere: propter quod, consilium ponitur inter dona Spiritus Sancti. *Et quamuis* prudentia L vel eubulia, siue sit acquisita, siue infusa, dirigit hominem in inquisitione consilij secundùm ea, quæ ratio comprehendere potest (vnde homo per prudentiam, vel eubuliam fit bene consilians vel sibi, vel alij;) quia tamen humana ratio non potest comprehendere singularia & contingentia, quæ occurrere possunt: fit, quòd *cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ,* vt dicitur *Sap. 9.* Et ideò indiget homo in inquisitione consilij dirigi à Deo, qui omnia comprehendit: quod fit per donum consilij, per quod homo dirigitur, quasi consilio à Deo accepto. Sicut etiam in rebus humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilij, à sapientioribus consilium requirunt. *Quoad donum verò fortitudinis,* sciendum est M quòd fortitudinis virtus mensuram sui actus habet humanas vires; vnde ea, quæ supergrediuntur vires hominis, neque aggreditur, neque sustinet. Vnde Philosophus *in 3. Ethic.* dicit, quòd *fortis est insupesallibilis vt homo*, in his scilicet terribilibus, quæ sunt secundùm hominem. Sed donum fortitudinis habet pro mensura sui actus diuinam potentiam, de cuius auxilio confidit, sicut dicitur in Ps. 17. *In Deo meo transgrediar murum;* idest, omne quod posset humanæ infirmitati obuiare. *Cuiusmodi habuere Sancti Martyres in sustinentia tormentorum.* (*De Donis Consilij & Fortitudinis, vide fusè V.* Consilium *Tomo 1.* & Fortitudo *Tomo 2.*) *Quid pariter sit scientia donum, innotescet: si consideramus,* quòd cum homo N per naturalem rationem assentit secundùm intellectum alicui veritati, dupliciter perficitur circa veritatem illam. Primò quidem, quia capit eam. Secundò quia de ea certum iudicium habet. Et ideò ad hoc, quòd intellectus humanus perfectè assentiat veritati fidei, duo requiruntur. Quorum vnum est, quòd sanè capiat ea, quæ proponuntur: quod pertinet ad donum intellectus. Aliud autem est, vt habeat certum & rectum iudicium de eis, discernendo scilicet credenda à non credendis: & ad hoc necessarium est donum scientiæ. *Sextum est donum pietatis. Nam* dona O Spiritus Sancti sunt quædam habituales animæ dispositiones, quibus est promptè mobilis à Spiritu Sancto. Inter cætera autem mouet nos Spiritus Sanctus ad hoc, quòd affectum quendam filialem habeamus ad Deum, secundùm illud Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Et quia ad pietatem propriè pertinet, officium & cultum Patri exhibere: consequens est, quòd pietas, secundùm quam cultum & officium exhibemus Deo vt Patri per instinctum Spiritus sancti, sit spiritus sancti donum. *Et quidem* exhibere P cultum Deo vt Creatori, quod facit religio, est excellentius, quàm exhibere cultum patri carnali, quod facit pietas, quæ est virtus; sed exhibere cultum Deo vt Patri, est adhuc excellentius, quàm exhibere cultum Deo vt Creatori & Domino. Vnde religio est potior pietate virtute; sed pietas, secundùm quod est donum, est potior religione. *Sicut autem pietas virtus etiam ad consanguineos extenditur: ita pietas* Q secundùm quod est donum, non solùm exhibet cultum & officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantùm pertinent ad Deum: & propter hoc ad ipsam pertinet & sanctos honorare.

R *Septimum, & postremum Spiritus Sancti donum est donum timoris. At verò timor & vt passio considerandus est, & vt donum. Quoad primum igitur,* inter K cæteros animæ motus post tristitiam, timor magis rationem obtinet passionis. Manifestum est enim, quòd timor cum sit de malo, ad appetitiuam potentiam pertinet, quæ per se respicit bonum & malum. Pertinet autem ad appetitum sensitiuum: fit enim cum quadam transmutatione, scilicet cum contractione, vt *Damascenus* dicit; & importat etiam habitudinem ad malum, secundùm quod malum habet quodammodo victoriam super aliquod bonum. Vnde verissimè sibi competit ratio passionis: tamen post tristitiam, quæ est de malo præsenti: nam timor est de malo futuro, quod non ita mouet, sicut præsens. *Et quidem specialis passio est.* Timor *enim* habet S speciale obiectum, sicut spes. Sicut enim obiectum spei est bonum futurum arduum, possibile adipisci, ita obiectum timoris est malum futurum difficile, cui resisti non potest. Et ita specialis est animæ passio. *Verùm* timor T ad duo respicit, scilicet ad malum quod refugit, & ad illud bonum, quod sua virtute potest infligere malum. Et per hunc modum Deus timetur ab homine, in quantùm potest infligere pœnam vel spiritualem, vel corporalem. Et per hunc etiam modum timetur potestas alicuius hominis, maximè quando est læsiua, vel quando est iniusta, quia sic in promptu habet nocumentum inferre. *Qualis est potestas tyrannorum, & diuitum præpotentium: qualis etiam est timor malè operantium respectu legitimorum principum. Vnde Apostolus Rom. 13.* Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. *Time:* quia scilicet V causam timoris habes, *Prou. 20.* Pauor his, qui operantur malum. *Timor porrò ex amore causatur.* Obiectum *enim* timoris X est æstimatum malum futurum propinquum, cui resisti de facili non potest: & ideò illud, quod potest inferre tale malum, est causa effectiua obiecti timoris, & per consequens ipsius timoris. Illud autem, per quod aliquis ita disponitur, vt aliquid sit ei tale, est causa timoris & obiecti eius per modum dispositionis materialis: & hoc modo amor est causa timoris. Ex hoc enim, quòd aliquis amat aliquod bonum, sequitur quòd priuatiuum talis boni sit ei malum, & per consequens, quòd timeat ipsum tanquam malum. Timoris *hinc Damascenus* assignat Y sex species: scilicet segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, & agoniam: *Etenim,* sicut Z bonum hominis, ita & malum, potest considerari vel in operatione ipsius, vel in exterio-

Marginal notes (left): In quo differat à sapientia, scientia, & consilio. — H 2.2. l. c. a. 6. fi. c. — I 2.2. 52. 1. c. In 3 d. 35. 2. 4. q. 1. — Donum consilij quid. — L 2.2. l. c. ad 1. — M 3. d. 34. 3. 1. q. 1. c. & 2.2. 139. 1. — Donum fortitudinis quid. — Quid donum scientiæ. — N 2.2. q. 1. c. In 3. d. 35. 2. 3. q. 1. — O 2.2. 121. 1. c. In 3. d. 34. 3. 2 q. 1. — Quid pietatis.

Marginal notes (right): P 2.2. l. c. ad 2. In 3. l. c. ad 1. — Pietas, vt donum, potior quàm religio. — Q 2.2. l. c. ad 3 — Timor post tristitiam magis habet rationem passionis. — R 1.2. 41. 1. c. — Est de malo futuro, tristitia de præsenti. — S Ib. a. 2. c. — T 1.2. 42. 1. fi. c. — Timor respicit ad malum & ad bonum. — V Rom. 13. l. 1. ibi. — X 1.2. 43. 1. fi. c. — Timor ex amore. — Y 1.2. 41. 4. arg. 1. — Sex ex Damasceno species timoris. — Z Ib. in corp.

exterioribus rebus. In operatione autem ipsius hominis potest duplex malum timeri. Primo quidem labor grauans naturam: & sic causatur segnities, cum scilicet aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris. Secundò turpitudo lædens opinionem: & sic, si turpitudo timeatur in actu committendo, est erubescentia: si autem sit de turpi iam facto, est verecundia. Malum autem, quod in exterioribus rebus consistit, tripliciter potest excedere hominis facultatem ad resistendum. Primò quidem ratione suæ magnitudinis, cum aliquis scilicet considerat aliquod magnum malum, cuius exitum considerare non sufficit: & sic est admiratio. Secundò ratione dissuetudinis, quia scilicet aliquod malum inconsuetum nostræ considerationi offertur; & sic est magnum nostra reputatione. Et hoc modo est stupor, qui causatur ex insolita imaginatione. Tertio modo ratione improuisionis, quia scilicet prouideri non potest, sicut futura infortunia timentur; & talis timor dicitur agonia. *Qualem dicimus & in Christo fuisse* Luc. 22. *videlicet* quantùm A ad partem sensitiuam, secundùm quod importat timorem infortunij imminentis; non verò quantùm ad partem animæ rationalem, secundùm quam importat concertationem voluntatum ex diuersitate rationum procedentem: hoc enim contingit propter debilitatem rationis, quæ non potest diiudicare, quid sit simpliciter melius: quod in Christo non fuit. *Hinc sequitur, quòd timor propriè loquendo non est de malo culpæ, sed tantùm pœnæ.* Quod *enim* omnino B subiacet potestati & voluntati nostræ, non habet rationem terribilis, sed illud solum est terribile, quod habet causam extrinsecam: malum autem culpæ propriam causam habet voluntatem humanam, & ideò propriè non habet rationem terribilis: *& per consequens de malo culpa non potest propriè timor haberi. Porrò, quoad passiones huius effectus, quia* in timore C fit quædam contractio (*vt prætactum est*) ab exterioribus ad interiora: ideò exteriora, frigida remanent, & propter hoc in eis accedit tremor, qui causatur ex debilitate virtutis continentis membra. Ad huiusmodi autem debilitatem maximè facit defectus caloris, qui est instrumentum, quo anima mouet, vt dicitur *in 2. de Anima*. Vnde & *Tullius* dicit in 4. de Tuscul. Quæst. quòd *timorem sequitur tremor, & pallor, & dentium strepitus*. Quia *enim* in timore D calor deserit cor, à superioribus ad inferiora tendens; ideò timentibus maximè tremit cor, & membra, quæ habent maximam connexionem ad pectus, vbi est cor. Vnde timentes maximè tremunt in voce propter vicinitatem vocalis arteriæ ad cor. (Et ideò E timor contrariatur formationi vocis, quæ fit per emissionem spirituum ad superiora per os; & propter hoc timor tacentes facit:) tremuit etiam labium inferius, & tota inferior mandibula propter continuationem ad cor, vnde & strepitus dentium sequitur, & eadem ratione brachia & manus tremunt. *Ad timorem pariter consequitur sitis, & ventris quandoque solutio.* *Quia enim* calore F ab exterioribus ad interiora reuocato, multiplicatur calor interiùs, & maximè versùs inferiora, idest circa nutritiuam: ideò consumpto humido, consequitur sitis, vt etiam interdum solutio ventris, & vrinæ emissio, & quandoque etiam seminis, vel huiusmodi emissio superfluitatum accidit propter contractionem ventris, & testiculorum, vt Philosophus dicit in lib. *de Problemat.* Timor *verò* & G pauor differunt secundùm magis & minus. Timor enim facit motum cordis secundùm systolen; sed pauor quasi immobilitat cor. Num verò timor peccatum sit, & an metus excuset à peccato, vel à toto, vel à tanto; vide H.

Segnities quid.

Differentia inter erubescentiam, & verecundiã.

Et inter admirationem, & stuporem.

Agonia an fuerit in Christo.

A 3. p. 18. 6. ad 3.

Duplex agonia.

B 1.2.42.3. o.

Timor non est propriè de malo culpæ sed tantùm pœnæ.

Effectus timoris varij.

C 1.2.44.3. 6.

D Ibid. ad 3. & a. 1. ad 1. & 2.

E Ibid. a. 1. ad 2.

F Ibid. a. 3. ad 1.

G Is. 8. §. 3 ibi, pauestis.

¶ *Cæterùm multiplex assignari timor consueuit. Pro cuius notitia* considerari I oportet, quòd timor (*vt prætactum est*) habet duo obiecta: scilicet malum, quod quis timendo refugit: & illud, à quo sibi hoc malum imminere videt: dicitur enim homo timere & occisionem, & regem qui potest occidere. Contingit autem quandoque, quòd malum, quod quis refugit, est contrarium bono corporali vel temporali: quod quis interdum inordinatè amat, & refugit pati ab aliquo homine temporali. Et hic est timor humanus vel mundanus: & hic non est à Spiritu Sancto: Ideò hunc prohibet Dominus Mat. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Alius autem est timor qui refugit malum, quod contrariatur naturæ creatæ, scilicet malum pœnæ: sed tamen refugit hoc pati à causa spirituali, scilicet Deo: & hic timor est laudabilis, quantùm ad hoc saltem, quòd Deum timet, Deut. 5. *Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me?* Et secundùm hoc à Spiritu Sancto est. Sed in quantùm talis timor non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum, sed solùm pœnam, non est laudabilis. Et istum defectum non habet à Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis: sicut & fides informis quantùm ad id, quod est fidei, est à Spiritu Sancto, non autem eius informitas. Vnde etsi per huiusmodi timorem aliquis bonum faciat, non tamen benè facit, quia non facit sponte, sed coactus metu pœnæ: quod propriè est seruorum. Et ideò timor iste propriè dicitur seruilis, quia seruiliter facit hominem operari. (*Docemur ideircò, quòd* timoris L seruilis est causa fides informis; sed timoris filialis est causa fides formata.) Est autem tertius timor, qui refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccata, vel separationem à Deo; & hoc quidem timet incurrere ex iusta Dei vindicta. Et sic quantùm ad vtrumque obiectum respicit rem spiritualem: sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam. Et iste timor dicitur esse initialis, quia solet esse in hominibus in initio suæ conuersionis. Timent enim pœnam propter peccata præterita, & timent separari à Deo per peccatum, propter gratiam charitati infusam: & de hoc dicitur in Ps. 110. *Initium Sapientiæ, timor Domini.* Est autem quartus timor, qui ex vtraque parte oculum habet solùm ad rem spiritualem, quia nihil timet, nisi à Deo separari. Sicut autem timor initialis causatur ex charitate imperfecta; ita hic timor causatur ex charitate perfecta, 1. Io. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et ideò timor initialis, & timor castus non distinguuntur contra amorem charitatis, qui est causa vtriusque, sed solùm timor pœnæ: quia sicut hic timor facit seruitutem, ita amor charitatis facit libertatem filiorum. Facit enim hominem voluntariè ad honorem Dei operari: quod est proprium *filiorum*: & hic verè à Spiritu Sancto est, *de quo dicitur Ps.* 18. Timor Domini Sanctus, permanens in seculum seculi. Vbi *de hoc timore* duo M dicit. Primò dicit eum Sanctum. Secundò dicit eum permanentem. Omnis autem timor ex amore causatur (*vt prætactum est.*) Quia illud timet homo perdere, quod amat. Et ideò sicut duplex est amor, ita est duplex timor. Quidam est timor sanctus, qui causatur ab amore sancto, quo scilicet amatur Deus. Quidam non sanctus, qui causatur ab amore non sancto, à quo causatur duplex timor non sanctus: seruilis scilicet, qui est ex amore sui; & mundanus, qui procedit ab amore Mundi. Timor autem

Timor & pauor an differant.

H 1.2.6.6. in 4. d. 29. 1. 2. Quol. 5. a. 10. & 2. 2. 125. per tot.

I Rom 8. l. 3. & 1.2.67.4. ad 2. & 2.2.19. in 3. d. 34. 2. 1. Virt. 4.4. ad 2. & 1. h. 4. §. 6. ibi, timor. Ps. 21. lit. e. Mat. 22. lit. d. ibi, diliges.

Timor multiplex.

Timor humanus, vel mundanus.

L 2.2.7. 1. c.

Timor seruilis.

Cuius causa fides informis.

Timor initialis.

Timor filialis & castus.

M Ps. 18. lit. f. ibi, timor 1. 2.68.6. & 2.2. 19.11. in 3. d. 34.1.3. & 1. h. 4. §. 6. ibi, timorem.

tem sanctus tria facit. Primò timet Deum offendere. Secundò recusat ab eo separari. Tertiò se Deo per reverentiam subijcit; & iste timor dicitur castus & filialis. Et de hoc dicit Psalmus: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi*. Sed contra (*inquit Author*) nam *perfecta charitas foras mittit timorem*: At dicendum, quòd perfecta charitas expellit timorem servilem: sed filialis timor *permanet in seculum seculi*, scilicet & in Patria, dupliciter. Primò quantùm ad sui præmium Psalm. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem*: non quòd ibi sit patientia, quia ibi non est tribulatio; sed fructus eius: & sic fructus timoris permanet. Item manet secundùm aliquem sui actum, non quòd timeat offendere Deum, quia ibi non timet peccatum, nec separationem, sed quantùm ad reverentiam, qua beati submittent se Deo, Iob 26. *Columnæ Cæli contremiscunt, & pavent ad nutum eius*. Vbi N Angelorum reuerentia ad Deum, timor nominatur. *Quo pacto supradiximus fuisse timorem in Christo*. Timor *quippè* filialis O sicut augetur augmentata charitate: ita charitate perfecta perficietur; unde non habebit in Patria eundem actum, quem habet modò. *Et hoc est, quod ait Apostolus Rom*.8. Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. *Non enim iterùm* in noua P lege sicut in lege veteri fuit, *accepistis spiritum servitutis in timore*, scilicet pœnarum, quem timorem Spiritus sanctus faciebat: *sed accepistis spiritum*, scilicet charitatis, *qui est adoptionis filiorum*, idest per quem adoptamur in filios Dei. Non autem hoc dicitur, quasi sit alius & alius Spiritus: sed quia idem est Spiritus, qui scilicet in quibusdam facit timorem seruilem quasi imperfectum, in alijs facit amorem quasi quoddam perfectum: *cum quo bene stat timor filialis, & castus. Hic igitur solus filialis timor donum est Spiritus sancti. Nam* timor Q humanus (ut dicit *Augustinus in lib. de gratia & lib. arb.*) non est donum Dei; hoc enim timore Petrus negauit Christum; sed ille timor, de quo dictum est Matth. 10. *Illum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam*. Similiter etiam timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licèt sit à Spiritu sancto; quia (ut idem *Augustinus* dicit *in lib. de nat. & grat.*) potest habere adnexam voluntatè peccandi: Dona autem Spiritus sancti non possunt esse cum voluntate peccati, quia non sunt sine charitate. Vnde relinquitur, quòd timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus sancti, est timor filialis, sivè castus. Et hic filialis timor, quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus sancti, ultimum autem descendendo, sicut *Augustinus* dicit in libr. de sermon. Dom. in monte. *Sanè timor iste ad spiritualis vitæ perfectionem, magis quàm amor, videtur quodammodò necessarius. Vnde Apostolus 2. Corint. 7.* Perficientes sanctificationem in timore Dei: *quod videtur contrariari verbis eiusdem Apostoli dicentis ad Colossen.* 3. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. *Sed dicendum, quòd* ibi R loquitur de timore filiali, qui est charitatis effectus, non de servili, qui contrariatur charitati. Dicit autem, *in timore*: ut doceat nos habere affectum ad Deum cum quadam reuerentia, & sollicitudine. Amor enim causat securitatem, quæ quandoque negligentiam parit; sed qui timet, semper est solicitus. *Timoris huius filialis clarum in Apostolo Petro habemus exemplum. Cum enim magistro sibi pedes lauare volenti reluctaretur; & ipse diceret*: Si non lavero te, non habebis partem cum: *hoc audito, illud statim deprompsit*: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput. *Vbi Author observat, quòd* quando S Dominus prius dixit ei, *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea*, dederat ei intelligere, hoc factum utile fore. Tamen hac neglecta, induci non poterat ad pedum ablutionem recipiendam. Sed quando Dominus comminatus est separationem suam ab ipso, dicens: *Non habebis partem mecum* non solùm ad illam, sed ad ulteriora recipienda se obtulit, dicens: *Domine non tantùm pedes meos &c.* In hac enim responsione territus, totum se offert ad abluendum, amore turbatus & timore, *utique filiali, qui (ut vidimus) nihil aliud timet, nisi à Deo separari*.

Timoris filialis triplex effectus.

Permanet etiam in Patria, & quomodo.

N Iob 26. l. 1. ibi.

O 2.2.19.11.c.

P Rom.8. l.3. ibi.

Q 2.2. 19. 9.c. In 3. d.34.2.1. q.3. & a.2 q.1.

Solus filialis amor, donum est Spiritus sancti.

Talis timor magis quodammodò colendus, quàm amor.

R 2.Cor.7.l. 1. ibi.

Clarum in Apostolo Petro filialis timoris exemplum.

S Io.13 l.2.lit. g.

T *Et hinc liquet, qualem inter se obtineant dona hæc ordinis dignitatem.* Si *enim* attendatur T per comparationem ad proprios actus: sapientia & intellectus, scientia & consilium, præferuntur pietati & fortitudini, & timori: in quibus etiam pietas præfertur fortitudini, & fortitudo timori: sicut iustitia fortitudini, & fortitudo temperantiæ. Sed quantùm ad materiam, fortitudo & consilium præferuntur scientiæ & pietati: quia scilicet fortitudo & consilium habent in arduis locum; pietas autem & etiam scientia in communibus. Sic igitur donorum dignitas ordini enumerationis respondet: partim quidem simpliciter, secundùm quòd sapientia & intellectus omnibus præferuntur: partim autem secundùm ordinem materiæ, secundùm quod consilium, & fortitudo præferuntur scientiæ & pietati. *Enimuerò per hæc septem dona omnes uires animæ tam apprehensiva, quàm appetitiva perficiuntur.* Ad V apprehensionem quippe veritatis perficitur speculativa ratio per intellectum: practica verò per consilium. Ad rectè autem iudicandum, speculativa quidem per sapientiam: practica verò per scientiam perficitur. Appetitiva autem virtus in his quidem, quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem. In his autem quæ sunt ad seipsum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum. Contra concupiscentiam verò inordinatam delectabilium, per timorem, secundùm illud *Prov.16.* In timore Domini declinatur à malo; & *Ps.* 118. Confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui. *Nec perperam præfatorum largitor donorum* Spiritus sanctus X in specie columbæ apparuit: ad designandum scilicet (*inter cætera*) septem hæc dona, quæ columba suis proprietatibus significat. Columba enim secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre mergat se & euadat: quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam Sancti secus scripturæ divinæ fluenta resident, ut incursum diaboli euadant. Item columba meliora grana eligit: quod pertinet ad donum scientiæ qua Sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt. Item Columba alienos pullos nutrit: quod pertinet ad donum consilij, quo Sancti homines, qui fuerunt pulli (idest imitatores) diaboli, doctrina nutriunt, & exemplo. Item columba non lacerat rostro: quod pertinet ad donum Intellectus, quo Sancti bonas scientias lacerando non pervertunt, hæreticorum more. Item Columba felle caret: quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti ira irrationabili carent. Item Columba in cavernis petræ nidificat: quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt; idest suum refugium & spem. Item Columba gemitum pro cantu habet: quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti delectantur in gemitu pro peccatis. *At verò Dei dona non secundùm utilitatem pro-*

T 1.2. 68.7.c. Qualem dona Spiritus sancti ordinis dignitatem teneant inter se.

V Ibid. a. 4.c. Omnes uires animæ per ea perficiuntur.

X 3 p.39.6.ad 4. Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit ad hæc septé significanda dona, quibus columbæ proprietates ad aptantur

priam accipienda sunt, sed & ad alterum preventum. Ad Y hoc enim Deus dat aliquibus specialia dona, vt ipsi effundant illa in vtilitatem aliorum. Non enim dat lumen soli, vt sibi Soli luceat, sed vt toti Mundo. Vnde vult, quòd de omnibus bonis nostris, siue sint diuitiæ, siue potentia, siue scientia, siue sapientia, adcrescat aliqua vtilitas alijs, 1. Pet. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes &c.* idest Z quilibet in alterutrum, idest ad vtilitatem aliorum: sicut membra in vno corpore sibi inuicem seruiunt. Oculus enim videt toti corpori, & pes portat corpus totum. *Sicut boni*, non auari, sed diffusiui, *dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Dicit, *dispensatores*, vt innuat, quòd talia non sunt dispensanda, tanquam nostra, sed tanquam nobis, ad dispensandum alijs, tradita, siue credita, 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores &c.* Dicitur autem gratia *multiformis* propter multiplices effectus gratiarum, *quibus à Deo donamur. Ex quo, distinguuntur dona Spiritus sancti à gratiis gratis datis. Quamuis enim omnia, quæ nobis dantur, dona Dei sint; quædam tamen communia sunt omnibus, nedum in naturalibus, sed & ingratuitis (qui enim gratiam habet, & virtutes habet omnes & dona) & hæc ad proprium quidem profectum, Quædam verò specialia sunt, quæ aliquibus dantur, quales sunt gratiæ gratis datæ, quæ præcipuè dantur à Deo ad aliorum vtilitatem*, 1. *Cor.* 12. Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ &c. *Et hæ similiter à Spiritu sancto sunt; vnde subditur*: Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Sic *ergo* pertinet A ad gratiam gratum facientem, quod per eam Spiritus sanctus inhabitet: quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam; sed solùm, vt per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Vnde Io. 3. dicitur: *Vocem eius audis*. Et subdit: *ad vtilitatem*, scilicet communem: in quo designatur finis earum, Et hoc vel dum probatur vera doctrina Ecclesiæ, & sic fideles confirmantur, & infideles conuertuntur; vel dum sanctitas alicuius proponitur alijs in exemplum. *Vnde* 1. *Cor.* 14. Ad ædificationem Ecclesiæ, quærite vt abundetis. *Et hinc est, quòd* Sapientia B & scientia non computantur inter gratias gratis datas, secundùm quod enumerantur inter dona Spiritus sancti, prout scilicet mens hominis est benè mobilis per Spiritum sanctum ad ea, quæ sunt sapientiæ & scientiæ: sic enim sunt dona Spiritus sancti. Sed computantur inter gratias gratis datas, secundùm quod important quandam abundantiam scientiæ & sapientiæ, vt homo possit non solùm in seipso rectè sapere de diuinis, sed etiam alios instruere, & contradicentes conuincere. *Et ideò* Apostolus C signanter inter gratias gratis datas non posuit sapientiam & scientiam: sed sermonem sapientiæ & scientiæ, quæ pertinent ad hoc, vt homo alijs persuadere valeat per sermonem ea, quæ sunt sapientiæ & scientiæ. *Hactenus quoad dona. (De beatitudinibus quot sint, in quo consistant, qualiter à donis distinguantur & fructibus, quibusue adaptentur donis, satis Tom. 1. V. Beatitudines, explanatum est: quò Lectorem remittimus.)*

u Fructus autem Spiritus (*inquit Apostolus ad Gal.*) est charitas, gaudium &c. *Quocirca notandum, quòd* fructus D dupliciter dicitur, scilicet vt acquisitus, putà ex labore vel studio, Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*: & vt productus, sicut fructus producitur ex arbore, Mat. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*. Opera autem Spiritus dicuntur fructus non vt adepti, siue acquisiti, sed vt producti. Fructus autem, qui est adeptus, habet rationem vltimi finis: non autem fructus productus. Nihilominùs tamen fructus sic acceptus duo importat, scilicet quòd sit vltimum producentis, sicut vltimum, quod producitur ab arbore, est fructus eius: & quòd sit suaue, siue delectabile: *Fructus eius dulcis gutturi meo*, Cant. 2. Et hoc est, quod dicitur *Ps.* 45. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. *Quo loci* Hieronymus E habet (*Fluminis diuisiones*:) Et hæ sunt gratiæ Spiritus Sancti, quia *diuisiones gratiarum sunt*, 1. Cor. 12. Effectus est iucunditas; & hoc designat, cum dicit: *lætificat ciuitatem Dei*. Hæc ciuitas est Ecclesia, Ps. 86. *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei*: quod manifestatur authoritate sacræ Scripturæ, Rom. 14. *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto*. Et ad Gal. 5. cit. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax &c.* quia facit amare Deum; & in hoc amore semper est iucunditas: quia quilibet delectatur in præsentia amati; & qui diligit Deum, habet Deum præsentem, 1. *Io.* 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Ecce dulcedo fructus, en iucunditas animæ, en delectatio Spiritus, ex qua fructus Spiritus Sancti. Opera ex opposito carnis (quæ ibidem præmittit Apostolus, scilicet* fornicatio, immunditia &c.) *rationem fructus non habent*. Deus enim F humanæ naturæ quædam semina inseruit, scilicet naturalem appetitum boni, & cognitionem, & addidit etiam dona gratiæ; & ideò quia opera virtutum ex his naturaliter producuntur, fructus dicuntur: non autem opera carnis. Et propter hoc Apostolus dicit Rom. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* (Sunt enim G infructuosa peccati opera, quia non adiuuant hominem ad beatitudinem consequendam, immò retrahunt ab illa, *Is.* 59. Opera eorum, opera inutilia. *Et Mich.* 2. Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris.) Ex quo patet, quòd fructus Spiritus dicuntur opera virtutum, & quia habent in se suauitatem & dulcedinem, & quia sunt quoddam vltimum productū secundùm conuenientiam donorum. Benè ergo dicit Apostolus: *Fructus Spiritus*, qui scilicet consurgit in anima ex seminatione spiritualis gratiæ, *est charitas, gaudium, pax, &c.* (*De quibus singulis vide fusè ibi.*) *Duodecim autem enumerantur. Et hi quidem fructus, ii duodecim sunt, quos lignum vitæ afferre dicitur. Apoc.* 22. Lignum vitæ afferens fructus duodecim. *Lignum vitæ*, idest H Christus, Prou. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam (Sapientiam.)* Fructus, quos affert, sunt illi, quos Apostolus numerat ad Gal. 5. *Fructus enim nostri quicumque & qualescumque sint, à Christo sunt tanquam à capite in fideles influente membra sua. Vnde & Io.* 15. *cum præmisisset se esse vitem veram, dicebat*: Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. *Qui manet in me* credendo I obediendo, perseuerando: *& ego in eo*, illuminando, subueniendo, perseuerantiam dando: *hic*, & non alius, *fert fructum multum*, Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem*. Sequitur: *quia sine me nihil potestis facere*. Nec mirum: quia nec Deus sine ipso aliquid facit, Io. 1. *Sine ipso factum est nihil*. Opera enim nostra aut sunt virtute naturæ, aut ex gratia diuina. Si virtute naturæ: cum omnes motus naturæ sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moueri potest sine ipso, Si verò virtute gratiæ:

Y 2. Cor. 1. l. 2. ibi, & ipsi.

Dei dona, & in aliorum utilitatem accipienda.

Z 1. Pet. 4. 5. 2. ibi.

Dona Spiritus Sancti distinguuntur à gratiis gratis datis.

A 1. Cor. 12. l. 2. ibi.

B 1. 2. q. 111. 4. ad 4.

Differentia sapientiæ & scientiæ, vt dona sunt, et vt gratiæ gratis datæ.

C 1. Cor. 12. l. 2. ibi.

Fructus dupliciter sumitur.

D Ad Gal. 5. l. 6. initio, 1. 2. 11. 1 & 3. & q. 71. 1.

Opera Spiritus dicuntur fructus, non vt acquisiti, sed vt producti.

E Ps. 45. lit. ibi.

F Gal. 5. l. 6. ibi, Spiritus 1. 2. 70. 4.

Opera carnis non habent rationem fructus.

G Rom. 6. l. 4. ibi & locis cit.

12. fructus Spiritus sancti mysticè signatur Apoc. 22.

H Apoc. 22. serm. 2. 9. t. ibi.

I Io. 15. l. 3. lit. e.

Sine Dei auxilio nihil possumus facere, nec spiritualiter fructificare.

gratiæ: cum ipse sit gratiæ actor, quia *Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est*, Io. 1. manifestum est, quòd nullum opus meritorium sine ipso fieri potest: *nec vllus proinde fructus produci. Ex quibus omnibus innotescit, quàm veraciter prompsit initio Author*: Si habitus L virtutis perficiat ad bene operandum humano modo, dicitur virtus: si verò perficiat ad benè operandum supra modum humanum, dicitur donum. Actus autem virtutis vel est perficiens; & sic est beatitudo: vel est delectans; & sic est fructus. DISCE *dona Spiritus Sancti petere, vt fructifices Deo; non opera carnis prosequi, vt fructifices morti. Vide* Beatitudines *Tomo* 1. Gratia Dei *Tomo* 2. Virtus.

L Ad Gal. c. 5. 6. ibi, fructus.

SPONSVS.) *Vide* Matrimonium.
SPONSALIA.)
STELLA. *Vide* Apostoli, Christi Natiuitas *Tomo* 1.

SANCTVS STEPHANVS.

XIV. Stephanus interpretatur *coronatus*: & dignus fuit, vt tali vocaretur nomine, qui primò meruit corona martyrij coronari. *Serm. ex Ep. in Fest. eiusd.*

x POst *præmissum de Spiritu Sancto tractatum, congruum sanè erat, vt de B. Stephano adtexeremus sermonem; quippe de quo dicitur Act.* 7. Cum esset Stephanus plenus Spiritu Sancto &c. *Et priùs cap.* 6. Stephanus plenus gratia, *videlicet* ad M hoc quòd esset idoneus Minister & testis Dei, ad quod erat electus: *additque*, & fortitudine, *qua scilicet inter cætera Spiritus Sancti dona specialiùs emicuit in forti tolerantia martyrii: vt nimirùm* testis Dei *nedum verbo, sed & proprio sanguine esset*. Nedum verbo, *inquam: nam etsi primores de Synagoga surrexissent cum eo disputantes, eius tamen* non poterant resistere sapientiæ: (*en aliud Spiritus Sancti donum*) *unde subditur*: & Spiritui, qui loquebatur, *Act.* 6. Non enim vos estis, qui loquimini (*ait Dominus Mat.* 10.) sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Quod autem verbo edocuit, sanguine firmare voluit & sancire; singulari quidem priuilegio primatus*: Fuit *enim* Stephanus N primus Martyr post Christum, sicut Andreas fuit primus Christianus. *Quod mysticè signatur* Mat. 17. *Vbi Dominus ad soluendum didrachma commisit Petro*: Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem &c. *Quo loci Author*: Per istum O piscem, qui primò venit ad hamum, primus Martyr intelligitur B. Stephanus. *At qui fuit sermone indisputatione potens, non minùs fortis extitit in pugna. Nec mirum: cum cui propter se fortiter pugnanti in terris Rex Martyrum Christus animos dabat in Cœlis, ad iuuandum semper paratus athletas suos. Hinc ad illud Apoc.* 14. Ecce Agnus stabat supra montem Sion, *docemur, quòd Agnus* idest P Christus, ad modum agni pro nobis immolatus, *stabat* vt adiuuans: stare enim iuuantis est; & ideò fortiter standum est in aduersis, Ps. 117. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Vnde Q stabat quasi paratus iuuare Stephanum in agone constitutum. *Stabat autem* supra montem Sion, *hoc est*, in *Ecclesia triumphante secundùm illud Ps.* 47. Circundate Sion, & complectimini eam; *idest* Ecclesiam Q triumphantem, oculo contemplationis. *Id quod faciebat Stephanus, ut ipsemet ait Act.* 7. Ecce video Cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. *Vidit enim & oculo mentis Deum, & corporis oculo Christum; hoc est, diuinitatem contemplatus & humanitatem. Idcircò superiùs mysticè signatum esse, diximus* per eum R piscem, qui habuit staterem in ore, qui didrachma valebat, scilicet duplex drachma: significat enim Beatum Stephanum, qui vidit ipsam diuinitatem & humanitatem Christi; *proinde nec mirandum, si* intuentes eum, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli, *Act.* 6. *Angeli siquidem faciem Dei contuentur, Mat.* 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.

Sanctus Stephanus Spiritu Sancto plenus, & donis eius.
M 3. p. 7. 10. ad 1. In 3. d. 13. 1. 2. q. 1. c.
Cuius sapientiæ non poterant Iudæi primores resistere.
N Io. 1. l. 15. lit. f.
Primus martyr post Christum.
Signatur in pisce, qui primus ad Petri hamũ venit.
O Mat. 17. fi. cap.
P Apoc. 14. com. 1. & 2. ibi.
In martyrii agone vidit Christum, in Cœlis stantem, quasi ad iuuandum paratum.
Q Hebr. 1. l. 2. fi.
Q Ps. 47. lit. f.
Cuius vidit humanitatẽ & diuinitatẽ.
R Mat. 17. fi. cap.
Quod signatur in pisce habente in ore didrachma.
Facies eius tanquam Angeli.

y *Fuit autem martyrium Stephani, lapidatio: & congruum quidem vndequaque martyrium. Nam & Christus, pro quo occidebatur*, lapis *est* angularis, *Eph.* 2. *&* 1. *Cor.* 10. Petra autem erat Christus. *Lapis item fuit Stephanus in animi excellenti constantia. Lapis Iudaicus occisor præ cordis duritia & crudelitate. Lapis tandem fuit instrumentum passionis eius. Vnde & de hoc multiplici lapide lepidè cecinit ille* S.

Dum Stephanum lapidat, lapis est fera turba rigore;
Estque fide firma Martyr & ipse lapis.
Sunt etiam lapides natura & nomine saxa:
Christus connectens est, stabilisque lapis.
Ergo lapis lapidem lapide ob lapidem lapidauit:
Hic iacit, hic rogat, hic vulnerat, hic medicat.

Sed & silex lapis erat Stephanus; viuas exardescentis intus ignis charitatis scintillas percussus emittens: cuius manifestus effectus apparuit, feruens ad Deum pro suis lapidatoribus oratio: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Cui & persequentis Sauli conuersio attribuitur & saluatio*. Si enim T Stephanus non orasset, fortè Paulus saluus non fuisset (quia scilicet præscitum est à Deo, quòd quis tali causa & ordine saluabitur.) *Sanè gloriosus Stephani triumphus propheticè describi uidetur Is.* 33. *his uerbis*. Munimenta saxorum, sublimitas eius. Panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè. *Et quidem* munimenta saxorum, sublimitas eius *fuerunt: per hæc enim sui martyrii instrumenta aggerem sibi struxit, immò turrim ad conscendendum in Cœlum; unde & ibidem præmittitur*: Iste in excelsis habitabit. Panis ei datus est; *idest, Christi qui est* panis vitæ, *Io.* 6. *in suorum laborum præmium concessa fruitio*. Aquæ eius fideles sunt: *aquæ enim, tribulationes signant, Ps.* 68. Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: *& per has fideliter ad beatitudinis portum peruenit, Act.* 14. Per multas tribulationes, oportet nos intrare in Regnum Dei. *Quadè causa*, lapides torrentis illi dulces fuerunt, *Ecclesia concinit*. Regem in decore suo viderunt oculi eius, *ad literam, quando nempe* intuens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, *qui nimirùm est* Rex regum, & Dominus dominantium, *Apoc.* 19. *Vnde & subditur*: cernent terram, *terram* scilicet V viuentium, *de qua Psal.* 26.

Congruè martyrium eius, lapidatio.
Qualiter & ipse lapis.
S Aloys. Grotto cæcus ab Adria in Epigram.
Et lapis silex ex quo scintillæ charitatis.
T 1. d. 41. 1. 4. ad 2.
Oratio eius pro lapidantibus, Sauli proficua saluti.
Propheticè tangitur martyrium eius Is. 33.
V Is. 33 ibi.

Credo videre bona Domini in terra viuentium. *Additque*, de longè: *quia vidit, in terris adhuc existens*, Is. 55. Sicut exaltantur Cœli à terra &c. *Singulare profectò Stephani priuilegium, vt ante Paulum, qui ex speciale gratia numero raptus est* ad tertium Cœlum, *intueri mereretur in terris degens cælestem gloriam; (Fuit tamen ex Caietani Sententia* ad Act. caput 7. *visio eius gloriosa, sed corporalis.) Rarum itidem Stephani priuilegium, vt super Christum* lapidem angularem *primus superædificare dignus esset, & vel ante ipsos Apostolos prima saxis suis Ecclesiæ iacere fundamenta. Fuit autem B. Stephanus Iudæorum commotione potiùs, & vt aiunt, furore* populi *lapidatus, quàm iudiciaria potestate. Neque enim tunc poterant Iudæi mortem cuiquam infligere, secundùm illud Io.* 18. Nobis non licet interficere quemquam. *Nihilominus secundùm Chrysostomum* Iudæis X concessum erat à Romanis, quòd vterentur legibus suis. Vnde, quia pœna lapidationis erat inflicta per legem (*blasphemis præsertim, qualem reputabant Stephanum, Act.* 6. Submiserunt viros, qui dicerent, se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ:) ideò concessa erat eis à Romanis; *& ita Stephanum lapidauerunt*. Vel dicendum (*subiicit Author*) quòd Stephanus fuit lapidatus in Magistratus mutatione: & tunc multa illicita vsurpantur, quæ non fierent in processu temporis. *Verùm hoc, quòd impiè egerunt Iudæi, cessit beatissimo Martyri ad sempiternam gloriæ coronam. Idcircò benè prompsit initio Author*: Stephanus Y interpretatur coronatus: & dignus fuit, vt tali vocaretur nomine, qui primò meruit corona martyrij coronari. *DISCE pugnare cum Stephano, si vis cum Stephano coronam accipere.* Vide Andreas Apostolus, *Tomo* 1. Io: Baptista, *Tomo* 2. Martyrium.

Primus superædificauit super Christum angularem lapidem: & saxa eius pro fundamento Ecclesiæ.

Qua authoritate lapidatus à Iudæis.

X Io. 18. l. 5. lit. d.

Stephani nomine dignus, qui interpretatur *coronatus*.

Y Serm. ex Ep. in fe. eiusd.

STVDIOSITAS } *Vide* Ambitio, Curiositas *Tomo* 1. Doctor. Ecclesiasticus *Tom.* 2. Scriptura Sacra.

STVDIVM } (same)

STVLTITIA. *Vide* Acedia *Tomo* 1. Spiritus Sanctus.

STVLTILOQVIVM. *Vide* Lingua.

STVPOR. *Vide* Admiratio *Tomo* 1. Spiritus Sanctus.

STVPRVM. *Vide* Luxuria.

SVBDIACONVS. *Vide* Ordo Sacramentum.

SVBSANNATIO. *Vide* Lingua.

SVBTILITAS. *Vide* Beatus *Tomo* 1.

SVCCVBVS. *Vide* Diabolus *Tomo* 2.

SVFFRAGIVM. *Vide* Defuncti *Tomo* 2.

SVPERBIA.

XV. Ad Superbiam pertinet, directè quidem & quasi essentialiter, immoderatus appetitus excellentiæ; antecedenter autem, quòd aliquis æstimet se tantum, cui talis excellentia competat; consequenter autem, vt ex existimatione, & appetitu, in verba & facta ostentationis prorumpat. *Mal.* 8. 3. *ad* 7.

Primi homini & Angeli peccatum, superbia: ex qua tertia pars Angelorum periit, totumq; humanum genus ærumnis & morti obnoxium.

Z PRimi hominis peccatum, sicut & primi Angeli (vt pluries in hoc opere visum est) superbia fuit: quod vel solum ad superbiæ detestationem sufficiat. ex qua tertia pars Angelorum irreparabiliter corruit; ex qua toti humano generi, quam adhuc sentimus, multiplex noxa deriuata est, & mors omnium secuta. Hoc est autem, quod dicitur Eccli. 10. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius. Quoniam initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. *Subditque in confirmationem Author*; Hoc Z est peccatum superbiæ, non subdi Superiori in eo, quo debet. *Neque tollit, quòd* initium omnis peccati superbia *sit, quia dicitur* 1. *Tim.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas. *Nam* superbia A prout secundùm effectum est in omni peccato (non *enim* semper B quantum ad affectum in omni peccato est) nihil est aliud, quàm auersio ab incommutabili bono; cupiditas autem conuersio ad

Z 1. p. 63. 2. Ma. 8. 1 ad 1.

Quomodo intelligatur quòd *initium omnis peccati est superbia, et* quòd *radix omnium malorum est cupiditas.*

A Ma. 8. 2 ad 12. Rom. 7. 2. *ibi*, non concupisces, 12. 84. 2. c.

B Ma. l. c. corp.

ſio ad commutabile bonum: ex quibus duobus conſtituitur unum peccatum, ſicut ex formali & materiali, eo quòd omne peccatum eſt averſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum.

C 2. d. 42. 2. 1. ad 7.

Et ita ſuperbia C hoc modo accepta, ſecundùm quod eſt *initium*, & cupiditas, ſecundũ quod eſt *radix*, ſunt idẽ ſecundùm rem, & differunt ratione. Et propter hoc dicit *Auguſtinus lib.* 10. *ſuper Gen.* ſuperbiam & cupiditatem, non quaſi duo mala, ſed unum malum eſſe. *Vel ut alibi loquemur: ſuperbia eſt* initium omnis peccati *ex parte intentionis; cupiditas verò ex parte executionis.*

D 1. 2. 84. 2. fi. c. Rom. 7. loco cit. 1. Tim. 6. l. 2. ibi, radix.

In D ordine *enim* intentionis habet rationem principij ipſe finis. Finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendis eſt, ut homo per illa quandam perfectionem ſingularem & excellentiam habeat. Et ideò ex hac parte ſuperbia, quæ eſt appetitus excellentiæ, ponitur *initium omnis peccati*: ſed ex parte executionis eſt primum id, quod præbet opportunitatem adimplendi deſiderium cuiuſcumque peccati, quod habet rationem radicis, ſcilicet divitiæ: & ideò ex hac parte ponitur eſſe *radix omnium malorum* auaritia. *Igitur ut clarius procedamus*, ſuperbia E tribus modis accipitur.

E 2. d. 5. 1. 3. 0. & d 42. 2. 3. ad 1. & 1. 2. l. c. & 2. 2. 162. 1. ad 1. & a. 2. Ma. 8. 1. ad 1. & 16. & a. 2. ad 17.

Superbia tripliciter ſumitur.

Vno modo prout ſumitur habitualiter, ſcilicet quædam inclinabilitas vel ex naturæ flexibilitate tantùm, vel ex fomitis corruptione ad ſuperbiam; & ſic dicitur ſuperbia, *initium omnis peccati*: *Alio modo* dicitur ſuperbia ſecundùm quod aliquis actualiter ſe effert extra præcepti limites, ut præcipienti non ſubijciatur: & ſic non eſt ſpeciale peccatum, ſed quædam generalis conditio, omne peccatum conſequens ex parte auerſionis (*ut præ actum eſt*.) *Tertio modo* dicitur ſuperbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & præcipuè in dignitate, vel honore: & ſic eſt ſpeciale peccatum.

Quid ſuperbia, ut ſpeciale peccatum.

F 2. 2. 162. 2. c. & 1. 2. l. c. Ma. 8. 2. In. 2. locis cit.

Ex quo ſuperbia & peccatum ſpeciale dicitur & generale, Peccatum *enim* ſuperbiæ F dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundùm propriam ſpeciem, quam habet ex ratione proprij obiecti: & hoc modo ſuperbia eſt ſpeciale peccatum, quia habet ſpeciale obiectum; eſt enim inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

Opponitur humilitati.

G Ma. 8. 2. c. & 2. 2. l. c. a. 1. c. Iob 40. l. 1.

H Ma. 8. 3. ad 21.

(Nihil enim G aliud eſt ſuperbire, quàm ſuper excedere, *quaſi* H *ſuper ire excedendo* propriam menſuram in excellentiæ appetitu. Vnde *Auguſtinus* dicit in 14. *de Civitat. Dei*, quòd ſuperbia eſt perverſæ celſitudinis appetitus. *Et eſt ex genere ſuo peccatum mortale*; Opponitur *enim* humilitati I quæ propriè reſpicit ſubiectionem hominis ad Deum: è contrario ſuperbia propriè reſpicit defectum huius ſubiectionis, ſecundùm quod ſcilicet aliquis ſe extollit ſupra id, quod eſt ſibi præfixum ſecundùm diuinam regulam uel menſuram, contra id, quod Apoſtolus dicit 2. Cor. 10. *Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus*.

I 2. 2. 162. 5. c. & a. 1. ad 3. In 4. d. 33. 1. 3. q. 2. ad 3.

Ex ſuo genere p. m.

Sicut tamen in alijs, quæ ex ſuo genere ſunt peccata mortalia, ſunt aliqui motus, qui ſunt peccata uenialia propter eorum imperfectionem, quia ſcilicet præueniunt rationis iudicium, & ſunt præter eius conſenſum: ita etiam & circa ſuperbiam accidit.)

Quid ut peccatum generale.

Ex ea oriri poſſunt omnia peccata duplici ratione.

Alio modo poteſt conſiderari ſuperbia ſecundùm redundantiam quandam in alia peccata: & ſecundùm hoc habet quandam generalitatem; in quantùm ſcilicet ex ſuperbia oriri poſſunt omnia peccata duplici ratione. *Vno modo* per ſe, inquantùm ſcilicet alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, quæ eſt propria excellentia, ad quam poteſt ordinari omne id, quod quis inordinatè appetit. *Alio modo* indirectè & quaſi per accidens, ſcilicet removendo prohibens: inquantùm ſcilicet homo per ſuperbiam contemnit divinam legem, per quam prohibetur à peccando, ſecundùm illud Ier. 2. *Confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam*. Sciendum tamen, quòd ad hanc generalitatem ſuperbiæ pertinet, quòd omnia vitia interdum ex ſuperbia oriri poſſunt, non autem ad eam pertinet, quòd omnia vitia ſemper ex ſuperbia oriantur.

Non omnia peccata ex contemptu, qui pertinet ad ſuperbiam admittuntur.

(Quamuis enim omnia præcepta legis poſſit quis tranſgredi qualicumque peccato ex contemptu, qui pertinet ad ſuperbiam, non tamen ſemper ex contemptu aliquis præcepta divina tranſgreditur: ſed quandoque ex ignorantia, quandoque ex infirmitate. Et inde eſt, quòd ſicut *Auguſtinus* dicit in lib. de nat. & gra. *Multa perperam fiunt, quæ non fiunt ſuperbè*.

L Ma. 8. 2. c.

Perfectionis appetitus unicuique rei naturalis.

a *Enimverò* inter alia L quæ homo deſiderat, unum eſt excellentia. Naturale enim eſt non ſolùm homini, ſed etiam unicuique rei, ut perfectionem in omni concupito deſideret, quæ in quadam excellentia conſiſtit. Et ſi quidem appetitus excellentiam appetit ſecundùm regulam rationis diuinitus informatæ, erit appetitus rectus, & ad magnanimitatem pertinens. Si autem aliquis ab hac regula deficiat, incurret puſillanimitatis vitium. Si verò excedat, erit vitium ſuperbiæ.

Appetitus excellentię quomodo ad magnanimitatẽ, puſillanimitatem, & ſuperbiam pertineat.

M 1. 2. 27. 3. fi. c.

N Eph. 4. l. 1. ibi, humilitate.

Cur inter ſuperbos iurgia.

Propter quam, à pluribus inordinatè concupitam excellentiam, inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, *ut dicitur Prov.* 13. Quia M ſe inuicem impediunt in propria excellentia, quam concupiſcunt. Dum enim N unus ſuperbiens vult alijs præeſſe, & alius ſimiliter ſuperbus non vult ſubeſſe, cauſatur diſſenſio inter illos. *Et hinc deducitur, quid circa ſuperbiæ ſubiectũ dicendũ ſit*. Si *enim* arduum O quod eſt obiectum ſuperbiæ, eſſet ſolùm aliquid ſenſibile, in quod poſſet tendere appetitus ſenſitivus: oporteret, quòd ſuperbia eſſet in iraſcibili, quæ eſt pars ſenſitiui appetitus.

O 2. 2. 162. 3. c. Ma. 8. 3. Virt. 1. 5. ad 10.

Superbiæ ſubiectum.

Sed quia arduum, quod reſpicit ſuperbia, communiter invenitur & in ſenſibilibus & in ſpiritualibus rebus: neceſſe eſt dicere, quòd ſubiectum ſuperbiæ ſit iraſcibilis, non ſolùm propriè ſumpta, prout eſt pars appetitus ſenſitiui; ſed etiam communiùs accepta, prout inuenitur in appetitu intellectivo. Vnde & in dæmonibus ſuperbia ponitur, *propter quam ceciderunt. Quatuor porrò ſuperbiæ ſpecies aſſignari conſueverunt, quas deſcribit* Gregorius 23. *Moral. dicens*. Quatuor P quippe ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur: cum bonum, aut à ſemetipſis habere ſe exiſtimant: aut ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant; aut certè cum iactant ſe habere quod non habent: aut deſpectis cæteris, ſingulariter videri appetunt habere quod habent.

P 2. 2. 162. 4. arg. 1. Ma. 8. 4. arg. 1.

Quatuor eius ſpecies.

Q 2. Tim. 3. l. 1. ibi, elati.

Quibus cohærens quæ 2. Tim. 3. *ab Authore traduntur*. Species *inquit* ſuperbiæ Q ſunt quatuor. Vna quando aliquis attribuit ſibi, quo caret. Secunda quando quod ab alio habet, attribuit ſibi, ac ſi haberet à ſe, 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Tertia quando attribuit ſibi quod habet ab alio, ſed meritis proprijs, Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbato &c.* Quarta quando ſingulariter vult videri ſupra omnes; & hæc eſt elatio, *Pſ.* 130. Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. *De quorum ſuperborum genere dicitur Iob.* 15. Cucurrit aduerſus eum erecto collo, *id eſt* R ſuperbiendo. *Et Iſ.* 3. Elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo: *quod* ſignum S ſuperbiæ eſt.

R Iob 15. l. 2. ibi.

Harum numerus convenienter aſſignatur.

S Iſ. 3. §. 13. ibi.

T 2. 2. 162. 4. c. In 2. d. 42. 2. 4. Ma. 8. 4. & 1. Cor. 4. l. 2. ibi, gloriaris.

Et harum quidem ſpecierum numerus facilè ſuadetur conſideranti, quòd ſuperbia T importat immoderatum excellentiæ appetitum, qui ſcilicet non eſt ſecundùm rationem rectam. Quælibet autem excellentia conſequitur aliquod bonum habitum, quod quidem poteſt tripliciter conſiderari. *Vno modo* ſecundùm ſe: manifeſtum eſt enim quòd quantò maius eſt bonum, quod quis habet, tantò per hoc excellentiam maiorem conſequitur.

Et

Et ideò, cum aliquis attribuit sibi maius bonum, quàm habeat, consequens est, quòd eius appetitus tendat in excellentiam propriam vltra modum sibi conuenientem. Et sic est tertia species superbiæ, cum scilicet aliquis iactat se habere quod non habet. *Alio modo* ex parte causæ: prout scilicet excellentius est, quòd aliquod bonum insit alicui à se ipso, quàm quòd insit ei ab alio. Et ideò cum aliquis æstimat bonum, quod habet ab alio, ac si haberet à se ipso, fertur per consequens appetitus eius in propriam excellentiam supra suum modum. Est autem dupliciter aliquis causa sui boni. Vno modo efficienter: alio modo meritoriè. Et secundùm hoc sumuntur duæ primæ superbiæ species: scilicet cùm quis à semetipso habere æstimat, quod à Deo habet; vel cum propriis meritis sibi datum desuper credit. Tertio modo ex parte modi habendi, prout excellentior aliquis redditur ex hoc, quòd bonum aliquod excellentiùs cæteris possidet. Vnde ex hoc etiam fertur inordinatè appetitus in propriam excellentiam: & secundùm hoc sumitur quarta superbiæ species, quæ est, cum aliquis, aliis despectis, singulariter vult videri.

Tertia superbiæ species.

Duæ primæ.

Quartã;

b *Ex quo sequitur, quòd* duæ V primæ species ad ingratitudinem pertinent: est enim ingratus, qui non recognoscit beneficium sibi gratis collatum; vel qui æstimat se hoc suis meritis obtinuisse. Quòd *verò* aliquis X se excuset de peccato, quod habet, pertinet ad tertiam speciem: quia per hoc aliquis attribuit sibi bonum innocentiæ, quod non habet. Quòd autem aliquis præsumptuosè tendat in id, quod supra ipsum est, præcipuè videtur ad quartam speciem pertinere, secundùm quam aliquis vult aliis præferri. *Cæterùm* in duodecim Y gradibus, quos ponit *Bernardus*, tanguntur non solùm superbiæ species, sed etiam quædam antecedentia, & consequentia, prout sumuntur per oppositum ad 12. gradus humilitatis. Nam primus gradus humilitatis est, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus: cui opponitur *curiositas*, per quam aliquis curiosè vbique & inordinatè circumspicit. Secundus gradus humilitatis est, vt pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamosa voce: contra quem opponitur *leuitas mentis*, per quam scilicet homo superbè se habet in verbo. Tertius gradus humilitatis est, vt non sit aliquis facilis & promptus in risu: cui opponitur *inepta lætitia*. Quartus gradus humilitatis est taciturnitas vsque ad interrogationem: cui opponitur *iactantia*. Quintus gradus humilitatis est, tenere quod communis regula monasterii habet: cui opponitur *singularitas*, per quam scilicet aliquis sanctior vult apparere. Sextus gradus humilitatis est, credere, & pronunciare se omnibus viliorem: cui opponitur *arrogantia*, per quam scilicet homo aliis se præfert. Septimus gradus humilitatis est, ad omnia inutilem & indignum se confiteri & credere: cui opponitur *præsumptio*, per quam aliquis reputat se sufficientem ad maiora. Octauus gradus humilitatis est confessio peccatorum: cui opponitur *defensio eorundem*. Nonus gradus humilitatis est, in duris & asperis patientiam amplecti: cui opponitur *simulata confessio*, per quam scilicet aliquis non vult subire pœnam pro peccatis, quæ simulatè confitetur. Decimus gradus humilitatis est obedientia: cui opponitur *rebellio*. Vndecimus gradus humilitatis est, vt homo non delectetur facere propriam voluntatem: cui opponitur *libertas*, per quam scilicet

V Ma.8.4.ad 5 & 2.2. 162.4. ad 3.

Primæ duæ ad ingratitudinem pertinent.

X 2.2. l.c. & q. 21.4. c. Ma. l.c. ad 4. & 6.

Excusatio de peccato ad tertiam speciem: præsumptio ad quartam reducitur.

Y 2.2. l.c. ad 4.

12. ex Bernardo superbiæ gradus per oppositũ ad 12 gradus humilitatis.

homo delectatur liberè facere quod vult. Vltimus gradus humilitatis est timor Dei: cui opponitur *peccandi consuetudo*, quæ implicat Dei contemptum. *Verùm non omnes actus, qui cuipiam vitio attribuuntur, ad illud directè & essentialiter spectant: sed alius antecedenter, alius directè, alius consequenter. Et ita* ad superbiam Z pertinet directè quidem, & quasi essentialiter, immoderatus appetitus excellentiæ: antecedenter autem, quòd aliquis æstimet se tantum, cui talis excellentia competat: consequenter autem, vt ex existimatione, & appetitu, in verba & facta ostentationis prorumpat: (*vt aiebat initio Author.*) Quorum trium primum pertinet ad irascibilem, alia verò duo ad rationem. Apprehensio enim rationis præcedit appetitiuum motum, & imperium rationis de exteriori executione sequitur ipsum. *Et hinc deducitur, quòd* superbia A non est idem inani gloriæ, sed causa eius. Nam superbia inordinatè excellentiam appetit, sed inanis gloria appetit excellentiæ manifestationem. Cuius quidem septem sunt filiæ, scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, discordia, pertinacia, & nouitatum præsumptio. *De quibus V.* Gloria *Tomo 2. Cætera quæ ad vitii superbiæ grauitatem pertinent, ad* Num. seq. *reseruamus*. DISCE *tot ex Superbia malis obnoxius non superbire.*

Non omnes actus, qui alicui vitio attribuuntur, directè & essentialiter ad illud spectant.

Z Ma.8.3 ad 7. & 11.

Tres superbię actus:

In quo ab inani gloria distinguatur.

A 2.2. 162.8. ad 2. & 132.4. c. Ma. 8.4. ad 3

Inanis gloriæ filiæ quæ.

XVI. Omnium aliorum peccatorum defectus aliquis occasio solet esse: sola verò superbia est, quæ fundamentum ex perfectione sumit. *In 2. d. 22. 1. 1. fi. corp.*

c *EA est superbiæ super cætera vitia pessima conditio, vt quamuis* non quodlibet B peccatum (vt *præmisimus*) singulariter ex superbia oriatur: quodlibet tamen genus peccati natum est ex superbia oriri. *Vnde & illud Apoc. 2.* Qui non cognouerunt altitudines satanæ, *exponitur*: idest C superbiam, ex qua omne genus peccati prouenit, & extinctio totius boni in homine. *Nec mirum, eo quòd tollit singulariter charitatem, quæ omnis boni origo est, & omnium virtutum forma.* Nam D sicut charitas & radix est initium virtutum: sic superbia est radix & initium omnium vitiorum. Quod sic patet. Charitas enim ideò dicitur radix omnium virtutum, quia coniungit Deo, qui est vltimus finis. Vnde sicut finis est principium omnium operabilium: ita charitas est principium omnium virtutum. Superbia autem auertit à Deo: superbia enim est appetitus inordinatus excellentiæ. Si enim aliquis appetit aliquam excellentiam sub Deo, si moderatè quidem appetit, & propter bonum, sustineri potest. Si verò non debito ordine; potest quidem alia vitia incurrere, scilicet ambitionis, auaritiæ, seu inanis gloriæ, & huiusmodi: tamen non est propriè superbia, nisi quando quis appetit excellentiam, non ordinando illam ad Deum. Et ideò superbia propriè dicta separat à Deo, & est radix omnium vitiorum, & pessimum omnium, *vt infra dicetur. Profectò* superbia E semper quidem contrariatur dilectioni diuinæ, in quantùm scilicet superbus non se subiicit diuinæ regulæ prout oportet. Et quandoque etiam contrariatur dilectioni proximi, in quantùm scilicet aliquis inordinatè se præfert proximo, & ab eius subiectione se retrahit: in quo etiam derogatur diuinæ regulæ, ex qua sunt hominum ordines instituti, prout scilicet vnus eorum sub alio esse debet. *Origo inquam & radix superbia est vitiorum omnium, gra-*

B 2.2. 162.7. ad 1. & a. 2. c. & a. 5. ad 1.

Quodlibet peccatum potest ex superbia oriri.

C Apoc. 2. Com. 1. ibi.

D 2. Cor. 12. l. 3 sub initio.

Radix est & initium omnium vitiorũ, sicut charitas omnium virtutum.

In quo potissimùm superbia consistat.

E 2.2. 162.5. ad 2.

Contrariatur Dei dilectioni & proximi

nio-

niorum præsertim. Sicut enim ex alia cupiditatis radice prouenit infidelitas, 1. *Tim.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide: *ita ex radice superbia hæresis, quæ infidelitatis species est, pariter deriuatur. Etenim in rebus fidei contrariis* pertinacia F sola facit hæreticum: quæ quidem pertinacia ex superbia oritur. Ex qua G contingit quòd homo intellectum suum non vult subiicere regulis fidei, & sano intellectui Patrum. *Et hinc est, quòd* superbia H secundùm quod est inordinatus appetitus cuiusdam excellentiæ, ponitur vitium capitale aliis condiuisum: *immò & primum capitalium, seu quod omnia super excedit, & veluti super it: sed & plus quiddam, quàm capitale vitium, ab aliis statuitur, Authore approbante, inter quos* Gregorius, *Qui quidem* considerans I vniuersalem superbiæ influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumerauit eam aliis capitalibus vitijs, sed posuit eam reginam omnium vitiorum, & matrem. Vnde *in* 31. *Moral.* Ipsa *inquit* vitiorum regina superbia, cum deuictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus, deuastandum tradit: ex quibus vitiorum multitudines oriuntur. *Quoniam verò* superbia L est inordinatus appetitus excellentiæ, & ad huiusmodi excellentiam maximè videtur pertinere humana gloria: ideò *Gregorius* loco superbiæ vitium capitale inanem gloriam posuit.

Ex ea & hæresis oritur, sicut ex cupiditate infidelitas.
F *Mal.* 8. 3. *ad* 7.
G 2. 2. 10. 1. *ad* 3.
H *Ma.* 8. 1. *ad* 16. *In* 2. *d.* 5. 1. 3. 5.
Vitium capitale, & capitalium primum.
Immo plùs quiddam, quàm capitale vitium, à quo 7. capitalia.
I 2. 2. 162. 8. c. & 1. 2. 84. 4. *ad* 4.
Regina omnium vitiorũ et mater.
L *Ma.* 8. 1. *ad* 16.

d *Eadem causa superbia dicitur, & est omnium peccatorum grauissimum. Quocirca sciendum, quòd* in peccato M duo attenduntur; scilicet conuersio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato, & auersio à bono incommutabili, quæ est formalis & completiua ratio peccati. Ex parte autem conuersionis, non habet superbia, quòd sit maximum peccatorum, quia celsitudo, quam superbus inordinatè appetit, secundùm suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis. Sed ex parte auersionis superbia habet maximam grauitatem: quia in alijs peccatis homo à Deo auertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, siuè propter desiderium cuiuscumque alterius boni, sed superbia habet auersionem à Deo ex hoc ipso, quòd non vult Deo, & eius regulæ subijci. Vnde *Boetius* dicit, quòd cum omnia vitia fugiant à Deo, sola Superbia se Deo opponit. Et ideò auerti à Deo, & eius præceptis, quod est quasi consequens in alijs peccatis, per se ad superbiam pertinet, cuius actus est Dei contemptus. Et quia id, quod est per se, potius est eo, quod est per aliud; consequens est, quòd superbia sit grauissimum peccatorum secundùm suum genus, quia excedit in auersione, quæ formaliter complet peccatum. *Hinc* super N illud Ps. 118. *Superbi iniquè agebant usque quaque*, dicit glossa: *Maximum peccatum in homine est superbia. Superbia igitur* dicitur O esse grauissimum peccatorum ex eo, quòd per se competit principio, ex quo attenditur grauitas in peccato. Et ideò inter grauiora peccata, primum est Superbia, sicut causa per quam alia peccata aggrauantur. Et quia id, quod est primum in causando peccata, est etiam vltimum in recedendo; ideò super illud Psal. 18. *Emundabor à delicto maximo*, dicit glossa; *hoc est à delicto Superbia, quod est vltimum redeuntibus ad Deum, & primum recedentibus. Vel (vt alibi) à delicto maximo*; idest P à Superbia, quia est *initium omnis peccati*, Eccli. 10. Non est enim maius peccatum, quàm appostatare à Deo: & hoc fit per Superbiam. Vnde peccatum, quod est ex Superbia, potius est, quàm sit ex ignorantia, vel ex infirmitate. Superbia namque est *initium* & *causa omnis peccati*: & qui caret illa, est verè immaculatus. *Quod præmiserat Psaltes*: Tunc immaculatus ero. *Adeòque malignantis natura Superbia est, quòd vbi alia vitia ex vitiis aliis proficiscuntur, ipsa singulariter etiam ex virtutibus ortum trahit. Notandum verò, quòd* superbia Q non oritur ex virtutibus, sicut ex causa per se, sed sicut ex causa per accidens: in quantùm scilicet aliquis ex virtutibus occasionem superbiæ sumit. Nihil autem prohibet, quin vnum contrariorum sit alterius causa per accidens, vt *dicitur in* 8. *Phys.* Vnde etiam de ipsa humilitate aliqui superbiunt: (*Notent spirituales.*) *Cohærenter præterea erudimur, quòd* ex radice R virtutis potest aliquid procedere dupliciter. Vno modo directè ex parte virtutis, sicut actus procedit ex habitu: & hoc modo ex virtuosa radice non potest aliquod peccatum procedere. Hoc enim sensu *Augustinus* dicit in lib. de lib. arb. quòd *Virtute nemo malè vtitur*. Alio modo procedit aliquid ex virtute indirectè, siuè occasionaliter: & sic nihil prohibet, aliquod peccatum ex aliqua virtute procedere. Sic enim interdum aliqui de virtutibus superbiunt, secundùm illud *August. in Regul.* Superbia etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. *Vnde & cælibes aliqui non rarò (fœmina præsertim) propriam nimiùm continentiam iactantes, spiritualiter fornicantur. Docemur enim, quòd* etiam S propter pulchritudinem spiritualem aliquis spiritualiter fornicatur, in quantum de ipsa honestate superbit, secundùm illud *Ezech.* 28. Eleuatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. *Et hoc est, quod promfsit à principio Author*: Omnium T aliorum peccatorum, defectus aliquis occasio esse solet: sola verò superbia est, quæ fundamentum ex perfectione sumit. *Et ideò difficulter superbia peccatum euitatur: siquidem* difficile est V vitare aliquod peccatum propter eius latentiam; & hoc modo Superbiam difficile est vitare, quia etiam ex ipsis bonis occasionem sumit. Et ideò signanter *Augustinus* dicit, quòd bonis operibus insidiatur; *veluti ex insidiis agens. Vnde & in Psal.* 141. *dicitur*: In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

Ex parte auersionis, peccatorum grauissimum.
M 2. 2. 162. 6. & 7. c. & 2. Cor. 12. l. 3. *sub initio*.
Alia vitia fugiunt à Deo: sola superbia se illi opponit.
N 2. 2. l. c. in sed contra.
O 2. 2. l. c. a. 7. *ad* 4.
Per eam alia peccata aggrauantur.
P *Ps.* 18. *lit.* I.
Q 2. 2. 162. 5. *ad* 3. & 1. 2. 88. 3. *ad* 3.
Occasionaliter etiam ex virtutibus nascitur.
R 2. 2. 20. 1. *ad* 2.
Aliqui de ipsa humilitate, et continentia superbiunt.
S 2. 2. 145. 2. *ad* 3. & 151. 2. c.
T 2. d. 22. 2. 1. *fi.* c.
V 2. 2. 162. 6. *ad* 1.

e *At vnde, &* quid superbit terra & cinis? *Eccli.* 10. *vbi nimirùm tot sunt humilitatis motiua.* Ex parte X corporis, si attendamus vnde corpus venit, inuenitur, quòd ex putredine, Iob 17. *Putredini dixi: Pater meus es.* Si attendatur, ad quem finem deueniat, puluis & cenis fit, Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Statum præsentem corporis attendebat qui dixit: *Humiliatio tua in medio tui*, Mich. 6. *Et* Hieronymus: *Quomodo superbiat, qui semper secum sentinam portat?* Ex parte animæ miseriam habemus & culpæ & pœnæ. In eis etiam, quæ sunt iuxta nos, multam materiam humiliationis inuenimus, si attendamus, multos de fratribus nostris esse leprosos, multos cæcos, paralyticos, mendicos, & alijs miserijs afflictos. Item si attendamus eos, qui contra nos sunt, scilicet hostes inuisibiles, qui & fortiores, & astutiores nobis sunt. Item supra nos causas humiliationis inuenire possumus, si attendamus Dei omnipotentiam paratam ad vindictam superborum. Tribus de causis solet aliquis se inclinare, siue demittere; vel quia gladius capiti eius imminet; vel quia transiturus est per ostium humile; vel propter societatem alicuius magnæ personæ, quam videt ad terram sedere. Similibus causis debet homo per humilitatem se inclinare, si per superbiam se erexerit. Gladius enim Omnipotentis Dei est euaginatus super caput eius, 1. Pet. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Item necesse habet per ostium humile Paradisi intrare. *Augustinus* super illud, *Ego sum ostium*, Io. 10. *Ostium hu-*

X *Op. de er. Pr. l.* 3. c. 8.
Nihil in homine vnde superbiat, sed solùm vnde humilietur.
Tribus de causis, se quis inclinat, & ex totidem se homo humiliare debet.

humile est: si sano capite volumus intrare, oportet caput demittere. Item Altissimus in Mundo isto *humiliauit semetipsum* Philip. 2. Et sancti valdè se humiliter habuerunt, Mat. 10. *Sufficit seruo, si sit sicut Dominus eius*. Mirum est, cum habeamus tot humiliantia, quomodo remanet in nobis superbia! O' mira vanitas, ò mira fatuitas cordis nostri! Cuius elationem perfectè demittere, cuius ceruicosos motus omninò domare humilitatis materia tanta non sufficit, quin adhuc superbiat terra, & cinis. *Immò & superbit magis, qui maiora habet sese humiliandi motiua: qualis est homo, vili genere, atque plebeio natus: qui si exaltatus fuerit, maiori ut plurimùm effertur superbia typho*. Promotio Y alicuius tantò magis consueuit eum extollere in vanam gloriam, quantò ex viliori statu eleuatur, *secundùm illud Prou.* 30. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum, cum regnauerit: per stultum, cum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cum fuerit heres Dominæ suæ. *Ex quo indignum reputat humile aliquid exercere. Ex opposito nobiliter natus non dedignatur humilia ad exercitium virtutis non rarò obire. Et hinc est, quòd cum Dominus noster, homo simul & Deus, dignatus esset discipulorum pedes abluere, hoc narraturus Euangelista, illud præmittere voluit*, *Io.* 13. Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit a Cæna, & ponit vestimenta sua &c. *Quia nimirùm*, quandò Z aliquis parui momenti exaltatur, de facili superbit, nec aliquid humile facit, ne videatur derogare dignitati suæ: sed qui in magno statu existens exaltatur, non negligit humilia. Et ideò de dignitate Christi mentionem facit. *De quo pariter dicitur Hebr. 2. & Ps.* 21. Non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. *Quo loci Author*. Nota A quòd dicit, *non confunditur &c.*, quia aliqui de vili plebe nati, si promouentur, confunduntur cognoscere consanguineos suos (*plures nouimus*) Prou. 19. *Fratres hominis pauperis oderunt eum. Non sic autem Christus*.

Viliori genere nati, si exaltentur, magis superbiunt.

Y Rom. 11. *l.* 3. *ibi*, fracti *& Io.* 4. *l.* 1. *lit. m.*

Z Io. 13. *l.* 1. *fi.*

A Hebr. 2. *l.* 3. *ibi*.

Dedignantur cognoscere consanguineos suos.

§ *Porrò diaboli Christi aduersarii propria superbia est: unde & docemur, quòd* peccatum B primum Angeli non potuit esse aliud, quàm superbia. In spiritualibus enim bonis non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc, quòd in tali affectu superioris regula non seruatur: & hoc est peccatum superbiæ. *Et superbi quidem sunt, quos ad Infernum habet diabolus sequaces, qui* per tertiam partem stellarum *Apoc.* 12. *designantur*. Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum Cœli. *Etenim* quidam C sunt, qui semper volunt trahi, & nunquam trahere: vt simplices faciunt, qui nunquam volunt alios regere sensu suo, sed semper volunt ab alio regi: quidam volunt aliquando trahere, & aliquando trahi: vt sapientes & boni magistri, qui aliquando regunt alios suo sensu, & aliquando nolunt regi ab alieno sensu, quia volunt inniti semper prudentiæ suæ. Ecce duæ partes stellarum. Alii sunt, qui semper volunt trahere, & nunquam trahi: hi semper volunt alios regere, & nunquam ab alio regi: vt sunt illi, qui semper præponunt sensum suum omnibus aliis. Et hi sunt tertia pars, quam trahit cauda diaboli in Infernum: *scilicet superbi*. Vnde Lucifero, qui dixerat Is. 14. *In Cœlum conscendam, similis ero Altissimo*, dictum est: *Verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci*. Reprobi autem fideles dicuntur *Stellæ* propter fidem, quam habent, saltem informem. *At verò nedum sequaces diaboli superbi sunt, sed & subditi illi, secundùm illud Iob* 41. Ipse (*diabolus*) est rex super vniuersos filios superbiæ: *idest* super eos, D qui superbiæ subiiciuntur: qui omnes sequuntur eius ducatum. *Et sicut subditi ducem & regem suum alere tenentur & conseruare: ita superbi diabolum & regem suum, immò tyrannum. Quod innuitur eiusdem* Iob c. 40. *iis verbis*: Huic montes herbas ferunt: *per quod* intelligitur E quòd sublimes in hoc seculo, & superbi afferunt diabolo suæ delectationis, seu refectionis materiam. *Quin & diabolicos superbia homines facit, qua ipse potissimùm deliquit. Vnde dictum est illis Io.* 8. Vos ex patre diabolo estis, *scilicet* per F imitationem, *superbiæ nimirùm*. *Profectò* omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, 1. *Io.* 2. Ista G triplex forma dat triplex esse: quia prima forma dat esse animale, secunda terrenum, tertia diabolicum. Concupiscentia carnis facit hominem animalem: auaritia hominem terrenum; superbia similem facit diabolo. De his tribus dicitur, *Iac.* 3. Non est ipsa sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. *Et hinc deduci potest, quanto sit superbia hominibus detrimento: quod ex vulneribus ob Adæ superbiam humanæ naturæ inflictis satis notum est: vt suo loco ex Authore docuimus. Quorum præcipuum fuit vulnus ignorantiæ: veritatis quippe vtramque impedit superbia cognitionem*. Cognitionem *etenim* speculatiuam H indirectè impedit subtrahendo causam: superbus enim neque Deo intellectum suum subiicit, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat, secundùm illud Mat. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*, idest à superbis: *& reuelasti ea paruulis*, idest humilibus. Neque etiam ab hominibus addiscere dignatur, cum tamen dicatur Eccli. 6. *Si inclinaueris aurem tuam*, scilicet humiliter audiendo, *excipies doctrinam*. Affectiuam verò cognitionem veritatis directè impedit superbia: quia superbi dum delectantur in propria excellentia, excellentiam veritatis fastidiunt: vt *Gregorius* dicit 23. Moral. quòd *superbi, & si secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt: & si nouerint quomodo sunt, ignorant, quomodo sapiunt*. Vnde & Prou. 11. dicitur: *Vbi est humilitas, ibi & sapientia*; superbia *immò* extinguit I omnes virtutes, & corrumpit omnes potentias animæ, per quandam diffusionem sui imperii. *Vitia proinde omnia in animam ductu superbiæ introducuntur*. Quando *enim* hoc L vitium venit ad aliquem, non venit solum, sed adducit magnam societatem ad modum Regis (*unde & reginam superbiæ dixit* Gregorius) iuxta illud Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis*, idest vitiis. Ex quibus pertinentibus ad concupiscentiam oculorum videtur consequi aliqua vtilitas, saltem corporalis: superbia verò animæ nocet, corpori verò non videtur prodesse. Vnde Sap. 5. dicunt damnati: *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Multum timendum est vitium superbiæ: infirmitas enim est, quæ vix sanatur, iuxta illud Eccli. 3. *Synagoga superborum non erit sanitas*. Si in tanto timore sunt infirmi, cum eis dicitur, quòd infirmitatem habent incurabilem, in quanto timore debent esse qui laborant vitio superbiæ, cum Spiritus sanctus ostendat eis infirmitatem insanabilem ha-

B 1. *p.* 63. *a.* 2. *c.* & 3. *con. G. c.* 109. *Ma.* 16. *a.* 3. & 4.

Peccatum primum diaboli non potuit aliud esse quàm superbia.

Superbi, sequaces diaboli ad Infernum.

C Apoc. 12. *tom.* 2. §. 2. *ibi*.

D Iob. 41. *l.* 2. *fi.*

Immò & subditi illi.

E Iob 40. *l.* 2. *ibi*.

Qui et ipsum pascunt, et reficiunt.

F Io. 8. *l.* 6. *lit. a*

G Serm. ex Ep. Dom. inf. oct. Epiph.

Superbia homines diabolicos facit.

Quàm noxia sit.

H 2. 2. 162. 3. *ad.* 1.

Vtramque impedit cognitionem, speculatiuam scilicet et affectiuam.

I Ma. 8. 2. *ad* 1. *& in corp.*

Omnes immò extingit virtutes, et potentias omnes corrumpit.

L Op. de er. Pr. l. 6. *c.* 8.

Superbiam plura vitia comitantur.

Caput est antiqui serpentis, conterendum.

habere? Vitium superbiæ caput est antiqui serpentis, cuius capitis contritioni maximè esset insistendum. Vnde *Gen.* 3. dictum est serpenti de muliere, quæ tenet figuram Ecclesiæ: *Ipsa conteret caput tuum (quemadmodum & Virginis Deipara typum gerit, cuius humilitate, quæ superbia opponitur, caput eius contritum est)*. Serpens modica percussione capitis occiditur. Si capiti parcatur, frustrà cætera membra ipsius percutiuntur; amputata enim cauda, nihilominus viuit. Sic frustrà alia vitia à se amputare nititur qui superbiam non relinquit. *Hieronymus. Lubricus est antiquus serpens: & nisi capite teneatur, totus statim illabitur*, Eccli. 25. *Non est caput nequius super caput colubri*: contrito hoc capite, facile cætera vitia destruuntur. Golias in capite percussus à David, cecidit in faciem suam: & sic Dauid præualuit aduersùs eum. Sic qui superbiam, quæ caput diaboli est, in se viriliter percusserit, adversus diabolum præualebit. Alijs vitijs in fugam conuersis, Superbia in campo remanet, non cessans ab impugnatione hominis, dum homo viuit; & iuxta illud:

Bellatrix pro vitijs.

Cum bene pugnaris, cum cuncta subacta putaris,
Quæ post infestat, vincenda superbia restat.

Superbia altitudo est, quasi quædam turris, alia vitia defendens, & ea expugnari non permittens, ut patet in usurarijs & raptoribus, qui ab usuris & rapinis cessare volunt: quia videtur eis, quòd si ab eis cessarent, inter uicinos suos honorificè viuere non possent. *Monebat idcircò Filium Tobias cap. 4.* Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. *Vide quàm coherenter loquitur ad uerba Ecclesiastici*: Initium omnis peccati est superbia.

M 1. Cor. 4. l. 3. ibi, inflati. Superbi correptionis incapaces, flagellis indigēt. N 2. 2. 162. 6. ad 3. Rom. 11. l. 3. & 2. Cor. 12. l. 3.

g *Et quidem incapaces ut plurimùm correptionis superbi redduntur: & ideò* humiles M solis verbis corriguntur: superbi flagellis indigent. *Verùm quia & peccatum peccati pœna est: ad humiliandum superbos, permittit hos aliquando Deus in viliora maiorisque prolabi opprobrij peccata.* Sicut enim in N syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis conuincitur per hoc, quòd ducitur ad inconueniens magis manifestum: ita etiam ad conuincendum superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia: quæ etsi sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. *Et ita superbam eorum mentem deiicit: superbientes enim deijci in pœnam semper à Deo consueuerunt, Mat. 11.* Et tu Capharnaum, numquid usque in Cœlum exaltaberis? Vsque in Infernum descendes. *Quasi dicat*: A te O ipsa exaltata es, nunquid exaltaberis per superbiam? Quantumcumque exaltata fueris, tamen *usque ad Infernum descendes* tu quæ tibi videris tangere Cœlum: propria enim poena superbi est deiectio. Vnde contra illum, qui dicebat Is. 14. *Super astra Dei exaltabo solium meum (si ueliteraliter intelligatur Nabuccdonosor, siue mysticè primus Angelus, ambo superbia delinquentes) dictum est: ad Infernum detraheris. Et paulò ante clariùs*: Detracta est ad inferos superbia tua. *Et hoc est quod dicitur Ps. 88.* Tu humiliasti, sicut vulneratum superbum, *Adam videlicet quatuor natura vulneribus, ut pluries præmissum est: nam sola vexatio intellectum dabit (ut dicitur Is. 28.) & superbientem humiliat. Quo pacto &* Alexander P quando fuit percussus, recognovit se non filium Iouis, sed mortalem, ut ipse ait militibus suis. *Ita humiliatus est & superbus Nabuchodonosor, à Deo in bestiam superna manu transfiguratus, de quo legitur Dan. 5.* Quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat. Quando autem e-

In viliora peccata ruere permittuntur. Propria superbi pœna deiectio. O Mat. 11. lit. c. ibi Iob 40. l. 1. ibi, humilia.

P Ps. 9. lit. n. ß.

leuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est, & à filijs hominum eiectus est; sed & cor eius cum bestijs positum est, & cum onagris erat habitatio eius: foenum quoque ut bos comedebat &c. *Quò facit illud Is. 2.* Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in illa die. *Oculi sublimes hominis*, idest Q superbia hominis potentis, *humiliati sunt*, idest humiliabuntur (præteritum pro futuro propter certitudinem) *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius, in alta surrecta*, Prover. 30. *& incuruabitur altitudo virorum*, idest nobilitas generis, Amos 2. *Exterminavi Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius*. Sequitur: *Exaltabitur autem Dominus solus*, idest, altus appatebit in punitione, qui infirmus videbatur in expectatione. *Vnde dicitur Ps. 9.* Cognoscetur Dominus iudicia faciens; *& Is. 5.* Oculi sublimium deprimentur; & exaltabitur Dominus exercituum in iudicio. *Et ò quoties iusto Dei iudicio contingit, quem superbus deijcere nititur, ad excelsos euehi honores, quos ille affectabat, & infeliciter deijcitur; nisi fortè ad patibuli ignominiam eleuetur, quod alteri præparabat. Ita superbo euenit Aman: de quo legitur Esth. 7.* Suspensus est Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo: *hic verò ad regios honores euectus est, ut habetur cap. 6. En quomodò propria pœna superbi est deiectio. Vnde & Prov. 29.* superbum sequitur humilitas. *Et cap. 15.* Domum Superborum demolietur Dominus. *Cui coharet illud cap. 17.* Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. *Et apertè Dominus Luc. 14. & 18.* Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. *Sicut enim humiliatio exaltationem meretur, ita exaltatio deiectionem.* Cum enim aliquis R ex sua iniusta voluntate sibi attribuit plus, quàm sibi debeatur, iustum est, ut diminuatur etiam quantùm ad id, quod sibi debebatur: sicut cum furatur quis unam ouem, reddet quatuor, ut dicitur. *Ex. 22.* Et hoc dicitur mereri, in quantùm per hoc punitur eius iniqua voluntas. Ita etiam cum aliquis sibi ex iusta voluntate subtrahit quod debebat habere, meretur, ut sibi amplius supper addatur quasi merces iustæ voluntatis: & inde est, quòd dicitur: *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Q Is. 2. §. 3. ibi.

Cur humiliationi exaltatio, exaltationi deiectio debeatur. R 3. p. 49. 6. c.

h *Sanè imminet perpetuò superbis ultio diuina, Amos 6.* Iuravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo una: & ipsi morientur. *Et Ezech. 31.* Pro eo, quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem, atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua: tradidi eum in manu fortissimi gentium, faciens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum &c. *Idcircò Iac. 4. & 1. Pet. 5. dicitur*: Deus superbis resistit, *utpotè sibi super cæteros exosis*: humilibus autem dat gratiam, *quia nimirùm* humilia respicit in Cœlo & in terra, *Ps. 112.* Deus S superbis *ex glossa* specialiter dicitur resistere, quia maiori pœna plectuntur qui Deo subdi pœnitendo negligunt. Vel *superbis resistit*, spiritualiter T eos ampliùs cæteris peccatoribus puniendo, vt patet in Lucifero. *Vnde & legitur Ps. 30.* Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam: *supple* pœnam V & *abundanter*, idest supra seipsos, quia ipsi sese extollunt supra se, *Is. 16.* Superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius. *Quin & post voluntariam humiliationem, pœnitudinem, ac*

Superbis perpetuò instat ultio diuina.

Deo exosi.

S Iac. 4. §. 3. ibi.

T 1. Pet. 5. §. 2. ibi.

V Ps. 30. lit. x.

Vel vnus superbiæ actus quàm grauiter à Deo punitus, etiam post pœnitudinem de peccato.

Ooo dete-

detestationem peccati, grauiter adhuc Deus actum superbia punit; vt patet in Rege Dauid, de populi numeratione superbiente. Nam & postquam dixisse legitur 2. *Reg.* 24. Peccaui valde in hoc facto; sed precor, Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis; *dictum ei legimus*: Trium tibi datur optio. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos; & illi te persequentur; aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. *Vide quàm grauis mulcta à Deo vel vnius animaduerteretur, etiã post detestationem, superbia actus! Quantò ergo grauiùs puniendus in superbia culpa perseuerans!* *Eapropter dicebat Dominus Ier.* 50. Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum &c. *Cui respondet illud Is.* 2. Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. *Dies Domini*, idest X ultionis tempus, *exercituum*, vt non dubitetur de victoria eius, cui tanta subest obsequentium multitudo: *super omnem superbum & excelsum*; idest, super eum, qui magis de magnis, quæ habet, extollitur, & *super omnem arrogantem*, qui eleuatur de eo, quod non habet, Prou. 8. *Arrogantiam & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor*. Sequitur: & *humiliabitur*; *quia qui se exaltat, humiliabitur*, vt dicitur Luc. 14. & 18.

X *Is.* 2. §. 2. *ibi*.

i *Id quod apertiùs tradit Author, & declarat, pœnas superbis debitas adiiciens, ad ea verba Iob* 40. Disperge superbos in furore tuo: & respiciens, omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos: & confunde eos, & contere impios in loco suo. Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam. *Vbi docemur, quòd inter cuncta* Y *vitia Deus maximè superbiam detestatur*. Et hoc ideò, quia superbi quasi Deo rebellant, dum ei humiliter subdi non volunt: & ex hoc in omnia peccata incidunt, diuinis præceptis contemptis. Vnde & terreni Principes maximè detestantur rebelles. Et ideò Dominus specialiter commemorat effectum suæ potentiæ, quem contra superbos exercet. Est autem duplex genus superborum. Quidam enim ex bonis, quæ habent, se super alios efferunt: sicut ille qui dicebat Luc. 18. *Non sum, sicut cæteri hominum*. Et hi propriè superbi dicuntur, vt ipsum nomen sonat. Est autem propria superborum pœna, discordia: quia dum quilibet alij superesse nititur, & subijci recusat, ad inuicem concordare non possunt: vnde dicitur Prou. 13. *Inter superbos semper iurgia sunt*. Et ad hoc designandum dicit: *Disperge superbos in furore tuo*. Quasi dicat: Exerce officium Dei, quod est dispergere, vt in vnum conuenire non possint: (Luc. 1. *Dispersit superbos mente cordis sui*.) Per furorem autem Dei intelligitur grauis vindicta. Aliud autem genus superborum est, qui sibi arrogant id, quod supra ipsos est: & hi propriè arrogantes dicuntur. Vnde dicitur Ier. 48. *Arrogantiam & superbiam, & altitudinem cordis eius, ego scio, ait Dominus iactantiam eius, & quòd non sit iuxta eam virtus eius*. (Est *autem* arrogantia Z per quam aliquis supra seipsum extollitur, species superbiæ: non tamen est idem iactantiæ, sed vt frequentiùs eius causa.) Horum autem pœna propria est deiectio; cum enim volunt se erigere supra posse, consequens est, vt per infirmitatem corruant, secundum illud Ps. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur*. Vnde subdit; *Et respiciens, omnem arrogantem humilia*; idest, deijcias ex prospectu tuæ prouidentiæ. Communis autem vtrorumque prima pœna est confusio, quia cum non possunt consequi altitudinem, quam prætendebant, confunduntur apparente defectu eorum. Vnde subdit: *Respice cunctos superbos, & confunde eos*. Consequenter autem ponit omnes pœnas eorum. Vnde & suprà cap. 20. dictum est: *Si ascenderit vsque ad Cœlum superbia eius, quasi sterquilinium in fine perdetur*. Secunda autem pœna eorum est eorum destructio, quam designat subdens: *& contere impios in loco suo*. Superbos *impios* nominat: quia Eccli. 10. *Initium superbia hominis est apostatare à Deo*: quod repugnat diuino cultui, qui pertinet ad pietatem. Conueniens autem pœna est superborum, quòd conterantur: quod enim conteritur, quadam violentia fortioris corporis in minimas partes resoluitur. Iustum est autem, vt superbi, qui se inordinatè magnos existimant, fortiori virtute, scilicet diuina, ad minimum deducantur. Signanter etiam addit, *in loco suo*: vt ostendatur, quòd id, in quo confidunt, eos liberare non potest: vnumquodque enim in suo loco conseruatur. Vnde multitudo diuitiarum, vel status dignitatis, vel si quid aliud eiusmodi est, in quo homo confidat, locus eius dici potest; quibus non obstantibus, superbus à Deo conteritur, vt quasi *in loco suo* videatur contritus. (*Quò facit & illud Ps.* 58. Disperge illos in virtute tua &c. & comprehendantur in superbia sua.) Tertia pœna est, quòd postquàm sunt ad minimum redacti, claritas famæ eorum cessat: iustum est enim, vt qui gloriæ pompam quærebant, ab hominum memorijs deleantur, secundùm illud Prou. 10. *Nomen impiorum putrescet*. Vnde sequitur; *Absconde eos in puluere*, idest, facies eos obscuros, propter statum vilitatis, ad quem deducentur. Quod autem addit, *simul*, potest ad duo referri: videlicet ad hoc, quòd omnes superbi talem finem *simul* patiuntur: & ad hoc, quòd non successiuè superbi depereunt, sed *simul*; idest subitò deijciuntur. Quarta autem pœna eorum est, vt non solùm ipsi ab alijs non cognoscantur, sed etiam bona, de quibus superbierunt, agnoscere non sinantur. Vnde subdit: *Et facies eorum* (per quas scilicet virtutes eorum cognoscitiuæ significantur, eo quòd visus hominis in facie ponitur.) *Demerge in foueam*, idest in profundum Inferni. Et loquitur de damnatione mortis secundæ per similitudinem mortis primæ, per quam homines in corporalem puluerem rediguntur, in foueam demersi. *En humana superbia finem; en quadruplicem superborum pœnam*. DISCE, *quæ à Deo data sunt, in superbiam non abuti. Vide*,

Superbi Deo rebelles.

Y *Iob* 40. *l.* 1. *ibi*, *Apoc.* 16. *com.* 2. §. 7. *ibi*, quartus Angelus.

Duplex superborum genus.

Pœna superborum, discordia.

Arrogantia vnde dicatur, & quid sit.

Z 2. 2. 112. *r. ad* 2.

Arrogantiam pœna deiectio.

Vtrorumque prima pœna, confusio.

Secunda eorum destructio.

Superbi, cur impij.

Tertia pœna, famæ, & gloriæ eorum amissio.

Quarta pœna quæ.

Adam, Ambitio,
Beneficium,
Tomo 1.
Gloria, Humilitas,
Ingratitudo,
Tomo 2.



SVPER-

T

TEMPERANTIA.

I. Iustitiæ & fortitudini debetur maior honor, quàm temperantiæ, propter maioris boni excellentiam: sed temperantiæ debetur maior honor propter cohibitionem vitiorum magis exprobrabilium. 2. 2. 145. 4. *ad* 3.

Temperatia virtus, & unde dicatur. *A* 2.2.141. 1.c.

a RAtionem virtutis temperantiam sortiri, minimè in dubium reuocamus. *Nam* de ratione A virtutis est, vt inclinet hominem ad bonum. Bonum autem hominis est, secundùm rationem esse, vt *Dionysius* dicit *cap.* 4. *de Din. Nom.* Et ideò virtus humana est, quæ inclinat ad id, quod est secundùm rationem. Maximè autem ad hoc inclinat temperantia: nam in eius nomine importatur quædam moderatio, seu temperies, quam ratio facit. Et ideò temperantia est virtus. *At verò, circa nomen temperantiæ, notandum, quòd* secundùm consuetudinem B humanæ locutionis aliqua nomina communia restringuntur ad ea, quæ sunt præcipua inter illa, quæ sub tali communitate continentur: sicut nomen Vrbis accipitur antonomasicè pro Roma. Sic ergo nomen temperantiæ dupliciter accipi potest. Vno modo secundùm communitatem suæ significationis; & sic temperantia non est virtus specialis, sed generalis: quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, idest moderationem, quam ratio ponit in humanis operationibus & passionibus; quod est commune in omni virtute morali. Si verò consideretur antonomasicè temperantia, secundùm quod refrænat appetitum ab his, quæ maximè alliciunt hominem: sic est specialis virtus, vtpote habens specialem materiam, sicut & fortitudo. *Ex quo deducitur circa quæ virtus temperantiæ versetur.* *Etenim* ad virtutem C moralem pertinet conseruatio boni rationis contra passiones rationi repugnantes. Motus autem passionum animæ est duplex. Vnus quidem, secundùm quod appetitus sensitiuus prosequitur sensibilia, & corporalia bona: alius autem, secundùm quod refugit sensibilia & corporalia mala. Primus autem motus appetitus sensitiui præcipuè repugnat rationi per immoderantiam. Nam bona sensibilia & corporalia, secundùm suam speciem considerata, non repugnant rationi, sed magis seruiunt ei, sicut instrumenta, quibus ratio vtitur ad consecutionem proprij finis. Repugnant autem ei præcipuè, secundùm quod appetitus sensitiuus in ea tendit, non secundùm modum rationis; & ideò ad virtutem moralem pertinet propriè, huiusmodi passiones moderari, quæ important prosecutionem boni. Motus autem appetitus sensitiui refugientis mala sensibilia, præcipuè contrariatur rationi, non quidem secundùm suam immoderantiam, sed maximè secundùm suum effectum, prout scilicet aliquis refugiendo mala sensibilia & corporalia, quæ interdum concomitantur bonum rationis, per consequens discedit ab ipso bono rationis. Et ideò ad virtutem moralem pertinet in huiusmodi firmitatem præstare in bono rationis. Sicut ergo virtus fortitudinis, de cuius ratione est firmitatem præstare, præcipuè consistit circa passionem pertinentem ad fugam corporalium malorum, scilicet circa timorem; ex consequenti autem circa audaciam, quæ aggreditur terribilia sub spe alicuius boni: Ita etiam temperantia, quæ importat moderationem quandam, præcipuè consistit circa passiones tendentes in bona sensibilia, scilicet circa concupiscentiam & delectationem: ex consequenti autem circa tristitias, quæ contingunt ex absentia talium delectationum. Nam sicut audacia præsupponit terribilia: ita etiam tristitia talis prouenit ex absentia prædictarum delectationum. *Cum autem ex præmissis* ita D sit temperantia circa cõcupiscentias & delectationes, sicut fortitudo est circa timores & audacias: fortitudo autem est circa timores & audacias respectu maximorum malorum, quibus ipsa natura extinguitur, quæ sunt pericula mortis: similiter temperantia, oportet, quòd sit circa concupiscentias maximarum delectationum. Et quia delectatio consequitur operationem naturalem: tantò aliquæ delectationes sunt vehementiores, quantò consequuntur operationes magis naturales. Maximè autem naturales animalibus sunt operationes, quibus conseruatur natura indiuidui per cibum & potum, & natura speciei per coniunctionem maris & fœminæ: & ideò circa delectationes ciborum & potuum, & circa delectationes venereorum, est propriè temperantia. Huiusmodi autem delectationes consequuntur sensum tactus: vnde relinquitur, quòd temperantia sit circa delectationes tactus. *Et quidem* principaliter E temperatia est circa delectationem tactus, quę per se consequitur ipsum usum necessariarum rerum, quarum omnis vsus est in tangendo. Circa delectationes autem gustus, vel olfactus, vel visus est temperantia, & in temperantia secundariò, in quantùm scilicet sensibilia horum sensuum conferunt ad delectabilem vsum rerum necessariarum, quæ pertinent ad tactum: sicut pulchritudo & ornatus fœminæ, & sapor delectabilis in cibo, & etiam odor. Quia tamen gustus pro-

B 2.2.l.c.a. 2. & 186. 1.c. *Vir.* 1.12 *ad* 23

Nomen temperantiæ dupliciter sumitur, scilicet pro uirtute generali, & pro speciali.

Circa quæ sit.

C 2.2.l.c.a. 3.c. & 147.2. *ad* 3. & 1.2.35. 6. *ad* 3.

Motus passionum animæ duplex:

D 2 2.141. 4.c. & q. 143. *In* 2.d.44. 2 1. *ad* 3. *In* 3.d.33. 2.2 q.2. & q.3. *a.* 2. q. 2. *Virt.* 5.a.1. & 4.c.

Quænam sint delectationes circa quas propriè est temperantia.

E 2 2.141.5. *fi.c.*

propinquior est tactui, quàm alij sensus; ideò temperantia magis est circa gustum, quàm circa alios sensus. *In hoc autem à continentia distinguitur: quòd* continentia F habet materiam concupiscentias quidem delectationum tactus; non tamen, sicut quas moderetur, quod pertinet ad temperantiam, quæ est in concupiscibili; sed est circa eas, quasi eis resistens. Vnde oportet, quòd sit in alia vi (*scilicet in irascibili*) quia resistentia est alterius ad alterum. Temperantia *inquam* est G in concupiscibili, secundùm quod participat aliqualiter rationem.

In quo à continentia distinguatur.
F 2.2.156.1. ad 1.
Vtriusque subiectum concupiscibilis & irascibilis.
G Ver. 14 4. c. & 1.2. 61.2. c. & 66.1 c. & 2.2.58.5. ad 2. & a. 9. c. in 3. d. 33. 3 3. c. Virt. 1. 4. & 5. c.

b *Quoniam verò* passiones H quæ pertinent ad fugam mali, præsupponunt passiones, quæ pertinent ad prosecutionem boni; & passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis: inde est, quòd dum temperantia directè modificat passiones concupiscibilis, tendentes in bonum, per quandam consequentiam modificat omnes alias passiones, in quantùm ad moderantiam priorum passionum, sequitur moderantia posteriorum. Qui enim non immoderatè concupiscit, consequens est, vt moderatè speret, & moderatè de absentia concupiscibilium tristetur. *Verùm* de ratione I temperantiæ non est, quòd omnes prauas concupiscentias expellat, sed quòd temperatus non patiatur aliquas tales concupiscentias vehementes & fortes, sicut patiuntur illi, qui non studuerunt concupiscentias refrænare. *Sanè* temperantia L tantò perfectior est in homine, quantò magis prauis concupiscentijs caret. Vnde secundùm Philosophum *in 7. Ethic.* temperatus in hoc differt à continente, quòd temperatus non habet prauas concupiscentias, quas continens patitur. *Hinc longè deterior æstimatur intemperatus homo, quàm incontinens.* In eo *enim* qui M est intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per consuetudinem acquisito. In eo autem, qui est incontinens, voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua passione. Et quia passio citò transit; habitus autem est qualitas difficile mobilis; inde est, quòd incontinens statim pœnitet, transeunte passione: quod non accidit de intemperato, quinimmò gaudet se peccasse, eo quòd operatio peccati est sibi facta connaturalis secundùm habitum. Vnde de his dicitur Prou. 2. *Lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et ita intemperatus est multò peior, quàm incontinens, vt etiam Philosophus dicit *in 7. Ethic. Vbi &* comparat N intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo qui continuè laborat: incontinentem autem, qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolatè. (Mulieres O autem ex *Phil. 7. Ethic. cit.* non dicuntur neque continentes, neque incontinentes: loquitur enim de mulieribus, quasi non habentibus iudicium rationis firmum, quamuis in aliquibus mulieribus contrarium accidat. Et propter hoc dicit, quòd mulieres non dicimus continentes, quia non ducuntur quasi habentes solidam rationem; sed ducuntur, quasi de facili sequentes passiones.) *Enimuerò, coharenter ad præfata,* libido P voluntatis, quæ auget peccatum, maior est in intemperato, quàm in incontinente. Sed libido concupiscentiæ appetitus sensitiui quandoque maior est in incontinente, quia incontinens non peccat, nisi ex graui concupiscentia. Sed intemperatus etiam ex leui concupiscentia peccat, & quandoque eam præuenit (*nota*) & ideò Phil. dicit *in 7. Ethic.* quod magis intemperatum vituperamus, quia non concupiscens, vel quietè idest remissè, concupiscens persequitur delectationem. Quid enim faceret si adesset concupiscentia iuuenilis? *Nec ideò temperatus minorem experiri delectationem putandus est, quàm intemperatus: sicut in vsu venereorum in statu innocentiæ contigisset. Docemur enim, quòd* tunc nihil Q huiusmodi fuisset quod ratione non moderaretur: non quia esset minor delectatio secundùm sensum, vt quidam dicunt (fuisset enim tantò maior delectatio sensibilis, quantò esset purior natura, & corpus magis sensibile:) sed quia vis concupiscibilis non ita inordinatè se extulisset super huiusmodi delectatione, regulata per rationem: ad quam non pertinet, vt sit minor delectatio in sensu, sed vt vis concupiscibilis non immoderatè delectationi inhæreat, Et dico *immoderatè* propter mensuram rationis. Sicut sobrius in cibo moderatè assumpto non minorem habet delectationem (*fortassis immò maiorem*) quàm gulosus; sed minùs eius concupiscibilis super huiusmodi delectatione requiescit. *Et hoc sonans verba Augustini* in 14. de Ciu. Dei; *Absit, vt suspicemur, non potuisse tunc prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera* (nunc autem rationi non obediunt) *& sine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate animæ & corporis.* Quæ verba à statu innocentiæ non excludunt magnitudinem delectationis, sed ardorem libidinis, & inquietudinem animi. *Quod & ad temperatum applica respectu intemperati.*

H 2.2.141.3. ad 1.
Temperantia directè modificat passiones concupiscibilis, consequenter & irascibilis.
Non est de ratione temperantiæ omnes concupiscentias excludere, sed tam vehementes non pati.
I Virt. 5.1. ad 6. Ver. 26. 8. c.
L 3. p. 7. 2. ad 3.
Differentia inter temperatum & continentem.
Intemperatus peior incontinente: hic enim ex passione, ille ex malitia peccat.
M 2.2.156.3. c. in 2. d. 43 1.4 c. Ma. 3. 13. c. Ver. 24. 10. c. & 2. Tim. 3 l. 1 ibi, incontinentes.
N 1.2 78.4. c.
O 2.2.156.1. ad 1. & 2 in 4. d. 35. 1.4 in 1. sed contra.
P 2.2. l. c. a. 3. ad 3.
Num maiori libidine peccet intemperatus, quàm incontinens.
Q 1 p. 98 2. ad 3. In 2. d. 20 1.2. ad 2.
An minorem experiatur delectationem temperatus, quàm intemperatus

c *Cæterùm quoniam* omnia R delectabilia, quæ in vsum hominum veniunt, ordinantur ad aliquam huius vitæ necessitatem, sicut ad finem: ideò temperantia accipit necessitatem huius vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus vtitur, vt scilicet tantum eis vtatur, quantum necessitas huius vitæ requirit. *Ex quo conuenienter* honestas S & decor maximè attribuuntur temperantiæ, non propter principalitatem proprii boni, sed propter turpitudinem contrarii mali, à quo retrahit: in quantùm scilicet moderatur delectationes, quæ sunt nobis & brutis communes. *A quibus cum per intellectum distinguamur, inde est, quòd* virtus T temperantiæ, quæ à corporeis delectationibus retrahit animam, præcipuè facit homines ad intelligendum aptos. *Quia verò virtutibus suaque que dona respondent:* Temperantiæ etiam V respondet aliquod donum, scilicet timoris, quo aliquis refrænatur à delectationibus carnis, secundùm illud Ps. 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Donum autem timoris principaliter quidem respicit Deum, cuius offensam vitat; & secundùm hoc cor respondet virtuti spei. Secundariò autem potest respicere quæcumque aliquis refugit ad vitandam Dei offensam. Maximè autem homo indiget timore diuino, ad fugiendum ea, quæ maximè alliciunt, circa quæ est temperantia: & ideò etiam temperantiæ correspondet donum timoris. *Respondent autem dona virtutibus infusis, inter quas & temperantia est:* quæ specie differt sicut & cæteræ, ab acquisitis. Manifestum X est *enim*, quòd alterius rationis est modus, qui imponitur in huiusmodi concupiscentijs secundùm regulam rationis humanæ, & secundùm regulam diuinam. Putà in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur, vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum: secundùm autem regulam legis diuinæ requiritur, quòd homo *castiget corpus suum, & in seruitutem redigat* per abstinentiam cibi & potus, & aliorum huiusmodi. Vnde manifestum est, quòd temperantia infusa & acquisita differunt specie. Et eadem ratio est de alijs virtutibus. Secundùm verò ea, ad quæ virtutes ordinantur, differunt specie virtutes

R 2.2. 141. 6. c. Ma. 14 1 ad 1.
Temperantiæ regula, secundùm necessitatem huius vitæ accipienda.
S 2.2. l. c. a. 8. ad 1. & a. 2. ad 3.
Honestas et decor, cur maximè temperantiæ attribuantur
T 2. con. G. c. 8.
V 2.2.141.1. ad 3.
Ei respondet donum timoris.
X 1.2.63 4. c.
An specie differat temperantia infusa ab acquisita: et sic de alijs virtutibus.

mota-

morales infusæ, per quas homines benè se habent in ordine ad hoc, quod sint *ciues Sanctorum & domestici Dei:* & aliæ virtutes acquisitæ, secundùm quas homo se bene habet in ordine ad res humanas. *Porrò temperantia inter virtutes quoque cardinales adnumeratur.* Virtus *autem* aliqua Y dicitur cardinalis, quasi principalis, quia super eam aliæ virtutes firmantur, sicut ostium in cardine. Et quia ostium est, per quod introitur in domum, ratiò cardinalis virtutis non competit virtutibus Theologicis, quæ sunt circa vltimum finem, ex quo non est introitus vel motus ad aliquid interius. *Et alibi:* Cardinalis Z à cardine dicitur, in quo ostium vertitur, secundùm illud Prou. 26. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Vnde virtutes cardinales dicuntur, in quibus fundatur vita humana, per quam in ostium introitur. *Est autem temperantia, vt vidimus, circa necessaria delectabilia præsentis vitæ. Et quia* virtus A principalis, seu Cardinalis dicitur quæ principalius laudatur ex aliquo eorum, quæ communiter requiruntur ad rationem virtutis; moderatio autem, quæ in omni virtute requiritur, præcipuè laudabilis est in delectationibus tactus, circa quæ est temperantia (tum quia tales delectationes sunt magis nobis naturales; & ideò difficiliùs est ab eis abstinere, & earum concupiscentias refrænare; tum etiam quia earum obiecta magis sunt necessaria præsenti vitæ:) ideò temperantia ponitur virtus principalis, seu cardinalis. *An verò inter cardinales temperantia potior sit virtus: Dicendum, quòd* sicut B Philosophus dicit *in* 1. *Ethic.* bonum multitudinis diuinius est, quàm bonum vnius. Et ideò quantò aliqua virtus magis pertinet ad bonum multitudinis, tantò melior est. Iustitia autem & fortitudo magis pertinent ad bonum multitudinis, quàm temperantia. Quia iustitia consistit in communicationibus, quæ sunt ad alterum. Fortitudo autem in periculis bellorum, quæ sustinentur pro salute communi: Temperantia autem moderatur solùm concupiscentias & delectationes eorum, quæ pertinent ad ipsum hominem. Vnde manifestum est, quòd iustitia & fortitudo sunt excellentiores virtutes, quàm temperatia, quibus prudentia & virtutes theologicæ sunt potiores. *Licèt nihilominùs verum sit, quòd* iustitiæ C & fortitudini debeatur maior honor, quàm temperantiæ propter boni maioris excellentiam: temperantiæ tamen debetur maior honor propter cohibitionem vitiorum magis exprobrabilium (*quod aiebat initio Author*:) & sic honestas magis attribuitur temperantiæ (*vt præfatum est*) secundùm regulam Apostoli, 1. ad Cor. 12. *Quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent*, scilicet remouentem, quod inhonestum est.

d *Postremò, quod spectat ad temperantiæ partes, sciendum est, quòd* alicuius D virtutis cardinalis triplices partes esse possunt: scilicet integrales, subiectiuæ, & potentiales. Et dicuntur partes integrales alicuius virtutis, conditiones quas necesse est concurrere ad virtutem. Et secundùm hoc duæ sunt *partes integrales* temperantiæ: scilicet *verecundia*, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam: & *honestas*, per quam scilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiæ. Nam præcipuè temperantia inter virtutes vendicat sibi quendam decorem, & vitia intemperantiæ maximè turpitudinem habent. *Partes* autem *subiectiuæ* alicuius virtutis dicuntur species eius. Oportet autem diuersificare species virtutum secundùm diuersitatem materiæ vel obiecti. Est autem temperantia circa delectationes tactus, quæ diuiduntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum; & in his, quantum ad cibum, est *abstinentia*: quantùm autem ad potum, propriè est *sobrietas*. Quædam verò ordinantur ad vim generatiuam: & in his, quantùm ad delectationem principalem ipsius coitus, est *castitas*: quantùm autem ad delectationes circumstantes, putà, quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur *pudicitia*. *Partes* autem *potentiales* alicuius virtutis principalis dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus obseruat circa aliquam principalem materiam, eundem obseruant in quibusdam alijs materijs, in quibus non est ita difficile. Pertinet autem ad temperantiam, moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari. Vnde quæcumque virtus moderationem quandam operatur in aliqua materia, & refrænationem appetitus in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adiuncta. Quod quidem contingit tripliciter. Vno modo in interioribus motibus animi: alio modo in exterioribus motibus, & actibus corporis: tertio modo in exterioribus rebus. Præter motum autem concupiscentiæ, quem moderatur & refrænat temperantia, tres motus inueniuntur in anima in aliquid tendentes. Primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis: & hunc motum refrænat *Continentia*, ex qua fit, vt licèt homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincitur. Alius autem motus interior, in aliquid tendens, est motus spei, & audaciæ, quæ ipsam consequitur: & hunc motum moderatur siuè refrænat *Humilitas*. Tertius autem motus est iræ, tendens in vindictam: quem refrænat *Mansuetudo*, siuè *Clementia*. Circa motus autem, & actus corporales moderationem & restænationem facit *Modestia*. Quam Andronicus in tria diuidit: ad quorum primum pertinet discernere, quid sit faciendum, & quid dimittendum, & quid, quo ordine sit agendum, & in hoc firmiter persistere: & quantùm ad hoc, ponit *Bonam ordinationem*. Aliud autem est, quòd homo in eo, quod agit, decentiam obseruet: & quantùm ad hoc ponit *Ornatum*. Tertium autem est in colloquijs amicorum, vel quibuscumque alijs: & quantùm ad hoc ponitur *Austeritas*. Circa exteriora verò duplex moderatio est adhibenda. Primò quidem, vt superflua non requirantur: & quantùm ad hoc ponitur à Macrobio *Parcitas*, & ab Andronico *Per se sufficientia*. Secundò verò, vt homo non nimis exquisita requirat: & quantùm ad hoc ponit Macrobius *Moderationem*, Andronicus verò *Simplicitatem*. *Quæ hic pro moralitate desiderantur, habes luculenter V.* Abstinentia, Cælibatus *Tomo* 1. Gula, Ieiunium *Tomo* 2. & *supra V.* Luxuria. *DISCE temperatè viuere, dirigere prudenter, fortiter pati, iustè operari.*

Y *Virt.* 1. 12. ad 24. Cardinalis virtus, vnde dicatur & an eius ratio Theologicis competat virtutibus.

Z *Virt.* 5. 1 in initio.

A 2.2.141.7. c. & 1.2.q.61. a 3. & 4. *In* 3. d. 33.2.1. *Virt.* 1 12. ad 25. & 26. & q 5.1. Temperantia virtus est cardinalis.

An inter cardinales potior.

B 2.2. l. c. 4. 8. c & 1.2.q. 66. *In* 3. l. c. 4. 5. *Virt.* 5. 4. 3. c.

C 2.2.145 4. ad 3.

D 2.2.q. 143. 1 c. Partes temperantiæ integrales.

Partes subiectiuæ, siue species eius.

Partes illius potentiales.

Tentatio carnis valdè gravis: quia inimicus coniūctus.

niunctus est nobis: & sicut dicit Boetius: *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus*. Et ideò contra eam vigilandum, Mat. 26. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Non enim tam facilè carnis rebellio cohibetur. Idcircò crucifigenda cum Christo caro nostra est*, Gal. 5. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Vbi notat Author, quòd* non R dicit, *vitia, & concupiscentias vitans*: quia bonus medicus tunc benè curat, quando adhibet remedia contra causam morbi. Caro autem est radix vitiorum. Si ergo volumus vitare vitia, oportet domare carnem, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: Quia verò caro domatur per vigilias, ieiunia, & labores, Eccli. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes*; ad hæc autem opera moueri debent ex deuotione ad Christum crucifixum; ideò signanter dicit, *crucifixerunt*; idest Christo crucifixo se conformauerunt affligendo carnem suam, Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est &c.* Et Gal. 2. *Vt Deo viuam, Christi confixus sum cruci*. Quia verò non crucifigunt carnem destruendo naturam (*nemo enim vnquam carnem suam odio habuit*, vt dicitur *Eph.* 5.) sed quantùm ad ea, quæ contrariantur legi; ideò dicit, *cum vitiis*, idest cum peccatis, *& concupiscentiis*, idest passionibus, quibus anima inclinatur ad peccandum. Non enim benè crucifigit carnem, qui etiam passionibus locum non aufert. (*Aduertant fœmina castitatem profitentes*.) *Profectò* fortitudo S spiritus aliqualis ostenditur ex hoc, quòd resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis. *Quomodo enim homo* posset esse continens, nisi Deus det, *Sap.* 8. *Vide* Cœlibatus *Tomo* 1.

R Gal. 5. l. 7. ibi.

Ideò cum Christo crucifigenda, ne rebellet.

S 3 p. 15. 2. ad 3.

Magna fortitudo spiritus in resistendo carni.

T 1. p. 114. 2. f. c.

Tentatio à Mundo.

g *Sed & Mundus* T dicitur tentare, in quantùm potest cognosci, qualis sit homo, ex hoc, quòd diligit, aut contemnit prospera Mundi, & aduersa. *Tali fuit à diabolo tentatione & ipse Dominus impetitus, Mat.* 4. *vbi* ostendit ei omnia Regna Mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. *Et ipse quidem* Mundus V dupliciter tentat. Primò per nimium & immoderatum desiderium rerum temporalium, 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Secundariò per persecutores & tyrannos terrendo, 2. *Tim.* 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur; *& Mat.* 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus. *Ad Mundum porrò vincendum, præcipuus gladius est fides, Hebr.* 11. Sancti per fidem vicerunt regna, *idest* Regnum X diaboli, Regnum carnis, & (*ad rem nostram*) Regnum Mundi spiritualiter *per fidem*, secundum illud 1. Io. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit Mundum, fides nostra*. Nullus enim potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum. Per contemptum enim principaliter vincitur Mundus. Et ideò quia fides ostendit nobis inuisibilia, propter quæ contemnitur Mundus, ideò *vincit Mundum fides nostra*. Vnde & subditur: *Quis est autem, qui vincit Mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei?* Quasi Y dicat: *Quis est qui vincit Mundum*, nisi is, qui habet fidem de diuinitate Christi? Mundus enim quasi duplici manu pugnat contra nos: dextera scilicet prosperitatis per prospera nos alliciendo; & sinistra aduersitatis, nos per aduersa terrendo. Et certè qui benè crederet, Christum esse filium Dei, de facili vinceret Mundi prospera & aduersa. Si enim Christus est filius Dei, ergo summè bonus: ergo in ipso non fuit defectus veri boni, nec præsentia veri mali. Cum ergo temporalis prosperitas in ipso defuerit, & aduersitas ad fuerit: restat, quòd temporalis prosperitas non est verè bona; & ita non est appetenda: nec aduersitas est verè mala; & ita non est timenda. *Vtraque igitur contemnenda est, vt Mundus plenè vincatur*.

V Op. 7. Pet. 6.

Dupliciter tentat

X Hebr. 11. l. 7. ibi.

Vincitur præcipuè fide.

Quia per spem futurorum, & per contemptum præsentium.

Y 1. Io. 5. §. 2. ibi.

Mundus pugnat contra nos aduersitate & prosperitate.

h *Postremò & diabolus* Z fortissimè tentat. Contra quem est nobis magna colluctatio, Eph. 6. *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs Mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. (*Non est colluctatio aduersùs carnem & sanguinem*: Supple A tantùm, quin etiam aduersùs diabolum. Vel exponatur sic. Quòd nos impugnet caro & sanguis, hoc non est eorum principaliter, sed à superiore mouente, scilicet diabolo: *sed aduersùs principes &c.* Io. 14. *Venit Princeps Mundi huius*, non creatione, sed imitatione mundanorum: *contra spiritualia nequitiæ*, idest contra spirituales nequitias, emphaticè loquendo: per quod intelligitur plenitudo nequitiæ. Et dicit, *in cælestibus*, duplici de causa. Vel vt ostendat virtutem & auantagium ad superandum nos, quia nos in terra, ipsi autem in alto, scilicet in aere caliginoso; & ideò habent partem meliorem, Luc. 8. *Volucres Cæli comederunt illud*. Vel dicit, *in cælestibus*, quia pro cælestibus est ista pugna: & hoc debet nos ad pugnam animare.) Vnde & signanter dicitur tentator, 1. Thess. 3. *Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat* (scilicet B diabolus, Mat. 4. *Accedens tentator &c.* cuius officium *ex glossa* est tentare.) In tentatione autem sua callidissimè procedit, Gen. 3. *Serpens erat callidior &c.* Ipse enim, sicut bonus Dux exercitus, qui obsidet aliquod castrum, considerat infirma eius, quæ impugnare vult; & ex illa parte, vnde magis est homo debilis, tentat eum. Et ideò tentat de illis vitiis, ad quæ homines conculcata carne magis proni sunt, vt de ira, superbia, & aliis spiritualibus vitiis. Facit autem duo diabolus, dum tentat. Quia non statim proponit illi, quem tentat, malum aliquod apparens, sed aliquid, quod habeat speciem boni: vt saltem in ipso principio per illud remoueat eum à proposito suo principali: quia postmodum faciliùs inducit ipsum ad peccandum, quando illum vel modicùm auertit. Deinde, postquam induxit eum ad peccandum, sic alligat eum, vt non permittat à peccatis resurgere, Iob 40. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt*. Sic ergo duo facit diabolus: quia decipit, & deceptum detinet in peccato. Aliter *igitur* tentat C homo, quia vt addiscat: aliter diabolus, quia vt decipiat. *Et quidem sub specie pietatis*. Ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis, vt dicitur 2. *Cor.* 11. ostendens D se esse vel Angelum Dei, vel aliquando Christum. Transfigurat autem se aliquando visibiliter, sicut *B. Martino*, vt deciperet eum; & hoc modo multos decepit. Sed ad hoc valet, & necessaria est discretio spirituum: quam specialiter Deus contulit *B. Antonio*. In hoc tamen potest cognosci, quòd satanas sit: quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perseuerat in eis: sed malus in principio quidem portendit bona, sed postmodùm volens explere desiderium suum, & quod intendit, scilicet decipere, inducit, & instigat ad mala, 1. Io. 4. *Nolite omni spiritui credere &c.* Et ideo Iosue, cum videret Angelum in campo suo, dixit Iudic. 5. *Noster es, an aduersariorum?* Aliud etiam signum est, quòd bonus Angelus etsi terreat in principio, tamen statim consolatur & confortat, sicut Zachariam Luc. 1. *Ne timeas Zacharia*; & ad B. V. dixit; *Ne timeas Maria*. Malus autem Angelus stupefacit, & desolatum dimittit. Et hoc ideò, vt stupefactum faciliùs decipiat & persuadeat. Aliquando autem transfigurat se inuisibiliter: & hoc quando ea, quæ in se mala

Z Op. 7. Pet. 6 & 1. p. 114. 2. c. & ad 2. & 3. p. 41. 4. initio c. Mat. 4. lit. a. ibi, Si Filius. Iob 40. l. 2.

Tentatio ab hoste.

A Eph. 6. l. 3. ibi.

Diabolus, quo sensu Princeps Mundi.

Virtus eius in tentando:

Eius calliditas.

B 1. Thes. 3. l. 1. ibi.

Tentat de illis, ad quæ magis proni sumus.

Duo facit tentando.

C Io. 6. l. 1. lit. d

Quo sensu dicatur transfigurari in Angelum lucis.

D 2. Cor. 11. l. 3. ibi, & Iob 4. l. 3. ibi, auræ lenis.

Qualiter bonus à malo spiritu discernendus.

quibus possibile est remedium adhibere, etiam per causas inferiores; & in istis non est tentare Deum, si se aliquis diuino auxilio committit. Sicut miles non tentat Deum, qui pugnam aggreditur, de diuino auxilio confisus, quamvis de euasione securus non sit. *At verò si* aliquis V salva honestate sua posset vitare pericula, & non vitaret, stultus esset,& tentaret Deū:quod est diabolicū. Et sic Iesus cessit volentibus ipsū lapidare, nec ad suggestionē diaboli voluit se præcipitare. Ita & Moyses confidens de diuino auxilio, fugit propter timorem regis ad tempus. *Ita & Apostolus 2. Cor. 11.* In sporta *inquit* dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius, *scilicet* Præpositi X Et hoc fuit de mandato Domini Mat. 10. *Cum persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam.* Sic Michol David depoluit per fenestram, ne caperetur à Saule, 1. *Reg.* 19. Sic Rahab exploratores demisit cum fune per fenestram *Ios.* 2. Quandiu enim adest humanum auxilium, homo non debet confugere ad auxilium diuinum: quia hoc esset tentare Deum; sed debet illo auxilio uti quantùm potest. *Ex quo sequitur, tentationem Dei graue peccatum esse: Nam* tentare Y est experimentum sumere: nullus autem experimentum sumit de eo, de quo est certus. Et ideò omnis tentatio ex aliqua ignorantia, vel dubitatione procedit, vel eius qui tentat, sicut cum quis experimentum de aliqua re sumit, ut eius qualitatem cognoscat: siue aliorum, sicut cum quis experimentum de aliquo sumit, ut alijs ostendat: per quem modum Deus dicitur nos tentare. Ignorare autem, vel dubitare de his, quę pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum: unde tentare Deum ad hoc quòd ipse tentans cognoscat Dei virtutem, peccatum est. Si quis autem ad hoc experimentum sumat eorum, quæ ad divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut alijs demonstret: hoc non est tentare Deum, cum subsit iusta necessitas, seu pia utilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petierunt à Domino, ut in nomine Iesu Christi fierent signa, ut dicitur *Act.* 4. ad hoc scilicet, quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur. *Et quidem tentare Deum, eo modo, quo præmissum est, nedum peccatum graue est, sed & maximum. Quale fuit filiorum Israel* in deserto, ubi tentaverunt me (*ait Dominus*) patres vestri &c. *Hebr. 3. Siquidem* frequenter Z tentaverunt Deum: quia quandoque pro aqua, quandoque pro carnibus, quandoque pro pane; ita quòd decies tentauerunt ipsum, N. 14. *Tentaverunt me iam per decem vices.* Tentauerunt *inquam* Dominū, quia dubitaverunt de potestate Dei, clamantes contra Moysen, ac si Deus non posset eis dare cibum, cum potentiam eius in maioribus experti fuissent. Et ideò erat peccatum infidelitatis: quod est maximum. *Maximum profectò, eo quòd opponitur religionis virtuti.* Finis *quippe* religionis A est, Deo reverentiam exhibere: unde omnia illa, quæ directè pertinent ad Irreverentiam Dei, religioni opponuntur. Manifestum est autem, quòd tentare aliquem, ad irreverentiam eius pertinet; nullus enim præsumit tentare eum, de cuius excellentia certus est. Igitur tentare Deum est peccatum religioni oppositum.

m *Quia verò* (*ut redeamus ad primum*) Mundus, caro, dæmonia, diversa movent prælia (*sicut Ecclesia canit*) *vigilandum iugiter, & in horum impugnatione fortiter dimicandum.* Horum *autem* triplex B est bellum: hostile scilicet, ciuile, & intestinum. Bellum hostile, est bellum dæmonum: bellum civilè, mundi: bellum intestinum, carnis. De his tribus Eph. 6. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem*, supple, tantùm; ecce intestinum: *sed adversùs Mundi rectores*; ecce civile: *contra spiritualia nequitiæ*: ecce hostile. *Sanè* Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, 1. *Io.* 2. *Primum carnis est, secundum Mundi, tertium diaboli.* Mundus C vincitur fide, Io. 16. *Confidite, ego vici Mundum.* Caro vincitur vigilia, ieiunio, & cęteris operibus disciplinæ, Eccli. 31. *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.* Diabolus vincitur sola humilitate, Ps 135. *In humilitate nostra memor fuit nostri, & redemit nos ab inimicis nostris (quod aiebat initio Author.)* Inter hostes sumus continuò & ideò semper nos oportet esse armatos, & paratos ad bellum, Ephes. 6. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere.* id est D armamini spiritualibus armis, *quibus reddamur contra triplicem hostem victoria securi, ad imitationem Ducis, & capitis nostri Christi, de quo dicitur Apoc. 6.* Exivit vincens, ut vinceret. *Nimirùm* ut vinceret E diabolum, carnem, Mundum: diabolum per humilitatem, carnem per virginitatem, Mundum per paupertatem. Ergo *vade* (Luc. 10.) *& tu fac similiter*, si vis esse victor: de hoc enim propriè dicit Io. 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. DISCE mente de mundo exire, uti vincas. Vide plura huc attinentia.* V. Adam, & Christi tentatio *Tomo* 1.

III. Ipsa virilitas animi meretur sibi conferri auxilium Dei, quo concurrente sequitur exitus mirabiliter vincendi. *Prol. in Machab.*

n NVllus F quantumcumque sanctus, se existimet securum, & immunem à tentatione. *Vnde dicitur Eccli.* 2. Fili, accedens ad servitutem Dei, ita in iustitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem. *Nemo inquam à tentatione immunis, neque ipsa immaculata Deipara, imò neque Christus D. N. qua homo est.* Quamvis *enim* B. V. G non habuerit pugnam per tentationem quæ est à carne: habuit tamen pugnam per tentationem ab hoste, qui nec etiam ipsum Christum reveritus est, *ut patet Mat. 4. Qui quidem* licèt H non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte Mundi, & Diaboli, quos superando victoriæ coronam promeruit. *Porrò (ut superiùs præmissum est) cum dicitur Deus tentare, hoc intelligi debet ad probandum Vnde dicitur Iac.* 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Nemo, cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: Ipse autem neminem tentat: *scilicet* ut I decipiat, vel peruertat. Duo enim sunt genera tentationum. Vnum, quod probat: alterum, quod decipit. Tentationem ergo probantem immittit Deus: tentationem verò decipientem, non. Hæc autem tentatio decipiens *ex glossa* tribus modis agitur, scilicet suggestione hostis, delectatione carnis, consensu men-

Ppp

V Hebr. 11. l. 6. sub init.

X 2. Cor. 11 fi. cap.

Tentatio Dei graue peccatum.

Y 2.2. 97. 2. c. & 1. p. 114. 2. c.

Immò maximum, & religioni oppositum.

Z Hebr. 3. l. 2. ibi.

A 2.2. 97. 3. c.

Triplex tentantium bellum: hostile, ciuile, intestinum.

B Serm. in fe. S. Vincentii, & comm. S. Pauli

C Apoc. 2. com. 2. §. 1. ibi, vincenti.

Quomodo uincatur triplex hic hostis.

D Eph. 6. l. 4. ibi.

E Ap. 6. com. 2. §. 1. ibi.

F 3. p. 41. 1. c.

Nemo à tentatione immunis, neque B. V. neque Christus, qua homo.

G 4. d. 49. 5. 3. q. 1. ad 2. fi.

H 3. p. 15. 2. ad 3. & 41. a. 1. & 3. c.

Tentat Deus ad probandum tantùm.

I Iac. 1. §. 8. ibi, Mat. 4. lit. a. ibi, ut tentaretur.

Tentatio duplex probans & decipiens.

Decipiens tripliciter agitur.

mentis. *Subdit autem Apostolus*: Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. *Tentatur* tentatione seducente interiori, à *concupiscentia sua*, idest à fomite originaliter. Hæc est lex membrorum, de qua *Rom. 7.* Et hæc appellatur *caro concupiscens aduersùs spiritum*, ad Gal. 5. *abstractus* à bono, *& illectus* ad malum. Vel *abstractus* à bono incommutabili; *& illectus* ad bonum commutabile. Et quamuis occasio tentationis immittatur à Diabolo; tamen vis tentationis sine concupiscentia non completur; sicut flatu ligna, nisi ignis præsens fuerit, non accendentur. Vnde, sicut aliter Medicus recognoscit infirmitatem in vrina, aliter infirmus in seipso: quia ille scientia simplicis notitiæ, ille scientia experientiæ: ita aliter est de tentatione exteriori, quæ est ab hoste, & de interiori, quæ est à concupiscentia.

Exponitur illud: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.*

O *Omnibus autem & singulis quæcumque sint fortiter resistendum. Quocirca notandum*, quòd resistere L tentationi dupliciter dicitur, Vno modo, vt quis à tentatione non vincatur: alio modo, vt quis tentationem vincat. Dicitur autem aliquis à tentatione vinci, quando à proposito bono trahitur per tentationem in consensum peccati; sicut est in incontinente, qui habet rationem rectam, sed deducitur. Qui enim non habet propositum bonum, vt intemperatus; siue luxuriosus, non vincitur, quia libenter id agit. Vincit autem qui non solùm à tentatione superueniente in actu peccati non deducitur: sed etiam ex magnitudine virtutis, quasi nihil tentationem paruipendit. Qui verò difficultatem à tentatione patitur, sed non deducitur, resistit quidem tentationi, cum non consentit; sed non vincit propriè loquendo. *Nihilominus, siue resistatur fortiter, siue plenè vincatur, & resistentia & victoria petenda à Deo est, & accipienda*, *Ps. 17.* In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. *A tentatione*, idest M à quacumque impugnatione: *& in Deo meo transgrediar murum*; idest, victoriam de peccato virtute Dei habebo. Tunc enim hostis habet victoriam Ciuitatis, quando transgreditur murum. Murus iste est quæcumque difficultas, quæ impedit nos ad benè operandum: sed transgredimur, quia superamus, dum non consentimus concupiscentiæ eius, *Deo vtique stimulante. Idcircò ad Deum* Christus N docet nos orare, non vt non tentemur, sed vt *non inducamur in tentationem*. Nam si homo vincit tentationem, meretur coronam, Iac. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Et ideò docet petere, vt *non inducamur in tentationem* per consensum: nam tentari humanum est, sed consentire diabolicum est. *Et alibi*. Non O petimus, vt non tentemur, sed vt à tentatione non vincamur: quod est in tentationem induci. *Et secundùm Augustinum* petimus P ne deserti diuino auxilio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. *Idcircò Dominus ad Discipulos in horto dormientes dicebat*, *Mat. 26.* Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. *Vbi Hieronymus*: Impossibile Q est *inquit* humanam animam non tentari. Ergo non ait: *Vigilate & orate*, ne tentemini, sed *ne intretis in tentationem*; hoc est, ne vos tentatio superet. *Ad Deum igitur confugiendum, ne à tentatione superemur. Et hoc est, quod tentatis, atque tentandis suadet Apostolus Eph. 6.* Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. *Vbi docemur, quòd* duplici R ratione confidit quis de aliquo. Vna est, quia ad eum pertinet sua defensio. Alia est, quia potens est, & paratus eum defendere. Et hæc duo sunt in Deo respectu creaturæ suæ; quia ipsi est cura de nobis, vt dicitur 1. *Pet.* 5. Item ipse potens est, & promptus auxiliari: & ideò dicit: *Confortamini in Domino*, non in vobis, sed *in Domino*, qui curam habet de nobis, *Is. 35. Dicite pusillanimis: Confortamini*. Subdit autem: *& in potentia virtutis eius*, Luc. 1. *Fecit mihi magna, qui potens est*. Et licèt in Deo virtus & potentia sint idem: tamen quia virtus est vltimum de potentia, & quasi perfectio potentiæ; ideò dicit, *in potentia virtutis eius*, idest in potentia virtuosa, Phil. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Et Iob 17. *Pone me iuxta te; & cuiusuis manus pugnet contra me*. Sed posset dici: Si Deus potest & vult, debemus esse securi. Ideò respondens, dicit, quòd non: immò debet quilibet facere quod in se est: quia si inermis iret ad bellum, quantumcumque rex protegeret eum, esset in periculo. Et ideo subdit: *Induite vos armaturam Dei*; idest dona & virtutes, *vt possitis stare aduersùs insidias diaboli*: quia per virtutes homo protegitur contra vitia, *& contra tentationes omnes, ne cadat, mediante gratia Dei, & charitate: nam* ex sua specie S hoc habet charitas, quòd cuilibet tentationi resistere possit. *Idquod Paulus se fuisse expertum manifestè fatetur, vbi ait 2. Cor. 12.* Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. *Stimulus carnis meæ*; idest T concupiscentiæ, surgens ex carne mea, à qua multùm infestabatur. Vnde *Augustinus* dicit, quòd inerant ei concupiscentiæ motus: quos tamen diuina gratia refrænabat. De remotione autem huius stimuli solicitus erat Apostolus. Vnde dicit; *Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me*. Vbi sciendum, quòd infirmus nesciens processum medici apponentis mordax emplastrum, rogat medicum, vt remoueat; quem tamen medicus, sciens causam, quare faciat, scilicet propter sanitatem, non exaudit, quantùm ad voluntatem petentis, magis curans de eius vtilitate, Sic Apostolus sentiens, stimulum sibi grauem esse, ad singularis medici confugit auxilium, vt eum remoueat. Et verè ipse rogandus est, quia ipse vulnerat & medetur. *Et dixit mihi; Sufficit tibi gratia mea*. Quasi dicat: Non est tibi necessarium, quòd infirmitas concupiscentiæ recedat à te, quia non pertrahet te ad peccatum, quia gratia mea proteget te, *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Mirus modus loquendi! Ignis in aqua crescit. Intelligi verò potest hoc dupliciter: scilicet materialiter & occasionaliter. Si accipiatur materialiter, tunc est sensus: *Virtus in infirmitate perficitur*, idest, infirmitas est materia exercendæ virtutis. Si verò accipiatur occasionaliter, tunc *virtus in infirmitate perficitur*; idest, occasio est perueniendi ad perfectam virtutem. Quia homo sciens se infirmum, magis solicitatur ad resistendum: & ex hoc, quòd magis resistit & pugnat, efficitur exercitatior & fortior. Et ideò *Iudic. 3.* legitur, quòd Dominus noluit destruere omnes habitatores terræ, sed aliquos reseruauit: vt scilicet filij Israel exercitarentur pugnando cum eis. Sic etiam Scipio dolebat destructionem Ciuitatis Carthaginensis; vt scilicet, dum Romani haberent hostes exteriùs, non sentirent hostes interiores, contra quos durius bellum est (*quod intestinum superiùs diximus*) quàm contra exteriores, vt ipse dicebat. *Vnde Ambrosius*: Sunt *inquit* & alia bella, quæ vir sustinet Christianus, diuersarum quoq; prælia cupi-

dita-

Tentationi resistere, dupliciter dicitur.

L 3. d. 31. 1. 3. c.

Resistentia & victoria petenda à Deo & accipiẽda.

M Ps. 17. lit. r.

Quid intelligatur per induci in tentationem.

N Op. 7. Pet. 6. f.

O 2. 2. 83. 9. fi. c.

P 3. d. 34. 1. 6. fi. c. Mat. 6. lit. c. fin.

Q Cat. Aur. Mat. 26. lit. l.

Ad Deum in tẽtationibus confugiendũ, vt resistamus & vincamus.

R Eph. 6. l. 3 ibi.

Exẽplo Pauli.

S Virt. 2. 10. ad 4.

T 2. Cor. 12. l. 3. ibi.

Exponitur illud: *Virtus in infirmitate perficitur.*

ditatum, studiorumque conflictus: multòque graviores domestici hostes, quàm extranei, *secundùm illud Mich. 7. & Mat. 10.* Inimici hominis, domestici eius. *Et alibi.* Virtus in infirmitate perficitur; *hoc videlicet sensu*, non quia V infirmitas causet virtutem, sed quia dat occasionem alicui virtuti, scilicet humilitati. Est etiam materia alicuius virtutis, scilicet patientiæ, & etiam charitatis, in quantùm aliquis infirmitati proximi subuenit. Et naturaliter est signum virtutis: quia tantò anima virtuosior demonstratur, quantò infirmius corpus ad actum virtutis movet.

V 2. Cor. 12. 1. 9. ad 19.

P *Quòd si quis à tentatione vincatur, magis sit nihilominùs venia dignus; peccat enim ex infirmitate: non ita qui ex malitia & ex electione delinquit, quod ait Apostolus ad Galat. 6.* Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. *Etenim* quando X aliqui ex malitia peccant, minus digni sunt venia, Iob 24. *Qui quasi de industria recesserunt ab eo*: sed quando aliquis præoccupatur tentationibus & inducitur ad peccandum, faciliùs debet ei venia concedi. Et ideò dicit: *Etsi præoccupatus fuerit*, idest improvidenter & ex surreptione lapsus. Item aliqui ex consuetudine peccant: & contra tales severiùs agendum est. Hoc autem excluditur cum dicit, *in aliquo*, quasi non usu quotidiano peccans. *Qui autem ex tentatione cadit, aliquando cadit, non frequenter, ut ex malitia peccantes. Qui nec tam facilè surgunt, quemadmodum surgit tentationis impulsu delinquens. Sanè* quantò Y est gravius impulsivum ad peccandum, tantò homo minùs peccat; *maior proinde concupiscentia tentatio culpam diminuit consequentem. Veruntamen dupliciter de concupiscentia loqui possumus. Si enim* concupiscentia Z dicatur passio quædam, quæ est motus vis concupiscibilis, sic maior concupiscentia præcedens iudicium rationis & motum voluntatis, diminuit peccatum, quia qui maiori concupiscentia stimulatus peccat, cadit ex grauiori tentatione: unde minùs ei imputatur. Si verò concupiscentia sic sumpta sequatur iudicium rationis & motum voluntatis: sic, ubi est maior concupiscentia, est maius peccatum. Insurgit enim interdum maior concupiscentiæ motus ex hoc, quòd voluntas irrefrænatè tendit in suum obiectum. *Qui tamen, quantum in se est, faciunt ut tentationibus resistant, haud dubium, quin sint tentationes victuri. His quippe diuinum auxilium certò certiùs non deest*: Ipsa enim A virilitas animi meretur sibi conferri auxilium Dei, quo concurrente sequitur exitus mirabiliter vincendi: *quod aiebat initio Author. Et quidem* primus B motus non habet rationem culpæ, nisi secundùm quod aliquo modo est in potestate uoluntatis. Vnde quandiu voluntas non repugnat, habet rationem peccati; sed quando voluntas iam repugnare incipit, tunc homo meretur. Non quia ille motus primus sensualitatis sit meritorius, cui resistitur (qui tamen, postquam sibi resistitur, rationem peccati amittit) sed in ipso actu voluntatis resistentis meritum est, qui non est idem cum primo motu sensualitatis.

Ex tentatione cadens magis venia dignus, quia peccat ex infirmitate.

X Gal. 6. l. 1. ibi.

Y 1. 2. 73. 5. c. & 77. 6. in sed contra & 2. 2. 162. 6. ad 1.

Eo minùs peccatur, quò impulsivum grauius.

Z 1. 2. 73. 6. ad 2. In 2. d. 22. 2. 2. ad 5.

Maior concupiscentia an minuat peccatum.

A Prol. in Machab.

Facienti quod in se est ad resistendú diuinum non deest & ad victoriam auxilium.

B 2. d. 40. 1. 4. ad 3.

An primus motus sensualitatis sit peccatum.

C Mat. 4. init. & c. 2. lit. d. ibi, in Bethleem.

Quare iusti tententur.

Tentat Deus illos ad exercitium uirtutum & ad probandum.

Q *Caterùm, non peccatores ut plurimùm sunt qui tentantur, sed viri iusti, & in gratia constituti.* Quinque *autem* sunt C rationes, quare quis post acceptam spiritualem gratiam tentatur. Prima ut accipiat experimentum suæ iustitiæ, Eccli. 34. *Qui non est tentatus, quid scit? Qui tentatus non est, qualia scit?* Secundò ad reprimendum superbiam, 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me &c.* Tertiò ad confundendú diabolum, ut sciat quanta sit virtus Christi, ut eum superare non possit; Iob 1. *Nunquid considerasti servum meum Iob, &c.* Quartò ut fortior reddatur, sicut milites, fortes redduntur per experientiam. Quintò ut suam dignitatem cognoscat: quia quando diabolus aggreditur aliquem, hoc cedit ad honorem, quia diabolus sanctos aggreditur: *non peccatores, quos iam amicos habet. At verò Deus amicos etiam suos tentat, sed ad bonum; hoc est, ad exercitium virtutum. & ad eos probandum (ut præmissum est) Sap. 3.* Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. *Vnde* ipse D tentat ut probet: probat, ut acceptet, & remuneret. *Et eo vel maximè, quia* fidelis Deus est (*ait Apostolus 1. Cor. 10.*) qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. *Quibus in verbis* ostendit E paratum adiutorium in tentatione. Vbi commendat Deum adiutorem quia dat nobis resistendi potentiam, quod notatur ibi, *sed faciet etiam cum tentatione prouentum*: & perseverantiam, quod notatur ibi, *ut possitis sustinere.* Verè *fidelis Deus*, qui dat potentiam ne vincamur: gratiam ut mereamur: constantiam ut vincamus. Dicit ergo: *Fidelis Deus.* Quasi dicat: Vos ad hoc hortor & moneo, quòd potestis: *fidelis* enim *Dominus in omnibus verbis suis*, Ps. 144. *Qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*: quod utique posset diabolus, si permitteretur: quia *non est super terram potestas, quæ comparetur ei*, Iob 41. (*Præmittitur autem ibidem ab Apostolo ea monitio*: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. *Quasi diceret.* Ne F cadatis, *tentatio*, scilicet peccati, *vos non apprehendat*, trahendo in consensum peccati, *nisi humana.* Quod dupliciter exponitur. Vno modo de tentatione interiori mala: & tunc est permissio. Quasi dicat: Nulla peccati dilectio vos apprehendat, *nisi fortè humana*, sine qua vita non ducitur: *Non est enim homo qui semper faciat bonum, & non peccat*, 3. Reg. 8. Alio modo exponitur de tentatione exterioris boni: & tunc est exhortatio sic: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, scilicet tribulationum præsentium propter Christum tolerantia. *Augustinus.* Propter Christum pati, humana tentatio est. *Vnde & Tob. 12. dicitur*: quia acceptus eras Deo: necesse fuit, ut tentatio probaret te.) *Neque obest, quòd dicat Apostolus in suarum enumeratione ærumnarum, 2. Cor. 11.* In plagis supra modum, *scilicet* humanæ G consuetudinis. vel *supra modum* humanæ virtutis. *Quod videtur contrariari ei, quod præmissum est*: Non patietur vos tentari supra id, quod potestis. *Non efficit, inquam: Etenim* Deus H non permittit nos tentari sine adiutorio gratiæ diuinæ; qua tentationes vincimus, sine qua vinceremur. *Vnde & idem Paulus dicebat, 1. Cor. 15.* Non ego autem, sed gratia Dei mecum. *Qui verò in peccato est, diuina gratia destitutus, facilè à tentatione vincitur: ex quo petenda poenitendo à Deo est, ut tentationibus resistatur. Quid ergo iustis in tentationibus timendum? Quid de victoria hæsitandum? Exemplar insuper ad nostram instructionem habemus Christum Dominum Nostrum. De quo idcircò expressit Apostolus Hebr. 4.* Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato. *Vbi* sciendum I quòd ly *posse* aliquando importat, non nudam potentiam, sed promptitudinem, & aptitudinem Christi ad subueniendum: & hoc, quia scit per experientiam miseriam nostram, quam vt Deus ab æterno sciuit per simplicem notitiam, Ps. 102. Mi-

D Iac. 1. §. 8. ibi, tentat.

E 1. Cor. 10. l. 3. ibi.

Dat potentiam, ne uincamur: gratiam ut mereamur constantiam, ut uincamus.

Exponitur illud: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.*

F Ibid. ibi.

G 2. Cor. 11. l. 5. ibi.

Soluitur obiectio.

H Ibid. ibi.

I Hebr. 4. l. 3. ibi, & 3. p. 41. 1. ad 3.

Christus in tentationibus exemplar nostrum.

102. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Vnde subdit, *pro similitudine*, scilicet nostri, *tentatum*. Est autem (*vt vidimus*) triplex tentatio. Vna, quæ est à carne; & ista non est sine peccato, quia vt *Augustinus* dicit: *Nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit aduersùs Spiritum*, quia hoc est, carnem concupiscere. Sed hæc non fuit in Christo; & ideò dicit *absque peccato*, idest absque minimo motu peccati. Alia est tentatio ab hoste, & à Mundo; & hoc dupliciter, vel alliciendo per prospera, vel terrendo per aduersa. Et his duobus modis fuit tentatus Christus. Fuit enim allectus prosperis. Quicquid autem pertinet ad prosperitatem huius vitæ vel pertinet *ad concupiscentiam carnis* vel *ad concupiscentiam oculorum*, vel *ad superbiam vitæ* (*vt dicitur* 1. *Io.* 2.) De primo enim tentauit eum Diabolus, quando tentauit eum de gula, quæ est mater luxuriæ, Mat. 4. *Dic vt lapides isti panes fiant*. Item de inani gloria, cum dixit: *Mitte te deorsum*. Item de concupiscentia oculorum, dicens: *Hæc omnia tibi dabo &c.* Item fuit tentatus per aduersa & insidias a Pharisæis, qui volebant eum capere in sermone. *Mat.* 22. Item per contumelias Mat. 27. *Vah, qui destruis templum Dei &c.* Item per flagella & tormenta. Excepta ergo tentatione, quæ est cum peccato, per omnia similis nobis tentatus est. Dicit autem, *pro similitudine*, idest secundùm similitudinem: quod potest dupliciter exponi. Vno modo, quòd ly; *secundùm*, denotet causam finalem. Quasi dicat; Ideò tentatus est, vt daret nobis exemplum, vt secundùm similitudinem eius, tentationem sustineremus, & omnia conaremur vincere, 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Vel potest denotare consequentiam. Quasi dicat; Ideò tentatus est, vt *per omnia* tam in temporalibus scilicet, quàm in omnibus alijs, nisi in solo peccato, similis esset nobis. Si enim fuisset sine tentationibus, non fuisset eas expertus: & sic non compateretur. Si verò habuisset peccatum, non potuisset nos iuuare, sed magis indiguisset adiutorio. *Quid ergo sub tanto Duce timeamus? Siquidem* tentari L voluit. Primò, vt nobis contra tentationes auxilium ferret. Secundò propter nostram cautelam, vt nullus quantumcumque Sanctus, se æstimet securum & immunem à tentatione. Tertiò propter exemplum, vt scilicet nos instrueret, qualiter diaboli tentationes vincamus. Quartò vt nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. DISCE *ex Apostolo legitimè certare, vt coroneris. Vide* Auaritia, Bona temporalia *Tomo* 1. Diabolus *Tomo* 2. Luxuria, Mundus.

L 3. p. l. c. in serp.

TESTAMENTVM. *Vide* Lex Vetus & Noua.

TESTIMONIVM, TESTIS.) *Vide* Iudex,) Iuramentum) *Tomo* 2.

THALMVD, *Vide* Iudæi, *Tomo* 2.

THOMAS APOSTOLVS.

IV. Thomas, qui ante passionem Domini infirmior erat alijs, & infidelior, postea fortior factus est & irreprehensibilis, qui solus Orbem terrarum percurrit. *Io.* 11. *lect.* 3. *lit. e.*

1. F*Elicem culpam placuit Gregorio Protoparentis nostri primordialem appellare transgressionem; non alia profectò de causa, nisi ob immensum redemptionis beneficium, vniuerso humano generi ex diuina misericordia collatum. Non secus & felicem dixerim Petri Apostoli negationem, ob rarum videlicet fidelibus pœnitentia exemplum; quemadmodum & Magdalenæ. Felicem Pauli in Ecclesiam persecutionem, ob spiritualem nimirùm post conuersionem prædicationis eius toti Orbi prouentum. Felicem ita appellare liceat Apostoli Thomæ infidelitatem.* Plus enim (*ait Gregorius*) nobis profuit Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum. *Hæc verò Thomæ infidelitas ortum ex eo traxisse videtur, quòd post resurrectionem non erat cum aliis discipulis, quando venit Iesus*, *Io.* 20. Et sic M amisit solatium dominicæ visionis, pacis eulogium, & Sancti Spiritus afflatum. Instruimur autem per hoc, à societate separari non debere iustorum, Hebr. 10. *Non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam*. Sed vt *Gregorius* dicit; *Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis*: Permittit enim Deus aliquem Sanctum labi in peccatum propter instructionem nostram; vtquid enim permisit aliquos Sanctos & iustos viros grauiter peccasse; sicut quòd Dauid adulter fuit, & homicida? nisi quòd ex hoc instructi, cautiores simus & humiliores: vt *qui se existimat stare, videat ne cadat*; & qui cecidit, *adiiciat vt resurgat*. Absens autem N discipulus describitur. *Primò* ex nomine, quia *Thomas*, qui interpretatur *abyssus*, siue *geminus*. In abysso autem duo sunt: scilicet profunditas & obscuritas. Abyssus ergo Thomas obscuritate infidelitatis, quam habet ex se. Item abyssus ex profunditate miserationis, quam habet à Christo. De hoc dicitur Ps. 41. *Abyssus abyssum inuocat*. *Abyssus* profunditatis, scilicet Christus, *abyssum* obscuritatis, scilicet Thomam, *inuocat* miserando: & *abyssus* obstinationis, scilicet Thomas, *abyssum* profunditatis, scilicet Christum, *inuocat* confitendo. *Secundò* ex dignitate, quia *vnus ex duodecim*; non quòd tunc 12. essent, quia iam Iudas interierat, sed quia erat electus

Thomæ infidelitas ad roborandam fidem proficua.

M *Io.* 20. *l.* 5. *lit. a. post med.*

Ex separatione à discipulis videtur hæc prouenisse.

Quod diuina dispẽsatione factum est, non casu, ad aliorum instructionem.

Describitur ex nomine, dignitate, & interpretatione.

N *Ib. initio &* *Ps.* 7. *lit. a. sub initio*

Thomas quid signet.

electus ad eam dignitatem, quam Deus sacrauerat duodenario numero. Tertiò ex interpretatione: *qui dicitur Didymus*. Thomas enim est nomen Syrum, vel Hebræum, & habet duas interpretationes, scilicet *geminus, & abyssus*. Geminus autem latinè, Græcè dicitur Didymus. Et ideò, quia Ioannes in Græco scripsit Euangelium, posuit *Didymus*. Dicitur autem *Geminus*, quia fortè fuit de tribu Beniamin, in qua aliqui vocabantur *gemini* (siue semini) vel etiam omnes. Vel potest hoc referri ad eius dubitationem; quia qui certus est, firmatus est in unam partem; sed qui dubitat, accipit vnam partem cum formidine alterius.

Quid Didymus.

Thomas de qua Tribu esset.

Eius durities ad credendum, & irrationabilitas ad petendum.

O Ibid. lit. c.

{ *Et hinc est, quòd ad condiscipulorum relatum, sibi dicentium*, Vidimus Dominum, *pertinaciter respondit*: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. *Et quidem Discipulus hic* durus O fuit ad credendum, & irrationabilis ad petendum. Durus quidem, quia noluit credere, nisi sensibili argumento, & non tantùm vnius sensus, sed duorum, scilicet visus, *nisi videro &c.* & tactus, *& mittam manum &c.* Irrationabilis verò fuit, quia petebat vulnera videre ad comprobationem fidei; cum maius videret, scilicet totius hominis resuscitati reparationem. Et licèt hoc Thomas propter sui dubietatem diceret: tamen hoc diuinitus factum est propter nostram vtilitatem, & ædificationem. Certum est enim, quòd qui se totum hominem reparauit resurgendo, potuit etiam vulnerum cicatrices extergere; sed seruatæ sunt propter nostram vtilitatem. *Ad hanc autem è corde discipuli amouendam duritiem, solus par erat diuinus Magister*: *vnde* post dies octo, cum essent discipuli eius intùs, & Thomas cum eis, venit Iesus &c. *Vbi notat Author, quòd* Thomas P solus hac apparitione indigebat; non tamen ei singulariter apparuit, sed in congregatione existenti, ad designandum, quòd singularitates non sunt multùm Deo acceptæ, sed hi qui in communitate charitatis existunt, *Mat.* 18. Vbi fuerint in duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. *Deinde dicit Thomæ*: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Vbi Q notandum, quòd Thomas petijt conditiones, vt crederet, scilicet videre, & palpare cicatrices: &, si hoc sibi fieret, promisit se crediturum. Et ideò Dominus, cum hæc diceret, præsentia suæ diuinitatis assistens, seruatis illis conditionibus reuocat eum. Conditio fuit palpare cicatrices; & ideò dicit: *Infer digitum tuum huc*: item videre; & ideò addit: *& vide manus meas*, quæ pependerunt in Cruce: *& mitte manum tuam in latus meum*, lancea perforatum, *& cognosce* me illum eundem esse, qui pependit in Cruce. *Ad hoc beatum spectaculum, & felicissimum experimentum* respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. *Ex quo manifestè* apparet R quòd statim factus est Thomas bonus Theologus, veram fidem confitendo, quia humanitatis Christi, cum dicit: *Dominus meus*: (sic enim vocabant eum ante passionem discipuli, Io. 13. *Vos vocatis me Magister & Domine*:) item diuinitatis, cum dicit: *Deus meus. Et verè tunc fuit Didymus, siue geminus, quia geminam in Christo naturam confessus est, humanam videlicet & diuinam.*

Cur Christus ei singulariter non apparuerit, sed in congregatione existenti.

P Ibid. l. 6. lit. a.

Exhibet Dominus quod petebat.

Q Ibid. lit. b.

R Ibid. lit. c.

Fidelis Thomæ confessio.

t *Sequitur Magistri correptio*; Quia vidisti me, Thoma, credidisti, Beati qui non viderunt, & crediderunt. *Quibus ex verbis duplex insurgit dubitatio.* Vna S est, quia cum fides sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, vt dicitur *Hebr.* 11. quomodo Dominus dicit: *Quia vidisti me, credidisti?* Sed dicendum, quòd aliud vidit, & aliud credidit. Vidit enim hominem, & cicatrices: & ex hoc credidit diuinitatem resurgentis. Secunda dubitatio est: quia Thomæ petenti, *nisi videro & tetigero*, Christus vtrumque exhibuit, scilicet tactum, & visum. Ergo debuit dicere: *Quia vidisti, & tetigisti, credidisti*. Sed respondet *Augustinus*, quòd sensu visus vtimur pro quolibet sensu; dicimus enim: Vide quomodo calet, quomodo sonat, quomodo sapit, quomodo redolet. Dicit ergo: *Infer digitum tuum huc, & vide*, non quòd in digito sit visus: sed dicitur quasi, tange & experire. Ita & hic. *Quia vidisti me*; idest, quia expertus es, etiam per tactum. Vel dicendum, quòd Thomas videns vulnera & cicatrices, confusus est in se ipso: & antequam poneret digitum, credidit, & dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Thomas *inquam* ad solum T aspectum vulnerum credidit, sed tamen etiam tetigit eum, vt à nobis omnem dubitationem excluderet, quia testis erat futurus resurrectionis. Vnde Leo Papa dicit: *Suffecerat ad fidem propriam, quod viderat; sed nobis operatus est, ut tangeret quod videbat.* Gloriosa autem Magdalena (*ut soluatur obiectio*) non eligebatur, vt testis resurrectionis in populis, quia non decet mulierem, in Ecclesia docere, vt dicitur 1. *Cor.* 14. & 1. *Tim.* 2. Et ideò non est permissa tangere Christum, *Io.* 20. Noli me tangere. *Ex quo factum est, quòd ad reddendum prefatæ resurrectionis testimonium*, Thomas V qui ante passionem infirmior erat alijs, & infidelior, postea fortior factus est, & irreprehensibilis (*quod aiebat initio Author.*) *Magosque reges, Gentium primitias, Christi Regis regum fideles adoratores, in Euangelio annunciando socios adhibuit. Docemur enim ex Chrysostomo, quòd* reuersi X in regionem suam, sanctam vitam egerunt; & postea facti sunt coadiutores Sancti Thomæ Apostoli. *Quo etiam in Apostolico munere, ad Christi Domini virtutem manifestandam, legitur, quòd* cuidam Y qui manu alapam sibi impegerat, imprecatus est, vt manus eius in conuiuio à canibus deportaretur: (*quod & euenit.*) Non tamen expetijt pœnam sui percussoris zelo vindictæ, sed propter manifestationem diuinæ iustitiæ, & virtutis, *ad impiorum utique audaciam compescendam. Quod enim Apostolicis ministris contumeliosè fit, in iniuriam redundat Saluatoris, secundùm illud Luc.* 10. Qui vos spernit, me spernit; *& Zach.* 2. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Porrò B. Apostolus* Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactris Christianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit: (*idcircò ob regionum pluralitatem, quas respectu alterum euangelizando peragrauit, prompsit à principio Author*: Solus Z Orbem terrarum percurrit.) Telis *postremò* confessus, Calaminæ Apostolatus honorem martyrij corona decorauit.

Et aliud quidem vidit: aliud credidit.

Ad solum credidit vulnerum aspectum: sed tetigit, vt à nobis omnem tolleret dubitationem.

T 3. d. 21. 2. 4. q. 3. ad 3.

S Ibid. lit. d. & 2. 2. 1. 4. ad 1. & 3 p. 55. 5. ad 3. in 3 d. 21. 2. 3. ad 2. Hebr. 11. l. 1. fi.

V Io. 11. l. 3. lit. e.

Ex hac fidei confessione, qui alijs infirmior erat, fortior in euangelizando factus est.

Magos reges habuit coadiutores.

X Mat. 2. lit. c. fi.

Y Firr. 2. 8. Arg. 14. & ad resp.

Punit ex diuinæ iustitiæ & virtutis zelo impium quendam, sibi alapam impingentem.

Plura prædicationis eius loca, & martyrium.

Z Io. 11. l. 3. lit. e.

u *Sed eodem hocce nomine & S. Authorem nostrum veneramur Thomam Aquinatem: verè abyssum aquæ sapientiæ salutaris, qua conclusus Ecclesiæ* hortus *affluenter irrigatur*: *verè* Didymum, *siue* Geminum, *qui & digitum in latus humanitatis intulit, & oculum mentis in altum diuinitatis defixit, ita vt vtramque quodammodo palpabilem suo scripto rediderit. Ex quo abyssum quidem profunditate refert, obscuritate non ita: cuius immò super excellens ex eo sapientia est, quòd profunditati nouerit mirabiliter claritatem sociare. Audiit ille à Domino*: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: *Audiit iste*: Bene scripsisti de me, Thoma. *Et adiecit*: Quam ergo mercedem accipies? *Exclamat ille fideliter*: Dominus meus & Deus meus. *Respondet hic humiliter.* Non aliam præter te, Domine

Sancti Thomæ Authoris nostri ad Apostolum comparatio.

Domine, DISCE *fidem alterius æmulari : alterius sapientiam admirari*. *Vide* Apostoli, Christi vulnera, & Resurrectio *Tomo* 1.

TIMOR : *Vide* Spiritus Sanctus.

TONSVRA. *Vide* Clericus. *Tomo* 1. Ordo Sacramentum.

TRASFIGVRATIO. *Vide* Christi transfiguratio *Tomo* 1.

TRANSVBSTANTIATIO. *Vide* Eucharistia *Tomo* 2.

TREMOR. *Vide* Conscientia *Tomo* 1. Fortitudo *Tomo* 2. Spiritus Sanctus.

TRIBVLATIO.

V. Dei dextera dirigitur ad illum, qui exteriùs est in eius sinistra, & in aduersitatum sufferentia pro ipso suscepta : eius autem sinistra ad eos, qui secundùm exterius sunt in dextera, idest in prosperitate temporalis primatus. *Gen.* 28. *circa fi.*

A 2. Thess. 1. l. 1. ibi, tribulationibus. *Rom. 8. l. 7. ibi*, tribulatio *Ps. 24 lit. m.*

Tribulatio vnde dicatur.

B Gen. 3. ibi.

Tribulationes signantur per aquas.

C Prol. ad Thess. 1.

x TRibulationes A dicuntur à *tribulis*, quibus interiùs per afflictionem pungimur. *Et quia tribulatio (vt videbimus) vt plurimùm pro peccato inducitur, in pœnam primi peccati Adæ dictum est ei Gen. 3.* Maledicta terra in opere tuo (*scilicet* pro B peccato tuo, siue in transgressione tua :) spinas & tribulos germinabit tibi. *Pœnalitates siquidem omnes, quas sentimus, ex originali culpa, & in illius pœnam contraximus. Tribulationes autem consueuerunt in scripturis per aquas signari, Ps.* 68. Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. *Et benè* per aquas C significantur tribulationes. Primò quia sicut aquæ impellunt, irruendo, sic tribulationes, Mat. 7. *Venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam*. Subditur autem : *& non cecidit*. Secundò quia aqua extinguit ignem, Eccli. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua* : Sic tribulationes extinguunt impetus concupiscentiarum, ne homines ad libitum eas sequantur, sed non extinguunt veram charitatem *Vnde Apostolus absque submersionis timore, & absque extinctionis charitatis metu, multiplices Mundi tribulationes recenset intrepidus, Rom.* 8. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? *Quasi diceret* : Adeò D charitas Christi in cordibus nostris feruet, quòd nihil eam extinguere potest, Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Mala autem perpessa considerari possunt dupliciter. Vno modo secundùm quod sunt in patiente : qui dupliciter ab eis affligitur, scilicet exteriùs secundùm corpus; & ad hoc pertinet tribulatio : dicitur enim à tribulis, qui sunt herbæ pungitiuæ. Vnde aliquis tribulari dicitur, cum exteriùs pungitur. Affligitur etiam homo ab eis per interiorem anxietatem cordis, dum scilicet aliquis non videt, quò diuertat, vel quomodo euadat; & quantùm ad hoc subdit : *an angustia?* Dan. 3. *Angustiæ sunt mihi vndique*. Alio modo huiusmodi mala considerari possunt, secundùm quod sunt in agente; & quantùm ad hoc subdit : *an persecutio?* Quamuis enim persecutio ad hoc propriè pertinere videatur, quòd aliquis alium persequitur, effugando, secundùm illud Mat. 10. *Cum persequentur vos in Ciuitate ista, fugite in aliam* : communiter tamen persecutio accipi potest pro inflictione cuiuslibet nocumenti, Ps. 118. *Multi, qui persequuntur me, & tribulant me* : (sunt *enim* persecutores E inuadentes opere, Ps. 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me* : & persecutores insurgentes ore, ibid. *Aperuerunt super me os suum*.) Deinde ponit mala, quæ pertinent ad subtractionem bonorum, quæ sunt necessaria vitæ; scilicet cibus & vestimenta, secundùm illud 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*. Ad subtractionem autem cibi pertinet fames; vnde dicit : *an fames?* Ad subtractionem autem vestitus pertinet nuditas; vnde subdit : *an nuditas?* 1. Cor. 4. *Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus*. Quantùm ad mala futura, subdit : *an periculum?* scilicet imminens in futurum, 2. Cor. 11. *Periculis fluminum periculis latronum &c.* Quantùm autem ad mortem, subdit : *an gladius?* ad Hebr. 11. *In occisione gladii mortui sunt*.

D Rom. 8. l. 7. ibi, Ps. 21 lit. b & 1. Ps. 30. lit. g. & h. Ps. 43. a lit. e. Iob 16. l. 1. ibi circumdedit. *Cant. 8. com. 1. & 2. ibi*, aquæ.

Multiplicitas tribulationum in Mundo.

E Ps. 21. lit. ra Iob 10. l. 1 ibi, calumnieris.

Omnis pœna à Deo.

y *Est autem omnis tribulatio & pœna à Deo, siue bonis, siue malis, inducta. Ps.* 20. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis : *quia* inflictor F pœnæ est manus Dei. *Vnde Is. 45. dicitur* : Ego Dominus, faciens pacem, & creans malum, *malum* scilicet G pœnæ, *Amos* 3. Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus non fecerit? *Cui cohæret illud Ezechiæ Regis Is.* 38. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? *Scilicet* pœnam H meam. *Et ideò Petrus Apostolus in sua 1. cap. 3.* Melius est *inquit* benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malè facientes. *Vbi docemur, quòd etiam* sine culpa I pati, est ex voluntate Dei. *Vnde & Iob c. 3. dicebat* : Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? Et venit super me indignatio. *Quasi diceret* : Quamuis L innocens sim, tamen *venit super me indignatio*, idest pœna à Deo. Ira enim in Deo non accipitur pro commotione animi, sed pro punitione : in quo recognoscit, aduersitates huius Mundi, non à casu, sed nutu diuino prouenire. *Idquod apertè fatetur cap.* 16. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit. *Et cap.* 17. Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum : & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam. *Dicat ergo cum Iob iustus quisque tribulatus* : Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : Sit nomen Domini benedictum. *Dicat cum Ezechia (cui prædictum est à Propheta* : Auferentur omnia, quæ in domo tua sunt &c. *Is.* 39. Bonum verbum Domini, quod locutus est : fiat tantùm pax & veritas in diebus meis. *Eo vel maximè, quòd tribulationes immittit Dominus ad nostrarum mensuram virium*. Alicui *enim* Deus M concedit aliquando, vt non affligatur à malo, quando scilicet cognoscit eum impotentem, & non posse resistere : sicut medicus infirmo debili non dat violentas medicinas, *Apoc.* 3. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere : quia modicam habes virtutem. *Et 1.*

F Ps. 20. lit. f. ibi.

G Is. 45. ibi.

H Is. 38. ibi.

I 1. Pet. 3. §. 6. ibi.

L Iob 3. fi cap. & c. 16. l. 1. & c. 19. l. 1.

M Op. 7. Pet. 7. initio.

Qui non tribulat supra possibilitatem sustinendi.

Cor. 10.

Cor. 10. Fidelis Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis. Verumtamen à paucis immissa à Deo tribulationes æquanimiter, & ad meritum cum Iob tolerantur: quinimmò si morbus grauat, si dolor diuexat, in verba impatientiæ prorumpunt homines, & quod horrendum est, execrandas vel in ipsum Deum blasphemias, quasi ad leniendum dolorem euomunt, cum tamen maius inde capiat augmentum cruciatus, magisque simul Dei iustitia irritetur. Diabolus siquidem ex vi doloris te blasphemare expertus, illum augere nititur, vt iterùm in animæ perniciem blasphemiam repetas. Cur blasphemas? (inquit Chrysostomus M.) an vt leuetur dolor? Sed immò augetur: nam diabolus videns te ex dolore blasphemare, illum auget, vt iterùm blasphemes. An non potes tacere? Deum lauda. Et dic cum Iob c. 2. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? Qui tamen die, noctuque doloribus affictabatur; vnde & cap. 7. dicebat: Si dormiero, dicam: quando consurgam? Et rursùm expectabo vesperam, & replebor doloribus vsque ad tenebras. Quod si perseueraueris in gratiarum actione ac diuinis laudibus; & Satanæ vires eneruabis, & Dei auxilium, vt dolorem tollat, aut tolerantiam donet, experieris: neque enim patitur hominem plùs tentari, quàm valeat sustinere, vt præmissum est. At verò, cum tam iusti, quàm impii affligantur & tribulentur: sciendum N est ex Gregorio 1. Moral.) quòd quinque modis Deus hominibus immittit flagella: quandoque quidem ad initium damnationis, secundùm illud Ier. 17. Duplici contritione contere eos. Et hoc flagello percutitur peccator in hac vita sic, vt sine retractatione, & sine puniatur in alia. Sicut Herodes, qui occidit Iacobum, punitus est in hac vita, & in Inferno, sicut legitur Act. 12. Quandoque autem ad correctionem: & de hac dicitur Ps. 17. Disciplina tua ipsa me docebit. Quandoque autem flagellatur aliquis, non propter præteritorum correctionem, sed ad futurorum præseruationem, sicut de Paulo legitur 2. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus &c. Quandoque autem ad promotionem virtutis, vt scilicet cum in aliquo nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur, dum inopinata salus persecutionem sequitur, saluantis virtus cognita, ardentiùs ametur, 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur; & Iac. 1. Patientia opus perfectum habet. Quandoque verò ad manifestationem diuinæ gloriæ, sicut de cæco nato dicitur Io. 9. Vt manifestentur opera Dei in illo. Id quod alibi repetit Author consimilibus verbis: Dominus O quinque causis flagellat hominem in hac vita. Quandoque ad probationem, sicut Tobiam & Iob. Quandoque ad humilitatis conseruationem, vt Paulum, 2. Cor. 12. Quandoque ad purgationem, vt sororem Moysi Mariam Num. 12. Quandoque ad glorificationem Dei, vt cæcum natum Io. 9. Quandoque ad punitionis inchoationem, vt Herodem, Act. 12. Vnde versus:

Iob probat, inclinat Paulum, sese manifestat
In cæco, purgat Mariam, punit Herodem.

Quandoque etiam facit Dominus, sicut pungitur equus ad cursus accelerationem, Ps. 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; postea accelerauerunt. Item quandoque percutit Dominus ad castitatis conseruationem, Apoc. 3. Quos amo, arguo, & castigo, idest (ex glossa) castos reddo. Ex quo malum P pœnæ est quidem malum, in quantùm priuat aliquod particulare bonum: est tamen bonum simpliciter, in quantùm dependet ab ordine finis vltimi. Et alio in loco: Pœna Q in quantùm est pœna, est malum alicuius: in quantùm est iusta, est bonum simpliciter. Nihil autem prohibet, id quod est bonum simpliciter, esse malum alicuius: sicut forma ignis est bonum simpliciter, sed est malum aquæ.

A paucis æquanimiter tribulationes tolerantur, quin vt plurimùm in blasphemias prorumpunt.

M Chris. in Ps. 128. & in c. 16. Luc. de Lazaro.

N Io. 9. l. 1. lit. c in 2. d. 36. 1. 4. in 4. d. 15. exp. sex. Ma. 5. a. 4. Prol. in Apoc. com. 1.

Quinque modis Deus nobis tribulationes immittit.

O Apoc. 3. Com. 2. §. 4. ibi, arguo.

Malum pœnæ est simpliciter bonum.

P 2. 2. 19. 1. fi. c. Ma. 1. 1. ad 1 & q. 16. 2. initio c.

Q Ma. 1. 1. ad 18. & a. 4. ad 9

Z Viros autem iustos multiplici de causa specialiter flagellat Deus. Nam flagella R respectum habent ad culpam præteritam semper, sed non semper ad culpam personæ, sed ad culpam naturæ; si enim in natura humana nulla culpa præcessisset, nulla pœna fuisset; sed quia culpa in natura præcessit, personæ alicui diuinitus pœna infertur sine culpa personæ ad meritum virtutis, & ad cautelam peccati sequentis. Item quandoque in pœnam S paternorum peccatorum, in quantum filius est quædam res Patris: vnde frequenter parentes puniuntur in prole. Vel etiam propter remedium salutis eius, qui huiusmodi pœnalitatibus subditur, vt scilicet per hoc à peccatis arceatur, aut etiam de virtutibus non superbiat. Sanè nisi T affligerentur iusti in hoc Mundo, multi seruirent Deo, non propter ipsum, sed propter præsentem prosperitatem. Et hoc est, quod ait Dominus; Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plùs afferat, Io. cap. 15. Ad V literam enim in vite naturali contingit, quòd palmes multos surculos habens minùs fructificat propter humoris diffusionem ad omnes: & ideò cultores, vt magis fructificet, purgant eum à superfluis surculis. Ita & in homine. Nam homo benè dispositus & Deo coniunctus, si suum affectum ad diuersa inclinet, virtus eius minoratur, & magis inefficax fit ad benè operandum. Et inde est, quòd Deus, vt benè fructificet, frequenter præscindit huiusmodi impedimenta, & purgat, immittens tribulationes & tentationes, quibus fortior fiat ad operandum. Et ideò dicit, purgabit eum, etiamsi purus existat; quia nullus est adeò purus in hac vita, vt non sit magis, magisque purgandus, 1. Io. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Et hoc, vt fructum plùs afferat, idest crescat in virtute; & tantò sint fructuosiores, quantò sunt mundiores, Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et quidem, quòd amicos suos Deus affligat, satis demonstrat quod ad Dominum de Lazaro dictum est Io. 11. Domine, ecce quem amas, infirmatur. Ex quo deducitur, quòd non est X signum, quòd aliquis non sit amicus Dei, si aliquando corporaliter affligatur, sicut Eliphas contra Iob falsò arguit Iob 4. Quinimmò, vt dicitur Prou. 3. Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Et Apoc. 3. Ego quos amo, arguo, & castigo. Quos amo dulcedine Y prædestinationis, arguo verbis, & castigo flagellis. Augustinus de verb. Apost. Melius est vt flagellet te, & recipiat te, quàm vt parcat tibi, & deserat te. Et ita, non secùs, ac per ignem aurum, per flammas tribulationum purgantur à Deo iusti, atque probantur, Sap. 3. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Et Eccli. 27. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Vnde Dauid dicebat Ps. 16. Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti &c. Probasti cor meum, idest Z probatum ostendisti, quia non est turbatum propter tribulationes, quas patior. Deus cum examinat, tria facit. Probat, visitat, & examinat. Probat, cum diiudicat, an habeat cordis rectitudinem, quia si non habet, non curat examinare. Sed quando hanc habet, indiget examinari, vtrùm habeat firmitatem, Ier. 17. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Sed hæc examinatio est dura & fortis: & ideò præmittit visitationem corrigendo, vnde dicit: visitasti nocte, quia turbat animam,

Quorsum iustos flagellet Dominus.

R 4. d. 15. 1. 4. q. 2. ad 3 & d. 20. 1. 2 q. 3. & d. 46. 1. 2. q. 3. & 1. 2. 87. 7.

Pœna quandoque infertur sine culpa personæ, non sine culpa naturæ.

S 2. 2. 164. 1. ad 4. Io. 9. l. 1. lit. c.

Punitur filius & pro peccatis parentum.

T Ps. 49. lit. b.

V Io. 15. l. 1. lit. a.

Surculi in vite præciduntur, ut plus fructificet: Ita & in homine iusto facit Deus.

X Io. 11. l. 1. lit. b.

Corporaliter quempiam affligi, non est signum, quòd non sit amicus Dei: immò quòd sit.

Y Apoc. 3. com. 1. & 2. ibi.

Dauid.

Z Ps. 16. lit. A.

mam, Iob 30. *Nocte os meum perforatur doloribus*. Sequitur, *igne me examinasti*; idest tribulatione: quia tunc apparet, si est bonus amicus, & non recedit, *Eccli. 6.* Est amicus secundùm tempus suum: & non permanebit in die tribulationis. *Et iterum Ps. 25. petebat*: Proba me Domine, & tenta me: *scilicet* ad hoc A vt probatus appaream mihi & aliis. Hoc autem fit per ignem: & ideò subdit; *vre renes meos & cor meum*; idest, immitte tribulationes, per quas pateat quod sit in corde & renibus meis. Cordi attribuitur cogitatio, renibus delectatio. Et hoc apparet per tribulationes: quia qui delectantur in terrenis, multùm commouentur, quando perdunt ea; sed non illi, qui non delectantur: *Quales sunt viri iusti. Eiusmodi fuit Iob, qui & de seipso dicebat cap. 23.* Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. *Vbi notandum, quòd* sicut B aurum non fit verum, aurum ex igne, sed eius veritas hominibus manifestatur: ita Iob per aduersitatem probatus est, non vt eius virtus appareret coram Deo, sed vt hominibus manifestaretur. Dicit autem, *probabit*, de futuro: quasi exhibens se per patientiam, & ad futuram examinationem. *Et hoc est, de quo monebat Timotheum Apostolus 2. Tim. 2.* Solicitè cura te ipsum probabilem Deo exhibere: qui *videlicet* probat C cor, *Ps. 16. tit.* Probasti cor meum. *Idcircò, vt capurior sua pariter esset Ecclesia, super eam voluit in dies tribulationes, & aduersitates induci. Quod & mysticè innuitur Cant. 4.* Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius. *Quo loci* per Aquilonem D & Austrum, flatus persecutionum & perturbationum intelliguntur contra Ecclesiam sæuientium. Aquilo enim frigidissimus ventus est: Auster calidus. Et ideò per aquilonem terrores & minæ designantur: per austrum blandimentorum decipulæ figurantur. Quibus duobus modis probatur Ecclesia, terroribus videlicet, & blandimentis. Quod autem dicit, *Surge aquilo, & veni auster*, non imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda: sed permittit, & facultatem illis dat, vt possint sæuire contra Ecclesiam, quatenùs per illorum malitiam Ecclesia probetur, & illi grauiùs puniantur. *Perfla* inquit *hortum meum*, hoc est, Ecclesiam meam: & *fluent aromata illius*, hoc est, fragrantia virtutum, & odor bonorum operum ex illa procedent. Quò enim acerbiùs Ecclesia conteritur, eò maiorem virtutum odorem ex se emittit.

A Ps. 25. lit. a. fi.

Iob.

B Iob 23. l. 1. ibi, & c. 4. l. 1. ibi, docuisti.

C 2 Tim. 2. l. 2. ibi.

Ecclesia.

D Cant. 4. com. 1. & 2. fi. cap.

2 *Sed & vegetior & fortior ex aduersitatibus Ecclesia effecta est; quin & terribilis* vt castrorum acies ordinata, *contra hostes suos: sicut & fideles iusti, filii eius. Vnde nec perperam Apostolus 2. Cor. 12. post quàm sibi dictum est à Domino*: Virtus in infirmitate perficitur; *immediatè subiecit*: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. *In infirmitatibus meis*, idest E mihi ad vtilitatem meam datis. Et ratio, quòd *libenter gloriabor*, est *vt inhabitet in me virtus Christi*: vt scilicet per infirmitates inhabitet, & consummetur in me gratia Christi: *Propter quod* (prosequitur Apostolus) *placeo mihi in infirmitatibus meis &c. Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Quasi dicat: meritò complaceo mihi in illis, quia *cum infirmor, tunc potens sum*; idest quando ex his, quæ in me sunt, vel ex persecutione aliorum, incido in aliquod prædictorum, adhibetur mihi auxilium diuinum, per quod confirmor, Ioel. 3. *Infirmus dicat: quia fortis ego sum*. Et Exod. 1. legitur, quòd quantò plùs premebantur filii Israel, tantò plus multiplicabantur. *Sanè inter iustos rarus est (ne dicam, nullus), qui tribulationibus obnoxius non sit*. Quòd F iustis non superueniat afflictio, hoc raro contingit: quoniam Sancti in Mundo isto affliguntur, quia vt dicitur 2. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur*; idest G qui volunt obseruare cultum religionis Christianæ, ad Tit. 2. *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo*: tales inquam *persecutionem patientur*; idest, necesse est eos persecutionem pati, & si non ab extra, tamen ab intus, quando scilicet compatiuntur defectibus proximorum, quorum culpas & pœnalitates vident, Ps. 118. *Vidi praeuaricantes & tabescebam*. Item sunt aliæ persecutiones, quæ Sanctis omnibus deesse non possunt, scilicet carnis, Mundi & dæmonis, Ps. 33. Multæ tribulationes iustorum: *de quibus in superioribus dictum est. Neque nouum quid putetur, Sanctos in hac vita affligi, 1. Pet. 4.* Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat. *In feruore*, idest H tribulationis ardore; *qui ad tentationem vobis fit*; idest, ad probationem; & sic ad bonum vestrum: *quasi noui aliquid vobis contingat*, quod scilicet non contigerit aliis. Quasi dicat: Tentari & persecutiones pati, non est nouum, sed antiquum & frequens: nec factum solùm *vobis*, sed omnibus Sanctis. *Et licèt ex istiusmodi tribulationibus, in carne affligatur, & extrà: intùs tamen non turbatur iustus, sed maxima immò (per spiritualem quandam antiperistasim) spiritus gaudet, & cordis tranquillitate. Hinc Apostolus 2. Cor. 4.* In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. *Quasi diceret*: Licèt I sic tribulemur, non tamen *angustiamur*: Et loquitur ad similitudinem viatoris, qui quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur. Quasi dicat: Homines, qui solùm in Mundo confidunt, angustiantur, si vndique à Mundo tribulantur, quia non patet eis via remedii, cum non sperent, nisi de Mundo. Sed nos, licèt tribulemur in Mundo: quia tamen confidimus de Deo, patet nobis via euasionis & auxilii à Deo; & ideò *non angustiamur. Et cap. 7.* Nullam *inquit* requiem habuit caro nostra. *Vbi notandum, quòd* non L dicit, *Spiritus noster*, sed *caro nostra*: quia Sancti habent semper pacem Spiritus, cum etiam in aduersis anima, quæ in corpore patitur, spe futuri præmii quiescat, quanquàm multa sustineat affectui carnis contraria. *Idcircò ad Eph. 6. dicebat*: Vt autem & vos sciatis, quæ circa me sunt &c. *Quasi dicat*: Pro mysterio M euangelii, pro quo catenatus sum, volo quòd sciatis, quòd catena & omnes tribulationes, & omnia supplicia, quæ in credito mihi officio inferuntur, non me angunt, neque cor mutant, neque peruertunt interiùs, neque attingunt: sed certè sic ago de istis, quòd omnia *circa me sunt*, non intrà. *Et hoc est, quod aiebat Dominus ad discipulos suos Io. 16.* Hæc locutus sum vobis, vt pacem habeatis. *Siquidem* homines N mundani, qui Deo per amorem non sunt coniuncti, habent tribulationes absque pace. Sed Sancti, qui Deum per amorem habent in corde, etsi ex mundo habeant tribulationes, in Christo habent pacem. Vnde & subdit: *In Mundo pressuram habebitis*, idest à mundanis: *sed exteriùs in carne, non interiùs in corde. Hinc docemur, quòd* homines O ex contemplatione diuina & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent, Iac. 1. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Et quod est amplius, etiam inter corporis cruciatus huiusmodi gaudium inuenitur. Sic *Tiburtius* martyr cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, *dixit*: Videtur mihi, quòd super roseos flores incedam in nomine Iesu Christi. *Et virgo* Dorothea, *iussa à Præside in catasta leuari*: Numquam *ait* in tota vita mea sic lætata sum, sicut hodie. *Ea propter de iustis loquens regius Propheta, dicebat Ps. 36.* Non confundentur in tempore malo, *idest* tem-

E 2. Cor. 12. l. 3. ibi, et cap. 4. l. 5. ibi, renouatur *et Rom. 5. l. 1. ibi*, gloriamur

F Op. 7. Pet. 7. initio.

Rarus est iustus, qui non affligitur; nec nouum, iustos tribulari.

G 2. Tim. 3. l. 3. ibi.

H 1. Pet. 4. §. 3. ibi.

Ex tribulationibus turbatur & affligitur externis iustus: sed intùs cordis fruitur tranquillitate.

I 2. Cor. 4. l. 3. ibi.

L 2. Cor. 7. l. 2. ibi.

M Eph. 6. l. 5. § Phil. 1 l. 2. ibi, circa me *Hebr. 5. l. 1. ibi*, circumdatus.

N Io. 16. l. 8 lit. c. et d.

Iusti habent tribulationē cum pace, sine pace mundani.

O 12. 38. 4. c.

Immò iusti in tribulatione lætantur.

P Pf.36.lit.p.

tempore P aduerfitatis. Mali enim in tempore aduerfitatis confunduntur, non boni. Tunc nempè confunditur quis, quando perdit, in quo fperat: fed quando id manet, in quo fperat, non confunditur. In aduerfitate autem perduntur temporalia, in quibus boni non fperant, & ideò non confunduntur tempore aduerfitatis, 2. Cor. 4. *Humiliamur, fed non confundimur.*

Q 1.2.87.7.c. & 2.2.108.4.c. & 3.p.14.1. ad 3. & 3. con. G. c.141.

Pœna non habet quandoque rationem pœnæ aut mali fimpliciter, fed fecundum quid, & rationem medicinæ.

b *Ex quo deducitur*, quòd quandoq; Q aliquid videtur effe pęnale, quod tamen non habet fimpliciter rationem pœnæ. Pœna enim eft fpecies mali; malum autem eft priuatio boni. Cum autem fint plura hominis bona, fcilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum, quòd homo patitur detrimentum in minori bono, vt in maiori augeatur. Sicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter fanitatem corporis, vel in vtroque horum propter falutem animæ, & propter gloriam Dei. Et tunc tale detrimentum non eft fimpliciter malum hominis, fed fecundùm quid: vnde non habet fimpliciter rationem pœnæ, fed medicinæ. Nam & medici aufteras potiones propinant infirmis, vt conferant fanitatem. Et quia huiufmodi non propriè habent rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam, ficut ad caufam, nifi pro tanto: quia hoc ipfum, quòd oportet humanæ naturæ medicinas pœnales exhibere, eft ex corruptione naturæ, quæ eft pœna originalis peccati. In ftatu enim innocentiæ non oportuiffet aliquem ad profectum virtutis inducere per pœnalia exercitia. *Et hinc fequitur, quòd quia* detrimenta R corporalium rerum, vel etiam ipfius corporis, funt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad falutem animæ, nihil prohibet, talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à Deo, vel ab homine, vtpote filios pro parentibus, & fubditos pro dominis, in quantum funt quædam res eorum: ita tamen, quòd fi filius, vel fubditus, eft particeps culpæ, huiufmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ, quantùm ad vtrumque, fcilicet eum, qui punitur, & eum, pro quo punitur. Si verò non fit particeps culpę, habet rationem pœnæ quantùm ad eum, pro quo punitur: quantùm verò ad eum, qui punitur, rationem medicinę tantùm (non pęnæ, nifi per accidens, in quantùm peccato alterius confentit:) ordinatur enim ei ad bonum animæ, fi patienter fuftineat. Pœnæ verò fpirituales non funt medicinales tantùm, quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum. Vnde in bonis animæ nullus patitur detrimentum fine culpa propria. Et propter hoc etiam talibus pęnis (vt dicit *Hieronymus* in Epift. ad Auitum) vnus non punitur pro alio: quia quantùm ad animam, filius non eft res patris. Vnde & huius caufam Dominus affignans, dicit Ezech. 18. *Omnes animæ meæ funt.*

R 1.2.1.c.a.8.c. & 2.2.l.c. in 4.d.46.1.2.q.3 & 3.p.l.c.

In Corporalibus & temporalibus poteft unus pro peccato alterius puniri: non tamen in bonis animæ.

Vtplurimum & hic puniuntur mali temporaliter pro peccato mortali.

c *Verùm, tametfi iufti vel ad probationem, vel ex peccato naturæ, vel etiam ex veniali perfonæ* (Septies *enim* in die cadet iuftus, *Prou.* 24.) *aduerfitatibus fint obnoxii, & quotidianis tribulationibus: mali tamen potiffimè ex mortali culpa à Deo afflictionibus fubiiciuntur. Quamuis enim* via impiorum *frequentiùs* profperetur; *quia poftremum grauius fupplicium eis in alia vita referuat: punit nihilominùs fæpè fæpius impios & in vita præfenti, vel vt corrigantur, vel ad aliorum exemplum, dum per* pœnam S vnius, alius peccare defiftit, *Prou.* 19. Peftilente flagellato, ftultus fapientior erit. *Sanè ex Auguftino,* fi omne T peccatum nunc manifeftè Deus plecteret pœna, nihil vltimo iudicio referuari putaretur. Rurfus, fi nullum peccatum nunc puniret, nulla effe diuina prouidentia crederetur. In fignum ergo futuri iudicij, Deus etiam in hoc Mundo pro peccato quoddam temporaliter punit: quod maximè obferuatum videtur in principio legislationis tam nouæ, quàm veteris. Legimus enim *Ex.* 32. propter peccatum vituli aurei, multa millia hominum perempta: & *Act.* 5. propter peccatum mendacij & furti, Ananiam, & Saphiram interiiffe. *Igitur vtplurimùm aduerfitates & tribulationes propter mortalem propriam culpam malis obueniunt. Hinc in pœnam peccati legimus* Gen. 3. *laboris pœnalitatem homini à Deo inductam*: In fudore vultus tui vefceris pane. *Vniuerfale item diluuium à Deo Orbi immiffum: quia* repleta eft *inquit* terra iniquitate à facie eorùm, & ego difperdam eos cum terra, *Gen.* 6. *Sodomitas pariter propter nefarium fcelus igne confumptos*, Gen. 9. & *cap. præced. caufam Dominus adducit*: Peccatum eorum aggrauatum eft nimis. Defcendam &c. *In exemplum veritatis huius, fint Pharao, Nabuchodonofor, Balthafar, Sennacherib, totque Iudæorum reges, diuina gladio iuftitia ob eorum peccata puniti. Impius præterea Antiochus faffus eft* 1. *Mach.* 6. Nunc reminifcor malorum, quæ feci in Ierufalem. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala ifta. *Et Bar.* 6. Propter peccata, quæ feciftis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui. *David quoque* ad crimen V adulterij, addidit crimen homicidij: pro quibus peccatis grauiffimis iufto Dei iudicio paffus eft à filio perfecutionem. *Idcircò Ier.* 6. *dicebat Dominus*: Iniquitas & vaftitas audietur in ea coram me femper; & *ftatim fubiicitur*: infirmitas & plaga, *videlicet* quafi X pęna refpondens prædictis culpis. *Moxque fubdit Propheta*: Erudire Ierufalem &c. *Et cap.* 13. Diffeminabo eos, quafi ftipulam, quæ vento raptatur in deferto. Hæc fors tua, parfque menfuræ tuæ &c. *Sors tua*, tibi Y pro peccatis tuis debita. *Et Thren.* 1. Omnes perfecutores eius apprehenderunt eam inter anguftias. *Perfecutores*, fcilicet Z Chaldæi, *inter anguftias*, quas ab illis, ad quos fugerat, patiebatur. Huic verfui præponitur litera, *Ghimel*, quod interpretatur *plenitudo*: quia ex multitudine peccatorum paffi funt plenitudinem miferiæ. *Enimuerò* plerumque A ex peccatis fpiritualibus caufantur & ægritudines corporales. *Quod innuitur* Mat. 9. *Vbi Dominus ad oblatum paralyticum fanandum dixiffe legitur*: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Quem ad locum Author*: Quid B eft (*inquit*) quòd ifte petebat fanitatem corporis, & Dominus dat fanitatem animæ? Ratio eft: quia peccatum erat caufa ægritudinis. Vnde fecit Dominus, ficut bonus medicus, qui caufam curat. *Et alibi*: Quare C Dominus ifti paralytico, & alijs quibufdam ab eo curatis, mentionem facit de peccatis, & non alijs? Ideò fcilicet, vt oftendat per hoc aliquibus infirmitates ex peccatis prioribus prouenire, *fecundùm illud* 1. *Cor.* 11. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. *Quid ergo infipienter peccatores indolent, fe infirmitatibus, aliifque fubiici ærumnis, obmurmurantes?* *Thren.* 3. Quid murmurauit homo vid像, vir pro peccatis fuis? *idest*: quare D per impatientiam murmurat, *pro peccatis fuis*, id eft pro his, quæ pro peccatis fuis patitur? *Quafi caufam non dederit peccando fufficientem.*

S 1. Cor. 11. fi.

T Ibid. paulo ante.

Cur non omnes peccatores hic puniat Deus.

Propter peccata veniunt aduerfa.

V Pf.6.lit.e.fi.

X Ier.6.lit.c. ibi.

Y Ier. 13. § 2. ibi.

Z Thren. 1. lit. c. fi.

A Mat. 8. lit. c. ibi, infirmitates.

Infirmitas corporalis nõ rarò ex fpirituali.

B Mat.9.lit.a. ibi.

C Io. 5. l. 2. lit. e.

D Thren.3. lit. n. ibi.

d *Licèt autem in pœnam propria culpa, ingloriùm fit, & indecorum pati; non ita propter iuftitiam, & propter Deum, fed immò fummè gloriofum,* 2. *Tim.* 1. Per Euangelium, in quo pofitus fum ego prædicator & Apoftolus, & Magifter gentium: ob quam caufam

Pati propter iuftitiam, & propter Deum, gloria eft: non ita propter crimina propria inurte.

mam, Iob 30. *Nocte os meum perforatur doloribus.* Sequitur, *igne me examinasti*; idest tribulatione: quia tunc apparet, si est bonus amicus, & non recedit, *Eccli. 6.* Est amicus secundùm tempus suum: & non permanebit in die tribulationis. *Et iterum Ps. 25. petebat*: Proba me Domine, & tenta me: *scilicet* ad hoc A vt probatus appaream mihi & aliis. Hoc autem fit per ignem: & ideò subdit; *vre renes meos & cor meum*; idest, immitte tribulationes, per quas pateat quod sit in corde & renibus meis. Cordi attribuitur cogitatio, renibus delectatio. Et hoc apparet per tribulationes: quia qui delectantur in terrenis, multùm commouentur, quando perdunt ea; sed non illi, qui non delectantur: *Quales sunt viri iusti. Eiusmodi fuit Iob, qui & de seipso dicebat cap. 23.* Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. *Vbi notandum, quòd* sicut B aurum non fit verum, aurum ex igne, sed eius veritas hominibus manifestatur: ita Iob per aduersitatem probatus est, non vt eius virtus appareret coram Deo, sed vt hominibus manifestaretur. Dicit autem, *probabit*, de futuro: quasi exhibens se per patientiam, & ad futuram examinationem. *Et hoc est, de quo monebat Timotheum Apostolus 2. Tim. 2.* Solicitè cura te ipsum probabilem Deo exhibere: qui *videlicet* probat C cor, *Ps. 16. tit.* Probasti cor meum. *Idcircò, vt expurior sua pariter esset Ecclesia, super eam voluit in dies tribulationes, & aduersitates induci. Quod & mysticè innuitur Cant. 4.* Surge Aquilo, & veni Auster: perfla hortum meum, & fluent aromata illius. *Qua loci* per Aquilonem D & Austrum, flatus persecutionum & perturbationum intelliguntur contra Ecclesiam sæuientium. Aquilo enim frigidissimus ventus est: Auster calidus. Et ideò per aquilonem terrores & minæ designantur: per austrum blandimentorum decipulæ figurantur. Quibus duobus modis probatur Ecclesia, terroribus videlicet, & blandimentis. Quod autem dicit, *Surge aquilo, & veni auster*, non imperat malis, nec cogit eos ad mala facienda: sed permittit, & facultatem illis dat, vt possint sæuire contra Ecclesiam, quatenùs per illorum malitiam Ecclesia probetur, & illi grauiùs puniantur. *Perfla* inquit *hortum meum*, hoc est, Ecclesiam meam: *& fluent aromata illius*, hoc est, fragrantia virtutum, & odor bonorum operum ex illa procedent. Quò enim acerbiùs Ecclesia conteritur, eò maiorem virtutum odorem ex se emittit.

A Ps. 25. lit. a. & b.

Iob.

B Iob 23. l. 1. ibi, & c. 4. l. 1. ibi, docuisti.

C 2. Tim. 2. l. 2. ibi.

Ecclesia.

D Cant. 4. com. 1. & 2. fi. cap.

3 *Sed & vegetior & fortior ex aduersitatibus Ecclesia effecta est; quia & terribilis* vt castrorum acies ordinata, *contra hostes suos: sicut & fideles iusti, filii eius. Vnde nec perperam Apostolus* 2. Cor. 12. *post quàm sibi dictum est à Domino*: Virtus in infirmitate perficitur; *immediatè subiecit*: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. *In infirmitatibus meis*, idest E mihi ad vtilitatem meam datis. Et ratio, quòd *libenter gloriabor*, est *vt inhabitet in me virtus Christi*: vt scilicet per infirmitates inhabitet, & consummetur in me gratia Christi: *Propter quod* (prosequitur Apostolus) *placeo mihi in infirmitatibus meis &c. Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Quasi dicat: meritò complaceo mihi in illis, quia *cum infirmor, tunc potens sum*; idest quando ex his, quæ in me sunt, vel ex persecutione aliorum, incido in aliquod prædictorum, adhibetur mihi auxilium diuinum, per quod confirmor, Ioel. 3. *Infirmus dicat: quia fortis ego sum.* Et Exod. 1. legitur, quòd quantò plùs premebantur filii Israel, tantò plus multiplicabantur. *Sanè inter iustos rarus est (ne dicam, nullus), qui tribulationibus obnoxius non sit*. Quòd F iustis non superueniat afflictio, hoc raro contingit: quoniam Sancti in Mundo isto affliguntur; quia vt dicitur 2. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur*; idest G qui volunt obseruare cultum religionis Christianæ, ad Tit. 2. *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*: tales inquam *persecutionem patientur*; idest, necesse est eos persecutionem pati, & si non ab extra, tamen ab intus, quando scilicet compatiuntur defectibus proximorum, quorum culpas & pœnalitates vident, Ps. 118. *Vidi præuaricantes & tabescebam.* Item sunt aliæ persecutiones, quæ Sanctis omnibus deesse non possunt, scilicet carnis, Mundi & dæmonis, Ps. 33. Multæ tribulationes iustorum: *de quibus in superioribus dictum est. Neque nouum quid putetur, Sanctos in hac vita affligi, 1. Pet. 4.* Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat. *In feruore*, idest H tribulationis ardore; *qui ad tentationem vobis fit*; idest, ad probationem; & sic ad bonum vestrum: *quasi noui aliquid vobis contingat*, quod scilicet non contigerit aliis. Quasi dicat: Tentari & persecutiones pati, non est nouum, sed antiquum & frequens: nec factum solùm *vobis*, sed omnibus Sanctis. *Et licèt ex inflictis tribulationibus, in carne affligatur, & extrà: intùs tamen non turbatur iustus, sed maximè immò (per spiritualem quandam antiperistasim) spiritus gaudet, & cordis tranquillitate. Hinc Apostolus 2. Cor. 4.* In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. *Quasi diceret*: Licèt I sic tribulemur, non tamen *angustiamur*: Et loquitur ad similitudinem viatoris, qui quando non patet ei via, qua exeat de aliquo arcto loco, angustiatur. Quasi dicat: Homines, qui solùm in Mundo confidunt, angustiantur, si vndique à Mundo tribulantur, quia non patet eis via remedii, cum non sperent, nisi de Mundo. Sed nos, licèt tribulemur in Mundo: quia tamen confidimus de Deo, patet nobis via euasionis & auxilii à Deo; & ideò *non angustiamur. Et cap. 7.* Nullam *inquit* requiem habuit caro nostra. *Vbi notandum, quòd* non L dicit, *Spiritus noster*, sed *caro nostra*: quia Sancti habent semper pacem Spiritus, cum etiam in aduersis anima, quæ in corpore patitur, spe futuri præmii quiescat, quanquàm multa sustineat affectui carnis contraria. *Idcircò ad Eph. 6. dicebat*: Vt autem & vos sciatis, quæ circa me sunt &c. *Quasi dicat*: Pro mysterio M euangelii, pro quo catenatus sum, volo quòd sciatis, quòd catenæ & omnes tribulationes, & omnia supplicia, quæ in credito mihi officio inferuntur, non me angunt, neque cor mutant, neque peruertunt interiùs, neque attingunt: sed certè sic ago de istis, quòd omnia *circa me sunt*, non intrà. *Et hoc est, quod aiebat Dominus ad discipulos suos Io. 16.* Hæc locutus sum vobis, vt pacem habeatis. *Siquidem* homines N mundani, qui Deo per amorem non sunt coniuncti, habent tribulationes absque pace. Sed Sancti, qui Deum per amorem habent in corde, etsi ex mundo habeant tribulationes, in Christo habent pacem. Vnde & subdit: *In Mundo pressuram habebitis*, idest à mundanis: *sed exteriùs in carne, non interiùs in corde. Hinc decernitur, quòd* homines O ex contemplatione diuina & futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent, Iac. 1. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Et quod est amplius, etiam inter corporis cruciatus huiusmodi gaudium inuenitur. Sic *Tiburtius* martyr cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, *dixit*: Videtur mihi, quòd super roseos flores incedam in nomine Iesu Christi. *Et virgo* Dorothea, *iussa à Præside in catasta leuari*: Numquam *ait* in tota vita mea sic lætata sum, sicut hodie. *Ea propter de iustis loquens regius Propheta, dicebat Ps. 36.* Non confundentur in tempore malo, *idest* tem-

E 2. Cor. 12. l. 3. ibi, et cap. 4. l. 5. ibi, renouatur et Rom. 5. l. 1. ibi, gloriamur

F Op. 7. Pet. 7. initio.

Rarus est iustus, qui non affligitur; nec nouum, iustos tribulari.

G 2. Tim. 3. l. 3. ibi.

H 1. Pet. 4. §. 3. ibi.

Ex tribulationibus turbatur & affligitur exteriùs iustus: sed intùs cordis fruitur tranquillitate.

I 2. Cor. 4. l. 3. ibi.

L 2. Cor. 7. l. 2. ibi.

M Eph. 6. l. 5. & Phil. 1. l. 2. ibi, circa me Hebr. 5. l. 1. ibi, circumdatus.

N Io. 16. l. 8 lit. c. et d.

Iusti habent tribulatione cum pace, sine pace mundani.

O 12. 38. 4. c.

Immò iusti in tribulatione lętantur.

P *Pf.36.lit.p.*

tempore P aduerſitatis. Mali enim in tempore aduerſitatis confunduntur, non boni. Tunc nempè confunditur quis, quando perdit, in quo ſperat: ſed quando id manet, in quo ſperat, non confunditur. In aduerſitate autem perduntur temporalia, in quibus boni non ſperant, & ideò non confunduntur tempore aduerſitatis, 2. Cor. 4. *Humiliamur, ſed non confundimur.*

Q *1.2.87.7.c. & 2.2.108.4.c. & 3.p.14.1. ad 3. & 3. con. G. c.141.*

Pœna non habet quandoque rationem pœnæ aut mali ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & rationem medicinæ.

b *Ex quo deducitur*, quòd quandoq; Q aliquid videtur eſſe pęnale, quod tamen non habet ſimpliciter rationem pœnæ. Pœna enim eſt ſpecies mali; malum autem eſt priuatio boni. Cum autem ſint plura hominis bona, ſcilicet animæ, corporis, & exteriorum rerum, contingit interdum, quòd homo patitur detrimentum in minori bono, vt in maiori augeatur. Sicut cum patitur detrimentum pecuniæ propter ſanitatem corporis, vel in vtroque horum propter ſalutem animæ, & propter gloriam Dei. Et tunc tale detrimentum non eſt ſimpliciter malum hominis, ſed ſecundùm quid: vnde non habet ſimpliciter rationem pœnæ, ſed medicinæ. Nam & medici auſteras potiones propinant infirmis, vt conferant ſanitatem. Et quia huiuſmodi non propriè habent rationem pœnæ, non reducuntur ad culpam, ſicut ad cauſam, niſi pro tanto: quia hoc ipſum, quòd oportet humanæ naturæ medicinas pœnales exhibere, eſt ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati. In ſtatu enim innocentiæ non oportuiſſet aliquem ad profectum virtutis inducere per pœnalia exercitia, *Et hinc ſequitur, quòd quia* detrimenta R corporalium rerum, vel etiam ipſius corporis, ſunt quædam pœnales medicinæ ordinatæ ad ſalutem animæ, nihil prohibet, talibus pœnis aliquem puniri pro peccato alterius, vel à Deo, vel ab homine, vtpote filios pro parentibus, & ſubditos pro dominis, in quantùm ſunt quædam res eorum: ita tamen, quòd ſi filius, vel ſubditus, eſt particeps culpæ, huiuſmodi pœnalis defectus habet rationem pœnæ, quantùm ad vtrumque, ſcilicet eum, qui punitur, & eum, pro quo punitur. Si verò non ſit particeps culpę, habet rationem pœnæ quantùm ad eum, pro quo punitur: quantùm verò ad eum, qui punitur, rationem medicinę tantùm (non pęnæ, niſi per accidens, in quantùm peccato alterius conſentit:) ordinatur enim ei ad bonum animæ, ſi patienter ſuſtineat. Pœnæ verò ſpirituales non ſunt medicinales tantùm, quia bonum animæ non ordinatur ad aliud melius bonum. Vnde in bonis animæ nullus patitur detrimentum ſine culpa propria. Et propter hoc etiam talibus pęnis (vt dicit *Hieronymus* in Epiſt. ad Auitum) vnus non punitur pro alio: quia quantùm ad animam, filius non eſt res patris. Vnde & huius cauſam Dominus aſſignans, dicit Ezech. 18. *Omnes animæ meæ ſunt.*

R *1.2.l.c.a.8.c. & 2.2.l.c. in 4.d.46.1.2.q.3 & 3.p.l.c.*

In Corporalibus & temporalibus poteſt unus pro peccato alterius puniri: non tamen in bonis animæ.

Vtplurimum & hic puniuntur mali temporaliter pro peccato mortali.

c *Verùm, tametſi iuſti vel ad probationem, vel ex peccato naturæ, vel etiam ex veniali perſonæ* (Septies *enim* in die cadet iuſtus, *Prou.* 24.) *aduerſitatibus ſint obnexii, & quotidianis tribulationibus: mali tamen potiſſimè ex mortali culpa à Deo afflictionibus ſubiiciuntur. Quamuis enim* via impiorum *frequentiùs* proſperetur; *quia poſtremum grauius ſupplicium eis in alia vita reſeruat: punit nihilominùs ſæpè ſæpius impios & in vita præſenti, vel vt corrigantur, vel ad aliorum exemplum, dum* per pœnam S vnius, alius peccare deſiſtit, *Prou.* 19. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. *Sanè ex Auguſtino*, ſi omne T peccatum nunc manifeſtè Deus plecteret pœna, nihil vltimo iudicio reſeruari putaretur. Rurſus, ſi nullum peccatum nunc puniret, nulla eſſe diuina prouidentia crederetur. In ſignum ergo futuri iudicij, Deus etiam in hoc Mundo pro peccato quoidam temporaliter punit: quod maximè obſeruatum videtur in principio legislationis tam nouæ, quàm veteris. Legimus enim *Ex.* 32. propter peccatum vituli aurei, multa millia hominum perempta: *& Act.* 5. propter peccatum mendacij & furti, Ananiam, & Saphiram interiiſſe. *Igitur vtplurimùm aduerſitates & tribulationes propter mortalem propriam culpam malis obueniunt. Hinc in pœnam peccati legimus* Gen. 3. *laboris pœnalitatem homini à Deo inductam*: In ſudore vultus tui veſceris pane. *Vniuerſale item diluuium à Deo Orbi immiſſum: quia* repleta eſt *inquit* terra iniquitate à facie eorùm, & ego diſperdam eos cum terra, *Gen.* 6. *Sodomitas pariter propter nefarium ſcelus igne conſumptos*, Gen. 9. *& cap. præced. cauſam Dominus adducit*: Peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam &c. *In exemplum veritatis huius, ſint Pharao, Nabuchodonoſor, Balthaſar, Sennacherib, totque Iudæorum reges, diuina gladio iuſtitiæ ob eorum peccata puniti. Impius præterea Antiochus faſſus eſt* 1. *Mach.* 6. Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta. *Et Bar.* 6. Propter peccata, quæ feciſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui. *David quoque* ad crimen V adulterij, addidit crimen homicidij: pro quibus peccatis grauiſſimis iuſto Dei iudicio paſſus eſt à filio perſecutionem. *Idcircò Ier.* 6. *dicebat Dominus*: Iniquitas & vaſtitas audietur in ea coram me ſemper; *& ſtatim ſubiicitur*: infirmitas & plaga, *videlicet* quaſi X pęna reſpondens prædictis culpis. *Moxque ſubdit Propheta*: Erudire Ieruſalem &c. *Et cap.* 13. Diſſeminabo eos, quaſi ſtipulam, quæ vento raptatur in deſerto. Hæc ſors tua, parſque menſuræ tuæ &c. *Sors tua*, tibi Y pro peccatis tuis debita. *Et Thren.* 1. Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias. *Perſecutores*, ſcilicet Z Chaldæi, *inter anguſtias*, quas ab illis, ad quos fugerat, patiebatur. Huic verſui præponitur litera, *Ghimel*, quod interpretatur *plenitudo*: quia ex multitudine peccatorum paſſi ſunt plenitudinem miſeriæ. *Enimuerò* plerumque A ex peccatis ſpiritualibus cauſantur & ægritudines corporales. *Quod innuitur* Mat. 9. *Vbi Dominus ad oblatum paralyticum ſanandum dixiſſe legitur*: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Quem ad locum Author*: Quid B eſt (*inquit*) quòd iſte petebat ſanitatem corporis, & Dominus dat ſanitatem animæ? Ratio eſt: quia peccatum erat cauſa ægritudinis. Vnde fecit Dominus, ſicut bonus medicus, qui cauſam curat. *Et alibi*: Quare C Dominus iſti paralytico, & alijs quibuſdam ab eo curatis, mentionem facit de peccatis, & non alijs? Ideò ſcilicet, vt oſtendat per hoc aliquibus infirmitates ex peccatis prioribus prouenire, *ſecundùm illud* 1. *Cor.* 11. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. *Quid ergo inſipienter peccatores indolent, ſe infirmitatibus, aliiſque ſubiici ærumnis, obmurmurantes? Thren.* 3. Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis ſuis? *id eſt*: quare D per impatientiam murmurat, *pro peccatis ſuis*, id eſt pro his, quæ pro peccatis ſuis patitur? *Quaſi cauſam non dederit peccando ſufficientem.*

S *1. Cor. 11. fi.*

T *Ibid. paulo ante.*

Cur non omnes peccatores hic puniat Deus.

Propter peccata veniunt aduerſa.

V *Pſ.6.lit.e.fi.*

X *Ier.6.lit.c. ibi.*

Y *Ier. 13. § 2. ibi.*

Z *Thren.1. lit.c.fi.*

A *Mat. 8. lit. c. ibi, infirmitates.*

Infirmitas corporalis nõ rarò ex ſpirituali.

B *Mat.9.lit.a. ibi.*

C *Io. 5. l. 2. lit. e.*

D *Thren.3. lit.n. ibi.*

d *Licèt autem in pœnam propria culpa, ingloriũ ſit, & indecorum pati; non ita propter iuſtitiam, & propter Deum, ſed immò ſummè glorioſum*, 2. *Tim.* 1. Per Euangelium, in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus, & Magiſter gentium: ob quam cauſam

Pati propter iuſtitiam, & propter Deum, gloria eſt: non ita propter crimina propria inurte.

E 2.Tim.1.l.4. ibi.

etiam hæc patior, sed non confundor. *Ob quam causam*: quia E pati simpliciter non est laudabile, sed propter iustam causam, Mat. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, & ideò *non confundor*: quia non est ad confusionem ei, qui patitur propter iustitiam. *Vnde & ad Philemonem scribens, gloriabatur Apostolus de vinculis suis, & assumebat ea in gloria titulum*: Paulus vinctus Iesu Christi, & Timotheus Frater, Philemoni dilecto &c. *nimirùm* quia F laudabile valde est, vinctum esse propter Christum (tunc autem vinctus erat Romæ.) 1.*Pet.* 4. Nemo vestrum patiatur, quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat &c. *Nemo vestrum patiatur, quasi homicida &c* scilicet G pro crimine suo (quod intelligendum est, si inuitus omninò quis patiatur, aut maneat in voluntate peccati, seu peccandi.) *Si autem vt Christianus*, idest, vt Christi imitator, & discipulus, sine culpa patitur, *non erubescat*: quia pati pro Christo, potius est gloria, quam erubescentia. *Sed & gloria adiicitur dulcedo spiritus, & cordis gaudium*, *Mat.* 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Quasi dicat*: *Odium hominum graue quidem est & acerbum*: sed hoc H dulce vobis debet esse pro nomine meo, *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. *Et hoc est, de quo monebat Dominus discipulos suos Io.* 15. Non est seruus maior Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Ergo* non debet I esse vobis indignum, si patiamini ea, quæ passus est Dominus vester; immò deberis vobis hoc reputare ad magnam gloriã. Nam *hæc omnia facient vobis propter nomen meum*. Quòd scilicet L odiunt, & persequuntur vos, *facient vobis propter nomen meum*, & ideò debet vobis esse gloriosum. Non autem *propter nomen meum*, quasi ipsum ament, sed quia ipsum odiũ habent, Sicut e contrario vos patiemini *propter nomen meum*, quia ipsum amatis. *Profectò & in mundanis gloriosa reputatur & passio & mors, quæ pro salute & gloria Regis & Patriæ à cive quopiam generosè subitur: non ita, si patitur prò læsa mat statis reatu. Eo hoc quidem libentissimè toleratur à iustis: quia ad æternam gloriam perueniendi necessarium medium, aptissima via est*, 1.*Pet*, 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. *Nec mirùm; nam &* Christum pati oportuit, & ita intrare in gloriam suam, *Luc.* 24. *Ad quod cohærenter dicebat Apostolus Rom.* 8. Si autem filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. *At subdit*: Si tamen compatimur, vt & glorificemur. *Pro quo considerandum est* M quòd Christus, qui est principalis heres, ad hereditatem gloriæ peruenit per passiones. Non autem nos faciliori modo debemus hereditatem adipisci: & ideò nos etiam oportet per passiones ad illam peruenire, Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Vnde dicit: *Si tamen compatimur*; idest, simul cum Christo patienter sustinemus tribulationes huius Mundi, *vt & cum Christo glorificemur*, 2. ad Tim. 2. *Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus*. Ad quam (hereditatem) N ipse perducit eos, qui vestigia sine passionis sequuntur. *Quod suadet Apostolus Petrus in sua* 1. c. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Exemplum* scilicet O tribulationum (*ex glossa*) contumeliarum, flagellorum & mortis crucis: *vt sequamini vestigia eius*, Iob 33. *Vestigia eius secutus est pes meus*; vestigia scilicet humanitatis *Bernardus*. Omnes viæ Christi secundum

F Ad Philem. l.1. ibi.

G 1.Pet.4.§.3. ibi.

H Mat.10.lit.b

I Io.15.l.4.lit.d

L Ibid. lit.f.

Tribulatio, medium necessarium ad vitam æternã consequendam.

Sicut Christus ad gloriam per passiones peruenit: ita et nos oportet per eas peruenire.

M Rom. 8.l.3. fi.

N 3.p.45.1.c. & 56.1.ad.1.

O 1.Pet.2.§.7. ibi.

carnem sunt spontanea paupertas, cumulata vilitas, tam assumpta, quàm illata pœnalitas: *His ad gloriam cum Christo peruenitur. Et hoc signatum est in diluuio, post quod* requieuit P arca in montium vertice, ad quem fuit per aquarum diluuium subleuata: quia Christus, & eius Mater per tribulationum diluuium ad Cœlestis regni solium ascenderunt. *Vel per arcam, militantem Ecclesiam intellige, quæ per aquas tribulationum ad triumphantem eleuatur. Hinc Apostolus Rom.* 5. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus. *Quasi diceret*: Non solùm Q gloriamur *in spe gloria, sed etiam in tribulationibus*, per quas ad gloriam peruenimus *in re*. Vnde & subdit: *Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*: quia scilicet per hoc, quòd aliquis iam probatus est, potest de eo spes haberi, & ab ipso, & ab aliis, quòd ad hereditatem Dei admittatur.

P Gen.8. post med.

Q Rom.5.l.1. ibi. Op.7. Pet.7

c *Et sanè pati, quadam veluti necessitate medii ostenditur necessarium, cum dicitur Act.* 14. *cit.* Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Cui concordat illud* 1. *Pet.* 1. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus &c. *videlicet* quia R nonnisi per tristitiam *ex glossa* potest ad gaudia perueniri. *Si oportet*, inquit, quoad ipsarum ineuitabilitatem; vnde & tribulationes dicuntur necessitates, Ps. 24. *De necessitatibus meis erue me*. Sequitur *in variis tentationibus*, scilicet tam interioribus, quàm exterioribus, quoad ipsarum multiplicationem: *quia nimirùm* multæ tribulationes iustorum, *Ps.* 33. *His namque idoneus fit quis & dignus regno Cœlorum*, 2. *Thess.* 1. Ita vt gloriemur in omnibus tribulationibus, quas sustinetis, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini: *Siquidem* tribulatio S quæ fertur pro Deo, facit dignum regno Dei. *Idcircò & quandam habere videntur connexionem tribulatio temporalis & gloria æterna, Apoc.* 1. Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione & regno: *nimirùm* quia T per tribulationes peruenitur ad regnum, 2. *Cor.* 1. Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. *Vnde & Psaltes Ps.* 125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua &c. *Etenim* flent V Sancti tempore meriti, seminando: sed gaudebunt tempore præmii, colligendo. *Tribulatio quippe semen quodammodò est gloriæ sempiternæ: qui autem non seminat, neque metet. Hinc Apostolus* 2. Cor. 12. *post enumeratas ærumnas, quas passus erat, statim ad reuelationes Dei transitum facit: quia per eas ad diuinã reuelationem essentiæ facie ad faciem in beata Patria habendam, secure transimus: cuius & solo amore libenter eas sustinemus. Et ita* illæ X non sunt graues, quia condiuntur condimento amoris. Quando enim aliquis amat aliquem, non grauat eum quicquid patitur pro illo; vnde omnia grauia & importabilia, leuia facit amor. *Et Augustinus in lib. de verb. Domini*. Omnia sæua Y & immania *inquit* facilia, & propè nulla efficit amor. *Et super hoc quidem, qui prompto animo temporalia flagella propter Deum sustinent, Dei dextera extenditur; sinistra verò super eos, qui absque vlla aduersitate temporalibus bonis perfruuntur. Id quod signatum est in forma benedictionis Ephraim & Manasse filiis Ioseph, decussatis brachiis à Iacob inducta, ita quòd dexteram* suam

Tribulationũ necessitas.

R 1.Pet.1.§.3. ibi. Ps.24. l. in ibi, necessitatibus.

Quæ et dignũ faciunt regno Dei.

S 2. Thess.1.l. 1 fi.

Connectuntur simul tribulatio et regnum.

T Apoc.1.Com. 2.§.3 ibi, & com.1. ibid.

V Io.16.l.5.l. d fi.

Tribulationes Dei amore condiuntur.

X Mat. 11.fi. cap. et 1.2.107 4. ad 2.

Y 1.2. loco cit.

Dextera Dei super tribulatos; sinistra super temporaliter felices.

suam posuit super Ephraim minorem natu; sinistram autem super Manassen natu maiorem, de quo pronunciauit Gen. 48. Ille quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit illo, & semen illius crescet in gentes. *In quo signatur (vt aiebat initio Author)* quòd Dei Z dextera dirigitur ad illum, qui exteriùs est in eius sinistra, & in aduersitatum sufferentia pro ipso susceptæ: eius autem sinistra ad eos, qui secundùm exterius sunt in dextera; idest in prosperitate temporalis primatus. *Hinc ad illud Ps.* 20. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis &c., *docemur, quòd* dextera A Dei est, quæ exaltat bonos in spiritualibus bonis, Prou. 3. *Longitudo dierum in dextera eius*: sinistra est, quæ punit malos, & largitur temporalia: *& in sinistra illius diuitia.* DISCE *temporalia libens ferre flagella, vt æterna consequaris solatia.*

Z Gen. 48. *circa fi.*

A Ps. 20. *lit. f.*

VI. Qui iustus patitur, Christum imitatur: qui autem flagellis corrigitur, latronem dextrum imitatur, qui cum Christo in Paradisum intrauit. Qui verò nec flagellis corrigitur, sinistrum latronem imitatur, qui post crucem in tartarum ruit. 1. *Pet.* 3. *§.* 6.

B Op. 6. §. 3.

Pœna, quia à Deo, patienter toleranda

f VIdimus Numero præced. *pœnam omnem à Deo esse*: & ideò B si omnis pœna, quam homo suffert, est à Deo, debet patienter sustinere: Nam pœnæ purgant peccata, humiliant reos, pro vocant bonos ad amorem Dei, *Iob.* 2. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? *Quin & diuinæ signum misericordiæ est, quòd pœna temporali nos punit. Hinc quòd dicitur Hebr.* 3. Propter quod infensus fui generationi huic, *legitur in Ps.* 94. Quadraginta annis, proximus fui generationi illi: *quod exponitur*. Dicitur *proximus* quantùm C ad diuinam misericordiam: quia hoc ipsum, quòd punit temporaliter, magnum misericordiæ signum est. Augustinus. *Hic vre, hic seca, hic non parcas, vt in æternum parcas.* Ex diuina *inquam* misericordia D est, ex qua electos, quos scit finaliter perseueraturos, reseruat ad vitam; & ideò ne deuient à semita, restringit eos sub loris disciplinæ aduersorum. *Sed & diuini indicium amoris est, Apoc.* 3. Ego, quos amo, arguo & castigo. *Quasi dicat*: Non E desperes, quia prædicta redargutio, non ex odio, sed ex amore prouenit: & hoc est, *Quos amo, arguo*, scilicet verbis, & *castigo*, scilicet verberibus, Prou. 3. *Disciplinam Domini fili mi ne abiicias*, siue sit verborum, siue verberum, *nec deficias, cum ab eo corriperis*: quem enim diligit Dominus, corripit: *& ex amore quidem tenerrimo, sicut Patris ad filium; vnde & subditur*: Et quasi pater in filio complacet sibi. *Cui respondet illud Hebr.* 12. Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. *Quibus in verbis notat Author, quòd* sicut F dicit Philosophus: Verbum castigationis communiter accipitur in pueris & in concupiscentia. Dicimus enim castum, cuius concupiscentia castigata est: similiter puer dicitur castigatus, qui est bene disciplinatus. Quod enim de se habet pronitatem ad malum, indiget refrænante. Talis autem est concupiscentia, & pueri, qui de se sequuntur impetus suos: ideò indigent castigante.

Tribulatio, diuinæ index misericordiæ.

C Hebr. 3. l. 2. *ibi argue.*

D Apoc. 3. com. 1. *ibi.*

Et amoris diuini.

E Apoc. 3. com. 2. §. 4. *& com.* 1. *ibi.*

F Hebr. 12. l. 2. *ibi.*

Castigatio de quibus dicatur.

Castus vnde nominetur.

Ille ergo, qui castigat, ideò hoc facit, ne tendant in malum. Et quia sensus nostri, & cogitatio nostra prona sunt ad malum, vt dicitur *Gen.* 8. ideò Dominus castigat nos, vt retrahat à malo, Ier. 31. *Castigasti me, & eruditus sum tanquam iuuenculus indomitus.* In hoc autem *castigat*, quia flagellat; non quidem ad condemnationem, sed ad salutem. Vnde dicit: *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Nec mirum, si *flagellat omnem Filium, quem recipit* per adoptionem, quia etiam *proprio Filio suo non pepercit*, ad Rom. 8. *Qui & ipse ad discipulos suos dicebat, Io.* 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos: *idest*, sicut G Pater diligens me, misit me in Mundum ad passionem tolerandã pro salute fidelium, Io. 4. *Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum, sed vt saluetur Mundus per ipsum*: Ita ego diligens vos, mitto vos ad tribulationes sustinendas pro nomine meo: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, Mat. 11. *Cum autem amor nonnisi amore compensetur, ex mutuo etiam in eum amore pati pro eo libenter & ipsi debemus.* Lex enim amoris H est associare amicum in aduersis: ergo de lege amoris est, vt veracissimi amici D. N. I. C. simus socii in sustinendis aduersis. *Eo vel maximè, quòd quicquid ille passionis sustulit, pro nostra salute sustinuit. Ex diuini autem amoris certitudine certam quoque de diuino spem auxilio concipere vel summè tribulatus debet.* Quantumcumque I homo in afflictione sit, semper debet sperare de Dei adiutorio, & in eo confidere. Nihil enim ita graue inuenitur, sicut esse in Inferno. Si ergo Christus, descendens ad Inferos, illos qui in Inferno erant, liberauit: multùm debet quilibet, si sit amicus Dei, confidere vt liberetur à quacumque angustia, *Sap.* 10. Hæc (*Sapientia*) venditum iustum non dereliquit, descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum. *Vnde Apoc.* 12. *dicitur*: Et adiuuit terra mulierem. *Terra*, idest L Christus in carne assumpta, *mulierem*, idest Ecclesiam militantem: quia tribulationes ipsius primò portauit, & exemplum & virtutem sustinendi donauit, *Is.* 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Et hoc est quod dicitur Ps.* 33. Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: *Et Philip.* 3. Dominus propè est, *scilicet* tribulationem M patienti, vt subueniat. *Idcircò dicit Ps.* 90. Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & (*quod plus est, magisque faciendum*) *nedum in præsenti, sed etiam in futura vita*, glorificabo eum, *vt de Sancto Iob satis liquet. Ita feliciter contigit tribus pueris in Babylonis fornace, quibuscum in flammis ambulantem, se vidisse testatur Rex filium Dei, Dan.* 3. Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis Filio Dei. *Nam propter se tribulatis Deus in tribulatione socius & auxiliator adest. Ex quo Paulus, nomine insignium omnium dicebat* 2. *Cor.* 4. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur, *scilicet* à Deo N quin præbeat auxilium, *Hebr.* 13., *& Ios.* 1. Non te deseram, neque derelinquam: *vnde & de discipulis Christi legimus Ioan.* 6. *quòd* cum remigassent quasi stadia 25. aut 30. vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri. *Nimirùm* vt O daretur intelligi, quòd Dominus patitur, nos ad tempus tribulari, vt virtus nostra probetur: finaliter tamen in necessitate non deserit, sed nobis proximus fit. Videmus ergo Christum proximum naui, quia diuinum auxilium approximat. *Quòd si ad magis probandum, auxilium quandoque differat: dat nihilominus tolerantiam ad susti-*

G Io. 20. l. 4. *lit. d.*

Amore Christi pro nobis passi, & nos pro ipso patientes compensare debemus.

H Prol. in Apoc. com. 1.

I Op. 6. §. 7.

Spem de diuino auxilio concipere debet, quantalibet quis tribulatione grauetur.

L Apoc. 12. Com. 2. §. 5.

M Serm. 2. ex Ep. Dom. quarta Aduentus.

Deus in tribulatione nõ derelinquit.

N 2. Cor. 4. l. 3. *ibi.*

O Io. 6. l. 2. *lit. f.*

sustinendum & robur; *nam vt ait Augustinus*; Vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia. *Vnde dicebat Psaltes Ps.* 4. In tribulatione dilatasti mihi: *idest*, latitudinem P animi ad patienter sustinendum tribuisti, vel cordis latitudinem, *ad hilariter scilicet sufferendum*, Philip. 1. *Vt in nullo terreamini ab aduersariis &c.* Et hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, vt pro illo patiamini. *Quasi dicat*: A' Deo Q pro munere donatum est vobis, quòd sustineatis tribulationes patienter. *Et ideò dicitur Ps.* 33. Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur. *Vbi* per ossa R signatur fortitudo, & virtus: & sic *custodit Dominus ossa*, idest virtutes, quæ magis perficiuntur in infirmitate. *Vnum ex his non conteretur*: quia in tribulationibus, nulla virtus hominis deficit, quem Deus custodit, *constantiam præbendo, atque tolerantiam*,

P Ps. 4. lit. a.
A' quo patiētia in tolerando est.
Q Philip. 1. l. 4. ibi.
R Ps. 33. lit. t.

g *Porrò* ad hoc S quòd aliquis tribulationes patienter sustineat, quatuor multùm possunt valere. Primum est, si tribulationes, quas Dominus eius sustinuit, attendat, Io. 15. *Mementote sermonis mei: Non est seruus maior Domino suo*. Dominus autem, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem*, Hebr. 12. *Secundum* est, quòd attendat, à Deo tribulationes dari amicissimis eius & filijs. Potiùs debemus velle, quòd Deus faciat nobis vt amicis, & filijs, quàm vt inimicis & adulteris. Item quòd faciat nobis, sicut ægris de quorum salute speratur, quàm sicut ægris, desperatis, quibus omnia conceduntur. *Tertium* est, vt attendatur vtilitas, quæ in præsenti ex tribulatione prouenit. Sicut consolatus est Dominus B. Paulum, petentem, stimulum carnis à se remoueri: *Sufficit*, inquit *tibi gratia mea*; *nam virtus in infirmitate perficitur*. Quo audito, Paulus consolatus respondit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. *Quartum* est, vt attendatur vtilitas tribulationum futura: quæ duplex est, scilicet absolutio à debito futuræ pœnæ, & remuneratio gloriæ. *Diuersitas verò tribulationes sustinentium describitur Iob c.* 4. Ecce docuisti multos & manus lassas roborasti; vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti. *Vbi notandum, quòd* Iob T antea multos ab impatientia retraxerat, & diuersimodè secundùm quod diuersis congruebat. Sunt enim aliqui, qui in patientia deficiunt ex ignorantia, dum nesciunt aduersis vti ad virtutem; & quantùm adhoc dicit: *Ecce docuisti multos*. Quidam verò, primò quidem in aduersis virtuosè agunt; sed aduersitate durante, quasi recta actione fatigati deficiunt; & quantùm ad hoc dicit: *& manus lassas roborasti*, scilicet bonis inductionibus. Sunt etiam aliqui, qui in aduersis in dubitationem incidunt, scilicet an ex diuino iudicio proueniant; & quantùm ad hoc dicit: *vacillantes confirmauerunt sermones tui*. Sunt etiam aliqui, qui paruam quidem aduersitatem sustinent; sed sub magna aduersitate, quasi sub magno pondere deficiunt; & quantùm adhoc dicit: *& genua trementia confortasti*, scilicet tuis sermonibus: tremunt enim genua homini, magnum pondus portanti. *Cum autem subditur*: Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum, *ostenditur, quòd* multiplici V virtute aliquis in tribulationibus confirmatur, ne deficiat. *Primò* quidem per reuerentiam diuinam, dum homines considerant, mala quæ patiuntur, ex diuina prouidentia prouenisse, sicut & idem Iob cap. 2. dixerat: *Sicut Domino placuit, ita factum est*. Et ad hoc excludendum, dicit: *Vbi est timor tuus*? Quo scilicet Deum reuereri videbaris. *Secundò* aliqui confirmantur in animi firmitate, quæ quidem duos gradus habet, In quibusdam enim tanta est animi firmitas, vt eorum animus aduersitatibus non nimiùm molestetur, Et hoc ad fortitudinem pertinere videtur; vnde dicit: *Vbi est fortitudo tua*? nec accipitur hic fortitudo secundum quòd conseruat hominem, ne succumbat timori, sed vt non deijciatur. Quidam verò grauem tristitiæ passionem ex aduersitate patiuntur, sed ab ea per rationem benè dispositam non abducuntur: & hoc videtur ad patientiam pertinere; ita vt talis sit differentia inter patientiam & fortitudinem, qualem assignant Philosophi inter continentiam, & castitatem. *Vide* Cælibatus *Tomo* 1. Et ideò adiungit: *patientia tua*. *Tertiò* verò conseruantur aliqui ex amore honestæ actionis, & ex eo quòd horrent turpiter agere; qui etsi interius conturbentur in aduersitatibus, tamen nec verbo, nec facto in aliquid indecens prorumpunt. Et propter hoc addit: *& perfectio viarum tuarum*? per vias enim, actiones intelliguntur, quibus quasi quibusdam vijs peruenitur ad finem. Vel per vias possunt intelligi excogitata consilia, quibus aliquis se euadere confidit; vnde aduersitates faciliùs tolerantur.

S Opusc. 61. Pr. l. 7. c. 2.
Ad patienter sustinēdum, quatuor valent.
T Iob 4. l. 1. ibi.
Diuersitas hominum in sustinendo tribulationes.
V Ibidem.
Multiplici virtute quis in eis confirmatur.

h *Cæterùm tribulatio æquanimiter tolerata valet alicui & ad culpæ satisfactionem*; *nimirùm*, si X vel ipse sibi pœnam spontaneam assumat in recompensationem culpæ præteritæ, vel etiam à Deo illatam patienter sustineat. *Vnde* si Y aliquis mortem illatam patienter sustineat, etiam si pro alijs criminibus sit illata, valet ad diminutionem pœnæ, & ad liberationem à tota pœna, secundùm quantitatem culpæ & patientiæ & contritionis. *Quod valdè notandum pro iis, qui extremo supplicio damnantur*. *Et quidem tribulationibus patienter toleratis vel meremur vel ad merendum disponimur*. *Quamuis enim dicat Apostolus Rom.* 8. Quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: *nihilominùs* si Z considerentur huiusmodi passiones, in quantùm eas aliquis voluntariè sustinet propter Deum, ex charitate, quam in nobis Spiritus Sanctus facit, sic ex condigno per huiusmodi passiones homo meretur vitam æternam. *Verùm* passio A in quantùm passio, non est meritoria; quia sic principium eius est extra: sed est meritoria, in quantùm est acceptata per voluntatem; sic enim est voluntaria, & principium eius est intrà. Acceptatur autem passio à voluntate dupliciter: vel sicut voluntarium absolutè; sicut Christus se voluntariè obtulit passioni, vt nostræ redemptionis opus expleretur: vel sicut voluntarium mixtum, sicut quando aliquis etsi vellet non pati, tamen magis vult sustinere passionem, quàm aliquid contra Deum faciat. *Ad meritum ergo aduersa, à Deo immissa, tolerare debemus*. *Quàm stulte hinc aliqui tribulationibus indignantur grauati*! *Cum manum Dei cangentem effugere non possis, cur æquanimiter ad meritum, atque prouentum non sustines*? *Velis, nolis, portare debes, & cum detrimento frequenter animæ, si ægrè feras*. *Velitus ergo prompto animo suffer, & fac* (*vt aiunt*) de necessitate virtutem. *Sanè tribulationes à Deo inflictas non tolerare, quadam videtur omissionis culpa*. *Hinc ad illud Hebr.* 12. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, *notat Author, quòd* peccatum B omissionis duplex est. Vnum, quando quis omittit bonum facere: aliud omittendo mala, & aduersa tolerare. Quantùm ad primum dicit: *Remissas manus erigite*; manus enim, cum sit organum organorum, remissa dicitur, quando vacat à bonis operibus; & ideo erigenda est per rectam intentionem ad operandum quæ Deo placent, Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum*. Quantùm ad secundum dicit: *erigite soluta genua*. In genibus enim totum pondus corporis sustentatur. Habent ergo genua dissoluta qui non habent forti-

X 1. 2. q. 87. a. 6. c. In 4. d. 15. q. 4. a. 2. & d. 20. a. 1. q. 3. ad 3.
Tribulatio ualet & ad culpæ satisfactionem.
Y In 4. d. 20. lococit.
Tribulationibus uel meremur, uel ad merendum disponimur, si patienter ferantur.
Z Rom. 8. l. 4. ibi. Pro!. Apoc. com. 1. cant. 4 Com. 2. §. & cap. 5. ibi, aromatibus.
Quomodo passio meritoria fit.
A 3. d. 18. a. 5. ad 4. In 2. d. 40. q. 1. a. 4. ad 1.
Aduersa non tolerare, peccatum omissionis.
B Hebr. 12. l. 3. ibi.

fortitudinem fortiter tolerandi aduersa. Hæc autem remissio abijcienda est. , *Iob.* 4. *supra cit.* Manus lassas roborasti , & genua trementia confortasti. *At magis timendum, si huiusmodi flagellis quis careat* . Consideranda *enim* sunt C duo genera hominum. Quidam sunt, qui hic non flagellantur, sed reseruantur æterno igni, Ps. 72. *In labore hominum, non sunt , & cum hominibus non flagellabuntur* ; scilicet , hic non corripiuntur . Alij sunt, qui flagellantur in hoc Mundo , quia Deus corripit illos , vt filios, Hebr. 12. *Flagellat omnem filium, quem recipit*. Gregorius. *Signum æternæ reprobationis est , quando Deus nullum flagellum dat homini in Mundo*. Sic & *Ambrosius* noluit hospitari in domo illius, qui semper fuerat in prosperitate. *Flagellat* inquam *omnem filium* , *quem recipit* . Et ideò D qui non flagellantur, non sunt de numero filiorum (*per consequens nec heredes: nam si filij,* & heredes , *Rom.* 8.) vnde est signum quasi æternæ reprobationis, *Ezech.* 16. Auferetur zelus meus a te. *Quod innui videtur satis in verbis Apoc.* 7. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt , & vnde venerunt ? *Et dixit mihi* : Hi sunt , qui venerunt de tribulatione magna . *Per quod signatur , quòd* qui E non est in tribulatione, non verè est, quia non est in eo Christus: *cui per passiones configurari debemus, vt ad vitam perueniamus æternam. Profectè nonnisi per tribulationes peruenitur ad Christum. Vnde & Petrus Mat.* 14. Domine *inquit* iube me venire ad te super aquas . Et ipse ait: *Veni*. Et descendens de Nauicula ambulabat super aquam , vt veniret ad Iesum . *Per aquas autem (vt vidimus) apertè tribulationes signantur. Hinc post resurrectionem piscantibus discipulis in mari cum apparuisset in litore* , *vbi* audiuit Petrus, quia Dominus est , tunica succinxit se , & misit se in mare . *Vbi* mysticè E per mare signatur tribulatio præsentis seculi . Vnde illi, qui desiderant peruenire ad Christum , in mare se mittunt; idest non refugiunt tribulationes huius Mundi. Et ita Petrus *misit se in mare* , vt citius ad Christum perueniret . *Et ad hos quidem specialiùs idem Christus attendit. Ideircò expulsos à Iudæis de Templo cæco illo à se illuminato , specialiter voluit eum instruere* , *Io.* 9. Cum inuenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ? *Etenim* sicut Princeps F diligenter considerat ea, quæ suus Athleta patitur propter eum: ita & Christus ea, quæ cæcus patiebatur propter veritatem , & sui confessionem, diligenter attendit.

C *Ps.* 37 *lit.* K. Tribulationibus carere reprobationis signum.

D *Hebr.* 12. *l.* 2. *ibi*.

Qui non tribulatur, non est in eo Christus.

E *Apoc.* 7. *com.* 2. §. 5. *ibi*.

Ad quem per tribulationes peruenitur.

E *Io.* 21. *l.* 2. *lit. a*.

F *Io.* 9. *l.* 4. *lit. a*.

i *Et ad Christum in tribulationibus nostris confugiendum profectè est* , *vt consolationem inueniamus*. *Vnde Petrus in medio maris* cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò (*nota diuini promptitudinem auxilij*) extendens manum , apprehendit eum . *Ita & Dauid, pressuris vndique circumseptus, vt iuuaretur & consolaretur , clamabat ad Dominum Ps.* 31. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me . Exultatio mea erue me à circumdantibus me . *Quasi diceret* : In hac G tribulatione, *quæ circumdedit me*; non est refugium , nisi ad Deum, 2. Par. 20. *Cum ignoremus , quid agere debeamus, hoc solum habemus residui , ut oculos nostros dirigamus ad te*. Sic ergo habeo *inquit* ad quem refugiam , sed habeo & in quo consoler ; quia *exultatio mea &c.* 2. *Cor.* 1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. *Et hoc est , quod dicitur Is.* 12. Haurietis aquas de fontibus Saluatoris : *aquas* scilicet H consolationis, refrigerantes contra æstum tribulationis. *Ex quo Rom.* 15. *dicitur* : Deus patientiæ & solatij : *patientiæ* scilicet I dator, Psal. 70. *Tu es patientia mea , Domine* . Item & *solatij* ; idest qui spiritualem consolationem largitur , *contra afflictiones vtique corporales. Et* 2. Cor. 1. *vocatur ab Apostolo* Deus totius consolationis. *Videlicet* quia L nisi homo haberet aliquid , in quo quiesceret cor eius, quando superueniunt mala , non subsisteret . Tunc ergo aliquis consolatur aliquem, quando affert ei aliquod refrigerium , quo quiescat in malis. Et licèt in aliquibus malis homo possit in aliquo consolari , & quiescere, & sustentari ; tamen solus Deus est, qui nos consolatur in omnibus malis. Et ideò dicit: *Deus totius consolationis* ; quia si peccas, consolatur te, quia misericors est . Si affligeris, consolatur te, vel eruendo ab afflictione per potentiam suam , vel iudicando per iustitiam . Si laboras , consolatur te remunerando. *Et ita tribulationes nostras suis compensat consolationibus* , *Ps.* 93. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Siquidem* pij M patris est, postquàm percusserit ad corrigendum , consolari . *Ecquæ maior consolatio, quàm peccatorum per gratiam infusionem dimissio?* Tribulationes *quippè* remissionem N peccatorum operantur, si patienter portantur. *Vnde dicitur Tob.* 3. In tempore tribulationis peccata dimittis ; & post tempestatem tranquillum facis ; & post lacrymationem & fletum exultationem infundis. *Et Ps.* 65. Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium . *Ita in refrigerium post ærumnas multiplices eduxit Dominus Iob , magis quàm priùs , diuitiis etiam cumulando, & ad altiora promouendo. Ita Ioseph , Susannam , Danielem , & alios innumeros: quia quò magis immò aliquis tribulationibus deijcitur , eò magis eleuatur* , *Iac.* 1. Glorietur humilis in exaltatione sua: *Humilis*, idest O oppressus & deiectus, *in exaltatione sua* scilicet ventura post humiliationem : quia *qui se humiliat , exaltabitur , vt dicitur* Luc. 18. *non dum in præsenti seculo , sed & in futuro . Hinc ad illud Apoc.* 1. Quæ oportet fieri citò &c. *Scribit Author*. Per hoc P quòd dicit, *oportet fieri citò* , animat Ioannes seruos Christi ad patientiam, vt non solùm æquanimiter , sed & libenter , immò & lætanter sustineant tribulationes, quæ citò finientur, & ad præmia æterna perducunt. *Hinc Ps.* 89. *ex ore tribulatorum dicitur* : Lætati sumus pro diebus , quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.

G *Ps.* 31. *lit. f.* & *Ps.* 33. *lit. q.* & *Ps.* 44. *lit. b. fi.*

H *Is.* 12. *ibi*. *Io.* 12. *l.* 5. *lit. b.* *Opusc.* 7. *Pet.* 7.

I *Rom.* 15. *l.* 1. *ibi*.

Ad Christũ & ad Deum in tribulationibus confugiendum, vt consolemur.

L 2. *Cor.* 1. *l.* 2. *ibi*.

Tribulationes consolationibus compensat.

M *Thren.* 3. *lit. l.* *Iob* 1. *l.* 4. *fi.* & *cap.* 42. *fi.*

N *Ps.* 24 *lit. m.*

O *Iac.* 1. §. 6. *ibi*.

P *Apoc.* 1. *Com.* 2. *ibi*.

l *Et hoc est , quod longè ampliùs , quàm temporalis consolatio , tametsi spiritualis , animare tribulatos debet , cælestis videlicet æterna consolatio , quæ propter Deum in seculo afflictos finaliter manet , quando scilicet* absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum , *Apoc.* 7. *Videlicet* , tanquam Q mater, quæ solet extergere & lauare faciem pueri à lacrymis post verbera. Et dicit, *omnem lacrymam*, idest auferet omnem dolorem, cuius indicium est lacryma in oculis, Is. 25. *Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*. Et Mat. 5. *Beati , qui lugent , quoniam ipsi consolabuntur* ; incolatui *enim* præsentis R miseriæ respondet consolatio vitæ æternæ, de qua Ier. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium , & consolabor eos , & lætificabo à dolore suo*. Et Is. 66. *In Ierusalem consolabimini* . Et Io. 16. *Vos autem contristabimini* ; scilicet S de passionibus, quas in Mundo sustinebitis : sed tristitiam consequetur lætitia : quia *tristitia vestra* , quam scilicet habebitis in passione , *vertetur in gaudium* futuræ vitæ in resurrectione. *Et hoc est gaudium, de quo Iac.* 1. Omne gaudium existimate, fratres mei , cum in tentationes varias incideritis. *Et postea subdit* : Beatus vir, qui suffert tentationem , quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ . *Tale gaudium , talis consolatio cor dilatabat Iob inter angustias*: In amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine , & pone me iuxta te , & cuius vis manus pugnet contra me. *Quasi diceret* . Quantumcumque T aliqui me velint impugnare : si iuxta te perfectè positus fuero , nullius me impu-

Futuræ æternæ felicitatis consolatio tribulatos cõfortat.

Q *Apoc.* 7. *Com.* 1. & 2. *ibi*.

R *Mat.* 5. *lit. b. ibi*, *Iac.* 1 §. 2. *ibi* gaudiũ.

S *Io* 16. *l.* 5. *lit. d.*

T *Iob* 17. *l.* 1. *ibi*.

impugnatio molestabit. Hoc est ergo, in quo Iob inter amaritudines consolationem habebat, sperans se iuxta Deum ponendum, ubi impugnationes timere non posset. *Sanè* consideratio V præmij minuit vim flagelli, *aiebat Gregorius. Et hoc solum ob oculos filij posuit septem Machabæorum mater, ut ad tormenta promptè subeunda animaret* 2. *Mach.*7. Peto nate, ut aspicias ad Cœlum. *Hinc est, quòd* adversitas X licèt ex se amara sit, & tristitiam generet: tamen ex consideratione utilitatis, propter quam Deo placet, debet esse iucunda; nam & de sumptione medicinæ amaræ aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis, licèt sensu turbetur. *Quantò magis propter salutem æternam? Ex quo ad illud Is.*21. Custos quid de nocte? *instruimur, quòd* in nocte Y adversitatis debet homo se custodire tripliciter. Primò considerando percutientis affectum. Secundò percussi Christi exemplum. Tertiò percussionis fructum, *immarcescibilem nimirùm æternæ gloriæ. Idque suadebat Timotheo Paulus* 2. *Tim.*2. Memor esto Dominum N. I. C. resurrexisse à mortuis. *Quasi dicat*: Dominum Z Nostrum I. C. habe in mente contra tribulationes, Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Multa sunt in eo cogitanda, sed specialiter resurrectio. Ad hanc enim omnia ordinantur, & præcipuè totus Christianæ religionis status. *Vnde subdit*: Nam si commortui sumus, & conviuemus: si sustinemus, & conregnabimus. *Consideret tribulatus & eiusdem verba ad discipulos suos Io.* 15. Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Etenim* hęc A est grandis consolatio iustis ad fortiter sustinendum persecutiones. Et ideò *secundùm Augustinum* non debent se membra supra verticem extollere, nec recusare se in corpore esse, nolendo Mundi odium sustinere cum capite. *Igitur* per patientiam (*inquit Apostolus ad Hebr.* 12.) curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in Authorem fidei, & Consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta: atque in dextera sedis Dei sedet. *Siquidem* exaltatio B humanitatis Christi fuit præmium passionis eius. *Et subdit Apostolus*: Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. *Siquidem* consideratio C passionis Christi facit nos non deficere. *Gregorius*: Si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeò durum est, quod non æquanimiter toleretur. *Et subiicit tandem Apostolus*: Non enim usque ad sanguinem restitistis. *Quasi dicat*: Non D deberis deficere in tribulationibus vestris pro vobis: quia nondum tantum sustinuistis, sicut Christus.

V Prol. in Ap. com. 1.

X Iob 1. fi. cap.

Quid tribulatus consideret.

Y Is. 21. ibi, ser. 10. fi.

Z 2. Tim. 2. l. 2. ibi.

A Io. 15. l. 4. lit. a.

B Hebr. 12. l. 1. ibi.

C Ibid. ibi.

D Ibid. ibi.

m *Consideret præterea tribulatus, quàm levis brevis, & modica temporalis afflictio sit respectu summæ felicitatis æternæ, quam patienter est sustinendo adepturus*, 2. *Cor.* 4. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Quasi dicat*: Nihil E sunt tribulationes, quas hic patimur, si respiciatur ad gloriam, quam ex eis consequimur. Vnde comparat statum sanctorum, qui sunt in vita ista, ad statum eorum, qui sunt in Patria. Et ponit quinque in utroque statu correspondentia sibi invicem. Nam primò status istius vitæ in sanctis est status, quantùm in se est, parvus & quasi imperceptibilis. Vnde dicit, *id*, hoc est minimum, Is. 54. *Ad punctum in modico dereliquite.* Item transitorium, unde dicit, *in præsenti*, idest in vita ista, quæ est in afflictionibus & ærumnis, Iob 7. *Militia est vita hominis super terram* Item temporis brevitas; unde dicit, *momentaneum*, Is. 54. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te*: nam totum tempus huius vitæ, comparatum ad æternitatem, non est nisi momentaneum. Item levi est, unde dicit, *leue*: nam licèt 2. Cor. 1. dicatur: *Gravati sumus supra modum*, quia scilicet grave est corpori: tamen spiritui charitate ferventi levissimum est. Item est pœnosus; & ideò dicit, *tribulationis*, Mich. 7. *Iram Domini portabo.* Sed quantùm ad statum beatitudinis, ponit etiam quinque. quia contra hoc quod dicit, *Id*, ponit, *supra modum*, idest supra mensuram, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones &c.* Item contra id, quod dicit, *in præsenti*, ponit, *in sublimitate*, idest in statu sublimi absque perturbatione, Is. 58. *Sustollam te super altitudines terræ.* Contra id, quod dicit, *momentaneum*, ponit, *æternum*, Is. 35. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Contra id, quod dicit, *leve*, ponit, *pondus*. Et dicit *pondus* propter duo. Pondus enim inclinat & trahit ad motum suum, quæ subsunt sibi: sic gloria æterna erit tanta, quòd totum hominem faciet gloriosum & in anima & in corpore; nihilque erit in homine, quod non sequatur imperum gloriæ. Vel dicitur *pondus* propter pretiositatem: nam pretiosa solùm ponderari consueverunt. Contra hoc, quod dicit, *tribulationis*, ponit *gloriæ*. Vel hoc, quod dicit, *gloriæ*, potest esse commune ad alia quatuor, quæ de statu Patriæ dicuntur. Hoc verò, quod dicit, *tribulationis*, ad quatuor, quæ de statu præsentis vitæ dicta sunt. *Operatur in nobis* supra id scilicet, quòd tribulationes patimur: nam hæc sunt causa & meritum, quare Deus istā gloriam nobis conferat. *Id quod etiam tangitur Apoc.* 1. *cum dicitur* Quæ oportet fieri citò. *Videlicet* quæ F hic revelantur, necesse est impleri, scilicet de tribulationibus iustorum, & consolationibus. Et hoc *citò*. Quasi dicat: Non sit molestum pati, quia finietur labor, & sequetur præmium. Omne *quippe* tempus, quantumcumque longum, æternitati comparatum, breve est. *Et Apostolus Petrus in sua* 1. *c.* 1. Modicum nunc si oportet contristari &c. *Modicum* dicit G ex *glossa* quoad tribulationum acerbitatem: *nunc* autem quoad ipsarum brevitatem. *Quod habetur etiam c.* 5. Modicùm passos ipse perficiet. *Item Is.* 54. In modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te: & in misericordia sempiterna misertus sum tui. *In modico* scilicet H passaes, respectu eorum, quæ tibi miserando tribuam: *In momento*. Quasi dicat: brevi tempore iram meam sensisti, respectu eius, quo tui miserebor. *Et Ier.* 15. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. *Vbi* loquitur I Propheta in persona Ierusalem, & adiungit consolationem, cum dicit: *Facta est mihi &c.* Quasi dicat: In hoc tamen consolabor, quòd citò transituræ sunt huiusmodi angustiæ, sicut aquæ infideles, quæ ex pluvijs congregantur.

Brevis & modica temporalis afflictio est, respectu æternæ summæ felicitatis per eam consequendæ.

E 2 Cor. 4. l. 5. ibi.

Comparatio præsentis vitæ ad futuram gloriam.

Cur gloria æterna *pondus* dicatur.

F Apoc. 1. com. 1. & 2. ibi.

G 1. Pet. 1. §. 3. ibi. &c. 5. §. 4. ibi. modicùm Io. 16 l. 5. lit. a. Op. 7. Pet. 7.

H Is. 54. ibi.

I Ier. 15. §. 4. fi.

n *Et ex hoc quidem vel solo motiuo deberet fidelis quisque æquanimiter pati: quamvis & ulterius multiplex adduci possit ex tribulatione proventus.* Ipsa *enim* persecutio L quæ in persequentibus est *causa perditionis, vobis est causa salutis*, ait Apostolus *ad Phil.* 1. *&* 2. *Thess.* 1. Si tamen iustum est apud Deum retribuere retributionem ijs, qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem &c. *Retributionem*, scilicet M æternæ damnationis illis, *& vobis, qui tribulamini, requiem*, scilicet æternæ gloriæ, *Luc.* 16. Fili recordare, quòd recepisti bona in vita tua: & Lazarus

Multiplex ex tribulatione proventus.

L Phil. 1. l. 4. ibi, terrem ini.

M 2. Thes. 1. l. 2. ibi.

Causa salutis tribulato; perditionis tribulanti.

zarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris. *Et Apocal.* 14. Vt requiescant à laboribus suis. *Profectò* conuenientissimum

M Apoc. 14. com. 1. Prol. Op. 7. Pet. 7. Op. 18. c. 9.

M est, Deum permittere cultores suos tribulationibus affligi; tum propter punitionem culpæ præteritæ, tum propter cohibitionem futuræ, tum propter meritum coronæ. *Ad pœnitentiam sanè peccatoris non parùm adiuuat tribulatio. Quò facit illud Ier. 6.* Erudire Ierusalem, ne recedat anima mea à te. *Erudire* scilicet N flagellis præcedentibus castigata. *Cui respondet illud cap. 31.* Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. *Eruditus sum, quasi iuuenculus, qui* scilicet O difficilè corrigitur, etiam multis verberibus. *Et postquam ostendisti mihi*, scilicet flagellis peccata, *percussi femur meum*, interiorem dolorem exteriori percussione designans: *nam sola vexatio intellectum dabit, vt dicitur Is. 28. Hinc Ps. 9. Regius dicebat propheta:* Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Refugium pauperi*, scilicet P oppresso; & ideò subdit: *adiutor in tribulatione*; & addit *in opportunitatibus:* quia tempore tribulationis, homines conuertuntur ad Deum. *Et hoc est quod dicitur Ps. 15.* Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. *Infirmitates*, idest Q diuersa peccata, vel pœnalitates ex peccato consequentes, Thren. 1. *Multi gemitus mei.* Et ex hoc sequitur: *postea accelerauerunt:* quia post tribulationes homo currit ad Deum, Ose 6. In tribulatione sua manè consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum. *Et tunc quidem faciliùs ab eo homines exaudiuntur*, 2. Paral. 20. Clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluosque facies. *Et huc spectat tempus, quo Christus ad Patrem orauit, Io. 17.* Pater, venit hora, clarifica filium tuum. *Venit hora*, scilicet R passionis. *Et* conuenienter rogaturus, interponit tribulationes, quia in eis maximè Deus exaudit, Ps. 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. *Valet vlteriùs tribulatio iustis, ad profectum virtutis.* Quòd S iusti in aduersitatibus sunt, in eorum bonum cedit: quia per hoc ad virtutem proficiunt. *Vnde & Iob post perpessas ærumnas dicebat ad Deum cap. 42.* Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te. *Idest* pleniùs T te cognosco, quàm priùs. Profecerat enim tum ex percussione, tum ex reuelatione diuina. *Reuelantur quippè faciliùs cælestia tribulatis. Ex quo Ioannes in exilio constitutus in Insula Patmos, Apocalypsim vidit.* Fui in spiritu, *inquit*, in Dominica die, & audiui &c. *Apoc.* 1. Et benè V per contemplationem dicitur fuisse *in spiritu:* quia tribulatio dilatat spiritum ad susceptionem spiritualium, *atque cælestium. Vnde & Propheta regius*, Ps. 4. *dicebat:* In tribulatione dilatasti mihi. *Purificatur siquidem afflictionibus anima, adeò vt quandam rationem baptismi sortiri tribulatio videatur. Quod innuitur ex verbis Domini ad Ioannem, ipsum baptizare detrectantem*, Mat. 3. Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. *Sine modò*, scilicet X vt baptizer baptismo aquæ: quia alio baptismo habeo baptizari, scilicet baptismo passionis, Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Et hoc etiam baptismo Ioannes baptizatus est à Christo, in quantum mortuus est pro iustitia; quod idem est, ac mori pro Christo. *Vnde & 1. Pet. 3.* Si quid patimini propter iustitiam, beati. *Si quid:* Quasi Y dicat, modicum quid est, *patimini*, In præsenti tempore, *propter iustitiam* viæ tenendam, & Patriæ consequendam, *beati* estis iam in spe, tandem in re.

Valet ad pœnitentiã peccatori.

N Ier. 6 lit. d.

O Ier. 31. lit. e.

P Ps. 9. lit. g.

Q Ps. 15. lit. c.

In tribulatione faciliùs Deus orantes exaudit.

R Io. 17. l. 1. lit. a.

Valet tribulatio & ad profectum virtutis.

S 2. d. 36. 1. 4. ad 5.

T Iob. 42. l. 1. ibi.

Idoneã magis facit animam ad spiritualia & cælestia percipienda.

V Apoc. 1. com. 2. §. 3. ibi, & com. 1. ibi, & Prol.

Alter velut baptismus.

X Mat. 3. lit. b. ibi.

Multiplex causa ad tribulationes patiendas.

Y 1. Pet. 3. §. 6. ibi.

O *Et quidem (vt omnia compendio restringamus)* multiplex Z est ratio, quare debemus pati. Primò vt sic Christi vestigia sequamur, 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Secundò vt sic Sanctis conformes simus, 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Tertiò vt consolationum Christi, & Sanctorum simus participes, 2. Cor. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quartò vt in bono gratiæ conseruemur, 1. Pet. 5. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet.* Quintò, vt per hoc peccata vitemus, 1. Pet. 4. *Qui passus est in carne, desiit à peccatis;* (Qui passus est in carne, *idest* in se A toto homine, scilicet in anima per contritionem; in carne per macerationem: *talis desiit à peccatis* omnibus, tam carnalibus, quàm spiritualibus; quia quasi mortuus peccato intendit Dei seruitio.) Sextò vt animæ à Dæmonibus præseruentur seu custodiantur, 1. Pet. 4. cir. *Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas.* Septimò vt in æternum remuneremur, Mat. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. *Quod sanè ideò à Christo felici concrucifixo latroni promissum datum quoque est; quia crucem suam pro culpis propriis libenter sustinuit, Luc. 23.* Nos quidem iustè: nam digna factis recipimus. *At ille iustè puniatus est supplicii socius infelix: quia & ad correptionem alterius, & ad flagelli correctionem factus est in malo obstinatior. Et hoc est, quod ex glossa promptè in sic Author:* Qui iustus B patitur, Christum imitatur. Qui autem flagellis corrigitur, latronem dextrum imitatur, qui cum Christo in Paradisum intrauit. Qui verò nec flagellis corrigitur, sinistrum latronem imitatur, qui post crucem in tartarum ruit. *Erudiantur hinc fideles quicumque & qualitercumque à Deo tribulationibus addicuntur.* DISCE *per turbulentum tribulationum mare ad portum beatæ Patriæ peruenire: Vide* Bona temporalia *Tomo* 1. Iustus *Tomo* 2. Peccatum, Tentatio.

Z Ibid. ibi.

A 1. Pet. 4. §. 1. ibi.

Christus & duo latrones diuersimodè passi in eorũ exemplum qui tribulantur.

B 1. Pet. 3. §. 6. ibi, pati.



TRI-

TRIBVTVM. *Vide* Decimæ *Tomo* 2.

SANCTA TRINITAS. *Vide* Deus Trinus *Tomo* 2.

TRISTITIA. *Vide* Acedia, Conſcientia *Tomo* 1. Damnatus, Inuidia *Tomo* 2.

TVBA. *Vide* Cantus Eccleſiaſticus *Tomo* 1. Doctor, Iudicium Vniuerſale *Tomo* 2.

TVRPILOQVIVM. *Vide* Blaſphemia *Tomo* 1. Lingua.

TVRPITVDO. *Vide* Adam *Tomo* 1. Luxuria.

TYRANNIS. / TYRANNVS. } *Vide* Lex, Princeps.

V

VANAGLORIA. *Vide* Gloria *Tomo* 2.

VENDITIO & EMPTIO. *Vide* Negociator.

VENIA. *Vide* Miſericordia.

VERBVM DEI. *Vide* Doctor Eccleſiaſticus *Tomo* 2.

VERBVM DIVINVM. *Vide* Chriſti Conceptio *Tomo* 1. Deus Trinus *Tomo* 2.

VERECVNDIA. *Vide* Adam *Tomo* 1. Mulier.

VERITAS. *Vide* Adulatio *Tomo* 1. Iudex *Tomo* 2. Lingua.

VESTIS. *Vide* Adam, Cultus exterior *Tomo* 1.

VINDICATIO. / VINDICTA. } *Vide* Dilectio inimicorum *Tomo* 2.

VIRGINITAS. *Vide* Cælibatus *Tomo* 1.

VIRTVS.

I. Omnis actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet, quòd agens ordinetur in ſe, ad proximum, & ad Deum. In ſe, vt ſit bonus in ſe ipſo; ad proximum per iuſtitiam; ad Deum per cognitionem, & confeſſionem veritatis. *Ephef.* 5. *l.* 4. *ibi*, fructus.

C Virt. 1.1. *initio c.* & 1.2.55.4.1. & 2. & 2.2.129.2. *c.In* 3.*d.*23.1. 3.q.1.*c.*

a VIrtus C ſecundùm ſui nominis rationem, potentiæ complementum deſignat: vnde & vis dicitur, ſecundùm quòd res aliqua per poteſtatem completam, quam habet, poteſt ſequi ſuum impetum, vel motum: Virtus enim ſecundùm ſuum nomen, poteſtatis perfectionem demonſtrat. Vnde Philoſophus dicit *in* 1. *de Cæl. & Mun.* quòd virtus eſt vltimum in re de potentia. *Quod quidem dupliciter intelligitur.* Vno D modo materialiter, vt per virtutem intelligamus id, in quod virtus poteſt; ſicut virtus eius, qui poteſt ferre centum libras, eſt in eo, in quantùm poteſt ferre centum libras, non in quantùm ferre poteſt ſexaginta. *Alio modo* poteſt intelligi eſſentialiter; & ſic virtus dicitur vltimum potentiæ, quia deſignat potentiæ complementum, ſiuè id, per quod potentia completur, ſit aliud à potentia, ſiue non. *Cæterùm aliquando* virtus E ſumitur communiter pro omni eo, quod poteſt eſſe principium alicuius operationis vel motus. Et ideò, quia amor inclinationem facit ad operandum, *Dionyſius c.4. de Diu. Nom.* virtutem dicit. *Quemadmodum & alii* interiores F motus appetitiuæ virtutis, in quantùm ſunt principia exteriorum actuum, dicuntur virtutes. Philoſophus autem negat, paſſionem eſſe virtutem, quæ eſt habitus. *Etenim* virtus G nominat quandam potentiæ perfectionem (*vt præmiſſum eſt.*) Vnius cuiuſque enim perfectio præcipuè conſideratur in ordine ad ſuum finem: finis autem potentiæ, actus eſt: vnde potentia dicitur eſſe perfecta, ſecundùm quod determinatur ad ſuum actum. Sunt autem quædam potentiæ, quæ ſecundùm ſeipſas ſunt determinatæ ad ſuos actus, ſicut potentiæ naturales actiuæ: & ideò huiuſmodi potentiæ naturales ſecundùm ſe ipſas dicuntur virtutes. Potentiæ autem rationales, quæ ſunt propriæ hominis, non ſunt determinatæ ad vnum, ſed ſe habent indeterminatè ad multa: determinantur autem ad actum per habitus; & ideò virtutes humanæ ſunt habitus. *Et quidem operatiui:* Cum *enim* duplex H ſit potentia, ſcilicet potentia ad eſſe, & potentia ad agere, vtriuſque potentiæ perfectio, virtus vocatur. Sed potentia ad eſſe ſe tenet ex parte materiæ, quæ eſt ens in potentia; potentia autem ad agere ſe tenet ex parte formæ, quæ eſt principium agendi, eo quòd vnumquodque agit, in quantùm eſt actu. In conſtitutione autem hominis, corpus ſe tenet, ſicut materia: anima verò, ſicut forma. Et quantùm quidem ad corpus, homo communicat cum alijs animalibus; & ſimiliter quantùm ad vires, quæ ſunt animæ & corpori communes: ſolæ autem illæ vires, quæ ſunt propriæ animæ, ſcilicet rationales, ſunt hominis tantùm. Et ideò virtus humana, de qua loquimur, non poteſt pertinere ad corpus: ſed pertinet tantùm ad id, quod eſt proprium animæ. Vnde virtus humana non importat ordinem ad eſſe, ſed magis ad agere, & ideò de ratione virtutis humanæ eſt, quòd ſit habitus operatiuus: *proinde, quòd ſit habitus bonus, & operatiuus boni.* *Nam* virtus I cuiuslibet rei determinatur ad vltimum, in quod res poteſt, vt dicitur *in* 1. *de Cælo*. Vltimum autem, in quod vnaquæque potentia poteſt, oportet, quòd ſit bonum: omne enim malum, defectum quendam importat: vnde *Dionyſius* c.4. de Diu. Nom. dicit quòd *Omne malum eſt infirmum*. Et propter hoc oportet, quòd virtus cuiuslibet rei dicatur in ordine ad bonum: *aliàs non eſſet perfectio potentiæ. Idcircò* (*vt alibi docemur*) ad perfectionem L potentiæ exigitur, quòd bene operetur in ſuo genere. Vnde & *in* 2. *Ethic.* dicitur, quòd virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: (ſicut M virtus equi eſt, quæ facit equum eſſe bonum, & bene ire, & bene ferre ſeſſorem: quod eſt opus equi.) *Et in* 7. *Phyſic.* dicitur, quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, eorum ſcilicet, ad quæ potentia ſe extendit. *Et ita* virtus N tria facit.

Virtus, ſecundùm rationem nominis quid ſignet:

Dupliciter intelligitur, quòd ſit vltimum de potentia.

D Virt. 1.1. *ad* 6. & 1.2.55.1.*ad* 1.*Ver.* 14.3.*c.*

E 3.*d.*27.1.1.*ad* 1. & 1.2.26.2.*ad* 1.

Communiter accipitur pro principio alicuius operationis, vel motus.

F 1.2.41.1.*ad* 1.

G 1.2.55.1.*c.* & 56.3.*c.* *In* 3.*d.*23.1.1.*q.*1.*c.* *Virt.*1.1.*c.*

Potentiæ naturales ſecundùm ſe ipſas dicuntur virtutes, quia determinatæ ad ſuos actus; nó ita potentiæ naturales, quarum determinationes ad actum ſunt per habitus, qui dicuntur virtutes.

H 1.2.55.2.*c.*

Duplex potentia, ad eſſe ſcilicet, & ad operari.

Virtus humana, habitus eſt operatiuus, & bonus.

I 1.2.55.3.*c.* & 2.2.58.1.*c.* *Virt.*1.7.*initio c.* *In* 3.*d.*26.2.1.*c.*

Et operatiuus boni.

L 3.*d.*23.1.3.*q.*1.*c.* & 2.2.17.1.*c.* 47.4.*c.* *Virt.* 1.7.*c.*

*M Virt.*1.7.*initio c.*

N Mat 5.*lit.b.ibi*, perfectionem.

facit. Quia remouet à malo; operatur & facit operari bonum; & disponit ad optimum. *Ex quo habitus malus rationem virtutis non sortitur, sed vitii. Quocirca sciendum, quòd* habitus O specie distinguuntur, non solùm secundùm obiecta, & principia actiua, sed etiam in ordine ad naturam, secundùm conuenientiam scilicet, vel disconuenientiam ab ipsa. Et hoc modo distinguuntur specie habitus bonus & malus. Nam habitus bonus dicitur, qui disponit ad actum conuenientem naturæ agentis: habitus autem malus dicitur, qui disponit ad actum non conuenientem naturæ. Sicut actus virtutum naturæ humanæ conueniunt, eo quòd sunt secundùm rationem: actus verò vitiorum, cum sint contra rationem, à natura humana discordant. *Dicitur autem virtus in medio consistere, eo quòd extrema vitiosa sunt. Quod quidem verum habet tam in morali virtute, quàm in intellectuali; imò & theologica, ex parte saltem materialis obiecti.* Ideò *enim* virtutes P morales consistunt in medio, quia ad virtutem moralem pertinet attingere regulam rationis circa proprium & per se obiectum, scilicet circa passiones & operationes humanas. Omne autem regulatum, in quantùm est huiusmodi, habet rationem medij: quod autem à regula discedit, aut superfluum, aut diminutum est. Dicitur etiam, quòd virtus intellectualis consistit in hoc, quòd attingat verum, quod est bonum intellectus; veritas autem intellectus humani regulatur & mensuratur ab essentia rei. Ex eo enim, quòd res est, vel non est, opinio vera est, vel falsa. Et ideò etiam virtus intellectualis circa proprium obiectum in medio consistit; vt scilicet hoc apprehendat homo de re, quod est, non plus, nec minùs. Sed virtus theologica habet pro obiecto ipsam primam regulam non regulatam: & ideò sufficit qualitercumque attingere regulam ad rationem virtutis: propter quod, secundùm operationem ad proprium & formale obiectum, virtus theologica in medio non consistit. Sed ex parte materialis obiecti potest consistere in medio; & hoc accidit ei: sicut fides catholica in diuinis procedit inter hæresim Sabellij confundentis personas, & hæresim Arij substantiam separantis. Et eodem modo, ex parte eius, quod est materiale, obiectum spei consistit in medio, in quantùm scilicet aliquis sperat se adipisci beatitudinem sic, vel aliter. Sed ex parte formalis obiecti, quod est auxilium diuinum; non consistit in medio: nullus enim potest nimis diuino auxilio inniti.

Virtus bonū facit habentē & opus eius bonū reddit.
O 1. 2. 54. 3. c.
Habitus distinguuntur nedum secūdùm obiecta sed & secundùm conuenientiam ad naturam, vel disconueniētiam; & ita distinguuntur habitus virtutum & vitiorum.
Virtus omnis in medio cōsistit & quomodo.
P Virt. 4 1. ad 7. & q. 1. 10. c. & 1. 2. 64 In 3. d. 33. 1. 3. & q. 2. a. 3. c.

Obiectum porrò virtutum dupliciter dicitur. Vno modo Q sicut illud, ad quod virtus ordinatur, sicut ad finem: sicut summum bonum est obiectum charitatis, & beatitudo æterna obiectum spei. Alio modo, sicut materia, circa quam operatur, vt ab ea in aliud tendens, sicut delectationes coitus sunt obiectum temperantiæ. *Subiectiuè autem* virtus R & vitium dicuntur esse in aliquo dupliciter. *Vno modo* sicut in causa; & hoc modo sunt in libero arbitrio & voluntate, vel quantùm ad habitus, sicut in acquisitis habitibus, vel saltem quantùm ad actus, quantùm ad infusos. *Alio modo*, vt in subiecto; & hoc modo contingit in diuersis potentijs animæ virtutes & vitia esse: *de quo Numero sequenti. Ex huiusque præmissis deducit* Augustinus in 2. de libero arbitrio *diffinitionem virtutis, cum ait*: Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur: quam Deus in nobis sine nobis operatur. *Et quidem* ista S diffinitio perfectè complectitur totam rationem virtutis. Perfecta enim ratio vniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius. Comprehendit autem prædicta diffinitio omnes causas virtutis. Causa namque formalis virtutis, sicut est cuiuslibet rei, accipitur ex eius genere & differentia, cum dicitur, *bona qualitas*: genus enim virtutis qualitas est; differentia autem *bonum*. (Esset tamen conuenientior diffinitio, si loco qualitatis, *habitus* poneretur, qui est genus propinquum.) Virtus autem non habet materiam ex qua, sicut nec alia accidentia: sed habet materiam circa quam, & materiam in qua, scilicet subiectum. Materia autem circa quam, est obiectum virtutis, quod non potuit in prædicta diffinitione poni, eo quòd per obiectum determinatur virtus ad speciem. Hic autem assignatur diffinitio virtutis in communi, vnde ponitur subiectum loco causæ materialis, cum dicitur, quòd est *bona qualitas mentis*. Finis autem virtutis, cum sit habitus operatiuus, est ipsa operatio. Sed notandum, quòd habituum operatiuorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi: aliqui verò quandoque ad bonum, & quandoque ad malum: sicut opinio se habet ad verum & falsum. Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum. Et ideò, vt discernatur virtus ab his, quæ semper se habent ad malum, dicitur: *qua rectè viuitur*. Vt autem discernatur ab his, quæ se habent quandoq; ad bonum, quandoq; ad malum, dicitur: *qua nullus malè vtitur*. Causa autem efficiens virtutis infusæ (de qua diffinitio datur) Deus est; propter quod dicitur: *Quam Deus in nobis, sine nobis operatur*. Quæ quidem particula si auferatur, relinquum diffinitionis erit commune omnibus virtutibus & acquisitis, & infusis. *Et hinc est, quòd* tantò T principalior est virtus & potior, quantò magis, & directius ordinat hominem in bonum. *Sicut et alibi*: Vnaquæque V virtus tantò excellentior est, quantò ad altius bonum ordinatur. *Tripliciter autem alicuius virtutis possunt partes dici*. Triplex *enim* est X pars, scilicet *Integralis*, sicut paries, tectum, & fundamentum sunt partes domus. *Subiectiua*: sicut bos & Leo sunt partes animalis. *Potentialis*: sicut nutritiuum, & sensitiuum sunt partes animæ. Tribus ergo modis possunt assignari partes alicui virtuti. Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicuius, que necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius. Partes autem subiectiuæ virtutis dicuntur species eiusdem diuersæ. Partes autem potentiales alicuius virtutis dicuntur virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.

Q Virt. 5. 4. ad 5.
Obiectum virtutum dupliciter dicitur.
Virtutum subiectum.
R 2 d. 24. 1. 2. ad 5.
Diffinitio virtutis.
S 1 2. 55. 4. c. In 2. d 27. 1. 2. *Virt.* 1. 2. c. & 4. 10. ad 11.
In quonam vna excellentior alia.
T 2. 2. 136. 2. initio c.
V 1. 2. 111. 5. & 2. 2. 117. 6. c.
Pars virtutis triplex.
X 2. 2. q. 48. c.

b *Porrò, quoad actum virtutis, docemur ex Philosopho* in 2. Ethic. *quòd* ad virtutis Y actum requiritur. Primò quòd quis operetur sciens. Secundò quòd eligens, & propter debitum finem. Tertiò quòd immobiliter operetur. Primum autem horum includitur in c. Secundo, quia quod per ignorantiam agitur, est inuoluntarium, vt dicitur *in 3. Ethic. Cæterùm habitus virtutum ad rectum viuendi humanum modum, exiguntur propter tria. Primò* Z vt sit vniformitas in operatione: ea enim, quæ ex sola operatione dependent, facilè immutantur, nisi secundùm aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. *Secundò* vt operatio perfecta in promptu habeatur: nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad

Tria ad actū virtutis exiguntur.
Y 2. 2. 58. 1. c. In 3. d. 33. 2. 3 initio c. & d. 40 1. 1. c. *Virt.* 5 1. c.
Habitibus indigemus virtutum propter tria.
Z Virt. 1. 1. fi. c.

votum, operabitur semper, cum necesse fuerit operari, praecedere inquisitionem de operatione: sicut patet de eo, qui vult considerare, nondum habens scientiae habitum, & qui vult secundum virtutem agere, habitu virtutis carens. Vnde Philosophus dicit in 3. *Ethic.* quòd repentina sunt ab habitu. Tertiò vt delectabiliter perfecta operatio compleatur: quod quidem fit per habitum: qui cum sit per modum cuiusdam naturae, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, & per consequens delectabilem, nam conuenientia est delectationis causa. Vnde Philosophus *in 2. Ethic.* ponit signum habitus, delectationem in opere existentem. *At verò*, cum virtus A sit circa difficile, & bonum, secundum Philosophum *in 2. Ethic. Sciendum, quòd* aliquid B potest dici difficile dupliciter: vel ex arduitate operis; & sic virtus intelligitur circa difficile esse, quod scilicet in se difficile est & arduum. Vel ex imperfectione operantis; & sic virtus circa difficile non est, sed talem difficultatem virtus tollit: quantò enim aliquis virtuosior est, tantò faciliùs opera virtutis exercet. *Igitur* virtus C cum operetur ad bonum, ad virtutem cuiuslibet requiritur, quòd sic se habeat, quòd ad bonum benè operetur, idest voluntariè, & promptè, & delectabiliter, & etiam firmiter: hae enim sunt conditiones virtuosae, quae non possunt conuenire alicui operationi, nisi operans amet bonum, propter quod operatur: eo quòd amor est principium omnium voluntariarum affectionum. Ea etiam, quae ex amore fiunt, & firmiter & promptè, & delectabiliter fiunt. *Cognoscat hinc fidelis quisque, an virtuosè operetur; & an Deum, propter quem operari debemus, verè diligat. Velleitas vt in pluribus est, non voluntas: promptitudo abest, adest inconstantia: tristitia in bono opere, si quod fit, non delectatio sentitur. Non ergo virtuosè operatur: non ergo in eo virtus deprehenditur. Sanè* aliquid D dicitur esse actus virtutis dupliciter. *Vno modo* materialiter; sicut actus iustitiae est facere iusta: & talis actus virtutis potest esse sine virtute. Multi enim non habentes habitum iustitiae, iusta operantur ex naturali ratione, vel ex timore, siue ex spe aliquid adipiscendi. *Alio modo* dicitur esse aliquid actus virtutis formaliter, sicut actus iustitiae, est actio iusta eo modo, quo iustus facit, scilicet promptè & delectabiliter. Et hoc modo actus virtutis non est sine virtute. *Verùm in ordine ad aeterna vitae consecutionem*, cum E nullum meritum sit sine charitate, actus virtutis acquisitae non potest esse meritorius sine charitate. Cum charitate autem simul infunduntur aliae virtutes; vnde actus virtutis acquisitae non potest esse meritorius, nisi mediante virtute infusa. Nam virtus ordinata in finem inferiorem, non facit actum ordinatum ad finem superiorem, nisi mediante virtute superiori: sicut fortitudo, quae est virtus hominis, qua homo non ordinat actum suum ad bonum politicum, nisi mediante fortitudine, quae est virtus hominis, in quantùm ciuis. *Illud praeterea notandum, quòd* nihil F prohibet actum, qui est propriè vnius virtutis elicitiuè, attribui alteri virtuti, sicut ordinanti, & imperanti ad suum finem. Hoc *autem* interest G inter elicere actum & imperare, quòd habitus vel potentia elicit illum actum, quem producit circa obiectum, nullo mediante: sed imperat actum, qui producitur, mediante potentia vel habitu inferiori circa obiectum illius potentiae. *Quemadmodum* charitas H in quantùm habet vltimum finem pro obiecto, mouet alias virtutes ad operandum. Semper enim habitus, ad quem pertinet finis, imperat habitibus, ad quos pertinent ea, quae sunt ad finem.

Signum habitus virtutis, delectatio in opere.

A 2.2. 137.1. initio c

Quo sensu intelligatur virtus esse circa difficile.

B 2.d.29.1.4. ad 3. & 1. 2. 107.4.c

Virtuosae operationis conditiones quae.

C Virt.2 2.c. et locis mox citandis.

Non habens iustitiam potest operari iustum; non ita tamen, sicut habens.

D 2.2.32.1.ad 1. Quol. 4.a.19 c. & 1.2.107.4 c In 2.d 27.1.1 c. In 3.d. 23.3. 1. q. 2. ad 3. Virt. 1. 10.ad 15.

E Virt 1.10.ad 4. Ver. 24.14. ad 6.

Sine charitate nullus actus uirtutis meritorius est uitae aeternae.

F 2.2.32.1. ad 2.85.3 c.88.6. c et 1.2.114.4. ad 1. et alibi.

Actus unius uirtutis elicitiuè potest alteri attribui ut ordinanti ad suum finem, & imperanti.

G 3.d.27.2.4.q 3.c.

Quid intersit inter elicere actum, & imperare.

H 1.2.114 4. ad 1. et locis cit

At verò cauendum potissimè virtutem habenti, ne in otio torpescens, ab actibus cesset virtutis. Manifestum I est *enim* quod habitus virtutis moralis facit hominem promptum (*vt vidimus*) ad eligendum medium in operationibus & passionibus. Cum autem aliquis non vtitur habitu virtutis ad moderandas passiones, vel operationes proprias, necesse est, quòd proueniant multae passiones & operationes praeter modum virtutis ex inclinatione appetitus sensitiui, & aliorum, quae exterius mouent, vnde corrumpitur virtus per cessationem ab actu. *Hinc Mat. 25. legitur, quòd* seruus ille, qui quinque talenta acceperat, operatus est in eis: *ex quo consequenter dicitur, quòd* lucratus est alia quinque. *Etenim* virtus L proficit per exercitium operationis: nisi enim operetur, deficit. *Vnde & Prou. 13.* Anima operantium impinguabitur. *Et hoc est, quod scribebat Apostolus ad Timotheum* 1. *Tim.* 4 Exerce te ipsum ad pietatem. *Videlicet*, exerce M non fac: quia exercitium dicit promptitudinem. Et hoc ideò, quia exercitatus facit leuiùs, delectabiliùs, & stabiliùs. *Quod suadetur & Prou.* 24. Diligenter exerce agrum tuum. *Postremò ad illud Apostoli Eph.* 5. Vt filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate &c. *ad nostram eruditionem instruimur, quòd* omnis N actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet, quòd agens ordinetur in se, ad proximum, & ad Deum. In se: vt sit bonus in se ipso; & propter hoc dicit: *in omni bonitate*, Ps. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*. Item ad proximum per iustitiam; ideò dicit: *& iustitia*, Ps. eod. *Feci iudicium & iustitiam*. Ad Deum per cognitionem, & confessionem veritatis; & ideò dicit: *& veritate*, Zachar. 8. *Veritatem tantùm & pacem diligite* (*Quod aiebat initio Author.*) *Prosequitur Apostolus*: Probantes, quid sit beneplacitum Deo. *Probantes*, idest ratione discernentes, non ex abrupto, *quid sit beneplacitum Deo*; idest, vt intendatis facere quod placeat Deo: *vt probetis, qua sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*, ad Rom. 12. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*, idest operibus carnalibus ducentibus ad tenebras perpetuas, *ad Rom. 6.* Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? *Sola ergo virtus exercita ad vitam fructificat* (*non vitium, quod* fructificat morti, *vt dicitur Rom. 7.*) *Vnde Apostolus Coloss.* 1. Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. *Siquidem* semper O homo debet niti ad vlterius bonum: ad virtutem autem non sufficit scire, vel velle, nisi immobiliter operetur. DISCE *in actibus delectari virtutum, non vitiorum.*

I 1.2.53.3.c et 2.2.24.10.in 1 d.17 2.5.

Actus uirtutū exercēdi cessatione corrūpitur enim habitus uirtutis per cessationem ab actu.

Virtus proficit per exercitium operationis.

L Mat.25. lit. b. ibi.

M 1.Tim.4.l.2 ibi.

N Ephes.5.l.4 ibi, fructus.

Omnis actus virtutis ad tria reducitur

O Coloss.1.l.3. ibi.

II. Ad perfectam coniunctionem cum Deo omnes virtutes requiruntur, non autem omnes scientiae. *Ver.* 18. 7. *ad* 2.

d HVmana virtus in intellectualem sufficienter diuiditur, & moralem. Nam Virtus P humana est quidam habitus perficiens hominem ad benè operandum. Principium autem humanorum actuum in homine non est nisi duplex, scilicet intellectus, siue ratio & appe-

P 1.2 58.3.c.

Humana virtus in intellectualem diuiditur & moralem.

& appetitus : hæc enim ſunt duo mouentia in homine, vt dicitur in *3. de Anima*. Vnde omnis virtus humana, oportet, quòd ſit perfectiua alicuius iſtorum principiorum. Si quidem igitur ſit perfectiua intellectus ſpeculatiui, vel practici ad bonum hominis actum, erit virtus intellectualis: ſi autem ſit perfectiua appetitiuæ partis, erit virtus moralis.

Q *Ibid. ad 3.*
Theologicæ ſunt ſupra humanas virtutes.

Inter has autem non recenſentur Theologicæ, ſcilicet fides Q, ſpes, & charitas quæ ſunt ſupra virtutes humanas : ſunt enim virtutes hominis, prout eſt factus particeps diuinæ gratiæ.

Tria virtutum genera.
R *1. 2. 68. 8. initio c. Virt. 1. 12 fi. c.*
Virtutes aut acquiſitæ, aut infuſæ.
Virtutes cardinales.

Ex quo virtutes R in tria genera diſtinguuntur. Sunt enim quædam virtutes theologicæ, quædam intellectuales, quædam morales. Virtutes quidem theologicæ ſunt, quibus mens humana Deo coniungitur. Virtutes autem intellectuales ſunt, quibus ratio ipſa perficitur. Virtutes autem morales ſunt, quibus vires appetitiuæ perficiuntur ad obediendum rationi. *Præterea tam intellectuales, quàm morales, aut acquiſitæ ſunt, quas ſcilicet à ſe ipſe homo adipiſcitur : aut infuſæ, quas videlicet Deus homini cælitus indit. Sicut autem theologicæ cæteris præeminent omnibus : ita inter morales, quatuor principaliter enumerantur,* Cardinales *idcircò nuncupatæ.*

S *2. 2. 4. 8. initio c. & 47. 5. & 1. 2. 57. & locis ibid. cit. a. 2. 3. & 4. Virt. 1. a. 12. & 13. c. & 3. ſc. Gen. c. 44. fi.*
Virtutes intellectuales quinque : & quænam ſint.
T *Virt. 5. 1. ad 3 & q. 1. 6. ad 6. et a. 12. ad 14. et 1. 2. 58. 2. ad 1. et 61. 1. c. et 2. 2. 118. 2. ad 3 In 3. d. 33. 1. 1. q. 2.*

Porrò virtutum S intellectualium duæ ſunt circa contingentia (*& dicuntur practicæ*) ſcilicet prudentia & ars. Tres autem reliquæ intellectuales virtutes, ſcilicet ſapientia, ſcientia & intellectus, ſunt de neceſſariis; *& dicuntur ſpeculatiuæ : quæ quidem ponuntur, ſed alia ratione, etiam Spiritus Sancti dona, vt ſuo loco viſum eſt. Verùm circa prudentiam illud notandum, quòd* ſecundùm T Philoſophum *in 6. Ethic.* prudentia eſt recta ratio agibilium; agibilia autem dicuntur moralia opera : & ideò prudentia conuenit cum moralibus virtutibus, quantùm ad ſui materiam, & propter hoc connumeratur eis, licèt quantùm ad ſuam eſſentiam, vel ſubiectum, ſit intellectualis.

Prudentia quoad materiam moralis, quoad eſſentiam intellectualis.
V *Virt. 1. 9. ad 6. et q. 5. 4. fi. c. et ad 3. In 3. d. 33. 1. 2. q. 4. ad 2.*
Non per acquiſitas, ſed per infuſas virtutes, ad cœleſtem felicitatem peruenitur.

Sanè per virtutes V acquiſitas non peruenitur ad felicitatem cæleſtem, ſed ad quandam felicitatem, quam homo natus eſt acquirere per propria naturalia in hac vita ſecundùm actum perfectæ virtutis, de qua Ariſtoteles tractat *in 10. Metaph. Per virtutes verò infuſas ad felicitatem pertingimus æternam : quarum præcipuum locum tenent theologicæ virtutes, ſcilicet Fides, Spes, Charitas.*

X *2. 2. 17. 6. c. In 3. d. 26. 2. 3. q. 1. c. Virt. 2. 3. c. et q. 4. 3. ad 9.*
Vnde dicatur virtus theologica.
Fides ſpes charitas diuerſimodè faciunt hominem Deo inhærere.

e Virtus *autem* aliqua X dicitur eſſe theologica ex hoc, quòd habet Deum pro obiecto, cui inhæret. Poteſt autem aliquis alicui inhærere dupliciter. Vno modo propter ſeipſum. Alio modo, in quantùm ex eo in aliud deuenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter ſe ipſum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris. Spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, ſicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt. De Deo autem prouenit nobis & cognitio veritatis & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantum eſt nobis principium cognoſcendi veritatem : credimus enim ea vera eſſe, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis : in quantùm ſcilicet per ſpem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.

Y *1. Cor. 13. fi. cap. et 1. 2. 62. 3 et 2. 2. l. c. In 3. d. 23. 1. 5. Virt. 1. 12. fi. c.*
Hæc tria coniungunt nos Deo : alia his mediantibus.
Duplex cum Deo coniunctio.

De his tribus Apoſtolus 1. Cor. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas. *Vbi docemur, quòd* cauſa Y quare non facit mentionem Apoſtolus de omnibus donis, ſed de iſtis tribus tantùm : eſt, quia hæc tria coniungunt nos Deo : alia autem non coniungunt Deo, niſi mediantibus iſtis. Alia etiam ſunt quædam diſponentia ad gignendum iſta tria in cordibus hominum. Nos autem habemus duplicem coniunctionem cum Deo. Vna eſt quantùm ad bona naturæ, quæ hìc participamus ab ipſo. Alia quantùm ad beatitudinem, in quantùm nos hìc ſumus participes per gratiam ſupremæ felicitatis, ſecundùm quod hìc eſt poſſibile. Speramus etiam ad perfectam conſecutionem illius æternæ beatitudinis peruenire, & fieri ciues cæleſtis Ieruſalem. Et ſecundùm primam coniunctionem ad Deum, eſt amicitia naturalis, ſecundùm quam vnumquodque ſecundùm quod eſt, Deum vt cauſam primam & ſummum bonum appetit, & deſiderat, vt finem ſuum. Secundùm verò communicationem ſecundam eſt amor charitatis, qua ſolùm creatura intellectualis Deum diligit.

Virtutum theologicarū neceſſitas.

Quia verò nihil poteſt amari, niſi ſit cognitum, ideò ad amorem charitatis exigitur primò cognitio Dei; & quia hoc eſt ſupra naturam, primò exigitur fides, quæ eſt non apparentium. Secundò ne homo deficiat, vel aberret, exigitur ſpes, per quam tendat in illum finem, ſicut ad ſe pertinentem. Et de his tribus dicitur Eccli. 2. *Qui timetis Dominum credite illi*, quantùm ad fidem : *Qui timetis Dominum, ſperate in illum*, quantùm ad ſpem : *Qui timetis Dominum, diligite illum*, quantùm ad charitatem.

Z *Opuſc. 3. cap. 1.*

Et ideò in Fide Z Spe & Charitate, quaſi in quibuſdam ſalutis noſtræ compendioſis capitulis totam præſentis vitæ perfectionem conſiſtere docuit, *dicens* : Nunc autem manent fides, ſpes, charitas.

A *Serm. 2 ex Eu. Dom. 1. poſt Epiph.*
In his tribus conſiſtit iuſtitia quoad Deum.

Profectò iuſtitia A quoad Deum in tribus conſiſtit. Primò vt homo in Deum, tanquam in ſummam veritatem, ſuper omnia credat. Secundò vt in eum, tanquam in ſummam poteſtatem, ſuper omnia ſperet. Tertiò vt eum, tanquam ſummam bonitatem propter ſe, & ſuper omnia diligat. Per primum coniungitur rationali, per ſecundum iraſcibili, per tertium concupiſcibili. Primum fit per fidem, ſecundum per ſpem, tertium per charitatem.

B *Coloſſ. 1. l. 2. ſub initio.*
Per has vitam quodammodo & hic prælibamus æternam.
C *Hebr. 6. l. 1. ibi, virtuteſque.*

Hinc docemur, quòd bonum B noſtrum principaliter eſt in fide, ſpe, & charitate : per fidem enim habemus notitiam Dei, per ſpem eleuamur in ipſum, ſed charitate vnimur ei. *Necdubium, quin per tres haſce virtutes quandam & hic habeamus æternæ beatitudinis prælibationem. Nam* viſio C tentio, & fruitio habentur in quadam inchoatione, in quantùm fides, ſpes, & charitas, quæ iſtis reſpondent, habentur in præſenti : *viſio enim fidei, ſpei tentio, fruitio reſpondet charitati. Ex quo præfatæ tres virtutes cæteris omnibus potiores ſunt, atque excellentiores.*

D *2. 2. 23. 6. c. et 1. 2. 66. 6. In 3. d. 36. 1. 4. et 4. con. G. c. 55. ad 13. Col. 3. l. 3. ſub initio.*
Excellentiores omnibus virtutibus.
Charitas inter theologicas potior.

Etenim cum bonum D in humanis actibus attendatur, ſecundùm quod regulantur debita regula, neceſſe eſt, quòd virtus humana, quæ eſt principium bonorum actuum, conſiſtat in attingendo humanorum actuum regulam. Eſt autem duplex regula humanorum actuum, ſcilicet ratio humana & Deus : ſed Deus eſt prima regula, à qua etiam humana ratio regulanda eſt; & ideò virtutes theologicæ, quæ conſiſtunt in attingendo illam regulam primam, eo quòd earum obiectum eſt Deus, excellentiores ſunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quæ conſiſtunt in attingendo rationem humanam. Propter quod oportet, quòd etiam inter ipſas virtutes theologicas, illa ſit potior, quæ magis Deum attingit. Semper autem id, quod eſt per ſe, maius eſt eo, quod eſt per aliud. Fides autem & ſpes attingunt quidem Deum, ſecundùm quod ex ipſo prouenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni : ſed charitas attingit ipſum Deum, vt in ipſo ſiſtat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et ideò charitas eſt excellentior fide & ſpe, & per conſequens omnibus aliis virtutibus. Sicut etiam prudentia, quæ attingit rationem ſecundùm ſe, eſt excellentior, quàm aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem, ſecundùm quod ex ea medium

constituuntur in operationibus, vel passionibus humanis. *Quoad harum autem actus virtutum illud notandum,* quòd interiores E actus se habent per modum finis, qui secundùm se quæritur: exteriores verò actus, per quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea, quæ sunt ad finem. In eo autem, quod quæritur tanquam finis, nulla mensura adhibetur; sed quantò maius fuerit, tantò melius se habet: in eo autem, quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundùm proportionem ad finem. Sicut medicus sanitatem facit tantum, quantum potest; medicinam autem non tantum dat, quantum potest, sed quantum videt expedire ad sanitatem consequendam. Et similiter homo in fide, & spe & charitate nullam mensuram debet adhibere: sed quantò plus credit, sperat & diligit, tanto melius est, propter quod dicitur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Sed in exterioribus actibus est adhibenda discretionis mensura per comparationem ad charitatem. *Vnde Apostolus dicit, Rom. 12.* Rationabile obsequium vestrum. *Et hæ quidem virtutes tres, arma sunt nostra spiritualia ad propugnationem animæ & præservationem.* Debemus *enim* induere F loricam charitatis, scutum fidei, galeam spei, thoracem iustitiæ. Fide debemus indui ad munimentum Rationalis, spe ad munimentum Irascibilis, charitate ad protectionem Concupisci - bilis, iustitia ad protectionem totius animæ, Sapient. 5. *Induet pro thorace iustitiam;* & 1. Thessalon. 5. *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Sunt *enim* G in homine duo principalia membra, quæ consueverunt in bellis protegi: scilicet cor, quod est principium motus exterioris, à quo sunt sensus, & aliquo modo nervi. Et protegitur cor loricà, caput galeà. Spiritualis vita in nobis est Christus, per quem anima vivit. Dominus autem in nobis per fidem habitat, Eph. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Habitat etiam per charitatem, 1. Io. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* quæ informat fidem. Et ideò debemus habere fidem, & charitatem; unde dicit: *Induti loricam fidei & charitatis:* quia protegit vitalia: *& galeam spem salutis,* quæ est principium motus specialis, quod est ex intentione finis, quem speramus assequi. *Et ad Eph. 6.* State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ. In omnibus sumentes scutum fidei, & galeam salutis assumite. *Scutum fidei:* quia H sicut scutum supponitur omnibus armis, ita fides omnibus alijs virtutibus. Alia sunt enim arma virtutum moralium, scilicet temperantiæ, idest *succinctio lumborum:* & iustitiæ; idest *inductio lorica:* sed hoc genus armorum, scilicet scutum, est virtutis theologicæ, scilicet fidei, quia sicut per scutum repelluntur tela, ita per fidem omnia contraria (1. Pet. 5. Cui resistite fortes in fide, *scilicet* tanquam I scuto:) & habetur victoria, ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Dicitur autem *scutum fidei;* quia sicut protegit totum pectus, ita fides debet esse in pectore. Spes autem dicitur galea, quia sicut galea in capite, ita caput virtutum moralium est finis. Et de hoc est spes, scilicet de fine. Et ideò dicit: *& galeam salutis assumite.*

E Rom. 12. l. 1. ibi, rationabile 4. d. 17. 2. 3. q. 2. c. & a. 4. q. 2. c. Quol. 5. a. 18. c.
In actibus exterioribus adhibenda in Dei obsequiũ mensura est: non ita in actibus interniis fidei, spei, & charitatis.
Fides, spes Charitas, arma nostra spiritualia.
F Serm. 3. ex Ep. Dom. 1. Adv.
G 1. Thess. 5. l. 1. ibi.
H Eph. 6. l. 4. ibi.
I 1. Pet. 5. §. 3. ibi.

§ *Post theologicas virtutes considerandæ veniunt virtutes morales.* Est *autem ex Philosopho 2. Ethic.* virtus moralis L habitus electivus in medietate consistens, determinata ratione, prout sapiens determinabit. *Vnde* si rectè M consideretur, virtus appetitivæ partis, nihil aliud est, quam quædam dispositio, sive forma sigillata & impressa in vi appetitiua à ratione. Et propter hoc, quantumcumque sit fortis dispositio in vi appetitiua ad aliquid, non potest habere rationem virtutis, nisi sit ibi id, quod est rationis. *Et quidem* dicitur N virtus moralis à more secundùm quod mos significat quandam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum. Et huic significationi moris, propinqua est alia significatio, quæ significat consuetudinem; nam consuetudo quodammodò vertitur in naturam, & facit inclinationem similem naturali. Manifestum est autem, quòd inclinatio ad actum propriè convenit appetitivæ virtuti, cuius est movere omnes potentias ad agendum: & ideò non omnis virtus dicitur moralis, sed solùm illa, quæ est in vi appetitiua. *Quocirca* considerandum O est, quòd appetitivæ virtutis est obiectum bonum, & malum: sicut obiecta intellectus sunt verum & falsum. Omnes autem actus appetitivæ virtutis ad duo communia reducuntur, scilicet ad prosecutionem & fugam; sicut & actus intellectivæ virtutis referuntur ad affirmationem & negationem, ut hoc sit prosecutio in appetitu, quod affirmatio in intellectu: & hoc sit fuga in appetitu, quod negatio in intellectu, ut Philosophus dicit *in 6. Ethic.* Bonum autem habet rationem attractivi, cum bonum sit, quod omnia appetunt, ut dicitur *in 1. Ethic.* & è contrario malum habet rationem repulsivi, quia malum est præter voluntatem & appetitum, ut *Dionysius* dicit 4. cap. de Div. Nom. *Versatur autem præcipuè moralis virtus circa passiones, & passionum obiecta.* Obiecta *enim* passionum P secundùm quod diversimodè ordinantur ad appetitum sensitivum, causant diversas passionum species: secundùm verò quod comparantur ad rationem, causant diversas species virtutum. Non est autem idem motus rationis & appetitus sensitivi: unde nihil prohibet aliquam differentiam obiectorum causare diversitatem passionum, quæ non causat diversitatem virtutum; sicut quando una virtus est circa multas passiones: & aliquam etiam differentiam obiectorum causare diversitatem virtutum, quæ non causat diversitatem passionum, cum circa unam passionem, putà delectationem, diversæ virtutes ordinentur. *Eiusmodi autem moralis* virtutis Q perfectio consistit in hoc, quòd homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundùm rationem temperet, & refrænet. *Igitur* virtutes R non omninò extinguunt passiones, sed moderant eas. Vnde Philosophus dicit in 2. Ethic. quòd *quidam determinant virtutes impassibilitates & quietes; non benè autem.* Passiones *immò* ad malum S inclinantes, nedum per virtutem acquisitam totaliter non tolluntur, sed neque per virtutem infusam) nisi fortè miraculosè) quia semper remanet colluctatio carnis contrà spiritum, etiam post moralem virtutem; de qua dicit Apostolus ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum; spiritus autem adversùs carnem:* sed tamen per virtutem acquisitam, quàm infusam, modificantur, ut ab his homo non effrænatè moveatur. Sed quantùm ad aliquid, prævalet in hoc virtus acquisita: & quantùm ad aliquid virtus infusa. Virtus enim acquisita prævalet quantùm ad hoc, quòd talis impugnatio minùs sentitur; & hoc habet ex causa sua: quia per frequentes actus, quibus homo est assuefactus ad virtutem, iam dissuevit talibus passionibus obedire, & consuevit eis resistere. Ex quo sequitur, quòd minùs earum molestias sentiat. Sed prævalet virtus infusa, quantùm ad hoc, quòd facit, quòd huiusmodi passiones, etsi famulentur, nullo tamen modo dominentur: virtus enim infusa facit, quòd nullo modo obediatur concupiscentijs peccati; & facit hoc infallibiliter, ipsa manen-

L 1. 2. 58. 2. arg. 4. Virt. 1. 9. fi. c. & a. 12. arg. 16.
Moralis virtus quid sit.
M Virt. 1. 9. fi. c. & 12. ad 16.
Vnd dicatur.
N 1. 2. 58. 1. c. In 3. d. 23. 1. 4. q. 2. c. Virt. 1. 10. ad 18. Quo. 12. a. 22. ad 3.
Est solùm in vi appetitiua.
O Ma. 10. 1. c.
Obiectum appetitivæ virtutis bonũ & malum, sicut intellectus, verum & falsum.
Actus illius, prosecutio & fuga: istius, affirmatio & negatio.
Versatur præcipuè moralis virtus circa passiones, & earum obiecta.
P 1. 2. 60. 5. c.
Obiecta passionum in ordine ad appetitum sensitiuum causant diversas passiones, in ordine verò ad rationem, diversas virtutes.
Q 2. con. G. c. 79. n. 2.
Virtutis perfectio in quo consistat.
R 3. d. 33. 2. 2. q. 2. ad 1.
S Virt. 1. 10. ad 14.
Passiones nõ tolluntur omninò, sed modificantur à virtutibus, tam acquisitis, quàm infusis.
An magis ab his, quàm ab illis.

nentes: sed virtus acquisita deficit in hoc, licèt in paucioribus; sicut & aliæ inclinationes naturales deficiunt in minori parte. Vnde Apostolus Rom. 7. *Cum essemus* inquit *in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ.* Secundùm Philosophum T autem *in 2. Ethic.* decem sunt virtutes morales circa passiones, scilicet fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia (*idest*, amor honoris) mansuetudo, amicitia, veritas, & eutrapelia. Et distinguuntur secundùm diuersas materias, vel secundùm diuersas passiones, vel secundùm diuersa obiecta. Si igitur addatur iustitia, quæ est circa operationes, erunt omnes vndecim. *Etenim* ad iustitiam V pertinere videtur, vt quis debitum reddat: vnde omnes virtutes, quæ sunt circa operationes, habent aliquo modo rationem iustitiæ. Sed debitum non est vnius rationis in omnibus: aliter enim debetur aliquid æquali, aliter superiori, aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promisso, vel ex beneficio suscepto. Et secundùm has diuersas rationes debiti sumuntur diuersæ virtutes, putà religio est, per quam redditur debitum Deo: pietas est per quam redditur debitum parentibus, vel Patriæ: gratia est, per quam redditur debitum benefactoribus, & sic de alijs.

Virtutes circa passiones, quænam & quot. *T 1.2.60.5. & c.*

Quænam & quot circa operationes. *V ibi a.3.c.*

g *Subiectum verò moralium virtutum ad appetitum sensitiuum pertinentium sunt irascibilis, & concupiscibilis.* Quando *enim* oportet X operationem hominis esse circa ea, quæ sunt obiecta sensibilis appetitus, requiritur ad bonitatem operationis, quòd sit in appetitu sensibili aliqua dispositio, vel perfectio, per quam appetitus prædictus de facili obediat rationi: & hanc, virtutem vocamus. Quando igitur aliqua virtus est circa illa, quæ propriè ad vim irascibilem pertinent, sicut fortitudo circa timores & audacias, magnanimitas circa ardua sperata, mansuetudo circa iras: talis virtus dicitur esse etiam in irascibili, sicut in subiecto. Quando autem est circa ea, quæ sunt propriè concupiscibilis, dicitur esse in concupiscibili, sicut in subiecto: sicut castitas, quæ est circa delectationes venereas; & sobrietas & abstinentia, quæ sunt circa delectationes in cibis & potibus. *At verò* voluntas Y non indiget aliquo habitu virtutis inclinante ipsam ad bonum, quod est sibi proportionatum, quia in hoc ex ipsa ratione potentiæ tendit. Sed ad bonum, quod transcendit proportionem potentiæ, indiget habitu virtutis. Cum autem vniuscuiusque appetitus tendat in proprium bonum appetentis, dupliciter aliquod bonum potest excedere voluntatis proportionem: vno modo ratione speciei; alio modo ratione indiuidui. Ratione quidem speciei, vt voluntas eleuetur ad aliquod bonum, quod excedit limites humani boni (Et dico, *humanum*, in quod ex viribus naturæ homo potest:) sed supra humanum bonum, est bonum diuinum, in quod voluntatem hominis charitas eleuat, & similiter spes. Rationem autem indiuidui hoc modo, quòd aliquis quærat id, quod est alterius bonum, licèt voluntas extra limites boni humani non feratur. Et sic voluntatem perficit iustitia, & omnes virtutes in aliud tendentes, vt liberalitas, & aliæ huiusmodi: nam iustitia est alterius bonum, vt Philosophus dicit *in 5. Ethic.* Sic ergo præfatæ virtutes sunt in voluntate, sicut in subiecto. Cuius signum est, quòd istæ virtutes, quamuis ad appetitiuam pertineant, tamen non circa passiones consistunt, sicut temperantia & fortitudo: vnde patet, quòd non sunt in sensibili appetitu, in quo sunt passiones, sed in

X Virt. 1. 4. c. & 10. ad 5. & 1.2.56.4.c. & 5. ad 1.

Virtutum moralium subiectum.

Y Virt. 1.5. c. & 1.2.56.6. c. In 3. d.33.2.4.

An voluntas esse possit subiectum virtutis.

appetitu rationali, qui est voluntas, in quo passiones non sunt: nam omnis passio est in parte animæ sensitiua, vt probatur in 7. *Physic.* Illæ autem virtutes, quæ circa passiones consistunt, sicut fortitudo circa timores, & audacias, & temperantia circa concupiscentias, oportet eadem ratione esse in appetitu sensitiuo. Nec oportet, quòd ratione istarum passionum sit aliqua virtus in voluntate: quia bonum in istis passionibus est, quod est secundùm rationem. Et ad hoc naturaliter se habet voluntas ex ratione ipsius potentiæ, cum sit proprium obiectum voluntatis. *Neque tollit, appetitum sensitiuum esse subiectum virtutis, quòd virtus omnis dicatur esse* bona qualitas mentis. *Nam* ratio Z & voluntas sunt primum principium actus humani, tanquam mouens, & imperans: appetitus autem sensitiuus est principium secundum, tanquam mouens motum. Item mens importat potentiam rationalem per essentiam, vel per participationem. Irascibilis autem, & concupiscibilis, sunt potentiæ rationales per participationem: & ob hoc possunt esse subiectum virtutis, in quantùm participant mentem.

Soluitur obiectio.

Z Virt. 1.2. ad 12. & 1.2. 56.4. ad 1.

h *Porrò morales virtutes connexæ sunt, ita vt qui habet vnam, habeat & cæteras. Quod ex duplici capite comprobatur.* Quidam *enim* distinguunt A virtutes Cardinales secundùm quasdam generales conditiones virtutum, vtpote quòd discretio pertineat ad prudentiam, rectitudo ad iustitiam, moderantia ad temperantiam, firmitas animi ad fortitudinem, in quacumque materia ista considerentur. Et secundùm hoc apparet ratio connexionis. Non enim firmitas habet laudem virtutis, si sit sine moderatione vel rectitudine, aut discretione; & eadem ratio est de alijs. Alij verò distinguunt prædicta virtutes secundùm materias. Et secundùm hoc assignatur ratio connexionis ab Aristotele *in 6. Ethic.* Quia nulla virtus moralis potest sine prudentia haberi, eo quòd proprium virtutis moralis est facere electionem rectam, cum sit habitus electiuus. Ad rectam autem electionem non solùm sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directè per habitum virtutis moralis; sed etiam quòd aliquis directè eligat ea, quæ sunt ad finem: quod fit per prudentiam, quæ est consiliatiua & iudicatiua, & præceptiua eorum, quæ sunt ad finem. Similiter etiam prudentia non potest haberi, nisi habeantur virtutes morales, cum prudentia sit recta ratio agibilium, quæ sicut ex principijs, procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis rectè se habet per virtutes morales. Vnde sicut scientia speculatiua non potest haberi sine intellectu principiorum: ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. Ex quo manifestè sequitur, virtutes morales esse connexas. *Vlteriùs* est B & alia ratio connexionis in virtutibus gratuitis propter charitatem, in qua connectuntur; quia qui habet charitatem, habet omnes virtutes gratuitas: & similiter qui habet vnam, habet charitatem. *Quo facit illud Ps. 44.* Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Regina sponsa* C Christi est Ecclesia: & sponsæ regis dicuntur Reginæ: *in vestitu deaurato*: quia per aurum significatur charitas, & ideo dicitur *deauratus*, quia informatus charitate. Vnde subditur: *circumdata varietate*; idest, diuersis virtutum operibus: *quia qui charitatem habet, adnexas habet & virtutes cæteras. Et propter hoc charitas etiam dicitur vinculum, Coloss. 3.* Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: *nimirùm, quia ex glossa* per omnes D virtutes homo perficitur: sed charitas connectit eas ad inuicem, & facit eas perseuerantes. *Nec mirum, cum charitas (vt suo loco assumest) omnium sit forma virtutum: & multò magis, quàm prudentia. Proque sciendum, quòd* infor-

Virtutum connexio.

A 1.2.65.1.c. & ad 1. & 66. 2.c. & 73. 1. c. In 3.d.36. 1. & Quol. 12. a.22.

B Quol. 12. l. c. fi. c. & 1. 2. 65.4.2.3.4. In 3.d. c.a.2.

Etiam gratuitarum.

C Ps. 44 lit. g. ibi.

D Coloss. 3. l. 3. ibi.

Diuersimodè prudentia, charitas, & gratia, forma dicitur, virtutum.

D Ver. 27. 5. ad 5.

informatur D actus virtutis tripliciter. Vno modo, in quantum circa substantiam actus apponuntur debitæ conditiones, per quarum limitationem in medio virtutis constituitur, & hoc habet actus virtutis à prudentia. Nam medium virtutis accipitur secundùm rationem rectam, vt dicitur *in 2. Ethic.* Et sic prudentia dicitur forma omnium virtutum moralium. Actus autem virtutis, sic constitutus in medio, est quasi materialis respectu ordinis in finem vltimum, qui quidem ordo apponitur actui virtutis ex imperio charitatis. Et sic charitas dicitur esse forma omnium aliarum virtutum. Vlterius verò efficaciam merendi adhibet gratia: nullus enim operum nostrorum valor reputatur dignus æternæ gloriæ, nisi præsupposita acceptatione diuina. Et sic gratia dicitur esse forma & charitatis & aliarum virtutum. *Igitur* charitas E in quantùm ordinat hominem ad finem vltimum, est principium omnium bonorum operum, quæ in finem vltimum ordinari possunt; vnde oportet, quòd cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum. Et sic patet, quòd virtutes morales infusæ non solùm habent connexionem propter prudentiam, sed propter charitatem; & quòd qui amittit charitatem per peccatum mortale, amittit omnes virtutes morales infusas.

E 1. 2. 65. 3. fi. c.

Charitas principium bonorum operum in ordine ad vltimum finem.

Omnes virtutes cum charitate infunduntur.

Qui per p. m. amittit charitatem, omnes amittit morales virtutes infusas.

Hinc sequitur, quòd virtus F moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus; sicut sine sapientia, scientiam, & arte: non autem potest esse sine intellectu & prudentia. *Similiter* aliæ G virtutes intellectuales sine virtute morali esse possunt: sed prudentia sine virtute morali esse non potest. Cuius ratio est: quia prudentia est recta ratio agibilium, non autem solùm in vniuersali, sed etiam in particulari, in quibus sunt actiones. Recta autem ratio præexigit principia, ex quibus ratio procedit. Oportet autem rationem circa particularia procedere non solùm ex principiis vniuersalibus, sed etiam ex principijs particularibus. *Et hinc moralis habitus, simpliciter virtus dicitur: non sic habitus intellectualis.* *Nam* virtus H est habitus, quo aliquis benè vtitur. Dupliciter autem habitus aliquis ordinatur ad bonum actum. *Vno modo*, in quantùm per huiusmodi habitum acquiritur homini facultas ad bonum actum: sicut per habitum grammaticæ habet homo facultatem rectè loquendi; non tamen grammatica facit, vt homo semper rectè loquatur: potest enim grammaticus barbarizare, aut solœcismum facere. Et eadem ratio est in alijs scientijs & artibus. *Alio modo* aliquis habitus non solùm facit facultatem agendi, sed etiam facit, quòd aliquis rectè facultate vtatur: sicut iustitia non solùm facit, quòd homo sit promptæ voluntatis ad iusta operandum, sed etiam facit, vt iustè operetur. Et quia bonum, sicut & ens, non dicitur simpliciter aliquid secundùm id, quod est in potentia, sed secundùm id, quod est in actu: ideò ab huiusmodi habitibus simpliciter dicitur homo bonum operari, & esse bonus: putà quia est iustus vel temperatus. Et eadem ratio est de similibus. Et quia virtus est, quæ *bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*: huiusmodi habitus simpliciter dicuntur virtutes, quia reddunt bonum opus in actu; & simpliciter faciunt bonum habentem. Primi verò habitus non simpliciter dicuntur virtutes, quia non reddunt bonum opus, nisi in quadam facultate, nec simpliciter faciunt bonum habentem. Non enim dicitur simpliciter aliquis homo bonus ex hoc, quòd est sciens vel artifex: sed dicitur bonus solùm secundùm quid, putà bonus Grammaticus, aut bonus Faber. *In ratione proinde virtutis videntur virtutes morales intellectualibus præferri.* *Nam* aliæ I virtutes intellectuales à prudentia, etsi sint principaliores, quàm morales quantùm ad subiectum; non tamen sunt principaliores quantum ad rationem virtutis, quæ respicit bonum, quod est obiectum appetitus. *Id quod de moralibus infusis à fortiori verum habet.* *Vnde & docemur, quòd* eorum L quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio, quàm dilectio. Propter quod Philosophus *in 7. Ethic.* prætulit virtutes intellectuales moralibus: sed eorum, quæ sunt supra nos, dilectio, præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur. Et ideò charitas est excellentior fide. *Igitur* simpliciter M loquendo, virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sunt nobiliores, quàm morales, quæ perficiunt appetitum; sed si consideretur virtus in ordine ad actum: sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cuius est mouere alias potentias ad actum, nobilior est. Et quia virtus dicitur ex eo, quòd est principium alicuius actus, cum sit perfectio potentiæ: sequitur etiam, quòd ratio virtutis magis competat virtutibus moralibus, quàm intellectualibus: quamuis virtutes intellectuales sint nobiliores habitus simpliciter.

F 1. 2. 58. 4. initio c.

An virtus moralis possit esse sine intellectualibus: & è contra.

G Ibid. a. 5. initio c.

Habitus moralis simpliciter virtus dicitur: non ita intellectualis.

H 1. 2. 56. 3. c. & 57. 1. 58. 1. 61. 1. ad 3. 65. 2. & 66. 3.

Dupliciter habitus ordinatur ad bonum actum.

A virtute morali dicitur homo simpliciter bonus

I 1. 2. 61. 1. ad 3. & 66. 3. 68. a. 7. & 8. c. & 2. 2. 161. 5. c. Virt. 1. 12. c. in 4. d. 33. 3. 3. c.

Morales in ratione uirtutis præferuntur intellectualibus, nō tamen simpliciter.

L 2. 2. 23. 6. ad 1.

M 1. 2. 66. 3. c. & 2. 2. l. c. in 4. d. 33. 3. 3. c. Vert. 1. 12. c.

i *Inter morales autem virtutes quatuor eminent principales, quæ & cardinales vocantur: scilicet Prudentia (quæ tamen moralis est quoad materiam tantùm, non secundùm essentiam, vt præmissum est) Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Et hæ in quatuor præcipuis humanis potentiis, seu viribus reperiuntur.* *Nam* in parte N rationali sunt duæ virtutes, scilicet appetitiua, quæ vocatur voluntas, & apprehensiua, quæ vocatur ratio. Vnde in parte rationali sunt duæ virtutes cardinales: scilicet prudentia, quantùm ad rationem, iustitia quantùm ad voluntatem: in concupiscibili autem temperantia, sed in irascibili fortitudo. *At verò* virtus O aliqua dicitur Cardinalis, quasi principalis, quia super eam aliæ virtutes firmantur, sicut ostium in cardine. Et quia ostium est, per quod introitur in domum, ratio cardinalis virtutis non competit virtutibus theologicis, quæ sunt circa vltimum finem, ex quo non est introitus vel motus ad aliquid interius. Conuenit enim virtutibus theologicis, quòd super eas aliæ virtutes firmentur, sicut supra aliquid immobile: & ideò Fides dicitur fundamentum, *1. Cor. 3.* Spes anchora, *Hebr. 6.* Charitas radix, *Ephes. 3.* Similiter etiam intellectuales non dicuntur cardinales, quia perficiunt in vita contemplatiua quædam earum, scilicet sapientia, scientia, & intellectus. Vita autem contemplatiua est finis; vnde non habet rationem ostij. Sed vita actiua, in qua perficiunt morales, est vt ostium ad contemplatiuam. *Cæterùm quatuor harum cardinalium virtutum, conueniens est numerus.* *Siquidem* principium P formale virtutis, de qua loquimur, est rationis bonum, quod quidem dupliciter potest considerari. *Vno modo*, secundùm quod in ipsa consideratione rationis consistit: & sic erit vna principalis virtus, quæ dicitur prudentia. *Alio modo* secundùm quod circa aliquid ponitur rationis ordo: & hoc vel circa operationes; & sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem. Quæ quidem potest esse dupliciter. *Vno modo*, secundùm quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi; & sic necesse est, quòd passio reprimatur: & ab hoc denominatur temperantia. *Alio modo*, secundùm quod

Virtus cardinalis quadruplex.

N Vert. 1. 12. ad 25. & 1. 2. 61. 2. fi. c.

Earum subiectum.

Vnde dicatur cardinalis, & quare.

O Vert. l. c. ad 24. & q. 5. a. 1. initio c. in 3. d. 33. 2. 1. q. 1. & 2.

P 1. 2. 61. 2. c. & 2. 2. 123. 11. in 3. d. 33. 2. 1.

Rationabiliter quadruplex.

passio

passio trahit ab eo, quod ratio dictat; sicut timor periculorum vel laborum; & sic necesse est, quòd homo firmetur in eo, quod est rationis, ne recedat; & ab hoc denominatur fortitudo. *Enimuerò* prudentia Q est simpliciter principalior omnibus: sed aliæ ponuntur principales, vnaquæque in suo genere. *At verò* virtutes R cardinales dupliciter accipiuntur. *Vno modo*, secundùm quod sunt speciales virtutes, habentes determinatas materias. *Alio modo*, secundùm quod significant quosdam generales modos virtutis. Et hoc modo loquitur *Augustinus in lib. 83. Quæst.* cum ait: *Prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Temperantia est refrenatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant. Fortitudo est firmitas animi aduersùs ea, quæ temporaliter molesta sunt. Iustitia est, quæ per cæteras diffunditur, dilectio Dei & proximi*: quæ scilicet est communis radix totius ordinis ad alterum. *Proinde* istæ quatuor S virtutes denominantur ab inuicem per redundantiam quandam. Id enim, quod est prudentiæ, redundat in alias virtutes, in quantùm à prudentia diriguntur. Vnaquæque verò aliarum redundat in alias ea ratione, quòd qui potest, quod est difficilius, potest & id, quod minùs est difficile. Vnde qui potest refrænare concupiscentias delectabilium secundùm tactum, ne modum excedant, quod est difficillimum, ex hoc ipso redditur habilior, vt refrænet audaciam in periculis mortis, ne vltra modum procedat, quod est longè facilius; & secundùm hoc fortitudo dicitur temperata. Temperantia etiam dicitur fortis ex redundantia fortitudinis in temperantiam, in quantùm scilicet ille, qui per fortitudinem habet animum firmum contra pericula mortis, quod est difficillimum, habilior est, vt retineat animi firmitatem contra impetus delectationum. *Præter has recensentur & virtutes, quas heroicas vocant. Vnde &* Philosophus T *in 7. Ethic.* supra virtutem communem ponit quandam virtutem heroicam, vel diuinam, secundùm quam dicuntur aliqui diuini viri: *quia videlicet* per excellentiam V virtutis homo fit quasi Deus: *Vnde & Ps. 23.* Dominus virtutum *vocatur. Et hinc*, quia X animas bonorum, per hoc, quòd à corpore separantur, in statum altiorem, quàm sit status præsentis vitæ, quidam transire credebant, etiam animabus mortuorum, quas Heroas, aut Manes vocabant, diuinum cultum exhibendum esse opinabantur. *Vnde & qui sepulchra demoliebantur, Deos manes putabantur violare. Cæterùm* habitus Y ille heroicus, vel diuinus, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundùm perfectiorem modum, in quantùm scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quàm communiter omnibus competat. *Et in hoc sensu virtutes heroicæ, seu diuinæ, apud nos dona sunt Spiritus sancti.* Dona *enim* in hoc Z à virtutibus distinguuntur, quòd virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona vltra humanum modum. Quod patet in fide & intellectu. Connaturalis enim modus humanæ naturæ est, vt diuina nonnisi per speculum creaturarum, & ænigmata similitudinum percipiat: & ad sic percipienda diuina perficit fides, quæ virtus dicitur. Sed intellectus donum, vt *Gregorius* dicit, de auditis mentem illustrat, vt homo etiam in hac vita prælibationem futuræ manifestationis accipiat. *At de his fusè dictum est supra V.* Spiritus Sanctus.

Q 1.2. 61.2. ad 1.
Prudentia omnibus principalior.
R 2.2. 58.8. ad 2. & 123.2. & 1.2. 61.4. c. & 66.2. in 3. d. 33.1.1.q.3.
Virtutes cardinales dupliciter accipiuntur.
S 1.2.61.4. ad 1.
Ab inuicem denominantur per redundantiam quandam.
T 1.2. 68.1. ad 1. & 2.2. 159.2. ad 1. in 3. d. 34.1.1. fi. c. Mat. 5. lis. b. ibi, pauperes.
Virtus heroica.
V In 3. loco cit.
X 3. con. G. c. 120. initio.
Heroes, quinam apud veteres.
Y 3. p. 7. 2. ad 2.
Habitus heroicus an differat à virtute.
Virtutes heroicæ sunt dona Spiritus sancti.
Z In 3. d. 34.1. 1. fi. c. & 1.2. 68.1. ad 1. & 2.2. 159.2. ad 1. Gal. 5. l. 6. ibi, fructus autem.

I *Quoniam verò moralis virtus, & acquisita potest esse & infusa, vt præmissum est: videndum restat, in quo altera ab altera distinguatur. Quocirca sciendum, quòd* dupliciter A habitus distinguuntur specie. *Vno modo* secundùm speciales, & formales rationes obiectorum: alio modo secundùm ea, ad quæ ordinantur. Obiectum autem virtutis cuiuslibet est bonum consideratum in materia propria: sicut temperantiæ obiectum est bonum delectabilium in concupiscentijs tactus: cuius quidem obiecti formalis ratio est à ratione, quæ instituit modum in his concupiscentijs: materiale autem est id, quod est ex parte concupiscentiarum. Manifestum est autem, quòd alterius rationis est modus, qui imponitur in huiusmodi concupiscentijs secundùm regulam rationis humanæ, & secundùm regulam diuinam: puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum. Secundùm autem regulam diuinæ legis, requiritur; quòd homo *castiget corpus suum, & in seruitutem redigat* per abstinentiam cibi, & potus, & aliorum huiusmodi. Secundùm etiam ea, ad quæ ordinantur, habitus distinguuntur specie: non enim est eadem specie sanitas hominis & equi propter diuersas naturas, ad quas ordinantur. Et eodem modo dicit Philosophus *in 3. Politic.* quòd diuersæ sunt virtutes ciuium, secundùm quod benè se habent ad diuersas politias. Et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales infusæ: per quas homines benè se habent in ordine ad hoc, quòd sint *ciues Sanctorum & domestici Dei*: & aliæ virtutes acquisitæ, secundùm quas homo bene se habet in ordine ad res humanas. *Profectò acquisita virtus ex nostris causatur actibus; non ita infusa*: quæ *quidem* causatur B in nobis à Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus. Et sic est intelligendum, quod dicitur: *Quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quæ verò per nos aguntur, Deus in nobis causat, non sine nobis agentibus. Ipse enim operatur in omni voluntate & natura. *Verùm* licèt C virtus infusa non causetur ex actibus: tamen actus nostri possunt ad eam disponere. Vnde non est inconueniens, quòd & per actus corrumpatur, quia propter indispositionem materiæ tollitur forma: sicut propter indispositionem corporis anima separatur. *Porrò* ad vtramque D virtutem aliquid operatur operum assuetudo, sed diuersimodè. Nam virtutem quidem acquisitam causat: ad virtutem autem infusam disponit, & eam iam habitam conseruat, & promouet. *Cum autem sine charitate non habeantur infusæ virtutes; sicut nec morales acquisitæ sine prudentia*: Quæres: *num per vnum actum peccati mortalis omnes amittantur? & dicendum, quòd* si actus E peccati comparetur ad ipsam virtutem, prout est habitus quidam, non potest ipsam corrumpere, si sit vnus tantùm. Sicut enim non generatur habitus per vnum actum, ita nec per vnum actum corrumpitur. Sed si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est, quòd per vnum actum peccati aliquæ virtutes corrumpantur. Quodlibet enim p.m. contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum, in quantùm sunt virtutes; & ideò per vnum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, in quantùm sunt virtutes. Et hoc dico, propter fidem & spem, quarum habitus remanent informes post peccatum mortale. *At verò* vnus actus F peccati etiam mortalis non tollit habitum virtutis acquisitæ: sed si multiplicentur actus, in tantùm, quod generetur contrarius habitus, excluditur habitus virtutis acquisitæ; qua exclusa, excluditur prudentia: quia cum homo agit contra quamcumque virtutem, agit contra prudentiam, sine qua nulla virtus esse potest (*vt supra habitum est*:) & ideò per consequens

Virtus infusa in quo distinguatur ab acquisita.
A 1.2.63.4. c. in 3. d. 33.1.2. q.4. Ver. 14.3. ad 9.
B 1.2. 55.4. ad 6. Ver. 28.3. ad 17.
Infusa non causatur ex nostris actibus, sed à Deo; non tamen sine nobis consentientibus.
C Vir. 1. 10. ad 17.
Disponunt ad eam actus nostri, & propter indispositionem corrumpitur.
D 1.2.92.1. ad 1. & 51.3. & 63.2. c. 2.2.47. 15. in 3. d. 33. 1.2. q. 1. Virt. 1.8.
Ad vtramq; assuetudo operum facit.
E 1.2.71.4 c. & 63.2. ad 2. & 73.1. ad 2. Virt. 1.1. ad 5. & 10.
An per vnum actum p. m. tollantur habitus virtutum tam acquisitarú, quàm infusarum.
Habitus infusi fidei, & spei, exclusa charitate, remanent, sed informes.
F 12.73.1. ad 2. & locis cit.

quens

impugnatio molestabit. Hoc est ergo, in quo Iob inter amaritudines consolationem habebat, sperans se iuxta Deum ponendum, ubi impugnationes timere non posset. *Sanè* consideratio V præmij minuit vim flagelli, *aiebat Gregorius. Et hoc solum ob oculos filij posuit septem Machabæorum mater, ut ad tormenta promptè subeunda animaret* 2. *Mach.*7. Peto nate, ut aspicias ad Cœlum. *Hinc est, quòd* adversitas X licèt ex se amara sit, & tristitiam generet: tamen ex consideratione utilitatis, propter quam Deo placet, debet esse iucunda; nam & de sumptione medicinæ amaræ aliquis ratione gaudet propter spem sanitatis, licet sensu turbetur. *Quantò magis propter salutem æternam? Ex quo ad illud If.*21. Custos quid de nocte? *instruimur, quòd* in nocte Y adversitatis debet homo se custodire tripliciter. Primò considerando percutientis affectum. Secundò percussi Christi exemplum. Tertiò percussionis fructum, *immarcescibilem nimirùm æternæ gloriæ. Idque suadebat Timotheo Paulus* 2. *Tim.*2. Memor esto Dominum N. I. C. resurrexisse à mortuis. *Quasi dicat*: Dominum Z Nostrum I. C. habe in mente contra tribulationes, Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos*. Multa sunt in eo cogitanda, sed specialiter resurrectio. Ad hanc enim omnia ordinantur, & præcipuè totus Christianæ religionis status. *Unde subdit*: Nam si commortui sumus, & conviuemus: si sustinemus, & conregnabimus. *Consideret tribulatus & eiusdem verba ad discipulos suos Io.* 15. Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Etenim* hęc A est grandis consolatio iustis ad fortiter sustinendum persecutiones. Et ideò *secundùm Augustinum* non debent se membra supra verticem extollere, nec recusare se in corpore esse, nolendo Mundi odium sustinere cum capite. *Igitur* per patientiam (*inquit Apostolus ad Hebr.* 12.) curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in Authorem fidei, & Consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta: atque in dextra sedis Dei sedet. *Siquidem* exaltatio B humanitatis Christi fuit præmium passionis eius. *Et subdit Apostolus*: Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. *Siquidem* consideratio C passionis Christi facit nos non deficere. *Gregorius*: Si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeò durum est, quod non æquanimiter toleretur. *Et subiicit tandem Apostolus*: Non enim usque ad sanguinem restitistis. *Quasi dicat*: Non D debetis deficere in tribulationibus vestris pro vobis; quia nondum tantum sustinuistis, sicut Christus.

V Prol. in Ap. com. 1.
X Iob 1. fi. cap.
Quid tribulatus considerat.
Y If. 21. ibi, Ier. 10. fi.
Z 2. Tim. 2. l. 2. ibi.
A Io. 15. l. 4. lit. a.
B Hebr. 12. l. 3. ibi.
C Ibid. ibi.
D Ibid. ibi.

m *Consideret præterea tribulatus, quàm levis brevis, & modica temporalis afflictio sit respectu summæ felicitatis æternæ, quam patienter est sustinendo adepturus*, 2. *Cor.* 4. Id enim, quod in pręsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Quasi dicat*: Nihil E sunt tribulationes, quas hîc patimur, si respiciatur ad gloriam, quam ex eis consequimur. Unde comparat statum sanctorum, qui sunt in vita ista, ad statum eorum, qui sunt in Patria. Et ponit quinque in utroque statu correspondentia sibi invicem. Nam primò status istius vitæ in sanctis est status, quantùm in se est, parvus & quasi imperceptibilis. Unde dicit, *id*, hoc est minimum, If. 54. *Ad punctum in modico dereliquite*. Item transitorium, unde dicit, *in præsenti*, idest in vita ista, quæ est in afflictionibus & ærumnis, Iob 7. *Militia est vita hominis super terram*. Item temporis brevitas; unde dicit, *momentaneum*, If. 54. *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te*: nam totum tempus huius vitæ, comparatum ad æternitatem, non est nisi momentaneum. Item levi est, unde dicit, *leve*: nam licèt 2. Cor. 1. dicatur: *Gravati sumus supra modum*, quia scilicet grave est corpori: tamen spiritui charitate ferventi levissimum est. Item est pœnosus; & ideò dicit, *tribulationis*, Mich. 7. *Iram Domini portabo*. Sed quantum ad statum beatitudinis, ponit etiam quinque: quia contra hoc quod dicit, *Id*, ponit, *supra modum*, idest supra mensuram, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones &c.* Item contra id, quod dicit, *in præsenti*, ponit, *in sublimitate*, idest in statu sublimi absque perturbatione, If. 58. *Sustollam te super altitudines terræ*. Contra id, quod dicit, *momentaneum*, ponit, *æternum*, If. 35. *Lætitia sempiterna super caput eorum*. Contra id, quod dicit, *leve*, ponit, *pondus*. Et dicit *pondus* propter duo. Pondus enim inclinat & trahit ad motum suum, quæ subsunt sibi: sic gloria æterna erit tanta, quòd totum hominem faciet gloriosum & in anima & in corpore; nihilque erit in homine, quod non sequatur impetum gloriæ. Vel dicitur *pondus* propter pretiositatem: nam pretiosa solùm ponderari consueverunt. Contra hoc, quod dicit, *tribulationis*, ponit *gloriæ*. Vel hoc, quod dicit, *gloriæ*, potest esse commune ad alia quatuor, quæ de statu Patriæ dicuntur. Hoc verò, quod dicit, *tribulationis*, ad quatuor, quæ de statu præsentis vitæ dicta sunt. *Operatur in nobis* supra id scilicet, quòd tribulationes patimur: nam hæc sunt causa & meritum, quare Deus istã gloriam nobis conferat. *Id quod etiam tangitur Apoc.* 1. *cum dicitur* Quæ oportet fieri citò. *Videlicet* quæ F hic revelantur, necesse est impleri, scilicet de tribulationibus iustorum, & consolationibus. Et hoc *citò*. Quasi dicat: Non sit molestum pati, quia finietur labor, & sequetur præmium. Omne *quippe* tempus, quantumcumque longum, æternitati comparatum, breve est. *Et Apostolus Petrus in sua* 1. c. 1. Modicum nunc si oportet contristari &c. *Modicum* dicit G ex *glossa* quoad tribulationum acerbitatem; *nunc* autem quoad ipsarum brevitatem. *Quod habetur etiam c.* 5. Modicùm passos ipse perficiet. *Item If.* 54. In modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te: & in misericordia sempiterna misertus sum tui. *In modico* scilicet H passa es, respectu eorum, quæ tibi miserando tribuam: *In momento*. Quasi dicat: brevi tempore iram meam sensisti, respectu eius, quo tui miserebor. *Et Ier.* 15. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari? Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. *Ubi* loquitur I Propheta in persona Ierusalem, & adiungit consolationem, cum dicit: *Facta est mihi &c.* Quasi dicat: In hoc tamen consolabor, quòd citò transituræ sunt huiusmodi angustiæ, sicut aquæ infideles, quæ ex pluvijs congregantur.

Brevis & modica temporalis afflictio est, respectu æternæ summæ felicitatis per eam consequendæ.
E 2 Cor. 4. l. 5. ibi.
Comparatio pręsentis vitæ ad futuram gloriam.
Cur gloria æterna *pondus* dicatur.
F Apoc. 1. com. 1. & 2. ibi.
G 1. Pet. 1. §. 3. ibi. &c. 5. §. 4. ibi. modicù h. 16. l. 5. lit. a. Op. 7. Pet. 7.
H If. 54. ibi.
I Ier. 15. §. 4. fi.

n *Et ex hoc quidem vel solo motivo deberet fidelis quisque æquanimiter pati: quamvis & ulterius multiplex adduci possit ex tribulatione proventus*. Ipsa *enim* persecutio L quæ in persequentibus est *causa perditionis*, *vobis est causa salutis*, ait Apostolus *ad Phil.* 1. & 2. *Thess.* 1. Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui uos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem &c. *Retributionem*, scilicet M æternæ damnationis illis, & *nobis*, *qui tribulamini*, *requiem*, scilicet æternæ gloriæ, *Luc.* 16. Fili recordare, quòd recepisti bona in vita tua: & Lazarus

Multiplex ex tribulatione proventus.
L Phil. 1. l. 4. ibi, terrem ini.
M 2. Thess. 1. l. 2. ibi.
Causa salutis tribulato; perditionis tribulanti.

zarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris. *Et Apocal.* 14. Vt requiescant à laboribus suis. *Profectò* conuenientissimum M est, Deum permittere cultores suos tribulationibus affligi; tum propter punitionem culpæ præteritæ, tum propter cohibitionem futuræ, tum propter meritum coronæ. *Ad pœnitentiam sanè peccatoris non parùm adiuuat tribulatio. Quò facit illud Ier.* 6. Erudire Ierusalem, ne recedat anima mea à te. *Erudire* scilicet N flagellis præcedentibus castigata. *Cui respondet illud cap.* 31. Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. *Eruditus sum, quasi iuuenculus, qui* scilicet O difficilè corrigitur, etiam multis verberibus. *Et postquam ostendisti mihi*, scilicet flagellis peccata, *percussi femur meum*, interiorem dolorem exteriori percussione designans: *nam* sola vexatio intellectum dabit, *vt dicitur* Is. 28. *Hinc* Ps. 9. *Regius dicebat propheta*: Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Refugium pauperi*, scilicet P oppresso; & ideò subdit: *adiutor in tribulatione*; & addit *in opportunitatibus*: quia tempore tribulationis, homines conuertuntur ad Deum. *Et hoc est quod dicitur Ps.* 15. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. *Infirmitates*, idest Q diuersa peccata, vel pœnalitates ex peccato consequentes, Thren. 1. *Multi gemitus mei*. Et ex hoc sequitur: *postea accelerauerunt*: quia post tribulationes homo currit ad Deum, *Ose.* 6. In tribulatione sua manè consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum. *Et tunc quidem faciliùs ab eo homines exaudiuntur*, 2. *Paral.* 20. Clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluosque facies. *Et huc spectat tempus, quo Christus ad Patrem orauit*, *Io.* 17. Pater, venit hora, clarifica filium tuum. *Venit hora*, scilicet R passionis. Et conuenienter rogaturus, interponit tribulationes, quia in eis maximè Deus exaudit, *Ps.* 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. *Valet vlteriùs tribulatio iustis, ad profectum virtutis*. Quòd S iusti in aduersitatibus sunt, in eorum bonum cedit; quia per hoc ad virtutem proficiunt. *Vnde & Iob post perpessas ærumnas dicebat ad Deum cap.* 42. Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te. *Idest* pleniùs T te cognosco, quàm priùs. Profecerat enim tum ex percussione, tum ex reuelatione diuina. *Reuelantur quippe faciliùs cælestia tribulatis. Ex quo Ioannes in exilio constitutus in Insula Patmos, Apocalypsim vidit*. Fui in spiritu, *inquit*, in Dominica die, & audiui &c. *Apoc.* 1. Et benè V per contemplationem dicitur fuisse *in spiritu*: quia tribulatio dilatat spiritum ad susceptionem spiritualium, *atque cælestium. Vnde & Propheta regius*, Ps. 4. *dicebat*: In tribulatione dilatasti mihi. *Purificatur siquidem afflictionibus anima, adeò vt quandam rationem baptismi sortiri tribulatio videatur. Quod innuitur ex verbis Domini ad Ioannem, ipsum baptizare detrectantem*, *Mat.* 3. Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. *Sine modò*, scilicet X vt baptizer baptismo aquæ: quia alio baptismo habeo baptizari, scilicet baptismo passionis, Luc. 12. *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Et hoc etiam baptismo Ioannes baptizatus est à Christo, in quantùm mortuus est pro iustitia; quod idem est, ac mori pro Christo. *Vnde & 1. Pet.* 3. Si quid patimini propter iustitiam, beati. *Si quid*: Quasi Y dicat, modicum quid est, *patimini*, in præsenti tempore, *propter iustitiam* viæ tenendam, & Patriæ consequendam, *beati* estis iam in spe, tandem in re.

M *Apoc.* 14. *com.* 1. *Prol. Op.* 7. *Pet.* 7. *Op.* 18. *c.* 9.

Valet ad pœnitentiã peccatori.

N *Ier.* 6. *lit. d.*

O *Ier.* 31. *lit. e.*

P *Ps.* 9. *lit. g.*

Q *Ps.* 15. *lit. c.*

In tribulatione faciliùs Deus orantes exaudit.

R *Io.* 17. *l.* 1. *lit. a.*

Valet tribulatio & ad profectum virtutis.

S 2. *d.* 36. 1. 4. *ad* 5.

T *Iob.* 42. *l.* 1. *ibi*.

Idoneã magis facit animam ad spiritualia & cælestia percipienda.

V *Apoc.* 1. *com.* 2. §. 3. *ibi*, & *com.* 1. *ibi*, & *Prol.*

Alter velut baptismus.

X *Mat.* 3. *lit. b. ibi*.

Multiplex causa ad tribulationes patiendas.

Y 1. *Pet.* 3. §. 6. *ibi*.

O *Et quidem* (*vt omnia compendio restringamus*) multiplex Z est ratio, quare debemus pati. Primò vt sic Christi vestigia sequamur, 1. Pet. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Secundò vt sic Sanctis conformes simus, 2. Tim. 3. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*. Tertiò vt consolationum Christi, & Sanctorum simus participes, 2. Cor. 1. *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Quartò vt in bono gratiæ confirmemur, 1. Pet. 5. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet*. Quintò, vt per hoc peccata vitemus, 1. Pet. 4. *Qui passus est in carne, desiit à peccatis*; (Qui passus est in carne, *idest* in se A toto homine, scilicet in anima per contritionem; in carne per macerationem: *talis desiit à peccatis* omnibus, tam carnalibus, quàm spiritualibus; quia quasi mortuus peccato intendit Dei seruitio.) Sextò vt animæ à Dæmonibus præseruentur seu custodiantur, 1. Pet. 4. cir. *Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas*. Septimò vt in æternum remuneremur, *Mat.* 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. *Quod sanè ideò à Christo felici concrucifixo latroni promissum datumque est: quia crucem suam pro culpis propriis libenter sustinuit*, *Luc.* 23. Nos quidem iustè: nam digna factis recipimus. *At ille iustè priuatus est supplicii socius infelix; quia & ad correptionem alterius, & ad flagelli correctionem factus est in malo obstinatior. Et hoc est, quod ex glossa prompsit in-tio Author*: Qui iustus B patitur, Christum imitatur. Qui autem flagellis corrigitur, latronem dextrum imitatur, qui cum Christo in Paradisum intrauit. Qui verò nec flagellis corrigitur, sinistrum latronem imitatur, qui post crucem in tartarum ruit. *Erudiantur hinc fideles quicumque & qualitercumque à Deo tribulationibus adducuntur*. DISCE *per turbulentum tribulationum mare ad portum beatæ Patriæ peruenire: Vide* Bona temporalia *Tomo* 1. Iustus *Tomo* 2. Peccatum, Tentatio.

Z *Ibid. ibi*.

A 1. *Pet.* 4. §. 1. *ibi*.

Christus & duo latrones diuersimodè passi in eorũ exemplum qui tribulantur.

B 1. *Pet.* 3. §. 6. *ibi*, pati.



TRI-

TRIBVTVM. *Vide* Decimæ *Tomo* 2.

SANCTA TRINITAS. *Vide* Deus Trinus *Tomo* 2.

TRISTITIA. *Vide* Acedia, Conſcientia *Tomo* 1. Damnatus, Inuidia *Tomo* 2.

TVBA. *Vide* Cantus Eccleſiaſticus *Tomo* 1. Doctor, Iudicium Vniuerſale *Tomo* 2.

TVRPILOQVIVM. *Vide* Blaſphemia *Tomo* 1. Lingua.

TVRPITVDO. *Vide* Adam *Tomo* 1. Luxuria.

TYRANNIS. / TYRANNVS. } *Vide* Lex, Princeps.

V

VANAGLORIA. *Vide* Gloria *Tomo* 2.

VENDITIO & EMPTIO. *Vide* Negociator.

VENIA. *Vide* Miſericordia.

VERBVM DEI. *Vide* Doctor Eccleſiaſticus *Tomo* 2.

VERBVM DIVINVM. *Vide* Chriſti Conceptio *Tomo* 1. Deus Trinus *Tomo* 2.

VERECVNDIA. *Vide* Adam *Tomo* 1. Mulier.

VERITAS. *Vide* Adulatio *Tomo* 1. Iudex *Tomo* 2. Lingua.

VESTIS. *Vide* Adam, Cultus exterior *Tomo* 1.

VINDICATIO. / VINDICTA. } *Vide* Dilectio inimicorum *Tomo* 2.

VIRGINITAS. *Vide* Cælibatus *Tomo* 1.

VIRTVS.

I. Omnis actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet, quòd agens ordinetur in ſe, ad proximum, & ad Deum. In ſe, vt ſit bonus in ſe ipſo; ad proximum per iuſtitiam; ad Deum per cognitionem, & confeſſionem veritatis. *Ephes.* 5. *l.* 4. *ibi*, fructus.

C Virt. 1.1. *initio c.* & 1.2.55.4.1. & 2. & 2.2.129.2. *c. In* 3. *d.* 23.1.1. q.1. *c.*

a VIrtus C ſecundùm ſui nominis rationem, potentiæ complementum deſignat: vnde & vis dicitur, ſecundùm quòd res aliqua per poteſtatem completam, quam habet, poteſt ſequi ſuum impetum, vel motum: Virtus enim ſecundùm ſuum nomen, poteſtatis perfectionem demonſtrat. Vnde Philoſophus dicit *in* 1. *de Cæl. & Mun.* quòd virtus eſt vltimum in re de potentia. *Quod quidem dupliciter intelligitur.* Vno D modo materialiter, vt per virtutem intelligamus id, in quod virtus poteſt; ſicut virtus eius, qui poteſt ferre centum libras, eſt in eo, in quantùm poteſt ferre centum libras, non in quantùm ferre poteſt ſexaginta. *Alio modo* poteſt intelligi eſſentialiter; & ſic virtus dicitur vltimum potentiæ, quia deſignat potentiæ complementum, ſiue id, per quod potentia completur, ſit aliud à potentia, ſiue non. *Cæterùm aliquando* virtus E ſumitur communiter pro omni eo, quod poteſt eſſe principium alicuius operationis vel motus. Et ideò, quia amor inclinationem facit ad operandum, *Dionyſius c.* 4. *de Diu. Nom.* virtutem dicit. *Quemadmodum & alii* interiores F motus appetitiuæ virtutis, in quantùm ſunt principia exteriorum actuum, dicuntur virtutes. Philoſophus autem negat, paſſionem eſſe virtutem, quæ eſt habitus. *Etenim* virtus G nominat quandam potentiæ perfectionem (*vt præmiſſum eſt.*) Vnius cuiuſque enim perfectio præcipuè conſideratur in ordine ad ſuum finem: finis autem potentiæ, actus eſt: vnde potentia dicitur eſſe perfecta, ſecundùm quod determinatur ad ſuum actum. Sunt autem quædam potentiæ, quæ ſecundùm ſeipſas ſunt determinatæ ad ſuos actus, ſicut potentiæ naturales actiuæ: & ideò huiuſmodi potentiæ naturales ſecundùm ſe ipſas dicuntur virtutes. Potentiæ autem rationales, quæ ſunt propriæ hominis, non ſunt determinatæ ad vnum, ſed ſe habent indeterminatè ad multa: determinantur autem ad actum per habitus; & ideò virtutes humanæ ſunt habitus. *Et quidem operatiui:* Cum *enim* duplex H ſit potentia, ſcilicet potentia ad eſſe, & potentia ad agere, vtriuſque potentiæ perfectio, virtus vocatur. Sed potentia ad eſſe ſe tenet ex parte materiæ, quæ eſt ens in potentia; potentia autem ad agere ſe tenet ex parte formæ, quæ eſt principium agendi, eo quòd vnumquodque agit, in quantùm eſt actu. In conſtitutione autem hominis, corpus ſe tenet, ſicut materia: anima verò, ſicut forma. Et quantùm quidem ad corpus, homo communicat cum alijs animalibus; & ſimiliter quantùm ad vires, quæ ſunt animæ & corpori communes: ſolæ autem illæ vires, quæ ſunt propriæ animæ, ſcilicet rationales, ſunt hominis tantùm. Et ideò virtus humana, de qua loquimur, non poteſt pertinere ad corpus: ſed pertinet tantùm ad id, quod eſt proprium animæ. Vnde virtus humana non importat ordinem ad eſſe, ſed magis ad agere, & ideò de ratione virtutis humanæ eſt, quòd ſit habitus operatiuus: *proinde, quòd ſit habitus bonus, & operatiuus boni. Nam* virtus I cuiuslibet rei determinatur ad vltimum, in quod res poteſt, vt dicitur *in* 1. *de Cælo*. Vltimum autem, in quod vnaquæque potentia poteſt, oportet, quòd ſit bonum: omne enim malum, defectum quendam importat: vnde *Dionyſius* c. 4. de Diu. Nom. dicit quod *Omne malum eſt infirmum*. Et propter hoc oportet, quòd virtus cuiuslibet rei dicatur in ordine ad bonum: *aliàs non eſſet perfectio potentia. Idcircò* (*vt alibi docemur*) ad perfectionem L potentiæ exigitur, quòd bene operetur in ſuo genere. Vnde & *in* 2. *Ethic.* dicitur, quòd virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: (ſicut M virtus equi eſt, quæ facit equum eſſe bonum, & bene ire, & bene ferre feſſorem: quod eſt opus equi.) *Et in* 7. *Phyſic.* dicitur, quòd virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, eorum ſcilicet, ad quæ potentia ſe extendit. *Et ita* virtus N tria facit.

Virtus, ſecundùm rationem nominis quid ſignet:

Dupliciter intelligitur, quòd ſit vltimum de potentia.

D Virt. 1.1. *ad* 6. & 1.2.55.1. *ad* 1. *Ver.* 14.3. *c.*

E 3. *d.* 27.1.1. *ad* 1. & 1.2.26.2. *ad* 1.

Communiter accipitur pro principio alicuius operationis, vel motus.

F 1.2.41.1. *ad* 1.

G 1.2.55.1. *c.* & 56.3. *c. In* 3. *d.* 23.1.3. q.1. *c. Virt.* 1.1. *c.*

Potentiæ naturales ſecundùm ſe ipſas dicuntur virtutes, quia determinatæ ad ſuos actus; nõ ita potentiæ naturales, quarum determinationes ad actum ſunt per habitus, qui dicuntur virtutes.

H 1.2.55.2. *c.*

Duplex potentia, ad eſſe ſcilicet, & ad operari.

Virtus humana, habitus eſt operatiuus, & bonus.

I 1.2.55.3. *c.* & 2.2.58.1. *c. Virt.* 1.7. *initio c. In* 3. *d.* 26.2.1. *c.*

Et operatiuus boni.

L 3. *d.* 23.1.3. q.1. *c.* & 2.2.17.1. *c.* 47.4. *c. Virt.* 1.7. *c.*

M Virt. 1.7. *initio c.*

N Mat. 5. *lit. b. ibi*, perfectionem.

facit. Quia remouet à malo; operatur & facit operari bonum; & disponit ad optimum. *Ex quo habitus malus rationem virtutis non sortitur, sed vitii. Quocirca sciendum, quòd* habitus O specie distinguuntur, non solùm secundùm obiecta, & principia actiua, sed etiam in ordine ad naturam, secundùm conuenientiam scilicet, vel disconuenientiam ab ipsa. Et hoc modo distinguuntur specie habitus bonus & malus. Nam habitus bonus dicitur, qui disponit ad actum conuenientem naturæ agentis: habitus autem malus dicitur, qui disponit ad actum non conuenientem naturæ. Sicut actus virtutum naturæ humanæ conueniunt, eo quòd sunt secundùm rationem: actus verò vitiorum, cum sint contra rationem, à natura humana discordant. *Dicitur autem virtus in medio consistere, eo quòd extrema vitiosa sunt. Quod quidem verum habet tam in morali virtute, quàm in intellectuali; immò & theologica, ex parte saltem materialis obiecti.* Ideò *enim* virtutes P morales consistunt in medio, quia ad virtutem moralem pertinet attingere regulam rationis circa proprium & per se obiectum, scilicet circa passiones & operationes humanas. Omne autem regulatum, in quantùm est huiusmodi, habet rationem medij: quod autem à regula discedit, aut superfluum, aut diminutum est. Dicitur etiam, quòd virtus intellectualis consistit in hoc, quòd attingat verum, quod est bonum intellectus; veritas autem intellectus humani regulatur & mensuratur ab essentia rei. Ex eo enim, quòd res est, vel non est, opinio vera est, vel falsa. Et ideò etiam virtus intellectualis circa proprium obiectum in medio consistit; vt scilicet hoc apprehendat homo de re, quod est, non plus, nec minùs. Sed virtus theologica habet pro obiecto ipsam primam regulam non regulatam: & ideò sufficit qualitercumque attingere regulam ad rationem virtutis: propter quod, secundùm operationem ad proprium & formale obiectum, virtus theologica in medio non consistit. Sed ex parte materialis obiecti potest consistere in medio; & hoc accidit ei: sicut fides catholica in diuinis procedit inter hæresim Sabellij confundentis personas, & hæresim Arij substantiam separantis. Et eodem modo, ex parte eius, quod est materiale, obiectum spei consistit in medio, in quantùm scilicet aliquis sperat se adipisci beatitudinem sic, vel aliter. Sed ex parte formalis obiecti, quod est auxilium diuinum; non consistit in medio: nullus enim potest nimis diuino auxilio inniti.

Virtus bonũ facit habentẽ & opus eius bonũ reddit. O 1.2.54.3.c.
Habitus distinguuntur nedum secũdùm obiecta sed & secundùm conuenientiam ad naturam, vel disconueniẽtiam; & ita distinguuntur habitus uirtutum & uitiorum.
Virtus omnis in medio cõsistit & quomodo.
P Virt.4.1.ad 7.& q.1.10.c.& 1.2.64 In 3.d.33.1.3.& q.2.a.3.c.

Obiectum porrò uirtutum dupliciter dicitur. Vno modo Q sicut illud, ad quod virtus ordinatur, sicut ad finem: sicut summum bonum est obiectum charitatis, & beatitudo æterna obiectum spei. Alio modo, sicut materia, circa quam operatur, vt ab ea in aliud tendens, sicut delectationes coitus sunt obiectum temperantiæ. *Subiectiuè autem* virtus R & vitium dicuntur esse in aliquo dupliciter. *Vno modo* sicut in causa; & hoc modo sunt in libero arbitrio & voluntate, vel quantùm ad habitus, sicut in acquisitis habitibus, vel saltem quantùm ad actus, quantùm ad infusos. *Alio modo*, vt in subiecto; & hoc modo contingit in diuersis potentijs animæ virtutes & vitia esse: *de quo Numero sequenti. Ex huiusque præmissis deducit* Augustinus in 2. de libero arbitrio *diffinitionem virtutis, cum ait*: Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur: quam Deus in nobis sine nobis operatur. *Et quidem* ista S diffinitio perfectè complectitur totam rationem virtutis. Perfecta enim ratio vniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius. Comprehendit autem prædicta diffinitio omnes causas virtutis. Causa namque formalis virtutis, sicut est cuiuslibet rei, accipitur ex eius genere & differentia, cum dicitur, *bona qualitas*: genus enim virtutis qualitas est; differentia autem *bonum*. (Esset tamen conuenientior diffinitio, si loco qualitatis, *habitus* poneretur, qui est genus propinquum.) Virtus autem non habet materiam ex qua, sicut nec alia accidentia: sed habet materiam circa quam, & materiam in qua, scilicet subiectum. Materia autem circa quam, est obiectum virtutis, quod non potuit in prædicta diffinitione poni, eo quòd per obiectum determinatur virtus ad speciem. Hic autem assignatur diffinitio virtutis in communi, vnde ponitur subiectum loco causæ materialis, cum dicitur, quòd est *bona qualitas mentis*. Finis autem virtutis, cum sit habitus operatiuus, est ipsa operatio. Sed notandum, quòd habituum operatiuorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi: aliqui verò quandoque ad bonum, & quandoque ad malum: sicut opinio se habet ad verum & falsum. Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum. Et ideò, vt discernatur virtus ab his, quæ semper se habent ad malum, dicitur: *qua rectè viuitur*. Vt autem discernatur ab his, quæ se habent quandoq; ad bonum, quandoq; ad malum, dicitur: *qua nullus malè vtitur*. Causa autem efficiens virtutis infusæ (de qua diffinitio datur) Deus est; propter quod dicitur: *Quam Deus in nobis, sine nobis operatur*. Quæ quidem particula si auferatur, relinquum diffinitionis erit commune omnibus virtutibus & acquisitis, & infusis. *Et hinc est, quòd* tantò T principalior est virtus & potior, quantò magis, & directiùs ordinat hominem in bonum. *Siue ut alibi*: Vnaquæque V virtus tantò excellentior est, quantò ad altius bonum ordinatur. *Tripliciter autem alicuius uirtutis possunt partes dici.* Triplex *enim* est X pars, scilicet *Integralis*, sicut paries, tectum, & fundamentum sunt partes domus. *Subiectiua*: sicut bos & Leo sunt partes animalis. *Potentialis*: sicut nutritiuum, & sensitiuum sunt partes animæ. Tribus ergo modis possunt assignari partes alicui virtuti. Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicuius, que necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius. Partes autem subiectiuæ virtutis dicuntur species eiusdem diuersæ. Partes autem potentiales alicuius virtutis dicuntur virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.

Q Virt.5.4.ad 5.
Obiectum virtutum dupliciter dicitur.
Virtutum subiectum.
R 2 d.24.1.2.ad 5.
Diffinitio virtutis.
S 12.55.4.c. In 2.d.27.1.2. Virt.1.2.c.& 4.10.ad 11.

In quonam vna excellentior alia.
T 2.2.136.2.initio.
V 1.2.111.5.& 2.2.117.6.c.
Pars virtutis triplex.
X 2.2.q.48.c.

b *Porrò, quoad actum uirtutis, docemur ex Philosopho* in 2. Ethic. *quòd* ad virtutis Y actum requiritur. Primò quòd quis operetur sciens. Secundò quòd eligens, & propter debitum finem. Tertiò quòd immobiliter operetur. Primum autem horum includitur in c. Secundo, quia quod per ignorantiam agitur, est inuoluntarium, vt dicitur *in 3. Ethic. Cæterùm habitus uirtutum ad rectum uiuendi humanum modum, exiguntur propter tria. Primò* Z vt sit vniformitas in operatione: ea enim, quæ ex sola operatione dependent, facilè immutantur, nisi secundùm aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. *Secundò* vt operatio perfecta in promptu habeatur: nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad vnum,

Tria ad actũ virtutis exiguntur.
Y 2.2.58.1.c. In 3 d.33.2.3 initio.& d.40 1.1.c. Virt.5 1.c.
Habitibus indigemus virtutum propter tria.
Z Virt.1.1.fi.c.

vnum, operabitur semper, cum necesse fuerit operari, præcedere inquisitionem de operatione: sicut patet de eo, qui vult considerare, nondum habens scientiæ habitum, & qui vult secundùm virtutem agere, habitu virtutis carens. Vnde Philosophus dicit in 3. *Ethic.* quod repentina sunt ab habitu. Tertiò vt delectabiliter perfecta operatio compleatur: quod quidem fit per habitum: qui cum sit per modum cuiusdam naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, & per consequens delectabilem, nam conuenientia est delectationis causa. Vnde Philosophus *in 2. Ethic.* ponit signum habitus, delectationem in opere existentem.

Signum habitus virtutis, delectatio in opere.

A 2.2. 137.1. initio c

Quo sensu intelligatur virtus esse circa difficile.

B 2.d.29.1.4. ad 3. & 1. 2. 107.4.c

At verò, cum virtus A sit circa difficile, & bonum, secundùm Philosophum *in 2. Ethic. Sciendùm, quòd* aliquid B potest dici difficile dupliciter: vel ex arduitate operis; & sic virtus intelligitur circa difficile esse, quod scilicet in se difficile est & arduum. Vel ex imperfectione operantis; & sic virtus circa difficile non est, sed talem difficultatem virtus tollit: quantò enim aliquis virtuosior est, tanto faciliùs opera virtutis exercet. *Igitur* virtus C cum operetur ad bonum, ad virtutem cuiuslibet requiritur, quòd sic se habeat, quòd ad bonum benè operetur, idest voluntariè, & promptè, & delectabiliter, & etiam firmiter: hæ enim sunt conditiones operationis virtuosæ, quæ non possunt conuenire alicui operationi, nisi operans amet bonum, propter quod operatur: eo quòd amor est principium omnium voluntariarum affectionum. Ea etiam, quæ ex amore fiunt, & firmiter & promptè, & delectabiliter fiunt. *Cognoscat hinc fidelis quisque, an virtuosè operetur; & an Deum, propter quem operari debemus, verè diligat. Velleitas vt in pluribus est, non voluntas: promptitudo abest, adest inconstantia: tristitia in bono opere, si quod fit, non delectatio sentitur. Non ergo virtuosè operatur: non ergo in eo virtus deprehenditur.*

Virtuosæ operationis conditiones quæ.

C Virt. 2. 2. c. et locis mox citandis.

Non habens iustitiam potest operari iustum; non ita tamen, sicut habens.

D 2.2.32.1. ad 1. Quol. 4.4.19 c. & 1.2.107.4 c. In 2.d 27.1.1 c. In 3.d. 23.3. 1. q. 2. ad 2. Virt. 1. 10. ad 15.

Sanè aliquid D dicitur esse actus virtutis dupliciter. *Vno modo* materialiter; sicut actus iustitiæ est facere iusta: & talis actus virtutis potest esse sine virtute. Multi enim non habentes habitum iustitiæ, iusta operantur ex naturali ratione, vel ex timore, siue ex spe aliquid adipiscendi. *Alio modo* dicitur esse aliquid actus virtutis formaliter, sicut actus iustitiæ, est actio iusta eo modo, quo iustus facit, scilicet promptè & delectabiliter. Et hoc modo actus virtutis non est sine virtute. *Verùm in ordine ad æternæ vitæ consecutionem*, cum E nullum meritum sit sine charitate, actus virtutis acquisitæ non potest esse meritorius sine charitate. Cum charitate autem simul infunduntur aliæ virtutes; vnde actus virtutis acquisitæ non potest esse meritorius, nisi mediante virtute infusa. Nam virtus ordinata in finem inferiorem, non facit actum ordinatum ad finem superiorem, nisi mediante virtute superiori: sicut fortitudo, quæ est virtus hominis, qua homo non ordinat actum suum ad bonum politicum, nisi mediante fortitudine, quæ est virtus hominis, in quantùm ciuis. *Illud præterea notandum, quòd* nihil F prohibet actum, qui est propriè vnius virtutis elicitiuè, attribui alteri virtuti, sicut ordinanti, & imperanti ad suum finem. Hoc *autem* interest G inter elicere actum & imperare, quòd habitus vel potentia elicit illum actum, quem producit circa obiectum, nullo mediante: sed imperat actum, qui producitur, mediante potentia vel habitu inferiori circa obiectum illius potentiæ. *Quemadmodum* charitas H in quantùm habet vltimum finem pro obiecto, mouet alias virtutes ad operandum. Semper enim habitus, ad quem pertinet finis, imperat habitibus, ad quos pertinent ea, quæ sunt ad finem.

E Virt 1.10. ad 4. Ver. 24.14. ad 6.

Sine charitate nullus actus uirtutis meritorius est uitæ æternæ.

F 2.2.32.1. ad 2. 85.3 c. 88.6. c. et 1.2.114.4. ad 1. et alibi.

Actus unius uirtutis elicitiuè potest alteri attribui, ut ordinanti ad suum finem, & imperanti.

G 3.d.27.2.4. q 3.c.

Quid intersit inter elicere actum, & imperare.

H 1.2.114 4. ad 1. et locis cit

c *At verò cauendum potissimè virtutem habenti, ne in otio torpescens, ab actibus cesset virtutis.* Manifestum I est *enim* quòd habitus virtutis moralis facit hominem promptum (*vt vidimus*) ad eligendum medium in operationibus & passionibus. Cum autem aliquis non vtitur habitu virtutis ad moderandas passiones, vel operationes proprias, necesse est, quòd proueniant multæ passiones & operationes præter modum virtutis ex inclinatione appetitus sensitiui, & aliorum, quæ exterius mouent, vnde corrumpitur virtus per cessationem ab actu. *Hinc Mat. 25. legitur, quòd* seruus ille, qui quinque talenta acceperat, operatus est in eis: *ex quo consequenter dicitur, quòd* lucratus est alia quinque. *Etenim* virtus L proficit per exercitium operationis: nisi enim operetur, deficit. *Vnde & Prou. 13.* Anima operantium impinguabitur. *Et hoc est, quod scribebat Apostolus ad Timotheum 1. Tim. 4* Exerce te ipsum ad pietatem. *Videlicet*, exerce M non fac: quia exercitium dicit promptitudinem. Et hoc ideò, quia exercitatus facit leuiùs, delectabiliùs, & stabiliùs. *Quod suadetur & Prou. 24.* Diligenter exerce agrum tuum. *Postremò ad illud Apostoli Eph. 5.* Vt filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate &c. *ad nostram eruditionem instruimur, quòd* omnis N actus virtutis ad tria reducitur. Nam oportet, quòd agens ordinetur in se, ad proximum, & ad Deum. In se: vt sit bonus in se ipso; & propter hoc dicit: *in omni bonitate*, Ps. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Item ad proximum per iustitiam; ideò dicit: *& iustitia*, Ps. eod. *Feci iudicium & iustitiam.* Ad Deum per cognitionem, & confessionem veritatis; & ideò dicit: *& veritate*, Zachar. 8. *Veritatem tantùm & pacem diligite* (*Quod aiebat initio Author.*) *Prosequitur Apostolus*: Probantes, quid sit beneplacitum Deo. *Probantes*, idest ratione discernentes, non ex abrupto, *quid sit beneplacitum Deo*; idest, vt intendatis facere quod placeat Deo: *vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*, ad Rom. 12. *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*, idest operibus carnalibus ducentibus ad tenebras perpetuas, *ad Rom. 6.* Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? *Sola ergo virtus exercita ad vitam fructificat* (*non vitium, quod* fructificat morti, *vt dicitur Rom. 7.*) *Vnde Apostolus Coloss. 1.* Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. *Siquidem* semper O homo debet nisi ad vlterius bonum: ad virtutem autem non sufficit scire, vel velle, nisi immobiliter operetur. DISCE *in actibus delectari virtutum, non vitiorum.*

I 1.2.53.3.c. et 2.2.24.10. In 1 d.17 2.5.

Actus uirtutū exercēdi: corrūpitur enim habitus uirtutis per cessationem ab actu.

Virtus proficit per exercitium operationis.

L Mat. 25. lit. b. ibi.

M 1. Tim. 4. l. 2 ibi.

N Ephes. 5. l. 4 ibi, fructus.

Omnis actus virtutis ad tria reducitur

O Coloss. 1. l. 3. ibi.

II. Ad perfectam coniunctionem cum Deo omnes virtutes requiruntur, non autem omnes scientiæ. *Ver. 18. 7. ad 2.*

d HVmana *virtus in intellectualem sufficienter diuiditur, & moralem. Nam* Virtus P humana est quidam habitus perficiens hominem ad benè operandum. Principium autem humanorum actuum in homine non est nisi duplex, scilicet intellectus, siue ratio & appe-

P 1.2 58.3 c. Humana virtus in intellectualem diuiditur & moralem.

& appetitus : hæc enim sunt duo mouentia in homine, vt dicitur in *3. de Anima*. Vnde omnis virtus humana, oportet, quòd sit perfectiua alicuius istorum principiorum. Si quidem igitur sit perfectiua intellectus speculatiui, vel practici ad bonum hominis actum, erit virtus intellectualis: si autem sit perfectiua appetitiuæ partis, erit virtus moralis. ***Inter has autem non recensentur Theologica, scilicet*** fides Q, spes, & charitas quæ sunt supra virtutes humanas : sunt enim virtutes hominis, prout est factus particeps diuinæ gratiæ. ***Ex quo*** virtutes R in tria genera distinguuntur. Sunt enim quædam virtutes theologicæ, quædam intellectuales, quædam morales. Virtutes quidem theologicæ sunt, quibus mens humana Deo coniungitur. Virtutes autem intellectuales sunt, quibus ratio ipsa perficitur. Virtutes autem morales sunt, quibus vires appetitiuæ perficiuntur ad obediendum rationi. ***Praterea tam intellectuales, quàm morales, aut acquisita sunt, quas scilicet à se ipso homo adipiscitur : aut infusa, quas videlicet Deus homini cælitus indit. Sicut autem theologica cæteris praeminent omnibus : ita inter morales, quatuor principaliter enumerantur***, Cardinales ***idcircò nuncupata***. ***Porrò*** virtutum S intellectualium duæ sunt circa contingentia (***& dicuntur practica***) scilicet prudentia & ars. Tres autem reliquæ intellectuales virtutes, scilicet sapientia, scientia & intellectus, sunt de necessariis; ***& dicuntur speculatiua : qua quidem ponuntur, sed alia ratione, etiam Spiritus Sancti dona, vt suo loco visum est. Verùm circa prudentiam illud notandum, quòd*** secundùm T Philosophum *in 6. Ethic.* prudentia est recta ratio agibilium ; agibilia autem dicuntur moralia opera : & ideò prudentia conuenit cum moralibus virtutibus, quantùm ad sui materiam, & propter hoc connumeratur eis, licèt quantùm ad suam essentiam, vel subiectum, sit intellectualis. ***Sanè per*** virtutes V acquisitas non peruenitur ad felicitatem cælestem, sed ad quandam felicitatem, quam homo natus est acquirere per propria naturalia in hac vita secundùm actum perfectæ virtutis, de qua Aristoteles tractat *in 10. Metaph.* ***Per virtutes verò infusas ad felicitatem pertingimus aternam : quarum pracipuum locum tenent theologica virtutes, scilicet Fides, Spes, Charitas.***

e Virtus ***autem*** aliqua X dicitur esse theologica ex hoc, quòd habet Deum pro obiecto, cui inhæret. Potest autem aliquis alicui inhærere dupliciter. Vno modo propter se ipsum. Alio modo, in quantùm ex eo in aliud deuenitur. Charitas ergo facit, hominem Deo inhærere propter se ipsum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris. Spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt. De Deo autem prouenit nobis & cognitio veritatis & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem : credimus enim ea vera esse, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis : in quantùm scilicet per spem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. ***De his tribus Apostolus 1. Cor. 13.*** Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas. ***Vbi docemur, quòd*** causa Y quare non facit mentionem Apostolus de omnibus donis, sed de istis tribus tantùm : est, quia hæc tria coniungunt nos Deo : alia autem non coniungunt Deo, nisi mediantibus istis. Alia etiam sunt quædam dispositiones ad gignendum ista tria in cordibus hominum. Nos autem habemus duplicem coniunctionem cum Deo. Vna est quantùm ad bona naturæ, quæ hic participamus ab ipso. Alia quantùm ad beatitudinem, in quantùm nos hic sumus participes per gratiam supremæ felicitatis, secundùm quod hic est possibile. Speramus etiam ad perfectam consecutionem illius æternæ beatitudinis peruenire, & fieri ciues cælestis Ierusalem. Et secundùm primam coniunctionem ad Deum, est amicitia naturalis, secundùm quam vnumquodque secundùm quod est, Deum vt causam primam & summum bonum appetit, & desiderat, vt finem suum. Secundùm verò communicationem secundam est amor charitatis, qua solùm creatura intellectualis Deum diligit. Quia verò nihil potest amari, nisi sit cognitum, ideò ad amorem charitatis exigitur primò cognitio Dei; & quia hoc est supra naturam, primò exigitur fides, quæ est non apparentium. Secundò ne homo deficiat, vel aberret, exigitur spes, per quam tendat in illum finem, sicut ad se pertinentem. Et de his tribus dicitur Eccli. 2. *Qui timetis Dominum credite illi*; quantùm ad fidem : *Qui timetis Dominum, sperate in illum*, quantùm ad spem : *Qui timetis Dominum, diligite illum*, quantùm ad charitatem. ***Et ideò*** in Fide Z Spe & Charitate, quasi in quibusdam salutis nostræ compendiosis capitulis totam præsentis vitæ perfectionem consistere docuit, ***dicens***: Nunc autem manent fides, spes, charitas. ***Profectò*** iustitia A quoad Deum in tribus consistit. Primò vt homo in Deum, tanquam in summam veritatem, super omnia credat. Secundò vt in eum, tanquam in summam potestatem, super omnia speret. Tertiò vt eum, tanquam summam bonitatem propter se, & super omnia diligat. Per primum coniungitur rationali, per secundum irascibili, per tertium concupiscibili. Primum fit per fidem, secundum per spem, tertium per charitatem. ***Hinc docemur, quòd*** bonum B nostrum principaliter est in fide, spe, & charitate: per fidem enim habemus notitiam Dei, per spem eleuamur in ipsum, sed charitate vnimur ei. ***Nec dubium, quin per tres hasce virtutes quandam & hic habeamus aterna beatitudinis pralibationem. Nam*** visio C tentio, & fruitio habentur in quadam inchoatione, in quantùm fides, spes, & charitas, quæ istis respondent, habentur in præsenti : ***visio enim fidei, spei tentio, fruitio respondet charitati. Ex quo prafata tres virtutes cateris omnibus potiores sunt, atque excellentiores. Etenim cum*** bonum D in humanis actibus attendatur, secundùm quod regulantur debita regula, necesse est, quòd virtus humana, quæ est principium bonorum actuum, consistat in attingendo humanorum actuum regulam. Est autem duplex regula humanorum actuum, scilicet ratio humana & Deus : sed Deus est prima regula, à qua etiam humana ratio regulanda est; & ideò virtutes theologicæ, quæ consistunt in attingendo illam regulam primam, eo quòd earum obiectum est Deus, excellentiores sunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quæ consistunt in attingendo rationem humanam. Propter quod oportet, quòd etiam inter ipsas virtutes theologicas, illa sit potior, quæ magis Deum attingit. Semper autem id, quod est per se, maius est eo, quod est per aliud. Fides autem & spes attingunt quidem Deum, secundùm quod ex ipso prouenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: sed charitas attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Et ideò charitas est excellentior fide & spe, & per consequens omnibus aliis virtutibus. Sicut etiam prudentia, quæ attingit rationem secundùm se, est excellentior, quàm aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem, secundùm quod ex ea medium

Q *Ibid. ad 3.* Theologicæ sunt supra humanas virtutes.

Tria virtutum genera.

R *1. 2. 68. 8. initio c. Virt. 1. 12 fi. c.*

Virtutes aut acquisitæ, aut infusæ.

Virtutes cardinales.

S *2. 2. 4. 8. initio c. & 47. 5. & 1. 2. 57. & locis ibid. cit. a. 2. 3. & 4. Virt. 1. a. 12. & 13. c. & 3. fe. Gen. c. 44. fi.*

Virtutes intellectuales quinque : & quænam sint.

T *Virt. q. 1. ad 3 & q. 1. 6. ad 6. et a. 12. ad 14. et 1. 2. 58. 2. ad 1. et 61. 1. c. et 2. 2. 118. 2. ad 3 In 3. d. 33. 1. 1. q. 2.*

Prudentia quoad materiam moralis, quoad essentiam intellectualis.

V *Virt. 1. 9. ad 6. et q. 5. 4. fi. c. et ad 3. In 3. d. 33. 1. 2. q. 4. ad 2.*

Non per acquisitas, sed per infusas virtutes, ad cœlestem felicitatem peruenitur.

X *2. 2. 17. 6. c. In 3. d. 26. 2. 3. q. 1. c. Virt. 2. 3. c. et q. 4. 3. ad 9.*

Vnde dicatur virtus theologica.

Fides spes charitas diuersimodè faciunt hominem Deo inhærere.

Y *1. Cor. 13. fi. cap. et 1. 2. 62. 3 et 2. 2. 1. c. In 3. d. 23. 1. 5. Virt. 1. 12. fi. c.*

Hæc tria coniungunt nos Deo : alia his mediantibus.

Duplex cum Deo coniunctio.

Virtutum theologicarũ necessitas.

Z *Opusc. 3. cap. 1.*

A *Serm. 2 ex Eu. Dom. 1. post Epiph.*

In his tribus consistit iustitia quoad Deum.

B *Coloss. 1. l. 2. sub initio.*

Per has vitam quodammodò & hic prælibamus æternam.

C *Hebr. 6. l. 1. ibi, virtuteſque.*

D *2. 2. 23. 6. c. et 1. 2. 66. 6. In 3. d. 36. 1. 4. et 4 con. G. c. 55. ad 13. Col. 3. l. 3. sub initio.*

Excellentiores omnibus virtutibus.

Charitas inter theologicas potior.

constituuntur in operationibus, vel passionibus humanis. *Quoad horum autem actus virtutum illud notandum, quod* interiores E actus se habent per modum finis, qui secundum se quæritur: exteriores verò actus, per quos Deo corpora exhibentur, se habent sicut ea, quæ sunt ad finem. In eo autem, quod quæritur tanquam finis, nulla mensura adhibetur; sed quantò maius fuerit, tantò melius se habet: in eo autem, quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem. Sicut medicus sanitatem facit tantum, quantum potest; medicinam autem non tantum dat, quantum potest, sed quantum videt expedire ad sanitatem consequendam. Et similiter homo in fide, & spe & charitate nullam mensuram debet adhibere: sed quantò plus credit, sperat & diligit, tantò meliùs est, propter quod dicitur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Sed in exterioribus actibus est adhibenda discretionis mensura per comparationem ad charitatem. *Vnde Apostolus dicit*, Rom. 12. Rationabile obsequium vestrum. *Et hæ quidem virtutes tres, arma sunt nostra spiritualia ad propugnationem animæ & præservationem.* Debemus enim induere F loricam charitatis, scutum fidei, galeam spei, thoracem iustitiæ. Fide debemus indui ad munimentum Rationalis, spe ad munimentum Irascibilis, charitate ad protectionem Concupisci - bilis, iustitia ad protectionem totius animæ, Sapient. 5. *Induet pro thorace iustitiam*; & 1. Thessalon. 5. *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Sunt enim G in homine duo principalia membra, quæ consueverunt in bellis protegi: scilicet cor, quod est principium motus exterioris, à quo fuor sensus, & aliquo modo nervi. Et protegitur cor lorica, caput galea. Spiritualis vita in nobis est Christus, per quem anima vivit. Dominus autem in nobis per fidem habitat, Eph. 3. *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Habitat etiam per charitatem, 1. Io 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: quæ informat fidem. Et ideò debemus habere fidem, & charitatem; unde dicit: *Induti loricam fidei & charitatis*; quia protegit vitalia: *& galeam spem salutis*, quæ est principium motus specialis, quod est ex intentione finis, quem speramus assequi: *Et ad Eph. 6.* State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ. In omnibus sumentes scutum fidei, & galeam salutis assumite. *Scutum fidei*: quia H sicut scutum supponitur omnibus armis, ita fides omnibus alijs virtutibus Alia sunt enim arma virtutum moralium, scilicet temperantiæ, idest *succinctio lumborum*: & iustitiæ, idest *induti lorica*: sed hoc genus armorum, scilicet scutum, est virtutis theologicæ, scilicet fidei, quia sicut per scutum repelluntur tela, ita per fidem omnia contraria (1. Pet. 5. Cui resistite fortes in fide, *scilicet* tanquam I scuto:) & habetur victoria, ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Dicitur autem *scutum fidei*; quia sicut protegit totum pectus, ita fides debet esse in pectore. Spes autem dicitur galea, quia sicut galea in capite, ita caput virtutum moralium est finis. Et de hoc est spes, scilicet de fine. Et ideò dicit: *& galeam salutis assumite.*

E Rom. 12. l. 1. ibi, rationabile 4 d. 17. 2. 3. q. 2. c. & 4. 4. q. 2 c. Quol. 5. a. 18. c.

In actibus exterioribus adhibenda in Dei obsequiũ mensura est: non ita in actibus internis fidei, spei, & charitatis.

Fides, spes Charitas, arma nostra spiritualia.

F Serm. 3. ex Ep. Dom. 1. Adv.

G 1. Thess. 5. l. 1. ibi.

H Eph. 6. l. 4. ibi.

I 1. Pet. 5. §. 3. ibi.

¶ *Post theologicas virtutes considerandæ veniunt virtutes morales.* Est *autem ex Philosopho* 2. *Ethic.* virtus moralis L habitus electivus in medietate consistens, determinata ratione, prout sapiens determinabit. *Vnde* si rectè M consideretur, virtus appetitivæ partis, nihil aliud est, quam quædam dispositio, sive forma sigillata & impressa in vi appetitiua à ratione. Et propter hoc, quantumcumque sit fortis dispositio in vi appetitiua ad aliquid, non potest habere rationem virtutis, nisi sit ibi id, quod est rationis. *Et quidem* dicitur N virtus moralis à more secundùm quod mos significat quandam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum. Et huic significationi moris, propinqua est alia significatio, quæ significat consuetudinem; nam consuetudo quodammodò vertitur in naturam, & facit inclinationem similem naturali. Manifestum est autem, quòd inclinatio ad actum propriè conuenit appetitivæ virtuti, cuius est movere omnes potentias ad agendum: & ideò non omnis virtus dicitur moralis, sed solùm illa, quæ est in vi appetitiua. *Quocirca* considerandum O est, quòd appetitivæ virtutis est obiectum bonum, & malum: sicut obiecta intellectus sunt verum & falsum. Omnes autem actus appetitivæ virtutis ad duo communia reducuntur, scilicet ad prosecutionem & fugam; sicut & actus intellectivæ virtutis referuntur ad affirmationem & negationem, ut hoc sit prosecutio in appetitu, quod affirmatio in intellectu: & hoc sit fuga in appetitu, quod negatio in intellectu, ut Philosophus dicit *in 6. Ethic.* Bonum autem habet rationem attractivi, cum bonum sit, quod omnia appetunt, ut dicitur *in 1. Ethic.* & è contrario malum habet rationem repulsivi, quia malum est præter voluntatem & appetitum, ut *Dionysius* dicit 4. cap. de Div. Nom. *Versatur autem præcipuè moralis virtus circa passiones, & passionum obiecta.* Obiecta enim passionum P secundum quod diversimodè ordinantur ad appetitum sensitivum, causant diversas passionum species: secundùm verò quod comparantur ad rationem, causant diversas species virtutum. Non est autem idem motus rationis & appetitus sensitivi: unde nihil prohibet aliquam differentiam obiectorum causare diversitatem passionum, quæ non causat diversitatem virtutum; sicut quando una virtus est circa multas passiones: & aliquam etiam differentiam obiectorum causare diversitatem virtutum, quæ non causat diversitatem passionum, cum circa unam passionem, putà delectationem, diversæ virtutes ordinentur. *Eiusmodi autem moralis* virtutis Q perfectio consistit in hoc, quòd homo corporis passiones non sequatur, sed eas secundùm rationem temperet, & refrænet. *Igitur* virtutes R non omninò extinguunt passiones, sed moderant eas. Vnde Philosophus dicit in 2. Ethic. quòd *quidam determinant virtutes impassibilitates & quietes; non benè autem.* Passiones *immò* ad malum S inclinantes, nedum per virtutem acquisitam totaliter non tolluntur, sed neque per virtutem infusam) nisi fortè miraculosè) quia semper remanet colluctatio carnis contra spiritum, etiam post moralem virtutem; de qua dicit Apostolus ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum; spiritus autem adversùs carnem*: sed tamen per virtutem acquisitam, quàm infusam, modificantur, ut ab his homo non effrænatè moueatur. Sed quantùm ad aliquid, prævalet in hoc virtus acquisita: & quantùm ad aliquid virtus infusa. Virtus enim acquisita prævalet quantùm ad hoc, quòd talis impugnatio minùs sentitur; & hoc habet ex causa sua: quia per frequentes actus, quibus homo est assuefactus ad virtutem, iam dissueuit talibus passionibus obedire, & consueuit eis resistere. Ex quo sequitur, quòd minùs earum molestias sentiat. Sed præualet virtus infusa, quantùm ad hoc, quòd facit, quòd huiusmodi passiones, etsi famulentur, nullo tamen modo dominentur: virtus enim infusa facit, quòd nullo modo obediatur concupiscentijs peccati; & facit hoc infallibiliter, ipsa manen-

L 1. 2. 58. 2. arg. 4. Virt. 1. 9 ft. c. & a. 12. arg. 16.

Moralis virtus quid sit.

M Virt. 1. 9 ft. c & 12 ad 16.

Vnd dicatur.

N 1. 2. 58. 1. c. In 3 d. 23. 1. 4. q. 2. c. Virt. 1. 10. ad 18. Quo. 12. a. 22. ad 3.

Est solum in vi appetitiua.

O Ma. 10. 1. c.

Obiectum appetitiuæ virtutis bonũ & malum, sicut intellectus, verum & falsum.

Actus illius, prosecutio & fuga: istius, affirmatio & negatio.

Versatur præcipuè moralis virtus circa passiones, & earum obiecta.

P 1. 2. 60. 5. c.

Obiecta passionum in ordine ad appetitum sensitiuum causant diversas passiones, in ordine verò ad rationem, diuersas virtutes.

Q 2. con. G. c. 79. n. 2.

Virtutis perfectio in quo consistat.

R 3 d. 33. 2. 2. q. 2. ad 1.

S Virt. 1. 10. ad 14.

Passiones nō tolluntur omninò, sed modificantur à virtutibus, tam acquisitis, quàm infusis.

An magis ab his, quàm ab illis.

nentes sed virtus acquisita deficit in hoc, licet in paucioribus; sicut & aliæ inclinationes naturales deficiunt in minori parte. Vnde Apostolus Rom. 7. *Cum essemus* inquit *in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.* Secundùm Philosophum T autem *in 2. Ethic.* decem sunt virtutes morales circa passiones, scilicet fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia (*idest*, amor honoris) mansuetudo, amicitia, veritas, & eutrapelia. Et distinguuntur secundùm diuersas materias, vel secundùm diuersas passiones, vel secundùm diuersa obiecta. Si igitur addatur Iustitia, quæ est circa operationes, erunt omnes vndecim. *Etenim* ad iustitiam V pertinere videtur, vt quis debitum reddat: vnde omnes virtutes, quæ sunt circa operationes, habent aliquo modo rationem iustitiæ. Sed debitum non est vnius rationis in omnibus: aliter enim debetur aliquid æquali, aliter superiori, aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promisso, vel ex beneficio suscepto. Et secundùm has diuersas rationes debiti sumuntur diuersæ virtutes, putà religio est, per quam redditur debitum Deo: pietas est per quam redditur debitum parentibus, vel Patriæ: gratia est, per quam redditur debitum benefactoribus, & sic de alijs.

Virtutes circa passiones, quænam & quot.
T 1.2.60.5.f.c.

Quænam & quot circa operationes.
V Ib.a.3.c.

g *Subiectum verò moralium virtutum ad appetitum sensitiuum pertinentium sunt irascibilis, & concupiscibilis.* Quando *enim* oportet X operationem hominis esse circa ea, quæ sunt obiecta sensibilis appetitus, requiritur ad bonitatem operationis, quòd sit in appetitu sensibili aliqua dispositio, vel perfectio, per quam appetitus prædictus de facili obediat rationi: & hanc, virtutem vocamus. Quando igitur aliqua virtus est circa illa, quæ propriè ad vim irascibilem pertinent, sicut fortitudo circa timores & audacias, magnanimitas circa ardua sperata, mansuetudo circa iras: talis virtus dicitur esse etiam in irascibili, sicut in subiecto. Quando autem est circa ea, quæ sunt propriè concupiscibilis, dicitur esse in concupiscibili, sicut in subiecto: sicut castitas, quæ est circa delectationes venereas; & sobrietas & abstinentia, quæ sunt circa delectationes in cibis & potibus. *At verò* voluntas Y non indiget aliquo habitu virtutis inclinante ipsam ad bonum, quod est sibi proportionatum, quia in hoc ex ipsa ratione potentiæ tendit. Sed ad bonum, quod transcendit proportionem potentiæ, indiget habitu virtutis. Cum autem vniuscuiusque appetitus tendat in proprium bonum appetentis, dupliciter aliquod bonum potest excedere voluntatis proportionem: vno modo ratione speciei; alio modo ratione indiuidui. Ratione quidem speciei, vt voluntas eleuetur ad aliquod bonum, quod excedit limites humani boni (Et dico, *humanum*, in quod ex viribus naturæ homo potest:) sed supra humanum bonum, est bonum diuinum, in quod voluntatem hominis charitas eleuat, & similiter spes. Rationem autem indiuidui hoc modo, quòd aliquis quærat id, quod est alterius bonum, licèt voluntas extra limites boni humani non feratur. Et sic voluntatem perficit iustitia, & omnes virtutes in aliud tendentes, vt liberalitas, & aliæ huiusmodi: nam iustitia est alterius bonum, vt Philosophus dicit *in 5. Ethic.* Sic ergo præfatæ virtutes sunt in voluntate, sicut in subiecto. Cuius signum est, quòd istæ virtutes, quamuis ad appetitiuam pertineant, tamen non circa passiones consistunt, sicut temperantia & fortitudo: vnde patet, quòd non sunt in sensibili appetitu, in quo sunt passiones, sed in

X Virt. 1.4.c. & 10. ad 5. & 1.2.56.4.c. & 5. ad 1.
Virtutum moralium subiectum.

Y Virt. 1.5.c. & 1.2.56.6.c. In 3.d.33.2.4.

An voluntas esse possit subiectum virtutis.

appetitu rationali, qui est voluntas, in quo passiones non sunt: nam omnis passio est in parte animæ sensitiua, vt probatur in 7. *Physic.* Illæ autem virtutes, quæ circa passiones consistunt, sicut fortitudo circa timores, & audacias, & temperantia circa concupiscentias, oportet eadem ratione esse in appetitu sensitiuo. Nec oportet, quòd ratione istarum passionum sit aliqua virtus in voluntate: quia bonum in istis passionibus est, quod est secundùm rationem. Et ad hoc naturaliter se habet voluntas ex ratione ipsius potentiæ, cum sit proprium obiectum voluntatis. *Neque tollit appetitum sensitiuum esse subiectum virtutis, quòd virtus omnis dicatur esse* bona qualitas mentis. *Nam* ratio Z & voluntas sunt primum principium actus humani, tanquam mouens, & imperans: appetitus autem sensitiuus est principium secundum, tanquam mouens motum. Item mens importat potentiam rationalem per essentiam, vel per participationem. Irascibilis autem, & concupiscibilis, sunt potentiæ rationales per participationem: & ob hoc possunt esse subiectum virtutis, in quantùm participant mentem.

Soluitur obiectio.

Z Virt. 1.2. ad 12. & 1.2.56.4. ad 1.

h *Porrò morales virtutes connexæ sunt, ita ut qui habet unam, habeat & cæteras. Quod ex duplici capite comprobatur.* Quidam *enim* distinguunt A virtutes Cardinales secundùm quasdam generales conditiones virtutum, vtpote quòd discretio pertineat ad prudentiam, rectitudo ad iustitiam, moderantia ad temperantiam, firmitas animi ad fortitudinem, in quacumque materia ista considerentur. Et secundùm hoc apparet ratio connexionis. Non enim firmitas habet laudem virtutis, si sit sine moderatione vel rectitudine, aut discretione; & eadem ratio est de alijs. Alij verò distinguunt prædicta virtutes secundùm materias. Et secundùm hoc assignatur ratio connexionis ab Aristotele *in 6. Ethic.* Quia nulla virtus moralis potest sine prudentia haberi, eo quòd proprium virtutis moralis est facere electionem rectam, cum sit habitus electiuus. Ad rectam autem electionem non solùm sufficit inclinatio in debitum finem, quod est directè per habitum virtutis moralis; sed etiam quòd aliquis directè eligat ea, quæ sunt ad finem: quod fit per prudentiam, quæ est consiliatiua & iudicatiua, & præceptiua eorum, quæ sunt ad finem. Similiter etiam prudentia non potest haberi, nisi habeantur virtutes morales, cum prudentia sit recta ratio agibilium, quæ sicut ex principijs, procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis rectè se habet per virtutes morales. Vnde sicut scientia speculatiua non potest haberi sine intellectu principiorum: ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. Ex quo manifestè sequitur, virtutes morales esse connexas. *Vlteriùs* est B & alia ratio connexionis in virtutibus gratuitis propter charitatem, in qua connectuntur; quia qui habet charitatem, habet omnes virtutes gratuitas: & similiter qui habet vnam, habet charitatem. *Quò facit illud Ps.* 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Regina* sponsa C Christi est Ecclesia: & sponsæ regis dicuntur Reginæ: *in vestitu deaurato:* quia per aurum significatur charitas, & ideo dicitur *deauratus*, quia informatus charitate. Vnde subditur: *circumdata varietate*; idest, diuersis virtutum operibus: *quia qui charitatem habet, adnexas habet & virtutes cæteras. Et propter hoc charitas etiam dicitur vinculum, Coloss. 3.* Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: *nimirùm, quia ex glossa* per omnes D virtutes homo perficitur: sed charitas connectit eas ad inuicem, & facit eas perseuerantes. *Nec mirum, cum charitas (ut suo loco assumptum est) omnium sit forma virtutum: & multò magis, quàm prudentia. Pro quo sciendum, quòd* infor-

Virtutum connexio.

A 1.2.65.1.c. & ad 1. & 66. 2.c. & 73.1.c. In 3.d.36.1.1. Quol. 12.a.22.

B Quol. 12.1.c. & 1.2.65.a.2.3.4. In 3.d.c.a.2.
Etiam gratuitarum.

C Ps. 44 lit. g. ibi.

D Coloss. 3.l.3. ibi.

Diuersimodè prudentia, charitas, & gratia, forma dicitur virtutum.

D Ver. 27. 5. ad 5.

informatur D actus virtutis triplicitet. Vno modo, in quantum circa substantiam actus apponuntur debitæ conditiones, per quarum limitationem in medio virtutis constituitur, & hoc habet actus virtutis à prudentia. Nam medium virtutis accipitur secundùm rationem rectam, vt dicitur *in 2. Ethic.* Et sic prudentia dicitur forma omnium virtutum moralium. Actus autem virtutis, sic constitutus in medio, est quasi materialis respectu ordinis in finem vltimum, qui quidem ordo apponitur actui virtutis ex imperio charitatis. Et sic charitas dicitur esse forma omnium aliarum virtutum. Vltetiùs verò efficaciam merendi adhibet gratia: nullus enim operum nostrorum valor reputatur dignus æternæ gloriæ, nisi præsupposita acceptatione diuina. Et sic gratia dicitur esse forma & charitatis & aliarum virtutum. *Igitur*

E 1. 2. 65. 3. fi. c.

Charitas principium bonorum operum in ordine ad vltimum finem.

charitas E in quantùm ordinat hominem ad finem vltimum, est principium omnium bonorum operum, quæ in finem vltimum ordinari possunt; vnde oportet, quòd cum charitate simul infundantur omnes virtutes morales, quibus homo perficit singula genera bonorum operum. Et sic patet, quod virtutes morales infusæ non solùm habent connexionem propter prudentiam, sed propter charitatem; & quòd qui amittit charitatem per peccatum mortale, amittit omnes virtutes morales infusas.

Omnes virtutes cum charitate infunduntur.

Qui per p. m. amittit charitatem, omnes amittit morales virtutes infusas.

F 1. 2. 58. 4. initio c.

An virtus moralis possit esse sine intellectualibus: & è contra.

Hinc sequitur, quòd virtus F moralis potest quidem esse sine quibusdam intellectualibus virtutibus; sicut sine sapientia, scientiam, & arte: non autem potest esse sine intellectu & prudentia. *Similiter* aliæ G virtutes intellectuales sine virtute morali esse possunt: sed prudentia sine virtute morali esse non potest. Cuius ratio est: quia prudentia est recta ratio agibilium, non autem solùm in vniuersali, sed etiam in particulari, in quibus sunt actiones. Recta autem ratio præexigit principia, ex quibus ratio procedit. Oportet autem rationem circa particularia procedere non solùm ex principijs vniuersalibus, sed etiam ex principijs particularibus. *Et hinc moralis habitus, simpliciter virtus dicitur: non sic habitus intellectualis.*

G Ibid. a. 5. initio c.

Habitus moralis simpliciter virtus dicitur: non ita intellectualis.

H 1. 2. 56. 3. c. & 57. 1. 58. 1. 61. 1. ad 3. 65. 2. & 66. 3.

Dupliciter habitus ordinatur ad bonum actum.

Nam virtus H est habitus, quo aliquis benè vtitur. Dupliciter autem habitus aliquis ordinatur ad bonum actum. *Vno modo*, in quantùm per huiusmodi habitum acquiritur homini facultas ad bonum actum: sicut per habitum grammaticæ habet homo facultatem rectè loquendi; non tamen grammatica facit, vt homo semper rectè loquatur: potest enim grammaticus barbarizare, aut solœcismum facere. Et eadem ratio est in alijs scientijs & artibus. *Alio modo* aliquis habitus non solum facit facultatem agendi, sed etiam facit, quòd aliquis rectè facultate vtatur: sicut iustitia non solùm facit, quòd homo sit promptæ voluntatis ad iusta operandum, sed etiam facit, vt iustè operetur. Et quia bonum, sicut & ens, non dicitur simpliciter aliquid secundùm id, quod est in potentia, sed secundùm id, quod est in actu: ideò ab huiusmodi habitibus simpliciter dicitur homo bonum operari, & esse bonus: putà quia est iustus vel temperatus. Et eadem ratio est de similibus. Et quia virtus est, quæ *bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*: huiusmodi habitus simpliciter dicuntur virtutes, quia reddunt bonum opus in actu; & simpliciter faciunt bonum habentem. Primi verò habitus non simpliciter dicuntur virtutes, quia non reddunt bonum opus, nisi in quadam facultate, nec simpliciter faciunt bonum habentem. Non enim dicitur simpliciter aliquis homo bonus ex hoc, quòd est sciens vel artifex: sed dicitur bonus solùm secundùm quid, putà bonus Grammaticus, aut bonus Faber. *In ratione proinde virtutis videntur virtutes morales intellectualibus præferri. Nam* aliæ I virtutes intellectuales à prudentia, etsi sint principaliores, quàm morales quantùm ad subiectum; non tamen sunt principaliores quantum ad rationem virtutis, quæ respicit bonum, quod est obiectum appetitus. *Id quod de moralibus infusis à fortiori verum habet. Vnde & docemur, quòd* eorum L quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio, quàm dilectio. Propter quod Philosophus *in 7. Ethic.* prætulit virtutes intellectuales moralibus: sed eorum, quæ sunt supra nos, dilectio, præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur. Et ideò charitas est excellentior fide. *Igitur* simpliciter M loquendo, virtutes intellectuales, quæ perficiunt rationem, sunt nobiliores, quàm morales, quæ perficiunt appetitum; sed si consideretur virtus in ordine ad actum: sic virtus moralis, quæ perficit appetitum, cuius est mouere alias potentias ad actum, nobilior est. Et quia virtus dicitur ex eo, quòd est principium alicuius actus, cum sit perfectio potentiæ: sequitur etiam, quòd ratio virtutis magis competat virtutibus moralibus, quàm intellectualibus: quamuis virtutes intellectuales sint nobiliores habitus simpliciter.

A virtute morali dicitur homo simpliciter bonus

I 1. 2. 61. 1. ad 3. & 66. 3. 68. a. 7. & 8. c. & 2. 2. 161. 5. c. Virt. 1. 12. c. in 4. d. 33. 3. 3. c.

Morales in ratione uirtutis præferuntur intellectualibus, nō tamen simpliciter.

L 2. 2. 23. 6. ad 1.

M 1. 2. 66. 3. c. & 2. 2. l. c. in 4. d. 33. 3. 3. c. Vert. 1. 12. c.

i *Inter morales autem virtutes quatuor eminent principales, quæ & cardinales vocantur: scilicet Prudentia (quæ tamen moralis est quoad materiam tantùm, non secundùm essentiam, vt præmissum est) Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Et hæ in quatuor præcipuis humanis potentiis, seu viribus reperiuntur. Nam* in parte N rationali sunt duæ virtutes, scilicet appetitiua, quæ vocatur voluntas, & apprehensiua, quæ vocatur ratio. Vnde in parte rationali sunt duæ virtutes cardinales: scilicet prudentia, quantùm ad rationem, iustitia quantùm ad voluntatem: in concupiscibili autem temperantia, sed in irascibili fortitudo. *At verò* virtus O aliqua dicitur Cardinalis, quasi principalis, quia super eam aliæ virtutes firmantur, sicut ostium in cardine. Et quia ostium est, per quod introitur in domum, ratio cardinalis virtutis non competit virtutibus theologicis, quæ sunt circa vltimum finem, ex quo non est introitus vel motus ad aliquid interius. Conuenit enim virtutibus theologicis, quòd super eas aliæ virtutes firmentur, sicut supra aliquid immobile: & ideò Fides dicitur fundamentum, *1. Cor. 3.* Spes anchora, *Hebr. 6.* Charitas radix, *Ephes. 3.* Similiter etiam intellectuales non dicuntur cardinales, quia perficiunt in vita contemplatiua quædam earum, scilicet sapientia, scientia, & intellectus. Vita autem contemplatiua est finis; vnde non habet rationem ostij. Sed vita actiua, in qua perficiunt morales, est vt ostium ad contemplatiuam. *Cæterùm quatuor harum cardinalium virtutum, conueniens est numerus. Siquidem* principium P formale virtutis, de qua loquimur, est rationis bonum, quod quidem dupliciter potest considerari. *Vno modo*, secundùm quod in ipsa consideratione rationis consistit: & sic erit vna principalis virtus, quæ dicitur prudentia. *Alio modo* secundùm quod circa aliquid ponitur rationis ordo: & hoc vel circa operationes; & sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem. Quæ quidem potest esse dupliciter. *Vno modo*, secundùm quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi; & sic necesse est, quòd passio reprimatur: & ab hoc denominatur temperantia. *Alio modo*, secundùm quod passio

Virtus cardinalis quadruplex.

N Vert 1. 12. ad 25. & 1. 2. 61. 2. fi. c.

Earum subiectum.

Vnde dicatur cardinalis, & quare.

O Vert. l. c. ad 24. & q. 5. a. 1. initio c. in 3. d. 33. 2. 1. q. 1. & 2.

P 1. 2. 61. 2. c. & 2. 2. 123. 11. in 3. d. 33. 2. 1.

Rationabiliter quadruplex.

passio trahit ab eo, quod ratio dictat; sicut timor periculorum vel laborum; & sic necesse est, quòd homo firmetur in eo, quod est rationis, ne recedat; & ab hoc denominatur fortitudo. *Enimuerò* prudentia Q est simpliciter principalior omnibus: sed aliæ ponuntur principales, vnaquæque in suo genere. *At verò* virtutes R cardinales dupliciter accipiuntur. *Vno modo*, secundùm quod sunt speciales virtutes, habentes determinatas materias. *Alio modo*, secundùm quod significant quosdam generales modos virtutis. Et hoc modo loquitur *Augustinus in lib. 83. Quæst.* cum ait: *Prudentia est cognitio rerum appetendarum & fugiendarum. Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant. Fortitudo est firmitas animi aduersùs ea, quæ temporaliter molesta sunt. Iustitia est, quæ per cæteras diffunditur, dilectio Dei & proximi:* quæ scilicet est communis radix totius ordinis ad alterum. *Proinde* istæ quatuor S virtutes denominantur ab inuicem per redundantiam quandam. Id enim, quod est prudentiæ, redundat in alias virtutes, in quantùm à prudentia diriguntur. Vnaquæque verò aliarum redundat in alias ea ratione, quòd qui potest, quod est difficilius, potest & id, quod minùs est difficile. Vnde qui potest refrænare concupiscentias delectabilium secundùm tactum, ne modum excedant, quod est difficillimum; ex hoc ipso redditur habilior, vt refrænet audaciam in periculis mortis, ne vltra modum procedat, quod est longè facilius; & secundùm hoc fortitudo dicitur temperata. Temperantia etiam dicitur fortis ex redundantia fortitudinis in temperantiam, in quantùm scilicet ille, qui per fortitudinem habet animum firmum contra pericula mortis, quod est difficillimum, habilior est, vt retineat animi firmitatem contra impetus delectationum.

Q 1.2. 61.2. ad 1.

Prudentia omnibus principalior.

R 2.2.58.8. ad 2. & 123.2. & 1.2.61.4.c. & 66.2. in 3. d.33.1.1.q.3.

Virtutes cardinales dupliciter accipiũtur.

S 1.2.61.4. ad 1.

Ab inuicem denominantur per redundantiam quãdam.

Præter has recensentur & virtutes, quas heroicas vocant. Vnde & Philosophus T *in 7. Ethic.* supra virtutem communem ponit quandam virtutem heroicam, vel diuinam, secundùm quam dicuntur aliqui diuini viri: *quia videlicet* per excellentiam V virtutis homo fit quasi Deus: *Vnde & Ps. 23.* Dominus virtutum *vocatur. Et hinc*, quia X animas bonorum, per hoc, quod à corpore separantur, in statum altiorem, quàm sit status præsentis vitæ, quidam transire credebant, etiam animabus mortuorum, quas Heroas, aut Manes vocabant, diuinum cultum exhibendum esse opinabantur. *Vnde & qui sepulchra demoliebantur, Deos manes putabantur violare. Cæterùm* habitus Y ille heroicus, vel diuinus, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundùm perfectiorem modum, in quantùm scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quàm communiter omnibus competat. *Et in hoc sensu virtutes heroicæ, seu diuinæ, apud nos dona sunt Spiritus sancti.* Dona *enim* in hoc Z à virtutibus distinguuntur, quòd virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona vitra humanum modum. Quod patet in fide & intellectu. Connaturalis enim modus humanæ naturæ est, vt diuina nonnisi per speculum creaturarum, & ænigmata similitudinum percipiat: & ad sic percipienda diuina perficit fides, quæ virtus dicitur. Sed intellectus donum, vt *Gregorius* dicit, de auditis mentem illustrat, vt homo etiam in hac vita prælibationem futuræ manifestationis accipiat. *At de his fusè dictum est supra V.* Spiritus Sanctus.

T 1.2.68.1. ad 1. & 2.2. 159.2. ad 1. in 3.d.34.1.1.fi. c. Mat. 5. lib. ibi, pauperes.

Virtus heroica.

V In 3. loco cit.

X 3. con. G. c. 120 initio.

Heroes, quinam apud veteres.

Y 3.p.7.2. ad 2.

Habitus heroicus an differat à virtute.

Virtutes heroicæ sunt dona Spiritus sancti.

Z In 3.d.34.1. 1.fi.c. & 1.2. 68.1. ad 1. & 2.2.159.2. ad 1. Gal. 5. l. 6. ibi, fructus autem.

I *Quoniam verò moralis virtus, & acquisita potest esse & infusa, vt præmissum est: videndum restat, in quo altera ab altera distinguatur. Quocirca sciendum, quòd* dupliciter A habitus distinguuntur specie. *Vno modo* secundùm speciales, & formales rationes obiectorum: alio modo secundùm ea, ad quæ ordinantur. Obiectum autem virtutis cuiuslibet est bonum consideratum in materia propria: sicut temperantiæ obiectum est bonum delectabilium in concupiscentijs tactus: cuius quidem obiecti formalis ratio est à ratione, quæ instituit modum in his concupiscentijs: materiale autem est id, quod est ex parte concupiscentiarum. Manifestum est autem, quòd alterius rationis est modus, qui imponitur in huiusmodi concupiscentijs secundùm regulam rationis humanæ, & secundùm regulam diuinam: puta in sumptione ciborum ratione humana modus statuitur vt non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum. Secundùm autem regulam diuinæ legis, requiritur; quòd homo *castiget corpus suum, & in seruitutem redigat* per abstinentiam cibi, & potus, & aliorum huiusmodi. Secundùm etiam ea, ad quæ ordinantur, habitus distinguuntur specie: non enim est eadem specie sanitas hominis & equi propter diuersas naturas, ad quas ordinantur. Et eodem modo dicit Philosophus *in 3. Politic.* quòd diuersæ sunt virtutes ciuium, secundùm quod bene se habent ad diuersas politias. Et per hunc etiam modum differunt specie virtutes morales infusæ: per quas homines benè se habent in ordine ad hoc, quòd sint *ciues Sanctorum & domestici Dei*: & aliæ virtutes acquisitæ, secundùm quas homo bene se habet in ordine ad res humanas.

Virtus infusa in quo distinguatur ab acquisita.

A 1.2.63.4.c. in 3.d.33.1.2. q.4. Ver. 14.3. ad 9.

Profectò acquisita virtus ex nostris causatur actibus; non ita infusa: quæ *quidem* causatur B in nobis à Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus. Et sic est intelligendum, quod dicitur: *Quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quæ verò per nos aguntur, Deus in nobis causat, non sine nobis agentibus. Ipse enim operatur in omni voluntate & natura. *Verùm* licèt C virtus infusa non causetur ex actibus: tamen actus nostri possunt ad eam disponere. Vnde non est inconueniens, quòd & per actus corrumpatur, quia propter indispositionem materiæ tollitur forma: sicut propter indispositionem corporis anima separatur. *Porrò* ad vtramque D virtutem aliquid operatur operum assuetudo, sed diuersimodè. Nam virtutem quidem acquisitam causat: ad virtutem autem infusam disponit, & eam iam habitam conseruat, & promouet.

B 1.2 55.4. ad 6. Ver. 28. 3. ad 17.

Infusa non causatur ex nostris actibus, sed à Deo; non tamen sine nobis consentientibus.

C Virt. 1. 10. ad 17.

Disponunt ad eam actus nostri, & propter indispositionem corrumpitur.

D 1.2.92.1. ad 1. & 51.3. & 63.3.c. 2.2.47. 15. in 3.d.33. 1.2.q.1. Virt. 1.8.

Ad vtramq; assuetudo operum facit.

Cum autem sine charitate non habeantur infusæ virtutes; sicut nec morales acquisitæ sine prudentia: Quæres: *num per vnum actum peccati mortalis omnes amittantur? & dicendum, quòd* si actus E peccati comparetur ad ipsam virtutem, prout est habitus quidam, non potest ipsam corrumpere, si sit vnus tantùm. Sicut enim non generatur habitus per vnum actum, ita nec per vnum actum corrumpitur. Sed si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est, quòd per vnum actum peccati aliquæ virtutes corrumpantur. Quodlibet enim p. m. contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum, in quantùm sunt virtutes; & ideò per vnum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, in quantùm sunt virtutes. Et hoc dico, propter fidem & spem, quarum habitus remanent informes post peccatum mortale. *At verò* vnus actus F peccati etiam mortalis non tollit habitum virtutis acquisitæ: sed si multiplicentur actus, in tantùm, quod generetur contrarius habitus, excluditur habitus virtutis acquisitæ; qua exclusa, excluditur prudentia: quia cum homo agit contra quamcumque virtutem, agit contra prudentiam, sine qua nulla virtus esse potest (*vt supra habitum est:*) & ideò per consequens

E 1.2.71.4.c. & 63.2. ad 2. & 73.1. ad 2. Virt. 1.1. ad 5. & 10.

An per vnum actum p. m. tollantur habitus virtutum tam acquisitarũ, quam infusarum.

Habitus infusi fidei, & spei, exclusa charitate, remanent, sed informes.

F 12.73.1. ad 2. & locis cit.

quens excluduntur omnes virtutes morales quantùm ad perfectum, & formale esse virtutis, quod habent secundùm quod participant prudentiam. Remanent tamen inclinationes ad actus virtutum, non habentes rationem virtutis. *Et hinc est, quòd* virtus G acquisita non est maximum bonum simpliciter, sed maximum in genere humanorum bonorum (*scilicet in genere virtutis humanæ, vt præcallum est: & sic* Augustinus in lib. de lib. arb. *Virtutem computat inter maxima bona.*) Virtus autem infusa est maximum bonum simpliciter, in quantùm per eam homo ad summum bonum ordinatur, quod est Deus. *Vnde & post mortem perseuerabunt in Patria. Sicut enim* intellectuales H virtutes manebunt post hanc vitam, quantùm ad id, quod est formale in eis, scilicet quantùm ad species intelligibiles, quæ sunt in intellectu possibili; non autem quantùm ad id, quod est materiale; scilicet quantùm ad phantasmata; *Ita &* virtutes I morales in futura vita manebunt, non quantum ad id, quod est materiale in eis: non enim habebunt in futura vita locum concupiscentiæ, & delectationes ciborum & venereorum; neque etiam timores & audaciæ circa pericula mortis; neque etiam distributiones & communicationes rerum, quæ veniunt in vsu præsentis vitæ. Sed quantum ad id, quod est formale, remanebunt in beatis perfectissimæ post hanc vitam, in quantum ratio vniuscuiusque rectissima erit circa ea, quæ ad ipsum pertinent, secundùm statum illum, & vis appetitiua omninò mouebitur secundum ordinem rationis in his, quæ ad statum illum pertinent. Vnde *Augustinus* in 14. de Trin. dicit, quòd *Prudentia ibi erit sine vllo periculo erroris: fortitudo sine molestia tolerandorum malorum: temperantia sine repugnatione libidinum: vt prudentiæ sit, nullum bonum Deo præponere, vel æquare; fortitudinis, ei firmissimè adhærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari.* De iustitia verò manifestius est, quem actum ibi habebit, scilicet esse subditum Deo; quia etiam in hac vita ad iustitiam pertinet esse subditum Superiori. *Non ita tamen manebit in Patria fides: quia* fides L in sui ratione habet imperfectionem ex parte subiecti, vt scilicet credens non videat id, quod credit. Beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subiecti, vt scilicet beatus videat id, quo beatificatur. *Sed neque spes: quia* spes M importat motum quendam in id, quod non habetur; & ideò quando habetur id, quod speratur, scilicet diuina fruitio, iam spes esse non poterit. *Charitas verò certò certiùs manebit, & perfectior erit, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 13.* Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue scientia destruetur. *Etenim* imperfectio N est quidem de ratione scientiæ, prout hic de Deo habetur, in quantum scilicet cognoscitur ex sensibilibus. (*non enim tunc erit cognitio per conuersionem ad phantasmata:*) & similiter de ratione prophetiæ, in quantum est cognitio figuralis, & in futurum tendens. Non est autem de ratione charitatis, ad quam cognitum bonum diligere pertinet; & ideò superueniente perfectione gloriæ, cessant prophetia & scientia; charitas autem non cessat, sed magis perficitur: quia quantò perfectiùs cognoscetur Deus, tantò etiam perfectiùs amabitur.

G *Virt.* 1. q. ad 7. & a. 1. ad 3. & 1. 2. 65. 2. fi. c.

Virtus infusa maximũ bonum simpliciter: acquisita non sic, sed in genere humanorum bonorum.

H 1. 2. 67. 2. c. & ad 1. In 3. d. 31. 4. In 4. d. 50. 1. 2.

Tam intellectuales, quàm morales virtutes manebunt etiam in Patria: & quomodo.

I 1. 2. 67. 1. c. In 3. d. 33. 1. 4. In 4. d. 14. 1. 3. q. 3. *Virt.* 5. 4.

Quinam ibi earum actus.

L 1. 2. 67. 3. c. & 2. 2. 4. 4. ad 1. In 3. d. 31. 2. 1. q. 1. *Virt.* 5. 4. ad 10.

Fides & spes non manebunt:

M 1. 2. 67. 4. c. & 2. 2. 18. 2. In 3. l. c. a. 1. q. 2. *Virt.* l. c.

N 1. *Cor.* 13. l. 3. *ibi*, 1. 2. 67. 6. In 3. l. c. a. 2. *Virt.* 2. 10. & a. 12. ad 20.

Charitas remanebit, & perfectior.

Moralitas.

Ex recensitis porrò diuersorum generum virtutibus, earum actus iteremus oportet, quæ vel immediatè nos Deo vltimo fini nostro coniungunt, quales theologicæ sunt; Maior *enim* est O laus virtutis ex hoc, quod Deo inhæret, quam ex hoc, quod bona terrena contemnit; & ideò virtutes, quibus Deo secundùm se inhæretur, scilicet theologicæ, sunt potiores virtutibus moralibus, quibus aliquid terrenum contemnitur, vt Deo inhæreatur. *Vel quæ saltem vniunt mediatè, quales sunt virtutes morales omnes, quarum actus licèt non habeant Deum pro obiecto, tamen in eum ordinantur tanquam in vlteriorem finem.* Sicut P temperantia habet passiones pro materia, & quietem animi pro fine proximo: sed hanc vlterius ordinat ad Deum. *Has igitur post theologicas habere, & habitas seruare curemus virtutes, non vanas, vt plurimùm (potioribus missis) intellectuales facultates, quæ ad decorem potiùs animæ comparantur, quàm ad spiritualem animi vtilitatem per coniunctionem ad Deum. Et hoc est, quod aiebat initio Author;* Ad perfectam Q coniunctionem cum Deo omnes virtutes requiruntur: non autem omnes scientiæ. *Solis namque virtutibus* thesaurizamus nobis thesauros in Cœlo. *Vnde Gregorius:* Solæ *inquit* diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. *Et Sanctus* Parens noster Dominicus, *iam morti proximus:* Hæc (*ait*) fratres charissimi, vobis tanquam Filijs hereditario iure relinquo: charitatem, humilitatem, & paupertatem spiritus. Hi sunt vestri thesauri, hæ veræ diuitiæ. *Profectò virtutes istæ, arma ea validissima sunt (ab Apostolo Rom. 6.* arma iustitiæ *dicta) quibus à Deo nobis datur regnum expugnare Cœlorum; quod quidem* vim patitur, & violenti rapiunt illud, *Mat. 11. Id quod monet idem Apostolus Rom. 13.* Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: *idest* virtutes R quæ & arma dicuntur, in quantùm nos muniunt; & dicuntur *arma lucis*, tum quia lumine rationis decorantur & perficiuntur; tum quia per opera virtutum alij illuminantur. *Atqui tantùm abest, vt hæc arma lucis induat homo & assumat, quòd immò, si habeat, diabolus* superueniens vincit eum; & vniuersa arma eius aufert, *vt dicitur* Luc. 11. *Sicque culparum suarum compedibus deuinctus (nam* funibus peccatorum suorum impius constringitur, *Prou. 5.) iam diaboli factus captiuus, tandem infernali carceri mancipatur. Igitur ad hostem, & vitia debellandum, virtutes generosè assumamus, actusque earum feliciter frequentemus, vt per has beata potiamur Dei visione, quæ virtuosis promissa est. Hinc est enim, quòd post quàm dictum est Psal. 83.* Ibunt de virtute in virtutem, *statim subijcitur:* Videbitur Deus Deorum in Sion; *hoc est, in cœlesti Ierusalem, vbi* videbimus eum, sicuti est, 1. Io. 3. *Vnde Augustinus 22. de Ciu. Dei:* Ibi, *inquit*, Deus S sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. *Quò nos ex merito passionis suæ* Dominus virtutum *perducat.* DISCE, *per arma lucis, æterna lumen gloriæ comparari. De Virtutibus vide fusè* T. *Sed & plura V.* Abstinentia, Actio virtuosa, Amor hominis erga Deum, Anima separata, Beatitudo *Tomo 1.* Fides infusa, & Fortitudo *Tomo 2.* Prudentia, Spes, Spiritus Sanctus, Temperantia.

O 2. 2. 104. 3. c. & q. 17. 6. c. & 151. 2. c & 1. 2. 68. 8. c. & 1. Cor. 13. fi. cap.

P 4. d. 14. 1. 1. q. 4. ad 2.

Q *Ver.* 18. 7. ad 2.

Virtutes, veræ hominis diuitiæ.

Arma spiritualia ad acquirendum regnum Cœlorum.

R *Rom* 13. l. 3. *ibi*, & *Eph.* 6. l. 3. *ibi*, armaturam, 2. *Cor.* 10. l. 1. *ibi*, arma.

S 2. 2. 181. 4. fi. c.

T 1. 2. a. q. 49. & à q. 55. *De Virt.* q. 1. *In* 2. d. 27. 1. a. 1. & 2. *In* 3. d. 23. q. 1. & alibi.

VIRTVTES THEOLOGICÆ. *Vide* Fides *Tomo* 2.

VIRTVTES CARDINALES. *Vide* Fortitudo *Tomo* 2. Virtus.

VISIO DEI. *Vide* Beatitudo, Beatus *Tomo* 1.

VISIO IMAGINARIA &c. *Vide* Prophetia.

VITA ACTIVA ET CONTEMPLATIVA.

III. Vita actiua habet finem in exterioribus actibus: qui si referantur ad quietem contemplationis, iam pertinent ad vitam contemplatiuam. 2. 2. 181. 4. *initio corp.*

Vita voluptuosa non humana vita est, sed bestialis.

V 2.2.179. 2. *ad* 1. *&* 3. *In* 3 *d*.35. 1. 1-*c*. *Virt*. 5. 1. *initio c*.

n QVemadmodum virtutes vitam verè humanam constituunt: ita corporea voluptates non humanam, sed bestialem hominis vitam efficiunt. *Nam* vita V voluptuosa ponit finem in delectatione corporali, quæ communis est nobis & brutis: vnde sicut Philosophus dicit *in* 1. *Ethic.* est vita bestialis. *Immò non vita, sed mors moraliter dicitur. Ex quo illud Apoc.* 18. In delicijs vixerunt, *exponitur*: idest X in delicijs carnis: quæ vita est mors, secundùm illud 1. Tim. 5. *Vidua, quæ in delicijs est, viuens mortua est*. Cum igitur Y vita humana ordinata consistat in operatione intellectus & rationis; habet autem intellectiua pars duas operationes, vnam quæ est ipsius secundùm se; aliam quæ ipsius est, secundùm quod regit inferiores vires: duplex erit vita humana. Vna, quæ consistit in operatione, quæ est intellectus secundùm se ipsum; & hæc dicitur contemplatiua: Alia, quæ consistit in operatione intellectus, & rationis, secundùm, quod ordinat & regit & imperat inferioribus partibus. Et hæc dicitur actiua vita. *Et hinc est, quòd* contemplatiua Z & actiua vita ad inuicem materia & fine distinguuntur. Materia namque vitæ actiuæ sunt temporalia, circa quæ humanus actus versatur: materia autem contemplatiuæ, sunt rerum scibiles rationes, quibus contemplator insistit; & hæc materiæ diuersitas prouenit ex diuersitate finis; sicut & in omnibus alijs, materia secundùm finis exigentiam determinatur. Finis enim contemplatiuæ vitæ est inspectio veritatis, prout nunc de vita contemplatiua agimus; veritatis dico increatæ, secundùm modum possibilem contemplanti; quæ quidem in hac vita imperfectè inspicitur, in futura autem perfectè. Vnde & *Gregorius* dicit, quòd *contemplatiua vita hìc incipit, vt in futura vita perficiatur*. Sed actiuæ vitæ finis est operatio, qua proximorum vtilitati intenditur.

Et moraliter mors.

X *Apoc*. 18. *com*.1. *&* 2. *ibi*, *&* 1. *Tim*. 5. *l*. 1. *ibi*.

Vita humana diuiditur in contemplatiuam & actiuam.

Y 3.*d*.35.1.1.*c*. *&* 12.3. 2. *ad* 1. *&* 2.2. 179. 1.*c*. *& ad* 2. *&* *a*.2.*c*. *&* 1.*con*. *G*.*c*.92.*n*.4.

Materia & finis vtriusq;

Z Ver.11. 4.*c*.

o *Verùm* ad vitam A contemplatiuam pertinet aliquid dupliciter. Vno modo principaliter, alio modo secundariò, vel dispositiuè. Principaliter quidem ad vitam contemplatiuam pertinet contemplatio diuinæ veritatis: quia huiusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ. Nunc autem contemplatio diuinæ veritatis competit nobis imperfectè, videlicet per speculum, & in ænigmate; vnde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hìc incipit, vt in futuro continuetur. Vnde & Philosophus 10. *Ethic.* in contemplatione optimi intelligibilis ponit vltimam felicitatem hominis. Sed quia per diuersos effectus in Dei contemplationem manuducimur, secundùm illud Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: inde est, quòd etiam contemplatio diuinorum effectuum, secundariò ad vitam contemplatiuam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem. *Et quidem contemplatiua vita nedum ad intellectum pertinet, sed & ad affectum. Nam* vita B contemplatiua illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt contemplationi veritatis. Intentio autem est actus voluntatis: quia intentio est de fine, qui est voluntatis obiectum. Et ideò vita contemplatiua, quantùm ad ipsam essentiam actionis, pertinet ad intellectum: quantùm autem ad id, quod mouet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem, quæ mouet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad suum actum. Et propter hoc *Gregorius* constituit vitam contemplatiuam in charitate Dei: in quantùm scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam. *Ex quo sequitur, quòd morales virtutes essentialiter non exiguntur ad contemplatiuam, sed tantùm dispositiuè. Nam* finis C contemplatiuæ vitæ est consideratio veritatis: ad virtutes autem morales, scire quidem quod pertinet ad considerationem veritatis, paruam potestatem habet, vt Philosophus dicit *in* 2. *Ethic.* Vnde & in 10. *Ethic.* virtutes morales dicit pertinere ad felicitatem actiuam, non autem ad contemplatiuam. Dispositiuè autem morales virtutes pertinent ad vitam contemplatiuam: impeditur enim actus contemplationis (in quo essentialiter consistit vita contemplatiua) & per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus. *Et hoc est, quod aiebat Sponsa Cant.* 5. Ego dormio, & Cor meum vigilat. *Siquidem* contemplatiui D dicuntur dormire, quia quiescunt à sensibilibus & exterioribus: tamen secundùm cor vigilant, quia magis sunt apti ad percipiendum intrinsecùs inspirationes & diuinos influxus. Sicut enim cæci non intenti visibilibus, meliùs memorantur: sic viri contemplatiui, non intenti exterioribus, magis percipiunt interiores inspirationes. *Itaque* contemplatiua E vita vnum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, à quo habet vnitatem: habet autem multos actus, quibus peruenit ad hunc actum finalem. Quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis: alij autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem eius, cuius cognitio inquiritur: vltimus autem completiuus actus est ipsa contemplatio veritatis. *Consequenter ad hæc*, ordine F quodam quatuor ad vitam contemplatiuam pertinent. Primò quidem virtutes morales. Secundò autem alij actus præter contemplationem. Tertiò verò contemplatio diuinorum effectuum. Quartum verò contemplatiuum est ipsa contemplatio diuinæ Veritatis. *Ad quam nempè diuersis gradibus per creaturas peruenitur*. In primo *autem* gradu G ponitur perceptio ipsorum sensibilium. In secundo verò gradu ponitur progressus à sensibilibus ad intelligibi-

A 2.2.180. 4. *&* 7.*c*. *&* 181. 4. *ad* 2. *In* 3. *d*. 35.1.2.*q*.3.

Dupliciter aliquid potest ad contemplatiuam pertingere.

Contemplatiua extenditur & ad affectum.

B 2.2.180. 1. *c*. *& a*.2. *ad* 1. *In* 3.*l*.*c*.*a*.2. *q*. 1.*c*. *Ver* 22.11. *ad* 11.

C 2.2.180. 2. *c*. 1.181. 1. *&* 2. *&* 2. *c*. *et a*. 4. *ad* 1. *Op*. 17. 7. *ad* 7. *et* 3*a*8. *G a*.37.

An morales virtutes ad eam exigantur.

D Cant. 5. *com*. 2. *ibi*.

Plures contẽplatiuorum actus.

E 2.2.180. 3. *c*. *In* 3.35.1. 2.

Quatuor ad vitam contẽplatiuam pertinent.

F 2 2.180. 4. *fi*. *c*.

Per sex gradus ad Dei contemplationem ascẽditur.

G Ib. *ad* 3.

ligibilia. In tertio verò gradu ponitur diiudicatio sensibilium secundum intelligibilia. In quarto verò gradu ponitur absoluta consideratio intelligibilium, in quæ per sensibilia peruenitur. In quinto verò gradu ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inueniri non possunt, sed per rationem capi possunt. In sexto gradu ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio nec inuenire, nec capere potest, quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem diuinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur. *Nec tamen contemplatiuus, corporea in hac vita degens, adeò sublimiter per contemplationem eleuatur, vt clarè possit diuinam essentiam intueri. Vita inquam corporea viuens: nam* in hac H vita potest esse aliquis dupliciter. Vno modo secundùm actum, in quantum scilicet actualiter vtitur sensibus corporis: & sic nullo modo contemplatio præsentis vitæ potest pertingere ad videndum Dei essentiam. (*Vnde à Domino Moysi dictum est Ex.* 33. Non videbit me homo, & viuet.) Alio modo potest esse aliquis in hac vita potentialiter, & non secundùm actum, in quantum anima eius est corpori mortali coniuncta, vt forma; ita tamen, vt non vtatur corporis sensibus, aut etiam imaginatione, sicut accidit in raptu: & sic potest contemplatio huius vitæ pertingere ad visionem diuinæ essentiæ. Vnde supremus gradus contemplationis præsentis vitæ est, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ, & futuræ. *Vnde & dicebat 2. Cor.* 12. Siue in corpore, siue extra corpus, nescio. *Porrò fidelem animam triplici in Dei contemplationem posse motu moueri, docet* Dionysius c. 4. de Diu. Nom. *motu videlicet recto, obliquo, & circulari.* Tribus enim I modis anima mouetur in Deum. Vno modo inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, visibilia conspiciens: & iste est motus rectus, vnde dicit, quod *in directum mouetur anima, quando ad ea, quæ circa seipsam sunt, progreditur; & ab exterioribus, sicut à quibusdam signis variatis & multiplicatis, ad simplices & vnitas sursum agitur contemplationes.* Alio modo mouetur in Deum ex illuminationibus a Deo receptis, quas tamen recipit secundum modum suum, sensibilibus figuris velatas: sicut Isaias *vidit Deum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Et hic motus est obliquus, habens aliquid de vniformitate ex parte diuinæ illuminationis, & aliquid de difformitate ex parte sensibilium figurarum; vnde dicit, quod *obliquè mouetur anima, in quantùm secundùm proprietatem suam diuinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter, & singulariter, sed rationabiliter & diffusè.* Tertius modus est, quando anima à se omnia sensibilia abijcit, supra omnia Deum cogitans, & etiam supra se ipsam; & sic ab omni difformitate separatur: & hic est motus circularis; vnde dicit, quod *animæ circularis motus est introitus ad seipsam ab exterioribus, & intellectualium virtutum ipsius conuolutio: & quid demum, iam vniformis facta, vnitur, vnitis virtutibus; & sic manuducitur ad id, quod est super omnia.*

An per contemplationẽ possit hic essentia diuina videri.

H 2.2.180 5. c. & 1.p.12.11. in 4. d 49.2.7. & 3. con.G.c. 47. Ver.10.11. Quol.1 4.1.

I Ver.8.15 ad 3 & q 10 8. ad 10 & 22.179 2.ad 3 & 180 6 & 4 de Diu. Nom. l.7. Op. 2 lib.3 c.2. & 3.

Triplici motu in Dei contemplationem anima mouetur.

P *Nam autem sublimem contemplationem comitatur delectatio, & delectatio quidem summa, quæ in hac vita possit haberi.* Etenim contemplatio L potest esse delectabilis dupliciter: *Vno modo* ratione operationis, quia vnicuique delectabilis est operatio sibi conueniens secundùm propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundùm suam naturam, prout est animal rationale, ex quo contingit, quod omnes homines naturaliter scire desiderant, & per consequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiæ, & scientiæ; ex quo accidit, quod sine difficultate aliquis contemplatur. *Alio modo* contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti, in quantùm scilicet aliquis rem amatam contemplatur; sicut etiam accidit in visione corporali, quæ delectabilis redditur, non solùm ex eo, quòd ipsum videre est delectabile, sed etiam ex eo quòd videt quis personam amatam. Quia ergo vita contemplatiua præcipuè consistit in contemplatione Dei, ad quam mouet charitas: inde est, quòd in vita contemplatiua non solùm est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius diuini amoris. Et quantùm ad vtrumque, eius delectatio omnem delectationem humanam excedit; nam & delectatio spiritualis potior est, quàm carnalis; & ipse amor, quo ex charitate Deus diligitur, omnem amorem excedit. *Vnde & in Ps.* 33. *dicitur*: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus; & 1. *Pet.* 2. Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus. *Nec mirum, si eiusmodi est contemplatiuorum priuilegium: nam illius* perfectæ M & vltimæ felicitatis in hac vita, nihil est adeò simile, sicut vita contemplantium veritatem, secundùm quod est possibile in hac vita. Et ideò Philosophi, qui de illa felicitate vltima plenam notitiam habere non potuerunt, in contemplatione, quæ est possibilis in hac vita, vltimam felicitatem hominis posuerunt. *Immò* vita N æterna non est, nisi quædam consummatio contemplatiuæ vitæ, quæ per vitam contemplatiuam in præsenti quodammodo prælibatur. *Vnde & cohærenter docemur, quòd* vita O contemplatiua non est propriè humana, sed super humana. *Nam contemplatiuorum conuersatio, etiam in hac vita, cum Deo est & Angelicis spiritibus, quantum patitur anima corpori vnita. Siquidem* duplex P est hominis vita. *Vna* quidem exterior secundum naturam sensibilem & corporalem: & secundum hanc vitam non est nobis communicatio, vel conuersatio cum Deo & Angelis. *Alia* autem est vita hominis spiritualis secundùm mentem: & secundùm hanc vitam est nobis conuersatio & cum Deo & cum Angelis: in præsenti quidem statu imperfectè; vnde dicitur Philip. 3. *Nostra conuersatio in Cælis est*: sed ista conuersatio perficietur in Patria, quando *serui eius seruient Deo, & videbunt faciem eius*, vt dicitur Apoc. 22. *Enimuerò* quantò Q operatio potest esse magis continua & vna, tantò plus habet rationem beatitudinis; & ideò in actiua vita, quæ circa multa occupatur, est minus de ratione beatitudinis, quàm in vita contemplatiua, quæ versatur circa vnum; idest circa veritatis contemplationem: (*quod cohæret verbis Domini ad Martham dicentis Luc.* 10. Turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium; Maria optimam partem elegit &c.) Et si aliquando homo actu non operetur huiusmodi operationem: tamen, quia in promptu habet eam, semper potest operari. Et quia etiam ipsam cessationem, putà causa somni, vel occupationis alicuius naturalis ad operationem prædictam ordinat (*Omnia in gloriam Dei facite* 1. Cor. 10.) quasi videtur operatio continua esse.

Summa ex contemplatione delectatio, quæ hic haberi potest.

L 2 2 180.7. c. & 4.1.p.x. & 1.2 3 5 c. in 4. d.15.4.1 9 2. ad 1.

M 3.con.G c. 63.fi. & 1.2 q. 3.2. a 14. & q. 4.7. fi.s.

Nihil æternæ felicitati similius, quàm vita contemplatiua.

N 3.d.35.1 4. q 1.c.

Cuius est vita æterna consummatio quædam.

O Virt. 5.1.c. sub in tio & 2. 2.51.2. c. & 188.8 ad 5.

Contemplatiua vita super humana.

P 2.2.q.23.1. ad 1. & 1.p 95 1 ad 1. Phil.3. l.3. ibi, conuersatio.

Vita hominis duplex.

Contemplatiuus conuersatur & hic cum Deo & Angelis, licet imperfectè.

Q 1.2.q.3.2. ad 4. fi.

Vitæ contemplatiuæ operatio circa unum: actiuæ circa multa.

Q *Circa multa inquam vita occupatur actiuorum. Nam* actiua R vita consistit in omnibus agibilibus, siue sint ad se ipsum, siue ad alium; sed principaliter consistit in his, quæ ad alium sunt: quia bonum multorum secundùm Philosophum in principio Ethic. est diuinius, quàm bonũ vnius. Vnde & iustitia, quæ ad alterum est, à Philosopho *in* 5. *Ethic.* dicitur esse pulcherrima virtutum. Sicut autem vita contemplatiua consistit principali-

R 3 d.35.1 3. q.1.c. & 2.2. 179.1. & 2.c. & 181.1 c. & ad 1.

In quibusnam actiua vita consistat.

Virtutes omnes morales ad actiuam spectant, intellectuales ad contemplatiuam.

S Op. 17. c. 7. ad 7. & 2. 2. 181. 1. ad 3.

cipaliter in optimo contemplabili, ita vita actiua in optimo agibili. *Et alibi*: Siquidem S doctrinam sequamur Philosophi, morales virtutes omnes pertinent ad vitam actiuam, vt patet *in* 10. *Ethic.* Intellectuales verò ad vitam contemplatiuam. Cui etiam *Augustinus* attestatur 12. *de Trin.* vbi rationem inferiorem, quæ temporalia dispensat, siue ad se, siue ad alium pertinentia, deputat actioni: superiorem verò rationem, quæ rationibus æternis inhæret, deputat contemplationi. *Et quamuis quantùm ad aliqua, per opera actiua vita possit contemplatiua præpediri; non tamen in omnibus, sed potiùs iuuatur. Quandoquidem* vita T actiua potest considerari quantùm ad duo. *Vno modo* quantùm ad ipsum studium, & exercitium exteriorum actionum; & sic manifestum est, quòd vita actiua impedit contemplatiuam, in quantùm impossibile est, quòd aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, & diuinæ contemplationi vacet. *Alio modo* potest considerari vita actiua quantùm ad hoc, quòd interiores animæ passiones componit, & ordinat: & quantùm ad hoc, vita actiua adiuuat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum. *Proinde* quando V aliquis vtitur his, quæ sunt vitæ actiuæ solùm, prout disponunt ad contemplationem, comprehenduntur sub vita contemplatiua. Vnde etiam dici potest, quòd vita actiua est dispositio ad vitam contemplatiuam. *Ex quo initio Author rectè dicebat*: Vita X actiua habet finem in exterioribus actibus, qui si referantur ad quietem contemplationis, iam pertinent ad vitam contemplatiuam. *Nam* & contemplatiua Y est finis actiuæ. *Et ita omnes* actus Z immediatè ad Deum directi, etiamsi exteriores sint, ad vitam contemplatiuam pertinent, & sunt contemplationis partes, secundùm quod largè accipitur. *Siquidem* contemplatio A aliquando capitur strictè pro actu intellectus, diuina meditantis: & sic contemplatio est sapientiæ actus. Alio modo sumitur communiter pro omni actu, quo quis à negocijs exterioribus sequestratus, soli Deo vacat: quod quidem contingit dupliciter. Vel in quantùm homo Deum loquentem in scripturis audit: (*Vnde &* de Maria B per quam vita contemplatiua significatur, dicitur Luc. 10. quòd *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*:) quod fit per lectionem. Vel in quantùm Deo loquitur, quod fit per orationem. Meditatio autem ad vtrumque se habet, quasi medium in ea: quia ex hoc, quòd nobis loquitur in scripturis, ei per meditationem intellectu, & affectu præsentamur; & sic præsentati, eum habentes, ei loqui possumus per orationem. Et ideò posuit *Hugo de S. Vict.* tres contemplationis partes: primam, lectionem: secundam, meditationem: tertiam, orationem. *Sic igitur* à vita C actiua proceditur ad vitam contemplatiuam secundùm ordinem generationis: à vita autem contemplatiua reditur ad vitam actiuam per viam directionis, vt scilicet vita actiua per contemplationem dirigatur: sicut etiam per operationes acquiritur habitus, vt per habitum acquisitum perfectiùs aliquis operatur, & dicitur *in* 2. *Ethic.* DISCE, *per opera virtutum ad Dei contemplationem hic & in futuro peruenire.*

T 2. 2. 182. 3. c. & 181. 1. c.
An vita actiua contemplatiuam impediat.
V 2. 2. 181. 1. c.
Actiua adiuuat & disponit ad contéplatiuam, tanquam ad finem.
X Ib. a. 4. init. c.
Y 3. d. 35. 1. 4. q. 1. c.
Z 4. d. 15. 4. 2. q. 1. ad 2.
Omnes actus etiam exteriores ad Deum directi, ad contemplatiuam spectant.
A Ib. a. 1. q. 2. ad 1. & 2. 2. 180. 3. ad 1. & 4.
Contemplationis partes tres: lectio, meditatio, & oratio.
B 2. 2. l. c. arg. 4.
C 2. 2. 182. 4. ad 2. & in cor. In 3. d. 35. 1. 3. q. 3. c. & ad 3. Ver. 11. 4. ad 2.

IV. Illi, qui sunt magis apti ad actiuam vitam, possunt per exercitium actiuæ ad contemplatiuam præparari: & illi nihilominùs, qui sunt magis ad contemplatiuam apti, possunt exercitia vitæ actiuæ subire, vt per hoc ad contemplationem paratiores reddantur. 2. 2. 182. 4. *ad* 3. *fi.*

1 *VTramque proculdubio vitam vita hominis benè ordinata complectitur. Hinc ad illud Apoc.* 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, *docemur, quòd* eleganter D hæc tria coniunxit, scilicet opera, laborem, & patientiam: quia in ijs tribus consistit bona vita. Vnde *Augustinus*: Benè viuere *inquit* est bona agere, & mala pati, & in eis perseuerare. *Laborat quippe anima agendo, vt possit contemplari* (Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, *Sap.* 9.) *& vt contemplata alijs tradat. Ex quo suboritur quæstio: num docere ad contemplatiuam vitam pertineat, an ad actiuam. Et dicendum*, quòd doctrina E est duplex. Quædam quæ ad cognitionem veritatis tantùm ordinatur; & hoc, quamuis ad alterum fit, limites tamen vitæ contemplatiuæ non exit. Est autem quædam doctrina, quæ ordinatur ad persuadendum bonos mores, quæ prædicatio dicitur; & hæc ad vitam actiuam pertinet. Vel dicendum, quòd doctrina potest dupliciter considerari. *Vno modo*, secundùm quod est ad exercitium cognitionis, & profectum ipsius docentis; & sic ad vitam contemplatiuam pertinet. *Alio modo*, secundùm quod intenditur bonum alterius. Sic autem ea, quæ cognitionis sunt etiam speculatiuæ, exercentur per modum dispositionis rerum temporalium, inter quæ proximus computatur: quod actiuæ vitæ est. Et ideò *Gregorius* dicit, quòd actiua vita est, panem esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere &c. *Contemplatiua item vita, diuturna est, quomodocumque consideretur: non ita actiua.* Aliquid *enim* potest F dici diuturnum dupliciter. Vno modo secundùm suam naturam: alio modo quoad nos. Secundùm siquidem, manifestum est, quòd vita contemplatiua diuturna est dupliciter. *Vno modo*, eo quòd versatur circa incorruptibilia, & immobilia. *Alio modo*, quia non habet contrarietatem: delectationi enim, quæ est in considerando, nihil est contrarium, vt dicitur *in* 1. *Topic.* Sed quoad nos etiam, vita contemplatiua diuturna est. Tum quia competit nobis secundùm actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundùm intellectum; vnde potest post hanc vitam durare. Alio modo, quia in operibus contemplatiuæ corporaliter non laboramus; vnde magis in huiusmodi operibus continuè persistere possumus, sicut Philosophus dicit *in* 10. *Ethic. Idcircò &* in Scriptura G diuina magis contemplatiua commendatur, dicente Domino Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*, scilicet contemplationem veritatis, *quæ non auferetur ab ea*: incipit enim contemplatio veritatis in hac vita, sed in futura consummatur: actiua verò & ciuilis vita huius vitæ terminos non transcendunt. *Quandoquidem* uita H actiua quantùm ad illos actus, quos modò habet, quibus turbatur de proximorum necessitatibus, & de proprijs passionibus, non remanebit: quia tunc panem esurienti non porriget &c. Manebit tamen quantùm ad alios actus qui erunt virtutum & donorum, in Patria. Vita autem contemplatiua nihilominùs est diuturnior, quàm actiua, quia manet etiam quoad illos actus, in via

Bona uita in tribus consistit *ex August.* D *Apoc.* 2. *com.* 2. §. 1. *ibi.*
Num docere ad actiuam uitam spectet an ad contéplatiuam.
E 3. d. 35. 1. 3. q. 1. ad 3. & 2. 2. 181. 3. Ver. 11. 4.
Contemplatiua uita diuturna dupliciter est: non sic actiua.
F 2. 2. 180. 8. c. & 181. 4. ad 3. & 3. p. 20. 4. ad 3. In 2. d. 5. lit. b.
G 3. con G. c. 63. fi.
H 3. d. 35. 1. 4. q. 3. c. & 2. 2. 181. 4. c.

quos in via habet: qui quidem in statu viæ sunt imperfecti; sed in Patria perficientur. *Non diuturna saue actiua vita est, corporalibus tot laboribus, & ærumnis obnoxia; propter quæ & vita nostra corporalis naturaliter citò deficit; unde & dicitur Sap.* 5. Sic & nos nati continuo desiuimus esse. (*Nec obiter dicendum*, quòd I modò minus homines viuunt, quàm in principio Mundi, propter aggrauationem originalis peccati, neque propter continuam debilitatem naturæ, ut quidam dicunt, alioquin per processum temporis semper magis, & magis vita hominis breuiaretur: quod patet esse falsum: cum modò tantum homines viuant, sicut & in tempore Dauid, qui dicebat Ps. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni*. Illa ergo diuturnitas vitæ fuit ex virtute diuina, ut genus humanum multiplicaretur.

I Ma 4 8. ad 13. In 2 d 32. 1. 3. ad 4.

Humanæ vitæ breuitas. Initio Mundi diuturnior diuina uirtute, ut genus humanum propagaretur

(*Ex his, cæterisque præmissis clarè deducitur, contemplatiuam vitam esse actiua præferendam, seu meliorem, immò ex ore Domini optimam*, Luc. 10. Quod L Philosophus *in* 10. *Ethic.* probat 8. rationibus. Quarum prima est, quia vita contemplatiua conuenit homini secundùm illud, quod est optimum in ipso, scilicet secundùm intellectum, & respectu propriorum obiectorum, scilicet intelligibilium: vita autem actiua occupatur circa exteriora. Vnde Rachel, per quam significatur vita contemplatiua, interpretatur *visum* (siue *videns*) *principium*: vita autem actiua significatur per Liam, quæ erat lippis oculis, *secundùm Gregorium*. *Secundò* quia vita contemplatiua potest esse magis continua, licèt non quantùm ad summum contemplationis gradum. Vnde Maria per quam significatur vita contemplatiua, describitur secus pedes Domini assidue sedens. *Tertiò* quia maior est delectatio vitæ contemplativæ, quam actiuæ. Vnde *August.* dicit in lib. de verb. Domini, quod *Martha turbabatur, Maria epulabatur*. *Quartò* quia in vita contemplatiua est homo magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget. Vnde dicitur Luc. 10. *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima*. *Quintò* quia vita contemplatiua magis propter se diligitur: vita autem actiua ad aliud ordinatur. Vnde in Ps. 26. dicitur: *Vnam petii à Domino: hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini*. *Sextò* quia vita contemplatiua consistit in quadam vacatione, & quiete, secundùm illud Ps. 45. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus*. *Septimò* quia vita contemplatiua est secundùm diuina: vita autem actiua est secundùm humana. Vnde *Aug.* dicit *in lib. de verb. Domini*, In principio erat Verbum: *ecce, quod Maria audiebat*. Verbum caro factum est: *ecce cui Martha ministrabat*. *Octauò*, quia vita contemplatiua est secundùm id, quod est magis proprium homini, scilicet secundùm intellectum in operationibus autem vitæ actiuæ communicant etiam inferiores vires, quæ sunt nobis & brutis communes, Vnde in Ps. 35. postquàm dictum est: *Homines & iumenta saluabis Domine*; subditur id, quod est hominibus speciale: *In lumine tuo videbimus lumen*. *Nonam* rationem addit Dominus Luc. 10. cum dicit: *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea*. Quod exponens *Aug. in lib.* de Verb. Dom. dicit: *Non tu malam; sed illa meliorem. Audi, unde meliorem; quia* non auferetur ab ea. *A te autem auferetur aliquando onus necessitatis: æterna est dulcedo veritatis*. Secundum quid tamen, & in casu, est magis eligenda vita actiua propter necessitatem præsentis vitæ: sicut etiam Philosophus dicit *in 3. Topic.* quod philosophari est melius, quàm ditari: sed ditari melius necessitatem patienti. *Præterea ex genere suo maioris etiam meriti censenda*

E 2 2. 182. 1 c. & 188. 6. In 3. d. 35. 1. 4. q. 1. In 4. d. 49. 3. 5. q. 3. & 3. c. G. c. 63 fi. Quol. 3. 4. 17. ad 6 Op. 17 7. ad 7.

Vita contemplatiua simpliciter potior, quàm actiua ex pluribus capitibus.

Secundùm quid & in casu magis eligenda actiua uita.

Contemplatiua maioris etiam meriti ex genere suo.

contemplatiua vita est, quàm actiua. Et ratio adducitur manifesta: quia radix M merendi est charitas: cum autem charitas consistat in dilectione Dei & proximi, Deum diligere secundùm se, est magis meritorium, quàm diligere proximum: Et ideò illud, quod directiùs pertinet ad dilectionem Dei: magis est meritorium ex suo genere, quàm id, quod directè pertinet ad dilectionem proximi propter Deum. Vita autem contemplatiua directè & immediatè pertinet ad dilectionem Dei, dicit enim *August. 19. de Ciuitat. Dei* quòd *otium Sanctum*, scilicet contemplativæ vitæ, *quærit charitas veritatis*, scilicet diuinæ, cui potissimè vita contemplatiua insistit. Vita autem actiua directiùs ordinatur ad dilectionem proximi, quia *satagit circa frequens ministerium*, ut dicitur Luc. 10. cit. Et ideò ex suo genere contemplatiua vita est maioris meriti, quàm actiua. Potest tamen contingere, quòd aliquis in operibus vitæ actiuæ plùs mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplativæ: puta si propter abundantiam diuini amoris, ut eius voluntas impleatur propter ipsius gloriam, interdum sustinet à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari. *sicut* Apost. dicebat Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*. Quod exponens *Chrysost.* in li. de compunct. dicit: *Ita totam mentem eius demerserat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, scilicet esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret*. Sunt *autem* quidam N qui libenter, vel sine magna molestia separantur à vacatione diuinæ contemplationis, ut terrenis negocijs implicentur. & in his (*nota*) vel nihil, vel modicum charitatis apparet. Quidam verò in tantùm delectantur in vacatione diuinæ contemplationis, quòd eam deserere nolunt, etiam ut diuinis obsequijs mancipentur, ad salutem proximorum. Quidam verò ad tantum culmen charitatis ascendunt, quòd etiam diuinam contemplationem (licet in ea maximè delectentur) prætermittunt, ut Deo seruiant in salutem proximorum. Et hæc perfectio in Paulo apparet, qui dicebat Roman. 9. cit. *Optabam ego ipse anathema*, idest separatus, *esse à Christo pro fratribus meis*. Et ad Phil. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo: permanere autem in carne necessarium propter vos*. (*Vbi docemur, quòd* duplex O est dilectio Dei: scilicet dilectio concupiscentiæ, qua vult homo frui Deo, & delectari in ipso; & hoc est bonum hominis. Item est dilectio amicitiæ, qua homo præponit honorem Dei huic etiam delectationi, qua fruitur Deo: & hæc est perfecta charitas. Hoc ergo dixit Apostolus, ut ostendat, se esse perfectioris charitatis, quasi sit paratus propter amorem Dei & gloriam, carere delectatione visionis Dei.) Et hæc perfectio est propriè Prælatorum & Prędicatorum & quorumcumq; aliorum, qui procurandæ aliorum saluti insistunt. Vnde significantur per Angelos in scala Iacob, ascendentes quidē per contemplationē, descendentes verò per solicitudinem(2. Cor. 11. *Solicitudo omnium Ecclesiarum*) quā de salute proximorū gerunt. *Igitur* vita P contēplatiua simpliciter est melior, qua actiua, quæ occupatur circa corporales actus: sed vita actiua, secundùm quam aliquis prædicando & docendo, contemplata alijs tradit, est perfectior, quàm vita, quæ solùm contemplatur: quia talis vita pręsupponit abundantiam contemplationis. Vnde & Christus talem vitam elegit: *talisque excelluit in Sanctissima eius Genitrice Maria*; & Q ideò *secundùm Anselmum* in assumptione eius legitur Euangelium de Martha & Maria, quæ significant vitam actiuam & contemplatiuam. *Ex quibus deducitur, quod cum alii ad*

M 2. 2. 182. 2. c. In 3. d. 35. 1. 4. q. 2.

Contingit tamen aliquando, plùs aliquem mereri in operibus actiuæ, quam alium in operibus contemplatiuæ.

N Virt. 2. 11. ad 6. & 2 2. 182. 1. ad 1. Rom. 9. 1. ibi, Optabam 6. 28. ibi, idem;

Diuersitas contemplantium.

Perfectio charitatis quæ.

Duplex Dei dilectio.

O Phil. 1 l. 3. fi.

Vtraque simul vita; perfectior, quàm sola contemplatiua.

P 3 p. 40. 1. ad 2. In 3. d. 35. 1. 3. q. 3. & 2 2. 188. 6.

Q In 3. l c. in 2. sed contra.

Vtrique vitæ nobis insistendum.

con-

R 2. 2. 182. 4. ad 3. fi. & 179. 1. c. & 3. con. G. c. 133. fi.

contemplatiuam, alii ad actiuam aptiores sint: illi R qui sunt magis apti ad actiuam vitam, possunt per exercitium actiuæ ad contemplatiuam præparati: & illi nihilominùs, qui sunt magis ad contemplatiuam apti, possunt exercitia vitæ actiuæ subire, vt per hoc ad contemplationem paratiores reddantur: *quod aiebat initio Author*.

S 2. 2. 179. 2. in sed contra & 182. 1. c. & 3. con G. c. 63. fi.

Hæ duæ vitæ signantur per Martham & Magdalenã.

T Io. 11. l. 4. lit. c.

† *Vtriusque porrò vitæ plures in Sac. pagina (ut & prætactum est) significationes habemus. Nam* istæ S duæ vitæ significantur per duas mulieres, quæ Dominum hospitio receperunt: contemplatiua quidem per Mariam, actiua verò per Martham. *Quod quidem præter superiùs allata, innuitur satis Io. 11. ubi dicitur, quòd cum aduenirit Dominus, Lazarum excitaturus*, Maria vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Martha autem domi sedebat. *Quo loci docemur, quòd* mysticè T signantur per hæc vita actiua, quæ significatur per Martham, quæ occurrit Christo, ad exhibendum obsequij beneficium membris eius: & vita contemplatiua, quæ per Mariam signatur, quæ domi sedet, quieti contemplationis & puritati conscientiæ vacans, Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Istæ pariter* duæ V vitæ significantur per duas vxores Iacob: contemplatiua quidem per Rachelem: actiua verò X signatur per Liam; quæ erat secunda & lippis oculis. Vnde *Gregorius*: Qui ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, & amplius parit. *Et alibi coharenter docemur, quòd* prima Y vita, scilicet actiua, designatur per Liam: tum quia ætate prior, & maior: tum quia lippa: tum quia interpretatur *laborans* (siue *laboriosa*.) Per Rachel verò designatur secunda, scilicet contemplatiua, quia facie decora: tum quia iunior & posterior. tum quia interpretatur *Ouis*, atque *uidens Deum*, vel *uidens principium*. Iustitia enim actiua est multùm laboriosa, & respectu contemplandorum habet oculos per distractionem temporalium lippientes: vel etiam lippis est oculis, quia si vult esse iusta, multa temporalia commoda habet relinquere, ac si non videret illa: quod homines sic horrent, sicut lippitudinem oculorum. Tamen secundùm communem cursum prius nascitur illa, quàm contemplatiua, & propter multitudinem, ac sensibilem magnitudinem exteriorum operum, æstimatur maior, quàm ista, & etiam à principio: quamuis propter supradicta minor prædiligatur. *Vnde & per Ioannem, qui minor erat, contemplatiua: per Petrum uerò seniorem, actiua designatur*. Per Z Ioannem *inquam* significatur vita contemplatiua, quæ familiariorem habet Deum: quamuis actiua sit fructuosior, & laboriosior, quæ significatur in Petro. *Et hinc est, quòd de Ioanne dicitur Io. 18. quòd* introiuit cum Iesu in Atrium Pontificis: Petrus autem stabat ad ostium foris. *Siquidem* mysticè A Ioannes intrat cum Iesu, quia vita contemplatiua est ei familiaris: sed Petrus stat foras, quia actiua vita circa exteriora occupatur. *Ideò & subditur, quòd* introduxit Petrum: *per quod scilicet* mysticè B datur intelligi, quòd per contemplatiuam introducitur ad Christum actiua vita: sicut enim ratio inferior dirigitur per superiorem, ita actiua per contemplatiuam, *Ps.* 42. Emitte lucem tuam & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt & adduxerunt in tabernacula tua. *Ex opposito autem legitur* Io. 20. *quòd Ioannes* venit primus ad monumentum (citiùs enim C peruenit, quia iunior erat sene Petro) non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum. *Quo ex facto instruimur, quòd* per istos D duos discipulos duo genera hominum designantur: scilicet vacantes contemplationi veritatis; & hi signantur per Ioannem: & insistentes obedientiæ mandatorum, qui signantur per Petrum; vnde Simon *obediens* interpretatur. Contingit autem plerumque, quòd priùs perueniat ad cognitionem mysteriorum Christi contemplatiuus sua docibilitate; sed non intrat, quia quandoque præcedit intellectus, & sequitur tardus, aut nullus affectus. Sed actiuus instantià feruoris & sedulitate, & si tardiùs intelligat (*Ps.* 118. A mandatis tuis intellexi) tamen citiùs intrat; ita vt qui fuerunt posteriores in perueniendo, fiant priores in cognoscendo, *Mat*. 20. Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. *Erudiamur hinc, in uia Dei à sola charitate proficiendi mensuram sumi. Docemur enim, quòd* simpliciter E in spirituali vita perfectus est, qui est in charitate perfectus. DISCE, *illos Deo esse gratiores, qui utrique uitæ operam nauant. Vide* Amor Dei erga hominem, *Tomo* 1. *& suis Authorem Opusc.* 18. de perfectione vitæ spiritualis.

X In 3. loco cit.

Y Gen. 30. non longe ab init.

Item per Rachelem & Liam.

V 2. 2. 179. 2. in sed contra. & 181. 1. arg. 2. & 182. 1. c. In 3. d 35. 1. 3. q 1. ad 3.

Per Ioannem pariter & Petrum.

Z 3. d. 31. 2. 3. q. 3. c & 1. p. 20. 4. ad 3 Io. 21. l. 5. lit. b.

A Io. 18. l 3. lit. d.

B Ib. lit. e.

Per contemplatiuam introducitur ad Christum actiua vita.

C Io. 20. l. 1. lit. d initio.

Salubre ex hoc documentum.

D Ib. lit. e.

E Op. 18. c. 1. Simpliciter in spirituali vita perfectus, qui in charitate perfectus est.

VITIVM. *Vide* Peccatum.

VLTIO. *Vide* Dilectio inimicorum *Tomo* 2.

VNCTIO. *Vide* Christi conceptio, Confirmatio *Tomo* 1. Extrema Vnctio *Tomo* 2. Ordo, Princeps, Sacerdos.

VOCATIO DIVINA.

V. *Lazare veni foras*. Datur per hoc intelligi, quòd Christus vocat peccatores foras exire de conuersatione peccati. *Io.* 11. *l.* 6. *lit. d. ibi*.

F Rom. 10. l. 2. ibi, audiet. Sicut duplex auditus, interior & exterior: ita & duplex vocatio.

G Rom. 1. l 4. ibi, uocatis, & l. 6. ibi, uocauit Mat. 4. lit. b. ibi, uocauit.

H Apoc. 22. com. 2 §. 2. ibi.

I Ib. com. 1. ibi.

a QVemadmodum duplex F est auditus: Vnus quidem interior, quo quis audit à Deo reuelante (*siue inspirante*) Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: Alius autem auditus est, quo aliquis audit ab homine exteriùs loquente, Act. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum*: *Ita* duplex G est vocatio Dei: Vna exterior, secundùm quam vocauit Petrum & Andream, *Mat*. 4. Alia autem est vocatio interior, quæ est secundùm internam inspirationem, Prou. 1. *Vocaui, & renuistis*. Et Apoc. 22. *Et Spiritus, & sponsa dicunt: Veni*. Spiritus H inspirando, *& sponsa* prædicando. Vel *Spiritus*, Idest I Christus, (*Rom.* 8. si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius) de quo Io. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est*, per internam scilicet inspirationem: *& sponsa*, hoc est Sancta Ecclesia, per prædicationem: *ut videlicet utraque vocatio designetur. Quò facit & illud Domini Is.* 50. Veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret. *Veni*, scilicet L per inspirationem; & *vocaui*, scilicet per prophetas. *Et hoc sensu dicitur Io.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Etenim* cum M liberum arbitrium indigeat ad hoc, quòd moueatur ad gratiæ susceptionem, auxilio gratiæ diuinæ, non quidem habitualis, sed mouentis; ideò *dat potestatem* mouendo lib. arbitrium hominis, vt consentiat ad susceptionem gratiæ, iuxta illud Thren.

L Is. 50. ibi. Explicatur uocatio interior.

M Io. 1. l. 6. lit. c.

5. Con-

5. *Conuerte nos Domine ad te* mouendo voluntatem nostram, ad amorem tuum, *& conuertemur*: & hoc modo vocatur interior vocatio *praeter exteriorem. Nec tamen ex eo quod dicat Apostolus Rom.* 8. Quos praedestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, hos & glorificauit, *vel (vt apud Authorem)* magnificauit: *Non ex eo vnquam dicendum est, quòd omnis vocatio, iustificatio sit. Quae circa notandum, quòd (vt praemissum est)* vocatio N est duplex. Quaedam exterior, vt quae fit per praedicationem; & haec non est iustificatio, sed disponit ad eam. Quaedam verò interior: & haec quandoque quidem non pertingit ad finem suum ex vocati defectu. Et haec vocatio nihil aliud est, quàm aliquis instinctus vel motus ad bonum, à Deo immissus. Et haec etiam vocatio non est idem, quod iustificatio, sed via ad illam. Quandoque autem pertingit ad finem, quando scilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Christum; vt dicitur Io. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*. Et haec vocatio idem est, quod iustificatio secundùm substantiam, sed differt ratione. Quia vocatio dicitur, secundùm quod per infusionem gratiae & auxilium, homo à peccato retrahitur: sed iustificatio respicit terminum ad quem, scilicet praedictae rectitudinis statum. Et sic vocatio sumitur *Rom.* 8. vt patet per glossam, ibi. Auxilium enim, quod fidei nos vocando Deus praestat, est gratia, quae facit fidem per dilectionem operari. Vnde illorum quatuor, quae ibi ab Apostolo ponuntur, praedestinatio est causa iustificationis in iustificante, vocatio autem est idem iustificationi ratione differens, vt dictum est: sed glorificatio (*seu* magnificatio) est iustificationis complementum, siue referatur ad perfectionem gloriae, siue ad perfectionem gratiae. *Quod autem dictum est, quòd videlicet interior vocatio quandoque non pertingit ad finem suum: (nam Mat.* 20. & 22. Multi sunt vocati, pauci verò electi; *Et Prou.* 1. Vocaui & renuistis:) *derogare videtur virtuti auxiliaris gratiae per quam quis vocatur; eo vel maximè, quòd* sine poenitentia sunt dona, & vocatio Dei, *vt dicitur Rom. 11. At dicendum, quòd* ipsum O temporale Dei donum, & temporalis vocatio non irritatur per mutationem Dei, quasi poenitentis, sed per mutationem hominis, qui gratiam Dei abiicit, *secundùm illud Hebr.* 12. Contemplantes, ne quis desit gratiae Dei. *Ex iis autem vocatis, in quibus idem secundùm rem vocatio est, & iustificatio, vnus fuit Apostolus Paulus: cui & iustificationis adiectum est complementum quoad gratiae perfectionē in hac vita, & quoad perfectionem gloriae in futura. Vnde & de se ipso dicebat ad Gal.* 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meae, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni, & sanguini. *Qui me segregauit ex vtero matris meae*, scilicet P Synagogae, cuius vterus est Collegium Pharisaeorum, qui nutriebant alios in Iudaismo. Ex quo vtero *segregatus est* per Spiritum Sanctum ad fidem Euangelii, Rom. 1. *Segregatus in Euangelium Dei*. Vocat autem synagogam matrem suam, quia Pharisaeus erat, quasi magnus in ea, idum dicitur Pharisaeus, & ex Pharisaeis, quia zelator legis erat. *Et vocauit me* vocatione exteriori, scilicet ex caelesti voce, Act. 9. *Saule, Saule quid me persequeris?* Sicut & alios Apostolos vocauit: & vocatione interiori, scilicet per quendam interiorem instinctum, quo Deus per gratiam tangit cor, vt conuertatur ad ipsum: & sic *vocauit* à mala via in bonam, Is. 45. *Suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam*. Finis autem conuersionis ponitur, cum dicit; *Vt reuelaret Filium suum in me*. Qui quidem finis est Christus. Ordinatur autem conuersio sua ad Christum dupliciter; scilicet facto, & sic dicit: *vt reuelaret Filium suum in me*; idest in eo, quod circa me fecit conuertendo me, & dimittendo peccata mihi, *reuelaret*, quanta sit mihi facta misericordia, 1. Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc Mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: sed ideò misericordiam consecutus sum &c.* Sic ergo reuelauit in eius conuersione Filium suum: & hoc, in quantùm Filius dicitur gratia Dei. Item reuelauit eum in eius operatione: vnde dicebat ipse Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non effecit Christus in obedientiam Gentium, verbo, & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti &c.* Et hoc in quantùm Filius virtus est Dei. Item reuelauit eum in eius praedicatione. Vnde 1. Cor. 1. dicebat: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudaeis, atque Graecis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*. Et hoc, in quantùm Filius eius dicitur sapientia Dei. Item ordinatur ad Christum sua conuersio verbo; & sic dicit: *vt euangelizarem illum in Gentibus*: quia aliis Apostolis euangelizantibus Christum Iudaeis, Paulus de mandato Domini iuit ad Gentes conuertendas, *Is.* 49. *Dedi te in lucem Gentium vt sis salus mea vsque ad extremum terrae*. Modus autem suae conuersionis est perfectus, & quantùm ad affectum, & quantùm ad intellectum. Quantùm ad affectum; vnde dicit. *Continuò non acquieui carni & sanguini*; idest, statim ita perfectè fui conuersus, quòd omnis carnalis affectus recessit a me. Et accipitur hic caro & sanguis pro vitiis carnalibus; vel pro affectu & amore ad carnaliter sibi coniunctos, Mat. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*. Sic Apostolus & vitia sua superauit, & suos Iudaeos contempsit. Quantùm verò ad intellectum: quia ita fuit instructus à Christo, quòd non fuit ei necesse instrui ab Apostolis; & ideò dicit: *Neque enim veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos*, vt scilicet ab eis instruerer. Item non fuit necesse instrui ab aliis fidelibus; & ideò dicit: *sed abii in Arabiam &c.* Quasi dicat: Non iui ad loca, vbi erant alii fideles, vt me instruerent, sed *in Arabiam*, vbi non erant edocti in fide, sed infideles. *Vides Lector, quàm abundanter Apostolum vocatum & iustificatum magnificauit mirabiliter Dominus & glorificauit.*

Non omnis vocatio interior iustificatio est.

N 4. d. 17. q. 1. a. 1. q. 2. c. & in 1 d. 41. q. 1. a. 2. ad 3. Et Rom. 8. l. 6.

Vnde fit, quòd vocatio interior quandoque non pertingit ad finem suum.

O Rom. 11. l. 4. ibi.

Apostoli Pauli vocatio describitur, et perfecta conuersio.

P Gal. 1. l. 4. ibi

X *Hoc autem Apostoli exemplo erudimur, vt & nos Deo misericorditer vocanti statim obtemperemus: neque enim fert asse secundò vocabimur: quippe vocationem negligenti vel abiicienti primam, frequenter* post est occasio calua. *Vnde & ipse hortabatur Paulus*, 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile &c. *Et quidem* nunc *signanter dicit: eodem enim momento, quo à Deo vocamur, respondere ei consentiendo debemus, ceu de futuro incerti. Quasi dicat*: Ecce nunc tempus acceptabile, *nimirùm* in quo Q adiuti gratia cooperante, possumus operari ad consequendum salutem aeternam. *Ita de Petro & Andrea legimus* Mat. 4. *quòd vocati à Domino*, continuò relictis retibus secuti sunt eum. *Quo loci Euangelista* ostendit R obedientiam eorum quantùm ad tria. Primò quantùm ad promptitudinem, quia non distulerunt (*vti & Paulus vocatus* continuò non acquieuit &c.) Secundò quantùm ad expeditionem, quia omnia reliquerunt. Tertiò quantùm ad executionem, quia secuti sunt eum. *Item de Iacobo & Ioanne ibid subiicitur quòd Dominus* vocauit eos: illi autem *statim* relictis retibus & patre, secuti sunt eum. *Vbi notat Author, quòd* duo S superiores nauem & retia tantùm: isti autem reliquerunt retia, nauem, & patrem, *Ps.* 44. Obliuiscere

Exemplo Apostoli erudimur, vt Deo vocanti statim obtemperemus.

Q 2. Cor. 6. l. 1. ibi.

Sicuti Petrus et Andreas R Mat. 4 lib. ibi Op. 17. c. 4. Iacobus et Ioannes

S Ibid. ibi.

Obliuiscere

liuiscere populum tuum, & domum patris tui. *Non sic promptè obediuit ille, qui* Mat. 8. *traditur dixisse Domine:* Permitte, me primùm ire, & sepelire patrem meum. *Cui benè respondit Dominus:* Sequere me; & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Quia videlicet*, qui T vult sequi Christum, non debet dimittere sequi propter aliud negocium temporale. Item erant alij, qui poterant sepelire ideo dixit: *dimitte mortuos &c.* Item quia accidit sæpe, quòd qui impeditur aliquo uno negocio, cum unum aliud trahat, citò ruit in aliud. Et sic si iste iuisset sepelire patrem, habuisset fortassis postea cogitationes de testamento patris. *Idcircò statim parendum est, uti paruit Matthæus, de quo legimus Mat. 9. quòd Dominus* vidit eum sedentem in telonio, *hoc est per consuetudinem in peccato manentem* (*telonium enim* erat V locus, ubi vectigalia recipiebantur; unde erat in quodam statu, ubi vix homo viuere potest sine peccato.) & ait illi: *Sequere me.* Et surgens, secutus est eum; *videlicet*, ad unum X verbum. Vnde ostenditur obedientia, quia statim secutus est. *Non secus & de Magdalena habemus, quòd cum monuisset eam Martha soror de Magistri aduentu, propter obitum Lazari fratris, Io.* 11. Magister adest, & vocat te; *mox subiicitur:* Illa ut audiuit, surgit citò, & venit ad eum. *In quo* promptitudo Y Mariæ ad occurrendum Christo describitur: quia non distulit propter luctum, non tardauit propter astantes; *sed statim, ut audiuit surgit citò* de domo, in qua erat, *& venit ad eum* scilicet ad Iesum. Per quod datur nobis exemplum non tardandi, cum vocamur ad Christum, *Eccli.* 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Nec mirum, quòd illa Maria* vt audiuit *exteriùs venerit ad Iesum: quæ pariter*, vt cognouit *interiùs, ad pedes eius accedens lacrymis pœnitentiæ rigauit. Huc facit & quod legitur* Apoc. 4. *ubi post quàm dictum est, audiuisse Ioannem vocem de Cœlo*: Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri citò; *immediatè subditur*: Post hæc statim fui in spiritu. *Statim*, idest Z hoc audito, *fui in Spiritu*, idest in spirituali contemplatione. *Statim* dicit contra pigros, qui semper procrastinant, quod eis à Deo præcipitur faciendum, voce coruorum dicentes, *cras*. Sed vera obedientia statim parata inuenitur. *Vnde Bernardus*: Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat auditui aures, linguam voci, pedes itineri, & manus operi, & se totum intus recolligit, ut mandatum peragat imperantis.

T Mat. 8. lit. c. ibi. Et Op. 17. c. 9.
Et Matthæus.
V Mat. 9. lit. b. ibi.
Magdalena.
X Ibid. ibi.
Y Io. 11. l. 5. lit. b.
Ioannes Apostolus. Z Ap. 4 com. 2. §. 1. ibi, & com. 1. ibi.

y *Neque conqueri debet peccator, quòd ideò ad Deum non conuertitur, quia ab eo non vocatur: cum ipse Dominus dicat, Mat. 9.* Non veni vocare iustos, sed peccatores; *unde & incessanter pulsat ad cor, Apoc. 3.* Ecce sto ab ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum &c. *Ecce sto*, expectans A ad pœnitentiam. *Expectat Dominus ut misereatur vestri*, Is. 30. *ad ostium*, scilicet cordis, quod est lib. arbitrium. Illud ostium clausum tenetur, quandiu homo habet voluntatem peccandi, ita quod Dominus intrare non potest. *In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sap. cap. 1. *Et pulso* inspirando, verberando, prædicando, beneficia conferendo: *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea &c.* Cant. 5. *Si quis audierit* una aure, scilicet cordis, quæ est intelligentia, & alia, quæ est obedientia, *vocem meam*, idest inspirationem, seu flagellationem, seu prædicationem, seu beneficiorum collationem, quæ dicuntur vox Domini; quia per hæc vocat nos Dominus ad se, & tamen pauci audiunt, Prouerb. 1. *Vocaui, & renuistis* (ecce inspiratio) *extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret* (ecce flagellatio) *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis* (ecce prædicatio:) *& aperuerit mihi ianuam* cordis sui, idest voluntatem, per quam intrat Christus ad animam, quæ dicitur aperiri Christo per consensum bonum, & diabolo per consensum malum: *intrabo ad illum*, infundendo ei gratiam: sicut Sol intrat in domum per fenestram apertam, radios intromittendo; nec aliter intrat Sol, nisi fenestra apertatur. *Est autem Christus* iustitiæ Sol, *Mal. 4. domus verò anima fidelis, Hebr.* 3. Quæ domus sumus nos. *At miseri peccatores, aut vocationem, siue exteriorem, siue interiorem negligunt*: Illi autem neglexerunt: *aut positiuè ex malitia reluctantur*: Noluerunt venire; *ut habetur in parabola de vocatis ad nuptias* Matt. 22. *Vbi dicemur, quòd* quidam B ex malitia, quidam ex negligentia dimittunt. Et quæ fuit causa? quia *abierunt alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam.* Videbantur autem habere iustam causam exterius: sed Dominus non recipit quia nulla temporalia debent detinere de veniendo ad Deum. *Et nihilominùs, ut in plurimis hominis diuinas vocationes dimittunt propter temporalia. Reliqui verè* tenuerunt seruos eius (*Regis inuitantis & vocantis*) & contumelijs affectos occiderunt. (*Non desunt & inter fideles hodie, qui prædicatores, Dei nuncios, si non occidunt ferro, lingua gladio non rarò interimunt, suos correptores odio habentes, qui eos ad conuersionem inuitant & vocant, Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati sunt. *Hac sola de causa & S.* Ludouici Beltrandi *Valentini, ex Ordine nostro apud Occidentales Indos Apostolici concionatoris, attentatum est.* Publicam *siquidem* vitiorum obiurgationem, tanquam in se unum directam, Nobilis quidam ulturus, mortem Ludouico intentat, cum strictus in eum scopus in Crucifixi formam repente conuertitur. Quo miraculo nefarius aggressor permotus, ad sancti viri pedes prouolutus, tanti facinoris veniam enixè deprecatur.) *At verò attende quod sequitur;* Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, *æterni videlicet damnatione supplicii, Iustè quippè irascitur Dominus, & grauiter punit, suâ diuina vocationis contemptores*, 2. *Paral.* 36. At illi subsannabant Nuncios Dei, & paruipendebant sermones eius; illudebantque Prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum eius, & esset nulla curatio: *quia nempe* in Inferno nulla est redemptio; *& ab ira Dei etiam in præsenti vita nullum effugium est, Iob* 11. Effugium peribit ab eis. *Monebat idcircò Sapiens, ne vocationi Dei negligeremus consensum dare, Eccli.* 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Quod & Apostolus confirmat, Rom.* 2. Ijs autem, qui sunt ex contentione &c. ira & indignatio. *Vbi tangitur* C contentionis pertinacia, quæ potest intelligi hominis ad Deum beneficijs ad se vocantem; contra quem homo contendere videtur, diuinis beneficijs resistendo, *Deuteronom.* 31. Semper contentiosè egistis contra Dominum. *De quibus dicitur Ier.* 17. Non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam, ne audirent me, & ne acciperent disciplinam.

Dominus iugiter peccatores vocat, pulsando ad cor.
A Ap. 3. com. 2. §. 4. ibi, & com. 1. ibid.
Vocationes Dei aut negligimus, aut ex malitia abiicimus.
B Mat. 22. lit. a. ibi.
Propter nullum temporale dimittenda conuersio ad Deum vocantem.
C Rom. 2. l. 2. ibi.

z *Nec tamen cessat benignissimus Dominus contumaces etiam ad se vocare peccatores. Quod mysticè signatur in suscitatione Lazari quatriduani, peccatorem inueteratum referentis. Ad cuius sepul-*

Non cessat Dominus & contumaces ad se vocare.

pulchrum diuinus suscitator accedens, voce magna clamauit: Lazare veni foras, *Io. 11.* Per quod C datur intelligi, quòd Christus vocat peccatores foras exire de conuersatione peccati (*quod aiebat initio Author*) *Apoc. 18.* Exite de illa populus meus, *de Babylone nimirùm. Ideircò Is. 46.* Redite *clamat* præuaricatores ad cor. *Et iterùm*: Audite me duro corde. *Vnde & Ps. 94. apud Apostolum* Hebr. 3. *dicitur*: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Vbi instruimur, quòd* durum est D quod non cedit, sed resistit impellenti, nec recipit impressionem. Et sic dicitur cor hominis durum, quando non cedit diuinæ iussioni (*aut vocationi*) nec de facili recipit diuinas impressiones. *Igitur*, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, *idest*; nolite corda claudere Spiritui Sancto, Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Nolite *inquam* obdurare corda vestra, *quia* cor durum habebit malè in nouissimo, *ut dicitur Eccli. 3. & Rom. 2.* Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Hodie *dico, cum te exteriùs vel interiùs vocat Christus: unde & Hebr. 13. signanter dicitur*: Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula. *Quasi dicat: si heri vocauit, aut hodie vocat Christus, aurem præbete & cor: nescitis enim, an erat sit vocaturus, Is 50.* Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii. *Non contradico*, sed E recipio & accepto ipsius inspirationem: *retrorsum non abii*; scilicet à bono proposito; *quod sequitur ad diuinam inspirationem. Et hoc est, quod monet idem Apostolus ad Hebr. 12.* Accessistis ad testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem, quàm Abel. *Et postea subdit:* Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur; multò magis nos, qui de Cælis loquentem nobis auertimus. *Videte* ne recusetis loquentem; *hoc est, interiùs inspirantem, vel exteriùs per prædicationem ad se vocantem*, ne recusetis, *idest* quod F loquitur, implete. *Si enim illi*, scilicet antiqui Patres, *recusantes eum, qui super terram loquebatur*, scilicet Christum, *Is. 52. Ego ipse qui loquebar, ecce adsum*, scilicet per Angelos vel Prophetas, *non effugerunt*, scilicet vltionem diuinæ legis. Si illi, inquam, qui recusauerunt loquentem de terra, non effugerunt: *multò magis nos, qui de Cælis loquentem nobis auertimus*, non debemus recusare, quia scilicet minùs possemus effugere. Ille enim, qui nobis loquitur in nouo testamento, Christus scilicet, iam est in Cælis, *Deut. 4.* De Cœlo te fecit audire vocem suam, vt doceret te. *Nec sufficit promptè audire loquentem, sed & exequi debemus quod loquitur.* Si dicto audiens (*inquit Hilarius*) & præceptis obediens erit, *exemplo Abrahæ ad quem Dominus Gen. 22.* Abraham Abraham, At ille respondit; Adsum, At illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & offeres eum in holocaustum &c. *Vbi notat Author, quòd* vocatus G à Deo, respondit, *Adsum*: quod significat promptitudinem mentis ad Deo obsequendum, & obtemperandum. Nec distulit: sed ipsa nocte consurgens, fecit quod iusserat Deus. *Tolle (iusserat) Filium*, non qualem cumque, sed *vnigenitum, & quem diligis*, scilicet *singulariter. Sicuti è contra Iacobus & Ioannes patrem reliquerunt Mat. 4.* In quo H significatur, quod propter Deum & propter Christum debemus relinquere omnem affectum carnalem, qui per patrem signatur *respectu filii, & per filium respectu patris. Ad diuinam ergo effugiendam vindictam* audiat *peccator* quid loquatur in eo Dominus Deus, *vt conuertatur à via sua mala, dicens cum puero Samuele 1. Reg. 3.* Loquere Domine; quia audit seruus tuus: *ad omnia paratus præstanda, quæ Deus loquetur. Perpendat quoties Clementissimus Deus, vel interiùs, vel exteriùs eum vocauerit, & reuocauerit: & adeò quidem frequenter, vt fatigari quodammodo videatur, Ier. 15.* Laboraui rogans. *Videlicet* toties I rogaui, vt conuerteremini. Quasi dicat: Laborassem, si possibile fuisset, *rogando, & vocando, Is. 43.* Seruire me fecisti in peccatis tuis: Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. *Quasi dicat*: Seruulem L me ostendistis, cum me offendentes non puniebam, *Is. 1* Labora ui sustinens. *Et quidem vocat nos Dominus vel à prima ætate nostra, Is. 50.* Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. *Mane*, idest M à principio ætatis. *Quod quidem fit per lumen fidei, ut ait Apostolus Petrus in sua 1. cap. 2.* Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. *De tenebris*, scilicet N culpæ, ignorantiæ, & infidelitatis, *vocauit* vocatione interiori per Spiritum Sanctum, & exteriori per Euangelium, *in admirabile lumen suum*, scilicet fidei & gratiæ, quæ illuminat intellectum, & inflammat affectum. *Sed & in quacumque tempore vocat nos, & in quacumque ætate. Quod signatur* Apoc 1. *cum dicitur ab Ioanne*: Audiui post me vocem magnam, tanquam tubæ &c. *Vbi Author*: Hæc O vox *inquit* est vocatio Domini, qua vocat, & reuocat nos fugientes ab eo, *Is. 30. Aures tuæ audient verbum post tergum monentis (præsertim verò fidelem suo redemptum sanguine vocat:* Reuertere ad me, quoniam redemi te, *Is. 44.*) Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, ut intueamur te.* Sed quare dictum est quater, *reuertere*? quia scilicet in pueritia, in iuuentute, in senectute, in senio, nos vocat, & reuocat. Vel quia quatuor faciunt à Deo fugere, scilicet confidentia iuuentutis; & hi fugiunt ad Orientem: dilatio mortis; & hi ad Occidentem: amor prosperitatis; & hi ad meridiem: timor aduersitatis; & hi ad Aquilonem. Ideò clamat Dominus: *Reuertere* ab Oriente, quia & iuuenis citò moritur: *Reuertere* ab Occidente, quia senex diu non viuit (*& quando homo à Deo fugit, diu viuere non potest*: verba sunt Senecæ:) *Reuertere* à meridie, quia prosperitas Mundi citò transit; *Reuertere* ab Aquilone, quia aduersitas Mundi non potest nocere, nisi volenti. *Magna* autem dicitur *vox*: quia magnus vocat & ad magna. *Quandocunque igitur & quocumque vocet Dominus, statim respondendum consentiendoest, ad salutis securitatem: alioquin* post *fortassis* erit occasio calua. *Memnonis simulachrum ea in Egypto confectum arte ferunt, quod* radio statuam attingente, quod fit oriente Sole, non potest videri non mirabile, cum radio in os incidente, statua loquatur: *vt scribit Suidas. Vnde & ea adiecta est epigraphe*: Sole abeunte tacet. *Erudimur hinc omnes, vt eodem momento, quo* oritur nobis Sol iustitiæ (*Mal. 4.*) *mentem nostram illuminans; linguam ad eius irradiationem soluamus, dicentes cum Dauid 2. Reg. 15.* Præsto sum: faciat quod bonum est coram se. *Aliàs enim simulachrum* Sole abeunte tacebit. *Et huc faciunt verba Domini Io 12.* Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. *Et iterum*; Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filii lucis sitis. *Ita felicissimè contigit Paulo, à Christo supernè vocato: statim enim, ac habuit lucem, cum videlicet* circumfulsit eum lux de Cælo *Act. 9.* credidit; *corde in lucem, & ore locutum est simulachrum*: Domine: quid me vis facere? *Et ita* filius lucis *fuit, non tenebrarum, 1. Thess. 5.* Filii lucis estis & filii diei; non sumus noctis, neque tenebrarum. *Non secus & nos, diuina lucis radiis, ubi nobis illuxerit, bene vti debemus, & statim*, vt non tenebræ nos com-

C *Io. 11. l. 6. lit. d.*
Monitum ad obduratos.
D *Hebr. 3 l. 2. ibi.*
E *Is. 50. ibi.*
Audiat peccator Dominum loquentem & vocantem, vt diuinam euitet iram.
F *Hebr. 12. l. 5. ibi.*
Audiat, & obediat.
G *Gen. 22. ibi.*
H *Matt. 4 l. 6. ibi.*
I *Ier. 15. lib. ibi.*
Frequens, imò iugis quocumque ætatis tempore Dei vocatio.
L *Is. 43. ibi.*
M *Is. 50. ibi.*
N *1. Pet. 3. § 3 ibi.*
O *Apoc. 1. com. 2. nō longe à s.*
Memnonis Simulachra.
Deo illuminante ad eum statim debemus conuerti S. Paulus Apostolus.

comprehendant, *interiores videlicet & exteriores, de quibus Mat. 22. & 25. Ab his misericorditer nos eripias qui* non iustos vocare venit, sed peccatores. *DISCE Deo vocanti præstò esse, non reluctari. Vide* Apostoli *Tomo* 1. Dei misericordia *Tomo* 2. Religiosus.

VOLVNTAS.

VI. Cum voluntas de se ordinetur in bonum, sicut in proprium obiectum; quòd in malum tendat, non potest contingere, nisi ex hoc, quòd malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus vel rationis, vnde causatur libertas arbitrij. Non autem pertinet ad rationem alicuius potentiæ, quòd deficiat in suo actu: sicut non pertinet ad rationem visiuæ potentiæ quòd aliquis obscurè videat. *Ma.* 16. *art.* 5. *corp.*

Appetitus triplex.
P 1.2 26.1.c. & q 1.2.c.35. 1.c.40.3.c. & 1 p.19.9.c.59. 1.c.60.1.c.87. 4.c. & 2.2.29. 2.ad 1. & alibi pluries.

a EX *tribus principibus potentiis, siue facultatibus, quibus à Deo anima humana donata est, vna est voluntas, quæ appetitus dicitur rationalis. Triplex quippe statuitur appetitus, scilicet naturalis, sensitiuus, & rationalis, siue intellectiuus.* Est enim P quidam non consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius: & huiusmodi dicitur appetitus naturalis. Res enim naturales appetunt quod ijs conuenit secundùm suam naturam, non per apprehensionem propria, sed per apprehensionem instituentis naturam. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem ipsius appetentis; sed ex necessitate, non ex iudicio libero: & talis est appetitus sensitiuus in brutis, qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat, in quantùm obedit rationi. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secundùm liberum iudicium; & talis est appetitus rationalis, siuè intellectiuus, qui dicitur voluntas. *Quæ quidem vno sensu, rationalis per essentiam dicitur, alio verò per participationem rationalis nuncupatur. Nam* voluntas Q quamuis secundùm essentiam suam sit in rationali per essentiam; quia tamen quantùm ad similitudinem actus conuenit cum irascibili & concupiscibili, quę dicuntur rationales per participationem, ipsa etiam voluntas aliqualiter rationem participat, in quantum à ratione apprehensiua dirigitur. *Et vlteriùs* quia actio R intellectus consistit in hoc, quòd ratio rei intellectæ est in intelligente; actus verò voluntatis perficitur ex eo, quòd voluntas inclinatur ad ipsam rem, prout est in se: & ideò Philosophus dicit *in 6. Metaph.* quòd bonum & malum, quæ sunt obiecta voluntatis, sunt in rebus; verum & falsum, quæ sunt obiecta intellectus, sunt in mente. *Hinc triplex consideratur voluntas: voluntas videlicet sensualitatis, voluntas vt natura, & voluntas rationis. Quod quidem clarè apparet in Christo Domino orante, cum ait Mat. 26.* Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. *Docemur enim, quòd* in Christo S secundùm humanam naturam ponitur multiplex voluntas: scilicet voluntas sensualitatis, quæ participatiuè voluntas dicitur: & voluntas rationalis, siue consideretur per modum naturæ: siue per modum rationis. Manifestum est autem, quòd voluntas sensualitatis refugit naturaliter dolores sensibiles, & corporis læsionem. Similiter etiam voluntas vt natura repudiat ea, quæ sunt naturæ contraria, & quæ sunt secundùm se mala, putà mortem, & alia huiusmodi: sed hæc tamen voluntas quandoq; per modum rationis eligere potest ex ordine ad finem. Sicut etiam in aliquo puro homine sensualitas eius, & etiam voluntas absolutè considerata, refugit vstionem: quam tamen voluntas secundùm rationem eligit propter finem sanitatis. Christus ergo secundùm voluntatem sensualitatis, & secundùm voluntatem rationis, quæ consideratur per modum naturæ, aliud poterat velle, quàm Deus; sed secundùm voluntatem, quæ est per modum rationis, semper idem volebat, quod Deus. Quod patet ex hoc ipso, quod dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Volebat enim secundùm rationem, voluntatem diuinam impleri: quamuis aliud dicit se velle, secundùm quandam aliam eius voluntatem. *Siquidem* ad T instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem, & motum sensualitatis, quem sicut homo habebat.

Voluntas appetitus dicitur rationalis.
Q 3.d.27.2.3. ad 5. & d. 17. 1.1.q. 2.c.
Diuerso sensu rationalis per essentiam & per participationem.
R 1.p.82.3.c.
Triplex voluntas.
S 3.p.18.5.c. & 21.4. In 2.d. 39.2.2.ad 1. In 3 d. 17.1.1.q. 2.c.
T 3.p.21.4. ad 1.

b *Est autem voluntatis obiectum, ipsum bonum.* Voluntas *enim* est V appetitus quidam rationalis; omnis autem appetitus non est nisi boni. Cuius ratio est: quia appetitus nihil aliud est, quàm quædam inclinatio appetentis in aliquid: nihil autem inclinatur, nisi in aliquid simile & conueniens. Cum igitur omnis res, in quantùm est ens & substantia, sit quoddam bonum, necesse est, vt omnis inclinatio sit in bonum. Et inde est, quòd Philosophus dicit *in 1. Ethi.* quòd bonum est, quod omnia appetunt: (*& quia malum contrariatur bono, etiam malum ad obiectum pertinet voluntatis*: eadem *enim* potentia X est oppositorum, sed non eodem modo se habet ad vtrumq; Voluntas igitur se habet ad bonum, & ad malum: sed ad bonum, appetendo ipsum; ad malum verò, fugiendo illud. Ipse ergo actualis appetitus boni, vocatur voluntas; secundùm quod nominat actum voluntatis. Fuga autem mali magis dicitur noluntas. Vnde, sicut voluntas est boni, ita noluntas est mali.) Sed considerandum est, quòd cum omnis inclinatio consequatur aliquam formam, appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem: appetitus autem sensitiuus, vel etiam intellectiuus, seu rationalis, qui dicitur voluntas, sequitur formam apprehensam (*vt præmissum est.*) Sicut igitur id, in quod tendit appetitus naturalis, est bonum existens in re: ita id, in quod tendit appetitus animalis, vel voluntarius, est bonum apprehensum. Ad hoc ergo, quòd voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quòd sit bonum in rei veritate, sed quòd apprehendatur in ratione boni. Et propter hoc Philosophus dicit *in 2. Physic.* quod finis est bonum, vel apparens bonum. *Et quia* nihil Y tendit in aliquid, sicut in finem, nisi in quantùm ipsum est bonum; oportet, quòd bonum, in quantùm bonum, sit finis. *Et ita* obiectum Z voluntatis est finis & bonum. Id autem A quod est propter se bonum & volitum, est finis: vnde voluntas propriè est ipsius finis. Ea verò, quæ sunt ad finem, non sunt bona vel volita propter se ipsa, sed ex ordine ad finem: vnde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem. *Et quidem* obiectum B voluntatis est finis, & bonum in vniuersali. *Etenim* appetitus C intellectiuus, etsi feratur in res, quæ sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas secundùm aliquam rationem vniuersalem: sicut cum aliquid appetit, quia est bonum. Vnde Philosophus dicit in sua Rhetorica, quòd odium potest esse de aliquo vniuersali, putà cum odio habemus omne latronum genus. Similiter etiam

V 1.2.8.1.c.
Obiectum voluntatis est bonum.
X 1.2.8.1 ad 1. & 74.2 ad 2 & 1.p.20.1.c. Ma.1.1 ad 4. et q.10.1.c. Virt. 1.2.ad 3. & 3. con.G.c.10.
Immò & malum: sed non eodem modo ad vtrumque se habet.
Y 3.con.G.c.17 initio.
Z 1.2.1.1. & 3.0.q.11.1.c. & 2.2.4.1.c. In 2. d.40.1 1.c Ver. 2.3. initio c. Quol. 8.a.19. init.c. & alibi.
A 1.2.8.2.c. Ver. 22.a.14.
Finis & bonum obiectũ voluntatis.
Num voluntas sit tãtùm finis; an & eorum, quæ sunt ad finẽ.
B 1.2.1.2.ad 3. & q.2.a 7. & 8.c & q.9. & 10 a.1.c. & 3.p.59. & 82. a.4.c. & 2 2. 24.1.c. & 25. 2.c. et alibi.
C 1.p.80.2. ad 2.
Bonum vniuersale obiectum eius.

per appetitum intellectiuum appetere possumus immaterialia bona, quæ sensus non apprehendit, sicut scientiam, virtutes, & alia huiusmodi. *Sanè voluntas in aliquid naturaliter tendit. Pro quo sciendum, quòd ex* Bœtio *in lib. de duab. nat. & ex Philosopho in 5. Metaph.* Natura dicitur D quandoque principium intrinsecum in rebus mobilibus; & talis natura est vel materia, vel forma materialis, vt patet *in 2. Physic.* Alio modo dicitur natura, quælibet substantia, vel quodlibet ens. Et secundum hoc illud dicitur naturale rei, quod conuenit ei secundùm suam substantiam: & hoc est, quod per se inest rei. In omnibus autem, ea quæ non per se insunt, reducuntur in aliquid, quod per se inest, sicut in primum. Et ideò necesse est, quòd hoc modo accipiendo naturam, semper principium in his, quæ conueniunt ei, sit naturale. Et hoc manifestè apparet in intellectu: nam principia intellectualis cognitionis sunt naturaliter nota. Similiter etiam principium motiuum voluntariorum oportet esse aliquid naturaliter volitum. Hoc autem est bonum in communi, in quod voluntas naturaliter tendit (sicut etiam quælibet potentia in suum obiectum) & etiam ipse finis vltimus, qui hoc modo se habet in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationum in intelligibilibus, & vniuersaliter omnia illa, quæ conueniunt volenti secundùm suam naturam. Non enim per voluntatem appetimus solùm ea, quæ pertinent ad potentiam voluntatis, sed etiam ea, quæ pertinent ad singulas potentias, & ad totum hominem. Vnde naturaliter homo vult non solùm obiectum voluntatis, sed etiam alia, quæ conueniunt aliis potentiis, vt cognitionem veri, quæ conuenit intellectui: & esse, & viuere, & huiusmodi alia, quæ respiciunt consistentiam naturalem; quæ omnia comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quædam particularia bona. *Idcircò* quod E voluntas de necessitate vult, quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis vltimus, vt beatitudo, & ea, quæ in ipso includuntur, vt est cognitio veritatis, & alia huiusmodi. *Sanè* voluntas F appetit naturaliter quod est bonum secundùm rationem; sicut concupiscibilis, quod est delectabile secundùm sensum. *Verumtamen* circa hoc G aliquis peccat, in quantùm iudicium rationis intercipitur passione: *quam reprimere negligit & coercere.*

D 1. 2. 10. 1. c. & ad 3. Ver. 22. 5. & 9 Ma. 16. 4. ad 5.

In quænam tendat naturaliter voluntas Natura per Natura dupliciter dicitur.

E Ver. 22. 5. c.

F Ver. 1. 5 ad

Voluntas naturaliter appetit quod est bonum secundùm rationem.

G Ibid. ad 2.

c *Porrò à voluntate rationis humanus actus dicitur voluntarius, in quantum homo & cognoscit finem, & agit propter finem.* *Quocirca* considerandum est H quòd quorundam actuum principium est in agente, seu in eo, quod mouetur; quorundam autem motuum, vel actuum principium est extra. Cum enim lapis mouetur sursum, principium huius motionis est extra lapidem: sed cum mouetur deorsum, principium huius motionis est in ipso lapide. Eorum autem, quæ à principio intrinseco mouentur, quædam mouent se ipsa: quædam autem non. Cum enim omne agens seu motum agat, seu moueatur propter finem, illa perfectè mouentur à principio intrinseco, in quibus est aliquod intrinsecum principium, non solùm vt moueantur, sed vt moueantur in finem. Ad hoc autem, quòd aliquid fiat propter finem, requiritur cognitio finis aliqualis. Quodcumque igitur sic agit, vel mouetur à principio intrinseco, quod habet aliquam notitiam finis, habet in se ipso principium sui actus, non solùm vt agat, sed etiam vt agat propter finem. Quod autem nullam notitiam finis habet, etsi in eo sit principium actionis, vel motus, non tamen eius, quod est agere, vel moueri propter finem, est principium in ipso, sed in alio, a quo ei imprimitur principium suæ motionis in finem: vnde huiusmodi non dicuntur mouere se ipsa, sed ab aliis moueri. Quæ verò habent notitiam finis, dicuntur se ipsa mouere; quia in eis est principium non solùm, vt agant, sed etiam vt agant propter finem. Et ideò, cum vtrumque sit ab intrinseco principio, scilicet quòd agunt, & quòd propter finem agunt, horum motus, & actus dicuntur voluntarii. Hoc autem importat nomen voluntarii, quòd motus & actus sit à propria inclinatione: & inde est, quòd voluntarium dicitur esse secundùm diffinitionem *Aristotelis, Gregorii Niceni, & Damasceni*, non solùm cuius principium est intra, sed cum additione scientiæ. Vnde cum homo maximè cognoscat finem sui operis, & moueat se ipsum, in eius actibus maximè voluntarium inuenitur. *Igitur ex præfatis* ad rationem I voluntarii requiritur, quòd principium actus sit intra, cum aliqua cognitione finis. Est autem duplex cognitio finis: perfecta scilicet, & imperfecta. Perfecta quidem finis cognitio est, quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio eius, quod ordinatur ad finem ipsum: & talis cognitio finis competit soli rationali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola finis apprehensione consistit, sine hoc, quòd cognoscatur ratio finis, & proportio actus ad finem: & talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum, & æstimationem naturalem. Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem perfectam, prout scilicet apprehenso finem aliquis potest, deliberans de fine, & de his, quæ sunt ad finem, moueri in finem, vel non moueri. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem, non deliberat, sed subitò mouetur in finem. Vnde soli rationali naturæ competit voluntarium secundùm rationem perfectam: sed secundùm rationem imperfectam competit etiam brutis. *Et hoc voluit innuere Philosophus in 3. Ethic. cum ait:* Voluntario & pueri & alia animalia communicant. *Ibi enim* Philosophus L accipit voluntarium largè, non secundùm quod dicitur à voluntate, sed secundùm quod diuiditur contra violentum. Vnde cum violentum sit, cuius principium est extra, voluntarium erit, cuius principium est intra. Et inde est, quòd animalia, quæ mouentur ex seipsis, motus voluntarios habere dicuntur: nec tamen electionem habent, aut voluntatem, sicut Philosophus ibidem ostendit. *Sanè etiam perfectè* voluntarium M potest esse absque actu; quandoque quidem absque actu exteriori, cum actu interiori, sicut cum vult non agere: aliquando autem, & absque actu interiori, sicut cum non vult. *Nam* aliquid N dicitur esse voluntarium, non solùm, quia cadit sub voluntatis actu, sed quia cadit sub potestate voluntatis. Sic enim & ipsum non velle dicitur voluntarium: quia in potestate voluntatis est velle, & non velle; & similiter facere, & non facere.

Quid ad actū voluntarium exigatur.

H 1. 2. 6. 1. c. & q. 1. 2. c.

Voluntarii diffinitio.

In actibus humanis maximè inuenitur voluntarium.

I 1. 2. 6. 2. c. In 2 d. 25. 1. 1. ad 6

Duplex finis cognitio.

Voluntarii secundùm rationem imperfectam etiam in brutis.

L 2 d. 25. 1. 1. ad 6 et 1. 2. 1. 5. ad 1.

M 1. 2. 6. 3. fi. c. & q. 71. 5. ad 2 In 2. l. 5. a 3. ad 1.

N Ma. 2. 1. ad 2

Perfectè voluntarium potest esse absque actu.

d *Cæterùm, quatuor sunt, de quibus in dubium venit, an causent inuoluntarium.* Scilicet ignorantia, concupiscentia, metus, & violentia. *De ignorantia vide suo loco* Tomo 2. *Concupiscentia verò nedum non causant inuoluntarium, sed immò magis voluntarium facit.* Dicitur enim O aliquid voluntarium ex eo, quòd voluntas in id fertur: per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit; & ideò concupiscentia magis facit ad hoc, quòd aliquid sit voluntarium, quàm quòd sit inuoluntarium. *Quòd* si P concupiscentia totaliter cognitionem auferret (sicut contingit in illis, qui propter concupiscentiam fiunt amentes) sequeretur quod concupiscentia voluntarium tolleret. Nec tamen propriè

An ignorantia & concupiscentia causent inuoluntarium.

O 1. 2. 6. 7. c. & 2. 2. 142. 3. c.

P 1. 2. l. c. ad 3.

esset

esset ibi inuoluntarium: quia in his, quæ vsum rationis non habent, neque voluntarium est neque inuoluntarium. *Violentia verò, quoad actus immediatos voluntatis non potest inuoluntarium causare; secus quoad actus mediatos. Pro quo sciendum, quòd* duplex Q est actus voluntatis. Vnus quidem, qui est eius immediatè, velut ab ipsa elicitus, scilicet velle. Alius, qui est actus voluntatis à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, vt ambulare & loqui, qui à voluntate imperantur mediante potentia motiua. Quantùm igitur ad actus à voluntate imperatos, voluntas violentiam pati potest, inquantum per violentiam exteriora membra impediri possunt, ne imperium voluntatis exequantur. Sed quantùm ad ipsum proprium actum voluntatis, non potest ei violentia inferri. Et huius est ratio: quia actus voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoscente: sicut appetitus naturalis est quædam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione. Quod autem est coactum, vel violentum, est ab exteriori principio: (*Idcircò &* violentum R dicitur, cuius principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur, vt dicitur *in 3. Ethic.*) Vnde contra rationem ipsius actus voluntatis est, quòd sit coactus, vel violentus. Sicut etiam est extra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis, quòd feratur sursum (potest enim lapis per violentiam sursùm ferri:) sed quòd iste motus violentus, sit ex eius naturali inclinatione, esse non potest. Similiter etiam potest homo per violentiam trahi: sed quòd hoc sit ex eius voluntate, repugnat rationi violentiæ. *Ex quo sequitur, quòd* violentia S directè opponitur voluntario, sicut etiam & naturali. Commune est enim voluntario, & naturali, quòd vtrumque sit à principio intrinseco; violentum autem est à principio extrinseco. Et propter hoc, sicut in rebus, quæ cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam: ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. Quod autem est contra naturam, dicitur esse innaturale. Et similiter quod est contra voluntatem, dicitur esse inuoluntarium. Vnde violentia inuoluntarium causat. *Distinguit verò Author* duplex T violentum, simplex scilicet & mixtum. Simplex est, quando absolutè quis cogitur ad aliquid contra voluntatem suam faciendum. Violentum mixtum est, quando quis non absolutè cogitur ad faciendum aliquid contra voluntatem suam, sed secundùm quid, scilicet quòd nisi faciat, incurrit maius damnum: sicut si non projciantur merces in mare, nauis submergitur. Et ideò aliquo modo fit sponte, & aliquo modo violenter, in quantùm scilicet coguntur timore maioris damni. *Et ita* quæ V per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario, & inuoluntario. Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur. Sed si quis rectè consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quàm inuoluntaria: sunt enim voluntaria simpliciter, inuoluntaria autem secundùm quid. Vnumquodque enim simpliciter esse dicitur, secundùm quod est in actu: secundùm quod autem est in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundùm quid: hoc autem quod per metum agitur, secundùm hoc est in actu, secundùm quod fit. Cum enim actus in singularibus sint; singulare autem in quantùm huiusmodi, est hic & nunc: secundùm hoc, id quod fit, est in actu, secundùm quod hic est, & nunc & sub alijs conditionibus indiuidualibus. Sic autem hoc, quod fit per metum, est voluntarium, in quantùm scilicet est hic & nunc, prout scilicet in hoc casu est impedimentum maioris mali, quod timebatur; sicut proiectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis propter timorem periculi. Vnde manifestum est, quòd simpliciter est voluntarium: vnde & competit ei ratio voluntarij, quia principium eius est intra. Sed quòd accipiatur id, quod per metum fit, vt extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati: hoc non est nisi secundùm rationem tantum. Et ideò est inuoluntarium secundùm quid; idest prout consideratur extra hunc casum existens. *Et hinc facit distinctio voluntatis in antecedentem & consequentem, secundùm quam exponitur quod ait Apostolus 1. Tim. 2.* Deus vult omnes homines saluos fieri. *Docemur enim, quòd* voluntas X potest dupliciter considerari; scilicet in vniuersali, vel absolutè, & secundùm aliquas circumstantias, & in particulari. Et priùs est absoluta consideratio, & in vniuersali, quam in particulari & comparata. Et ideò voluntas absoluta est quasi antecedens, & voluntas alicuius rei in particulari est quasi consequens. Exemplum de mercatore, qui vult omnes merces suas saluare absolutè: & hoc voluntate antecedente. Sed si consideret salutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia saluare; scilicet, quando cum salute sequitur submersio nauis. Et hæc voluntas est consequens. *Item ad illud Apostoli 1. Cor. 7.* Volo omnes vos esse sicut meipsum, *videlicet continentes, instruimur, quòd* voluntas Y antecedens est de eo, quod absolutè consideratum est melius: sicut omnes homines esse saluos, & continentes. Voluntas autem consequens est de eo, quod est melius, consideratis circumstantijs personarum, & negociorum: & secundùm hanc Deus vult quosdam damnari, & Apostolus quosdam matrimonio iungi; *quamuis voluntate antecedente & omnes Deus velit saluos fieri, & omnes Apostolus continere. Ex quo* id Z quod antecedenter volumus, non simpliciter volumus, sed secundùm quid: quia voluntas comparatur ad res, secundùm quod in seipsis sunt; in se ipsis autem sunt in particulari. Vnde simpliciter volumus aliquid, secundùm quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantijs particularibus: quod est consequenter velle. Vnde potest dici, quòd iudex iustus simpliciter vult, homicidam suspendi: sed secundùm quid vellet, eum viuere, scilicet in quantùm est homo. Vnde magis potest dici velleitas, quàm absoluta voluntas. *Quoniam verò* omnis A motus tam voluntatis, quàm naturæ, à Deo procedit, sicut à primo mouente: sicut non est contra rationem naturæ, quòd motus naturæ sit à Deo, sicut à primo mouente, in quantùm natura est quoddam instrumentum Dei mouentis: ita non est contra rationem actus voluntarij, quòd sit à Deo, in quantùm voluntas à Deo mouetur. Est tamen communiter de ratione naturalis & voluntarij motus, quòd sint à principio intrinseco. *vt præmissum est; intrinseco siquam, sed non primo.* Non *enim* omne B principium est principium primum. Licèt ergo de ratione voluntarij sit, quòd principium eius sit intra: non tamen est contra rationem voluntarij, quòd principium intrinsecum causetur vel moueatur ab exteriori principio, quia non est de ratione voluntarij, quòd principium intrinsecum sit principium primum. *Igitur* liberum C arbitrium est causa sui motus: quia homo per liberum arbitrium se ipsum mouet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quòd sit prima causa sui id, quod liberum est: sicut nec ad hoc, quòd aliquid sit causa alterius, requiritur, quòd sit prima causa eius. Deus ergo est prima causa mouens & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, mouendo eas,

Duplex voluntatis actus elicitus & imperatus.
Q Ib. a. 4. c. 1. p. 82. 1. c. & ad 1. In 4. d. 29. 1. 1. Ver. 22. 8. & q. 24. 4. c. Rom. 6. l. 4.

Violentum quid.
R 22. 175. 1. initio c. & 1. 2. 6. 6. ad 1. & q. 9. 4. ad 2.

Opponitur directè voluntario & naturali.
S 1. 2. 6. 5. c. & a. 6. ad 1. & 2. 2. 88. 6. ad 1. Ma. 6. c.

Violentum duplex.
T 2. [illegible] 9. l. 1. fi.

V 1. 2. 6. 6. c. & a. 7. ad 1. Quol. 5. a. 10. In 4. d. 29. 1. 2.
An metus inuoluntarium causet.

Voluntas antecedens & consequens quæ.
X 1. Tim. 2. l. 1. ibi. Int. d. 46. 1. 1. Ad Hann. ib. & d. 47. 1. 1. c. & ad 3. In 3. d. 31. 2. 3. q. 2. ad 3. & 1. p. 19. 6. ad 1.

Y 1. Cor. 7. l. 1. ibi.

Z 1. p. 19. 6. ad 1. In 3. d. 31. 2. 3. q. 2. ad 3.

Antecedens velleitas potius, quàm absoluta volūtas.
A 1. 2. 6. 1. ad 3.
Non est contra rationem voluntarij, quòd sit à primo mouente.

B Ibid. ad 1.

C 1. p. 83. 1. ad 3. Ma. 3. 2. ad 4. Ver. 24. 1. ad 3. et 5. et 4. con G. c. 85.
Nec de necessitate libertatis, quòd liberum sit prima causa sui.

non aufert, quin actus eorum sint naturales: ita mouendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ; sed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundùm eius proprietatem.

An & quomodo intellectus voluntatem moueat, & voluntas intellectum.
D 1.2.9.1.c. & q.17.1. Ver. 14.1. & 2.c. Ma.6.c. & ad 10. & alibi.

C *Quoad hanc autem motionem voluntatis, plura veniunt mouentia consideranda.* Dupliciter enim aliqua D vis animæ inuenitur esse in potentia ad diuersa. Vno modo, quantùm ad agere, vel non agere. Alio modo, quantùm ad agere hoc, vel illud. Sicut visus quandoque videt actu, & quandoque non videt; & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Indiget igitur mouente quantum ad duo; scilicet quantùm ad exercitium, vel vsum actus, & quantùm ad determinationem actus. Quorum primum est ex parte subiecti, quod quandoque inuenitur agens, quandoque non agens: aliud autem est ex parte obiecti, secundùm quod specificatur actus. Et isto modo motionis intellectus mouet voluntatem, sicut præsentans ei obiectum suum: *hoc est* quantùm E ad determinationem actus, quæ est ex parte obiecti, intellectus mouet voluntatem; quia & ipsum bonum apprehenditur secundùm quandam specialem rationem comprehensam sub vniuersali ratione veri. Voluntas verò mouet intellectum, quantum ad exercitium actus: quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub vniuersali bono, vt quoddam bonum particulare. *Neque ex hoc sequitur, quòd imperare, siue imperium, actus sit voluntatis: est enim imperium essentialiter actus rationis. At verò considerandum est, quòd* in imperio F duo concurrunt: quorum vnum est rationis, aliud voluntatis; qui enim imperat aliquid, inclinat ad faciendum quod voluntatis est; ipsius enim est mouere per modum agentis; & iterum ordinat eum, cui imperat, ad exequendum illud, quod imperatur; & hoc ad rationem pertinet, cuius est ordinare. Tali duorum horum ordo consideretur, videtur primum esse inclinatio voluntatis in aliquid per electionem: & postea in principio executionis ordinatur, per quod fieri debeat quod electum est: Et sic imperium erit immediatè actus rationis; sed voluntatis, quasi primò mouentis. *Etenim primum* G mouens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas. Cum autem secundum mouens non moueat, nisi in virtute primi mouentis, sequitur, quòd hoc ipsum, quòd ratio mouet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Vnde relinquitur, quòd imperare sit actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus. *Sed ex parte obiecti mouere potest voluntatem & sensitiuus appetitus.* Nam vt H Philosophus dicit in 3. Ethic. *Qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei.* Manifestum est autem, quòd secundùm passionem appetitus sensitiui immutatur homo ad aliquam dispositionem. Vnde secundùm quod homo est in passione aliqua, videtur sibi aliquid conueniens, quod non videtur ei extra passionem existenti: sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto. Et per hunc modum ex parte obiecti appetitus sensitiuus mouet voluntatem. *Et vtinam, tam frequenter non moueret! Mouet autem & seipsam sub alia ratione voluntas.* Ad I voluntatem *enim* pertinet mouere alias potentias ex ratione finis, qui est voluntatis obiectum. Sed hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quòd intellectus per hoc, quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, quantùm ad cognitionem conclusionum: & hoc modo mouet seipsum. Et similiter voluntas per hoc, quod vult finem, mouet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. *Verùm secundùm* quod L voluntas mouetur ab obiecto, manifestum est, quòd moueri potest ab aliquo exteriori. Sed & eo modo, quo mouetur quantùm ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere, voluntatem ab aliquo principio exteriori moueri. Omne enim, quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente (*vt præmissum est.*) Manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo, quòd ab aliquo moueatur ad volendum. Et quidem ipsa mouet seipsam, in quantum per hoc, quòd vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem: hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit; & per talem cogitationem peruenit ad hoc, quòd potest sanari per medicum: & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quòd inciperet velle sanari ab aliquo mouente. Et si quidem ipsa moueret se ipsam ad volendum, oportuisset, quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita: hoc autem non est procedere in infinitum. Vnde necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt *Aristoteles* concludit in quodam capite Ethicæ Eudimicæ. *Vlteriùs* & eo modo M quo voluntas mouetur ab inferiori obiecto, manifestum est, quòd potest moueri à corporibus cælestibus, in quantùm scilicet corpora exteriora, quæ sensui proposita mouent voluntatem, & etiam ipsa organa potentiarum sensitiuarum, subiacent motibus cælestium corporum. Sed eo modo, quo voluntas mouetur, quantùm ad exercitium actus ab aliquo exteriori agente, corpora cælestia directè imprimere in voluntatem humanam, impossibile est. Voluntas enim (vt dicitur *in 3. de Anima*) est in ratione. Ratio autem est potentia animæ non alligata organo corporali; vnde relinquitur, quòd voluntas sit potentia omninò immaterialis, & incorporea. Manifestum est autem, quod nullũ corpus agere potest in rem incorpoream, sed potius è conuerso; eo quòd res incorporeæ & immateriales sunt formalioris & vniuersalioris virtutis, quam quæcumque res corporales: vnde impossibile est, quod corpus cæleste imprimat directè in intellectum aut voluntatem. Sed quia dictum est, quod appetitus intellectiuus quodammodo mouetur ab appetitu sensitiuo, indirectè redundant motus cælestium corporum in voluntatem, in quantùm scilicet per passiones appetitus sensitiui voluntatem moueri contingit. *Et quamuis secundùm Philosophos dicatur, quòd corpora cælestia immutant totam multitudinem ad aliquid volendum: nihilominùs asserendum est, quòd* Corpora N cælestia non possunt de necessitate immutare voluntatem, nec vnius hominis, nec multitudinis. Ex ipso autem corpore aliquo modo voluntas inclinatur, licet non necessariò, quia resistere potest. Sicut cholerici ex naturali complexione inclinantur ad iram: tamen aliquis cholericus potest resistere per voluntatem isti inclinationi. Non autem resistunt corporalibus inclinationibus, nisi sapientes, qui sunt pauci respectu stultorum, quia *Stultorum infinitus est numerus*, Eccle. 1. Et ideò dicitur, quod corpora cælestia immutant multitudinem, in quantùm multitudo sequitur inclinationes corporales; non autem immutant hunc, vel illum, qui per prudentiam resistunt inclinationi prædictæ, *secundùm illud*: Sapiens dominabitur astris. *Relinquitur ergo, quòd voluntas, sicut ab exteriori principio, à solo Deo moueatur.* Nam motus O voluntatis est ab intrinseco, sicut & motus naturalis. Quamuis autem rem

Imperare cuius sit actus potentiæ.
F Quol. 9. a. 12 c. Ver. 22. 12. ad 4. & 1. 2.17.1. & 60. 15. & 2.2.83. 1. & 10.c.

E 1.2.9.1 ad 3

G 1.2.1.c fi.c.

H 1.2.9.2.c. q.10.3. & 77. 1. Ver.22. q. ad 3. & 6.

Per modum obiecti voluntatem mouet & sensitiuus appetitus.

I 1.2.9.3.c. Ver.1.c corp & ad 1. Ma.6. ad 4. & 10.

Quomodo & seipsam moueat.

L 1.2.9.4.c. q.80.1.c et 2 p.105.4. et 10 2 et 113.2 et 3 con G c.88 89

Oportet, vt & ab extrinseco principio moueatur.

Num moueatur à corpore cælesti.
M 1.2.9.5.c. et 2.2.95.5. in 2.d.15.1 a.2. et 3 con. G. à cap 84. Ver. 5. a 9. et 10. Op.3 c.127.

N Ver.22. ad 2.

A solo Deo, sicut à principio exteriori, potest voluntas moueri.
O 1.2.9.6.c et q.80.1. et 1.p. 105.a.4. et 3 con. G c.89. Ma. 3.3. et 16.5. ad 13. et alibi.

rem naturalem possit aliquid mouere, quod non est causa naturæ rei motæ; tamen motum naturalem causare non potest, nisi quod est aliqualiter causa naturæ. Mouetur enim lapis sursum ab homine, qui naturam lapidis non causat; sed hic motus non est lapidi naturalis. Naturalis autem motus eius, non causatur nisi ab eo, quod causat naturam; vnde dicitur *in 8. Physic.* quòd generans mouet secundùm locum grauia & leuia. Sic ergo hominem, voluntatem habentem, contingit moueri ab aliquo, quod non est causa eius: sed quòd motus voluntarius eius sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa voluntatis; est impossibile. Voluntatis autem causa, nihil aliud esse potest, quàm Deus. Et hoc patet dupliciter. Primò quidem ex hoc, quòd voluntas est potentia animæ rationalis, quæ à solo Deo causatur per creationem. Secundò verò ex hoc, quòd voluntas habet ordinem ad vniuersale bonum. Vnde nihil aliud potest esse voluntatis causa, nisi ipse Deus, qui est vniuersale bonum. Omne autem aliud bonum per participationem dicitur; & est quoddam particulare bonum: particularis autem causa non dat inclinationem vniuersalem. Vnde nec materia prima, quæ est in potentia ad omnes formas, potest causari ab aliquo particulari agente.

Voluntatis causa non potest esse nisi Deus.

§ *Num verò aliquando voluntas possit ab aliquo ex necessitate moueri: quod spectat ad obiectum, dicimus, quòd* voluntas P mouetur dupliciter. Vno modo quantùm ad exercitium actus: alio modo, quantùm ad specificationem actus, quæ est ex obiecto. Primò ergo modo voluntas à nullo obiecto ex necessitate mouetur. Potest enim aliquis de quocumque obiecto non cogitare, & per consequens neque actu velle illud. Sed quantùm ad secundum motionis modum, voluntas ab aliquo obiecto ex necessitate mouetur: ab aliquo autem non. Vnde si proponatur aliquod obiectum voluntati, quod sit vniuersaliter bonum, & secundùm omnem considerationem, ex necessitate voluntas in illud tendit, si aliquid velit; non enim poterit velle oppositum. Si autem proponatur sibi aliquod obiectum, quod non secundùm quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni; ideò illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, in quantùm deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi vt non bona (*malum enim ex quocumque defectu, bonum ex integra causa*) & secundùm hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari à voluntate, quæ potest in idem ferri secundùm diuersas considerationes. *Quoad sensitiuum verò appetitum*, passio Q appetitus sensitiui mouet voluntatem ex ea parte, qua voluntas mouetur ab obiecto; in quantùm scilicet homo aliqualiter dispositus per passionem; iudicat aliquid esse conueniens & bonum, quod extra passionem existens non iudicaret (*vt præmissum est*.) Per passionem autem aut totaliter ratio ligatur, ita quòd homo vsum rationis non habet, sicut contingit in his, qui per vehementem iram, vel concupiscentiam, furiosi, vel amentes fiunt: & de talibus eadem est ratio, sicut & de animalibus brutis, quæ ex necessitate sequuntur impetum passionis. In his enim non est aliquis rationis motus, & per consequens nec voluntatis. Aliquando autem ratio non totaliter absorbetur à passione, sed remanet quantùm ad aliquid iudicium rationis liberum; & secundùm hoc remanet aliquid de motu voluntatis. In quantùm ergo ratio manet libera, & passioni non subiecta, in tantùm voluntatis motus, qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc, ad quod passio inclinat. Et sic aut motus voluntatis non est in homine, sed sola passio dominatur: aut, si motus voluntatis sit, non ex necessitate sequitur passionem. *Atqui vt in pluribus homines, nedum ex corruptione naturæ, sed & quadam veluti ex malo habitu necessitate passiones sequuntur. Docemur enim, quòd* in solis R hominibus malum videtur esse vt in pluribus, quia bonum hominis secundùm sensum corporis non est bonum hominis, in quantùm homo, sed secundùm rationem. Plures autem sequuntur sensum, quàm rationem. *Sed neque ab ipso de necessitate mouetur.* Ad S prouidentiam *enim* diuinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed seruare. Vnde omnia mouet secundùm earum conditionem, ita quod ex causis necessarijs per motionem diuinam sequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est actiuum principium, non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat; sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur. *Sanè* voluntas T diuina non solùm se extendit, vt aliquid fiat per rem, quam mouet, sed vt etiàm eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius. Et ideò magis repugnaret diuinæ motioni, si voluntas ex necessitate moueretur, quod suæ naturæ non competit; quàm si moueatur liberè prout competit suæ naturæ. *Ex quo sequitur, quòd* nulla V creatura potest directè immutare voluntatem, quasi agendo intra ipsam voluntatem. Potest autem, extrinsecùs aliquid proponendo voluntati, eam aliqualiter inducere, non tamen immutare: *sicut passim inducimur ab alio homine, & multò magis & diuersimodè à dæmone: de quo suo loco dictum est. Solus igitur Deus potest immutare voluntatem, secundùm illud Prou. 21.* Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud. *Et Iob. 12.* Qui immutat cor principum populi terræ. *Nec tamen potest voluntas hominis a Deo cogi.* Quantumcumque enim X voluntas immutetur in aliquid; non dicitur cogi in illud. Cuius ratio est; quia ipsum velle aliquid, est inclinare in illud: coactio autem est contraria inclinationi illius rei, quæ cogitur. Cùm igitur Deus voluntatem immutat, facit vt præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, & ita, quòd prima auferatur, & secunda manet. Vnde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi, iam existenti, sed inclinationi, quæ priùs inerat; vnde non est violentia, nec coactio. Sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsum: hac autem inclinatione manente, si sursum proijciatur, erit violentia. Si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis; tunc ferri sursum, non erit ei violentum: & ita immutatio motus potest esse sine violentia. Et per hunc modum intelligendum est, quod Deus voluntatem immutat sine eo, quòd voluntatem cogat. Potest autem Deus voluntatem immutare ex hoc, quòd ipse in voluntate operatur, sicut in natura. Vnde sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solùm est à voluntate, ut immediatè agente, sed à Deo, ut à primo Agente, qui vehementiùs imprimit. Vnde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò ampliùs Deus. *Et adeò quidem fortiter potens est Deus cor nostrum immutare, quòd* rebelles etiam ad

Voluntas dupliciter mouetur.

P 1 2 10.2.c. & q.80.1 fi.c & 1 p 82.1.& 2. Ver.22.5. & 6. Ma. 6. c. & ad 7. & 10.

An ex necessitate moueatur ab obiecto.

Q 1 2.10.3.c. & locis cit.

An ab appetitu sensitiuo.

R 1 p.49.3. ad 5. & 1.2.71.2. ad 3. in 2. d. 39. 2. 2. ad 4. in 2. d. 1. 1. 1 ad 3. & 3. con. G. c. 6. ad 1. Per. 3. 6. ad 5. Ma. 1. 5. ad 16.

In solis hominibus malum vt in pluribus contingit.

S 1.2.10.4. c. Ma. 6. ad 3.

Num saltem à Deo voluntas ex necessitate moueatur.

T Ibid. ad 1.

V Ver.22.9 fi. c. & 1.2 75.3. c. & 80.1.c. & 1.p. 105. 4. & 111.2 Ma 16. 11. et 3. con. G. c. 88. 89.

Nulla creatura potest directè immutare voluntatem, quam solus Deus potest.

X Ver.22.8.c. et 1.2. 6. 4. ad 1

A quo tamen non potest cogi.

ani ad se compellit voluntates, *ut ait Ecclesia in secreta quadam. Docemur enim, quòd* sicut Y in his, quæ ad esse naturæ spectant, quædam Deus operatur, mediantibus rebus naturalibus; quædam autem sibi reseruauit: ita etiam in alijs, quæ ad gratiam pertinent, quædam operatur mediantibus sacramentis, quædam autem immediatè operatur, & quandoque præter legem naturæ, sicut & miracula facit præter rationes seminales, seu naturales. Et de huiusmodi est permutatio voluntatis eorum, qui gratiæ contrariam voluntatem habent: non solum habitu, quod quandoque contingit in his, qui non fictè accedunt, se ad gratiam disponentibus, quam in ipso momento baptismi consequuntur, sed etiam eorum, qui contrariam actu voluntatem habent, sicut de Paulo accidit *Act. 9. cuius actu contrariam voluntatem ita Deus immutauit, ut cælesti lumine prostratus illud, iam in oppositum mutatus, protulerit:* Domine, quid me uis facere? *Nec ideò vel in minimo læsa, sed intacta manente arbitrij libertate. Expropter signanter Christus orare nos docet in precatione Dominica Mat. 6.* Fiat voluntas tua, sicut in Cęlo & in terra. *Vbi notat Author,* quòd non Z dicit, *faciamus,* ne videretur, quòd nihil faceret gratia Dei: nec dicit, *fac,* ne videretur, quòd nihil faceret uoluntas, & conatus noster; sed dicit, *fiat,* per gratiam Dei, adhibito studio & conatu nostro.

Y 4. d. 4. 3. 2. q. 1. ad 3.

Z Op. 7. Pet. 3.

g *Quocirca sciendum, quòd libertas alicuius nihil aliud est, quàm potestas quædam, siue dominium sui actus.* Nam proprium A liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato: quod est eligere. *Verùm* sicut B se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas ad vim electiuam, idest ad liberum arb. Eiusdem autem potentiæ est intelligere, & ratiocinari: sicut eiusdem virtutis est, quiescere & moueri. Vnde etiam eiusdem potentiæ est velle & eligere. Et propter hoc voluntas & liberum arbitrium, non sunt duæ potentiæ, sed una. *Cæterùm* radix C libertatis est voluntas, sicut subiectum: sed sicut causa, est ratio. Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni. Et ideò Philosophi diffiniunt liberum arb. quòd sit *liberum de ratione iudicium,* quasi ratio sit causa libertatis. *Porrò* libertas D voluntatis in tribus consideratur: scilicet quantùm ad actum, inquantum potest velle vel non velle: & quantùm ad obiectum, inquantum potest velle hoc, vel illud, & eius oppositum: & quantùm ad ordinem finis, in quantùm potest velle bonum, vel malum. Quantùm ad primum horum inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ respectu cuiuslibet obiecti. Secundum verò horum est respectu quorundam obiectorum, scilicet respectu eorum, quæ sunt ad finem, & non ipsius finis, & etiam secundùm quemlibet statum naturæ. Tertium verò non est respectu omnium obiectorum, sed quorundam, eorum scilicet quæ sunt ad finem; nec respectu cuiuslibet status naturæ, sed illius tantùm, in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo & conferendo, non potest esse voluntas mali in his, quæ sunt ad finem, sicut patet in beatis. Et pro tanto dicitur, quòd velle malum nec est libertas, nec pars libertatis: quamvis sit quoddam libertatis signum. *Proinde nec* posse E peccare est libertas arbitrij, nec pars libertatis, ut dicit *Anselmus.* Ad F rationem *enim* liberi arbitr. non pertinet, ut indeterminatè se habeat ad bonum vel ad malum: quia liberum arb. per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit obiectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum, cum non sit voluntas nisi boni, aut apparentis boni. Et ideò vbi perfectissimum est liberum arb. ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum esse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrij pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit. Et hoc Deo conuenit; bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest. *Igitur* quòd G voluntas in malum tendat, non potest contingere, nisi ex hoc quòd malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus vel rationis. Non autem pertinet ad rationem alicuius potentiæ, quòd deficiat in suo actu: sicut non pertinet ad rationem visiuæ potentiæ, quòd aliquis obscurè videat. *Quod aiebat initio Author. DISCE reprobare voluntate malum, & eligere bonum.*

A 1. p. 83. 3. c. In 2. d. 23. & 25. q. 1. 1. c. Ver. 22. 6. c. & q. 24. 1. c. Ma. 16. 5. & 3. con. G. c. 48.

Quid libertas seu liberum arbitrium.

B 1. p. 83. 4. fi. & Ver. 24. 6. c. In 2. d. 24. 1. 3. In 3. d. 17. 1. 1. q. 3. ad 5.

Hoc, & voluntas, non sunt duæ potentiæ, sed una & eadem.

C 1. 2. 17. 1. ad 2. In 2. d. 24. 1. 4. ad 5. Ver. 24. 2. & a. 6. ad 4.

Vbi radix sit libertatis.

Libertas voluntatis in tribus consideranda.

D Ver. 22. 6. fi. c.

E 3. d. 18. 1. 2. ad 5. & 1. p. 72. In 3. & 2. 2. 88. 4. ad 1 Ver. 24. 3. ad 2. & a. 7 ad 4 & alibi.

Velle & posse peccare, nec est libertas arbitrij, nec pars libertatis.

F 2. d. 25. 1. 1. ad 2.

In quo arbitrij libertas consistat.

G Ma. 16. 5. c.

VII. In omnibus, quæ sunt per se mala, nullum eorum potest fieri totaliter bonum per bonam intentionem. *Io. 19. l. 1. lit. a.*

h CVm *de natura huc usque voluntatis dictum sit: iam de actibus eius aliquid subijciendum. Et primò de actibus respectu finis deinde respectu eorum, quæ sunt ad finem.* Actus autem H voluntatis in finem videntur esse tres, scilicet velle, frui, & intendere. *Quoad primum, satis dictum est* Num. præcedent. *Quoad secundum clarè patet, fruitionem actum esse voluntatis. Nam* fruitio I & fructus ad idem pertinere videntur, & unum ex altero deriuari. A sensibilibus verò fructibus nomen fruitionis deriuatum videtur. Fructus autem sensibilis est id, quod ultimum ex arbore expectatur, & cum quadam suauitate percipitur. Vnde fruitio videtur pertinere ad amorem, vel delectationem, quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis. Finis autem & bonum est obiectum appetitiuæ potentiæ; unde manifestum est, quòd fruitio est actus potentiæ appetitivæ. *Fruitio autem propriè & perfectè non est in brutis, eo quòd hæc perfectè finem non cognoscunt. Sciendum tamen, quòd* cognitio L finis est duplex, perfecta scilicet, & imperfecta. Perfecta quidem, qua non solùm cognoscitur id, quod est finis & bonum, sed ratio vniuersalis finis, & boni & talis cognitio est solius rationalis naturæ. Imperfecta autem cognitio est, qua cognoscitur particulariter finis & bonum: & talis cognitio est in brutis animalibus, quorum & virtutes appetitiuæ non sunt imperantes liberè, sed secundùm naturalem instinctum ad ea, quæ apprehendunt, mouentur. Vnde rationali naturæ conuenit fruitio secundùm rationem perfectam: brutis autem animalibus secundùm rationem imperfectam: alijs autem creaturis nullo modo. *Porrò fruitio est respectu finis ultimi.* Vltimum autem M est & simpliciter & secundùm quid. Simpliciter quidem quod ad aliud non refertur, sed secundùm quid, quod est aliquorum ultimum. Quod ergo est simpliciter ultimum, in quo aliquid delectatur sicut in ultimo fine, hoc propriè dicitur fructus, & eo propriè dicitur aliquis frui. Quod autem in seipso non est delectabile, sed tantum appetitur in ordine ad aliud, sicut potio amara ad sanitatem: nullo modo fructus dici potest. Quod autem in se habet quandam delectationem, ad quam quædam præcedentia referuntur, potest quidem aliquo modo dici fructus, sed non propriè & secundùm completam rationem fructus, eo dicimur frui. Vnde August. *in 10. de Trin. dicit,* quòd *frui-*

H 1. 2. 9. 8. ini.

Fruitio actus est voluntatis.

I 1. 2. 11. 1. In 1. d. 1. 1. 1.

An sit in brutis.

L 1. 2. 11. 2. c. In 1. d. 1. 4. 1.

Est respectu ultimi finis.

M 1. 2. 11. 3. c. et q. 12. 2 ad 3.

fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Non autem quiescit simpliciter nisi in vltimo: quia quandiu aliquid expectatur, motus voluntatis remanet in suspenso, licèt iam ad aliquid peruenerit. Sicut in motu locali, licèt illud, quod est medium in magnitudine, sit principium & finis, non tamen accipitur vt finis in actu, nisi quando in eo quiescitur. *Non ita de intentione asserendum. Etenim* intentio N respicit finem, secundùm quod est terminus motus voluntatis. In motu autem potest accipi terminus dupliciter. Vno modo ipse terminus vltimus, in quo quiescitur, qui est terminus totius motus: alio modo aliquod medium, quod est principium vnius partis motus, & finis, vel terminus alterius. Sicut in motu, quo itur de A in C per B, C est terminus, B autem terminus, sed non vltimus: & vtriusque potest esse intentio. Vnde, etsi semper sit finis, non tamen oportet, quòd semper sit vltimi finis. *Et ita* fruitio O importat quidem quietem, quæ est in fine, quod pertinet solùm ad vltimum finem; sed intentio importat motum in finem, non autem in quietem; vnde non est similis ratio. *Ex quo intentio manifestè actus est voluntatis. Nam* intentio P sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere. In aliquid autem tendit & actio mouentis, & motus mobilis; sed hoc, quòd motus mobilis in aliquid tendit, ab actione mouentis procedit. Vnde intentio primo & principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem: & ideò dicimus, architectorem, & omnem præcipientem mouere suo imperio alios ad id, ad quod ipse tendit. Voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem: vnde manifestum est, quòd intentio propriè est actus voluntatis. *Cum autem in finem sit ordinatio*, voluntas Q quidem non ordinat, sed tamen in aliquid tendit secundùm ordinem rationis; vnde hoc nomen intentio nominat actum voluntatis præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem. *Intentio proinde, strictè loquendo, solis rationalibus competit, non brutis.* In R aliud *quippe* tendere est & mouentis & moti. Secundùm quidem quod dicitur intendere finem id, quod mouetur ad finem ab alio: sic natura dicitur intendere finem, quasi mota ad suum finem à Deo, sicut sagitta à sagittante. Et hoc modo etiam bruta animalia intendunt finem. Alio modo, intendere finem, est mouentis, prout scilicet ordinat motum alicuius vel sui, vel alterius in finem: quod est rationis tantùm. Vnde per hunc modum bruta non intendunt finem; quod est propriè & principaliter intendere. *Sic igitur* voluntas S respicit finem tripliciter. Vno modo absolutè: & sic dicitur voluntas, prout absolutè volumus vel sanitatem, vel si quid aliud est huiusmodi. Alio modo consideratur finis, secundùm quod in eo quiescitur; & hoc modo fruitio respicit finem. Tertio modo consideratur finis, secundùm quod est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur: & sic intentio respicit finem. Non enim solùm ex hoc intendere dicimur sanitatem, quia volumus eam: sed quia volumus ad eam per aliquod aliud peruenire.

Intentio est finis, sed non semper vltimi.

N 1.2.12.2.c. et 2.2.180.1.c. Ver.22.13.c.

O 1.2.12.2. ad 3.

Intentio, actus est voluntatis.

P Ibid. a.1.c. et 2.2.180.1.c. in 2.d.38.1.3. Ver.22.13. Ma.16.11. ad 3.

Q 1.2.12.1. ad 3.

An brutis conueniat.

R Ibid. a.5.c. et 2.2.180.1.c. in 2.d.38.1.3.c. et ad 3.

Voluntas tripliciter respicit finem.

S 1.2.12.1. ad 4.

i *Verùm per se nunquam intenditur malum. Vnde* Dionysius *c. 4. de Diu. Nom.* Nihil ad mali naturam respiciens facit: *hoc est*, Nullus T intendens ad malum, operatur; sed semper præter intentionem agentis est. *Nam* intentio V sequitur apprehensionem: in illud enim tendit intentio, quod apprehenditur vt finis. Si ergo peruenitur ad aliquid, quod non habet speciem apprehensam, erit præter intentionem. Sicut si aliquis intendat comedere mel, & comedat fel, credens illud esse mel; hoc erit præter intentionem. Sed omne agens per intellectum intendit aliquid, secundùm quod accipit illud sub ratione boni. Si ergo illud non sit bonum; sed malum, hoc erit præter intentionem. Agens igitur per intellectum non operatur malum, nisi præter intentionem. *Ex quo* nullum X operans intendit ad malum, quasi principaliter volitum. Sed tamen ex consequenti fit alicui ipsum malum voluntarium, dum non refugit incurrere in malum, ad hoc, quòd perfruatur bono concupito. *Sic igitur* malum Y non potest esse secundùm se intentum ab aliquo: potest tamen esse intentum ad vitandum aliud malum, vel ad consequendum aliud bonum. Et in tali casu, aliquis eligeret consequi bonum per se intentum, absque hoc, quòd pateretur detrimentum alterius boni. Sicut aliquis lasciuus vellet frui delectatione absque offensa Dei; sed duobus propositis, magis vult peccando incurrere offensam Dei, quàm delectatione priuetur. *Est autem ad benè moraliter viuendum adeò recta intentio necessaria, vt Dominus in primo verbo, quod in Ioannis Euangelio prompsisse legimus, hanc principaliter expresserit. Dicitur enim Io. 1.*, quòd conuersus Iesus, & videns duos discipulos Ioannis sequentes se, dicit eis: quid quæritis? *Quia enim* quidam Z Christum sequuntur propter bona temporalia; alij verò propter bona spiritualia; ideò quid isti intendant, Dominus quærit; non quidem vt discat, sed vt rectam intentionem aperientes, magis familiares faciat, & ostendat eos auditione dignos. Et notandum, quòd hoc est primum verbum, quod Christus in isto Euangelio loquitur; & congruè, quia primum, quod quærit Deus ab homine, est recta intentio. *Profectò* qui A offendit in mala intentione, omnia bona, quæ facit, inutilia sibi reddit, Mat. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Per oculum B autem significatur intentio. Vnde si intentio tua sit lucida, idest ad Deum directa, *totum corpus tuum*, idest operationes tuæ lucidæ erunt. *Si autem nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*; idest omnia opera tua fient ad modum tenebrarum. *Sic tibi inutilis eleemosyna erit, & meriti vacua, si propter humanam captandam gloriam erogaueris. Sicut autem per oculum, ita & per* C cor (*vt alibi docemus*) intelligitur intentio, Mat. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Est autem intentio tantæ virtutis, quòd omnia opera ad se trahit. Vnde quæcumque bona, mala intentione facta, in mala conuertuntur, Luc. 11. *Si oculus tuus*; idest intentio, *nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*; idest tota congeries bonorum operum tuorum tenebrosa erit. Et propterea in omni opere nostro intentio ponenda est in Deo, 1. Cor. 10. *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sed bona intentio sola non sufficit: immò oportet quòd adsit bona voluntas, quæ per animam significatur, *ex tota anima tua.* Frequenter enim aliquis bona intentione operatur, sed inutiliter, cum bona voluntas desit; vt si quis furetur, vt pascat pauperem, est quidem recta intentio, sed deest rectitudo debita voluntatis. Vnde nullum malum, bona intentione factum, excusatur; Rom. 3. Qui dicunt: *Faciamus mala, vt veniant bona: Quorum damnatio iusta est:* (*sicut* enim D non est verum syllogizandum ex falsis: ita non est perueniendum ad bonum finem per mala. Vnde, *cum Pilatus Christum flagellauit*, vt E Iudæi satiati eius iniurijs mitigarentur, & vsque ad eius mortem desæuire desisterent, hæc intentio Pilatum non excusat à flagellatione: quia in omnibus, quæ sunt per se mala, nullum eorum potest fieri

Malum nunquam per se intenditur.

T Ma 3.12. arg. 1. de diu. Nom. cap 4. l. 14. ibi.

V 3. con. G. c. 4. n 4.

X Ma. 3. 12. ad 1. et a 2. ad 1. et a. 3.

Y 1.2.78.1. ad 2. de Diu. Nom. c. 4. l. 14. et 1. p. 19.9. in 1. d. 39.2.2. c. in 2. d. 34.1.3. c. et 3. con. G. c. 4. Ma. 1. 3. & alibi.

Quàm necessaria recta intentio.

Z Io. 1. l. 15. lit. c.

Primum est, quod à nobis exigit Deus.

A Apoc. 3. com. 1. initio cap.

Mala intentio omnia opera bona inutilia reddit.

B Mat. 6. lit. c. ibi.

C Op. 4. de Dilect. Dei §. 2. et 1.2.19.7. 8.9. c. in 2. d. 38.4. ad 4. & a. 5. c. & d. 40. 1. 2. Ma. 2.2. ad 8. Mat. 7. lit. b. ibi, arbor bona.

Intentio omnia opera ad se trahit.

Sola bona intentio non sufficit.

Non sunt facienda mala ut ueniant bona.

D Rom. 3. l. 1. fi.

E Io. 19. l. 1. lit. a.

Neque in hoc ulla admittitur excusatio: ut in Pilato Christum flagellante.

fieri totaliter bonum per bonam intentionem, *ut aiebat initio Author*. Affligere autem innocentem, & præcipuè Dei Filium, est maximè per se malum, & ideò nulla intentione excusari potest:) Tunc autem adest bona voluntas intentioni, quando ipsa voluntas voluntati diuinæ concordat: quod quotidiè postulamus, *dicentes*: Fiat voluntas tua. *De quo vide* V. Conformatio ad diuinam voluntatem *Tomo* 1. *Circa illud verò, quod prouerbialiter dicitur*: Quantum intendis, tantum facis: *considerandum est, quòd ly quantum* potest F esse aduerbium, vel nomen. Et si sit nomen, tenet in malis: quia quantum aliquis credit, vel intendit peccare, tantum peccat. In bonis autem non: quia potest aliquis tepida voluntate intendere, multùm Deo placere; nec tamen tantum placet. Et ratio huius differentiæ est: quia plura exiguntur ad bonum, quàm ad malum. Si autem ly *quantum* sit aduerbium: sic verum est & in bonis & in malis, secundùm illam bonitatem & malitiam, quam habet actus ex voluntate eligente: sed per actum exteriorem aliquid adiungitur quantùm ad bonitatem, quæ est ipsius actus exterioris secundùm se.

Explicatur illud: *Quantum intendis, tantum facis*. F 2.d.40.1.3. ad 1.

G 1.2.q.13. initio.

Actus voluntatis in ordine ad ea, quæ sunt ad finem, tres.

H 1.2.74.7.ad 1. & in corp. & a.8. & q.15.t. in 4.d. 29.1. 1.c.

Consensus quid, & cuius sit potentiæ actus.

I 1.2.15.2.c. & q.16.2.c.

An brutis competat.

L 1.2.15.3.c.

Num sit de fine, an de his, quæ sunt ad finem.

In quo propriè consistat.

M 1.2.16.1.c. in 1.d.1 q.3. & q.4.2.

G *Deinde* considerandum G est de actibus voluntatis, qui sunt in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem. Et sunt tres: eligere scilicet, consentire, & uti. Electionem autem præcedit consilium. *De quo, sicut & de electione, satis dictum est suis locis. Sequitur igitur de consensu. Consensus autem siue* consentire H est actus appetitiuæ virtutis, non absolutè, sed consequens ad actum rationis deliberantis, & iudicantis. In hoc enim terminatur consensus, quia voluntas tendit in id, quod est iam ratione iudicatum. Vnde consensus potest attribui & voluntati & rationi. *Non potest proinde consensus brutis conuenire. Nam* bruta I animalia non habent in sui potestate appetitiuum motum; sed talis motus in eis est ex instinctu naturæ: vnde brutum animal appetit quidem, sed non applicat appetitiuum motum ad aliquid. Sicut tangere lapidem, conuenit quidam baculo: sed applicatio baculi ad tactum lapidis est eius, qui habet in potestate mouere baculum. Et propter hoc brutum non propriè dicitur consentire, sed solùm rationalis natura, quæ habet in potestate sua appetitiuum motum, & potest ipsum applicare, vel non applicare, ad hoc, vel ad illud. *Non est autem hic consensus actus de fine, sed de iis, quæ ad finem ordinantur. Etenim* consensus L nominat applicationem appetitus motus ad aliquid præexistens in potestate applicantis. In ordine autem agibilium, primò quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum finis, deinde consilium de his, quæ sunt ad finem, deinde appetitum eorum, quæ sunt ad finem. Appetitus autem in vltimum finem tendit naturaliter: vnde & applicatio appetitiui motus in finem apprehensum non habet rationem consensus, sed simplicis voluntatis. De his autem, quæ sunt post vltimum finem, in quantum sunt ad finem, sub consilio cadunt: & sic potest esse de eis consensus, in quantum motus appetitiuus applicatur ad id, quod ex consilio iudicatum est. Motus vero appetitiuus in finem, non applicatur consilio, sed magis consilium ipsi, quia consilium præsupponit appetitum finis: sed appetitus eorum, quæ sunt ad finem, præsupponit determinationem consilij: Et ideò applicatio appetitiui motus ad determinationem consilij, propriè est consensus. Vnde cum consilium non sit, nisi de his, quæ sunt ad finem, consensus propriè loquendo non est, nisi de his, quæ sunt ad finem. *Sed & uti, siue usus, actus est voluntatis*. Vsus quippè rei M alicuius importat applicationem rei illius ad aliquam operationem; vnde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus eius: sicut equitare est usus equi, & percutere est usus baculi. Ad operationem autem applicamus & principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum, & oculum ad videndum: & res exteriores, sicut baculum, ad percutiendum. Voluntas autem est, quæ mouet potentias animæ ad suos actus; & hoc est applicare eas ad operationem. Vnde manifestum est, quòd uti primò & principaliter est voluntatis, tanquam primi mouentis; rationis autem, tanquam dirigentis: sed aliarum potentiarum tanquam exequentium, quæ comparantur ad voluntatem, à qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. Actio autem propriè non attribuitur instrumento, sed principali agenti, sicut ædifiatio ædificatori, non autem instrumentis. Vnde manifestum est, quòd uti propriè est actus voluntatis. *Et hinc uti, siuè usus, brutis denegatur*. Vti *enim* est N applicare aliquod principium actionis ad actionem, sicut consentire est applicare motum appetitiuum ad aliquid appetendum. Applicare autem aliquid ad alterum, non est nisi eius, qui scit referre aliquid in alterum, quod ad rationem pertinet. Et ideò solum animal rationale & consentit & utitur. *Quoniam verò* uti O importat applicationē alicuius ad aliquid; quod autem applicatur ad aliud, se habet in ratione eius, quod est ad finem ideò uti semper est eius, quod est ad finem. Propter quod & ea, quæ sunt ad finem accommoda, utilia dicuntur: & ipsa utilitas interdum usus nominatur. Sed considerandum est, quòd ultimus finis dicitur dupliciter. Vno modo simpliciter: alio modo quoad aliquem. Cum enim finis dicatur quandoque quidem res, quandoque autem adeptio rei, vel possessio eius (*primus* dicitur P finis cuius, idest ipsa res, in qua ratio boni inuenitur: *secundus* dicitur finis quo, scilicet usus, siue adeptio illius rei:) sicut auaro finis est vel pecunia, vel possessio pecuniæ; manifestum est, quòd simpliciter loquendo ultimus finis est ipsa res. Non enim possessio pecuniæ est bona, nisi propter bonum pecuniæ. Sed quoad hunc, adeptio pecuniæ est finis ultimus: non enim quæreret pecuniam auarus, nisi ut haberet eam. Ergo simpliciter loquendo & propriè pecunia homo aliquis fruitur, quia in ea ultimum finem constituit: sed in quantùm refert eam ad possessionem, dicitur ea uti. *DISCE voluntate tua rectè intendere, & meliùs velle*.

Vti, siue usus, an actus sit voluntatis.

Denegatur brutis.
N Ibid. a. 2.c. & locis cit.
O Ibid. a. 3.c. In 1.d.1.q.4.2.c.

An sit finis, an eorum, quæ ad finem ordinantur.
Vtile, unde dicatur.
P 1.2.1.8.c. & q.2.7.c. & q.3. 1.c. & q.5.2.c. & 1.p.26.3. ad 2.
Vltimus finis dupliciter dicitur.
Finis cuius, & finis quo.

VIII. *Eum qui venit ad me, non eijciam foras &c.* Illi ergo non eijciuntur foras, qui non faciunt voluntatem suam, sed voluntatem Dei *Io.* 6. *lect.* 4. *lit. i.*

OMni *proculdubio asserendum, quòd* ex voluntate Q est, quod aliquis actus sit laudabilis, seu meritorius & virtuosus: & demeritorius, seu vitiosus. Et ideò quælibet virtus & vitium dicitur esse habitus mentis & voluntatis. *Enimuerò* proprium R principium actus peccati est voluntas quia omne peccatum est voluntarium. Vnde nihil potest esse directè causa peccati, nisi quod potest mouere uoluntatem ad agendum. Voluntas autem (*ut præmissum est*) à duobus moueri potest. Vno modo ab obiecto, sicut dicitur, quòd appetibile apprehensum mouet appetitum. Alio modo ab eo, quod interius inclinat voluntatem ad volendum. Hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas,

Q Ma.2.2.ad 3.
Aliquis actus laudabilis & meritorius, vel vitiosus & demeritorius, ex voluntate.
R 1.2.80.1.c. & 73.6. & 74. 1.c. 2.c. & 75.2. Ma.2 a.2 & 3.
Sola voluntas per se causa peccati.

Ad quod comparatur, sicut arbor ad fructum.

tas, vel Deus. Deus autem non potest esse causa peccati: relinquitur ergo, quòd ex hac parte sola voluntas hominis sit directè causa peccati eius. Ex parte autem obiecti, non potest aliquid esse directa causa peccati, quia voluntas non ex necessitate mouetur ab aliquo obiecto, nisi ab vltimo fine, (*vt visum est.*) *Igitur ex sola hominis voluntate procedit directè peccatum. Et sic peccata omnia à uoluntate prodeunt*: causa *enim* per se S & propria peccati est ipsa voluntas peccandi; comparatur enim ad actum peccati, sicut arbor ad fructum, vt dicitur *in glossa* super illud *Mat.* 7. Non potest arbor bona fructus malos facere. *Vnde & actus malus exterior ipsi uoluntati adscribitur, ut patet in actu E. G. homicidii.* Actus *enim* exterior T membri habet deformitatem, sed non habet rationem culpæ, nisi per hoc, quòd est à voluntate. Vnde si essent duæ personæ, voluntas & manus, manus non peccaret: sed voluntas peccaret non solùm per actum proprium, qui est velle, sed etiam per actum manus, qua vtitur. Nunc autem vnus homo est, cuius est vterque actus, & pro vtroque punitur. *Verùm* quia malum V contingit ex singularibus defectibus, bonum autem ex tota & integra causa; siuè voluntas sit eius, quod est secundùm se malum, & sub ratione boni; siue sit boni sub ratione mali: semper voluntas erit mala. Sed ad hoc, quòd sit voluntas bona, requiritur, quòd sit boni sub ratione boni, idest quòd velit bonum & propter bonum. *Ex qua utique bonitate* solus X ille dicitur esse bonus homo simpliciter, qui habet bonam voluntatem. Ille autem, qui habet bonitatem secundùm aliquam potentiam, non præsupposita bona voluntate, dicitur bonus, secundùm quod habet bonum visum & auditum. Et sic pariter ex eo quòd homo habet scientiam, non dicitur bonus simpliciter, sed bonus secundùm intellectum, vel bené intelligens; & similiter est de arte, & alijs huiusmodi habitibus. *Idcircò in via Dei, & in morali vita ac spirituali, non ad intellectum respicitur; sed ad voluntatem, quippe cui sanctitas proprié attribuitur. Ex quo conuenienter Diuino Spiritui sanctitas adscribitur, non Filio.* Filius *enim* non Y dicitur Sanctus, quia sanctitas est conditio voluntatis potiùs, quam naturæ; & ideò potiùs additur nominationi personæ procedentis per modum voluntatis, quàm procedentis per modum naturæ. *Et alibi*: Conuenienter Z Sanctitas, quæ rectitudinem voluntatis importat, adiungitur processioni amoris, & non generationi, quæ est opus naturæ. *Ad hanc autem sanctitatem comparandam sola bona uoluntas satis esse uidetur, Apoc.* 22. Qui sitit, veniat: *sitis enim voluntatem & desiderium designat. Vnde* glossa: *Qui sitit*, idest A credit & desiderat, *veniat* & accipiat, Dan. 9. *Vir desideriorum tu es.* Vel *qui sitit*, idest B qui conuertendi voluntatem habet, *veniat*, supple per conuersionem, & securus de venia, accipiat Sacramenta: & gratis remittentur ei peccata, Is. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Vnde subditur: *& qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Quasi dicat: Non est graue, neque laboriosum; quia sola voluntas sufficit sine pretio meritorum. *Profectò* laus C virtutis (*ut præmissum est*) in voluntate consistit, non autem in potestate deficere. Et ideò deficere ab æqualitate (quæ est medium iustitiæ) propter defectum potestatis, non diminuit laudem virtutis, si non fuerit defectus ex parte voluntatis. *Vnde & voluntas (ut consueuit dici) reputatur pro facto. Ex quo baptismus flaminis supplere dicitur fluminis baptisma* in casu D quo articulus necessitatis Sacramentum excludit, ne actu

S 1.2.73.6. initio c. Ver 24 10. ad 3. Ma. 3. 3. fi. c. & a. 7. ad 5.

T Ma. 2. 2. ad 6. & ad 1. & q. 7. 6. c.

V 1.2. 19. 7. ad 3.

Quid exigatur, vt dicatur, & sit voluntas bona.

X Virt. 1. 7. ad 2. & a. 9. ad 16 Ma. 1. 5. c. & 1.2. 56. 3. c. & alibi.

Ille simpliciter bonus, qui habet bonam voluntatem.

Voluntati, non intellectui attribuitur sanctitas.

Y Ad Hann. 1. d. 10. 1. 4. ad 3.

Z In alio ibid. ad 4.

A Apoc. 22. Com. 2. §. 2. fi.

Ex quo diuinus Spiritus dicitur Sanctus, non Filius.

B Ibid. com. 1. & 2. ibi.

Ad animæ salutem, sola uoluntas sufficit.

C 2.2. 81. 6. ad 1. & 186. 3. ad 3.

D 4. d. 4. 3. 3. q. 2. c. & d. 17. 3. 5. q. 2. ad 2. & d. 20. 1. 1. q. 1. ad 3. & 3. p. 68. 2. ad 2. & 3.

percipi possit. Tunc enim, quamuis sit pœnitentia sine baptismo in actu, est tamen cum desiderio & proposito baptismi: & voluntas pro facto reputatur ei, qui non habet tempus operandi. *Voluntas inquam habetur pro facto.* Et hoc E intelligendum est tam in bonis, quàm in malis, quando est votum plenum, ita quòd nihil ab executione retardat, nisi impotentia. Si autem operatio adiuncta addat aliquid ad voluntatem (sicut in illis operibus, quæ habent in ipso actu delectationem, voluntatem prouocantem) tunc operatio addit etiam quantùm ad meritum, vel demeritum substantiale, aliàs non: sed superaddit operatio quantùm ad aliquid adiunctum, quod est vtilitas consequens actum in bonis, vel effectus eius, vel nocumentum in malis. *Sanè adeò valet apud Deum bona & prompta uoluntas, ut & quæ debita alioquin sunt uoluntariè agentes, meritoriè exequamur. Vnde Apostolus ad Coloss.* 3. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis &c. *Ex animo*, idest F voluntariè, & promptè, *operamini*: & hoc, *sicut Domino*; quia qui seruit alicui propter ordinem iustitiæ, facit hoc propter Deum, à quo est hic ordo. *Scientes &c.* Quorundam enim fuit opinio, quòd actus iustitiæ non est meritorius: quia hoc videbatur esse debitum; & hoc non est meritorium, alicui dare, quod suum est: sed sciendum, quòd ex hoc, quòd voluntariè facis, ex hoc ponis aliquid de tuo; quia de potestate tua est velle & non velle; & sic est meritorium. Serui autem ex debito seruiunt Domino: & ideò vt habeant mercedem, hoc faciunt voluntariè. *Ecquid sanè magis debitum, quàm latria actus Maiestati diuinæ? & tamen ad æterna uita meritum promebat Psaltes regius Ps.* 53. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine.

n *At uerò, quamuis posse* G *eligere malum, non sit* (*ut præmisimus*) de ratione liberi arbitrij; consequitur tamen liberum arbitrium, secundùm quod est in natura creata possibili ad defectum (posse *enim* peccare. H est conditio voluntatis deficientis, in quantùm est ex nihilo:) *Et ideò facilliter hinc malum eligimus & peccamus. Insuper ex peccato primi parentis in natura uulnerata, faciliùs inclinamur ad malum, quatenus inter quatuor ex peccato naturæ uulnera* est I vulnus malitiæ in quantùm voluntas destituitur suo ordine ad bonum. *Vulnus inquam malitiæ*: malitia *autem* non L sumitur hic pro peccato, sed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, *secundùm quod dicitur Gen.* 8. Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. *Ex quo nihilominùs libertas uoluntatis, seu* libertas M arbitrij per peccatum est quidem debilitata, sed non omninò amissa. *Idcircò & peccantes, uoluntariè peccamus, neque excusatio ualet ulla. Sequi enim ductum rationis possumus, & insurgentes passionum motus reprimere, & non peccare, secundùm illud Domini ad Cain Gen.* 4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. *Nullum uerò ad cohibendos concupiscentiæ impulsus adhibemus renisum; laxis immò habenis liberum sensui cursum relinquimus: non mirùm idcircò in peccata labamur, trahatque sensus in consensum uoluntatem. Sic verò uoluntas nostra à Dei uoluntate discordat. Non autem potest non sequi peccatum, ubi propriam, non Dei, satagimus voluntatem implere. Quòd unica est nostra causa perditionis: causa vero certa salutis, oppositum. Vnde & ipse Dominus, qua bono, dicebat*

An uerum uniuersaliter sit, quòd uoluntas habetur pro facto, tam in bonis, quàm in malis.

E 4. d. 17. exp. tex. & 1.2. 20. 4. c. Ma. 2. 2. ad 8.

Etiam quæ debita sunt, uoluntariè facientes, meritoriè facimus.

F Coloss. 3. l. 4. ibi Ephes. 6. l. 2. ibi, ex animo.

G Ver. 24. 3. ad 2. & a. 7. ad 4.

Posse eligere malum, licet non sit de ratione liberi arbitrij, consequitur tamen illud pro ut in natura defectibili quatenus est ex nihilo.

H 1. d. 42. 2. 1. ad 3. Ver. 22. 6. fi. c. & ad 3. Ma. 16. 5. c.

I 1.2. 85. 3. c. Ma. 2. 11. c. Gal. 3. l. 7.

Ex quo faciliter peccamus, & ex peccato vulnerati facilius.

L 1. 2. l. c. ad 1.

M Ver. 24. 1. ad 11.

Libertas arbitrij per peccatum debilitata est; sed non amissa omninò.

Discordans à diuina voluntate, propriam homo faciens peccando, sibi perditionem parat, certam verò salutem, si diuinæ eam conformet.

Io. 6. Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras; quia descendi de Cęlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. *Ex quo deducitur*: Illi N ergo non eijciuntur foras, qui non faciunt voluntatem suam, sed voluntatem Dei (*quod aiebat initio Author*.). Nam diabolus volens facere voluntatem suam, quod est superbiæ, eiectus est de Cęlo: & primus homo de Paradiso. *Cohærenter adhæc, dicebat idem Dominus Io.* 3. Nemo ascendit in Cęlum, nisi qui descendit de Cęlo, Filius hominis, qui est in Cęlo. *Igitur* nemo O potest ascendere, nisi descendat ut Christus, de quo dicitur Io. 6. cit. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Vnde oportet facere voluntatem Dei, *non nostram, ut cum Christo ascendamus in Coelum, ubi salutis nostra complementum est*, *Mat.* 7. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cęlis est, ipse intrabit in regnum Cęlorum. *Quòd si pro correllario quæras, Verùm voluntas potior, altiorque potentia sit, quàm intellectus*: Dicimus, *quòd* tripliciter P potest sumi comparatio intellectus ad voluntatem. *Vno modo* absolutè, & in uniuersali, non respectu huius, vel illius rei: & sic intellectus est eminentior voluntate; sicut habere id, quod est dignitatis in re aliqua, est perfectius, quàm comparari ad nobilitatem eius. *Alio modo* per respectum ad res naturales sensibiles: & sic iterum intellectus est simpliciter nobilior voluntate, utpote intelligere lapidem, quàm velle lapidem: eo quòd forma lapidis nobiliori modo est in intellectu, secundùm quòd ab intellectu intelligitur, quàm sit in se ipsa, secundùm quod à voluntate desideratur. *Tertio modo* in respectu ad res diuinas, quæ sunt anima superiores: & sic velle est eminentius, quàm intelligere; sicut velle Deum, & amare, quàm cognoscere: quia scilicet diuina bonitas perfectiùs est in ipso Deo, prout à voluntate desideratur, quàm sit participata in nobis, prout ab intellectu concipitur. *Et hac de causa* charitas Q est excellentior fide & spe, & per consequens omnibus alijs virtutibus. *Vnde Apostolus ad Eph.* 3. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. *DISCE, summum volendo bonum, & amando unam nobilitare voluntatem.*

Vide plura huc attinentia V. Actus, Beatitudo, Conformatio ad diuinam voluntatem, Consilium *Tomo* 1. Diabolus, Electio *Tomo* 2. *Et fusè* 1. 2. à 3 *quæs.* 1.


N *Io.* 6. *l.* 4 *lit.* 3.

O *Mat. lib.* 8. *ibi, qui facit.*

Num perfectior potentia voluntas, an intellectus.

P *Ver* 22. 11. *c.* & 1. p. 82. 3. *In* 3. *d.* 27. 1. 4. *c.*

Q 2. 2. 23. 6. *fi.* & *ad* 1. & 1. 2. 66. 6. *ad* 1. *In* 3 *d.* 36. 4. *con.* *G. c.* 55. *ad* 19. *Eph.* 3 *l.* 5. *ibi,* charitatem.



VOTVM.

IX. Nec perfectio humilitatis sub voto cadere potest, nec perfectio charitatis, cum perfectio virtutis non sit ex nostro arbitrio, sed ex Dei munere. *Opusc.* 19. *cap.* 2. *non longè à fi.*

O V*oti nomen à voluntate deriuatum videtur, cum votum, quædam promissio sit*: & *quia* voluntas R mouet rationem ad promittendum aliquid circa ea, quæ eius voluntati subduntur, pro tanto votum à voluntate accipit nomen, quasi à primo mouente. *Est autem votum* promissio S Deo facta de his, quæ ad Deum pertinent, *secundùm illud Ps.* 115. Vota mea Domino reddam. *Plura verò continet votum, & exprimit*. *Nam* votum T quandam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum. Obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis, quæ est rationis actus, ad quam pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo, quid sibi ab alijs fiat: ita promittendo ordinat, quid ipse pro alio facere debeat. Sed promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri, nisi per verba, vel quæcumque alia exteriora signa. Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem: quia ut dicitur 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent*: *Dominus autem intuetur Cor*. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad sui ipsius excitationem, sicut circa orationem contingit: vel etiam ad alios contestandos, ut non solum desistat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reuerentiam hominum. Promissio autem procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primo quidem deliberatio. Secundò propositum voluntatis. Tertiò promissio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur verò quandoque & alia duo, ad quandam voti confirmationem: scilicet pronunciatio oris, secundùm illud Ps. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*; & iterum testimonium aliorum. Vnde Magister dicit dist. 38. lib. 4. sententiarum, quòd *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ sunt Dei, fieri debet*: quamvis testificatio possit ad interiorem testificationem propriè referri. *Vnde & docemur, quòd* promissio V quandoque fit ore, non corde; & talis quoad Deum, non est votum, & ideò oportuit addere, *spontanea*. Et prætereà, quamuis homo non possit cogi sufficienter simpliciter ad promittendum: potest tamen cogi coactione quadam interpretatiua ad exteriorem promissionem, sicut & ad alia opera voluntatis exteriora; non autem ad promissionem interiorem, sicut nec ad Fidem. Magister autem diffiniuit votum exteriùs prolatum, quod potest matrimonium impedire: sic enim intendit hic de voto. Et hoc votum est testificatio interioris promissionis, non ipsa interior promissio. *Quodlibet proinde votum, actus religionis est, siuè latria*. Omne *siquidem* opus X virtutis ad

Voti nomen, unde dicatur.

R 2. 2. 88. 1 *ad* 2. *In* 4. *d.* 38. 1. 4. *c.* & *d.* 38. 1. 1. *q.* 1. *c.*

Quid sit votum.

S 2. 2. 189. 2. *in fi. c.* & 88. 1. 2. 4. & 8. *c. In* 4. *d.* 38. *l. c. Op.* 17. *c.* 12.

T 2. 2. 88. 1 *in* 4 *l. c.*

Tria ad votū requisita. In promissione perficitur ratio voti.

Diffinitio voti ex Magistro.

V 4. *d.* 38. 1. 1. *q.* 1. *ad* 2.

Votum, actus est latriæ.

X 2. 2. 88. 5. *c.* & 189. 2. *c.* *Quol.* 3. 4. 12. *c.* & *ad* 3. & 3. *sn.* *G. c.* 138. *Op.* 17. *c.* 12. *Op.* 18. 11. *Ps.* 49. *lit.* g.

ad religionem seu latriam pertinet per modum imperii, secundùm quod ad diuinam reuerentiam ordinatur, quod est proprius finis latriæ. Ordinare autem alios actus in suum finem, pertinet ad virtutem imperantem, non ad virtutes imperatas: Et ideò ipsa ordinatio actuum cuiuscumque virtutis in seruitium Dei, est proprius actus latriæ. Manifestum est autem, quòd votum est quædam promissio Deo facta: & quòd promissio nihil est aliud, quàm ordinatio quædam eius, quod promittitur, in eum, cui promittitur. Vnde votum est ordinatio eorum, quæ quis vouet, in diuinum cultum, seu obsequium: & sic patet, quòd vouere propriè est actus actus latriæ, seu religionis. *Nec dubium est, quòd* illud Y quod cadit sub voto, quandoque est actus alterius virtutis, sicut ieiunare, & continentiam seruare: quandoque verò est actus religionis, sicut sacrificium offerre, vel orare. Vtrorumque tamen promissio Deo facta, ad religionem pertinet. Vnde patet, quòd uotorum quoddam pertinet ad religionem, ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti: quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia. *Igitur soli Deo propriè loquendo fit votum, promissio verò & homini. Et ita, quæ sanctis interdum promissio fit, materialiter tantùm voti rationem habet.* *Nam* ipsa Z promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto, inquantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum, quo quis vouet aliquid Sanctis vel Prælatis: vt ipsa promissio facta Sanctis vel Prælatis, cadat sub voto materialiter, in quantùm scilicet homo vouet Deo se impleturum, quod Sanctis, vel Prælatis promittit.

Y 2.2.88.5 ad 1.

An & Sanctis præter Deum possit fieri verè votum.

Z Ibid. ad 3. In 4.d.38.1.1.q.1 ad 4.

p *Quod autem spectat ad materiam voti; cum dictum sit, votum esse promissionem Deo factam, de his, quæ ad Deum pertinent*, oportet A, quòd materia voti sit aliquid bonum, pertinens ad Dei seruitium. *Vnde & communiter dicitur*, quòd votum est de meliori bono. *Quocirca considerandum est, quòd* promissio B est alicuius quod quis pro aliquo voluntariè facit. Non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret, se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio, si aliquis alicui promitteret id, quod ei non esset acceptum. Et ideò cum omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum, consequens est, quòd de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, sed solùm de aliquo actu virtutis. Sed quia votum voluntarium promissionem importat, necessitas autem voluntatem excludit: id, quod est absolutè necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voueret, se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Illud verò, quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, putà quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, in quantùm voluntariè fit, non autem in quantùm est necessitatis. Illud autem, quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omninò est voluntarium; & ideò hoc propriissimè cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse maius bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis: ideò propriè loquendo votum dicitur esse de meliori bono. *Et hinc est diuisio voti in singulare & commune. Hæc autem* est C diuisio analogi, quod prædicatur per prius & posterius de suis diuidentibus, sicut ens de substantia & accidente. Cum enim votum sit obligatio ex voluntate facta, necessitas autem voluntatem excludat: illud votum, quod nihil habet necessitatis, dicitur per priùs votum, quasi habens completè rationem voti: & hoc est votum singulare, quod est de illis, ad quæ non tenemur. Illud autem votum, quod habet aliquid necessitatis, habet incompletè rationem voti, & ideò dicitur per posterius votum: & hoc est votum commune, quod est de his, ad quæ omnes tenentur, quorum est necessitas conditionata, non absoluta. *Quo sensu, & hoc* D modo sub voto baptizatorum cadit abrenunciate pompis diaboli, & fidem Christi seruare: quia voluntariè fit, licèt sit de necessitate salutis. *Sanè quòd de operibus aliàs debitis possit esse præfato sensu votum, exemplum habemus in Iacob, de quo legitur, Gen.* 28. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Quo loci instruimur, quòd* bene E potest quis illud, ad quod priùs tenebatur, vouere. Neque est superfluum hoc: quia tunc ex hoc fit maior obligatio hominis ad Deum, & alter modus obligandi. Primus enim modus solùm erat debitus, & ab altero impositus, & merè necessarius. Secundus verò (dum scilicet accedit votum) est gratuitus, & à propria voluntate assumptus, & oblatus. Et ideò includit maiorem, & firmiorem applicationem voluntatis, & maiorem reatum, si non impleatur. (*Sed &* potest F intelligi, quòd Iacob vouit se habere Dominum in Deum per specialem cultum, ad quem non tenebatur, sicut per decimarum oblationem, & alia huiusmodi, quæ ibi subduntur.)

Quid & qualis voti materia.

A Ad Hann. 4. d.38.1.1. ad 2.

B 2.2.88.2.c. In 4.d. 38.1.1. q.2.c. Hann. l.c.

De quo uouendum, vel non vouendũ

Voti diuisio in singulare & commune

C In 4. l.c.a.2. q.1.c. Opusc. 18 c. 12.

D 2.2.88.2. ad 1.

Etiam de aliàs debitis potest aliquo modo uotum fieri.

Votũ Iacob.

E Gen. 28. ibi. In 4.d.38.1.1.q 2 ad 1. Hann. ibid. ad 2. & 2.2.l.c.

F 2.2. l.c. & locis mox cit.

q *Neque ex eo, quòd Iephte inter sanctos recensitus, filiam ex voto interemerit, admittendum de illicitis votum est.* Quædam *enim* sunt G quæ in omnem euentum sunt bona, sicut opera virtutis, & alia bona, quæ possunt absolutè cadere sub voto. Quædam verò in omnem euentum sunt mala, sicut ea, quæ secundùm se sunt peccata; & hæc nullo modo possunt cadere sub voto. Quædam verò sunt quidem in se considerata bona; & secundùm hoc possunt cadere sub voto: possunt tamen habere malum euentum, in quo non sunt obseruanda. Et sic accidit in voto Iephte: qui vt dicitur *Iudic.* 11. Votum vouit Domino dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Hoc autem poterat malum euentum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus vel homo: quod etiam accidit. Vnde & Hieronymus dicit: *In vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit: & in reddendo impius.* Præmittitur tamen ibi, quòd *factus est super eum spiritus Domini*: quia fides & deuotio ipsius, ex qua motus est ad uouendum, fuit à Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in Cathalogo Sanctorum *Hebr.* 11. & propter victoriam, quam obtinuit: & quia probabile est, eum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat. *Ex quo colligimus, quòd votum esse discretum debet. Hinc immoderatæ vigiliæ, & corporis macerationes indiscretæ, dubitatur, an sub voto cadant, eo quòd rationabile debet esse. Itaque ex eo satis liquet, quòd* maceratio H proprii corporis, putà per vigilias & ieiunia, non est Deo accepta, nisi in quantùm est opus virtuosum: quod quidem est in quantùm cum debita discretione fit, vt scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis grauetur. Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere. Propter quod & Apostolus *Rom.* 12. postquam dixerat: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam, Deo placentem*, addidit: *rationabile obsequium vestrum.* Sed quia in his, quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallitur ho-

G 2.2.88.2 ad 2. In 4.d.38.1.1. q. 2 ad 3. Hann. ibid. a.1. ad 2.

Votum Iephte consideratur.

Votum debet esse discretũ.

H 2.2. l.c. ad 3. In 4. l.c. ad 4. Rom. 12. l.s ibi, rationabile.

Macerationes immoderatæ an cadant sub uoto.

Nec perfectio humilitatis nec perfectio charitatis sub voto cadunt, nisi ex instinctu Spiritus Sancti. Quale fuit votum S. Teresiæ.

mo in iudicando, talia vota congruentiùs (*nota*) secundùm arbitrium Superioris (*& confessarii, nec sine obedientia merito*) sunt vel seruanda, vel prætermittenda: ita tamen, quòd si ex obseruatione talis voti magnum & manifestum grauamen sentiret, & non esset facultas ad Superiorem recurrendi, non debet homo tale votum seruare. *Quas verò legimus de Sanctis viris grauissimas corporis afflictationes, speciali dicimus Spiritus sancti instinctu ab eis assumptas, in quibus admirandi potiùs, quàm imitandi. Idcircò* nec perfectio I humilitatis sub voto cadere potest, nec perfectio charitatis; cum perfectio virtutis non sit ex nostro arbitrio, sed ex Dei munere (*vt aiebat initio Author*) *cuius indubitanter instinctu vouisse legitur Sacra Virgo* Teresia, *sese effecturam semper* quicquid perfectius esse intelligeret: *at subditur etiam, quòd tale votum* Deo emiserat consiliante. *Et ideò pientissimè, ac prudentissimè* Beatissima L Virgo virginitatem vouit sub conditione, si Deo placeret: *vt voueret nimirùm, quod ei acceptum esset, suam diuinæ conformando voluntatem.* Vota verò M quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quàm seruanda: *qualia sunt non rarò mulierum, V. G. quod non pectent tali, vel tali die, & huiusmodi. Et quidem* talia N vota mulierum sunt sortilegia magis, quàm vota: sunt enim quædam reliquiæ idololatriæ, secundùm quam obseruabantur dies & menses; & ideò pro non votis habenda sunt, & peccant talia vouentes, quia vt Hieronymus dicit: *Cum infidelibus nec etiam nomina habere debemus communia.*

I Opusc. 19. c. 2. post med.

Sancti in macerationibus, plùs admirandi, quàm imitandi.

L Hann. 4 d. 30. 1. 4. ad 1. in alio ib. q. 2. 2. & 3. p. 29. 2. c. Marsilius d. ibi, Ioseph.

Beata Virgo virginitatem sub conditione vouit, si Deo placeret.

M 2. 2. 88. 2. ad 3. fi.

Vota de vanis & inutilibus deridenda magis, quàm seruanda.

N 4. d. 38. 1. 1. q. 2 ad 3 Hann. ib a. 1 & 2.

Qualia non rarò mulierum, quasi sortilegia.

¶ *Porrò singulare votum diuiditur in votum simplex & solemne. Et* est O diuisio totius potestatiui in partes suas; cuius perfecta virtus est in vna suarum partium, in alijs autem quædam ipsius participatio: sicut diuiditur anima in rationalem, sensibilem, & vegetabilem. Virtus enim voti est obligatio, quæ completè est in voto solemni, in alio verò incompletè. *Potissimè autem differt simplex votum à solemni, quòd* solemne P votum habet promissionem cum quadam traditione: votum autem simplex promissionem habet sine traditione. *Nec tamen idem est publicum, ac solemne votum. Nam* vota Q ex hoc, quòd fiunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem humanam, non autem solemnitatem spiritualem, & diuinam, sicut habent vota solemnia susceptionis Ordinis & professionis ad certam regulam, etiamsi coram paucis fiant. Vnde aliud est, votum esse publicum, & aliud esse solemne. *At de solemni voto fusis diximus V.* Cælibatus, Clericus *Tomo* 1. & V. Religiosus. *Quò Lectorem remittimus.*

O In 4. d. c. a. 2 q. 2. c.

Singulare votum diuiditur in simplex, & solemne: & est diuisio totius potestatiui in suas partes.

P Quol. 3. a. 18 c. Quol. 8. a. 10. Quol. 10. a. 11. ad 1. & 2. 2. 88. 7. & 189 2. ad 1. & a. 5. c. in 4. d. 38. 1. 2 q. 2. & a. 3. q. 2.

Differentia inter simplex & solemne votum.

Q 2. 2. 88. 7. 2. 3. in 4 d. 38. 1. 2. q. 2. ad 1. & q. 3. ad 4.

Publicum votum, & solemne non est idem.

DISCE vouere, quæ Deo placita sunt, ... postulare.

X. Votum ex ratione sua magis est obligatorium, quàm iuramentum. 2. 2. 89. 8. fi. corp.

¶ S*Piritualis vtique vtilitatis votum est; idcircò & vouere expedit Christiano viro.* Votum *enim* est R promissio Deo facta. Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter eius vtilitatem; cui vtile est, & quod ei aliquid exhibeamus, & quòd eum de futura exhibitione priùs certificemus. Sed promissionem Deo facimus, non propter eius vtilitatem, sed propter nostram. Et sicut id, quod damus Deo, non est ei vtile, sed nobis: quia *quod ei redditur, reddenti additur,* vt dicit *Augustinus in Epist. ad Armentarium & Paulinam*; ita etiam promissio, qua Deo aliquid vouemus, non cedit in eius vtilitatem, qui à nobis certificari non indiget: sed ad vtilitatem nostram, in quantùm vouendo voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere. Et ideò expediens est vouere. *Enimuerò meritorium magis opus, & laudabilius est ex voto factum, quàm absque illo. Primò, quia* cum laus S operis ex radice voluntatis dependeat, tantò exterius opus laudabilius redditur, quantò ex meliori voluntate procedit. Inter alias autem conditiones bonæ voluntatis vna est, vt sit voluntas firma & stabilis; vnde in vituperium pigrorum inducitur, quod habetur Prou. 13. *Vult, & non vult piger.* Tantò igitur opus exterius laudabilius redditur & magis meritorium, quantò voluntas eius magis stabilitur in bono. Manifestum est autem, quòd voluntas firmatur ad aliquid faciendum ex voto, cum votum sit promissio quædam. Qui autem promittit, se aliquid facturum, firmat propositum suum ad illud implendum. Hoc etiam apparet ex consuetudine vitæ humanæ. Quia enim voluntas humana mutabilis est, ad hoc vt verbis hominum fides adhibeatur, in tantùm inoleuit consuetudo, vt hoc, quod aliquis alteri vult facere, promissione confirmet, & vlteriùs promissionem roboret legitimis munimentis. Plus autem debet vnusquisque sibi, quàm proximo, præcipuè in his, quæ pertinent ad spiritualem salutem, secundùm illud Eccli. 30. *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Potest autem homo propter voluntatis mutabilitatem, prætermittere id, quod proposuit pro sua spirituali salute, sicut & quod proposuit pro commodo temporali alterius. Si igitur aliquis vtiliter prouidet proximo, vallando promissionem suam iuramento, fideiussione, vel pignore: multò magis vtiliter & laudabiliter sibi prouidet, si bonum propositum, quod concepit, voto firmare studuerit. Vnde *Augustinus in Epistola ad Armentarium, & Paulinam* dicit: *Quia vouisti, iam te adstrinxisti; aliud tibi facere non licet:* & postea subdit: *Nec ideò tamen te vouisse pœniteat; immò gaude, iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisses.* Amplius considerandum est, quòd opus inferioris virtutis laudabilius redditur, & magis meritorium, si ad superiorem virtutem ordinetur: sicut opus abstinentiæ, si ordinetur ad charitatem. Pari ergo ratione & si ordinetur ad latriam, quæ est abstinentia potior. Votum autem est latriæ actus, *vt visum est.* Adhuc T quantò aliquis plus dat alicui, tantò maius aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solùm, quod facit propter eius amorem. Qui verò non solùm facit, sed etiam vouet, non

R 2. 2. 88. 4 c. & 3. con. G. c. 138.

Alter fit Deo promissio, aliter homini, & alio fine.

Expedit vouere.

Opus ex voto magis meritorium, quàm sine illo, pluribus ex caussis.

S Op. 17. c. 12. Op. 18 c. 12. & 3. con. G. l. c. Quol. 4. a. 2 ; c. & ad 4. & 2. 2. 88. 6. & 189. 2. & 3. p. 28. 4.

T Op. 18 c. 12

solùm

solùm dat ei, quod facit, sed etiam potentiam, qua facit: facit enim, se non posse, quin faciat quod priùs non facere licitè poterat. Maius igitur aliquid meretur apud Deum, qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit sine voto. *Quin & aliquid ex voto facere, etiam inuoluntariè, plùs meritorium est, quàm si absque voto prompta id fieret voluntate.* Detur *enim* quod V aliquid bonum opus, quod quis facit ex voto, vel obedientia, simpliciter consideratum sit inuoluntarium; sed tamen facit hoc ex necessitate voti, vel obedientiæ quam non vult præterire: adhuc dum hoc facit, laudabiliùs operatur, & maiori cum merito, quàm si prompta voluntate illud faceret sine voto. Etsi enim non habeat voluntatem promptam illud faciendi, putà ieiunandi: habet tamen voluntatem promptam votum implendi, vel obediendi, quod est multò laudabilius, & magis meritorium, quàm ieiunare: vnde plùs meretur, quàm ille, qui sua voluntate ieiunat: tantòque voluntas votum implendi, aut obediendi promptior iudicatur, quantò id, quod aliquis facit propter obedientiam vel votum, magis in se consideratum voluntati repugnat. *Neque necessitas implendi votum vel in minimo tollere dicenda est libertatem vouentis.* *Nam* sicut X non posse peccare non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmata voluntatis in bonum non diminuit libertatem, vt patet in Deo, & in beatis. Et talis est necessitas voti, similitudinem quandam habens cum confirmatione beatorum. Vnde Augustinus dicit in *Epist. cit.* Felix necessitas, quæ in meliora compellit.

Aliquid, etiã inuoluntariè, ex uoto facere magis meritorium, quàm promptè sine illo.

V Ibid. post pauca, & 2.2. 88. 6. ad 2. Quol. 3. a. 12. ad 3. Quol. 8. a. 11. fi.

X 2.2.88. 4. ad 1. Quol. 3. a. 11 ad 2. & 3. con. G. c. 138.

Necessitas implendi uotum libertatẽ uouentium non tollit.

t *Verùm, sicut valdè meritorium est votum, ita valde obligatorium est, cum sit promissio facta Deo. Idcircò* ex iure Y naturali & præcepto diuino tenetur homo votum implere. Cum autem Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis vel diuini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumspicere. *Vel (vt alibi.)* Obseruare Z votum durante voti obligatione, est de lege naturali, sed cessante obligatione voti, non est obseruatio eius de lege naturali. Cessat autem eius obligatio vel ex se, vt quando seruatum vergeret ad deteriorem exitum; & tunc per declarationem Superioris (si facultas petendi adsit) debet obseruatio voti prætermitti: vel cessat ex authoritate superioris, qui aliud magis necessarium iudicat, & in voto dispensat. *De quo inferiùs. Sanè si ex fidelitate tenetur homo homini soluere, quod spopondit: quantò magis Deo?* Maximè *autem* debet A homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti. Et ideò maximè obligatur homo ad hoc, quòd impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quædam infidelitatis species. Vnde Salomon *Eccle.* 5. rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia *displicet Deo infidelis promissio.* Et ideò B qui votum ritè factum prætermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit. *Cum tamen tot ex capitibus homo implere teneatur. Et ita Christus Dominus noster, quod diuino Patri promisit, promptissimè soluit, vt ex ore Prophetæ ait, Ps.* 21. Vota mea reddam in conspectu timentium eum. *Nempe* votum C Christi fuit, vt se daret pro salute fidelium; ipse enim illud vouit, in quantum homo Ps. 39. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Hæc autem vota soluit Christus dando se ad passionem. Et iterum, quando dedit & corpus suum in cibum fidelium. Vnde dicit, *Vota*, idest sacrificia, *reddam* in ara Crucis, & in sacrificium fidelium. *Verùm, si magis propriè loqui velimus*, Christo D secundùm se non competebat vouere; tum quia Deus erat, tum etiam quia, in quantum homo, habebat firmatam voluntatem in bonum, quasi comprehensor existens: quamuis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Ps. 21. secundùm glossam: *Vota mea reddam &c.* Loquitur autem de corpore suo, quod est Ecclesia.

Y 2.2.88. 10. ad 2. & a. 12. ad 2. In 4. d. 38. 1. 4. q. 1. ad 1.

Ex iure naturali, & præcepto diuino tenetur quis uotum implere.

Z In 4. loco cit. ad 2.

A 2.2. 88. 3. c. et ad 1. In 4. d. 38. 1. 3. q. 1.

Fractio uoti, infidelitatis species.

B In 4. loco cit. fi.

C Ps. 21. lit. u.

Christi uotum impletũ.

D 2.2.88. 4. ad 3.

Ei tamen propriè non competebat vouere.

Si verò contingat, quòd illud E quod quis vouit, ex quacumque alia causa impossibile reddatur: debet hoc facere quod in se est, vt saltem habeat promptam voluntatem faciendi; quod potest. Vnde ille, qui vouit monasterium aliquod intrare, debet dare operam quantùm potest, vt ibi recipiatur. Et si quidem intentio sua fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem; tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum propter specialem complacentiam huius religionis, vel loci; non tenetur aliam religionem intrare, si eum illi recipere nolunt. (*Quòd si* F dubitet quis, quomodo se in vouendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat, *secundùm illud*: In dubiis tutior pars est eligenda.) Si verò incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpa: tenetur insuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere. Sicut mulier, quæ vouit virginitatem, si postea corrumpatur, non solùm debet seruare, quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo, quod amisit peccando, pœnitere. *Quoad tempus autem votum seruandi, considerandum est*, quòd obligatio G voti ex propria voluntate, & intentione causatur. Vnde dicitur Deut. 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Et ideò, si in intentione & voluntate vouentis est obligare se ad statim soluendum, tenetur statim soluere. Si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur soluere: sed nec debet tardare vltra quàm intendit se obligare. *Dicitur enim ibidem*: Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Cui respondet illud Eccle.* 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; *& postea subditur*: Multò melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. *Et Nah.* 1. Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua. *Ad quod soharet illud Ps.* 49. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Siquidem* hoc H vult Deus, vt sibi reddatur, scilicet votum, quod est actus latriæ, Is. 19. *Colent eum in hostiis, & in muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent.*

E 2.2. 88. 3. ad 2. In 4. d. 38. 1. 3. q. 1. ad 1.

Quid agendum, cum impossibilis redditur uoti impletio.

F In 4. l. c. ad 6

G 2.2. l. c. ad 3. In 4. l. c. ad 5. 6. 7.

Quid circa tempus obseruandi, & implendi.

H Ps. 49. lit. g.

v Vota *inquam* vouebunt, & soluent. *At nos, quàm facile vota emittimus, quàm difficilè soluimus & obseruamus! Fœmina præsertim, naturaliter ad deuotionem prona, quæ ad singulas Sanctorum imagines, quas super aras adorant (ne dicam exteriori in grande labiorum motu quodammodò deuorant:) quotidiana fermè vota facere consueuerunt; non ita nec eam facilè soluere, & obseruare, de quibus videtur locutus Sapiens Prov.* 20. Ruina est homini deuorare Sanctos, & post, vota retractare. *Quòd si tanti in humanis facit vel priuatus homo promissum, vt non seruanti infamia notam inurat, & vitam ipsam non rarò tollat: quantùm homini metuenda erit in Deo promissis defectio?* Horrendum est incidere in manus Dei viuentis; *Hebr.* 10. *Perpendat quis*

Facilè uota emittimus, difficilè soluimus.

quis

I 4.d.38.1.3. q.2 ad 1.

Votum fortius uinculum, quàm matrimonium.

quis fidelium vouet, *quòd* votum I est fortius vinculum, quàm matrimonium, quantùm ad illud, cui fit, & ad quod ligat: quia per matrimonium ligatur homo vxori ad redditionem debiti; sed per votum Deo ad continentiam, *vel ad quodlibet aliud bonum opus*. *Et adeò quidem obligatorium est votum, quòd arctiùs obstringat, quàm iuramentum.*

L 2.2.89.8.c.

Ex quo fit, quòd uotum magis obligatorium sit, quàm iuramentum.

Nam vtraque L obligatio, scilicet voti & iuramenti, causatur *quidem* ex aliquo diuino, aliter tamen & aliter. Nam obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, vt scilicet ei promissum soluamus. Obligatio autem iuramenti causatur ex reuerentia, quam debemus ei: ex qua tenemur, quòd verificemus id, quod per nomen eius promittimus. Omnis autem infidelitas irreuerentiam continet; sed non conuertitur. Videtur enim infidelitas subiecti ad Dominum esse maxima irreuerentia. Et ideò votum ex ratione sua magis est obligatorium, quàm iuramentum. *Quod aiebat initio Author. Et alibi docemur, quòd*

M 4.d.38.1.3. q.3.ad 3.

iuramentum M plùs obligat ex parte eius, ex quo fit obligatio, quàm votum. Sed votum solemne plùs obligat, quantùm ad modum obligandi, in quantùm actualiter tradit hoc, quod promittitur: quod non fit per iuramentum.

Non habentes lib. arbitrii usum uouere non possunt; nec ad uotum obligantur.

x *Porrò cum ad votum ex præmissis necessariò exigatur deliberatio, quæ vsum liberi arbitrii requirit*: illi N qui non habent vsum liberi arbitrii; sicut aliqui, qui non sunt sanæ mentis, vouere non possunt, nec etiam pueri ante annos pubertatis. *Et si emiserint, ad obseruantiam non obligantur*.

N 4.d.38.1.1. q.3 f.c.

O 2.2.88.9.c. & 189.5.c. & 4.d.c.Op.17.c. 12. & c.13 ad 10.

Votum enim simplex O efficaciam habet ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit. Quòd autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere. Vno quidem modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis & amentibus, qui se voto non possunt obligare ad aliquid, dum sunt in furia, vel amentia. Alio modo quia ille, qui vouet, est alterius potestati subiectus. Et ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia & patiuntur rationis defectum, vt in pluribus, & sunt naturaliter sub cura parentum, vel tutorum, qui sunt eis loco parentum. Et ideò eorum vota ex duplici causa robur non habent. Contingit tamen propter naturæ dispositionem, quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus licèt paucis accelerari rationis vsum, qui ob hoc dicuntur doli capaces. Nec tamen propter hoc in aliquo eximuntur à cura parentum, quę subiacet legi humanæ respicienti ad id, quod frequentiùs accidit. Est ergo dicendum, quòd si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat vsum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare. Si verò ante pubertatis annos attingit vsum rationis, potest quidem, quantùm in ipso est, se obligare; sed votum eius potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subiectus. Quantumcumque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non potest obligari voto solemni religionis propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id, quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possũt iam se voto religionis obligare vel simplici vel solemni absque voluntate parentum. *Cæterùm alterius potestati subiecti generaliter à vouendo impediuntur. Et ratio in promptu est; quia* nullus P

Pueri non possunt ante pubertatem se obligare ad uotum religionis, etiam post liberum rationis usum.

P 2.2.88.8.c. 189.5.c. In 4.d.32.1.4. & d. 38.1.1.q.3.c.

Ratio quare alterius potestati subiectus uouere non possit.

potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed solùm ad id, quod est omninò in sua potestate. Quicumque autem est subiectus alicui, quantùm ad id, in quo est subiectus (*nota*) non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: & ideò non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur, sine consensu sui superioris. *Et hinc sequitur*, quòd ex quo Q homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis,

Q 2.2.88.8. ad 2. In 4.d.38. 1.c. ad 2.

est suæ potestatis quantùm ad ea, quæ pertinent ad suam personam; putà quòd obliget se religioni per votum, vel quod Matrimonium contrahat: non autem est suæ potestatis quantùm ad dispensationem domesticam. Vnde circa hoc non potest aliquid vouere, quod sit ratum sine consensu Patris: seruus autem, quia est in potestate Domini, etiam quantùm ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio Domini sui abstraheretur. *Sequitur secundò quòd* religiosus R subditus est Prælato quantùm ad suas operationes, secundùm professionem Regulæ: & ideò etiamsi ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur à Prælato: quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo Prælatus non possit eum circa aliud occupare, nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris, nisi sit de consensu viri; *non verò è contra*: *quia* in his S in quibus vxor viro tenetur, & è conuerso, neuter potest vouere sine mutuo consensu; sicut patet de voto continentiæ. Sed quia in dispensatione domus & regimine vitæ, mulier est subiecta viro, & non è conuerso: ideò vir potest in talibus vouere sine consensu vxoris; sed non è conuerso. *De quo vide fusiùs* Caietanum *ad articulum Authoris in margine citatum*, *specialiter pro Religiosis, ibid. ad 3.*

Aliter de libero, aliter de seruo sentiendum.

R 2.2.l.c.ad 3. In 4.l.c.ad 3.

Quid de religioso.

S In 4.l.c.ad 4.

Quid de puellis & de uxore.

y *At verò votum simplex* (*de solemni vide* T) *& commutationem admittit*, *& dispensationem*. *Nam* ille V qui vouet, quodammodò sibi statuit legem, obligans se ad aliquid, quod est secundùm se, & vt in pluribus bonum. Potest tamen contingere quòd in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum: quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto. Et ideò necesse est, quòd determinetur, in tali casu votum non esse seruandum. Et si quidem absolutè determinetur, aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti: si autem pro hoc, quòd seruandũ erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti. Vnde minus est votum commutare, quàm in voto dispensare. Vtrumque tamen in potestate Ecclesiæ consistit. *In potestate inquam Ecclesiæ*: *nam* votum X est promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex eius pendet arbitrio. Prælatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei; & ideò in dispensatione, vel commutatione votorum requiritur Prælati authoritas, quæ in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum, secundùm illud 2. Cor. 2. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi*. Et signanter dicit, *propter vos*: quia omnis dispensatio petita à Prælato, debet fieri (*nota*) ad honorem Christi, in cuius persona dispensat: vel ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est eius corpus. *Eapropter* quia Y summus Pontifex gerit plenariè vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis. Alijs autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, vt habeant de facili homines, ad quem recurrant: sicut sunt vota peregrinationum, & ieiuniorum, & alia huiusmodi. Vota verò maiora, putà continentiæ, & peregrinationis Terræ Sanctæ reseruantur summo Pontifici. *DISCE piè ex voto reddere, quæ sunt Dei Deo. Quæ plura huc attinentia desiderantur, quæ re, & Vide apud Summistas. Vide* Iuramentum *Tomo 2.* & Religiosus.

T 2.2.88.11. & 186.8.ad 3. In 4.d.38.1.4. q.1.ad 3. Hen. ib.a.2.

Votum triplex commutationem admittit, & dispensationem & quare.

V 2.2.88.10. c. In 4.l.c.a.4. q.3.c.

Quid commutatio uoti, & dispensatio

Vtraque in Ecclesiæ potestate.

X 2.2.l.c.a.12. c. In 4.l.c.a.4. q.2.& 4.

Quid ad dispensationem exigatur, ut licitè fiat.

Y 2.2.l.c.ad 3.

Solus Papa in maioribus uotis dispensat: in minoribus, etiam inferiores Ecclesiæ Prælati.

VRBS.

VRBS. *Vide* Collegium *Tomo* 1.

V S V R A.

XI. Sicut alia iniustè acquisita tenetur homo restituere : ita pecuniam , quam per vsuram accepit. 2. 2. 78. 1. *fi. corp.*

Z Ma. 13 4. c. Vsura vnde dicatur. *A 2 2. 78 1. c. Ma. l. c. In 3. d. 37. 1. 6. c. Opu. 21.*

Z QVod *spectat ad nominis etymon*, vsura Z dicitur ab vsu , eo quòd scilicet pro vsu pecuniæ pretium quoddam accipitur : quasi ipse vsus pecuniæ mutuatæ vendatur. *Quocirca* sciendū est A quòd quædam res sunt , quarum vsus, est ipsarum rerum consumptio : sicut vinum consumimus , eo vtendo ad potum ; & triticum consumimus , eo vtendo ad cibum . Vnde in talibus non debet seorsim computari vsus rei à re ipsa ; sed cuicumqe conceditur vsus , ex hoc ipso conceditur res : & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium . Siquis ergo seorsum vellet vendere vinum , & vellet seorsum vendere vsum vini , venderet eandem rem bis , vel venderet id , quod non est : vnde manifestè per iniustitiam peccaret . Et simili ratione iniustitiam comittit qui mutuat vinum, aut triticum, petens sibi duas recompensationes , vnam quidem restitutionem æqualis rei , aliam verò pretium vsus , quod vsura dicitur . Quædam verò sunt, quorum vsus non est ipsa rei consumptio : sicut vsus domus est inhabitatio , non autem dissipatio . Et ideò in talibus seorsum potest vtrumque concedi ; putà cum aliquis tradit alteri dominium domus , reseruato sibi vsu ad aliquod tempus : vel è conuerso , cum quis concedit alicui vsum domus , reseruato sibi eius dominio . Et propter hoc licitè potest homo accipere pretium pro vsu domus , & præter hoc petere domum accommodatam : sicut patet in conductione , & locatione domus . Pecunia autem secundùm Philosophum *in 5. Ethic. & in 1. Polit.* principaliter est inuenta ad commutationes faciendas ; & ita proprius & principalis pecuniæ vsus, est ipsius consumptio , siue distractio, secundùm quod in commutationes expenditur . Et propter hoc secundùm se est illicitum pro vsu pecuniæ mutuæ accipere pretium : quod est vsura . *Sed & vlteriùs considerandum , quòd* secundùm B. Philosophum *in 4. Ethic.* Omne illud pro pecunia habetur , cuius pretium potest pecunia mensurari ; & ideò sicut si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacumque alia re , quæ ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit ex pacto tacito , vel expresso, peccat contra iustitiam : ita etiam quicumque ex pacto tacito , vel expresso quodcumque aliud acceperit , cuius pretium pecunia mensurari potest , simile peccatum incurrit . Si verò accipiat aliquid huiusmodi , non quasi exigens , nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum , non peccat , quia etiam antequam pecuniam mutuasset , licitè poterat aliquod donum gratis accipere , nec peioris ; conditionis efficitur per hoc , quòd mutuauit . Recompensationem verò eorum , quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere ; putà beneuolentiam & amorem eius, qui mutuauit , vel aliquid huiusmodi .

In quo consistat.

Ad quid pecunia inuenta principaliter.

B 2. 2. l. c. a. 2. c. Ma. l. c. ad 10 & 15. Nedum pecunia, sed nec quidpiam aliud , cuius pretium potest pecunia mensurari , accipi pro mutuo potest.

Non interdicitur merè gratuitum donum.

Ex qua , & præmissa doctrina benè sequitur , quòd dare C pecuniam mutuo ad vsuram, est peccatum mortale : nec ideò est peccatum, quia prohibitum , sed potiùs ideò est prohibitum , quia est secundùm se peccatum : est enim contra iustitia naturalem .

C Ma. loco cit. init. c. Quol. 3. a 19 Op. 4. de 7 præc § 1. Vsura est p. m. nec est malum, qua prohibitum ; sed proibitū quia malum : cum sit contra iustitiam naturalem.

a *Quòd si obiiciat , iustitiam per ciuiles leges determinari , secundùm quas tamen conceditur alicubi vsuras accipere .* Respondet *Author , quòd* leges D humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum , in quibus multæ vtilitates impedirentur , si omnia peccata districtè prohiberentur pœnis adhibitis ; & ideò vsuras lex humana concessit , non quasi existimans eas esse secundùm iustitiam , sed ne impedirentur vtilitates multorum . Vnde in ipso iure ciuili dicitur ; quòd res , quæ vsu consumuntur , nec ratione naturali neque ciuili recipiunt vsum fructum : & quòd senatus non fecit earum rerùm vsumfructum (non enim poterat) sed quasi vsum fructum constituit , concedens scilicet vsuras . Et Philosophus , naturali ratione ductus , dicit *in 1. Polit.* Quòd vsuraria acquisitio pecuniarum est maxime præter naturam . *Quem ad locum aduertit Authoris commentator , quòd* stando E infra terminos iuris diuini & naturalis , licitum est condere leges permissiuas vsurarum , propter vitandum maius malum , putà furta &c. Quemadmodum licitum est condere leges permissiuas meretricum propter vitanda adulteria . Nec huiusmodi leges sunt iniustæ : vnde in litera dicitur , quòd lex Moysi fuit talis , quam constat non esse iniquam . *Et ideò docemur , quòd* Iudæis F prohibitum fuit accipere vsuram à fratribus suis , scilicet Iudæis (*vt habetur Ex. 22. & Deut. 23.*) Per quod datur intelligi , quod accipere vsuram à quocumque homine , est simpliciter malum . Debemus enim omnem hominem habere quasi proximum , & fratrem , præcipuè in statu Euangelij , ad quod omnes vocantur . Vnde in Ps. 14. absolutè dicitur : *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram* . Et Ezech. 18. *Qui ad vsuram non commodauerit , & amplius non acceperit , vita viuet* . Quòd autem ab extraneis vsuram acciperent , non fuit eis concessum quasi licitum , sed permissum ad maius malum vitandum , ne scilicet à Iudæis Deum colentibus vsuras acciperent propter auaritiam , cui dediti erant , *vt habetur Is. 56.* Vnusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum . *Quòd autem Iudæis promittatur fœneratio tanquam iustitiæ præmium , Deut. 28.* Fœnerabis gentibus multis , & ipse à nullo fœnus accipies ; *dicendum est , quòd* fœnerare G quandoque largè accipitur pro mutuare , vt patet Eccli. 29. *Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt* ; idest non mutuauerunt . Mutuare autem pertinet ad eum , qui superabundat ; & ideò , quod dicitur , *fœnerabis* , intelligendum est , *mutuabis* . Vt per hoc detur intelligi , quòd in tantùm affluerent temporalibus bonis , quòd ipsi alijs mutuare possent , & à nullo mutuū indigerent accipere . *Sanè* intentio H legis erat assuefacere homines suis præceptis , ad hoc quòd sibi inuicem de facili in necessitatibus subuenirent ; quia hoc maximè est amicitiæ fomentum . Et hanc quidem facilitatem subueniendi non solùm statuit in his , quæ gratis & absolutè donantur ; sed etiam in his , quæ mutuò conceduntur : quia huiusmodi subuentio frequentior est , & pluribus necessaria . Huiusmodi autem subuentionis facilitatem multipliciter instituit. Primò quidem , vt faciles se præberent ad mutuum exhibendum ; nec ab hoc retraherentur , anno remissionis appropinquante , vt habetur Deut. 15. *Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio , & dicas in corde tuo :* Appropinquat septimus annus remissionis , & *auertas oculos tuos à*

paupere

Leges quædam ciuiles cur vsuras concedant. *D 2 2. 78. 1. ad 3. Ma. 13 4 ad 6. Op. 20. l. 3. c. 18. sub initio.*

E Caiet. 2. 2 l. c. ad 3.

Vsura simpliciter mala , vnde & Iudæis prohibita : solùm que permissa respectu exterorum ad maius vitandum malum. *F 2. 2. l. c. ad 2. Ma. l. c. ad 1. In 3 d. 37. 1. 6. ad 1. In 4. d. 3 2. 2. q. 2. c. & 1 2. 105. 3. ad 3.*

G Ma. l. c. ad 2. & 2. 2. l. c fi. Fœnerare quandoq; accipitur pro simplici mutuare.

H 1. 2. 105. 2. ad 4. Legis veteris conuenientia præcepta quo ad proximi subuentionē ; in mutuando præsertim.

paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum & fiat tibi in peccatum. Secundò, ne eum, cui mutuum concederent, grauarent vel usuris vel etiam aliqua pignora omninò vitæ necessaria accipiendo: &, si accepta fuerint, quòd statim restituerentur. Dicitur enim Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et Ex. 22. dicitur: *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.* Tertiò ut non importunè exigerent. Vnde ibidem dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor.* Et propter hoc etiam mandatur Deut. 24. *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, ut pignus auferas; sed stabis foris; & ille tibi proferet, quod habuerit:* tum quia domus est tutissimum unicuiusque receptaculum, unde molestum homini est, ut in domo sua inuadatur: tum etiam quia non concedit creditori, ut accipiat pignus, quod voluerit, sed magis debitori, ut det quo minùs indiguerit. *Hanc habent & seruant ad literam legem Iudæi: quantùm pudere debet Christianos aliquos, oppositum quotidiè operantes, pauperum oppressores acerbos!*

Christi præceptum in lege noua de mutuando sine usura, exponitur. *H Ma. 13. 4. ad 3. & 2. 2. 78. 1. ad 4. I 2. 2. loco cit. In 3. d. 37. 1. 6. ad 3.*

b *Et tamen, nulla permissa usura, apertè Christus D. N. & generaliter praecipit, Luc. 6.* Mutuum date, nihil inde sperantes. *Hoc autem negant aliqui esse praeceptum, pro simplici consilio verbum Domini exponentes. Et quidem* secundùm H superficiem literæ Euangelij, potest esse sensus, quod dare mutuum sit consilium (dare *enim* mutuum I non semper tenetur homo, *sed in sola proximi necessitate:*) sed si detur mutuum: quòd detur absque spe usurarij lucri, hoc est præceptum. Vel potest dici, quòd quædam sunt secundùm rei veritatem præcepta vel prohibitiones, quæ tamen sunt supra præcepta secundùm Pharisæorum intellectum: sicut *Matth.* 5. super hoc præceptum, *Non occides*, quod Pharisæi intelligebant de homicidio exteriori; Dominus superaddit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Et hoc modo, quantùm ad Pharisæos, existimantes, non esse prohibitum uniuersaliter, pecuniam ad usuram dari, ponitur inter consilia, ut detur mutuum absque spe usurarij lucri. Vel potest dici, quòd non loquitur ibi de spe usurarij lucri, sed de spe, quæ ponitur in homine: non enim debemus bona nostra facere, sperantes ab homine retributionem, sed à solo Deo. *Sanè absque spe usurarij lucri Tobiam legimus* (Tob. 4.) *mutuasse Gabelo in Rages decem talenta argenti. Vnde ibidem traditur ante mortem dixisse ad filium:* Perquire, quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supramemoratum pondus argenti: (*non maius, nec amplius*) & restituas ei chirographum suum. *At verò, ubi quid speret aliquis mutuum dando, non semper usuram committit, nisi tacitè, vel expressè in conditionem deducatur, vel pactum. Decemur enim, quòd* munus L aliquod vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio, potest usurarius sperare ex mutuo, quod concedit, dupliciter. *Vno modo* quasi debitum ex quadam obligatione tacita vel expressa: & sic quodcumque munus speres, illicitè sperat. *Alio modo* potest aliquod munus sperare, non quasi debitum, sed quasi gratuitum, & absque obligatione præstandum: & sic licitè potest ille, qui mutuat sperare aliquod munus ab eo; cui mutuat. Sicut, qui facit seruitium alicui, confidit de eo, ut amicabiliter suo tempore seruitium faciat. (*Purificandum sanè est cor mutuantium: quia si hoc gratuitum non recipiant, fortè non mutuarent, ut non rarò*

Non semper aliquid sperans mutuando, usuram committit. *L Ma. 13. 4. ad 13. & 2. 2. 78. 2. c.* Dupliciter potest aliquid sperari ex mutuo.

contingit, aliquos spe gratuiti semel mutuantes, hac spe frustratos nolle iterùm mutuare. Vide Caietanum 2. 2. 78. *ad 1. in Resp. ad 4.*) Alia tamen ratio est de Simoniaco, & de usurario. Quia Simoniacus non dat id, quod est suum, sed id, quod est Christi: & ideò non debet sperare aliquam recompensationem sibi faciendam, sed solum honorem Christi, & utilitatem Ecclesiæ: Sed usurarius, nihil alteri præstat, nisi quod suum est: unde potest aliquam amicabilem recompensationem sperare per modum prædictum: *Ex quo sequitur, quòd* sicut M creditor licitè potest minus accipere sua propria voluntate; ita etiam debitor potest sua propria voluntate amplius dare; & ille, cui dat, licitè recipere. Sed si hoc deducatur in pactum mutui, pactum est illicitum, & illicita acceptio. *Caterùm* ille N qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere: hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse, quòd accipiens mutuum, maius damnum euitet, quàm dans incurrat. Vnde accipiens mutuum cum sua utilitate, damnum alterius recompensat. Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quòd de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo. *Notandum præterea, quòd* ex pecunia O mutuata potest ille, qui mutuat incurrere damnum rei, iam habitæ dupliciter. *Vno modo* ex quo non redditur sibi pecunia, statuto termino: & in tali casu ille, qui mutuum accepit, tenetur ad interesse. *Alio modo* infra tempus deputatum: & tunc non tenetur ad interesse ille, qui mutuum accepit. Debebat enim ille, qui pecuniam mutuauit, sibi cauisse, ne detrimentum incurreret. Nec ille, qui mutuò accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis. Et est etiam simile in emptione. Qui enim emit rem aliquam, tantum pro ea iustè dat, quantum valet: non autem quantum ille, qui vendit, ex eius carentia damnificatur. *Enimuerò nec usurarius dicitur, nec verò est qui pecuniam mercatori, artifici, aut alii huiusmodi dat, ut ex opera, aut negotiatione alterius sibi aliquid lucretur. Nam* ille P qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat: unde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam, & tenetur eam restituere integrè: unde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit. Sed ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici, per modum societatis cuiusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet eius, ita quòd cum periculo ipsius mercator de ea negociatur, vel artifex operatur. Et ideò sic licitè potest partem lucri, inde prouenientis, expetere, tanquam de re sua. *Apud emptores etiam & venditores, non rarò & usura contingit.* Si enim aliquis Q cariùs velit vendere res suas, quàm sit iustum pretium, ut de pecunia soluenda emptorem expectet, manifestè usura committitur: quia huiusmodi expectatio pretii soluendi habet rationem mutui. Vnde quicquid ultra iustum pretium, pro huiusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter etiam si quis emptor velit rem emere viliùs, quàm sit iustum pretium, eoquod pecuniam antè soluit, quàm possit ei res tradi, est peccatum usuræ: quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cuius quoddam pretium est quod diminuitur de iusto

M Ma. l. c. ad 10.

N 2. 2. 78. 2 ad 1. & a. 3. c. Opusc. 21.

Recompensatio damni licitè in pactū deducitur.

O Ma. 13. 4. ad 14. In 3. d. 37. 1. 6. ad 4.

P 2. 2. 78. 2. ad 5. In 3. l. c. ad 5.

Dans pecuniam mercatori, aut alii, ut ex eius negociatione aliquid lucretur, usurarius non est.

Mutuans pecuniam, transfert pecuniæ dominium in eum, cui mutuat.

Q Ibid. ad 7.

Emptorum & Venditorum usura.

pretio

pretio rei emptæ. Si verò aliquis de iusto pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato usuræ.

Soluitur obiectio.

c *Ad hæc autem, quæ præmisimus, opponet fortasiè quispiam, licitè posse pro argenteis vasis vel aureis accommodatis pretium accipi: igitur & ex argento, vel auro monetarum mutuato, cum non differant specie aurea, vel argentea moneta, & vasa. Sed dicendum, quòd* vius R principalis vasorum argenteorum non est ipsa eorum consumptio: & ideò vsus eorum potest vendi licitè, seruato dominio rei. Vsus autem principa'is pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes: vnde non licet eius vsum vendere, cum hoc, quòd aliquis velit eius restitutionem, quod mutuò dedit. Sciendum tamen, quòd secundarius vsus vasorum argenteorum posset esse commutatio: & talem vsum eorum non liceret vendere. Et similiter potest esse aliquis secundarius vsus pecuniæ argenteæ: vt putà, si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem vsum pecuniæ licitè homo vendere potest. *At verò* si quis S pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cuius vsus pretio æstimari potest, debet vsum illius rei ille, qui mutuauit, computare in restitutionem eius, quod mutuauit. Alioquin, si vsum illius rei, quasi gratis superaddi velit, idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est vsurarium: nisi fortè esset talis res, cuius vsus sine pretio soleat concedi inter amicos; sicut patet de libro accommodato. *Neque licitam fieri usuram putandum est, eo quòd Dominus (nostrum in omnibus exemplar) de seipso prompserit Luc.* 19. Ego veniens, cum vsuris exegissem illam, *pecuniam scilicet mutuatam*. Vsuræ *enim* ibi T metaphoricè dicuntur superexcrescentiæ spiritualium bonorum, quas Deus requirit à nobis propter nostram vtilitatem. Ex metaphoricis autem locutionibus non potest argumentatio trahi. *Quòd si quæras, an liceat mutuum accipere sub usura?* Dicendum, *quòd ab vsurario parato & vsuras, iam exercente licet accipere, si necessitas exigat, nec aliàs quis habeat à quo sine vsura accipere possit. Nam* aliud est V consentire alicui in malitia: aliud est vti malitia alicuius ad bonum. Ille enim in malitia consentit, cui placet, vt ille malitiam exerceat; & ad hoc fortè eum inducit: & hoc est semper peccatum. Vtitur autem aliquis malitia alicuius, qui hoc, quòd aliquis malum facit, retorquet ad aliquod bonum. Et sic etiam Deus vtitur peccatis hominum, ex eis eliciens aliquod bonum. Vnde & homini licet vti peccato alterius in bonum. Ita etiam X in proposito dicendum est, quòd nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere & vsuras exercet, mutuum accipere sub vsuris propter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc, quòd non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismahel: *Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei, & olei & mellis. Et cessauit: & non interfecit eos*, vt dicitur Jer. 41.

R 2.2.78.1.ad 6 Mal. 13. 4. ad 15.

S 2.2.78.2. ad 6.

Quid de vsu pignoris.

T Ma. 13. 4. ad 16. & 2. 2. l. c. ad 1. Mat. 25. lit. b. ibi cum vsura.

V Ma. ibid. ad 17. & 2.2.78. .c.

An liceat mutuum accipere sub vsura.

X 2.2. l. c. & ad 1. Ma. l. c. & ad 18. & 13 in 3. d. 37. 1. 6. ad 6.

Vsurariè acquisitum restituendum.

d *Cum autem contra iustitia æqualitatem usura sit, vt ab initio præmissum est: consequenter, quod vsurariè quis acquisiuit, restituere necessariò debet. Quod ut clariùs pateat, sciendum, quia (vt superiùs dictum est)* res Y quædam sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, quæ non habent vsumfructum secundùm iura: & ideò si talia fuerint per vsuram extorta, putà denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiusmodi, non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit, quia id, quod de tali re est acquisitum, non est fructus huiusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi fortè per detentionem talis rei, alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis, tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti. Quædam verò res sunt, quarum vsus non est earum consumptio: & talia habent vsumfructum, sicut domus, & ager, & alia huiusmodi. Et ideò, si quis domum alterius, vel agrum per vsuram extorsisset, non solùm tenetur restituere domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est Dominus; & ideò ei debentur. *Affertur autem hanc ad rem, sicut dicitur*, Extra de vsuris, *Decretalis*. Cum sicut asseris, *in qua habetur*: Possessiones, quæ vsuris sunt comparatæ, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus sunt extorta, restitui. *Ad quam notat Author, quòd* possessiones Z quæ de vsuris sunt comparatæ, non sunt eorum, quorum sunt vsuræ, sed illorum, qui eas emerunt: sunt tamen obligatæ illis, à quibus fuerunt vsuræ acceptæ, sicut & alia bona vsurarij. Et ideò non præcipitur, quòd assignentur illæ possessiones his, à quibus fuerunt acceptæ vsuræ, quia fortè plus valent, quàm vsuræ, quas dederunt: sed præcipitur, quòd vendantur possessiones, vt earum pretia restituantur, scilicet secundùm quantitatem vsuræ acceptæ. *Et hoc est, quod aiebat initio Author*: Sicut A alia iniustè acquisita tenetur homo restituere: ita pecuniam, quam per vsuram accepit.

Y 2.2.78.3.c. Quol. 3. a. 19.

Z 2.2. l. c. ad 2.

A 2.2.78.1. fi. c.

Moralitas.

Nec tamen aut grauitas culpæ, aut restitutionis obligatio, potuit vnquam homines à turpi vsurario lucro retrahere. Nunquam vtique, & nusquam cohibuit: nulla enim in Orbe vniuerso ciuitas extat, de qua verum non habeat quod ait Psaltes Ps. 54. Non defecit de plateis eius vsura & dolus. *Et hoc ex auaritia ingluuie, quæ* nunquam dicit: sufficit. Siquidem appetitus B diuitiarum artificialium est infinitus: quia deseruit concupiscentiæ inordinatæ, quæ *ex 1. Polit.* non modificatur. *Vnde dicitur Bar. 3.* Aurum, in quo confidunt homines: & non est finis acquisitionis eorum. *Et Eccle. 5.* Auarus non implebitur pecunia. *Nec homines hi tenacissimi, aurique insatiabiles, verborum Apostoli meminerunt 1. Tim. 6.* Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. *Etenim* primò C incidunt in damnum spirituale; vnde dicit: *errauerunt à fide*. Cuius ratio est, quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus desistere nolunt: & inueniunt aliam doctrinam, vt eis sit spes salutis. Et hoc specialiter faciunt vsurarij (*quærentes palliare vsuras suas, subtiliter speculantes; acutiores, quàm ipsimet Confessarii, metaphysici: vellent enim posse simul* seruire Deo & mammonæ: *at ex verbo Domini* nemo potest. *Et ò vtinam sibi fauentes confessarios non inuenirent interdum, vt sic* ambo in foueam cadant. *Ex quo à summis Pontificibus tot damnata falsa aliquorum asserta sunt.*) Secundò quia *inseruerunt se doloribus multis*, etiam in præsenti: est enim sollicitudo in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, Job. 20. *Cum satiatus fuerit*, scilicet diuitijs, *arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum*. Et multò magis in futuro dolebunt. *Quod misericorditer Deus auertat. Ex præmissis autem doctrinis plures ac plures resolui possunt casus, quos fusè legere poteris apud* Caietanum *præsertim*, 2. 2. 78. ad a. 1. & 2. *& apud Summistas*,

Vsura ex auaritia.

B 1.2.2.1. ad 3. & 9.30.4. c. Op. 4. §. de 9. præc.

Appetitus diuitiarum infinitus.

C 1. Tim. 6. l. 2. ibi.

Quærunt Vsurarij doctrinam sibi fauentem, sed cum animæ detrimento.

stas. DISCE, *quod gratis à Deo accepisti, propter Deum gratis dare. Vide* Auaritia *Tomo* 1. Diues Furtum *Tomo* 2. Negociator.

VTILE. *Vide* Amicitia, Bonum *Tomo* 1.

VXOR. *Vide* Adulterium *Tomo* 1. Matrimonium, Mulier.

Z

ZELOTYPIA. *Vide* Adulterium, Amor *Tomo* 1. Matrimonium, Mulier, Zelus.

ZELVS.

I. Nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere debemus: Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre. 3. *p*.41.4. *ad* 6.

D Cor 14. *l*. 1. *ibi*, æmulamini, *&* c. 3. *l*. 1. *ibi* zelus *&* 2. *Cor*. 11. *l*. 1 *ibi*, æmulor. *Gal*. 4. *l*. 5. *fi*. *Ver*. 25. 4. *ad* 8. *In* 3. *d*. 26. 1. 3. *c*. *de Diu. Nom*. *c*. 4. *l*. 10 *fi*.

Aliquis zelus diffinitur quòd sit *amor intensus, non patiens consortium in amato*.

Quod non contingit in spiritualibus.

F 1. 2. 28. 4. *c*. *&* 2. 2. 36. 2. *Ma* 10. 1. *ad* 11. *& loc. cit*.

Multiplex clarè distinguitur zelus, qui ex intensione amoris prouenit, quomodocúque sumatur.

Zelus ex amore concupiscentiæ.

F 4. *d*. 33 1. 1 *ad* 8.

a TAmetsi *zelus*, *siue* æmulatio D quandoque sumatur pro feruenti dilectione, quandoque pro inuidia; tamen non est æquiuocatio; immò unum procedit ab alio. Zelari enim & æmulari designat feruentem amorem alicuius rei: contingit autem, quòd res amata ita diligatur feruenter ab aliquo, quòd non patitur sibi consortem, sed ipse vult eam solus, & singulariter. Et iste est zelus, qui secundùm quosdam *est amor intensus non patiens consortium in amato*. Hoc tamen non contingit in spiritualibus, quæ possunt perfectissimè a multis participari: sed solùm in illis, quæ à multis participari non possunt. Vnde in charitate non est huiusmodi zelus, non patiens consortium in amato: (*qui enim verè amat Deum, intensè immò desiderat, ut omnes ament*:) sed est in corporalibus, in quibus prouenit, quòd si aliquis habet illud, quod ipse zelat, doleat: & ex hoc consurgit æmulatio, quæ est inuidia. *Igitur, ut clariùs procedamus*, quocumque E modo sumatur zelus, ex intentione amoris prouenit. Manifestum est enim, quòd quantò aliqua virtus intensiùs tendit in aliquid, tanto fortiùs repellit omne contrarium, vel repugnans. Cum igitur amor sit quidam motus in amatum (*ut ait Augustinus in lib.* 83. *Quæst*.) intensius amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat. Aliter tamen hoc contingit in amore concupiscentiæ, & aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiscentiæ qui intensè aliquid concupiscit, mouetur contra omne illud, quod repugnat consecutioni, vel fruitioni quietæ eius, quod amatur. Et hoc modo dicuntur viri zelare uxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærunt, (*& quidem* tam F in hominibus quàm in animalibus, inuenitur maior zelus maris ad fœminam, quàm è conuerso: *de quo zelo, siue zelotypia, vide* Adulterium, Amor *Tomo* 1. Matrimonium, Mulier *suprà*.) Similiter etiam qui excellentiam quærunt, mouentur contra eos, qui excellere videntur, quasi impedientes excellentiam eorum: & iste est zelus inuidiæ (*unde & prouerbium*: Æmulatio inter artifices. *In hoc autem zelus bonus ab inuidia distinguitur*, *quòd* inuidia G est cum aliquis tristatur de hoc, quòd proximus habet bona, quæ ipse non habet: zelus autem est, cum aliquis tristatur de hoc, quòd ipse non habet bona, quæ proximus habet, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 12. *Æmulamini charismata meliora*.) Amor autem amicitiæ quærit bonum amici: unde quando est intensus, facit hominem moueri contra omne illud, quod repugnat bono amici. Et secundùm hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando si qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea, quæ fiunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundũ posse conatur, secundùm illud 3. Re. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ*.

Zelus inuidiæ.

G Ma. 11. 1. *ad* 11. *Ver*. 26. 4. *fi*. *c*. *&* 2. 2. 36. 2. *c*. *& ad* 3. *In* 3. *d*. 26. 1. 3. *c*. *&* 1. *Cor*. 14. *l*. 1.

Zelus ex amore amicitiæ.

Amicitiæ signum zelare pro amico.

Zelus Dei, & eius legis.

b *Et ita zelabatur Apostolus* 2. *Cor*. 11. Æmulor enim vos Dei æmulatione. *Vbi docemur, quòd* bono H zelo, seu æmulatione, aliquando quis æmulatur alios pro se: sicut vir zelatur pro uxore sua, quam sibi soli vult seruari. Aliquando verò zelatur aliquis, pro alio: sicut Eunuchus zelatur uxorem Domini sui, ut custodiat eam illi. Sic Apostolus populum suum æmulabatur, ne Christus, sponsus verus, in eis aliquod diaboli consortium pateretur. Et ideò dicit, *Dei æmulatione*. Quasi dicat: Non pro me; sed pro Christo, qui est sponsus Ecclesiæ, *Io*. 3. Qui habet sponsam, sponsus est. (*Est autem hic zelus propriæ iustificationis index. Docemur enim, quòd* primum I quod sequitur ex quo homo est iustificatus à peccato, est quod ipse habet zelum animarum) *Vnde &* 2. *Timoth*. 2. *dicebat*: Omnia sustineo propter electos &c. *scilicet* propter L salutem proximorum, *pro quibus zelabatur, quia* charitas (*ex cuius intensione sanctus zelus*) omnia suffert, omnia sustinet. *Ex quo subdit*: ut & ipsi salutem consequantur: *zelus namque charitatis vult, bona omnia spiritualia omnibus communicari: non sic zelus inuidiæ, quæ singulariter bonum vult temporale, ut præmissum est. Hinc ad illud* 1. *Cor*. 3. Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? *considerat Author, quòd* rectè M coniungit zelum, & contentionem, quia zelus, idest inuidia, est contentionis materia. Inuidus enim tristatur de bono alterius, quod ille nititur promouere: & ex hoc sequitur contentio. Vnde Iac. 3. *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum*. Et similiter è conuerso, charitas quæ diligit bonum alterius, est materia pacis. Sed considerandum est, quòd zelus & contentio non habet locum, nisi in carnalibus hominibus, quia ipsi circa bona corporalia afficiuntur, quæ simul à pluribus integrè possideri non possunt. Et ideò propter hoc, quòd aliquis aliquod bonum corporale possidet, alius impeditur à plena possessione illius: & ex hoc sequitur inuidia, & per consequens contentio. Vnde dicit, *nonne carnales estis*? Sed spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul à pluribus possideri possunt: & ideò bonum unius non est impeditiuum alterius; & propter hoc in talibus nec inuidia nec contentio locum habet. *Vnde dicitur Sap*. 7. Sine inuidia communico. *Ad hunc pariter bonum zelum reducitur & ira per zelum dicta: de qua Apostolus ex Ps*. 4. *ad Eph*. 4. Irascimini: & nolite peccare. *Vbi notandũ, quòd* duplex est N species iræ: quæ-

H 2. *Cor*. 11. *l*. 1. *ibi*.

Qualis in Apostolo.

I Mat. 1. *lir*. *b*. *ibi*, Salmon.

Zelus animarum, propriæ iustificationis index.

L 2. *Tim*. 2. *l*. 2. *ibi*.

M 1 *Cor*. 3. *l*. 1. *ibi*, *& c*. 14. *l*. 1. *ibi*, æmulamini.

Zelus inuidiæ materia contentionis; zelus charitatis materia pacis.

Zelus præfatus & contentio habent locum in carnalibus non in spiritualibus.

N Eph. 4. *l*. 8. *ibi*, *Ps*. 4. *lit*. *d*. *Op*. 4. *des*. *grat*. 6. 2.

Duplex iræ species: bon & mala.

quædam bona, quædam mala. Mala quidem, quando inordinatè tendit in vindictam, scilicet contra iustitiam. Bona verò, quando in vindictam debitam; cum scilicet quis irascitur, quando oportet, cum quibus, & quantum oportet. Et de vtraque potest exponi. Si de mala, sic est sensus: Non præcipit, sed permittit; *Quasi dicat*: si sic est, quòd motus iræ insurgat, quod humanum est; *nolite peccare*; idest, nolite perducere ad effectum per consensum. Si autem exponatur de bona, sic tenet, non solùm permissiuè, sed imperatiuè. *Irascimini*, scilicet contra peccata vestra: *& nolite peccare*, scilicet de cætero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. Sicut autem contra se ipsum quis irascitur propter peccata propria, ita proximo suo propter sua: ergo *irascimini* contra vitia aliena, & hoc cum zelo: *& nolite peccare* præueniendo rationem, sed potiùs sequendo. *Hinc regius Propheta Ps.* 72. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. *Et quidem* tunc O irasci est actus virtutis, & dicitur ira per zelum. Vnde & Philosophus dicit, quòd *mansuetudo non est, nullo modo irasci*. Ista ergo ira non est peccatum: *immò commendabilis & meritoria; sicut interna ex zelo mæstitia & afflictio spiritus propter proximorum peccata. Vnde & Dauid dicebat Ps.* 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. *Et iterùm*: Vidi præuaricantes, & tabescebam.

Ira per zelum bona.

O Opusc 4. l.c. & 3.p.15.9.c.

c *At verò præfata per zelum ira, ordinata esse debet. Ex quo illud idem exponitur*: Irascimini, *scilicet* contra P vitia aliorum: *& tamen nolite peccare*, eos inordinatè corrigendo, quia debet ira dirigi per rationem. *Aliòquì bonus zelus non est, sed inordinatus & indiscretus. Vnde Apostolus, Eph.* 4. Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate. *Etenim* cùm inordinatè Q zelantes, omnia, quæ vident iudicant, nec tempus, nec locum seruantes, concitatur turbatio in societate. Et ideò dicit: *Supportantes inuicem in charitate*, scilicet mutuò sustinentes defectus aliorum; & hoc ex charitate: quia quando deficit aliquis, non debet statim corrigi, nisi adsit locus, & tempus: sed misericorditer expectari; quia charitas *omnia sustinet*, vt dicitur 1. *Cor.* 13. *Monitum sit claustrali, tam subdito, quàm Prælato, ne inordinatè zeletur confratris defectum quempiam. Vnde Apostolus ad Gal.* 6. Fratres; etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu leuitatis. *Siquidem* spirituales R viri non sunt nimis rigidi in corrigendo. Nam hoc Spiritus Mundi facit (*nota*) sed Spiritus Sanctus (*à quo verus est zelus & sanctus*) suauitatem quandam & dulcorem efficit in homine; ideò dicit, *in spiritu lenitatis*, Ps. 140. *Corripiet me iustus in misericordia &c.* Subdit autem: *considerans te ipsum, ne & tu tenteris*. Quasi dicat: quia scilicet & tu fragilis es. Nihil autem ita frangit hominis seueritatem in corrigendo, quàm timor proprij casus, *Eccles.* 31. Intellige, quæ sunt proximi tui, ex te ipso. *Aliter, si zelus est indiscretus pariter sæpè sæpius dissensio magis, quàm emendatio, Iac.* 3. Vbi zelus *ex passione inordinatus*, & contentio, *quæ ex tali zelo oritur*, ibi inconstantia & omne opus prauum. *Prælatus verò indiscreti feruorem zeli charitate temperet & misericordia: sic & Principes erudiebat, monebat Author* Ignis S zeli ardere debet in oleo misericordiæ; deficiente verò hoc oleo, ignis zeli destruit Principem: sicut si desit oleum materiale, ignis destruit lampadem. Misericordia debet mouere Principes ad naturam; zelus verò iustitiæ contra culpam. *Augustinus* Duo sunt nomina; homo, peccator: quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere. *Sed & imprudens aliquorum damnatur zelus, ex ignorantia procedens: quem idcircò sine scientia vocat Apostolus Rom.* 10. Æmulationem quidem Dei habent, sed non secundùm scientiam. *Quod utique dicit de Iudæis*: quia scilicet T zelo Dei Christum & eius membra persequuntur: (Et huius rei testis esse poterat: quia & ipse aliquando fuerat in simili causa, Philip. 3. *Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei &c.* Et 1. Tim. 1. *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*) *Sed non secundùm scientiam*: quia scilicet eorum zelus per rectam scientiam non ordinatur, dum ignorant veritatem: *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, Is. 5. *Et ita exponitur illud Io.* 16. Absque Synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Nam* ideò V putabant, Deo se præstare obsequium, quia zelum Dei habebant, *sed non secundùm scientiam*: credebant enim, quòd defereret Deum Israel quicumque conuerteretur ad Christum.

P Ps. 4. lit. d.

Zelus damnatur inordinatus & indiscretus, ex quo plus mali, quàm boni.

Q Eph. 4. l. 1.

R Ad Gal. 6. l. 1. ibi.

Misericordia temperandus.

S Od. de er. Pr. l. 1. c. 15.

Zelus sine scientia.

T Rom. 10. l. 5. ibi Eph 3. l. 6. ibi, scientiæ.

V Io. 16. l. 1. lit. b.

d *Quòd si quæras, an in Deo sit zelus, sicuti perfectissimus est amor? sublimibus iis verbis respondet* Dionysius *cap.* 4. *de Diu. Nom.* Propter quod, qui fortes sunt in diuinis, ipsum zelotem appellant, sicut multum in bono amore ad existentia, & sicut excitatiuum ad zelum desiderij ipsius amatiui, & sicut zelotem ipsum demonstrantes, per quem & desiderata sunt zelabilia &c. *Propter quod qui fortes sunt in diuinis*: illi X scilicet (*exponit Author*) qui sunt excellentes in cognitione diuinorum, *ipsum zelotem appellant &c.*, idest nominant Deum zelantem, vt patet Ex. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes*: quia habet multum de amore *ad existentiam creaturarum*. Zelus autem importat intensionem amoris, non patiens consortium in amato. Sed hoc excludit à diuino zelo, cum subdit: *& sicut excitatiuum ad zelum desiderij ipsius amatiui*: facit enim quòd illud quidem, quod amat ipse, etiam ab alijs ametur. Amor autem in nobis causatur, & similiter zelus, ex pulchritudine & bonitate. Non enim ideò aliquid est pulchrum, quia nos illud amamus: sed quia est pulchrum & bonum, ideò amatur à nobis. Voluntas enim nostra non est causa rerum, sed à rebus mouetur. Voluntas autem Dei est causa rerum, & ideò amor suus facit bona ea, quæ amat, & non è conuerso. Et hoc est, quod dicitur, quod Deus dicitur zelotes, *sicut per quem fiunt zelabilia*, idest intensè amabilia, ea quæ sunt volita, vel *desiderata* ab ipso, vel à quibuscumque alijs.

An in Deo sit zelus.

X De diu. Nom. c. 4. l. 10. ß.

e *Cæterùm zelus Dei, siue pro Dei honore contingat & prouiniat cuiuscumque bono zelo, siue de salute proximi, siue de virtutum æmulatione habeatur. Cuius exemplum nobis ad imitandum exhibuit Christus Dominus noster, cum Io.* 2. *ex honoris zelo diuini Patris templum mercationibus profanantes, ab eo flagellis eiecit, illud subticiens*: Nolite facere domum Patris mei domum negociationis; *mox que adnectitur*: Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: *zelus domus tuæ comedit me*. Ille Y igitur propriè zelum Dei habet, qui nil patienter sustinere potest contra honorem Dei, quem maximè diligit (*secùs non diligere arguitur.*) 3. Reg. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*. Nos autem debemus diligere Domum Domini, secundùm illud Psal. 25. *Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: Et in tantum debemus diligere, quòd zelus eius non comedat: dum si quid contrarium fieri videbimus, studeamus etiam quantumcumque chari

Christus exemplo suo ostendit, qualiter debeamus pro Dei honore zelari.

Y Io. 2. l. 2. ß.

Xxx 2 nostri

sint, qui hoc faciant, remouere, nec timeamus propter hoc aliqua mala perpeti. Vnde dicitur *in glossa*: Bonus zelus est feruor animi, quo quis mortis abiecto timore, pro defensione veritatis accenditur. Eo comeditur qui quælibet praua, quæ viderit, corrigere satagit: & si nequit, tolerat, & gemit. *Hi autem à Deo tanquam sui honoris zelatores feruidi, singulariter signantur; unde dicitur Ezech. 9.* Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. *Hinc est etiam, quòd idem Christus Dominus*, cum Z passus fuisset tentationis iniuriam, dicente diabolo, *Si filius Dei es, mitte te deorsum*; non est turbatus, nec diabolum increpauit. Quando verò diabolus Dei sibi vsurpauit honorem, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, exasperatus est, & repulit eum, dicens: *Vade Satana*. Vt nos illius discamus exemplo, nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere; Dei autem iniurias nec vsque ad auditum sufferre. *Quod aiebat initio Author. Non secus diuini honoris, ac legis feruenti percitus zelo, operatus est & egregius vir* Mathathias, *de quo habetur 1. Mach. 2. quòd ubi* accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis secundùm iussum Regis, vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius (*vide feruidi zeli vim*) & accensus est furor eius secundùm iudicium legis (*ne inordinatus videretur*) & insiliens, trucidauit eum super aram: sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit: & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi. *Hic enim contra Domini Moysique mandatum (ut habetur. Num. 25.)* intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, surrexit (*Dei zelo excitatus*) de medio multitudinis: & arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus. *Et mox subditur*: Cessauitque plaga à filijs Israel; & occisi sunt 24. millia hominum, *eo quòd* fornicatus fuerat populus cum filiabus Moab, *ut ibid. præmittitur. Quàm gratus autem Deo fuerit hic Phinees zelus, ex sequentibus coniice. Subditur enim ibi*; Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei: & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum (*quasi, ita Dei honorem zelando, sacrificium Deo obtulisset*:) quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel. *Quantæ virtutis, & meriti zelus honoris Dei! At nos abominationes siue in Templo, siue ad extra intuentes, tantum abest, quòd hinc sancto inardescamus zelo, vt immò ipsis cooperemur malis, vel saltem mundano timore perculsi dissimulemus: quasi Dei honoris vindicationem procurantibus, aliqua nobis inuratur infamiæ nota: cum tamen Dei zelum habentes, nullatenùs confundantur, ex illo Eccli. 51.* Zelatus sum bonum, & non confundar. *Verùm* qui me erubuerit (*ait Dominus Luc. 9.*) & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Quòd si priuati id negligunt homines, non ita negligere debet euangelicam publicè tradens Apostolico ex munere veritatem.* DISCAT *honoris Dei & animarum salutis zelo feruere Apostolicus quisque concionator. Cuius in omnibus exemplar perspicuum, noster exhibitus est* THOMISTICVS ECCLESIASTES.

Et hic Tomo 3. *totique Sacro-morali huic Operi, Deo misericorditer opitulante, complementum damus: sub fausta die 11. Septembris*, SANCTISSIMO MARIÆ DEIPARÆ *Nomini hoc anno sacra, 1695. ætatis meæ 64. ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Angelici Doctoris gloriam, & omnium Christi fidelium vtilitatem. Amen.*

Z 3 p 41. 4. ad 6. & 2. 2. 108. 1 ad 2. Mat. 4. lit. a. ibi, si cadens, & cap. 26. lit. g. ibi Tu dixisti.

Iniurias nostras tolerare propter Deũ debemus Dei autem iniurias nec usq; ad auditum sufferre.

Mathathiæ zelus.

Et Phinees.

Quanti faciat Deus zelum honoris sui.

Quam rarò Dei honoré zelamur.

Hoc zelo pollere debet Apostolicus Concionator.

Quicquid toto in hoc Opere Sancti Thomæ Collector expressit, sano certoque iudicio S. R. E. corrigendum promptè substernit.

Tertij & Postremi Tomi

F I N I S.

Collaudetur Christus Rex gloriæ; Qui per THOMAM lumen Ecclesiæ Mundum replet doctrina gratiæ.

Eius-



Eiusdem

THOMISTICI COLLECTORIS

BREVIS EXPOSITIO

Super Antiphonam

SALVE REGINA

Ex doctrina vtplurimùm Angelici Præceptoris.

A Lib 4. c. 22.
B Lib 2. c. 84.
C Chron. Mar. sub an. 1054.

DEuotissimam hanc ac vetustissimam ad MARIAM Virginem precationem, pium fuisse adinuentum Petri Episcopi Compostellani, tradit Durandus A. Alij Hermanno Contracto Monacho Augiensi attribuunt, vt ex Tritemio B. & Gabriele Bucelino C. Quem quidem Hermannum postremus hic scriptor & illarum authorem facit antiphonarum, *Alma Redemptoris mater*: & *Aue Regina Cælorum*: quippe qui erga Deiparam pietatis viscera gestabat, & reuerentialis amoris. Hanc D. Bernardus (cliens ille Mariæ addictissimus) maxima spiritus dulcedine frequentissimè recitare consueuerat. Quod vbi Spirensis Clerus resciuit, sanctum Virum, Germaniam pro peccatorum conuersione peragrantem, ad cathedralem Basilicam aliquando inuitauit: eamque ingrediente, antiphonam hanc plenis vocibus concinuit. Qua non sine ingenti sui cordis iubilo audita, flexis genibus ea deuotissimè subtexuit suauissima verba: *O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo* MARIA. Quibus terminatis & benignissima Virgo resalutare dignata est; ad eum subijciens: *Salue Bernarde*. In cuius memoriam rei (ex eodem Bucelino D.) ipsamet Bernardi verba, tribus æreis laminis incisa, vbi Vir Dei ad hæc promenda genua defixit, vsque hodie leguntur. Cæterùm versiculum illum, *Dignare me laudare te &c.* à Sancto Ephrem adiectum, refert ex Cornelio Scultingio E Dominicus Magri Verbo, *Salue Regina*. Porrò salutationem eiusmodi totius approbauit Ecclesiæ deuotio, & complexa est: priuatimque & publicè, intra & extra choros, à fidelibus omnibus tum secularibus tum Ecclesiasticis & Regularibus maxima deuotione frequentatur.

D Idem sub ann. 1142. & 1149.

E Tom. 4 p. 3 de pecul. Miss.

Quin apud Dominicanos nostros quotidie post Completorium solemniter in medio Templi ex instituto cantatur. Cui proinde, dum cantatur, tam seculares quam religiosi deuotè assistentes, multorum dierum Indulgentias à pluribus Summis Pontificibus benignè concessas, toties quoties adfuerint, consequuntur. Sanè deuotum hocce institutum ab Ordinis nostri primordijs originem traxisse constat. Propter assiduas etenim eo tempore in fratres communis hostis molestias, & crebros insultus (quòd non exiguæ essent hi Ecclesiæ vtilitati & profectui) sub B. Iordano Saxone, primo post S.P. Dominicum Magistro Generali Ordinis, in Capitulo Generali Parisiensi (alijs Bononiensi) anno 1224. ad opem Virginis impetrandam decretum est, vt de cætero in singulis Conuentibus & Monasterijs fratrum, & sororum Ordinis, exirent hi bini & bini post completorium à Choro; & incepta cum cantu *Salue Regina*, processionaliter ad medium Ecclesiæ canendo venirent, ibique, versis ad inuicem vultibus, hinc inde stantes (ex Capitulo tamen Valentino 1647. Ordinatione 16. ad ea verba, *Eia ergo aduocata nostra*, vsque ad illa, *nobis post exilium ostende*, genuflectere fratres debent, verso vultu ad altare, vel chorus contra chorum) ad finem vsque prosequerentur, expletaque Oratione *Concede nos &c.* ad chorum regressum facerent. Interim dum *Salue Regina* cantatur, duo Sacerdotes lustrali fratres aqua hinc inde respergunt, simulque laicos adstantes, quasi Virginis nomine benedicentes: ceu quæ, verba illa O *dulcis Virgo* MARIA fratribus cum corporis deflexione concinentibus, à pluribus visa est & ipsa suam benedictionem impertiri. Sed & deuota quædam fœmina ex Lombardia, in spiritu eleuata, vidit aliquando ipsam Deiparam, ad ea verba, *& spes nostra salue*, canentes fratres benignissimè resalutantem: & ad illa, *Eia ergo aduocata nostra*, supplicem ad thronum Filij pro ijsdem preces fundentem: & ad sequentia, *illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*, sua in eosdem figentem lumina, dulcique simul aspectu consolantem: demum ad postrema verba, *& Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*, Iesum infantulum suis vlnis excipientem, singulisque fratribus vultu hilari præsentantem. Hæc, aut his similia, plures alios diuersis temporibus conspexisse

xisse tradunt F: inter quos D. Maria Tarasconensis, Clementis Papæ IV. germana soror, vt in quadam Epistola, ad Priorem Patresque Conuentus Montis Pessulani directa, ipsemet Pontifex narrat. Ex quibus innotescit satis, quàm gratum Deiparæ fuerit hoc Ordinis nostri votum piissimum, & obsequium deuotum. Sed iam ad expositionem accedamus.

F Chron. Prædic. apud Castill. 1 p. l. 1. c. 62. Pio de Vir. illustr. l. 2 pag 346. & alios.

SALVE. Verbum hoc defectiuum, nedùm ad salutem adprecandam, sed potissimè in reuerentiæ signum & obsequii inductum est. Hinc 2. Reg. 18. legimus, quòd cum Achimaas ad Regem Dauid accessisset, salutauit eum, dicens: *Salue Rex*; & vt obsequium adnexum innueret, subiicit sacer textus, quòd *adorans Regem, coram eo pronus in terram, ait, &c.* Quemadmodum autem *Salue*, aut *Aue* in accessu: ita *Vale* in discessu personaliter vsurpamus. Sicut pariter & scribentes, initio Epistolæ salutem dicimus, quod idem est ac *Salue* (M. T. C. Trebatio S. D.) in fine *Vale*. Addi vlteriùs in salutatione consueuit & osculum. Vnde Matth. 26. legitur de proditore Juda, quòd *accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi; & osculatus est eum.* Propterea Apostolus ad Rom. 16. & 2. ad Cor. 13. & alibi signanter ait: *Salutate inuicem in osculo sancto.* Quod exponens S. Thomas: *Notandum G est* inquit *quòd osculum est signum pacis: nam per os, in quo datur osculum, homo respirat; & ideò, quando homines dant sibi mutua oscula, signum est, quòd vniunt spiritum suum ad pacem. Est autem triplex pax: Pax scilicet simulata: & hæc est eorum,* qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus eorum, *vt dicitur in Ps. 27. Quæ quidem fit per osculi fraudulentiam* (quale fuit Judæ) *Prou. 27.* Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Est & pax mala & turpis, quando scilicet conueniunt aliqui ad malum faciendum: & hæc fit per osculum libidinosum, Vnde dicitur Prou. 7. de mala muliere, quòd* apprehensum deosculatur iuuenem, *Est & pax sancta, quam facit Deus, Philip. 4.* Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c. *Et hæc fit per osculum sanctum, quia vnit spiritum ad sanctitatem. Et de hoc osculo dicitur hic:* Salutate inuicem in osculo sancto. *Ex hoc autem inoleuit consuetudo, quòd fideles & Sancti viri in signum charitatis & vnionis se inuicem osculantur; & datur pax in Ecclesiis in osculo sancto.* (Porrò hoc nomen *osculum* diminutiuum est ab *os*, quasi os paruum: quia enim basiando os coarctamus, inde est, quòd osculum pro basio vsurpatur. Ex Donato distinguuntur hæc tria, scilicet osculum, basium, & suauium: quòd *osculum* officii sit, *basium* pudicorum, *suauium* ad voluptatem, quale libidinosum, Quamuis vnum pro altero passim sumatur.) Alibi quoque docemur, quòd *osculum Sanctum H est quòd in signum S. Trinitatis datur,* Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* In cuius expositione textus ait S. Thomas: *Ita vt I Deus Pater sit osculans, Filius sit os, & Spiritus Sanctus sit osculum. Dicitur autem Filius os Patris, in quantum est Verbum eius, & manifestatiuum ipsius. Spiritus Sanctus autem dicitur osculum: quia sicut in osculo procedit corporalis spiritus ab osculante per os, sic Spiritus Sanctus procedit etiam à Patre, procedendo à Filio, cum Filius hoc habeat à Patre, quòd spiret Spiritum Sanctum, Ideò* Augustinus 16. de Trin. *dicit, Spiritum Sanctum principaliter procedere à Patre.* En quomodo cohærenter dicebatur, quòd *osculum sanctum est, quod in signum S. Trinitatis datur.* Et prius: *Quando homines dant sibi mutua oscula, signum est, quòd vniunt spiritum suum ad pacem.* Quòd autem & hæc cum osculo salutatio similiter incius fiat quem salutamus obsequium, ex eo liquet,

G 2 Cor. 13 l. 3. ibi. & Rom. 16. l. 1 §.

H Ad Rom. loco cit.
I Cant. 1. com. 2 ibi.

quòd iuxta qualitatem personæ osculum figimus: priuatis siquidem & familiaribus osculum in fronte, vel in ore damus aut in genas: ex nobilibus aut in dignitate constitutis, aliis in veste, aliis in dextera, aliis in genu, sed quæ Pontifici summo pedibus adprimimus: præmissa quibusdam demissione capitis, quibusdam vna, bina, vel trina corporis inclinatione, quibusdam vnius, quibusdam vtriusque flexione genu, in minoris vel maioris venerationis argumentum. Profectò si honorandi gratiâ salutationes non fierent, non arguisset Dominus Matth. 23. Pharisæos, quòd *amarent salutationes in foro:* quibus nempe vnum in votis erat, *vt honorificarentur ab hominibus.* Demum, cum & ad inanima, salutis prout in se incapacia, hanc eandem dirigamus vocem, *Salue*, (nam ad S. Crucem, ob Christi D. in ea passi repræsentationem, eam Mater vsurpat Ecclesia, *Salue Crux Sancta:*) manifestè liquet, potiùs ad venerationem exhibendam, quàm ad salutem auspicandam, verbum hocce depromi. Igitur, cum ad Virginem beatissimam uocem illam *Salue* dirigimus, non ad salutem ei adprecandam, qua nullatenus indiget in cœlesti locata gloria: sed honoris ac venerationis ergò immeritò pronunciamus, vtroque ante ipsius imaginem flexò genu, nec piæ deuotionis osculo misso. Et quidem specialissima veneratione colenda, quæ hominum est & Angelorum.

REGINA. Non semel hoc venerari titulo Deiparam consueuit Ecclesia: *Aue Regina Cælorum &c. Regina Cœli lætare &c. Mundi Princeps & Regina &c.* Id quod didicisse videtur ex Psalmo 44. in quo legitur: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Quæ verba tametsi de Ecclesia sancta exponantur, non hinc tollitur, quin & ad Virginem beatissimam possint allegoricè accommodari. *Totum L hoc,* ait Angelicus, *potest exponi de B. Virgine, quæ Regina & Mater Regis est, & astat Deo super omnes choros* in vestitu deaurato, *idest aurata diuinitate; non quòd sit Deus, sed quia est Mater Dei.* Adde quòd & sponsa est Spiritus Sancti, de quo & Christum Regem concepit. *Sponsa M autem Regis dicuntur Regina.* Quidni ergo *Regina* vocanda Maria est: in qua videlicet suum locauit thronum *Rex regum* Christus *& Dominus dominantium?* Vnde Ecclesia: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* Hinc Apoc. 12. allegoricè signatur in ea muliere, quæ ab Ioanne *amicta Sole* visa est, videlicet *ornata N Christo.* (*Sol* etenim *iustitiæ* Christus est, verusque Deus & homo verus) *qui de se ipso ipsam ornauit, decorauit, & totam fecit luminosam, non suis radiis solùm, sed & se ipso.* Et, vt eam verè Reginam ostenderet, subiicit: *& in Capite eius corona stellarum duodecim.* Regibus siquidem & Reginis corona debetur; cumque sit & Cœlorum Regina (*Aue Regina Cælorum*) nonnisi stelliferum ei congruebat diadema. *Hæ verò duodecim O stellæ sunt secundùm* Bernardum *duodecim prærogatiuæ B. Virginis. Quatuor de Cœlo, quia supra eam erant: quatuor ex parte animæ: quatuor ex parte corporis. Primæ quatuor sunt Sanctificatio ipsius Virginis, salutatio Angeli, obumbratio Spiritus sancti, inenarrabilis conceptio Filii Dei. Aliæ quatuor sunt donum humilitatis, magnanimitas Fidei, mansuetudo pudoris, siue zelus humanæ salutis, & martyrium cordis. Alia quatuor sunt, quia fuit virginitate purissima, sine corruptione fecunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Extollitur ergo his verbis vniuersalis Regina.* Regina ergo Maria est; immò reginarum, sanctarum videlicet animarum, Regina: sicut proportione seruata *Rex regum* Christus veraciter nuncupatur. Et hoc est, quod ait Sponsus Cant. 6. *Sexaginta sunt reginæ &c.* exinde subiicit: *Vna est columba mea, perfecta*

L Ps. 44 lit. g.

M Ibid.

N Apoc. 12. Com. 1. et 2.

O Ibid.

perfecta mea &c. Quam nimirùm singulariter elegit Deus ac praelegit. Porrò Regina haec, eo quòd talis, ad dexteram Dei astare dicitur: *Astitit Regina à dexteris tuis*, Ps. 44. cit. *hoc est* P *in potioribus bonis*, *Vnde & Filius*, *in quantum est in potioribus bonis Patris*, *secundùm quod homo*, *dicitur esse à dexteris*. Quòd autem B. Virgo sit prae caeteris cunctis in potioribus bonis Dei, ex eo liquet, quòd in caelesti Patria ad meritorum mensuram exaltata est super choros Angelorum omnium ac Beatorum: ceu quae secundùm Gregorium Q *omnem electa creatura altitudinem elebtionis sua dignitate transcendit: & ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit*. Ecquid mirum astet Regina Mater mystici Salomonis ad dextram dilectissimi Filij? Quandoquidem & de ipso Rege Salomone in huius typum legimus 3. Reg. 2. quòd *uenit Bethsabee ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei: & surrexit Rex in occursum eius, & sedit super thronum suum: positusque & thronus* Matri Regis, *qua sedit* ad dexteram *eius*. Quidni tandem Regina Maria, quae noua Esther à diuino Assuero captiui humani generis impetrauit liberationem, tantumque gratiae in oculis eius inuenit, vt dimidiam illius Regni partem obtinuerit: *& sic* (concludit Angelicus R.) *dimidiam partem Regni Dei impetrauit, ut ipsa sit* Regina *misericordia*, *cuius Filius est Rex iustitia*. Quae autem mulier regnum acquirit, Regina est. Iure meritò igitur *Regina* nomine Deiparam inuocamus: *Salue Regina*. Verùm, quia *Reginam* vocat eam Angelicus, non simpliciter, sed cum addito *misericordia*; idcircò post titulum *Regina* appositè subditur

[P Ps. 44. lit. g.]

[Q in lib. 1. Reg.]

[R Praefat. in Ep. Can.]

MATER MISERICORDIAE. Appellatio sanè Virgini pientissimae satis congrua: vt nouerimus videlicet, Reginam quidem esse dignitate, atqui affectus erga nos teneritudine *Matrem* perpetuò agere. Idcircò Domina, & Regina tantùm, aegrè patitur nuncupari, nisi & *Mater* insimul inuocetur à nobis. Nam & Filius ipse nos instruit, vt Deum tanquam Patrem orando inuocemus, *Pater noster qui es in Caelis*, vt caelorum adipiscamur regnum; non tanquam Regem & Dominum: filij siquidem, Regni paterni heredes sunt, non serui; vnde & Matth. 7. dicebat: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in Regnum Caelorum*. Quòd si Patris proprium est misereri, Ps. 102. *Quomodo miseretur Pater filiorum &c.* vnde & 2. Cor. 1. dicitur Deus *Pater misericordiarum*: quantò magis proprium *Matris* erit, cuius tenerior affectus in filios, & viscera ad compatiendum proniora? Inuocanda igitur, ceu chara *Mater*, Maria est: *Mater* proinde *misericordia*, sicuti & Deus *Pater misericordiarum*, ritè appellatur. Ipsa enim miseretur, vt gratiam & misericordiam nobis impetret: miseretur Deus, vt hanc ea interueniente largiatur. Hinc haud perperam vnà iunguntur *Regina Mater misericordia*; nec disiunctim dicitur Regina & Mater, sed per modum vnius *Regina Mater*, quasi in hoc verè *Regina*, quòd *Mater*. Vel quia tanquam principali, suauissimo *Matris* nomine gaudet, *Regina* autem veluti accessorio nuncupari. Suauissimo inquam *Matris* nomine: qua fortasse de causa Christus Dominus in Cruce pendens, ad Virginem Matrem mulieris vsus est nomine, *Mulier, ecce Filius tuus*, ne suauissimo *Matris* verbo, qui *Vir dolorum* erat, passionem suam dulcoraret. Et quidem ad *Matrem* fiducialis est, & absque timore vllo, filij etiam praeuaricatoris accessus: ad Dominam, ad Reginam non ita. *Matrem considerate* (aiebat Ambrosius) *Matrem cogitate*: neque enim nouit adeunti repulsam dare, aut denegare petita. Cum igitur Deipara, *Regina Mater misericordia* sit, cui Filius misericordiae & gratiae thronum quodammodo cessisse videtur, vt vidimus: *Adeamus cum fiducia* (hortante Paulo ad Hebr. 4.) *ad thronum gratia eius*, *vt* per eam videlicet *misericordiam consequamur* in culparum nostrarū absolutione: misericordia siquidem miseriam respicit, quam maximè peccatum inducit, *Miseros facit populos peccatum*, Prou. 14. *& gratiam inueniamus* apud Deum, nam & ipsa *inuenit gratiam apud Dominum*, vt & nobis eam impetret: & hanc *in tempore opportuno*, quo scilicet *adiuuemur* S *ad bene operandum in praesenti*; *quando* opportunum *est tempus miserendi*, donec videlicet Reginae *Matris misericordia* manet thronus erectus: in futuro enim nonnisi ad thronum iustitiae, qui Christi iudicis est, vel inuiti adducemur. Ita *Bernardus*, à D. Thoma relatus T. *Securum habet homo ad Deum accessum, vbi ante Patrem Filium, ante Filium habet Matrem. Mater ostendit Filio pectus & ubera: Filius ostendit Patri latus & uulnera: nec ulla esse repulsa potest ubi occurrunt tot charitatis insignia*. Mater denique misericordiae rectè appellatur, quae nimirùm ex suae charitatis visceribus misericordiam, quasi spiritualem Filiam, de Spiritu Sancto, qui diuinus Amor est, & fecunda *Mater* concepit, & momento quolibet sine dolore, magno immò cum gaudio parturit, ad profectum vtique nostrum. Nisi dicatur, qua Mater Christi est, *Mater* simul esse *misericordia*: Christus enim *propitiatio nostra*, ex misericordia conceptus, natus, passus & mortuus (*per uiscera misericordia Dei nostri, in quibus uisitauit nos*, Luc. 1.) de quo prophetice dicitur Iob 31. *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de utero Matris mea egressa est mecum*: ergo Maria *Mater misericordia* est. Quo eodem sensu exponi potest quod ad Virginem ab Ecclesia concinitur: *Maria Mater gratia*. Ex quo enim Mater Christi est, *Mater* pariter *gratia* appellari potest: nam Io. 1. *Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est*. Hinc Ecclesia in Litanijs, postquam Mariam inuocando prompsit, *Mater Christi*, immediatè, quasi consequenter subijcit, *Mater diuina gratia*. Igitur sub hoc titulo rectè à nobis inuocatur Deipara, *Mater misericordia*. Quoniam verò praecipuus misericordiae effectus est vitam dare: idcircò ad inuocationem *Mater misericordia* bene additur

[S Ad Hebr. 4. l. 3. fi.]

[T 1. Io 2. 5. 1. fi.]

VITA. Vita inquam, prout causa est, non effectiua, sed meritoria vitae, nedum temporalis, in quantum nobis Virginis interuentu, ex lethali morbo peritura, non rarò protrahitur; saepiusque à morte multiplicibus in periculis ea eripimur implorante: sed & vitae spiritualis, quae peccatoribus (nam Iac. 1. *Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem*:) ab eadem frequentissimè per poenitentiam impetratur. Et quidem quoad vitam temporalem congruum extat in figura exemplum de Regina Esther superiùs laudata: quae, impio Aman totale Iudaici populi exterminium excidiumque procurante, iam iam iugulandum efficaci ad Regem supplicatione, à morte nedum eripiens in vita seruauit, sed & vlteriùs honorificè vbique tractandum obtinuit. Esth. 7. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus*. En quare Virgo beatissima dicatur *Vita*: vitam enim impertit quotiescumque à morte valido suo interuentu nos liberat. Quòd si ad vitam spiritualem factum hoc referamus, verè vitam & in figura & in re contulit nobis Deipara. Audi eo loci S. Thomam: *Veritas* V *respondens huic figura hac est. Propter peccatum primorum parentum, per falsam sugge-*

[V Praef. in Ep. Can.]

finitè misericors, ipsamet dicitur misericordia, Ps. 58. *Deus meus misericordia mea*. Et Ps. 143. *Misericordia mea, & refugium meum*. Cum autem in ordine ad humanæ salutis & vitæ consecutionem æternæ & *Regina* & *Mater*, *Vita* & *Dulcedo* Maria sit: nemo ibit inficias, totam in ea spem nostram locandam; de hoc enim & ipsa videtur singulariter in Domino gloriari Eccli. 24. dum ait: *In me omnis spes vitæ & virtutis*. Bene igitur cum *Vita* & *Dulcedo* dicta sit, cohærenter invocatur

SPES NOSTRA SALVE. Obiectum spei quatuor exigit conditiones: quòd videlicet *sit* F *bonum, futurum, arduum, possibile haberi*. Per hoc, quòd est bonum, differt spes à timore, qui est de malo. Per hoc, quòd est futurum, differt spes à gaudio, quod est de re præsenti. Per hoc, quòd est arduum, differt à desiderio vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolutè: unde pertinet ad concupiscibilem, spes verò ad irascibilem. Per hoc, quòd est possibile haberi, differt à desperatione: non enim sperat quis quod omnino adipisci non potest. Verùm spem hoc loci, non ut passio puta est, consideramus, sed ut est virtus, & quidem Theologica, quæ respicit pro obiecto ipsum Deum. Neque enim propriè datur virtus spei acquisita: nam *illud* G *arduum, in quod ordinant virtutes acquisitæ, est sicut proportionatus facultati naturæ; & ideò natura per seipsam determinata est ad sperandum illum finem* (V. G. felicitatem ciuilem, vel contemplatiuam) *unde non indiget aliquo habitu superaddito, per quem determinetur in illud: sed arduum, quod est vita æterna, excedit facultatem naturæ. Vnde cum ex se natura non sit determinata ad sperandum illud, oportet quòd determinetur per aliquem habitum infusum: & hæc est spes, quæ est virtus*. Igitur *spes* H *habet rationem virtutis ex hoc, quòd attingit supremam regulam humanorum actuum, scilicet Deum, quam attingit & sicut primam causam efficientem, in quantùm eius auxilio innititur* (iuxta illud Ps. 93. *Deus meus in adiutorium spei meæ*:) *& sicut ultimam causam finalem, in quantùm in eius fruitione beatitudinem expectat*. (Et quàmuis alia bona speremus à Deo attamen *quæcunque alia* I *spes adipisci expectat, sperat in ordine ad Deum, sicut ad ultimum finem, vel sicut ad primam causam efficientem*.) *Et sic patet, quòd spei, in quantùm est virtus, principale eius obiectum est Deus. Cùm ergo in hoc consistat ratio virtutis Theologicæ, quòd Deum habeat pro obiecto, manifestum est, quòd spes est virtus Theologica*. Itaque arduum futurum æternæ beatitudinis bonum nobis diuino innixis auxilio spei media virtute sperandum est. At quia culpis implexi mille, eiusmodi auxilio, ac sperandæ perennis felicitatis bono indigni reddimur, & incapaces: spem nostram atque fiduciam totam in Virgine beatissima reponimus, ut suo utrumque nobis impetret interuentu. Ecquis sanè, terreno Principi inuisus, rem ab eo arduam & assequi difficilem adipisci speret, nisi dignus eique acceptus interuentor priùs ad placandum, ad gratiam exinde impetrandam accedat? Ita & apud Deum. Non enim quilibet iustus in re tam grandi adhibendus apud illum intercessor est, eoquod immania quædam peccata in aliquibus præpediunt Ier. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*. Quo sensu dicit Ioannes in sua I. c. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*: idest *qualiscunque* L *iustus, sed perfectus quia non quicunq; iustus sufficit impetrare ei aliquam gratiam propter peccati immanitatem, secundùm quod peccatum ad mortem dicitur*. Si quis autem inter iustos perfectus, sanctissima profectò Virgo prima est: quæ, utpote *gratia plena*, eam adepta est perfectionem, ut sanctis Angelis omnibus, & hominibus iure meritò præferatur, sicut superiùs prætactum est. Ad eam ergo, in qua unica nostra locatur spes, plena cum fiducia recurrendum: ex quo ritè vocanda venit & inuocando vera *spes nostra*, fiducia nostra, refugium nostrum, ceu quæ diuini auxilij ad sperandam beatitudinem & consequendam sua nos reddit intercessione capaces: sine qua frequentibus culpis viam nobis immò ad desperandam salutem sternimus; neque enim beatitudo possibilis assequi redditur, stante peccato, quod impœnitentem hominem sæpe ac faciliter ad desperandum inducit. Et hoc est, quod aiebat Bernardus: *Si criminum* M *immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ*, desperationis *abysso: cogita Mariam. Ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa propitia, peruenis*, ad speratam nimirum sempiternæ fruitionis beatitatem. Hoc autem discrimine & Deum spem nostram dicimus, & Deiparam. Deum tanquam causam finalem, & primam efficientem, cuius propter rei speratæ arduitatem innitimur adiutorio; unde Dauid Ps. 90. dicebat ad eum: *Quoniam Tu es Domine spes mea*: & ut arduitatem innuat speratæ beatitudinis consequendæ, immediatè subijcit: *altissimum posuisti refugium tuum*. Virginem verò beatissimam, nostram vocamus spem, non tanquam primam efficientem causam, sed interuentu meritoriam, & tanquam finem, non ultimum quidem, sed intermedium, ad speratam æternam felicitatem adipiscendam. Eccur non vocanda Maria vera *spes nostra*, ex cuius ad diuini Verbi incarnationem, *loco* N *totius humanæ naturæ*, dato consensu, in arduo redemptionis opere tota salus nostra prouenit? Qui videlicet *eramus natura filii iræ*, ut dicitur ad Eph. 2. filij exinde adoptionis effecti: siquidem *misit Deus* (ad Gal. 4.) *Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, quibus hereditas sperata debetur beatitudinis. Hinc Ecclesia in Collecta: *Deus, qui salutis æternæ B. Mariæ Virginitate fecunda humano generi præmia præstitisti &c.* En fundamentalis ratio, quare Virginem Matrem, spem nostram dicimus, & deuotè inuocamus. Ex quo Damascenus ad D. Annam, felicissimam Deiparæ spei nostræ genitricem, illud gratulabundus protulit: *Nos* O *quoque, ò beatissima fœmina, tibi gratulamur: etenim nostrum omnium spem diuinitùs concessam, hoc est, promissionis fœtum peperisti*. Dicatur ergo, sæpiùsque repetatur ex corde ad Virginem nostram: *Spes nostra salue*. Quæ cum ita sint, post humillimam salutationem, præstitumque deuotionis obsequium, ad postulationem progredimur, præmissa, & obiecta, eius imploraturi misericordiam, miseria nostra (*sufficit enim* P *misericordi miseriam exponere*: & hoc per sequentia verba

AD TE CLAMAMVS. Clamor, siue clamare, multifariam accipi consueuit. Ex vi namque dictionis signat absolutè clamor vocem intensam, & maiori cum impetu prolatam, vulgò *grido*. Hinc conatum quendam exigit, & forte pectus: ex quo debilibus & infirmis præpeditur clamor. Et hac quidem de causa, Christum D. in Cruce morti proximum *voce magna clamasse*, ad Hebr. 5. *Cum clamore valido &c.* scribit Angelicus, *inter alia* Q *miracula mortis eius computatur*. Præterea naturaliter clamamus, sicut & cætera animantia, in doloribus corporis & afflictationibus. Cuius ratio adducitur: quia *in dolore* R *natura conseruat calorem & spiritum interiùs, ut hoc utatur ad repellendum nociuum: & ideò, ut dicit Philosophus* in libr. de Problematibus, *multiplicatis spiritibus introrsum & calo-*

F 2. 2. 17. 1. c. & 1. 2. 40. 1. c.

G 3. d. 26. 2. 1. ad 2.

H 2. 2. 17. a. 5. & 1. c. Rom. 8. l. 5. ibi, spes.

I 2. 2. l. c. a. 5. ad 1.

L 1. Io. 5. §. 5. ibi.

M Hom. in Euang. missus est.

N 3. p. 30. 1. a.

O Or. 2. de Nat. B. M.

P Matt. 1. lib. b. Or. 8. lit. a. & Io. 2. l. 1. lit. c.

Q 3. p. 47. 1. ad 2. Quol. 1. a. 3. Op. 3. c. 230.

R 1. 2. 44. 1. ad 2.

calore, necesse est, quòd emittantur per vocem: & propter hoc dolentes vix se possunt continere, quin clament. Et ita doloribus affecti boues, intentius mugiunt, leonesque rugiunt febrientes: à quorum similitudine dicebat Dauid, dolore cordis afflictus Ps. 37. Rugiebam à gemitu cordis mei. Et medijs in doloribus Iob cap. 3. Quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Causatur etiam aliquando clamor ex ira, inter cuius filias à D. Gregorio computatur, secundùm quòd homo S in modo loquendi iram suam demonstrat: & sic per clamorem intelligitur inordinata, & confusa locutio, vt accidit in contentione: quæ ideò diffinitur ab Ambrosio; quòd sit impugnatio T veritatis cum confidentia clamoris. Et alibi: Clamor V quandoque importat turbulentiam animi interiùs concitati.

S 22. 158. 7. c.
T 2. 2. 38. 1. c.
V Io. 7. l. 3. lit. c.

In sacris porrò Scripturis varias habet acceptiones. Nam aliquando clamor metaphoricè sumitur pro culpæ diffamatione, Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et cap. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est. Et Iac. 5. Merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat &c. Docemur autem, quòd clamor X in huiusmodi locis vocatur publica & excessiua diffamatio peccati, quasi pro se clamans ad iudicem, vt de eo fiat iudicium & iustitia. Vtplurimùm verò clamor feruidam orationem designat, debitis circumstantijs munitam, quam in spiritualibus aut corporalibus calamitatibus ad Deum effundimus. Sic Ionas cap. 2. Orauit ad Dominum de ventre piscis, & dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum &c. Et Dauid, persecutionem inferente Absalom filio suo, clamabat ad Dominum Ps. 3. Voce mea ad Dominum clamaui. Quibus in verbis duo Y tangit, quæ debent esse in oratione. Nam (vt exaudiatur) primò debet esse attenta; & ideò dicit, voce mea, scilicet cordis, quæ sonat Deo: quæ Moyses tacens ore, clamabat corde ad Dominum, Ex. 14. Dixit Dominus ad Moysen: quid clamas ad me? Hac etiam voce clamans Susanna, exaudita est, Dan. 13. Quæ flens suspexit ad Cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et 1. Reg. 1. Porrò Anna loquebatur in corde suo &c. Et ideò dicit, mea: vox enim, quæ non procedit ex corde, non est mea. Item oratio debet esse recta. Tunc autem est recta, quando tendit vbi debet; & ideò dicit, ad Dominum, vbi est auxilium, Ps. 120. Auxilium meum à Domino. Item debet esse deuota; vnde addit, clamaui. Clamosa namque dicitur oratio propter magnitudinem affectus, Ps. 101. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Item: Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, Ps. 33. Vbi docemur, quòd clamor Z est magna vox: & oratio Sanctorum magna est vox propter duo: scilicet propter magnitudinem affectionis, & propter magnitudinem petitionis, quia petunt æterna; quæ principaliter à quolibet peti debent, Matth. 6. Primùm quærite Regnum Dei. Et ad illud Io. 7. Clamabat Iesus in Templo docens &c, erudimur vlterius, quòd clamor A ex magnitudine affectus procedit; & ideò quandoque importat magnitudinem deuotionis, secundùm illud Ps. 119. Ad Dominum, cum tribularer clamaui: quandoque verò cum hoc magnitudinem dicendorum, secundùm illud Is. 6. Seraphim clamabant alter ad alterum &c. Et sic prædicatores clamare monentur, Is. 58. Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. Et sic clamabat Dominus in Templo docens: quia nimirùm magna & admiranda docebat sapientiæ suæ. Sed & clamauit (ad nostrum vtique exemplum) orando ad Patrem, quia excellentissimè orabat, Hebr. 5. Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem Orationis B eius efficacia ostenditur ex modo orandi. Duo autem sunt necessaria orantis; scilicet feruens affectio; item dolor & gemitus. De his dicitur Ps. 37. Domine ante te omne desiderium meum, quantùm ad primum: & gemitus meus à te non est absconditus, quantùm ad secundum. Christus autem ista duo habuit: ideò propter primum dicit, cum clamore valido, id est cum intentione efficacissima, Luc. 22. Factus in agonia, prolixiùs orabat; & cap. 23. Clamans voce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Secundum, cum dicit, & lacrymis: per lacrymas enim exprimit Apostolus interiorem gemitum orantis. Et ideò sequitur: exauditus est pro sua reuerentia, quam scilicet super omnes habebat ad Deum. Hinc liquet, qualiter Deum ac Virginem Beatissimam orare debeamus, & ad vtrumque clamare, vt nostra audiatur & exaudiatur oratio. Aliter namque ad Virginem clamando, nec eius intercessione iuuamur, nec exaudimur à Deo: quia nempe vel distractè, vel non ex corde, vel minùs rectè, vel indeuotè, vel non spiritualia principaliter petendo, sed temporalia, vel sine affectione aut fiducia orando clamamus. Ps. 57. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum: nec exaudiuit eos, siue immediatè, siue Mariæ interuentu mediante. Et Is. 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Et Ier. 11. Clamabunt ad me, & non exaudiam eos; & iterum: Non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in tempore afflictionis eorum. Potissima verò causa, ex qua (præter cæteras) nec Deus clamantes exaudit, nec pijssima Virgo sua pro nobis ad eum interponit suffragia, ea vnica est, quòd sine detestatione, immò cum actuali affectione ad peccatum vtplurimùm orando clamamus. Id quod apertè legimus Is. 59. Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat; neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ (ecce causam) diuiserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Quia enim (vt dicitur Sap. 14.) Odio sunt Deo impius & impietas eius, consequenter diuinæ conformatæ voluntati, & ipsi Deiparæ: iustè detrectant clamantem in tribulatione exaudire. Idcircò Dauid, cum esset iustus, clamans in tribulatione ad Dominum, exauditus est, Ps. 119. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. Post peccatum verò, clamans pariter exaudiebatur, quia præcesserat de peccato dolor, & detestatio, Ps. 37. Ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus: & ideò ex hoc fiducialiter orabat, quasi de impetratione securus: Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus. Et quamdis ex humilitate, & merito suæ culpæ, illud proferret Ps. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus: quia tamen internis oculis aspiciebat peccatum suum, dolendo ac detestando; propterea (subijcit) exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Debet igitur, clamans per Virginem ad Deum, dolere ac detestari, vt exaudiatur, admissam culpam: & tunc non vanus erit siue in spirituali siue in corporali afflictione clamor illius. Atqui non pauci, ne dicam plurimi, tribulationibus alijsque temporalibus pœnis à Deo afflicti, clamant ad Virginem, clamant ad Deum, vt eripiantur, Ps. 106. Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur; & priùs Ps. 77. Cum occideret eos (vt moris est hominum) quærebant eum, clamantes, vt afflictionis grauamine leuarentur: nil tamen, sola spectata tribulationis pœna, de diuina cogitantes offensa. Et hos non mirum nolit audire Virgo, neget Dominus exaudire. Quò facit illud Dauid in persona peccatoris, dicentis Ps. 31. Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea; dum clamarem tota die. At si tacuit, inquiit Ange-

X Gen. 18. ibi, & c. 4. ibi. Iac. 5. ib. & 2. Mach. 8. ibi, sanguinis.
Y Ps. 3. lit. c. & Ps. 33 lit. q. Matth 15. lit. b. ibi, clamauit.
Z Ps. 33. lit. q.
A Io. 7. l. 3. lit. c.
B Hebr. 5. l. 1. fi.

Angelicus, quomodo clamabat tota die? Et respondet: *Clamabat* C *de pœna, & tacebat de culpa. Sed quid fecit Dominus? Conuertit eum aggrauando manum, grauamen inferentem*, quoniam *die ac nocte grauata est super me manus tua &c.* Ita consueuit ad Deum ad Virginem *clamare de pœna* podagricus, siue alius quispiam afflictiuo morbo laborans: sed quia *tacet de culpa*, non confitendo, vel saltem non conterendo de peccatis, ideò non exauditur eius clamor: quinimmò manus Domini eum magis grauat, vt discat ordinatè & sapienter clamare. Cæterùm, si absque peccato, aut cum vera cordis contritione ad Virginem clamauerimus, certo certiùs quicquid piè & honestè postulabimus, efficacissima illius intercessione consequemur à Domino, secundùm illud Ps. 17. *In tribulatione mea inuocaui Dominum: & exaudiuit me de Templo sancto suo.* Quod (præter alia) exponitur de Virgine beatissima: *Templum Dei* D *est B. Virgo*, Ps. 137. Adorabo ad Templum sanctum tuum: *in qua, idest per quam exaudiuit nos Deus*, & perpetuò exaudit, Ps. 33. *Exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Cum exauditionis ergo fiducia, præmissis seruatis conditionibus, ad Virginem, & per eam ad Dominum in necessitatibus nostris ritè clamamus. Quoniam verò auxilii re vera indigus clamare consueuit, bene sequitur expositio causæ clamoris nostri ad Virginem, eoquòd videlicet sumus

C Ps.31. lit.b.

D Ps.17. lit.d.

EXVLES FILII EVÆ. Quasi dicamus: quia filii Euæ, vt eiusmodi à Paradisi Patria exules sumus. Hoc autem ex duplici capite. Tum quia, licèt ex transgressione, non Euæ, sed Adæ ceu capitis totius humani generis, peccatum transfundatur in posteros: Eua tamen mater nostra prima peccauit, pomum vetitum comedendo, moxque *dedit viro suo, qui comedit*, Gen. 3. Tum etiam (& hæc est ratio fundamentalis) quia *peccatum* E *originale, quantùm ad culpam & reatum, descendit à patre in filios; quantùm ad pœnalitates, descendit à fœmina: quia pater est efficiens in generatione, & mater materiam ministrat. Et hoc est causa, quare circumcisio viris, & non mulieribus data est: quia circumcisio data est contra originale ad tollendum culpam, non autem ad tollendum carnis corruptionem.* Eua igitur, singularibus prius donis à Deo exornata, vera per peccatum effecta, non fabulosa Pandora, vas attulit Mundo, malis omnibus ac pœnalitatibus refertum, quas in præsenti vita perpetuò sentimus. Idcircò dicimur specialiter *filii Euæ*, proinde exules in pœnam peccati, eoquòd propter peccatum à Paradiso cum Adam eiecti sumus, Gen. 3. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.* Atqui tolerabile exilium, à terrestri Paradiso extorres fieri, nisi & à Patria simul cœlesti ex eadem culpa exularemus, 2. Cor. 5. *Scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Peregrinamur, *idest* F *elongamur: peregrinamur, inquam, quia sumus extra Patriam nostram quæ Deus est.* Et ò qualia & quanta hocce consequuntur exilium detrimenta & ærumnæ! Id quod satis adumbratum legimus Luc. 10. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho.* Vbi Ambrosius: *Iericho* G *figura huius Mundi est, in quam de Paradiso, hoc est, de Ierusalem illa cælesti eiectus Adam, præuaricationis prolapsione descendit, hoc est, de vitalibus ad inferna demigrans: cui non loci, sed morum mutatio naturæ suæ fecit exilium.* Et incidit in latrones:) Qui qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. *Sunt isti latrones, nisi Angeli noctis & tenebrarum? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta*

E 4.d.1.2.2.q.2.c.

F 2.Cor.5.l.2.

G In Luc.c.10.

gratiæ spiritalis: & sic vulnera inferre consueuerunt. Vno verbo: Totum hoc figura est *hominis* H *per peccatum spoliati gratia, & vulnerati in naturalibus.* In naturalibus inquam: docemur enim, quòd propter peccatum primi parentis *omnes* I *vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordino, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: & ipsa destitutio, vulneratio dicitur naturæ. In quantùm ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quantùm voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est vulnus malitiæ: in quantùm irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantùm verò concupiscibilis destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor, sunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis.* Prætereà, *sicut* L *subtracta originali iustitia, vulnerata est humana natura quantùm ad animam per deordinationem potentiarum: ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. Subtractio autem originalis iustitiæ habet rationem pœnæ, sicut etiam subtractio gratiæ: vnde etiam mors, & omnes defectus corporales consequentes, sunt quædam pœnæ originalis peccati.* Vide quàm miserabile sit hoc exilium, in quo tot sumus calamitatibus subiecti. Ex quo Angelicus illud Gen. 3. cit. *Emisit eum* (Adam) *Dominus Deus de Paradiso voluptatis*, vno explanat verbo: *scilicet* M *in exilium humanæ miseriæ.* Et nisi *Samaritanus* ille (*per quem* N *significatur initio. Deus*: Samaritanus *enim interpretatur* custos) *misericordia motus*, de Cœlo in terras *iter faciens, secus eum* ad sanandum vtique & liberandum factus homo *venisset*, perpetuum experiremur à cælesti Patria durum exilium. Cuius enim aditum peccatum occluserat, per Christi gratiam Mediatoris deuicta morte apertum est; vnde & ad latronem ea fructuosæ redemptionis profusit verba Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*: à quo perpetuò eramus miserabiliter exclusi. Et quamuis passione sua Christus D. vniuersalis Redemptor hominem sanauerit, medijsque reparauerit Sacramentis, baptismo præsertim, quoad culpam in ordine ad animam: non tamen omnes sustulit quoad corpus pœnalitates. Nam *baptismus* O *habet quidem virtutem auferendi pœnalitates præsentis vitæ, non tamen eas aufert in præsenti vita; sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando* mortale hoc induet immortalitatem, *vt dicitur* 1. Cor. 15. *Et hoc rationabiliter. Primò quidem quia per baptismum homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius: & ideò conueniens est, vt id agatur in membro incorporato, quod est actum in Capite. Christus autem à principio suæ conceptionis fuit plenus gratia & veritate: habuit tamen corpus passibile, quod post passionem & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Vnde & Christianus in baptismo gratiam consequitur quantùm ad animam: habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Vnde Apostolus Rom.* 8. Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Secundò hoc est conueniens propter spiritualem exercitium, vt videlicet contra concupiscentiam & alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Tertiò hoc fuit conueniens, ne homines ad baptismum accederent propter impassibilitatem vitæ præsentis, & non propter gloriam vitæ æternæ.* Igitur, tametsi per baptisma originalis culpa fuerit ablata, non tamen omnis pœnalis ad originale consecutiua, sublata est, vti fames, sitis, mors &c. Insuper ex infectione naturæ perpetuus manet

H S.Th.In 1. exp.Prol.& in 2.d.30.1.1.ad 3.

I 1.2.85.3.c. Ma.2.11 p.c. Ad Gal.3.l.7.

L 1.2.l.a.a.5.c & 2.2.164.1.c Op.3 c.193.

M Op.58.c.23.

N Prol.1.sent. exp.tex.

O 3.p.69.3.c. In 2.d.32.1.1. q.2.c. & d.33. 1.2. In 3.d.19. 1.3.q.2. In 4. d.4.2.1.q.3. Quol.6.a.15.

conflictus inferiorum virium contra rationem, fomes in carne, & pronitas consequenter ad peccandum, ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum:* & ita, liberati ab infectione originalis culpæ, in actualia peccata sæpe sæpius prolabimur, quæ miseriam augent nostram, & exilium à Patria iterum secundum præsentem iustitiam perpetuò inducunt. Idcircò opem iugiter cælitus imploremus oportet, ad emergendum à culpa; vel, si culpæ expertes, inter tot incentiua & pericula peccandi, ad perseuerandum in gratia. Quidni ergo clamemus ad Virginem, tanquam *exules filii Euæ*, vt sua nos intercessione coadiuuet? Ex hoc siquidem indigentiam nostram manifestamus & necessitatem orandi, licet per baptismum ab

P 3 p. q. 39. a. 5. f. c. originali emundati. Nam & *post baptismum* P *necessaria est homini iugis oratio, adhoc quòd Cælum intreat. Licèt enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, nos impugnant interiùs, & Mundus & dæmones, qui impugnant exteriùs. Et ideò signanter dicitur Luc. 3. quòd* Iesu baptizato & orante, apertum est Cælum: *quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum.* Filii inquam Euæ, oramus ad Virginem & clamamus, Matri misericordiæ & gratiæ, ex qua Authorem vitæ suscepimus, quasi alteram sed perditionis Matrem obiicientes, ex qua tot calamitatibus & morti sumus obnoxii: *Eua* (inquit

Q Serm. 2. de Annunc. Augustinus) *lacrymas* Q *Maria gaudium in ventre portauit: Auctrix peccati Eua; auctrix meriti Maria:* vt hinc nimirùm exauditionis motiuum exhibeamus, miseriam hoc pacto nostram tanquam *Filii Euæ* ostendentes. Cumque in hoc infelici statu miserrimam vitam ducamus (Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*) ægrè possimus mœstitiæ nostræ aperta signa non dare: & ideò bene sequitur

AD TE SVSPIRAMVS. Suspirium, siue suspiro, nil aliud ex Calepino signare videtur, quàm spiritum ab imo pectore traho: quod solicitudinis aut doloris argumentum est. Vnde

R Ouid. 10. Metam. legimus R:

Myrrha, patre audito, suspiria duxit ab imo Pectore.

S Idem Ep. 20. Et alibi S:

Ingemit, & tacito suspirat pectore.

Neque enim, cum suspiramus, in voces prorumpimus articulatas; nisi fortè per aliquam interiectionem dolentis. Ex S. Thoma, super illud Iob

T S. Th. Iob 3. l. 3. ibi. 3. *Antequam comedam, suspiro:* suspirium animi amaritudinem indicat. *Sicut* T *enim* inquit *gaudii risus signum est: ita suspirium amaritudinis animæ. Et hæc animæ amaritudo ex miseria nascitur;* quam vndique experiebatur Sanctus Iob, vt in sacra pagina notissimum est. Quoniam vero suspirare soliti sumus vbi quod anxiè desideramus aut minimè possumus aut difficulter adipisci: hinc est, quòd suspirare non rarò pro ardenter cupere vsurpari consueuit. Idcircò rem amatam, aut quia absens est, aut assequi difficilis, aut impossibilis, dicimur suspirare. Sic exules Patriam, sic amicus amicum absentem, sic patrem defunctum aut ma-

V Ouid. 1. Fast. trem filius suspirat. Quo sensu cecinit ille V:

Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam.

Et in vtroque sensu ad Virginem *suspiramus*. Ex prænarratis siquidem calamitatibus, in præsenti vita interiùs exteriùsque nobis inductis, nostræ amaritudinem animæ suspirando aperimus: quæ quidem amaritudo (Inquit Angelicus) *ex miseria nascitur* humana, præcedenti paragrapho factis superque descripta. Ita inter animæ amaritudines ad Dominum suspirabat, corde & cogitatione orando Is. 38. Ezechias Rex: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* huius videlicet Mundi calamitatibus implexus. Quod & tangit in sequentibus, vbi subiicit: *Domine, si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei &c. ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Si sic viuitur;

idest X *si tam misera est vita hominum;* bene sequitur: *Ecce in pace*, videlicet sæculi (de qua Ier. 6. *Dicentes, Pax, Pax: & non erat pax*) *amaritudo mea amarissima:* dulcor siquidem Mundi citò in amarorem degenerat, Prou. 14. *Risus dolore miscebitur*. Vnde Augustinus. *Respersisti Domine consolationes meas amaritudinibus*. Ita 1. Reg. 1. Anna illa, Elcanæ vxor, *cum esset amaro animo, orauit ad Dominum*, non aliter sanè, quàm veluti suspirando: dicitur enim ibi, quòd Heli sacerdote obseruante, *Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur;* anima videlicet per vota loquente, corde per suspiria exorante. Quòd si pro feruenti desiderio accipiamus suspirium, sic iusti perennem gloriam suspirant: quam, ceu rem summè arduam, diuino obtinendam auxilio sperant; ideòque ad Virginem suspirantes orant, vt ea interueniente, ab huius exulatus miseria erepti, ad cælestis beatitudinis Patriam perueniant suspiratam. Igitur in angustiis & tribulationibus nostris, ad dulcissimam misericordiæ Matrem, viribus malè fidentes nostris, rationabiliter *suspiramus*, corde meliùs, quàm labiis orantes: vt sicut sterilis Anna suspirando fecunditatem impetrauit: ita & nos bonis operibus steriles, virtutibus ea mediante fecundemur. Quod erit, si ad eam, vt par est, suspiremus orando: *amaro* quidem *animo* pro diuinæ amissione gratiæ, non pro temporalium iactura; petentes non quæ Mundi sunt, sed quæ Dei; pro spiritualibus animæ deliciis, non pro corporis voluptatibus suspirantes. Verùm talis ac tanta humana miseria est, vt nedum ad Virginem suspirare sed & in gemitus atque fletus, quò leuamen impertiat, cogamur erumpere. Quapropter haud perperam suspiria nostra sociamus

GEMENTES. Ex amaritudine animi, vt vidimus, procedit suspirium: *per gemitum* Y *tristitia cordis indicatur*. Et alibi: *Gemitus* Z *ex dolore est, qui ad miseriam pertinet*. Et ita eadem nobis suspirandi & gemendi causa est, scilicet miseria: & finis idem, vt videlicet in ea constituti, cælitus adiuuemur: hoc vno discrimine, quòd in afflictionibus nostris ferè sine intermissione gemimus (hoc est, in flebilem quendam sonum præ cordis angustia procumpimus) cum interruptione suspiramus. Ex quo plus gemitus importat, quàm suspirium. *Eius enim quod* A *multùm desideramus, & desiderantes petimus, dilationem cum dolore & gemitibus patimur*, anxiè leuari gliscentes & eleuari. Hinc Apostolus ad Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc*. Omnis creatura, *idest* B *homo*, ingemiscit *partim propter mala quæ patitur, partim propter bona sperata, quæ differuntur, Thren.* 1. Multi gemitus mei, & cor meum mœrens. *Addit verò*, & parturit, *quia cum quadam afflictione animi sustinet dilationem gloriæ expectatæ, Prou. 13.* Spes quæ differtur, affligit animam: *Io. 16.* Mulier, cum parit, tristitiam habet: *& Psalm. 47.* Ibi dolores vt parturientis. *Dicit autem*, vsque adhuc: *quia ipse gemitus non est ablatus per nostram iustificationem, sed manet* vsque adhuc, *idest vsque ad mortem*, quando totaliter à mundana miseria Deo miserante eripiemur, vt superiùs visum est. Sed & nostros ex eadem miseria gemitus alibi Apostolus describit, cum 2. Cor. 5. ait: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus*

X S. Th. Is. 38. ibi.

Y Psal. 6. lit. d. ibi, in gemini.

Z Rom. 8. l. 5. ibi, gemitibus.

A Ibid. ibi.

B Rom. 8. l. 4. fi

mus grauati &c. Qui sumus in hoc tabernaculo, *idest* C *qui habitamus in isto mortali corpore*; Velox est depositio tabernaculi mei, 2. *Petr.* 1. Ingemiscimus, *idest intus in corde, non solùm extra in voce gemimus*, grauati, *quasi aliquo existente contra desiderium nostrum*; ex quo idem Paulus Rom. 7. *Video* inquit *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. Ad leuamen igitur animæ & corporis tot inter mundanas miserias ad Virginem, & per eam ad Deum *suspiramus gementes*. Ita ad Deum Dan. 13. *ingemuit Susanna*. Ita Dauid Ps. 37. *Gemitus meus* (dicebat) *à te non est absconditus*, & Ps. 6. *Laboraui in gemitu meo*. Ita Cæcilia Virgo *Deum gemitibus exorabat*. Quin & ad exemplum nostrum ipse Dominus noster, qua homo, surdum sanaturus & mutum, priùs *suspiciens in Cœlum ingemuit*, Marc. 7. Quia nimirùm oratio cum gemitu magis redditur exaudibilis, ceu quæ ab intimo cordis progreditur: immò gemitus ipse efficacissimæ vim orationis habet, veluti cordis absque articulatione loquela; *Gemitus* D *Sanctorum vocem habet apud Deum*, Ps. 6. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*. Et Eccli. 35. *Non despiciet Deus preces pupilli, nec viduam, si effundat* loquelam *gemitus*. Idcircò aiebat Gregorius: *Orare est amoris gemitus in compunctione resonare*. Verumtamen, simpliciter loquendo, *Gemitus* E *non est oratio, sed quasi fundamentum orationis. Superflua enim videtur petitio vbi necessitas deest: & ideò recognitio suæ miseriæ, quâ indigentem se aliquis videt, & sibi subuenire non potest, quæ gemitum in affectu facit, quasi oratio reputatur à Deo: & propter hoc dicit* Augustinus: *Quia orationis negocium plùs gemitibus, quàm verbis facit*. Ex his omnibus manifestum est, quanti valeat apud Deum, & Virginem beatissimam, tot inter fallacis Mundi laqueos *gemitus compeditorum*, & quàm rationabiliter ad eam gemendo recurramus orantes, siue orando GEMENTES,

C 2. Cor. 5. li. f.
D Ps. 6. lit. f. ibi.
E 4. d. 15. q. 4. a. 1. q. 2. ad 3.

ET FLENTES. Tametsi tria hæc, fletus scilicet, luctus, & planctus, pro eodem consueuerunt vsurpari, differunt tamen ex Angelico in hoc, quòd *fletus* F *dicitur cum emissione lacrymarum; luctus autem addit quandam solemnitatem: sed planctus adhuc addit conquestionem per verba*, quæ & lamentum dicitur. Quinimmò pectoris, aut alterius corporis partis percussionem adijcit planctus, ex mœstitiæ nimirùm, aut interni doloris magnitudine: plangere enim idem primariò significat quod percutere. Quemadmodum & luctus non rarò sumitur pro veste lugubri, cæterisne doloris exterioribus indicijs: nam & in signum doloris luctum pro mortuis assumere dicimur, aut in luctu esse. Ploratus autem idem est ac fletus: eiulatus verò, magnus ac sonorus est planctus, quasi ululatus. Propriè igitur flere dicuntur homines, cum lacrymas emittunt. Porrò duplex est lacryma, mæstitiæ scilicet aut doloris; item lætitiæ ac teneritudinis affectus. Et hæ secundæ faciliùs effunduntur à senibus præsertim, & mulieribus: quæ immò ad imperium voluntatis has emittere consueuerunt. Vnde cecinit ille G:

F Ier. 22. ibi, flere.

Quò non ars penetrat? discunt lacrymare decenter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

G Ouid. de Ar. am. l. 3.

Sanè cohærenter docemur, quòd *lacrymæ* H *prorumpunt non solùm ex tristitia, sed etiam ex quadam affectus teneritudine, præcipuè cum consideratur aliquid delectabile cum permistione alicuius tristabilis: sicut solent homines lacrymari ex pietatis affectu, cum recuperant filios, vel charos amicos, quos æstimauerant se perdidisse.*

H 2. 2. 82. 4. ad 3.

Verumtamen lacrymæ vtplurimùm ex intensa animi amaritudine solent profundi: ex quo lacryma dicitur amara, nedum quòd humor ille ex calore amarus salsusque sit, vt contingit de aqua marina (siquidem *in mari* I *causatur salsedo ex admistione vaporis terrestris simul cum adustione radii solaris; & hoc præcipuè prope terram & in superficie: in profundo enim pelagi inuenitur aqua dulcis, vt patet per Philosophum in lib. de Animalibus*) sed & amara nuncupatur lacryma ex sua causa, quæ est grauis animi amaritudo: qualis extitit in Apostolo Petro, de quo legitur Matth. 26. quòd post negationem *egressus foras, fleuit amarè*. Accidit nihilominùs aliquando, quòd quamuis maxima extet animi amaritudo & dolor interior, lacrymari non possumus: id quod ex mœstitudinis immò intensione aut doloris deriuatur; unde & instruimur, quòd *quandoque* L *abundantia doloris lacrymas exsiccat propter calorem concitatum; & ex hoc contingit exteriorum lacrymarum defectus*. Neque in dubium reuocamus, quin lacrymæ non parùm tristitiam mitigent exteriùs profusæ. Vnde S. Thomas cohærenter exponit illud Ps. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Fuerunt mihi lacrymæ meæ, *in quas scilicet* M *homo prorumpit ex abundanti tristitia*, panes; *quia panis reficit* (Ps. 79. Cibabis nos pane lacrymarum:) *& sic etiam lacrymæ reficiunt duplici ratione. Vna est: quia vnicuique est delectabilis actio sibi conueniens. Tristitia autem est delectabilis actio conueniens tristitiæ: & lacrymatio est tristitiæ actio. Alia ratio est: quia quando calor euaporat extra, minuitur; & ideò dicit, quòd lacrymæ sunt ei sicut panis, quasi reficientes eum.* Et quidem, nisi lacrymas medijs hisce in miserijs ad leuamen emitteremus quandoque, multiplicibus obruti anxij animi vexationibus, corrueremus. Ad Virginem igitur beatissimam, nedum gementes, sed & *flentes* orando suspiramus, amaras emittentes lacrymas, quæ nostri indicant amaritudinem animi, ex plurimis perpetuisque animæ & corporis afflictationibus ortum habentem. Nec perperam orando id agimus, sed laudabiliter: nam oratio cum lacrymis grata magis Deo est, magisque exaudibilis. Ita castissima Iudith sui voti compos effecta est, de Holoferne, diabolum figurante, triumphans, eo quòd erat *orans cum lacrymis*. Ita Magdalena per lacrymas, quasi per maris aquas, ad portum salutis appulsa est: Et, vt plurima sacræ paginæ exempla prætercam, Christus Dominus vt homo nostrum in omnibus exemplar, Patrem cum lacrymis in Cruce exorans, plenè ab illo exaudiri promeruit, Hebr. 5. *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. Eapropter super illud Ps. 38. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas*, docemur, quòd *tria sunt* N *quæ faciunt acceptam petitionem Deo. Primum est eleuatio mentis in Deum; vnde dicit*: Exaudi orationem meam Domine; *Psal.* 68. Ego verò orationem meam ad te Domine. *Secundum est continuatio petendi, & hoc, cum dicit*: & deprecationem meam; *Iacob* 5. Multùm valet deprecatio iusti assidua. *Tertium est lacrymarum multitudo; & hoc ostendit, cum dicit*: Auribus percipe lacrymas meas. Vnde & in Psalmo 55. dicebat ad Deum: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*: nam *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*, Ps. 125. Et hoc tertium præ alijs efficacius medium est ad impetrandum: quod & Petrus assumpsit, & Magdalena super cætera elegeit, ad securè obtinendum quod votis omnibus exquirebant. *Est* enim *duplex* O *lacrymarum gemitus, scilicet compunctionis ad peccata*

I In 2. d. 14. a. 1. q. 5. ad 5.
L In 4. d. 15. exp. tex. fi.
M Ps. 41. lit. b. & 1. 2. 38. 2. c.
N Ps. 38. lit. b. initio.
O Io. 20. l. 2. lit. a. ibi, plorans.

cata abluenda, *Psalm.6.* Lacrymis meis stratum meum rigabo: *& deuotionis ad cœlestia desideranda*, *Ps.125.* Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, *idest properantes ad cœlestia. Lacrymis quidem compunctionis abundauit Maria Magdalena tempore suæ conuersionis, quando quæ tunc erat* in ciuitate peccatrix, *ex Gregorio* amando veritatem lauit lacrymis maculas criminis, *Luc.7.* Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. *Abundauit etiam lacrymis deuotionis in Christi passione & resurrectione*; Vnde dicitur Io. 20. *Maria stabat ad monumentum foris plorans*. Eiusmodi expetit à nobis lacrymas & Maria Deipara, cum ad eam *suspiramus gementes & flentes*, eo videlicet fine, ut quod deuotè petimus, infalliblliter consequamur. Amaræ enim salsæque compunctionis & pœnitentiæ lacrymæ, quasi baptismales lymphæ (nam & baptizandis sal adhibetur) ad statum primæ innocentiæ orantem reuocant, præsertim si per Virginem Matrem Deo offerantur: Vnde Leo Papa ad Petrum post negationem lacrymantem: *Felices* inquit *ò Apostole P sanctæ lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis*. De quarum cœlesti in Magdalena virtute Chrysologus: *Super Q Celos* ait *& usque ad ipsum Dominum imber humanarum profilit lacrymarum, ut iuxta Psalmistam & de aquis fletuum cantetur illud*: Et aquæ, quæ super Cęlos sunt, laudent nomen Domini. *O quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant Cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam*. Humiliati ergo ad thronum Reginæ nostræ; suspiremus compuncti *gementes & flentes* ob commissa peccata, ut ipsa dilectissimo filio dignetur quas effundimus obijcere lacrymas, quibus ad misericordiam excitatus, utramque deuotè orantibus salutem impertiat, uti feliciter Ezechiæ contigit lacrymanti, 4. Reg.20. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce sanaui te*. Verùm perfecta hominis sanitas, vt visum, est minimè potest in præsenti vita obtineri, tot ærumnis implexa, totque intùs & extrà aduersitatibus prægrauata: quia nimirùm infeliciter degimus

P Serm. 9. de Pass. in 6. ti. Aur. [Matth. 26.
Q Serm. 93.

IN HAC LACRYMARVM VALLE: in hoc videlicet Mundo, ubi temporaneam vitam agimus, at miseriæ plenam. Dicitur autem VALLIS Mundus hic inferior respectu altitudinis Cęli; unde & Olympus figuraliter appellatur, quem inter montes altissimum tradunt. Et hic est, de quo legitur Is.2. *Mons domus Domini in vertice montium* Additur verò LACRYMARVM: quia omnes & singuli, vallem hanc inhabitantes, suis eam lacrymis perpetuò inundant, vel ab ipso uteri egressu lacrymari incipientes, eo quòd inibi plorandi multiplex semper causa est. *Nam R alius plangit, quia mala fecit: alius, quia bona non fecit: alius, quia flagella correctionis diu sustinuit: alius, quia iaculis vitiorum pungitur: alius, quia peregrinatur à patre & à patria &c.* Sumus enim ab ea *exules*, eo quòd *filij Euæ*, ut visum est. Idcircò Eccli. 3. dicitur: *Tempus flendi, & tempus ridendi*. Vbi Angelicus: *Præmittit S tempus flendi, subiungit tempus ridendi: ut ostenderet, quòd tempus flendi est præsens*, quousque in exilio sumus, *& futurum erit ridendi*, in Patria scilicet beata. Nec peccatores duntaxat aut poenitentes, sed & in virtute *proficientes T & perfecti*, qui ad gloriæ coelestis montem virtutum operibus pervenire desiderant, & ascendere student (Ps.23 *Quis ascendet in montem Domini?*) uberrimas profundunt lacrymas, in hoc miserrimo Mundi incolatu detenti, Ps. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*. Vnde Dauid Psal. 41. dicebat: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Moxque subijcit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Et Paulus ad Philip. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Et iterum Rom.7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quousque enim in hac valle degimus, lacrymari cogimur vitæ ne dicam mortis nostræ miseriam, Ps.125. *Euntes* (peregrè videlicet & exules) *ibant & flebant*. Idcircò de Anne matre iunioris Tobiæ legimus Tobiæ 10. quod *flebat irremediabilibus lacrymis*: quia nimirum irremediabiliter lacrymari in præsenti hac vita unumquemque oportet, siue peccatorem, siue iustum. Ex quo Aaugustinus lib.22. c.17. de Civ. Dei, ab Angelico relatus: *Quis* inquit *in V vestatus audeat affirmare, in huius mortis ærumnis non dico populum sanctum, sed unumquemque sanctorum, qui habeat vel ducat, vel duxerit, vel ducturus sit vitam, nullas habentem lacrymas, & dolores, cùm potiùs quantò est quisque sanctior, & desiderijs sanctis plenior, tantò sit in orando fletus eius uberior?* Igitur lacrymandum hic iugiter est, donec ad Patriam veniamus cęlestem: & tunc non sine causa dicitur Apoc.7. & 21. quòd in ingressu illius *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*; idest, *omnem X causam lacrymandi* (quæ multiplex in hoc Mundo est) *amouebit ab eis, & omnem miseriam culpæ & pœnæ, quæ est causa lacrymandi*. Hinc cohærenter dicitur Is. 25. *Auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*. Et Matth.5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Et Io. 16. *Plorabitis & flebitis vos: sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Porrò *quatuor Y sunt lacrymarum proprietates. Nam sunt humidæ, ut sordidum cor abluant: sunt & calidæ, ut frigidum calefaciant: sunt & salsæ, ut fætidum condiant: sunt & amaræ, ut dulcorem carnalium voluptatum temperent*. Et hæ quidem ad huiusmodi effectum emissæ lacrymæ nequaquam iis admiscentur, quæ sunt *in hac lacrymarum valle* aquæ stagnantes, proinde impuræ, pro temporalibus nempe ut plurimùm effusæ: sed in Cęlum conscendunt; immò & *super Cęlos* (ut ex Chrysologo præcedenti paragrapho dictum est) *& usque ad ipsum Dominum imber humanarum profilit lacrymarum*: ita ut de homine taliter lacrymante veraciter dici possit quòd *fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Io. 4. commutata nimirùm hac miseria & mæstitudine in æternam felicitatem atque lætitiam. Et *hæc sanè commutatio Z significatur* Io.2. *in mutatione aquæ in vinum*. Etenim *per aquas A significantur tribulationes* huius vitæ, quæ mæstitiam pariunt: vinum verò lætitiam ingerit (Ps. 103. *Vinum lætificet cor hominis*) signatque sempiternam Patriæ lætitiam, Is. 35. *Venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum*: cui cohæret illud Ps. 125. *Venientes autem venient cum exultatione*. Et illud Cant.5. *Bibite, & inebriamini charissimi*. Expressa igitur ad Virginem beatissimam ineuitabili *in hac lacrymarum valle* miseria nostra, quatenus ab ea *ad montem Domini* eius mereamur interuentione pertingere, consequens est, ut nostram exponamus petitionem, ipsam tanquam validissimam Patronam inuocantes, flexisque inter lacrymas genibus tantæ Virginis implorantes adiutorium.

R Ap.7.com.2. & 1.ibi, lacrymarum.
S Ser. ex Euan. Dom. 2. post Pasc.
T 3 p.84.8. ad 2.
V Ap.21.com. 2.ibi, lacrymarum.
X Ib.&c.7.fi c.
Y Ap.7.com.2. fi c.
Z Ibid.
A Prol. in F 1. ad Thess.

EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA: Aduocatam potiùs nostram, quam Patronam, Deiparam dicimus, quòd ex Valla *Aduocatus nomen sit generalius, quàm Patronus, ut non tantùm significet eum, qui alterius causam agit* (*quem propriè patronum dicimus*) *verùm etiam quicumque adest alteri in causa, officij gratia, aduocatus appelletur, etiamsi nihil dicat, neq; agat, sed tantùm paratus sit defendere*. Cù igitur Virgo beatissima (tametsi quandoq; propter peccata inuocantiū causam actu non agat) semper parata sit, si pœniteant, patrocinium præ-

præstare, vt culparum veniam, & quod honestè postulant, consequantur: idcircò ratius ADVOCATAM appellamus nostram, quàm Patronam. Et in hoc sensu *Refugium* eam dicimus *peccatorum*: alioqui in horum fauorem, si velint in peccato persistere, neque Patronam agit apud Filium neque aduocatam: sicuti neque Filius eius apud Patrem. Pro quo sciendum, quòd tres apud Deum dati sunt nobis aduocati. Et *Primò* B *habemus filium*, 1. *Io.* 2. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. (Aduocatum tamen *in causis* C *animarum, non possessionum.*) *Secundò Spiritum Sanctum, Io.* 14. Paraclitus autem Spiritus-Sanctus, quem mittet Pater &c. *Paraclitus enim* aduocatus *interpretatur*. (Hinc Rom 8. dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis*; idest inspirando *postulantes* D *nos facit, in quantùm in nobis recta desideria causat: nam postulatio est quædam desideriorum explicatio. Desideria autem recta ex amore charitatis proueniunt, quam in nobis scilicet facit*: Ex quo capite aduocatum & ipsum appellamus.) *Tertiò B. Virginem, vnde cantamus ei*: EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA. Verùm ex his quælibet promptè nobis patrocinantem sentimus, si peccata nostra, vt par est, detestemur: nesciunt enim hi patrocinium dare criminibus, siquidem in patrocinando non possunt non esse conformes. Sic quippe & *Auxilium Christianorum*, eam aduocamus (aduocare etenim idem est, ac in auxilium vocare) vt eius tamen auxilij reddamur pœnitendo capaces. Cuius quidem patrocinio vnusquisque nostrum summopere indiget, eo quod *filii Euæ* sumus, peccatis proinde vel sæpe sæpius obnoxii, vel in perpetuo saltem peccandi periculo constituti. Lites autem cient nobis, nec parum molestas, aduersarij multi: hoc est, quinque sensus contra rationem: &, vt dicitur, *Mundus, caro, dæmonia diuersa mouent prælia*, promissa nos possessione toto procurantes conatu exheredare, scripturas librosque factorum nostrorum apud iudicem afferentes, Apoc. 20. *Et libri aperti sunt*, Ex quo iustè damnari metuentes, ADVOCATAM NOSTRAM Deiparam orando inuocamus, vt piæ causæ nostræ patrocinatrix assistat, Sanè pro conseruatione hereditatis, aut redemptione, litem contestari sæpiusnumero homines consueuerunt: & in causis magni momenti peritiores aduocatos consulere, atque ad orandum, declamandumue seligere validiores. Hereditas nostra (quis ignorat?) quā student in dies nos aduersarij nostri priuare, æterna est felicitas & beatitudo, Ps. 15. *Dominus pars hereditatis meæ*, Et Rom. 8. *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Hac porrò fraudati, in perpetuam miseriam deducimur. Igitur, ne ad hoc deueniamus, cum post Christum D.N., omnium Caput aduocatorum, supra cæteros sanctos Patronos ipsa Virgo Sanctissima pro suis excellentibus meritis validior & efficacior existat: quid mirum, eam quotidie in grauissima causa salutis nostræ, ac cælestis hereditatis adipiscendæ, toto corde inuocemus, vt apud iudicem Filium assistat Patrona & ADVOCATA NOSTRA? Verùm vt maximam mortalium indigentiam ad patrocinium ex pietate præstandum clarè perspiciat, & opportunè prospiciat, misericordem in nos suum figat obtutum piè deprecamur.

ILLOS TVOS MISERICORDES OCVLOS AD NOS CONVERTE. Cum traditur in Scripturis Sacris Dominus in nos conuertere oculos, suæ haud dubiè signatur nobis impendere effectus misericordiæ. Hinc Dauid ad eum promebat Ps. 70. *Conuersus consolatus es me*. Et iterum: *Conuersus viuificasti me*. Et Ps. 39. vt ad se diuina conuerteret lumina, enixè postulabat: *Domine, ad adiuuandum me respice*. Vbi Angelicus: *Respectus* E *Dei est auxilium nostrum*. Q. d. *Respice pœnitentes in dolore suo*: quemadmodum Apostolo Petro, qui Magistrum negauerat, feliciter contigit, quando *conuersus Dominus respexit Petrum* (Luc. 22.) ad illius vtique miserendum: ex quo tanquam diuinæ effectus misericordiæ sequitur, quòd *fleuit amarè*. Siquidem (quod ait Beda) *Respicere* F *eius, misereri est: quia non solùm tunc agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est*. Sic & Matth. 9. ad mulierem sanguinifluam, anxiè sanari petentem, *conuersus Dominus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit*. Quo loci S. Thomas: *Conuersus* inquit *conuersione* G *misericordiæ, vidit eam oculo pietatis*. Non secus, nec alium ad finem *suos ad nos oculos* benignè *conuertat*, Virginem precamur beatissimam: vbi enim hosce conuertit, vtpotè *misericordes*, non potest nostri non misereri: *sufficit* quippe *misericordi* H *miseriam exponere*. Idcircò nihil speciale pro subleuatione ab hac Mundi miseria à Virgine petimus: at solummodo vt *ad nos suos misericordes oculos conuertat*, de illius alioqui ad subueniendum interuentione securi. Nam *misericordem* I *non oportet petere, sed solùm indigentiam ei monstrare*. Conuertens nempe ad nos oculos suos, nostram inspectat miseriam, & inspectasse sibi sufficit ad commiserandum, suæ proinde validissimæ intercessionis præstandum suffragium: nimirùm vt ab animæ & corporis periculis eruat, & in Dei gratia (quod præcipuum est) ea iuuante perseueremus. Nec aliud sanè, ex quo suos ad nos conuerterit oculos, à Virginis protectione in hac nobis temporanea vita exoptandum, sed in futura tantummodo. Eapropter post hæc, vt ad vitæ consecutionem æternæ suo ex hac mortali vita emigrantes patrocinio consociet, per sequentia verba exoramus.

ET IESVM, BENEDICTVM FRVCTVM VENTRIS TVI, NOBIS POST HOC EXILIVM OSTENDE. Per quæ, sempiternæ vitæ beatitate donari, eius vtique intercessione, supplicamus. Vera etenim hominis beatitudo in sola Dei Christique Domini visione & agnitione consistit, Io. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Vnde Is. 33. dicitur: *Regem* (idest L Christum) *in decore suo videbunt oculi eius*. Et hoc vnum & vnicum est, quod à Virgine nostra, per eius apud Deum patrocinium, postulamus: cum in hoc vno omnia coalescant hominis bona, proinde ad hoc duntaxat vim totam huius precarionis dirigimus: totus in hoc Marianæ intercessionis conatus impenditur; vt *post hoc exilium* Iesum Dominum nostrum, verum Deum & hominem, videamus in Cælis; hoc est, beati felicesque perpetuò simus. Eapropter non absre precamur, vt post nostrum ab hocce seculo discessum, eum Virgo nobis ostendat; idest, sua nos faciat interuentione videre, Neque Christi, precando, sed IESV duntaxat, nec perperam, sacro venerandoque nomine vtimur: cum enim nomen hoc, nomen salutis sit (Iesus quippe idem est, ac Saluator, Lu. 1. *Vocabis nomē eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*) diuinam ita memoramur, & imploramus misericordiam (ad Tit. 3. *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*) ex qua redemptio nostra, peccatorum remissio, Paradisi apertio: quò per Virginem petimus introduci. At quod potissimè ad hoc præstandum Mariam plenissimam excitat, Iesu Christi est, qua eius consideratur dilectissimus Filius, memoratio deuota (ex hoc namque tota Virginis gloria processit, quòd Mater fuerit Saluatoris) cum videlicet dicimus: IESVM, BENEDICTVM FRVCTVM VENTRIS TVI &c. Nec purè ventris sui fructum exprimimus, sed *benedictum fructum* cum Elisabeth proferimus: maledictiones

B Serm. ex Euang. in die Pentec. & 1. Io. 2. ibi, aduocatum.
C 1. Io. 2. ibid.
D Rom. 8. l. 5. ibi.
E Ps. 39. lit. g.
F Cat. aur. Luc. 22.
G Matth. 9. lit. g. d.
H Matth. 17. lit. b. & lo. 2. l. 1. lit. c.
I Matth. 8 lit. a. ibi, si uis.
L Io. 17. l. 1. lit. c.

ctiones siquidem, quas Mundo intulit præuaricator Adam, sustulit Christus Virginei ventris fructus, & in cælestes benedictiones commutauit: (quemadmodum & Eua maledictioni obnoxia fuit: ex opposito Deipara, cælestibus donata benedictionibus, Luc. 1. *Benedicta tu inter mulieres*. Vnde Augustinus: *Mater M generis nostri pœnam intulit mundo. Genitrix Domini nostri salutem attulit Mundo.*) Et hoc est, quod ait Apostolus ad Gal. 3. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu*. Quasi diceret: *Non solùm N vt maledictionem remoueret, sed* vt in gentibus, *quæ non sub maledictione legis erant*, fieret benedictio, Abrahæ *promissa Gen.* 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes. *Et hæc quidem benedictio facta est nobis, idest impleta est, per Christum, qui est de semine Abrahæ*, cui dictæ sunt promissiones: Et semini tuo, qui est Christus, *vt Apostolus subiicit eodem capite*. Hæc porrò benedictio, salutis nobis fit initium allectionem æternam & electi ad gloriam ea dulcissima verba in die iudicij audituri sunt Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum &c.* Vt ergo benedictionem hanc faciliùs feliciusque Virginis obtineamus interuentu, non abs re *benedictum fructum ventris* eius Virginei rememoramus, ceu efficacissimū ad Matris impetranda suffragia excitatiuum. Cum verò, quod ex intimo cordis optamus, per omnia præmissa verba enixè petierimus, reliquum est, vt prænarrata quæ Virgo habet ad votum exaudiendi motiua compendiosè strictimque repetamus deuoti. Idcircò ijs precationem vocibus fiducialiter cum Bernardo complemus, dicentes:

O' CLEMENS O' PIA O' DULCIS VIRGO. Quibus nempe patrocinium iterum suspiramus Deiparæ, & qua *Regina* est, & qua *Mater misericordiæ*: quiusmodi titulis (vt vidimus) inuocata, & potest & vult indigentibus subuenire. Vt *Regina* est, eius clementiæ innitimur, cum propria Regum & Principum virtus, clementia sit, Prou. 20. *Roboratur clementia thronus Regis*. Et ita clementem deprecamur: O' CLEMENS. Vt erga nos miseros miseratrix est, piam vocitamus: O' PIA. Vt ei ara Mater est, dulcem nominamus: O' DULCIS VIRGO.

MARIA. In cuius suauissimo nomine orationem claudimus, ceu quodam perenni gratiarum fonte, quæ per suam nobis interuentionem conferuntur à Deo: *Qui O totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens*. Sanè nomen hoc venerabilissimum plures apud Patres interpretationes admittit. Apud Angelicum *vocatur P Maria, quæ interpretatur* illuminata *in se*, *Is.* 58. Implebit splendoribus animam tuam: *&* illuminatrix *in alios, quantùm ad totum Mundum*; *& ideò assimilatur Soli & Lunæ*, *Cant.* 6. Pulchra vt Luna, electa vt Sol. *Et quia Mater Domini, ideò Domina est; vnde conuenit ei hoc nomen* MARIA, *quod Syra lingua* Domina *interpretatur*: Domina scilicet hominum & Angelorum; vnde & ab Angelo tanquam Domina reuerenter salutata est. *Quòd Q Angelus* (inquit S. Thomas) *faceret homini reuerentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutauit B. Virginem, dicens*: Aue gratia plena, Dominus tecum. *Conuenit* vlteriùs *et R nomen* MARIA, *quæ interpretatur* Stella Maris: *quia sicut per stellam maris nauigantes diriguntur ad portum; ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam*: Quam nobis concedat qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Hæc raptim de Te promere ausus sum, Virgo Dei Mater Sanctissima: & quia ignoranter, rudi-ter, imperfectè mentem manumque adhibui; vt imposterùm digniùs altiùsque, tuo illustrante lumine, scribere concedatur: qua decet puritate, DIGNARE ME LAUDARE TE VIRGO SACRATA: Vtque validiùs tui Sanctissimi inimicos Nominis (quales impij hæresiarchæ) confutare, prosternere, destruere valeam, Tu *VIRGO CLEMENS*, sed & *VIRGO POTENS*,

DA MIHI VIRTVTEM CONTRA HOSTES TUOS. Amen.

M *Serm. 2. de Annunc.*

N *Gal. 3. l. 5. ibi.*

O *Bern. de Nat. B. V.*

P *Op. 8 post med. & Matth. 1. lit. d. ibi, Maria.*

Q *Eod. Op sub initio.*

R *Eod. Op. circ. fi. & Math. 1. loco cit.*

DEO ET VIRGINI MATRI
Laus, Honor, & Gloria.



INDEX

INDEX

Rerum notabilium in hoc Tertio Tomo contentarum.

Litera maior currentem Alphabeti literam signat. Numerus principalem sub eadem litera ad singulas materias sententiam notat. Litera minor literas indicat marginales, siue paragraphos.

A

INDEX.

INDEX.

num

ELE.

INDEX.

ELECTIO.

ELECTIO DIVINA ET ELECTI.

ELEEMOSYNA.

EMPEDOCLES.

EMPTOR.

EPIICHIA.

EPISCOPVS.

EQVVS.

ERRORES.

ESAV.

EVA.

EVANGELIVM.

EVBVLIA.

EVTHYCIANI.

EXCOMMVNICATIO.

EXTASIS.

F

FAMILIARITAS.

FIDES INFVSA.

INDEX.

INDEX.

IRRE-

INDEX.

MA.

INDEX.

Cc c 4

MISERIA.

MISERICORDIA.

MISSA.

MISSIO DIVINA.

INDEX.

OCI-

INDEX.

ORDO PRÆDICATORUM.

ORDO SACRAMENTVM.

ORIGENES.

OSCVLVM.

OZA, ET OZIAS.

P

PÆDAGOGVS.

PAPA.

PARENTES.

PAVLVS APOSTOLVS.

præ-

PECCATVM VENIALE.

PECCATVM CAPITALE.

PECCATOR.

POENITENTIÆ MINISTER.

POENITENTIA SERA.

PRISCILLA.

PRODIGALITAS.

PROPHETA, PROPHETIA.

PROSELYTI.

PRVDENTIA.

PSALMVS.

PVRGATORIVM.

PVRPVRA.

PVTIPHARES.

PYTHAGORAS.

Q

QVADRAGESIMA.

QVIETIS ORATIO.

R

RAPTVS EXTRA SE.

RAPTVS, LVXVRIÆ SPECIES.

INDEX.

RATIO.

REATVS.

RECTOR, REGIMEN.

REGNVM, REX.

RELIGIOSVS.

REMINISCENTIA.

REPROBATIO.

SACRAMENTVM.

INDEX.

SCE.

INDEX.

SOBRIETAS.

SODOMIA.

SOLICITVDO.

SPES.

SPIRITVS SANCTVS.

INDEX.

& ip-

SVSVRRATIO.

SYNESIS.

T

TATIANI.

TEMPERANTIA.

TEMPLVM.

TENTATIO.

INDEX.

INDEX.

VOTVM.

VSVRA.

VSVS ET VTI.

INDICIS FINIS.

Aliā

Alia Authoris, siue S. Thomæ Collectoris, Opuscula impressa.

DIstichorum Centuriæ XV.
Anagrammatum Quinquagenæ VI.
Venetæ Vianolææ Historiæ Poetica Epitome.
Expositio Antiphonæ *Salue Regina*.
Trattato dell'anime de' Defunti.
Della educazione de' Figli.
L'horrore della Bestemmia.

M. SS.

1 RIme varie in lingua Toscana.
2 Rime in lingua Veneziana.
4 Suegliarino agli assonnati vel vizio della lussuria.
3 Lucrezia vendicata. Drama musicale.



Pagina

Pagina	Columna	Linea	ERRATA	CORRIGE:
9	2	fi. marg.	adde	T *Ps.* 18. *lit. c.*
75	1	44	veniet	Veniet
78	2	vlt.	vestimentum	indumentum
81	1	26	potest	potes
Ib.	ib.	29	voluntabo	volutabro
85	2	ad fi.	*singuli*	*singula*
95	1	29	legere	legem
Ib.	ib.	39	præceptura	præceptum
96	1	6	bonam	bona
97	1	8	ei	rei
Ib.	ib.	9	constitit	consistit
99	2	12	Virgo	Viro
104	1	57	flamina	flamma
113	1	41	donus	donis
115	1	38	notis	nobis
Ib.	ib.	57	*propter spem*	præter spem
Ib.	2	42	hoc est contra	hoc est
118	2	60	posseas virtute	polleat virtute
119	1	6	facere cuius	cuius
Ib.	ib.	marg.	miracula.	miracula facere;
122	2	26	infirmis	infimis
123	2	fi. marg.	adde	O *Matth.* 5. *lit. b. ibi*, misericordes;
124	1	in marg.	*Matth.* 18. 5. *fi.*	*Matth.* 18. *fi. cap.*
Ib.	ib.	paulò post	*Op.* 7. *Pet. fi. c.*	*Op.* 7. *Pet.* 5. *fi.*
126	2	31	ex iustitia	ex tristitia
Ib.	ib.	57	acceptatis	acceptabis
129	2	7	vigilat	vigil
145	2	fi. marg.	adde	Z *Gal.* 3. *l.* 1. *ibi*, fascinauit;
147	1	37	mulieris	muliebris
148	1	vlt.	vniuersitatem	vnitatem
149	1	61	Et hoc	Et secundùm hoc
Ib.	ib.	63	secundùm Prima	Prima
Ib.	2	21	& immaculatum	se immaculatum
Ib.	ib.	53	concupitus.	concubitus.
153	1	8	habes eat	habeat
159	2	5	adijciuntur	adijciunt
162	2	1	meliùs pro	meliùs per
163	2	69	conferses	conferes
176	2	28	*gloriam*	*gratiam*
184	2	42	*ministeriorum*	*mysteriorum*
185	2	28	hierarchia	hierarcha
191	2	8	curatio	curuatio
192	2	47	existit	extitit
195	2	32	*nutritiuo*	*nutritio*
196	1	marg.	parentum honorate	ex parentum honoratione
202	1	11	rostibulo	prostibulo
204	2	24	Israeli	Israel;
208	2	32	Saul	Saulus
211	1	72	Quia ego	Quia ergo
216	2	33	pacem Dei est	Dei est, pacem
226	2	4	Et sunt	Et sicut
232	1	65	actuum	actuum autem
242	1	59	pœnitentiam	pœnitenti
Ib.	2	vlt.	Domine	Dominum
258	1	fi.	*in minimis*	*nec in minimis*
261	1	67	*& multo*	*& muto*
265	1	74	& lus	& malus
269	1	28	suspicientes	suscipientes
271	2	3	peccat	peccata
274	1	74	Filij	Fili
275	1	72	deformitatione	deformatione
278	1	44	vt possit	vt possitis
281	1	7	*Vicarium*	*Vicarius*

Ib.

Pagina	Columna	Linea	ERRATA	CORRIGE.
281	1	40	Vni fratres	Viri fratres
285	2	12	*ne imperante*	*imperante*
315	2	23	qui radices	quia radices
318	1	29	seruiret	seruierit
322	2	16	*bamo*	*homo*
Ib.	ib.	17	*homo*	*hamo*
327	1	vlt.	iuuare	iuuari
328	1	69	Necessariam	Necessarium
Ib.	ib.	73	necessarium	necessariam
347	1	44	conuiuantur	conuiuentes
Ib.	2	3	iucare	iudicare
352	1	48	stracto	strato
Ib.	2	47	sualimi	sublimi
357	1	marg.	diu	non diu
359	1	marg.	Propheta quid.	Prophetia quid.
360	2	43	tota postponatur sequenti lineæ.	
361	2	37	nobiscum præsciẽtię	præscientiæ
366	1	26	diuersas	secundùm diuersas
371	2	74	interrores	inter errores
375	1	2	vinæ ibat	viæ ibant
379	2	35	*Venetia*	*Veneta*
380	2	69	effectus	affectus
384	1	49	Eis enim, quæ	Eis enim, qui
385	1	6	statu:	statua:
Ib.	ib.	21	tota postponatur sequenti lineæ.	
388	1	23	fecit: as *in diuitia*	fecit *in diuitias*
Ib.	ib.	61	*suum*	*secum*
392	1	32	*voto magisque*	*voto*
394	1	62	sit gratia	sit grata
402	1	3	non esset	non esse
404	2	13	indiuiduum	indiuiduo
Ib.	ib.	20, 21. 22.	anima & idẽ & corpus, & hæc remaneant, quia resurget eadem anima (corpus:	anima et corpus, et hæc remaneant, quia resurget eadem anima, et idem corpus:
412	1	25	*lacinias*	*lasciuias*
430	1	1	orate	oratione
432	1	11	*misuri*	*miscui*
Ib.	2	31	& quoad humana & cęlestia, quoad et quoad facta mystica et litera- (lia,	et quoad factã; quoad humana, et cęlestia; quoad mystica, et literalia.
447	1	14	iustitia	iustitiæ
450	1	65	siai	sit
459	1	26	*inducit*	*induit*
460	2	58	*hoc oe danum*	*hoece donum*
468	1	5	*gratiæ numero*	*gratiæ munere*
472	2	56	*introducitur*.	*introducuntur*.
473	1	29	volunt	nolunt
481	2	38	ita	sta
498	1	1	operabitur	oportebit
Ib.	2	53	debet nisi	debet niti
504	2	10	*animæ*	*animi*
Ib.	ib.	11	*animi*	*animæ*
509	1	16	Maria	Martha
Ib.	ib.	17	Martha	Mariã
511	2	41	scopus	sclopus
517	2	15	*ab ipso*	*ab ipso Deo*
526	2	marg.	votum triplex	votum simplex
531	2	74	non comedat	nos comedat
539	1	27	*fitus*	*finis*
Ib.	ib.	29	*finnis*	*finem*
541	1	73	*sunt*	*Qui sunt*
Ib.	2	39	profusit	protulit
544	2	14	*vesatus*	*vesanus*
545	1	49	setigere	seligere

Ad Le-

Ad Lectorem.

QVæ adhuc plura (ad typographi indemnitatem omissa) menda irrepserunt, Lector sapiens, patiens corrector esto.

Quem & monere ex memoriæ lapsu negleximus Tomo 2. Verbo *Irregularitas* circa finem: quòd Author noster 2. 2. q. 64. a. 7. ad 3. ideò Clericum, etiam ad necessariam vitæ suæ defensionem, hominis occisorem, irregularem fieri docuit: tum quia irregularitas consequitur actum homicidij, etiamsi sit absque peccato, vt patet in iudice ad mortem damnante; tum quia legerat in Decretis Dist. 50. Cap. *De his Clericis*, Nicolaum Papam scribentem: *De his clericis, pro quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati, possint ad pristinum statum redire, aut ad altiorem ascendere: Scito, Nos nullam occasionem dare, nec vllam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi*. Verùm quia nouo iure, videlicet *in Clem. vnica de homicid.* statutum est, quòd *is, qui aliter mortem euitare non valens, suum occidit inuasorem, irregularis non est*: huic iuri nunc standum. Neque oppositum scripsisset Author, si huiusmodi suo tempore lex extitisset: cum irregularitas, iuris duntaxat sit positiui; vt ad eum locum bene aduertit *Caietanus*.

Eodem Tomo 2. Verbo, *Iudæi*, pag. 457. col. 2. lin. 36. vbi dicitur, *perfectius*: adde sequentia: *Plura & his consimilia narrat Philo eruditissimus Iudæorum. At secundum Hieronymum (vt notat ac refert* P. Dominicus Magri *in Vocabul. Eccles. verbo* Esseni) *loquitur de Iudæis Alexandriæ Ægypti sub D. Marco ad fidem conuersis; id quod tangitur & in Breuiario Romano sub fine lectionum in festo eiusdem*.

S. N. D. B.